MAGNUM OECUMENICUM CONSTANTIENSE CONCILIUM DE UNIVERSALI...

Digitized by Google

8
8 F
2

5

~~H. XIII~~ E. 7.

Digitized by Google

Digitized by Google

MAGNI
ET
UNIVERSALIS
CONSTANTIENSIS
CONCILII
TOMI VI.

Digitized by Google

Digitized by Google

MAGNUM OECUMENICUM CONSTANTIENSE CONCILIUM DE UNIVERSALI ECCLESIÆ REFORMATIONE, UNIONE, ET FIDE.

VI. TOMIS COMPREHENSUM.

IMPERATORIS SIGISMUNDI
CONSILIO
A. M CCCC XV. XVI. XVII. XVIII.
SUB COELO GERMANICO
MAGNIFICENTISSIME CELEBRATUM,
IMPERATORIS LEOPOLDI
GRATIA
A. MDC XCVI. XCVII. XCVIII. XCIX.
IN GERMANIÆ SINU
GLORIOSISSIME RESUSCITATUM,
BRUNSVICENSIUM DUCIS
RUDOLPHI AUGUSTI
AUSPICIIS
Ex ingenti antiquiſſimorum & fide digniſſimorum
MSCtorum mole & profundis veteris illius
ævi tenebris
In Majorum gloriam
& poſteritatis emolumentum
diligentiſſime erutum ac recenſitum
multisq; *figuris aneis* exornatum
OPERÂ ET LABORE

HERMANNI von der Hardt/
Cœnobii Mariæbergenſis Præpoſiti & Academ. Juliæ Profeſſ.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.
HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1700.

Digitized by Google

Digitized by Google



CHRISTIANO & PRUDENTI LECTORI S. P.

MAgnum Glorioſiſſimi quondam, CÆSARIS SIGISMUNDI & æterna memoriâ dignum facinus, quod, tribus abhinc ſeculis, univerſum Chriſtianum orbem pro univerſali Concilio celebrando, Conſtantiam Germanorum, ſplendidum Imperii ad Rhenum oppidum, omnium applauſu perduxit. Cujus auguſtiſſima in tam grandi opere ſapientia limites *Europæ* longe tranſcendit, atque ad *Aſiæ* & *Africæ* Reges & Principes clariſſimi fulguris inſtar penetravit: Adeo, ut illuſtres Legati ex barbaris etiam oris in Germaniæ ſinum attoniti advolarent. Maxime, quod cum voluptate & ſtupore audirent, moliri Chriſtianiſſimum hunc Imperatorem univerſæ Eccleſiæ Chriſtianæ, quoad ejus regi-

men & diſciplinam, curatam reformationem, Eccleſiarum Orientis & Occidentis, disſidentis præcipue ſub tribus Pontificibus Europæ, deſideratam harmoniam ac unionem, litium denique Eccleſiaſticarum de fide ac religioſitate pacatum terminum atque finem. Porro, in ipſo celſisſimo, atq; ex Cæſaris Majeſtate ac innumerorum Principum & Magnatum præſentium autoritate fulgidisſimo Concilii theatro, Cæſaris & Concilii patrum admirabilis prudentia effulſit, quando prægrandem Europæorum populorum, *Conſtantiam* ex remotis etiam provinciis confluentium, ambitum, pro conſultationibus apte inſtituendis, rebusque magnis rite conficiendis, in quinque nationes, Germanicam, Gallicam, Anglicam, Hiſpanicam & Italicam incomparabili ordine diſtribuerunt. Cujus divini conſilii ingens pondus & penetrantisſimam vim ſtupuit mox cœlum, quando illius robore tres ſummos, ac dignitate, opulentia & plauſu munitisſimos & fere inacceſſos Pontifices, ſede moveri, ac illum carcere, hunc Cardinalatus cancellis, iſtum Paniſcolæ anguſtiis claudi, aliumque fortisſimâ Cæſaris & Concilii manu extolli, vidit, & præ devotione horruit. Obſtupeſcet ſera poſteritas, horum memor. Sed & artes ac machinas, Cæſaris &

Con-

Digitized by Google

Concilii conatui in tam vaſtis operibus & mole inſuperabilibus formandis ac conficiendis, occulte & palam obvolutas atq; oppoſitas, amare deplorabit, Herculeumque Cæſaris laborem & invictisſimam patientiam adorabit.

Ceterum, hoc lumen, tam longo ſeculorum intervallo denſis antiquisſimorum MSCtorũ tenebris, & profundis reconditarum tabularum cavernis tectum & obſeptum, ſera hac ætate emicuisſe, radiosq; nunc tandem ſpargere, divinæ omnino gratiæ, dein Auguſtisſimi Monarchæ ac Imperatoris Magni LEOPOLDI *Clementiæ*, ut & Serenisſimi Brunſvicenſium Ducis RUDOLPHI AUGUSTI *beneficio*, multorum denique Principum, urbium Imperialium, & Academiarum ſubſidio, acceptum ferendum.

Noſtram autem in effodiendis atque erudcrandis monumentis induſtriam benevole admittent poſteri, & ſicubi in autoribus dignoſcendis ancipiti augurio lapſi, vel & in denſa MSCtorum antiquorum caligine impegiſſe videbimur, benigne interpretabuntur. Fidem ſane intemeratam ſpondemus. Monumenta quoque plura ſupereſſe non contemnenda, quæ huc pertineant, in Bibliothecarum verò latebris in diverſis regnis adhuc hærere, non diffite-

fitemur: Quin ſcimus, & expectamus. Imo pluſcula his Tomis non comprehenſa ipſi jam poſſidemus, in Tomorum Prolegomenis ſubindigitata, in alium verò ampliorem locum, ne præſentes Tomi nimia mole terrerent, differenda.

Claudimus ergo in publica tranquillitate templum, qui præſenti *anno Jubilæo* plaudimus, & ad ſerenam proximi ſeculi decimi octavi lucem, amplam fortunæ ſpem, illuſtrem orbis Chriſtiani gloriam, aureamque pacem, *portas* divina manu *aperiri* gaudemus.

S. A. M DCC.
d. XXII. Jan.





IN DIVUM SIGISMUNDUM IMPERATOREM

JO. PALATIUS ICTUS VENETUS. IN MONARCH. OCCIDENT. *fol* 133.

Theodericus Vrie, in Historia Concilii Constant. Ao 1417. d. 18. Nov.

Rex fortis forte gravatam
Terrigenas auſos ſedes corrumpere Jovis
Fulmine lapavit, deſtruxit culmina montes
Grandes calcavit, ſimul hoſtes ſuppeditavit
Hic Rex Magnificus, quem gloria laudat honoris,
Tartareos Ditis reſeret vectes furibundi
Audit fortis manu atq; potentia grandis

Cerberus et captus per eum qui ſimula cepit.
Cecit et hic mirans quem mam̃ona magna levabit
Ac confortabat omni ſpe jam ſpoliaturus.
Occidit prudens Aprum. ſtellis variatum
Fraudibus atq; dolo vulpinis ſæpe probatum.
Hydram cui ſeptem creverunt alumna ſerina,
Herculeus labor et terror ſedit ordine mire.


SIGISMUNDUS D.G. ROMANORUM
IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS
GERMANIÆ, HUNGARIÆ,
DALMATIÆ, CROATIÆ,
ET SCLAVONIÆ REX, etc.
NESCIT REGNARE QUI NESCIT DISSIMULARE.
NATUS
28 Jun. Anno 1368.
DENATUS
9 Dec. Anno
ÆTAT LXX



Digitized by Google


CONSILIO ET INDUSTRIA
LEOPOLDUS I.
ROMANORUM IMPERATOR
SEMPER AUGUSTUS

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

TOMUS I.
RERUM
CONCILII OECU-
MENICI
CONSTANTIENSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

TOMUS I.

RERUM CONCILII OECUMENICI CONSTANTIENSIS

DE UNIVERSALI ECCLESIASTICÆ DISCIPLINÆ REFORMATIONE.

Quæ res antiquæ

IMPERATORE SIGISMUNDO

SAPIENTISSIME MODERANTE

ante hæc tria prope ſecula geſtæ,

AUGUSTISSIMO AC INVICTISSIMO

IMPERATORE LEOPOLDO

CLEMENTISSIME ANNUENTE,

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

ad Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lucem,

Germanicæ gentis decus,

elegantiorisque doctrinæ in hoc olim Concilio ſuſcitatæ gloriam,

Ex inæſtimabili GERMANIÆ & ANGLIÆ theſauro literario,

antiquiſſimorum MANUSCRIPTORUM

CÆSAREORUM, DUCALIUM, ACADEMICORUM,

aliorumque plurium, ingenti numero advectorum ope

erutæ ac illuſtratæ

Cura & labore

HERMANNI von der Hardt/

Sereniſſimæ Ejus Celſitudini à literis, & in Acad.

Julia Ling. Orient. Profeſſ.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

Digitized by Google

AUGUSTISSIMO

AC INVICTISSIMO

ROMANORUM

IMPERATORI

LEOPOLDO I.

MAGNO

SAPIENTI

PIO

FELICI

CHRISTIANISSIMO CÆSARI

POTENTISSIMO REGI

VICTORIOSISSIMO TRIUMPHATORI

ORBIS CHRISTIANI CELSISSIMO CAPITI

ORBIS LITERATI MUNIFICENTISSIMO PROTECTORI

MAJESTATIS ET JURIUM

ROMANO-GERMANICI IMPERII

FORTISSIMO

CONSTANTISSIMOQUE

VINDICI

HANC

ANTIQVARUM RERUM

CONCILII OECUMENICI

SUB COELO GERMANICO

CONSTANTIÆ AD RHENUM

IMPERIALI AUSTRIACA URBE

MAGNIFICE OLIM CELEBRATI

PRIMAM MOLEM

EX

AUGUSTISSIMA

BIBLIOTHECA CÆSAREA

VINDOBONENSI

CLEMENTISSIMO CÆSAREO INDULTU

MAGNA PARTE DEPROMTAM

DEVOTISSIME

HUMILLIMEQVE

CONSECRAT

HERMANNUS von der Hardt.

Digitized by Google

AUGUSTISSIME IMPERATOR

CHriſtianisſimus Imperator SIGISMUNDUS, in eodem Celſiſſimo Throno, quo SACRATISSIMA TUA MAJESTAS effulget, avorum quondam memoriâ collocatus, TE, POTENTISSIME CÆSAR, huic orbi glorioſiſſime imperantem, venit ſalutatum,

Imperii Romano-Germanici gloriam, reddidit, aluit, auxit DIVUS SIGISMUNDUS. Supremæ Cæſareæ Majeſtatis jura tueri ac vindicare ſapientiſſime allaboravit. Germaniæ, imo univerſæ chriſtianæ Reipublicæ, qvin & Eccleſiæ, ſalutem, incolumitatem, quietem, inexplicabili ſollicitudine proſecutus, auguſtiſſimæ potentiæ atque autoritatis vim & majeſtatem Chriſtiano demonſtravit orbi. Qvidni ergo ſapientiſſimus hic Heros, Cæſarei juris & gloriæ vindex prudentiſſimus, TIBI, SACRATISSIME CÆSAR, Seſe ſvaviſſime jungat, qui TE in imperio ſucceſſorem Auguſtiſſimum, virtute, ſapientia, majeſtate parem vel & majorem agnoſcit ac admiratur. Elegantiſſimæ ſcientiæ aureola, Cæſareæ laureæ intexta, Auguſto Cæſare digna, Imperatoris Sigismundi tempora cinxit: Qvæ in CÆSAREA TUA MAJESTATE tanto fulgore reſplendet, ut eruditiſſimum TE Cæſarem dixiſſe, ſit Cæſaris Auguſti nomen ac gloriam TUÆ MAJESTATI ex æquo vindicaſſe. Eminentisſimum Reipublicæ literariæ caput exiſtis, quo totus eruditorum orbis felicisſime ſuperbit. Nec Auguſti Cæſaris in doctrinam viroſqve bonarum literarum amantes major propenſio, nec auguſtius præſidium, qvàm quo divinum pectus TUUM, POTENTISSIME IMPERATOR, in eruditionis lucem ac fortunam fertur. Hæc eſt ex ſapientiæ robore immota baſis, qva ſupremum regimen inconcuſſe ſuffulcis.

Neque

Neqve ejusdem duntaxat Throni Majeſtatisqve ſplendor *CÆSAREM CÆSARI, SIGISMUNDUM LEOPOLDO*, pari virtutis ac ſapientiæ gloriâ jungit: Sed & eadem illa civitas CONSTANTIA RHENANA, cujus Se Dominum Naturalem dixit Sigismundus, in qua auguſtisſima Cæſareæ Suæ Majeſtatis dedit documenta, TVO, INVICTISSIME MONARCHA, ſupremo Dominio eſt ſubjecta, AUSTRIACÆqve DOMUI fidem & obſeqvium ab integro ſeculo devotisſime præſtat. Fuit ſane hæc TUA CONSTANTIA Sigismundeæ ſapientiæ, potentiæ & autoritatis theatrum ſplendidisſimum. Qvippe qvo, pro ſupremo jure ſuo, univerſum accivit orbem chriſtianum, quo confluxerunt Electores, Principes, Regumqve Europæorum Legati, & Magnates innumerabili cœtu. Nec Aſiatici nec Afri Reges per Legatos inſalutatam liqverunt hanc Tuam Conſtantiam, Sigismundi gloriam. Cujus primi ſub cœlo Germanico Univerſalis Concilii, maxima cum pompa celebrati, viva imago, non hiſtoriæ ſolùm Germanicæ pars eſt illuſtris, ſed & Conſtantiæ TUÆ decus immortale. Qvapropter, INVICTISSIME CÆSAR, multis præclaris characteribus condecoratæ TUÆ civitatis, magnificæ CONSTANTIÆ, antiqva facies, priſtina fortuna, gratioſisſimis SACRÆ TUÆ MAJESTATIS oculis ſeſe hîc offert.

Tantoqve majori jure ad SACRÆ TUÆ MAJESTATIS Thronum devolvuntur hæ Conſtantienſis

ſis Concilii res perantiquæ & memorabiles, quanto clariorem ex AUGUSTISSIMA CÆSAREÆ TUÆ MAJESTATIS BIBLIOTHECA VINDOBONENSI lucem impetrarunt. TUA illa, *CHRISTIANISSIME IMPERATOR*, BIBLIOTHECA eſt, quæ infinitis, & ex antiquitate ac rerum pondere pretioſiſſimis Codicibus Manuſcriptis palmam omni apparatui librario reddit dubiam, eruditæ Germaniæ gloria, hiſtoriæ & antiquorum fatorum lumen, Imperii ex antiquiſſimorum monumentorum fide præſidium, & cautæ poſteritatis firmum ex literis munimentum. Ex quo inæſtimabili theſauro literario, vero *TUO, AUGUSTISSIME IMPERATOR*, delicio, plurium antiquiſſimorum Codicum Manuſcriptorum, ad laudatiſſimam perantiquam Conſtantienſis Concilii hiſtoriam Germanicam ſpectantium, uſum, SERENISSIMO BRUNSVICENSIUM Duci, *RUDOLPHO AUGUSTO*, antiquæ Germanicæ virtutis & gloriæ amantiſſimo Principi, inenarrabili TUA clementia, Celſiſſimo literati orbis Protectore dignâ, indulſiſti. Qui theſaurus clementiſſime communicatus tam locuples deprehenſus, ut exhauriri in ampliſſimo hoc Rerum Conſtantienſium ambitu vix poſſe videatur.

Uti ergo ampli rivi in vaſtum, unde profluxerunt, revertuntur Oceanum, ita ad SACRATISSIMAM MAJESTATEM TUAM, *Sereniſſimi Brunſvicenſium* DUCIS RUDOLPHI AUGUSTI nutu,

nutu, redeunt hæc cuncta, omni jure TUA: CÆSAREA inquam, Potentiſſimi CÆSARIS Anteceſſoris ſapienti manu olim glorioſiſſime inſtructa: In urbe Imperiali Auſtriaca, TUA CONSTANTIA, magnifice geſta: Et poſt longum ſeculorum intervallum, AUGUSTISSIMÆ TUÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS BIBLIOTHECÆ incomparabili adjumento ex tenebris nunc eruta, atque ad Imperii gloriam & Germanicæ gentis decus, pro ſeculi noſtri ornatu condecorata.

Admitte igitur, CHRISTIANISSIME IMPERATOR, ſumma hæc MAJORVM TUORUM merita, æterna IMPERII TUI ornamenta, irrefragabilia SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS TUÆ documenta, perilluſtria AUSTRIACÆ TUÆ URBIS fata, pretioſiſſima AUGUSTISSIMÆ TUÆ BIBLIOTHECÆ cimelia, indubitata immortalis in AVSTRIACA DOMO felicitatis pignora.

Cœleſte Numen, TE, AUGUSTISSIME MONARCHA, PATRIÆ PATREM, IMPERII ET SALUTIS PUBLICÆ CUSTODEM VINDICEMQVE FORTUNATISSIMUM, SEMPER AUGUSTUM, omnigena felicitate coronatum, omnibus porro triumphis beet, ac virtutis, potentiæ & Majeſtatis TUÆ HÆREDEM, POTENTISSIMUM REGEM JOSEPHUM, Numinis divini ocellum, generis humani delicium, in avitum feliciſſimum Imperium, Auguſtiſſi-

ſtisſimam IMPERATORUM Majeſtatem, cœlitus conſervet, & de omnibus olim hoſtibus fortunatisſime jubeat triumphare.

HELMESTADII in Acad.
Julia A. M DC XCVII.
Vigil. Pentecoſt.

Prole-

Digitized by Google



HERMANNUS von der Hardt
Erudito & æquo Lectori.

S. D.

EN, optime Lector, *primam* Rerum Concilii œcumenici Conſtantienſis *molem; De Diſciplinæ Eccleſiaſticæ emendatione in Conſtantienſi Concilio quæſita.* Qvæ ingens rerum antiqvarum rariſſimorumqve monumentorum farrago, ex permultis MSCtis eruta, qvoniam maxima ex parte tenebris hactenus preſſa, & huic ſeculo incognita: De conditi hujus Operis *primique TOMI* conſtructi, origine, adjumentis, præſidiis, argumento, ordine ac ſcopo, qvædam prænuncianda veniunt. Ex qvibus parem proxime SEQVENTIUM TOMORUM huc ſpectantium indolem, MSCtorum adhibendorum apparatum, monumentorum raritatem dignitatemqve, ut & methodi regulam, cognoſcere qviſqve poſſit.

CAP. I.
De præcipuis Conſtantienſis Concilii negotiis.

DIVI SIGISMUNDI IMPERATORIS ſuprema Majeſtas, Cæſarea autoritas, prudentia, ſacratiſſimo illo faſtigio digna, ex ſplendidiſſimo olim *Conſtantienſis primi in Germania Univerſalis Concilii* theatro clariſſime effulſit, totumq; Chriſtianum illuſtravit orbem. Nec enim illo ævo illuſtrior ampliorqve data occaſio Imperatori Auguſtiſſimam ſuam teſtandi Majeſtatem, ſupremumqve in reſarciendam Eccleſiam & Rempublicam Chriſtianam jus exercendi, quam *Univerſali Concilio Conſtantiæ Germanorum a ſe congregato.*

Erat

Erat illa tempeſtate, circa limites ſeculi XIV. & XV. omnium hiſtoricorum unanimi conſenſu, in *Eccleſiaſtico ſtatu* ea ubiqve animorum diſtractio, morum depravatio, ac diſtortus conſiliorum nexus, ut ſurſum deorſum ferrentur univerſa. Hinc qvotidianæ bonorum qverelæ de continuis maculis corporis religioſi. Indeſinentia ad emendationem ſacram ſuſpiria atqve vota. Et *à capite* quidem *ad calcem* illa ætate Eccleſiaſticum corpus variis infectum fuiſſe morbis, omnes illius fati ſcriptores coætanei non ſine dolore monuerunt. *Regimen ſacrum* confuſum & extra orbitas diſtractum. Unde abuſus orti, Eccleſiis inferioribus moleſti aut exitioſi. In *clero* qvoqve *minori* ea morum pravitas notata, ut Chriſtiana norma ſolo nomine ſuperſtes cenſeretur.

Hanc ægram illius ſeculi faciem, habitu religioſo velatam, penitius cum aliis viris cordatis ac ſapientibus intuitus glorioſiſſimæ memoriæ IMPERATOR SIGISMUNDUS: Sed & pro celſiſſimo in Eccleſiam affectu, atqve auguſtiſſimo in ejus patrocinium jure, illius miſertus, ſerio de his malis è medio tollendis cogitavit, *emendationemqve univerſi ſtatus Eccleſiaſtici* magno animo eſt molitus.

Qvo fine de *Concilio œcumenico ſub cœlo Germanico congregando*, cœpto ſacratiſſimo conſilio, hoc *Conſtantiam* mox convocari pro autoritate ſua Cæſarea mandavit. Hocq; in illo, pro auguſtiſſima ſua voluntate feliciſſime tandem coacto, religioſiſſime egit, ut [illegible] *Eccleſiaſticæ Diſciplinæ reformatio* ex voto Chriſtiani orbis pararetur.

Erat profecto hæc moles tam gravis, ut proximi ante Sigismundum Cæſares manum admovere dubitaverint, ceteri magnates ſuccumbere labori nondum cœpto ſunt viſi. Unde Herculea SIGISMUNDI reqviſita animi corporisq; præſentia, manus Imperiali jure armata, & pectus infracto robore, virtutis & conſtantiæ præſidio, munitũ. *Regimen* delineare, formare aut reſtituere *in Dei templo ſalutare*, magnæ molis erat, clerumq; vitiis tunc deformatum reformare, atqve virtute omni imbuere, inſuperabile negotium.

Auſus proinde SIGISMUNDUS, qvod divina ſuggerebat dextra, qvod ſupremi Eccleſiæ Advocati ſumma facultas ſpondebat, quod totus chriſtianus orbis ab eo petebat atqve expectabat.

Volvit hoc ſaxum CÆSAR GLORIOSISSIMUS ATQVE PIENTISSIMUS in [illegible] à Se definito Concilio multis annis, ita qvidem, ut univerſa ſolertiſſime ac ſapientiſſime inſtrueret momenta.

Orta hinc in Concilio *de hoc Emendationis ſacræ negotio* conſilia infinita, [illegible] machinæ innumeræ. Qvæ omnia pertinaciſſimum emendationis [illegible] ſtudium & inexplebile deſiderium in SIGISMUNDO CÆSARE demonſtrarent. Qvod confirmant tot epiſtolæ, orationes, [illegible], gratulationes, florente illo Concilio, ad SIGISMUNDUM directæ, qvibus grande ac laudabile CÆSARIS *in emendando Eccleſiaſtico ſtatu* facinus probaretur, animusq; in proſeqvenda [illegible] ſuffulciretur.

Unum hoc erat *Conſtantienſis Concilii negotium CÆSARIS* providentia

videntiâ inſtructum, *Eccleſiaſticæ diſciplinæ communis emendatio.* Junctum huic arcto vinculo & *alterum* grande *momentum*, Conſtantiæ in Concilio, Celſisſimo SIGISMUNDI nutu & conſilio atq; inexplicabili prudentiâ confectum: *Trium Pontificum*, Johannis XXIII. Gregorii XII. & Benedicti XIII. ferales de ſede Papali *lites componendi*, *tres illos ſede prorſus movendi*, *aliumqve meliorem*, emendationi ſuperiori adjuvandæ, ſi daretur, parem, *conſtituendi*. Qvod, labore, vigiliis, conſiliis, itineribus, precibus, minis, armis, ſacratisſimi CÆSARIS SIGISMUNDI ut licuit abſolutum, in immortalem Cæſaris gloriam, Imperiiq; Romano Germanici decus æternum ceſsit.

Tertium anceps fuit Concilii opus, concernens varias illo tempore ventilatas *opinionum dogmatumqve religioſorum* difficiles ac intricatas qvæſtiones, qvas vel *Johannes Parvus*, & *Johannes à Falckenberg*, Theologi Galli, vel *Johannes Hus & Hieronymus*, Theologi Pragenſes, vel *viſionum Brigitticarum aſſertores*, vel *Flagellantium ſectæ duces*, vel *ordinis Teutonici*, *armis ad fidem infideles converſuri*, *paraſtatæ*, publice moverant. Qvæ argumenta, qvantum Cæſari per alios fuit relictum, ſollicite tractata.

Civilia reliqva CÆSARIS SIGISMUNDI in Concilio prodita præclara facinora, Electorem Marchionemq; Brandenburg. FRIDERICUM, Duces plures, Comites, Barones, Eqvites magno numero, pro Cæſarea facultate, Electorum Principumq; Collegio applaudente, creandi, Johannem XIII. profugum in vincula conjiciendi, Fridericum Auſtriæ Ducem Johannis Papæ protectorem armata manu à partibus Johannis abſtrahendi, ſupremæ Majeſtatis extitere argumenta.

CAP. II.

De Sereniſſimi Ducis RUDOLPHI AUGUSTI, *Conditoris hujus Hiſtorici Operis Celſisſimi, ingenti pro Hiſtoria hac Germanica ſuſcitanda ſollicitudine.*

PRiſtina hæc in Imperio Romano-Germanico ante tria propemodum ſecula prodita admiranda ac ſtupenda *fata*, freqventer animo volvit SERENISSIMUS PRINCEPS RUDOLPHUS AVGVSTVS, BRVNSVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM DVX, Herois Septuagenarii gloria, Imperii ac Germanicæ gentis & antiquæ virtutis amore, ac nobilioris hiſtoriæ illuſtrandæ ſtudio vere Auguſtus.

Impenſe doluit Sereniſſimus, poſteritatis fata pro celſa ſua ſapientia eminus contemplatus, inſolitam iſthanc & admirabilis fati fortunam Conſtantienſis Concilii, tot ſeculis à nobis jam remoti, non plene atque dilucide eſſe expoſitam, poſterorumq; memoriæ commendatam. Tantoq; hoc Princeps tulit ægrius, quanto certius ex *Codicibus MSCtis antiquisſimis*, in *Bibliothecis* ſuis *Ducalibus*, RUDOLPHEA BRUNSVICENSI, cujus Præfectura mihi cle-

Digitized by Google

mentiſſime demandata, & AUGVSTA WOLFFENBVTTELENSI, nec non ACADEMICA HELMSTADIENSI, reconditis, intellexit, Concilii illius memorabilis prægrandia Acta minimâ ex parte hactenus eſſe edita. Quamobrem pro ſincera in Cæſarem pietate ac devotione, ardenti in Germanicæ gentis gloriam affectu, & inſatiabili in poſteritatis emolumentum ſtudio, luculentiorem memorabilium illorum antiquorum fatorum ideam aut recenſionem enixe optavit.

Conſultum quoque fore autumavit Princeps, ex aliis *Illuſtribus Germaniæ Bibliothecis*, ſi quæ ſupereſſent, adſciſcere alia, vel paria vel ampliora, *MSCta*, ad antiquas has Conſtantienſis Concilii res ſpectantia. Quod vel hanc ob cauſam ſollicitius ac maturius curandum judicavit, quod iniqua ſæpe fata præſtantisſimis MSCtis exitium ſubito minentur, bello tricennali ſimilibusque tempeſtatibus teſtibus, quorum interitus tum demum æquiori quodammodo ferri poſſit animo, ſi antiqua illa monumenta typis prius ſint deſcripta.

Interea per varios interpretes admodum felici fato innotuit, in AUGUSTISSIMA BIBLIOTHECA CÆSAREA VINDOBONENSI, inæſtimabili infinitorum MSCtorum theſauro, aliisq; Illuſtribus Germaniæ Bibliothecis, plura latere Volumina, Conſtantienſis Concilii ætatem ac res referentia. Quapropter è re fore Sereniſſimo Duci viſum non ſolùm Germanicæ hujus hiſtoriæ plenius explicandæ, ſed & antiquæ virtutis gloriæq; Imperii Romano-Germanici illuſtrandæ; antiquiſſima iſthæc κειμήλια inſpicere ac conferre.

Pro pietate verò ac prudentia SERENISSIMI DVCIS conſtitutum, eam in recenſenda illa antiqua graviſſima Germaniæ hiſtoria adhiberi fidem atque modeſtiam, ut nulla Eccleſiæ aut Reipublicæ capita, noſtrâ ætate eminentia, ulliusque Status aut regiminis hodierni conditio aut juris regula, attingatur: Sed, noſtri ſeculi rebus plane poſtpoſitis, antiqua fata Conſtantienſia nude recenſeantur, priſtinâ remoti ſeculi facie ſine omni fuco, nec noſtra manu ſed priſcorum coævorum ſcriptorum penicillo, ſincere depictâ.

CAP. III.
De MSCtis Codicibus Rerum Concilii Conſt. ex Auguſtisſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi.

NE quid igitur vel Operis integritati vel ornatui deeſſet, ad impetrandum laudata MSCta nulli labori atque ſtudio parſum. Quapropter apud Sacram Cæſaream Majeſtatem, MAGNUM LEOPOLDUM, IMPERATOREM INVICTISSIMUM, IMPERII ROMANO-GERMANICI ET ANTIQVÆ EJUS VIRTUTIS AC JURIUM CUSTODEM AC VINDICEM POTENTISSIMUM, CAPUT ORBIS CHRISTIANI AC LITERATI CELSISSIMUM, devotis-

votiſſimis precibus actum eſt, Illuſtri Domino *de Neſſel*, JCto, Conſiliario ac Bibliothecario Cæſareo, paraſtata ac Patrono benigniſſimo, Generoſisſimo Domino *de Imhoff*, Ducis Conſiliario ac ad Cæſaream Curiam Legato, interprete feliciſſimo, ut MSctorum quorundam laudatorum ex incomparabili theſauro literario Vindobonenſi uſus SERENISSIMO DVCI indulgeretur. Qvod *impenſum Ducis pientiſſimi votum* adeo fuit fortunatum, ut, cognitâ recenſionis ſecuturæ integritate atque fide, *SACRATISSIMÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS* ineffabili clementiâ, deſiderati Codices *MSCti* ex Augustissima Cæsarea Bibliotheca Vindobonensi quantocius ad Ducis manus ablegarentur. Qvi devotisſimo cultu & inenarabili cum gaudio ſunt excepti.

Qvorum MSCtorum indicio & teſtimonio, ingenue omnino & aperte pronunciare haud veremur, Germaniæ Imperiiq; Sacri auguſtisſimum præſidium, immenſum decus & æternam gloriam eſſe, infinitis antiqvisſimisq; MSCtis inſtructisſimam Bibliothecam Cæsaream Vindobonensem. Qvæ ſuum caput tanto celſius efferat ſuper omnem vel ampliſſimum apparatum Germaniæ librarium, qvanto eſt univerſi orbis conſenſu manifeſtius, Cæſarem Auguſtum in Cæſare *LEOPOLDO*, literarum ſcientiâ, literatorum amore, prudentiæ virtute, æqve ac armorum fortunâ & triumphis vivere ac florere.

Nacta profecto *hiſtoria præſens Germanica* ex pretioſisſimis illis Cæsareis Vindobonensibus MSCtis lucem clarisſimam, & præcipuam, *animam* inquam & *vitam*. Sine qvibus *MSC*tis hoc difficile opus, longa hæc priſtinorum fatorum commemoratio, langueret, & ægrius ſpiritum duceret.

His adeo *aureolis Cæſareis* ornatum opus hiſtoricum, & locupletisſimo quidam illo apparatu inſtructum, non ſolum eam exinde dignitatem indeptum eſt, ut lucem adſpicere mereretur, verùm etiam hoc decus impetravit, ut clementisſimo *SACRATISSIMÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS* nutu bearetur. Devotisſimus erga *CÆSAREM AUGUSTISSIMUM* cultus, ſerenior hæc operis fortuna, ac deſideratisſima fatorum benignitas, haud admittunt, *inexplicabilem* hanc huic Operi clementisſime annuendi *Sacræ Cæſareæ Majeſtatis gratiam ſilere*.

Qvæ vero ſint antiqva monumenta Conſtantienſia, ex *Cæſareis* illis *Codicibus* deprompta, quæ *Primum* hunc *Tomum* ornent, nunciabunt *Partes* VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIV. XVII. XX. XXI. XXIII. XXIV.

Alias plures pretioſisſimas Conſtantienſis Concilii reliqvias, ex Cæſarea iſthac Auguſtisſima Bibliotheca ad nos deductas, exhibebunt *Tomi ſequentes*.

Cap. IV.

De MSCtis Codicibus Conſtantienſibus ex Bibliotheca Electorali Brandenburgenſi.

NOvum mox affulſit lumen antiqvæ huic Germanicæ Hiſtoriæ, & Conſtantienſis Concilii fatis è tenebris in lucem producendis, ex

Potentiſſimi ELECTORIS BRANDENBURGENSIS FRIDERICI III. *Electorali Berolinenſi Bibliotheca.*

In celſa qvippe Potentiſſimi hujus Electoris Curia, ſapientiæ omniſqve elegantiſſimæ doctrinæ templo, eminenti loco poſitus Illuſtriſſimus atqve Excellentiſſimus Dominus *Ezechiel de Spanheim*, Conſiliarius Electoris intimus, eruditorum Mæcenas gratioſiſſimus, pro ſuo in illuſtrandam rē literariam univerſam affectu prolixiſſimo, in Electorali Bibliotheca Berolinenſi ſedulo perveſtigari curavit, ex quo Sereniſſimi Ducis Noſtri ſcopum perſpexit, ſi quæ MScta, Conſtantienſis Concilii res concernentia, in illa offenderentur. Deprehenſa curate mox conſignari mandavit, ac illorum obtinendorum luculentiſſimam ſpem fecit. Eademq́, per venerabilem ac celeberrimum Virum, Dn. *Stephanum Chauvinum*, Paſtorem ac Profeſſorem Electoralem ſolertiſſimum, ad nos ablegata, noſtræ fidei benigniſſime commendavit.

Conſtitueramus quidem, *primo huic Tomo* ad finem vergenti, ſuo loco, pro fatorum ordine, inſerere ex *Electoralibus* his *MSCtis Codicibus* petitum *Diploma Martini V.* recens in Concilio electi, *datum in Concilio Imperatori Sigismundo, de decimis ex Eccleſiaſticis opibus in Germania per annum ſibi vindicandis*, pro immenſis ſumptibus in Concilii rebus à Cæſare factis, ac inexplicabili labore, ad lites diſſidentium trium Pontificum componendas puribus annis impenſo: Vnà cum literis ea de re illo tempore ſcriptis. Verùm, conſultius tandem viſum, hiſtoriæqve ac rerum ordini accommodatius, ſi ad *Tomum II.* hocce monumentum reſervaretur, quo de Schismate Papali Conſtantiæ per Sigismundum ope Concilii deleto agetur. Hujus enim potiſſimum Cæſarei magni facinoris rationem habuit Martinus Pontifex, qvando Sigismundo Cæſari illud Diploma conceſſit. Alia plura antiqua monumenta, res Concilii hujus attingentia, ex *MSCtis* illis Electoralibus Berolinenſibus *aliis Tomis* orbi erudito ſiſtemus.

Neqve ſilentio præterire fas erit, in his *MSCtis Electoralibus Brandenburgenſibus* nos deprehendiſſe inter alia *antiqvum exemplar MSct. Speculi Aurei, De titulis beneficiorum Eccleſiaſticorum*, operis decantati, A. 1404. haud longe ante Concilium Piſanum ac Conſtantienſe ſcripti, Anglo Jcto Paulo tributi, cujus meminit *Warthon*, in Append. Hiſt. Liter. Cave f. 78, quodq́ exhibuit ſuperiori ſeculo, A. *1555*. Baſileæ *Wolfgangus Wiſſenburgius* Theologus, ſubminiſtrante Flacio, & ad illius editionis exemplar renovavit hoc ſeculo *Goldaſtus, Tomo II. Conſt. Imper.*

Optaveramus dudum *hujus antiqui Operis MSCtum*, idq́ prima illa ætate exaratum. Qvandoqvidem animus erat, ſi emendatius foret MSctum aut plenius, vel integrum Operi præſenti inſerere, fatorum ætatis Conſtantienſis ſpeculum lucidiſſimum, vel argumentum ex tali MScto recenſere luculentius. Qvod autem tale hujus libri MSctum ſollicite qværentibus tunc non ſuccurreret, merito integrum diſſimulavimus, ac ad *Wiſſeburgium* vel *Goldaſtum* lectorem ablegavimus, contenti, argumentum breve ex Wiſſenburgiana recenſione exhibuiſſe in Præfatione *Partis IX.* Gaviſi

Digitized by Google

Gaviſi autem poſthac fuimus vehementer, quando in Codice MScto Electorali Berolinenſi non ſolum offendimus *Aureum* illud *Speculum*, ſed & correctius multo editis ex matura & curata illorum collatione deprehendimus. Eſtq; hic MSctus Codex non qvidem ante Conſtantienſe Concilium deſcriptus, haud longe tamen poſt recenſitus, antiqvius certe MScto quo uſus cum Flacio Wiſſenburgius. Horum enim Codex ſcriptus fuit A. 1467. finito dudum Concilio Baſileenſi: Electoralis voto Berolinenſis Codex exaratus in exordio Concilii Baſileenſis, & quidem Baſileæ, in ipſo Concilio, A. 1432. Neqve adeo potuimus, qvin & *Speculum* illud *aureum*, *MSCti* hujus *Electoralis* adjumento politum multumqve purpurgatum, futuris uſibus reſervaremus.

CAP. V.

De MSCtis Codicibus Conſtantienſibus Sereniſſimi Ducis Saxo-Gothani.

SEreniſſimus Saxoniæ Dux *FRIDERICUS*, cognita Sereniſſimi Ducis Noſtri optimâ intentione, ex *Bibliotheca* ſua avita *Erneſtina Gothana*, *Codices MSCtos* ad hanc rem facientes liberaliſſime impertivit, ac celeberrimi *Tenzelii*, *Hiſtoriographi Saxonici*, operâ ad nos ablegavit.

Qvam præclara & hæc ſint monumenta, conſtabit ex primi hujus etiam Voluminis Partibus XXII. XXIII. XXVI. Luculentiora *ſeqventes* dabunt *Tomi*.

CAP. VI.

De MSCtis Codicibus Conſtantienſibus Helvetiæ & Sveviæ.

SEreniſſimus Würtenbergiæ Dux *EBERHARDUS LUDOVICUS*, pro Celſiſſima cum Sereniſſimo Duce noſtro affinitate, nil qvoqve intermiſit, qvod ad inveſtiganda *antiqua MSCta*, in vicina maxime *Helvetia*, ipſa etiam *Svevia*, conferre poſſe videretur.

Qvapropter Illuſtri Conſiliario ſuo, Dn. *Johanni Ulrico Pregizero*, Collegii Imperialis Hiſtorici membro, ac rerum Germanicarum ſcrutatori ſagaciſſimo, id negotii dedit, qui *novo itinere ad Helvetos* ſuſcepto, ad *Bibliothecas præſtantiſſimas* aditum ſibi per magnates Helvetiæ pararet, ac qvi literarii in illis theſauri laterent obſervaret. Præſtitit hanc operam fideliſſime atque expeditiſſime *inclytus Pregizerus*, luſtrariſqve *præcipuis Helvetiæ Bibliothecis Codices MSCtos* deſignavit, *Sereniſſimoqve DUCI noſtro* ordine recenſuit. Qvanqvam vero integra illa *MSCta Helvetica* complecti nondum contigerit, gratum tamen lectori ipſiq; poſteritati fore autumamus, ipſam *MSCtorum Helveticorum*, ad Acta Conſtantienſis Concilii ſpectantium, deſignationem hic exhibere.

En

En ergo *Itinerarium Illuſtris Pregizeri Helveticum, pro luſtrandis Conſtantienſis Concilii MSCtis*, ad Hiſtoriam MSCtorum Conſtantienſis antiqvi Concilii plurimum collaturum.

Unterthänigſte Relation

Von einigen MSCtis Actorum Concilii Conſtantienſis.

ALs ich Endts Unterzogener im Jahr 1688. und 1691. in gewiſſer Fürſtl. Wirtenbergiſchen *Commiſſion*, und beſonders wegen des vorhabenden *Collegii Imperialis Hiſtorici*, eine Reiſe durch Ober-Schwaben und die Schweitz, biſs gen *Genev und Lion in Franckreich*, auch durch *Burgund* *Elſas* gethan, habe ich neben andern vielen wichtigen, gelehrten und curioſen Sachen die ich obſerviret, zu COSTNITZ, wie auch in dem Kloſter REICHEAW, und zu SALMANSWEILER, verſchiedenes, was DAS ZU COSTNITZ GEHALTENE CONCILIUM antrifft, und einige CODICES MANUSCRIPTOS von gedachten Concilio, angetroffen. Welches alles aber genauer durchzugehen, die Zeit dazumahl und andere Geſchäffte nicht haben zugelaſſen.

Nachdem aber IHRO HOCHF. DURCHL. HERR RUDOLPHUS AUGUSTUS, HERTZOG ZU BRAUNSCHWEIG UND LUNEBURG &c. durch Herrn HERMANN von der HARDT, Vortreflligen Profeſſorem bey der Weltberühmten Univerſität zu Helmſtädt, den 25. Februarii dieſes 1696. Jahrs gnädigſt an mich ſchreiben und begehren laſſen, wie zu IHRO HOCHFURSTL. DURCHL. Höchſtpreiſslichen und Glorwürdigſten Vorhaben, *de edenda Hiſtoria Concilii Conſtantienſis ſub Sigismundo Imperatore*, dieſelbe einiger von mir geſehener *Manuſcriptorum ad majus decus ſuperiori Hiſtoriæ conciliandum* könten theilhaftig gemacht werden: Habe ich IHRO HOCHF. DURCHL. zu unterthänigſter ſchuldigſter parition hiezu alle Anſtalt gemacht.

Und nachdem ich erfahren, daſs Herr BARON VON LANDSEE, IHRO KAYSERL. MAJ. GEHEIMER RATH (welcher zerſchiedene Geſandſchaften an *das Hochfurſtl. Hauß Braunſchweig* verrichtet, und einen ſeiner Herrn Söhn der Studien halber auf die *Univerſität* gen *Helmſtädt* geſchicket) ſich dermahlen zu Coſtnitz noch ein Zeitlang aufhalte: Habe ich ſolches vor die beſte Gelegenheit gehalten, durch dieſen vortreflichen, Gelehrten, mir ſehr geneigten Cavallier und Kayſerl. Miniſtrum, denjenigen CODICEM MANUSCRIPTUM DE CONCILIO CONSTANTIENSI, den ich vormals ZU COSTNITZ bloſs obiter durchſehen, wiederum zu Handen zubekommen und etwas genauer zu tractiren.

Deswegen ich mit gnädigſter Erlaubniſs und guthwilligen Conſens *Ihro Hochf. Durchl. zu Wirtenberg*, meines gnädigſten Fürſten und Herrn, und *Deroſelben Herrn geheimen Regiments-Räthen*, eine Reiſe von Stuttgardt in Ober-Schwaben, und an den Bodenſee nechſt verwichenen 14. April. angetreten.

Da ich denn den 16. darauf zu COSTNITZ angelanget, und mich alſobald bey Herrn BARON VON LANDSEE (den ich zu allen Glück noch alldar, ehe er wiederum auf ſein Landguth nacher Glatt in dem Hertzogthum Wirtenberg gelegen, abgereiſt, angetroffen) angemeldet, und ihm mein Vorhaben entdecket. Zu welchen er ſich denn gar willfährig bezeigt, und die Gnade gerühmet, die Er von dem Hochfürſtl. Hauſs Braunſchweig zerſchieden mahlen genoſſen, auch alſobald zu dem *Syndico der Stadt Coſtnitz*, *Herrn Doct. Werner*, und dem *Cantzley-Verwalter* alda *Herrn Licent. Sturmen* geſchickt, durch welche mir die Oeſtereichiſche Cantzley zu Coſtnitz eröffnet worden. Alwo ich den vor etlichen Jahren von mir geſehenen Codicem Manuſcriptum in ſermone vernaculo von den Conſtantziſchen Concilio alſobald wiederum zu Han-

den

den gekommen. Den ich fleiſſig und von Anfang biſs zu Ende durchleſen, auch denſelben mit andern Codicibus die von dieſem Concilio in Truck kommen, conferiret. Was nun in den bekanten getruckten Codicibus von dieſem Concilio Conſtantienſi anzutreffen, damit habe ich mich nicht auf halten noch daſſelbe abſchreiben mögen, dieweil ſolche Codices typis editi, zweiffels frey in der Welt-berüffenen Bibliothec zu Wolffenbüttel, und ſonſten noch wohl zu bekommen: Sondern ich habe nur dasjenige in gedachten Codice manuſcripto attendirt, was in getruckten Codicibus nicht alſo exprimirt iſt.

Gedachter CONSTANZISCHE CODEX nun iſt in dem Jahr 1464. in teutſcher Sprach geſchriebē worden von *Joh. Raſteter, Stadt-Schreiber zu Coſtnitz*, welcher deswegen von gedachter Stadt zu Lohn bekommen hat 20. fl. In den vordern Blatt dieſes Codicis ſtehen dieſe Worte: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, Pſalm.* 19. *Et hæc verba propriè apponuntur Apoſtolis, qui & Evangelium prædicaverunt in univerſo mundo. Etiam digne poteſt apponi Civitati Conſtantienſi in Alemannia Provinciæ Moguntinæ. Quaſi diceret civitas Conſtantienſis de ſe ipſa cum manſuito Propheta David: In omnem terram exivit nomen Conſtantiæ, & divulgatum eſt nomen ejus in univerſa terra.* Pſ. *Laus ejus in Eccleſia Sanctorum.*

Hernach folgen auf dem andern Blatt dieſe Worte: *Omnipotens Deus, qui es retributor omnium bonorum, vindictor malorum, da mihi viam rectè ſcribendi, qui es trinus & unus.* Hernach folgen dieſe Worte: *Hie faht an, wie das Concilium geleit iſt worden gen Coſtnitz &c.*

Was ferner in dem Codice manuſcripto enthalten ſey, welches in den getruckten Codicibus de Concilio Conſtantienſi alſo nicht expreſſe und ausführlich enthalten; das zeiget die *Beylag* allhie mit Lit. A. bezeignet an.

Ferner habe ich zu COSTNITZ erfahren, daſs Kayſer Sigismundus zur Zeit des gehaltenen Concilii viel *Privilegia der Stadt Coſtnitz* ertheilt und derſelben *ihr Wapen* vermehret hat, daſs ſie nemlich *ob dem ſchwartzen Creutz im weiſſen Feld einen rothen Schwenckel* führt, und auch *mit roth Wachs ſiegeln* darf. *De quibus Excerptis alio diſſeremus Tomo.*

An dem Kauf-Hauſs zu Coſtnitz, welches vormahls das Conclave Pabſts Martini V. geweſen zeitwehrenden Concilii zu Coſtnitz, ſeynd inwendig noch einige alte Wappen, auswendig aber dieſe Inſcription zu ſehen und zu leſen:

GAUDE CLARA DOMUS PACEM POPULO GENERASTI
CHRISTICOLAS DUM PONTIFICES TRES SCHISMATE VEXANT
TUNC OMNES ABIGIT SYNODUS QVAM TU TENUISTI
IPSE SEDEM SCANDIT MARTINUS NOMINE QVINTUS
DUM QVADRINGENTIS NUMERAT POST MILLE SALUTIS
FESTO MARTINI DECEM ET SEPTEM SIMUL ANNOS.

Auf der Seiten nächſt hieran ſtehen dieſe Worte:

Dis iſt das Huſs des Friedes und der Vereinigung der Mutter der Heiligen Chriſtlichen Kirchen, indem die Unrein Verdrennung dreyer Päbſten usgerut, und Ainikeit Chriſtlicher Geiſtligkeit durch die heilgen Erwehlung Pabſts Martini des Fünften befeſtiget iſt. Anno Domini M CCCC XVII Jar. Uf Martini.

Bey dem *Thum-Stifft zu Coſtnitz* war vor dieſen auch ein *berühmte Bibliothec*, deren *Stumphius, Bruſchius, Cruſius*, und andere gedencken: Deswegen ich mich bey *Herrn Zinzerling ThumStiffts Pflegern* angemeldet, ſolche Bibliothec zu beſehen, ob etwan auch einige Manuſcripta bey derſelben de Concilio Conſtantienſi anzutreffen. Es ſagte mir aber dieſer *Herr Zinzerling*, daſs *ſolche Bibliothec* in vorigen und itzigen Seculo durch Krieg und andere Fäll *gantz diſtrahiret*

und alieniert worden, daſs bey derſelben *kein Manuſcripta mehr*, und ſehr wenig gedruckte Bücher anzutreffen ſeyn: Welches ich ſchon Anno 1691 wahr zu ſeyn befunden.

Es ſagte mir auch *HERR BARON von LANDSEE*, daſs einige Manuſcripta de Hiſtoria Concilii Conſtantienſis bey der *Adelichen Familie zu Bernhauſen* vormahls ſeyn anzutreffen geweſen. Deswegen ich zu Coſtnitz *Herrn JOHANN SIGMUND von BERNHAUSSEN Thum-Capitularen des Hohen Stiffts Goſtnitz* beſprochen, aber befunden, daſs er von dieſen Manuſcriptis nichts wiſſen wollen. Daher *Herr BARON von LANDSEE* vermuhtet, daſs etwann dieſe Manuſcripta bey dieſes Herrn von Bernhauſen Bruder, *MARQVARDO ANTONIO FRETHERRN zu BERNHAUSSEN*, *ThumCapitularen des Hohen Stiffts zu Augſpurg*, eher noch möchten anzutreffen ſeyn, mit dem ich aber keine Kundſchafft habe.

In *dem Barfuſſer Cloſter zu Coſtnitz*, in welchen zu Zeiten CONCILII CONSTANTIENSIS die *Natio Germanica* logieret hat, und die Secretiora Concilii in conventibus Deputatorum ſeind tractiret worden, iſt *ein Archivum Ordinis Franciſci*, in welchen *die Acta Originalia Concilii Conſtantienſis* ſollen aufgehalten werden. Es ſagt mir aber ein Pater dieſes Cloſters, daſs ſie allein über ſolch *Archivum* nicht kämen, ſondern daſs der *Gvardian des Franciſcaner Cloſters zu Uberlingen an Boden-See* auch ein Schlüſſel zu dieſen Archivo habe, ohne welchen ſie allein nicht können dieſes Archivum aufſchlieſſen.

Ich vernahm auch von *Herrn BARON von LANDSEE*, daſs *zu Coſtnitz in dem Auguſtiner Kloſter*, in welchen ſich zu Zeiten Concilii Conſtantienſis die *Natio Hiſpanica* aufgehalten, einige manuſcripta de Concilio Conſtantienſi wären. Deswegen ich in ſolchen Kloſter nach dieſen Manuſcriptis gefraget, von denen mir auch ein Pater etvvas ſagte, daſs dergleichen vorhanden, und bey den Pater Prior deſſelben Cloſters anzutreffen vvären. Als ich aber dieſen Pater Prior desvvegen beſprochen, vvolte er nichts davon vviſſen, daſs dergleichen er in Händen hätte, oder in ſeinen Cloſter vväre: Kundte ich alſo von ihm hierin vveiter nichts erfahren und erhalten.

In obgedachten *Franciſcaner Cloſter* iſt in der Kirch deſſelben das *Epitaphium* des Gelehrten Cardinals und JurisConſulti *Franciſci Zabarella*, vvelcher auf dem Concilio alda geſtorben, und lautet das Epitaphium alſo:

ANNO DOMINI MCCCCXVII. VII. Kal. Octobr.
CONSTANTIÆ IN CONCILIO GENERALI
FRANCISCUS ZABARELLA PATAVUS
CARDINALIS FLORENTINUS VIR DOCTISSIMUS
POST MULTA EJUS IN UNIVERSALIS ECCLESIÆ
UNIONEM EGREGIA MERITA OBIIT
SUMMO OMNIUM CUM MOERORE.

Es ſtarb auch auf dieſen Concilio der berühmte *Manuel Chryſoloras, ein gelehrter Ritter*, vvelcher in der Griechiſchen Geſandſchafft vvar neben *NICOLAO* und *ANDRONICO*, die ihm zugeordnet gevveſen, von vvelchen auch *Cruſius* meldet in *Annalibus Suevicis lib.6. part.3. cap.10.* Das *Epitaphium* gedachten *Chryſolora* ſtehet in der Kirch des *Dominicaner Cloſters zu Coſtnitz*, ob dem Altar, vvelchen Johannes von Ravenſpurg Eques auratus geſtifftet, und lautet alſo:

ANTE ARAM HANC SITUS
DOMINUS MANUEL CHRYSOLORA MILES CONSTANTINOPOLITANUS
EX VETUSTO GENERE ROMANORUM QVI CUM CONSTANTINO IMP:
MIGRARUNT. VIR DOCTISSIMUS PRUDENTISSIMUS OPTIMUS.
QVI TEMPORE GENERALIS CONCILII CONSTANTIENSIS OBIIT

Digitized by Google

EA EXISTIMATIONE UT AB OMNIBUS SUMMO INTER MORTALES
SACERDOTIO DIGNUS HABERETUR DIE XV. APRILIS MCCCC XV.
CONDITUS EST APUD DOMINICANOS.

Neben dieſen in die Wand eingehauenen Epitaphio mit alten Byzantiniſchen Buchſtaben hanget auch ein *Täfelein von Pergamen*, auf welchen dieſe *Vers geſchrieben ſeynd mit guldenen Buchſtaben*, welche *Æneas Sylvius* dieſem Chryſoloræ zu einem Epitaphio gemacht:

ILLE EGO, QVI LATIUM PRISCAS IMITARIER ARTES
EXPLOSIS DOCUI SERMONUM AMBAGIBUS, ET QVI
ELOQVIUM MAGNI DEMOSTHENIS ET CICERONIS
IN LUCEM RETULI, CHRYSOLORAS NOMINE NOTUS,
HIC SUM POST VITAM, ET PEREGRINA IN SEDE QVIESCO.
HUC ME CONCILII DEDUXIT CURA, TRIUM DUM
PONTIFICUM ECCLESIAM VEXARET SÆVA TYRANNIS.
ROMA MEOS GENUIT MAJORES, ME BONA TELLUS
BISANTINA TULIT, CINEREM CONSTANTIA SERVAT.
QVO MORIARE LOCO NIL REFERT, UNDIQVE COELUM
POENARUMQVE DOMUS MENSURA DISTAT EADEM.

In dieſer *Kirch des Dominicaner Cloſters* liegt auch neben vielen Alten Adelichen Geſchlechtern *Heinrich von Ulm*, vvelcher im Jahr 1415 geſtorben, begraben, deſſen Schild und Helm aldort auffgehencket ſeynd, vvoran ein Taffelein hängt, mit dieſer Umſchrifft: *Dieſer vvar vom Kayſer Sigiſmundo tempore Concilii Conſtantienſis zum Ritter geſchlagen.*

Sonſten iſt auch noch zu Coſtnitz *eine geſchriebene Coſtanziſche Chronic in der Cantzeley*, vvelche meiſtens die Stadt angehet, die ich aber vvegen Abvveſenheit eines Burgemeiſters der ſie in Händen hatte nicht habe können zu leſen bekommen. Es hat aber ein Rahts-Vervvandter alda, Namens *Beuther*, noch ein ander *fleiſſig zuſammen geſchriebene Chronic von der Stadt Coſtnitz*, die ich aus Wilfahrigkeit des *Syndici* alda *Herrn Doct. Werners* zu leſen bekommen. Dieſes *Chronicon Manuſcriptum* meldet auch etvvas *von dem Concilio Conſtantienſi*, hat aber ſo gar ſonderliche rara nicht davon: Doch hat *Herr Syndicus Werner* verſprochen mir noch einige abgeſchriebene Copien hernach zu ſchicken, vvann ich zu Hauſe komme.

Der Actus vvie Kayſer Sigiſmundus dem Pabſt auf dieſen Concilio geſchvvoren, iſt auch andersvvo ex Actis bekand. Der Kayſer ſchvvur auch dem Concilio zu dem Evangelio mit gebogenen Knieen, habitu Evangelizantis indutus, legte die Kayſerliche Kron auf den Altar: die ChurFürſten zu Pfaltz und Brandenburg hielten das Evangelium, und Chur Sachſen das Schvverdt mit der Spitzen ob des Kayſers Haubt: Hernach hielte Chur Pfaltz bey dem Actu das Scepter in der rechten und den Reichs-Apfel in der lincken Hand: und ChurBrandenburg die Kayſerliche Krone. Der Kayſer hatte auch einen Schlüſſel zu dem Conclavi Martini V. Papæ, und bätete auch vor demſelben in einer Proceſſion auf den Knien um eine glückliche Päbſtliche Wahl.

Die Beſchreibung dieſes Conclavis iſt in obgedachten *Codice manuſcripto de Concilio Conſtantienſi bey der Cantzeley zu Coſtnitz* ziemlich ausführlich. Doch findet man ſolche den Haubtumſtänden nach in der gedruckten Beſchreibung des Coſtantziſchen Concilii zu Franckfurth Anno 1575. Desvvegen ich dieſes nicht vveiter abſchreiben mögen.

Von Coſtnitz begab ich mich auch in das nechſt daran gelegene *Benedictiner Cloſter Petershauſen*, in vvelchen ſich Kayſer Sigiſmundus zu Zeiten des Concilii Conſtantienſis viel aufgehalten, und dieſem Cloſter desvvegen anſehn-

liche Privilegia ertheilt hat. In dieſen nun hat mir der itzige *Abt zu Petershauſen* groſſe Ehr erwieſen, er diſcurierte mit mir viel von gelehrten Sachen, führte mich ſelbſt auf die *Bibliothec*, offerirte mir zwey Codices manuſcriptos de fundatione & Caſibus Cœnobii Petershuſani. Ich gedachte alda auch einige *Manuſcripta von dem Concilio Conſtantienſi* zu erhalten, aber ich traff davon *nichts* an, auſſer einen gedruckten alten Codice von dieſem Concilio, welchen ich auch in meiner Bibliothec habe.

Hiernach begab ich mich in das *Kloſter Reichenaw, ſo 2. Stund von Coſtnitz* gelegen. Aldorten wuſte ich auch noch von meiner Reiſe A. 1691. daſs einige *Acta und Sermones von dem Concilio Conſtantienſi in MSCtis* vorhanden wären, die ich auch diſsmahl angetroffen und durchleſen habe.

Dieſe nun beſtunden in *zweyen Tomis*, und vermuthete der *Pater Bibliothecarius Benedictus*, daſs *noch einer* vorhanden, der ſich aber auf fleiſſiges Nachſuchen in der Bibliothec *nicht* finden wolte.

Dieſe *Sermones* ſeynd alle in Lateiniſcher Sprache von zerſchiedenen Cardinälen, Ertzbiſchöffen, Biſchöffen, und andern vornehmen Patribus Concilii, zu Coſtnitz in der Thum-Kirch über zerſchiedene Materias und Caſus auf gedachten Concilio gehalten, und von einen *Benedictiner-Munchen des Kloſters Reichenaw* nachgeſchrieben worden. Und ſeynd in gemeldeten zweyen *Tomis* vornemlich:

Sermones ad Pontificem in præſentatione Jaroslai de Bohemia.
Sermones Franciſci de Zabarellis, Cardinalis.
Conciones variæ, tempore Concilii habitæ ſuper diverſos textus ſacræ Scripturæ.
Sermo M. Henrici de Haſſia de Aſſumptione Virginis.
Sermones de Hæreticis M. Johannis Spindleri.
Sermones Fratris Johannis de Rocha.
Sermones Jacobi Epiſcopi Placentini in exequiis Cardinalis Barenſis.
Sermones Mauritii de Praga Cancellarii Eccleſiæ Pragenſis.
Sermones Andreæ Epiſcopi Poſnanienſis electi.
Sermones Theodorici de Monaſterio Epiſcopi Firmani.
Sermones Fratris Eberhardi baptizati Monachi ordinis S. Benedicti Abbatis.
Sermones Fratris Matthæi de Anglia, Aichſtättenſis Sacerdotis.
Sermones Fratris Johannis Zachariæ, Ambaſciatoris almæ Univerſitatis ſtudii Erfordenſis.
Sermones Fratris Burchardi Vagrii Conventus Montiſpeſſulani.
Sermones Fratris Alexandri, Epiſc. Placentinenſis.
Sermones M. Stephani de Praga.
Sermo Epiſcopi Laudenſis Jacobi, ſuper condemnatione Hieronymi de Praga, in quo acerbe quoque invehit contra Johannem Wicleff & Huſſum.
Ejusdem Sermo in condemnatione Johannis Huſſi, ad locum Pauli in Epiſt. ad Romanos c. 5. *deſtruatur corpus peccati.*
Sermones M. Johannis Huguonotti de Metis, Licentiati in legibus, Ambaſſiadoris Univerſitatis Avenionenſis.
Sermones Fratris Johannis Zachariæ, S. Theol. Profeſſoris.

Sermo-

Sermones Johannis de Gerſon, Cancellarii Pariſienſis.
Sermones Petri Bertrandi, Cardinalis.
Sermones M. Johannis de Gauſuon, anno 1416. Apoſtolica ſede vacante.
Sermones Cardinalis Cameracenſis.
Epiſtola Leviathan ad Pſeudo-Prælatos Eccleſiæ pro ſchismate confirmando.

In dieſen *Codice Manuſcripto* einem ſtehen in dem Titul-Blatt *zvvey Adler* abgemahlet, ſamt dieſen Worten: *Aqvila Bohemia. Aquila Ungaria.* Der Status Eccleſiæ & Reipublicæ aber wie er zu Zeiten des Concilii Conſtantienſis in dem Reich geweſen, iſt von einem Benedictiner Mönche aus dem Kloſter Reichenau, der zu Coſtnitz auf dem Concilio gevveſen, mit dieſen Worten beſchrieben: *Receſſit Lex à Sacerdotibus, Juſtitia à Principibus, conſilium à ſenioribus, fides à populo, à filiis reverentia, à Subjectis charitas, à Prælatis Religio, à Monachis devotio, à monialibus honeſtas, à Juvenibus diſciplina, à Clericis doctrina, à Magiſtris ſtudium, à Scholaribus timor, à ſervitoribus æquitas, à Judicibus integritas, à militibus fidelitas, concordia à civibus, communitas à ruſticis, bonitas ab artificibus, veritas à mercatoribus, largitas à divitibus, caſtitas à virginibus, virtus & mœror à viduis, munditia & fiducia à Conjugatis. Et nunc quid fratres niſi venite ante Chriſtum, Amen. Chriſtus quaſi nullius habetur, & à potentibus hujus ſeculi velut peregrinus reputatur.*

Wie nun gedachte *Bibliothec zu Reichenavv* eine der beſten und berühmteſten in gantz Teutſchland vormahls gevveſen, alſo hat ſich derſelben das Concilium Conſtantienſe ſehr vvohl bedient, als auf vvelches die beſte Codices Manuſcripti aus ſolcher Bibliothec in groſſer Anzahl ſind geführet vvorden. Wodurch aber hernach dieſe Bibliothec in groſſen Abgang kommen iſt, indem die entlehnete Manuſcripta hin und her diſtrahirt, und nicht vvieder reſtituiret vvorden.

Von Reichenavv nun ging ich vveiter an Bodenſee hinauf biſs gen *Lindavv.* Alvvo ich bey Herrn *Superintendenten Porzelio* auch *ein Manuſcriptum de Concilio Conſtantienſi* angetroffen, vvelches er mir in Copiis nachzuſchicken bey meiner Abreiſe verſprochen.

Von Lindavv nahm ich meinen Rückvveg nach *Salmansvveyler* in das berühmte *Kloſter Ciſterzer-Ordens.* Alvvo mir der Herr Prælat groſſe Ehre ervvieſen, und aus der *Bibliothec* alda denjenigen *Codicem Manuſcriptum de Concilio Conſtantienſi* zugebrauchen erlaubt, den ich anno 1691. ſchon angetroffen hatte, und den der berühmte *Pater Mabillon*, als er längſten vor mir zu Salmansvveiler in ſeiner bekanten Reiſs durch Teutſchland gevveſen, ſehr hoch æſtimiret hatte, alſo daſs er den Prælaten zu Salmansvveiler tauſend Gulden davor angeboten hatte, aber der Prælat vvolte ihm nicht vveggeben oder verkauffen, und hatte *Pater Mabillon* nicht mehr Erlaubniſs als auf 2. oder 3. Stund dieſen *Codicem* in Gegenvvart zvveyer Patrum zu tractiren: Mir iſt aber dieſer Codex gantz allein auf meinen Logiment in dem Kloſter Salmansvveiler auf 8. Tage lang zu gebrauchen erlaubt vvorden. Und hat vormahls der *Cardinal Sfondrati* als er noch *Abt zu S. Gallen* gevveſen, und in Materia Regaliarum auch ſonſten pro Romano Pontifice contra Regem Galliæ in qvibusdam juribus prætenſis geſchrieben, aus dieſen Codice eines und anders extrahiren laſſen. *De quo MSCto Codice dicemus aliàs, alio Tomo.*

Dieſer *Codex* nun iſt *in Lateiniſcher Sprache anno* 1492. *geſchrieben vvorden.* Er vvird inſcribiret: *Beata Maria in Salem: Acta in Concilio Conſtantienſi, milleſimo quadringenteſimo decimo quarto, Pontificatus Domini Johannis Papæ Viceſimi tertii, anno ejus quarto.*

De his Excerptis alio. dicendum Tomo.

Die vornehmſten Contenta dieſes Codicis Manuſcripti ſeynd von mir aufgezeichnet vvorden in hiebey kommender Beylag, vvelche mit lit. B. ſignirt iſt. Worinnen die Worte, die in parentheſi mit dieſen Signis (. .) eingeſchloſſen, bloſs ſumma rerum capita notiren, vvovon der gantze tenor verborum in dem Codice ſelbſten ausführlich enthalten iſt, vvelchen gäntzlich abzuſchreiben ich nicht an der Zeit gehabt habe.

Von Salmansvveiler brachte mich der Weg zuruck auf das *Kloſter Zvviefalten*, in vvelchen zvvar eine *ſchöne groſſe Bibliothec*, und darin auch viel Codices antiqvi Manuſcripti, aber *nichts abſonderliches von dem Concilio Conſtantienſi* anzutreffen iſt.

Von Zvviefalten ging ich nach *Tubingen*, alvvo auch bey der Univerſität nachgefragt, aber *nichts von dergleichen Mannſcriptis* antreffen können.

Von Tübingen nun bin ich zu *Stuttgardt* vviederum den 28. April. glücklich von dieſer Reiſs allhie ankommen.

In der *Furſtlichen Ober-Raths*, vvie auch *Conſiſtorii Bibliothec*, nicht minder in dem *Furſtlichen Archivo* allhie, allvvo ich fleiſſig nachgeſucht, hab *ich keine Manuſcripta von mehr gedachten Concilio* antreffen können.

In meiner vvenigen Bibliothec habe ich die erſte getruckte Edition von dem Concilio Conſtantienſi, ſo zu Augſpurg heraus kommen an. 14. . Dergleichen Edition auch in der Bibliotheca Conſiſtorii allhie iſt. Doch hat meine Edition einige Bildniſſen mehr, die in andern Editionibus nicht ſeyndt. Die Editio Concilii Conſtantienſis Hagenoæ anno 1510. & Mediolani anno 1511. iſt bekant.

Hernach iſt bekant, daſs als unter Kayſer Car. V. poſt pacem Noribergæ Religioni ad breve tempus datam von einem Concilio generali viel gehandelt vvorden, zu künfftigen Behueff deſſelben die Hiſtoria Concilii Conſtantienſis vviederum iſt aufgeleget vvorden zu Augſpurg mit Figuren und Wapen anno 1535. Worauf die Acta dieſes Concilii anno 1538. zu Cölln neben andern Conciliis edirt vvorden, vvelche ſonſten auch abſonderlich in einen beſondern Tomo in Druck kommen ſeynd. Welchen Tomum aber vveder in Coſtnitz noch ſonſten biſsher habe bekommen können.

Anno 1541. hat Stumpfius die Beſchreibung des Concilii zu Coſtnitz in Druck edirt, die ich zu Lindavv neulich bey einen guten Freunde angetroffen.

Hernach iſt das Coſtnitzer Concilium, auffs neue zugerichtet, doch mit vvahrer und unverhinderter Erſetzung und Inhalt des alten Exemplars, zu Franckfurt anno 1575. durch *Sigmund Feyrabend* in Druck herauskommen, mit vvelchen Exemplar ſo mir Herr *Baron von Landſee* zu Coſtnitz communiciret, ich den geſchriebenen Codicem in der Cantzley alldort conferiret habe.

Daſs bereits zu Lion die Editio Concilii Conſtantienſis neben andern Conciliis qvoad decreta & Canones neulich vviederum unter der Preſs ſey, habe ich auch auf dieſer Reiſe gehöret.

Zu *Wyl*, ein Städtlein *in der Schvveitz*, habe ich anno 1688. auf meiner Reiſs in dem Saal des Rath-Hauſes alle Wapen der Geſandten auf dem Concilio zu Coſtnitz ſehr accurat und nach der Blaſon-kunſt abgemahlt angetroffen: Ob bey ſelbiger Stadt, oder nicht vielmehr zu *Zurch*, bey der alldortigen *berühmten Bibliothec*, oder zu S. Gallen in dem Kloſter, allda etvvann nicht auch einige *Manuſcripta* von dieſem Concilio vorhanden, laſſe ich dahin geſtellet ſeyn.

Stuttgardt den 26. Maji 1696.

Johann Ulrich Pregitzer, D.

In

In Sveviæ quoque *Weingartenſi Cœnobio* Manuſcriptum membranaceum Conſtantienſe latere, quod vidit, nunciavit nuperrime curioſiſſimus *Pregizerus.* Forte & hoc eſt, quod ſuperiori ſeculo cum aliis membranaceis codicibus ex incendio ferali hujus Monaſterii ereptum. Cujus fati meminit ſedulus rerum Germanicarum ſcrutator *Gabriel Bucelinus, in Conſtantia Rhenana, p. 358. A. 1578. luctuoſiſſimo toti poſteritati incendio vaſtatur Imperiale monaſterium Weingartenſe, ſplendidiſſimo & ampliſſimo, quod paulo ante Johannes ſucceſſor extruxerat, Palatio, cum ignibus, tum conſequente inde concameratorum ædificiorum ruina abſumpto, in quod paulo ante locupletiſſima magni momenti* veterum Manuſcriptorum *& incomparabilis raritatis monumentorum Bibliotheca translata eſt,* paucis è pergameno libris, *ipſo flammarum impetu, per longa aëris ſpatia, in patentes campos ejectis & poſteritati* conſervatis.

Cap. VII.
De MSCtis Codicibus Conſtantienſibus Reipublicæ Noribergenſis.

LIBERA S. R. I. NORIBERGENSIUM RESPUBLICA id qvoqve DUCI SERENISSIMO in præclarum Celſitudinis Ejus Opus, Germanicæ Hiſtoriæ futurum decus ſingulare, teſtata eſt ſtudium, ut, Magni hujus *Principis*, de literaria re & Germanicæ hiſtoriæ luce adeo ſolliciti, veneratione ducta, *MSCtorum Conſtantienſium* apparatum è ſua Bibliotheca publica *Duci* promptiſſime exhiberet. Proinde *Generoſiſſimi* atqve *Excellentiſſimi Domini* Caroli Welseri, in Magnifico Noribergenſium Senatu eminentis, propenſa voluntate, & *Venerabilis Theologi Senis, Dn. Conradi Feurlini*, Venerandi Miniſterii Antiſtitis ac Reipublicæ Bibliothecarii, ſvavi conſenſu, peregregios *Codices MSCtos* prompte ſubmiſit Vir maxime Reverendus ac Celeberrimus *Dn. Johannes Conradus Feurlin*, excellens Eccleſiæ Noribergenſis Theologus & Orator divinus. Qvali *aureolâ Noribergenſi Primus* hic *Tomus* condecoratus conſpicitur Parte IV. Alias *proximis Tomis* attexemus.

Cap. VIII.
De MSCtis Codicibus Conſtantienſibus Illuſtris Academiæ Lipſienſis.

EX Illuſtris ACADEMIÆ LIPSIENSIS BIBLIOTHECA PAULINA, magno Manuſcriptorum apparatu inſtructa, præclariſſimos antiqvos *Codices MSCtos*, ad Conſtantienſis Concilii fata ſpectantes, perbenigno apud Magnificum Rectorem Senatumqve Academicum interprete *Viro Illuſtri Domino Menckenio, Academiæ Profeſſore, & univerſi orbis literati lumine clariſſimo*, liberaliter ſubmini-

miniſtravit *inclytus Dn. Pfauz, Academiæ Lipſienſis Profeſſor ac Bibliothecarius.* Qvi Lipſienſis Academiæ in *Sereniſſimum* DUCEM RUDOLPHUM AUGUSTUM tenerrimus amor, in ipſo ſtatim hujus negotii literarii operisq; delineati principio Duci explicatus ac reapſe demonſtratus, fauſto omine, ingenti Manuſcriptorum cumulo convehendo, & ex ſcriniis Germaniæ tabulisq; reconditis eruendo, egregie prælusit. Qvippe *Principis* cura tam fauſta ac divinitus tantopere mox beata, ut *centena* prope *MSCta* huc facientia jam confluxerint. *Primus* hic *Tomus* his *aureolis Lipſienſibus* jam *ornatus* ſeſe Lectori offeret Parte. IX. f. 546. XV. XXI.

Seqventes Tomi ampliora ac ponderoſiora Conſtantienſia κειμήλια ex Lipſienſi illo Manuſcriptorum theſauro exhibebunt.

Cap. IX.

De MSCtis Codicibus Conſtantineſi Academiæ Erfurtenſis.

IN antiqva *Bibliotheca Academiæ Erfurtenſis*, qvæ ſuos quoque olim ad Conſtantienſe Concilium legatos miſit, *MSCta Conſtantienſia* ſpectari, ac in illis *Codicem, orationes in Concilio habitas complexum*, relatum nobis eſt *à celeberrimo Tenzelio.*

Cap. X.

De MSCtis Codicibus Conſtantienſibus Germanorum deperditis.

GErmanorum hæ ſunt *opes literariæ*, ex ſplendidiſſima conciliari pompa reliqvæ, & ex Imperiali olim urbe Conſtantia advectæ, & paſſim per Germanorum Bibliothecas diſtributæ, quæ hactenus noſtris uſibus ſunt ſubminiſtratæ aut denunciatæ. Non eſt dubium, qvin alibi adhuc inter Germanos lateant plures hujus generis *reliquiæ Conſtantienſes*, quæ trium horum ſeculorum infinitas, ex bellis, flammis, tineis, imperitisq; manibus, injurias ſuperarunt, noſtram autem hactenus fugiunt conſcientiam. Qvæ utinam mature obſervarentur, nobisve reſuſcitanda ac purpurganda & ornanda benevole communicarentur.

Qvam facile periculum ac pronum exitium imminant ejusmodi chartis, quarum cineres irrigare lacrymis licet, ex cineribus reſuſcitare negatum, triſti exemplo nos docuit *Illuſtrisſimus ac Generoſisſimus Dominus* JOHANNES à WALLENROD, *Potentiſſimi Electoris Brandenburgenſis in Boruſſia Conſiliarius Intimus*, qvi Hiſtoriam Concilii Conſtantienſis, ab illuſtri olim JOHANNE à WALLENROD, ſtemmatis ejusdem progenie, in Conſtantienſi Concilio præſente, egregie concinnatam, ſed flammis cum inſtructiſſima Parentis Bibliotheca hoc ſeculo conſumptam, nobisqve adeo ſubductam, amare deplorat. Qvod in *Præfatione Partis II.* magno noſtro cum dolore nunciavimus.

Brunſvigæ

Brunſwigæ in templi Andreani Bibliotheca, magna olim MSCtorum copia celebri, Conſtantienſium quoque MSCtorum monumenta fuiſſe conſpecta, aſt maxima ex parte periiſſe, reliquiis nonnullis ſervatis, cum dolore ſignificavimus in *Præfat. Partis III.*

Neque dubium, quin in magna MSCtorum congerie, quam *Chriſtina, Regina Sueciæ,* hoc ſeculo ex Germania in Sueciam abſportare, nuncio Reverendo *Conovio, Veteris Brandenburgi Eccleſiaſte* doctiſſimo, conſtituerat, ſed undis marinis eſt abſorpta, Conſtantienſia quoque comparuerint.

Palatina tot laudibus ob MSCtorum theſaurum decantata olim *Bibliotheca*, Conſtantienſium pariter MSCtorum triſte exilium experiri debuit, quando cum cæteris Romam migrarunt, atque ita relicta dulci patria remotam ac peregrinam ſedem Italicam invenerunt. Quæ illam tamen ex patria gloriam retinuerunt, ut *Palatina* hunc usque in diem appellentur. Quæ *Palatina MSCta Actorum Concilii Conſt.* manibus Cl. *Schelſtrateni* Romæ diligenter ſunt verſata, ac ab *Illuſtriſſimo Gilberto Burnetto, Sariberienſi hodie* apud Anglos *Epiſcopo*, olim Romæ luſtrata.

Cl. *Joh. Chriſtophorus Rumetſchius*, Gymnaſii Spirenſis ante tragicum urbis incendium Rector, haud vane conjicit in *Schediaſmate MSCto de Concilio Conſtantienſi, & Spirenſes* præclara poſſediſſe Conſtantienſia MSCta, ſive flammæ ſive rapinæ injuriâ nunc ſubducta. *Niſi priſca*, inquit, *Nemetum illa Metropolis Spira nunc ſub cineribus ſuis ſepulta jaceret, forſitan nobis quædam ſuppeditare potuiſſet. Eodem fere tempore, quo Conſtantienſe Concilium celebratum, non exigui momenti controverſia inter Clerum & Senatum Populumque Spirenſem exorta, tandem ab Imperatore Sigismundo & Concilii Patribus non tamen abſque civium damno compoſita fuit. Quæ transactio poſtea ſemper, poſt quindecim annorum intervallum, in Baſilica Cathedrali, præſentibus Senatu & Clero publice prælegebatur, & iterato juramento confirmabatur. Quod A.* 1680. *ultimo, & nunquam forſitan repetendo Actu contigiſſe memini. Miſit utraque litigantium pars ſuos Conſtantiam legatos. Qui dubio procul ibidem notatu digniora calamo conſignarunt, quæ tam in Scriniis Magiſtratus, quam Eccleſiæ Cathedralis Bibliotheca diligenter aſſervavit poſteritas.*

Incidit etiam, proh dolor, jam jam, dum hæc ſcribuntur, nova ingentis ex ſimili fato doloris materia. Auguſtâ quippe Vindelicorum ac Lipſiâ perſcribitur, *Cœnobium* nobile *Salemitanum* (Salmansweiler) magno MSCtorum apparatu hactenus celeberrimum, & nobiliſſimis quidem MSCtis Conſtantienſibus magnificum & ſuperbum, ab Illuſtri *Pregizero* noviſſime, ut ſupra indicavimus, viſum ac commendatum, ſuperiori menſe *d.* 25. *Aprilis*, eheu! inſpectante ſole, cum omni MSCtorum, Conſtantienſium quoque magno theſauro, in cineres abiiſſe. O utinam irrecuperabilem MSCtorum theſaurum ex incendio ſervaſſent; Reliqvum auri gemmarumq; cumulum lapidumque ſtruem Monaſterio facile reddiderint magnatum gratia & longæ ætatis benignitas.

CAP. XI.

De MSCtis Codicibus Anglicanis, ad Conſt. Concilii res ſpectantibus.

MAGNA BRITANNIA, dulciſſimis affectionibus Germaniæ cognata, quæ plures Archi-Epiſcopos ac Epiſcopos, Duces atque Magnates, ad Conſtantienſe Concilium Regis ac Regni olim nomine ablegavit, multosque ex illo Concilio reliquos theſauros literarios hactenus curate aſſervavit, eam *Sereniſſimo Duci Noſtro* gratiam fecit, ut, quibus gauderet *MSctis* non ſolùm denunciaret, ſed & *rariſſima nonnulla monumenta* per eruditos viros deſcribi ac ſubmitti curaret. Quemadmodum *Reverendiſſimi ArchiEpiſcopi Cantuarienſis, Primatis Regni eminentiſſimi*, gratioſo nutu, *Illuſtriſſimus Epiſcopus Sariſberienſis Gilbertus Burnet*, magnus *Regni Prælatus*, effecit, ut Clariſſimorum Academiæ Cantabrigienſis Antiſtitum, D. D. *Roderici & D. Laugthoni*, curâ atque operâ, deſideratiſſimum *Richardi Ullerſtoni*, Theologi Angli, antiqvum monumentum, cum aliis egregiis excerptis, benigniſſime nobis committeretur. Quæ munera Britannica in præfatione *Partis XXIV.* deſignavimus, ac Parte *XXV. & XXVII.* in lucem produximus & poſteritati commendavimus.

Bibliothecam Illuſtris *Roberti Cottoni, Equitis Aurati & Baronetti* Angli, ſimilibus *Conſtantienſium MSCtorum* aureolis ſuperbire, noviſſime nos docuit *Celeberrimus Thomas Smithus, Theologus Anglus, in diffuſo Catalogo librorum MSCtorum Bibliothecæ Cottonianæ*, Oxonii ſuperiori anno edito. Quorum utinam copiam nobis fieri optare vel ſperare liceret.

CAP. XII.

De Diſtributione diffuſarum rerum Concilii Conſtantienſis, in his Voluminibus.

CEterum tot tantisq; *MSctorum Conſtantienſium* opibus feliciſſimo fato nutuque divino ſtipatus atque cinctus SERENISSIMUS DUX NOSTER RUDOLPHUS AUGUSTUS, herus meus Clementiſſimus, in monumentorum illorum conſtructione, publicaq; recenſione, eum ſervari *ordinem* voluit, qui præcipuis rerum Concilii negotiis aptus, lectorum oculis gratus, poſteritatisq; uſibus eſſet accommodatus. Quoniam enim *per plura Volumina* Hiſtoricum hoc opus ſeſe diffuſurum ex MSCtorum apparatu locupletiſſimo conſtabat, res ita diſpertiendæ atque diſtinguendæ ſunt viſæ, ut ſuis quæque locis commode recondi & facile inveniri poſſent. Indeque conſultum fore creditum, ſi *pro præcipuis Concilii argumentis*, diſtincte de ſingulis ageretur. Ita quidem ut ſeorſim recenſerentur illa, *quæ in Concilio per quinque Nationes*, in quas Chriſtianus

ſtianus orbis tunc in Concilio diſtributus, vel per certa Collegia, claroſve Viros, Prælatos & Doctores, *geſta, ſcripta atque edita*, utpote quorum negotia *publicis decretis prælusere*: Et ſeparatim ſiſterentur iſta, quæ *in publicis Conciliaribus ſeſſionibus tractata aut decreta.*

Cum igitur *tria* eſſent *præcipua Concilii negotia*, *ut Univerſalis Eccleſia reformaretur*, ſive Eccleſiaſtica diſciplina emendaretur, Schisma aut *lites trium Paparum contendentium extingverentur*, *nec non controverſiæ ſacræ magno molimine à variis motæ componerentur*: *Singulis* his *rebus* ſua danda fuerunt *Volumina*, quibus illa primùm exhiberentur *monumenta*, quæ *extra Seſſiones Conciliares* in Concilio à Nationibus *collegialiter*, aut aliis *Viris Illuſtribus*, illo tempore *ſeparatim* eſſent his de rebus edita.

Ita *Primus* hic *Tomus Reformationi Eccleſiaſticæ diſciplinæ*, *in Conſtantienſi Concilio* à Cæſare Sigismundo, cunctisq; Principibus & Magnatibus impenſe *quæſitæ* ac magno ſtudio ventilatæ tributus.

Tomus II. Monumenta exhibebit antiqua eaqve perrara illius ætatis, quæ agant de Schismate aut *diſſidio trium Paparum* illo tempore contendentium, Sigismundi Cæſaris infracto labore & ineffabili ſollicitudine, Conſtantienſis Concilii adjumento, ſolenniſſime *compoſito.*

Tomus III. Permulta ſiſtet hactenus pene deperdita illius temporis opuſcula, quæ tertium Conſtantienſis Concilii negotium diſtincte olim pertractarunt, controverſias *Theologico-Politicas Johannis Parvi & Johannis Falckenbergii*, *Johannis Huſſi & Hieronymi Pragenſis*, *Brigitticas*, *Flagellantium*, ſimilesqve.

Tomus IV. Acta ac Decreta Concilii, *in publicis* congregationibus ac ſolenniſſimis *Seſſionibus* propalata, enarrabit, alia plane forma atque hactenus luci ſunt expoſita. Qvippe quod & horum Codicum MSCtorum, æque ac ſuperiorum, magnus jam adſit cumulus.

Tomus V. Apportabit Scriptores illius tempeſtatis, qui ingentem & admirabilem *apparatum* externum, gubernationem, pompamve *Concilii* enarraverint.

Tomus VI. Subjunget ſummorum illius ætatis virorum judicia de Conſtantienſi Concilio, ejusqve dignitate, rebus ac fatis, peculiaribus ſcriptis comprehenſa, ex MSCtorum ruderibus eruta.

CAP. XIII.

Plenius Argumentum *Tomi* hujus I.

De Eccleſiaſticæ Diſciplinæ reformatione, in Conſtantienſi Concilio quæſita.

CEterum, ut Lector antiqui fati cognoſcendi cupidus, uno intuitu *argumentum hujus Tomi I.* permultis antiqviſſimis monumentis ſtipati, cognoſcat, tantæ molis rem leviter hic attingemus.

Ex morbo medicinam metiri fas eſt. Morbi proinde epidemici virus, quod totum Eccleſiæ corpus *proxime ante Conſtantienſis Concilii*

cilii tempora penitus infecerat ac proſtraverat, amaram penetrantemq; *Conſtantienſis Concilii medicinam opemqve* reqvirebat. Ut *collapſa prorſus Eccleſiaſtici ordinis diſciplina reſtauraretur, moresque corrupti ac depravati* in clero emendarentur.

Huc Imperatoris Sigismundi Regumqve ac Principum Chriſtianorum omnium vota, ſuſpiria, conſilia collimabant. Hanc emendationem ordinis ſacri *Conſtantiæ* moliebantur, quibus bonus adhuc ſtabat circum præcordia ſanguis.

Ceterum ulcera illa fœdasq; corporis religioſi maculas, qvibus *illa ætas* territa atqve excruciata, non opus fuit noſtra tractare manu. Neque *decor noſtræ ætatis* colorqve ſalubrior veteres ſordes admiſerit.

Satis abundeq; morborum illorum virulentiam olim demonſtrarunt ac detexerunt *illius ætatis medici* ſacri, experti. Neqve fides major habebitur quam *oculatis teſtibus*, qui ex morborum intuitu horrorem ſibi incuſſum ſenſerunt, lacrymisqve calidis ac amaris ſacrum illud aſt ægrum religioſi ordinis corpus præſentes irrigarunt, & divinam opem infinitis ſuſpiriis deſiderarunt, quin & pro ſuæ artis bonitate manus medicas ſollicitè atqve cautè adhibuerunt.

Qvod autem à capite ad calcem infectum deprehenderetur *corpus Eccleſiaſticum*, omni diſciplinæ decore remoto, luridâ facie, moribusq; & motionibus membrorum pulcris atqve vegetis abſentibus: Hæc illis ſacris morbis Medici peritiſſimi terribilia dederunt nomina:

Execrabilis Simonia, aut irreligioſa ſacrarum functionum venundatio,
Inſatiabilis arrogantia,
Inexplebilis avaritia,
Immoderatus luxus & faſtus,
Craſſa ruditas & ruſtica ignorantia,
Ineptiſſimorum promotio,
Supinus ſacrorum neglectus, Turpisq; officiorum contemptus.

Ex qvibus fontibus infinita propullularunt ac Eccleſiam inundarunt damna, quæ & *civilem rem* omnem, cum juribus ſupremorum Magiſtratuum ac Regum, convellerent, diſſiparent ac peſſundarent.

Publicam hanc illius ævi in templo Dei calamitatem, *ex optimarum literarum ignorantia, voluptatum verò ſtudio* profectam, demonſtrarunt ſed & deplorarunt, Viri cordati, eruditi, probi, & publicæ ſalutis amantes, fata illa triſtia intuiti.

Neque *Conſtantienſis Concilii hiſtoria* plene cognoſci aut *ejus fata* dijudicari recte poſſunt, niſi *prævia* hæc conſtet *occaſio, & quibus malis remedia in Concilio* ſint *quæſita*. Sicuti nullum decretum intelligi rite ab eo poteſt, qui caſum reiq; ancipitis aut controverſæ circumſtantias haud penetraverit. Qvippe quod hiſtoria rei geſtæ luculentus ſit commentarius in judicis de facto ſententiam.

Qvapropter, ex arbitrio ac mandato SERENISSIMI BRUNSVICENSIUM DUCIS RUDOLPHI AUGUSTI, adſciſcendi hi ex illa tempeſtate *Scriptores illuſtriores* fuerunt, qui *præeuntem Conſtantienſi Concilio ægerrimam Eccleſiæ fortunam* coram intuiti erant & acerbe deplorarant. Qvibus

Qvibus ex illo ævo jungendi fuerunt, qui *diſciplinæ ſacræ ac morum clericalium dignam emendationem* vel in *exordio* Conſtantienſis Concilii, vel in ejus *progreſſu*, *ſvaſerant*, *ſuggeſſerant*, *delineaverant*, *ac commendaverant*.

Succeſſerunt *Collegii Reformatorii*, in Concilio ſolenniſſime conſtituti, *conſultationes atque conſtitutiones*.

Exceperunt hæc *publica Oratorum & Magnatum calcaria*, addita Concilio, *ad proſequendam*, maturandam ac perficiendam illam conſtitutam *cleri reformationem*.

Donec labentis ad finem Concilii ultima vel rupta ſub novo Pontifice Martino V. *Reformatoria fata* ordine commemorarentur. Qvæ omnia ex dilucidiore *Partium recenſione* inferius clare eluceſcent.

Totum proinde arduum quoad hanc Eccleſiaſticam regiminis & morum emendationem Concilii negotium, corruptioni tollendæ conſecratum, in hos ingentes rediit cumulos.

Curiam præcipue Romanam, in diſſidiis præſertim Pontificalibus illa tempeſtate vehementer maculatam, ad antiquæ Apoſtolicæ modeſtiæ normam ac virtutem eſſe exigendam ac reducendam.

Varios abuſus denominatos, in illo regimine & inter Curiales obvios, eſſe tollendos.

Ordinariis Eccleſiarum Patronis ac Collatoribus jus eligendi à Papa non ſubtrahendum, ſed aſſerendum atque conſervandum.

Beneficia aut officia ſacra, majora, minora, decenter ac digne diſtribuenda, merito virtutum ſpectato, non auri ponderatâ mole.

Doctos, probos, peritos, prudentesq; Viros, officiis ſacris præficiendos, eosqve omnibus aliis præferendos, altius evehendos, aut ulterius promovendos.

Bonarum literarum ignaros, voluptatibus deditos, otioſos, negligentes, in ſacris officiis non eſſe tolerandos.

Concubinarios, aliosqve irreligioſos, ac intemperantes, à religionis præfectura arcendos.

Caſtos, temperantes, honeſtos ſubſtituendos.

Eccleſiaſticas opes non temere diſſipandas ac diſtrahendas.

Varios proinde modos, illis ſeculis admiſſos, Eccleſiæ reditus extra Eccleſiam ac regionem ad Pontificem ablegandi, e. g. per Reſervationes, annatas, diſpenſationes, exemptiones, indulgentias, &c. vel abolendos vel reſtringendos.

Academias bene eſſe conſtituendas.

Honores Academicos parcius eſſe diſtribuendos.

Doctores Bullatos non multiplicandos.

Theologiæ Lectores in majoribus Eccleſiis conſtituendos.

Bibliothecas Eccleſiarum rite inſtruendas.

Viſitationes Eccleſiarum freqventandas.

Synodos Provinciales pro emendatione repetendas.

Viſitatores Eccleſiis non debere eſſe oneroſos.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Eccleſiaſticos præſules à tyrannide in ſubditos ſibi oportere temperare.

Religioſos à civilibus cauſis tractandis arcendos.

Monachos & moniales intra metas coercendos.

Totumqve Monachorum nimia vel numeroſitate vel licentia exorbitantem ſtatum refrenandum.

Qvæ omnia emendationis Eccleſiaſticæ momenta, infinitis ſpecialibus argumentis diſtincta, quanto ſtudio in Conſtantienſi Concilio ſint tractata, qva ſollicitudine diſcuſſa, quo ſucceſſu definita, vel dilata, vel interrupta, *ſingulæ Operis partes* ad oculum demonſtrabunt, ſervato temporis, rerum ac fatorum, ad Concilii usque finem ſeſe diffundentium, ordine.

Cap. XIV.

De ordine ac nexu monumentorum Tomo hoc I. editorum.

QVod igitur nunc porro ad *ordinem ſeriemve monumentorum* hujus *Tomi I.* attinet, omnem ſane, quantum in nobis, impendere induſtriam, ut juſſi eramus, haud intermiſimus, qui & *temporis & rerum geſtarum nexum* in illis recenſendis ſedulo obſervaremus.

Proinde in fronte hujus eruditi exercitus ponere animus quidem erat *Equitem Auratum, Johannem à Wallenrod, Germanum,* Virum doctiſſimum, & variis per orbem ipſumq; Orientem itineribus doctrinæ gratia exercitatum, in Conſtantienſi Concilio præſentem, ex perilluſtri & antiqua Franconica Equeſtri Nobilitate Wallenrodiani generis natum, cujus agnati in Electorali Boruſſia hodie eminent, virtutis ac gloriæ Wallenrodianæ hæredes illuſtriſſimi. Scripſerat hic *Johannes à Wallenrod exactam Concilii Conſtantienſis Hiſtoriam*, doctiſſimorum virorum judicio æternâ memoriâ dignam.

Nec adeo dubium, quin anſam magnorum illorum motuum & prægrandis Concilii, ipſamq; præeuntem Eccleſiaſtici ordinis confuſionem, ſicque remedia in Concilio adhibita, ordine ac plene enarraverit. Quo fine nobiliſſimum hoc monumentum, tanquam totius longiſſimi ambitus rerum in Concilio geſtarum compendium, in fronte Operis ponere conſtitueramus. Neque in nobis quicquam deſiderari paſſi ſumus, quod ad inveſtigandum hoc *MSctum Wallenrodianum* faceret, illuſtres *Germaniæ Bibliothecas*, ipſosq; Illuſtriſſimos *Wallenrodiani nominis hæredes* conſulendo, quemadmodum ex *Præfationibus Partis I. & II.* conſtat. Verùm, magno hiſtoriæ damno, nulla ejus veſtigia deprehendimus reliqua in Germaniæ Bibliothecis præcipuis, ut ex illis prorſus exulare videatur. Niſi forte ſub pulvere alicubi delitescat in antiquorum MSctorum indiſtincta farragine.

Quæ poſtrema quoque nos aluerat ſpes, ex Wallenrodianis Inſtructiſſimis Bibliothecis, *Boruſſiæ* ornamentis, hoc præclariſſimum hæreditatis cimelium impetrandi; Hæc ſpes ultima inter frequentia ſuſpiria

Digitized by Google

ſuſpiria & continuos noſtros gemitus tandem etiam expiravit, quando, vah! triſtisſimo fato, in cineres cum pretioſisſima *Bibliotheca Wallenrodiana* hoc ſeculo abiit. Quod inter lacrymas nunciavimus in *Præfatione Partis II.*

Quare deſideratisſimi *Wallenrodii* locum, illo abſente, jure occupavit illius coætaneus, itidem *Germanus*, isque *VVeſtphalus*, THEODERICUS VRIE, *Theologus Auguſtinianus.*

Et hunc quidem dudum periiſſe jam pridem doluerant Viri eruditi, *Spondanus*, aliiq́, ut nulla & hujus recuperandi ſpes ſupereſſe videretur, qui jam reſuſcitatus, orbi redditus, ſuæque patriæ per nos vindicatus, ſua gaudet luce, haud poſtremum eruditæ Germaniæ decus.

Quando enim prorſus evanuiſſe creditus Clarisſimus Noſter *Vrie*, denſisſima caligine preſſus longo tempore ſub umbra delituit. Cujus ne *nomen* quidem integrum hodie fuerat reliqvum. Quippe dum vel *Vric*, vel *Uric*, vel cum Flacio & Wolfio *Vriæ*, vel plane *Vrias* aliis audiit. Imo de cujus vitæ genere aut *profesſione* vix certi quid amplius conſtabat. Quem *Auguſtinianum* dixerunt aliqui. *VVolfius*, *Memorab. T.* 1. *f.* 745. Flacii veſtigia incautius obſervans, *Auguſtinianum Minoritam*, *Epiſcopum Croatiæ*, mira compoſitione appellavit. Cujus quoque nec tellus nec cœlum, ſub quo degiſſet, nunc pervideri ſatis poterat: Qui ab Italis & Hiſpanis Scriptoribus, aliisq; ſequacibus, ut in ejus Vita, Parte I. *f.* 222. obſervavimus, pro *Hiſpano* fuit venditatus. Ut nulla illius veſtigia Germanico ſolo viderentur reliqua.

Aſt feliciſſimo fato non ſolùm *in Germania* eundem *reſuſcitavimus*, ſed & genuinum nominis characterem, imo ſpiritum ac *ſangvinem Germanum* illi reſtituimus. Siquidem ex remoto orbe Hiſpanico tanquam ab exilio in patriam eum revocavimus, ac *Germaniæ noſtræ* priſtinæq́ ſuæ libertati jam tandem vindicavimus. *Germanis*, iisq́ *Weſtphalis*, non *Hiſpanis*, eum aſſerendum *augurati* primùm fuimus, cum in illo reſuſcitando occuparemur: Partim ex cœlo Saxonico, ſub quo vixiſſet, partim ex nomine *Vrie*, quod *Germanis* ipſisq́ *antiquis Saxonibus*, *Weſtphalis*, adhuc inter Virorum nomina familiare. Qvod autem Itali eum *Hiſpanis* accenſuerint, aliquâ nominis analogia ſeducti videntur, ut in Vita ejus notavimus: Maxime quod inter *Cardinales*, *tempore Conſtantienſis Concilii* florentes, extiterint *Hiſpani*, quibus nomen *Frias & Firies*, teſte Onuphrio Panvinio.

Sed & fortunatum fuiſſe illud noſtrum *de Germano* eoq́ *VVeſtphalo* augurium, pertinacius ſcrutamen nos tandem ex voto edocuit, & cum voluptate confirmavit. Tantoq́ impenſius hoc fuit gaudium, quanto luculentius proditum, in antiqua & armis ac literis inclyta *Osnabrugo*, *VVeſtphaliæ ocello*, cariſſima mea patria, lumen hoc clariſſimum fulſiſſe. Theologus fuit ordinis D. Auguſtini, eruditione, probitate & variis ſcriptis celebris, qui degit in Osnabrugenſi Auguſtianorũ Monaſterio, viris eruditis multis ſeculis inclyto, ſito olim prope *Veterem portam*, quæ Osnabrugæ primæ veterisq; limites adhuc hodie deſignat, ac palæopolin à Nova Osnabrugo diſtinguit. Cujus ſplendidi olim

Digitized by Google

olim Monaſterii, bello tricennali diſſipati, rudera, cum ampliſſimo templo adhuc reliquo, quod puer olim ſæpe ſum ingreſſus ſpectatum, in hunc diem veterem teſtantur ſedem ac doctrinæ gloriam.

Noſtræ hujus ſerenæ fortunæ, ac juſti de reſuſcitato patriæq; *Germaniæ* ipſiqve *Osnabrugo* vindicato Theologo gaudii autores atque teſtes dabimus in eadem urbe *Osnabrugo* cum laude verſatos Viros clarisſimos, Theologos ordinis Auguſtini ac Dominici, *VVennekerum, Schiphoverum* ac *Ungarum.*

Priores illi, *Johannes VVenneker*, Theologiæ Doctor, Suffraganeus, & *Johannes Schiphower*, itidem Theologus, uterq; *de Meppis* dictus, quod uterque *Meppenſis VVeſtphalus* eſſet, ordinis Eremitarum divi Auguſtini, *in eodem Monaſterio Osnabrugenſi*, eodem, quo *Vrie*, claruere ſeculo, ob eamqve & loci & temporis & fortunæ affinitatem *Collegæ* aut *ſuccceſſores Theodorici Vrie*, oculati fatorum ejus teſtes, jure dicendi. Uterque viros claros ſuæ ætatis, ſui ordinis, ſuiqve monaſterii, commemoravit, ac poſterorum memoriæ commendavit. Ex *Johannis VVennekeri* ſcripto *de Venerabili Sacramento* notitiam noſtri *Vrie* absque dubio hauſit hoc ſeculo *P. Ungarus*, uti paulo poſt conſtabit, cujus MSCta poſſedit. Neque enim ex *Johanne Schiphowero*, cujus ſcripta noviſſe, non vidiſſe apparet *Ungarus*, quæ ſollicite quæſivit, *Vrie* illi innotuit.

Wennekeri coætaneus *Schiphowerus*, qui A. 1480. Auguſtinianorum Monaſterium Osnabrugi ingreſſus, à Wennekero Theologo benigne exceptus, & multis beneficiis affectus, quo nomine egregie illum collaudat, ſcripſit *Osnabrugi* in laudato Monaſterio *Chronicon Comitum Oldenburgenſium*, qvod abſolvit circa Annum 1505. Qvod præclarum *Schiphoweri VVeſtphali Chronicon, Osnabrugi ſcriptum*, illuſtris *Meibomius*, ex Avo *VVeſtphalus*, Academiæ Noſtræ & orbis literati lumen, felici fortuna conſervavit, idque è tenebris erutum *Tomo II. Rerum Germanicarum* inſeruit. *Schiphowerus* hicce, oculatus rerum ſui Monaſterii teſtis, in laudato *Chronicô cap. IX. f.* 472. *ad annum* 1446. hæc de anteceſſoribus ſuis, Noſtroq; *Vrie*, memoriæ prodidit: *Circa idem tempus vixerunt* in Conventu Osnabrugenſi *ordinis Eremitarum Divi Patris* Auguſtini *duo luminaria mundi. Primus fuit Venerabilis Lector* Johannes de Widenbrugge, *Vir ſincerus & doctus. Qvis eo clarius librum Eccleſiaſten explanarit penitus ignoro. Qvem librum* Vaniloqvum *intitulavit, & in duas partes diviſit.* Sermones *multos* ad clerum & ad populum *dereliquit. Secundus fuit* doctisſimus Lector, DIDERICUS VRIGE. *Qvi fuit* Vir magnæ ſcientiæ & ſanctitatis. *Et in ſcripturis reliquit Librum* De conſolatione Eccleſiæ, *qui incipit*, Regi Regum citra exemplum *Qvem librum* Imperatori Sigismundo *poſt Concilium Conſtantienſe propinavit, in die SS. Philippi & Jacobi, ſicut ipſe fatetur in Poſtillis ſuis, in Sermone, qui incipit: Simile eſt regnum cælorum homini, qui ſeminat bonum ſemen:* Cosmologion *ſive* librum Apum: *Tractatum* de Conceptione immaculatæ Virginis: Sermones multos de feſtivitatibus virginis glorioſæ: Sermones æſtivales

Quæ eſt Hiſtoria Concilii Conſt. à nobis edita.

les & hiemales ſuper Evangelia. *Scripſit* ſuper Decem Præcepta: *Item* de Intenſione & remiſſione formarum *contra Marſilium de Padua:* Logicam magnam & parvam: Qvadrageſimale egregium, *quod habetur Coloniæ noſtra in libraria: Et multa alia, quæ ego videre non merui.*

Dici non poteſt, quam nos animaverit *Schiphowerus*, ad ulteriorem de rebus ac ſcriptis *Vrianis* cognitionem acquirendam. Qvapropter eruditos in patria Viros conſului: Ex qvorum corona Vir Conſultiſſimus *Johannes Vieregge*, *JCtus*, ac *Patriæ Conſul* meritiſſimus, *Hiſtoricus* excellens, ac *patriæ* inprimis *Hiſtoriæ* ſcrutator feliciſſimus, magno eruditorum dolore mortis injuriâ noviſſime A. 1690. menſe Decemb. orbi eſt ereptus. Subvenit tandem ex voto *præclara eruditione ac ſingulari morum decore perornatus juvenis Johannes Henricus Tenge*, civis ac amicus meus cariſſimus, qui à Viro venerabili & doctiſſimo, Eccleſiæ S. Johannis apud Osnabrugenſes Canonico, in Hiſtoria Patria verſatiſſimo, nactus *MSctum de Epiſcopis & Viris Illuſtribus Osnabrugenſibus.*

Ex quo MSCto cognoſcimus, quam de hoc quoque Noſtro cive *Theodorico Vrie*, ſollicitus haud ita pridem fuerit juſſu *Franciſci VVilhelmi* Osnabrugenſium Epiſcopi *P. Ungarus*, Ordinis Prædicatorum Theologus. *Epiſtola* illius ea de re ad Virum in patria illuſtrem data luculentum nobis porro dabit teſtimonium.

Admodum Reverende & Doctiſſime Domine, Amice Colende.

C*Oloniâ revertens, quo privati negotii cauſa eram profectus, inveni Reverentiæ Veſtræ literas redditas. Ex iſtis cognovi, quod* Clementiſſimus Princeps & Dominus Noſter (FRANCISCUS WILHELMUS) circa Viros illuſtres *commonere me mandaſſet. Miſſurus itaque, quæ notata à me ſunt, & ad* Illuſtriſſimi intentionem facere *fortaſſis poſſunt: Ordiar à* Gvardiano, *de quo fuerat oretenus à me relatum. Fuit is* Bonaventura Dernopæ, patria Leodenſis, *ordinis S. Franciſci ſtrictioris obſervantiæ. Qui tum alibi* in Weſtphalia Noſtra, *tum* Osnabrugi *Anno* 1632. *Conventui ſui Ordinis* Gvardianus *præfuit: Vir non opinione minus ſanctitatis, quàm libris editis clarus. Id quod plenius ex paginis, quas adjunxi, quæ* vitæ Autoris curriculum *exprimant, cognoſcere licebit. Circa* Auguſtinianos *non adinodum multa videri poſſint quæ ſubjiciam, non tamen ut opinor omittenda.* Johannes de Meppis, Doctor Theologus, *& ex* Priore *ſui Conventus* Suffraganeus, *condictus fuit* Wenneker. *Scripſit inter alia* de Venerabili Sacramento: De Ideis: Item de oblationibus. *Quæ apud me MSC. Obiit A.* 1496. *Fer. 3. poſt Martini, in Civitate Monaſterienſi. Sepultus in porticu Summæ ædis. Ex libro ejus* de Venerabili Sacramento, *diſcere eſt, quod* Godeſchalcus Holen, *famoſus verbi divini præco, ex pago* Corbeke, *Diœceſis* Colonienſis, *oriundus fuerit:* Joh. Klenkock, *Theologiæ Magiſter & Lector* Osnabrugenſis Conventus, *præter Hiſto-*

riam de concivibus, *etiam* ſuper libros Sententiarum *ſcripſerit: Item
quod* Johannes de Dorſten, *Doctor Theologus hujus Conventus*, Patriâ
fuerit Hervordienſis, *ibidemque devixerit in Cœnobio ſuo, poſt vitam
innocentiſſime transactam, uti multus eſt in ejus laudibus idem* de Mep-
pis, *tractatu prædicto. De* Johanne de Lippia *nihil mihi innotuit ha-
ctenus, præter id, quod* de Johanne ab Alen Lippienſi *apud* Elſium in
Encomiaſtico (*Qvem librum cum præſtantiſſimis pluribus aliis hoc iti-
nere Colonia contuli.*) ex Ægidio Gelenio *noſtro, heu quondam, alle-
gatum legitur. Conſtat autem ex citato tractatu* Johannis de Meppis,
fuiſſe in Conventu Osnabrugenſi, *qui ætate iſta viris doctis fuit floren-
tiſſimus, Theologiæ Lectorem* Eberhardum de Lippia, *dictum* Bobbe.
Qvi an prior ille ab Alen, *an, & quid ſcriptum reliquerit, inveſtigari
deinceps poterit, ſi otium ſuppetet.* Theodoricus Frig, *ſeu* Fric *ver-
" nacule, id eſt* Liber (*Fuit &* Antonius *quidam* Liber Suſatenſis Weſt-
" phalus, *doctis aliquando accenſendus*) Lector *itidem* Theologus Au-
guſtinianus hujus Cænobii *non incelebris fuit. Cujus ingenii quædam
" monumenta videre me memini inter reliquias* Bibliothecæ Summi
" Templi, *uti antehac* Illuſtriſſimo (Epiſcopo Osnabrugenſi Franciſco
Wilhelmo) *retuli. Nuper curioſius de eo inquiſiturus, intellexi, hoc,
" quod antea videram, Librarium antiqvum, vaſis certis clauſum fuiſſe, cum
" locum priorem claſſi cuidam Scholaſticæ deputarent. Pro commodita-
te tamen Dominorum Prælatorum ſpes eſt novam luſtrationem facien-
dam, & referendum in Catalogos quod supereſt. Qua in re optem equi-
dem meam requiri operam. Certus enim ſum, nonnulla ibidem eruen-
da, quæ* vitas & res geſtas Osnabrugenſium *in majorem lucem afferant.
Niſi enim fallor, dabitur aliquid reperiri de* Johanne de Meppis Schip-
hauero, *qui* Chronicon Comitum Oldenburgenſium *conſcripſit, Pro-
feſſor ſuo ævo, ut mea conjectura eſt, Scholæ Carolinæ, & Sacerdos in
Summa Æde. Atque hæc ſunt, Domine & Amice, quæ ſe offerunt in
præſentiarum. Reverentia Veſtra hinc quæſo ſeligat & deſcribat, quæ
Illuſtriſſimo placere arbitrabitur. Ita ambo Virorum illorum laudibus
congerendis opella aliquid contulerimus. Illuſtriſſimo autem Noſtro, ob
præclariſſimum hoc & plane dignum tali Principe inſtitutum, qui* Diœ-
ceſanos ſuos, vita ſcriptisqve illuſtres, *ad memoriam temporis ſempi-
ternam propagare ſatagit, cumulate gratiam & gloriam eamque im-
mortalem referet poſteritas. Qvod, & ut vitæ ei ſpatium duplicetur,
Reverentia Veſtra, & omnes, mecum, ſcio, fovent boni doctique, Quo-
rum ego ſum, ut &*

Reverentiæ Veſtræ

Studioſiſſimus Cultor

Widenbrugi, 30. *Decemb.*
A. 1658.

Servatus itaque ac luci & libertati Germanicæ jam redditus, No-
ſter *Theodoricus Vrie*, ſ. *Liber*, tempore Conſtantienſis Concilii *Hi-*

ſtoriam

ſtoriam illius Concilii omnium ponderoſisſimi pulchre exaravit, teſtis oculatus, ita quidem, ut pro ſua eruditione ac prudentia, tum genuinam *occaſionem*, turbulentisſimum Eccleſiæ ſtatum, tum *fata* Concilii illuſtria, *ſucceſſum* denique & *eventum*, deſignaret. Qvod opus ſub finem Concilii poſt electum Pontificem novum Martinum V. abſolvit, ac Sigismundo Imperatori conſecravit. Qvia medelam, malis in Concilio vel paratam vel quæſitam, clare deſcripſerat, opus *de Conſolatione Eccleſiæ* appellavit. Qvo libro haud inelegans præcipuorum Concilii fatorum *Compendium* ſtitit. Qvapropter non immerito *Hiſtoriæ Concilii Conſtantienſis* characterem dedimus, ac inſtar ſummæ aut *argumenti totius hiſtoriæ* in principio ac fronte univerſi operis Parte I. collocavimus. *Vitam Noſtri Liberi Germani*, uti, nemine præeunte, conſequi tunc contigit, adornavimus ac calci operis adjecimus, ex ſuperioribus à nobis hic recenſitis perficiendam, & uberius aliquando, ſi volet Deus, illuſtrandam. Siquidem *præcipuus in librum Commentarius* eſt *vita Autoris*, dilucide & absque fuco concinnata.

Hoc pacto præmiſſo generali Operis totius argumento, ac concinnâ rerum in Concilio geſtarum Ideâ ſtylo Vriano exhibitâ, proſecuti ſumus ulterius *primum Concilii argumentum De Eccleſiæ emendatione*. Quare *Nicolaum de Clemangiis, Gallum*, virum genio calamoq; elegantisſimum, de ſui illius temporis publica in ſacris calamitate conquerentem, & ad Concilii opem adſpirantem, ut & Conſtantienſis Concilii negotia conſiliis ſuis adjuvantem, *Parte II. & III. ex MSctis* advocavimus. *Vitam Clemangii* attexuimus, non ſolum ut elegantiori hujus ſeculi genio inſerviremus, ſed & ex autoris indole ac fatis lucem his ejus ſcriptis affunderemus.

Qvemadmodum autem & *Vrie & Clemangius* de infanda *Simonia*, ſacrarumque functionum mercatura, in Concilio cum aliis vitiis extirpanda egerant: Ita his ſeſe merito junxit *Parte IV. Johannes Gerſon*; qui pro excellenti ſuo judicio peculiari ſcripto *Simoniæ* dicam ſcripſit, ac *in Conſtantienſi Concilio eradicandam* eſſe optavit & ſvaſit. Vitam Gerſonis fuſius illuſtratam, ne quid deeſſet, ſubjunximus.

Poſthæc iſtos illius ævi ſcriptores adveximus, *MSctorum antiquisſimorum* ope, qui *pleniorem Reformationis in Conſtantienſi Concilio ſuſcipiendæ formam*, proxime ante ejus exordium ſuppeditarunt. In quibus merito excellit laudatus *Gerſon*. Cujus arduum opus *de modis Reformandi Eccleſiam in Concilio univerſali*, Petro de Alliaco Epiſcopo Cameracenſi inſcriptum, *Parte V.* recenſuimus. Quod opus tanto gravius atque nobilius, quanto exactius expreſſit *regulam Reformationis Eccleſiaſticæ, in imminente Concilio Conſtantienſi* ſervatam, ac ab Imperatoribus, Sigiſmundo, ac ſucceſſoribus probatam. Qua de cauſa, lucem aliquam Gerſoniano operi affuſuri, Commentatiunculâ ſubjunctâ fata conſilii Gerſoniani per illud ſeculum candide deduximus.

Qvod *Gerſon* hanc molem verſaret, vel adjuvante vel obſervante ac annuente *Petro de Alliaco*, Epiſcopo Cameracenſi, Gerſonis Can-

cellarii latus meritò clauſit *Alliacenus, Epiſcopus:* Qui magnâ animi ac deſiderii propinqvitate fuerunt conjuncti. Qui *Gerſonis de Modo in Univerſali Concilio reformandi conſilium* non improbavit, quin adſtruxit, aſt ſcrupulos, qui ipſum urerent, monſtravit. Unde eſt *Parte VI. De difficultate Reformationis in Concilio Univerſali,* monumentum Alliacenum.

Succeſſit ſummo jure *Theodericus de Niem, VVeſtphalus*, emendationis Eccleſiaſticæ cupidiſſimus, in Curia Romana longo annorum circulo illo tempore verſatus. Hic pro ſua experientia, ſed & eruditione ac pietate, præclarum opus edidit ſub exordium Conſtantienſis Concilii, de ingenti *Neceſſitate Reformationis Eccleſiaſticæ in Capite & in membris.* Quod memorabile opus *Parte VII.* recenſuimus; aſt, pro conjectura tunc noſtra, ſuperiori *Alliaco* Gallo tribuimus. Verùm poſtea deprehendimus, Germani Autoris eſſe, laudati *Theoderici de Niem.* Ut huic merito reddatur à nobis ipſis, quod in antiquis his rebus omni inſcriptione deſtitutis, lubricâ conjecturâ peregrino tantisper adſcripſeramus. Tantoqve lubentius ſuo hic reddimus genuino ac Germano Autori, quanto clarius conſtat, noſtri Germanici eſſe ſangvinis. Obſervavimus hæc ipſi jam pridem, in ipſius hujus operis curſu, *f.* 484. & 485. Quæ emendatio nec nobis vitio verti, nec Niemio fraudi eſſe poterit. Quoniam ſic noſtro exemplo demonſtramus, qvando de Univerſali Reformatione Conſt. agimus, & in obſcuris monumentorum antiquorum latebris innumera perpurganda reformanda ac reſtituenda invenimus, nonnulla, non æqve ſtatim exculta ac expoſita, non quidem prætermiſſa, ſed dilata. In alia, ſi volet Deus, editione facili hæc reſtituemus negotio.

Præliminaris hicce in Concilio ſuſcipiendæ Reformationis *apparatus.* Acceſſimus hinc propius ad ipſius Concilii operationem. In quo inchoato, *Petrus de Alliaco,* Cardinalis jam factus, *novam* publice exhibuit *Reformationis Eccleſiaſticæ ideam* aut memorabiles Canones. Hoc Conſtantienſe Opus dedimus, una cum Oratione ejusdem argumenti, *Parte VIII. Vitamque hujus Cardinalis* Operi adjecimus, tum pro ſeculi noſtri ſollicitudine, tum pro clariore ſcriptorum ejus luce.

Ejuſdem argumenti, nec minoris ponderis, alterum monumentum, *Parte IX.* exhibitum, quod, omni nominis inſigni in MSCto deſtitutum, duce conjecturâ, fundamento ut hactenus putamus nixâ, *Franciſco de Zabarellis* Cardinali adſcripſimus.

Hi magni viri, tum ante Concilium tum in Concilio, limites præſcripſerunt ac modos definiverunt *Reformationis Eccleſiaſticæ* in Conſtantienſi Concilio inſtituendæ atque præſtandæ. Quibus tantum effectum, ut *Reformatorum* illuſtre *Collegium*, ex Cardinalibus omnibusq; Nationibus collectum, in Concilio conſtitueretur, in quo ſuperiora illa ſimiliaque Reformationis momenta excuterentur, atque quid faciendum definiretur.

Collegii illius *Reformatorii in Conſtantienſi Concilio* ſoleñiter conſtituti

Digitized by Google

tria monumenta præclara *Parte X. XI. XII.* exhibuimus: *Geminum* nempe *Reformatorii Conſtantienſis* idq; prolixum *Protocollum*, nec non illius *Decreta* ac *Decretales*.

Quoniam verò in hoc Reformatorio in ſpecie *de Annatis non amplius ſolvendis* aut reſtringendis diu multumq; actum, in eamque communiter ſententiam itum, non illas inpoſterum eſſe ſolvendas, Cardinalium verò Collegium illas urſit continuandas: *Galli* peculiari ſcripto in Concilio edito ſententiam Reformatorii *de Annatis denegandis* propugnarunt. Hoc itaque Gallorum opuſculum *Parte XIII.* jure ſucceſſit.

Quando autem in illis *Reformatorii tractatibus* de futura Reformatione Eccleſiaſtici Regiminis ſedulo agebatur, *mora longa* ipſum effectum diu diſtulit. Qvo factum, ut *longa dilatione* ſpes ſi non frangeretur certe minueretur.

Quamobrem publicis in Concilio *epiſtolis* ac graviſſimis *Orationibus*, ad Imperatorem ſcriptis, vel coram tota Synodo palam inſtitutis, Epiſcopi, Abbates, aliiq; Viri Illuſtres dolorem teſtati de dilata nimis diu Reformatione, ſerioqve Concilii Patres hortati ad maturandum hoc ſaluberrimum negotium. Quales *epiſtolæ* ac ſolennes *Orationes*, à Patribus in Concilio de hoc Eccleſiaſticæ reformationis maturandæ negotio habitæ, exhibitæ ſunt à nobis, juxta temporis ordinem, ut dignoſcere licuit, *Parte XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX.*

Atque ita tres prope anni in Concilio inſumpti his de Reformatione conſultationibus. Donec Anno 1417. eoque ad finem vergente, *acris in Concilio diſputatio inter Cardinales & Nationes* oriretur, utrum negotium dignius magisque neceſſarium, adeoque præmittendum, Reformatio Eccleſiaſtici ordinis, an creatio novi Pontificis. Quæ concertatio in præmittendam electionem novi Pontificis, invitis licet quibusdam Nationibus, tandem abiit: Caput ſalubre eſſe conſtituendum ante, quàm membra corrigerentur aut ſanitati redderentur. Indeq; dum ad electionem illam Papæ res omnis in Concilio compoſita, ſolenniſſima *Oratione* virtutes boni ac melioris Papæ, ad reformationem procurandam apti, ſunt expoſitæ ac denunciatæ. Qualis *idea melioris Pontificis in Conſt. Concilio eligendi* tradita *Parte XX.*

Electo Pontifice Martino V. negotium Reformationis Eccleſiaſticæ ſi non plane neglectum, ſomnolentius certe curatum, uti *Sigismundus Imperator* erat auguratus. Quippe quod proximo ſtatim die ab electione Novi Pontificis, *Regulæ Cancellariæ* curiæ Papalis ad exemplum antiqvum in Concilio toties & tam acerbe impetitum, ederentur. Quod haud obſcurum ſubruendæ deſideratæ emendationi indicium. Quas *Cancellariæ Martinianæ regulas*, in Conſtantienſi Concilio proxime ab ejus electione adornatas, cum anteceſſoris *Johannis* XXIII. *regulis* comparatas, produximus *Parte XXI.*

Aſt, non quieviſſe ab electione novi Pontificis Nationes, nec à Reformationis deſiderio deſtitiſſe, *Germani* teſtes ſunt. Hi enim publico ſcripto Martino Papæ exhibito Reformationem præfixam ac

Digitized by Google

Papæ injunctam conſtanter urſerunt, *Articulis de Reformatione ſupremi Regiminis Eccleſiaſtici* exhibitis, ut videre eſt *Parte XXII.*

Neq; omnino vana ac contemnenda eſſe hæc repetita Germanorum ceterarumq; Nationum de Emendatione diſciplinæ Eccleſiaſticæ vota ac deſideria, prodidit Martinus, quando *Delineationem Reformationis Eccleſiaſticæ in capite primum & curia Romana* conſignari ac Nationibus proponi curavit, qualem ipſe indulgere aut procurare conſtituiſſet. Id quod patet ex *Parte XXIII.*

His autem Martini propoſitionibus ſe acquieſcere non poſſe intellexerunt quidem Nationes: Nihilominus, cum voti ſui ſe compotes haud fore animadverterent, admiſere quomodocunque novum Martini conſilium, qui Nationes dividere ac diviſim cum illis tranſigere decreverat. Atque ita ſigillatim ac ſeparatim cum Germanis aliquo modo de Reformationis Eccleſiaſticæ momentis tranſegit Martinus. Quæ *Germanicæ Nationis ac Martini V. Concordata Conſtantienſia* comparent *Parte XXIV.*

Cum *Anglis* quam ſacræ diſciplinæ ergo tunc inierit *Concordiam*, commemoratum *parte XXV.*

Poſtquam ita à Martino cum Nationibus pactum qualitercunque ac transactum erat, *abruptum Concilium* ex Martini arbitrio. Dilataq; *plenior Reformationis tractatio* ad proximum ex hujus Concilii decreto intra quinquennium compariturum novum Concilium Papienſe.

Quod interruptum Conſtantienſis emendationis negotium quem dolorem bonis creaverit, impenſumque emendationis deſiderium non reſtinxerit ſed magis accenderit, omnium numero *Gobelinus Perſona* nunciabit, qui cum Concilii Conſtantienſis fine ſuam his votis ac ſuſpiriis illo tempore obſignavit hiſtoriam. *Sunt quædam reformata, quamvis reſpectu* CONCEPTORUM *pauca, verbis quidem & ſcriptis, quæ propter humanam mentis mutabilitatem, divinitatis excuſantem ſe ſub umbra, hic inſerere non præſumo. Ego quidem jam annis multis ſtatum pertractans Eccleſiæ, per quem modum ad univerſalis Eccleſiæ reformationem perveniri poſſet, curioſa mente revolvi. Quem quidem modum Dominus fortaſſe oſtendet, cum in ſpiritu vehementi conteret naves Tharſis. Porro Anno Domini* 1418 *ſupradicto* 22. *Menſis Aprilis, iſtud Concilium Conſtantienſe abſolutum eſt, & aliud Concilium generale deinde ad quinquennium in Papia civitate Liguriæ ſeu Lombardiæ celebrandum per Papam eſt indictum. Et quia corpus quod corrumpitur, nimis aggravat animam, me tædet hujusmodi ſcriptis amplius occupari. Cum igitur in vineam Domini ſim inter ſub denarii divini mercede conductos ingreſſus, ad ipſum agricolam, qui purgando palmites fructum afferentes, infructuoſos palmites novit auferre, ſub ſpe, qua Propheta æſtuando dixit:* Deus virtutum convertere, reſpice de cœlo & vide, & viſita vineam iſtam & perfice eam, quam plantavit dextera Tua: *Me convertens, hunc librum, ſub Bonifacio Papa IX. inchoatum, & ſub Martino Papa V. anno Pontificatus ejus primo, d.* 1. *menſis Junii, anni Dominicæ Nativitatis* 1418. *Illuſtriſſimo Sigismundo, Romanorum, Teutoniæ & Ungariæ regnorum in ſceptris agente,*

con-

Digitized by Google

conſummatum, *hac Eccleſiæ Oratione concludo:* Da nobis, Domine, quæſumus, ut & mundi curſus pacifice nobis tuo ordine dirigatur, & Eccleſia tua tranquilla devotione lætetur.

Hi conatus, hæc conſilia, fata & vota orbis Chriſtiani, in Concilio Conſtantienſi, *de morum ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ emendatione.* Quæ acta pleraq; *Capitis ſupremi ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ communis* emendandæ formam attingebant. Nam propter immenſurabilem reformationis ſacræ ambitum *inferioris ſtatus Eccleſiaſtici ratio* in Concilio tunc haberi non potuit. Ut *ſupremi regiminis ſacri forma* præcipue tunc attenderetur, ac, qua ratione melior illi habitus conciliandus, diſpiceretur.

Nihilominus tamen de quorundam *Ordinum Monachalium* emendatione religioſa nonnihil in Concilio hoc actum. Præcipue res *Benedictinorum*, quoad vitam & ſacrorum cultum, in Concilio ſedulo aliquot annis excuſſæ. Quam ſpecialem *Benedictinorum reformationem Conſtantienſem* ſub finem exhibere è re lectorum fore judicavimus. De his itaque P*arte XXVI.*

Atque hæc [illegible] recenſita *Reformationis Conſtantienſis negotia*, ex antiquiſſimis monumentis multo ſtudio eruta, & in lucem nunc demum producta. Ut igitur brevis quædam Reformationis in Conſtantienſi concilio quæſitæ Summa opus hoc clauderet, conſultum fuit viſum *Ullerſtoni Anglicani Theologi*, illa ætate celebris, præclarum monumentum, *Petitiones quoad Reformationem Eccleſiæ militantis*, ad calcem operis collocare *Parte* XXVII. Quod etſi paulo ante Conſtantienſe Concilium, ſexennio fere, exaratum, *præcipuum* tamen *deſideratæ emendationis Conſtantienſis argumentum* illo exhiberi animadverſum.

CAP. XV.

De Aviſamentis Conſtantienſibus Reformatoriis, apud Goldaſtum.

LAtere in ſcriniis plura, ſuperioribus haud diſſimilia, non inficias ibimus. Forte & altera hujus Operis recenſio locupletior evadet. Potiſſima interim æſtimamus, quæ dedimus.

Suo etiam loco Operi inſerere animus quidem fuerat, quæ *Goldaſtus Conſt. Imp. Parte I. f.* 149. *ſeq.* exhibuit *Conſtantienſia Aviſamenta.* Aſt dolendum, quod non adjecerit, ex quo MSCto hauſerit, quod quæreremus! Diſtinctio in capita uti recentior, ſive Goldaſti ſive alterius, haud ſane viſa accurata; Cum illa diviſa appareant per Capita, e. g. per Cap. IV. & V. quæ ejuſdem periodi membra conſtituunt. Neque integrum eſſe opuſculum ex ultimis verbis manifeſtum. *Verſio* quoque horum quam exhibuit Goldaſtus Germanicam, non ut apparet veteris, ſed recentioris ævi, neſcio an ipſius Goldaſti, docta quidem, ſed ex corruptiori illo exemplari concinnata, quæ nec ultra latinum textum longius in fine excurrat. An & latina *inſcriptio*, quam ſtitit *Goldaſtus*, in *MSCto* ſit inventa, an ab illo præfixa, incertum:

An

gnum detrimentum illorum beneficiorum & ſuarum poſſeſſionum, & (qvod pejus eſt) divini cultus & Chriſti fidelium animarum, illa ad ſua remedia & Dei laudem freqventandam inſtituentium: Statuat *hoc generale Concilium*, qvod Domini *Cardinales*, habentes Eccleſiaſtica *beneficia*, de facto illa *obtineant*, ſi ſaltem velint, *quamdiu vivant*: Sicqve *ipſis decedentibus vacare cenſeantur ipſis ordinariis Collatoribus*, (Non obſtante *C. Licet, Statutum, & Ca. Præſenti, De præbendis, lib. 6. Decretal. lib. 3. c. 2. 3. 34.*) ſicut ſi ipſi extra Romanam curiam deceſſiſſent.

Ex præfatorum Dominorum *Cardinalium numero reducto*, ſecundum qvod in *aliis reformatoriis articulis* eſt aviſatum, nulli Cardinalium tunc in anteà aliqvod beneficium Eccleſiaſticum, majus aut minus, detur vel aſſignetur, cui in *propria perſona* præeſſe, aut ipſum *regere* non valeat. Sed ipſi ſicut pro communitate totius laborent Eccleſiæ, ita ipſis ſecundum decentiam ſtatus eorum de omnibus fructibus Cameræ Apoſtolicæ, aut de regnis aut provinciis Chriſtianitatis diſtinctis provideatur, ſic qvod *qvilibet annuatim* pro decentia ſui ſtatus ſervandi, cum debita moderatione & ſuperfluorum amputatione, habeat *III. vel IV. millia florenorum*: ſecundum qvod *huic ſacro Concilio* pro ſalubri remedio *contra faſtus, pompæ, ambitionis, cupiditatis & voluptatis morbos*, qvi à *talibus Apoſtolorum Chriſti ſucceſſoribus debent eſſe longe remoti*, viſum fuerit expedire.

Item ſtatuatur & ordinetur, qvod in omnibus *beneficiis electivis*, ſive ſint Patriarchatus, Archiepiſcopatus, Abbatiæ, Præpoſituræ, Primiceriatus, Prioratus, Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanatus, qvæ alia electiva beneficia inferiora, ſerventur *jura de Electione & Poſtulatione* in corpore Juris contenta, cum omnibus eorum capitulis, prout poſita & ab antiqvo per ſanctos Patres practicata ſunt. Qvæ etiam beneficia *electiva ſub quacunque expectativa gratia cadere non debeant*. Sic tamen qvod illæ *Electiones*, qvotiens occurrerunt faciendæ, poſtqvam factæ ſunt, *per immediatos ſuperiores* ſecundum formam Juris *examinentur*, & canonice factæ confirmentur. Et qvod nullo modo liceat Summo Pontifici qvicqvam in contrarium attentare, præterqvam in *electis ſibi immediate ſubjectis*, de qvibus habebit prohibere; Vel niſi contingat in præmiſſis qvicqvam contra formam Juris factum aut eſſe qvomodolibet attentatum, qvo, ſicut ad id tenetur, ita ſibi liceat taliter acta vel attentata retractando, ſive in melius ordinando, reformare, cum poteſtate corrigendi vel puniendi transgreſſores.

Item, qvia ſecluſis beneficiis electivis, de qvibus in proximo capite mentio facta eſt, reliqva *beneficia Eccleſiaſtica, quæ* ſaltem *non ſunt de jure patronatus Laicorum*, ſunt adhuc in duplici differentia: Nam qvædam ſunt *minora*, ut qvæ taxam decem marcarum argenti puri non excedunt, alia ſunt *majora*, qvæ communi æſtimatione hujusmodi taxam excedunt: Item qvædam *minora beneficia* ſunt, *quæ continuam perſonalem præſentiam*, & continuum exercitium divini officii reqvirunt, ſic, ut qvaſi *manualia* cenſeantur: Idcirco, ut ſecundum valorem beneficiorum fiat moderatio talis, ut *magis idoneis & bene meritis majora & minus bene meritis minora beneficia*, ſecundum æqvalem juſtitiæ diſtributivæ regulam, qvod melius fieri poterit, *conferantur*: Statuat & ordinet *hoc ſacrum Concilium*, qvod ſub gratiis Apoſtolicis, *in forma ſpeciali* conceſſis, nullatenus omnino cadere debeant minora, qvæ videlicet taxam decem marcarum argenti non excedunt, vel continuum reqvirunt exercitium divini officii: Ut ſunt Vicariæ, Capellaniæ, Altariſtiæ, & Præmiſſariæ, tam Cathedralium qvam collegiatarum Parochialiumqve Eccleſiarum, Monaſteriorum & Conventuum ac hoſpitalium. Et ex adverſo ſub gratiis in *forma pauperum* conceſſis non cadant *beneficia majora*, qvæ taxam videlicet decem marcarum argenti puri excedent. Et ſi qvæ ſignaturæ gratiarum ſecus factæ reperiantur, careat impetrans commodo literarum Apoſtolicarum deſuper conficiendarum. Et acceptiones & proviſiones, ſuper talibus confectis literis factæ, ſint irritæ, caſſæ, & ipſo jure nullæ.

Item diſponat & *ordinet hoc ſacrum Concilium*, qvod Summus *Pontifex* futuris

temporibus qvemcunqve *ordinarium Collatorem gravare non habeat*, neqve debeat, niſi per unicam Apoſtolicam expectativam in *forma ſpeciali* ad *beneficia majora*, qvæ taxam decem marcarum argenti puri, ut præmittitur, excedent. Et ſimiliter non niſi per unicam Apoſtolicam expectativam *in forma pauperum* ad *beneficia minora*, ut præmittitur.

Et ad cavendum multitudinem per variam *importunitatem* qvandoqve *impetrantium*, in ſingulis gratiis expectativis, ſecundum diſpoſitionem Juris communis antiqvi, ponatur hæc clauſula: *Si pro alio ſub tali forma, vel gratia ſpecialis in forma pauperum, ſit ipſo jure nulla.* Sic ſimiliter de tertia parte & conſeqventi, nec non omnia inde ſecuta nullius ſint roboris vel momenti.

Caveatur autem in omnibus, qvod *executores Apoſtolici*, ſecundum tenorem literarum Apoſtolicarum non declarent ullos ad obtinenda Eccleſiaſtica beneficia *habiles* & *idoneos*, niſi qvi *diſtricto examine* tales de facto reperiuntur.

Item, qvod ad providendum univerſali Eccleſiæ Dei, qvæ contra infideles, hæreticos, ſchiſmaticos, & bonorum morum everſores, maxime indiget *viris literatis & in ſcientia eruditis, qui in generalibus ſtudiis & aliis* patrimonia ſua & labores ſuorum conſumunt parentum, & qvibus forſitan per Ordinarios eis ignotos minime vel ſaltem tardius provideretur: Statuat & *ordinet hoc ſacrum Concilium*, reſervandi *pro viris literatis quartam partem omnium Eccleſiaſt. beneficiorum majorum*, videl. qvæ taxam decem marcarum argenti videantur excedere. Sic videlicet, ut in qvalibet Eccleſia Cathedrali *quarta pars canonicatuum & præbendarum reſervetur pro Doctoribus Sacræ Theol. Juris Canonici & Civilis, aut Licentiatis in eiſdem.*

In ſingulis vero *Collegiatis Eccleſiis*, qvæ ſaltem *præbendas majores* & dictam taxam excedentes habent, ſimiliter *quarta pars Canonicatuum*, præbendarum, pro dictis *Doctoribus, Licentiatis, aut in medicina Doctoribus, Magiſtris in artibus*: Ac in dictis facultatibus *Theologiæ, Juris Canonici, Civilis & Medicinæ Baccalaureis* reſervetur.

Et ita de qvarta ſimiliter cujuscunqve alterius ordinarii collatoris. Sic qvod ad illam nominatam qvartam partem talium majorum beneficiorum, omnium *Ordinariorum*, poſt dictorum beneficiorum vacationem, ſint *manus clauſæ*, ſicut per decreta Summorum Pontificum hactenus fuerunt, *per unum menſem*, per qvem dicti ordinarii collatores expectare, & præfati Doctores, Licentiati, Magiſtri & Baccalaurei venire, & ut recipiantur inſtare, teneantur.

Qvod ſi tales non venerint intra menſem, nec ut recipiantur inſtent, aut forſitan inſtent, & dicta beneficia deſervire non velint, aut ea etiam deſervire volentes alias forſan ſint inhabiles, inidonei: Tunc liceat Collatoribus Ordinariis dicta beneficia vacantia aliis perſonis *idoneis, etiam non graduatis*, iſta vice conferre. Sic tamen, qvod in aliis futuris vacaturis beneficiis, de dicta qvarta parte exiſtentibus, præfatis Doctoribus, Licentiatis, Magiſtris & Baccalaureis nullum præjudicium generetur.

Collationes vero ſecus aut aliter factæ, ſint ipſo jure nullæ. Et nihilominus Collatores ſecus ſeu in contrarium Eccleſiaſtica beneficia conferentes, eo facto ſuſpenſionem à collatione etiam aliorum beneficiorum, ratione qvorum hujusmodi eis collatio debetur, per triennium ſint ſuſpenſi. Et ultra hæc talia tam apud Collatorem qvam apud eum, cui ſecus proviſum extitiſſet, in proxima vel in provinciali vel Epiſcopali Synodo, & ſecundum ejus determinationem, corrigantur & reformentur, qvod cæteris cedat ad exemplum.

Qvod in *hoc ſacro Conſtantienſi Concilio* non ſolum Epiſcopi & Principales infulati Abbates *habere* debeant *voces judicativas*, diffinitivas, ſed Epiſcoporum & Abbatum, nec non Capitulorum & Univerſitatum Studiorum procuratores, Monaſteriorum & conventuum Præceptores, Generales Miniſtri, Provinciales, & Priores, Magiſtri, Doctores, & devotorum Chriſti fidelium Oratores, ex ſubſeqventibus videtur apparere, &c.

CAP.

CAP. XVI.
De difficili antiqua hæc MSCta reſuſcitandi aut inſtruendi opera, ac ſincero ſcopo.

ATq; hæc prima *moles* eſt *rerum Concilii Conſt. quoad Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformationem.* Quam hactenus haud proditam, ſed profundis tenebris merſam, ex vaſtis MSCtis eruimus, ſuſcitavimus, ſqvalore deterſo perpurgavimus, ac pro noſtri ſeculi decore exornavimus. Meminere quidem Scriptores, *Spondanus*, aliiq;, actum fuiſſe ſedulo in hoc Concilio multis congreſſibus *de morum Eccleſiaſtici ordinis emendatione.* Aſt quæ illæ fuerint tractationes, quo collimaverint, quid deſideratum, quid definitum, quid concluſum, quid, & unde dilatum, vix ac ne vix quidem commemorarunt, tantum abeſt ipſa *Concilii* quoad hanc rem *monumenta* exhibuerint. Ingentem itaque hanc farraginem, *ex antiquiſſimis MSCtis* tenaciſſimo labore productam, tantoque numero cumulata hactenus inedita antiquiſſima hujus argumenti monumenta impertimus.

Operam verò noſtram, rebus his antiquis, ſepultis, perditis, ac perobſcuris recenſendis impenſam, non fuſe explicabimus, de qua prudens, expertus & benevolus lector ſponte æqvum feret judicium. Qui antiqua hæc talia MSCta monumenta inſpexerit, ſatis abundeq; animadvertet, quàm illa intricatarum inſtar veprium lectorem continuis ſuis abbreviaturis abſterreant, quam ſuis implexis & contortis uncinulis oculos legentis fatigent, inexplicabilibus interdum ſuis corruptarum vocum nodis manus illa verſantis torqueant, quàm in fugam facile impatientem hæ cruces vertant. Ut non eſſet mirum, abjicere vel doctiſſimos quosque, qui aliàs his lubentes occuparentur, vel ſpem vel patientiam, dum ſe ad hæc rudera movenda componant: Niſi publica ſalus animum nonnullis adderet, his vepretis ac dumetis non manus duntaxat ſed totum admovendi corpus. Uti enim animo prompto, pectori conſtanti, frontique ſerenæ, nihil tam eſt moleſtum, quin ſuperet, ſuæq; virtuti ſubjiciat: Ita contemnuntur, patientiæ præſidio, publiciq; boni amore, inſuperabiles etiam viſæ moleſtiæ. Celſa quoq; montium juga ſcanduntur ac ſuperantur ab illis quos iter arduum delectat. Quidni ergo ſaluberrima SERENISSIMI BRUNSVICENSIUM DUCIS RUDOLPHI AUGUSTI, juſſa pro publica ſalute & Germanicæ noſtræ gloriâ, alacriter, ut decet, exequamur, omni poſtpoſito difficultatis & inſolubilium nodorum metu.

Sic igitur labore pertinaciſſimo non caruit *ſententia in MSCtis cognoſcenda* atque fideliter exprimenda. Infinitæ ſane abbreviatæ aut *decurtatæ voces*, quæ Oedipum vel poſtulent vel vexent, ex rerum iſtius tempeſtatis ordine auguria & conjectandi celeritatem aut felicitatem expectarunt.

Digitized by Google

Accedit quod nulla propemodum in antiquis illisMSCtis *diſtinctionū lumina.* Tenebras abyſſum tegere non diffitebitur, qui in hoc MSCtorum antiquorum pelagus oculos verterit. Profecto, magnæ interdum artis eſt, pervidere genuinam Orationis ſeriem, vera vincula, terminos juſtos, ubi nulli fines, omnia ſparſa apparent. Fecimus & hic, quod pro ingenii tenuitate, & rerum iſtius temporis cognitione ac conſcientia licuit. Diſtinximus, ut noſtra ſecula hanc lucem novam merito amant, in *paragraphos*, pro rerum præcipuarum intervallis, in *periodos, majora minoraque membra*, pro Orationis habitudine & nexu. Sed &, ubi operis conditio tulit, in *Capita* diviſimus, ut tractationis ordo & argumentorum vis tanto clarius perſpiceretur. Quæ ſunt noſtræ ætatis adjumenta. Præmiſimus & *argumenta* capitibus, quæ ſubito lectori nervum omnem ob oculos ponant. Poſthæc & *margini* ſummas rerum adjecimus, quæ non noſtram, ſed autoris unice exprimant mentem. Præterea non exiguam in recenſione veterum MSctorum lucem affulgere experimur ex *literarum diſcrimine* in oratione, ut, ſicubi nervus ſententiæ autoris lateat, & uti vis longi argumenti ſeſe lectori oſtentet, notabiliori *currente* quam vocant literatura deſignetur. Qvod itidem omni diligentia ac ſollicitudine exprimere, atque & hoc pacto lectorum commodis inſervire ſtuduimus.

Qvod reliqvum, in tam vaſto antiqviſſimorum MSctorum cumulo diffundendo, & tam intricatis & implexis vel contortis ſententiarum latebris diſtingvendis, tenaciſſimis involucris explicandis, ſicubi nos oſtendiſſe judicaverit lector, mollius interpretabitur: Memor, in his ſcopulis non titubaſſe, non impegiſſe, & in lapſum nullibi pedem inclinaſſe, non hominis eſſe ſed celſioris virtutis. Typographorum verò, ut eſt hodie horum in deſcribendo cura neglectior, culpam haud luemus. Nec enim preces, nec vota, uberiorem attentionem illis infuderint, emendandique repetitam curam haud reddiderint beatiorem.

Omnem verò hunc noſtrum, qualemcunque laborem, ad Dei gloriam, divinæ providentiæ laudem, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lucem, Sigismundi Imperatoris honorem, Germaniæ noſtræ decus, ac poſteritatis emolumentum, unice impendimus. Qvi nullum commodum privatum ex induſtria operaq; noſtra aucupati ſumus: Sed puro ac ſincero in publicam ſalutem affectu ducti, Sereniſſimi DUCIS RUDOLPHI AUGUSTI clementiſſimam voluntatem, ac inexplicabile Celſitudinis Ejus pro publica re juvanda deſiderium, conſtantisſime intuiti, vel vitam noſtram impendere parati fuimus. Neque eſt, quod in fugaci hac vita aliud deſideremus, præter publicam ſalutem, bonorum in nos amorem, ac deſideratiſſimam Dei gratiam æternum duraturam.

Alſol. A. MDCXCVII.
d. 5. Junii

ELEN-

ELENCHUS

Autorum, Librorum ac Capitum Tomi I. Rerumq; præcipuarum Index.

PARS I.

THEODERICI VRIE, Germaniæ vindicati, antiqvâ Saxonicâ gente prognati, Weſtphali, Theologi Auguſtiniani Osnabrugenſis, Conſtantienſis Concilii tempore inclyti, *Hiſtoria Concilii Conſtantienſis*, Sigismundo Imperatori inſcripta. Idea præcipuarum rerum in Concilio geſtarum.

PRæfatio. De *Wallenrodiana Concilii Conſtantienſis hiſtoria MSCto*: Ut & de *Vriana Conſtant. Concilii Hiſtoria* fortuna.

Epiſtola Theoderici Vrie ad Sigismundum Imperatorem, cui opus inſcripſit: De Chriſto Eccleſiæ capite, & Sigismundi in Eccleſiæ emendationem ſtudio. *f.* 2. *ſeqq.*

Liber I. De miſero Eccleſiæ ſtatu proxime ante Concilium Conſtantienſe. *fol.* 10.-24.

De ſereniore ſtatu Eccleſiæ primævo, Apoſtolorum & Patrum tempore. *f.* 10.

De gravi lapſu primi illius Status: Maxime, quod totus Eccleſiaſticus ſtatus à capite ad calcem, circa tempora Concilii Conſtantienſis *vitio Simoniæ* prorſus fuerit *infectus*. *f.* 10. 11.

De decore humani generis, quod plane hoc pacto degenerarit, præter omne exemplum cæterarum creaturarum, quæ integritatem ſuam tueantur, *f.* 11. 12.

Deplorari ſatis non poſſe illius tempeſtatis corruptionem publicam. *f.* 12.

Priſtina & meliora Eccleſiæ fata, ac ſincerior ejus in fide ac religione conditio, Salomonis imaginibus in Cantico Canticorum expreſſis depinguntur ac illuſtrantur. *f.* 12. 13.

Eccleſia miſere conqveſta de dilato Dei auxilio in iſtius temporis calamitate, ob præſidum Eccleſiæ tyrannidem. *f.* 13. 14.

Eccleſia anhelavit ad opem in publica illa calamitate ſibi à Chriſto ferendam. *f.* 14. 15.

Eccleſia figurâ Caini & Abelis depicta, quoad ſtatum ſuum geminum, ſinceriorem in Abele, & corruptum in Caino. Et in præſenti quidem iſta corruptione publica pravam Caini indolem Eccleſiam præ ſe tuliſſe: Et corruptiſſimos, eosqve haud emendandos, illo ſeculo Eccleſiaſticorum extitiſſe mores. *f.* 16.-19.

Eccleſiam per tres Pontifices de primatu contendentes, *Johannem XXIII. Gregorium XII. & Benedictum XIII.* ante Concilium Conſtantienſe per quadraginta annos miſere fuiſſe laceratam, ut neſciret quam ſequeretur partem, aut quo ſe verteret. *f.* 20.

Infauſtum illud *trium Pontificum diſſidium*, ex juſta vindicta divina ob publicam impietatem eſſe ortum. *f.* 23.

Liber II. De publica ſpe, communis in Eccleſia morum emendationis, & infandi illius in Eccleſia ſchismatis *per SIGISMUNDUM IMPERATOREM extingvendi. f.* 24.-57.

Ex Adami lapſu fons omnis mali derivatus: Ex Chriſti Redemptione omnis ſalutis principium repetitum. *Quam* vero ſub *tribus Pontificibus tunc diſſidentibus Eccleſia Chriſti paſſa ſit injuriam*, pingitur *Exemplo Caini* Abelem occidentis, & *Synagogæ Judaicæ* Eccleſiam Chriſti perſeqventis. *f.* 26. 27. *ſeqq.*

Solatium Eccleſiæ in illa *συῤῥάξει* publica: Eccleſiam manere Chriſti Eccleſiam, etiamſi nullus exiſtat Papa. Imo nec duos vel tres Papas ſimul exiſtentes obſtare, quominus Eccleſia maneat Chriſti Eccleſia. Papam poſſe vel ſponte Papatu cedere vel removeri. *f.* 31. 32. 33.

De publicorum illorum in Eccleſia malorum cauſis. Juſto Dei judicio, ob *Præſidum* qvoqve *Eccleſiæ peccata*, plebem una cum Magnatibus *diſſidiis* illis publicis jactari. *f.* 34. *ſeqq.*

De proximiore cauſa infandarum illarum in Eccleſia turbarum, & diri Papalis Schismatis: De *Plebis Romanæ*, Pontificis electionem ſibi arrogantis, & Italum aut Romanum poſcentis, *tumultu & furore, ut & demagogorum fraudibus & dolis*, qui plebi ſuccenturiarentur. Cum brevi totius Papalis Schismatis hiſtoria usque ad Johannem XXIII. *f.* 38. *ſeqq.*

De diſſidiorum illorum ac publicorum damnorum præcipuo alimento: Ambitione & *Simonia* Pontificum, à tempore Urbani VI. usque ad Johannem XXIII. *f.* 44. *ſeqq.*

Publicam morum emendationem viam eſſe ad Eccleſiæ tranqvillitatem, ac diſſidiorum finem. Illam *parandam eſſe* per *SIGISMUNDUM. f.* 48. - 56.

Lib. III. De deſperato illorum publicorum malorum *remedio, ob infandam ac radicatam morum corruptionem. f.* 58. - 88.

De *difficultate* & periculis, malis iſtis publicis *medendi* & ſchisma tollendi. *f.* 59.

De Immedicabili, ante Concilium Conſt. radicato, *Simoniæ* malo. *f.* 60. *ſeqq.*

De *faſtu & arrogantia* ante Concilium Conſt. *in Clero.* Ut & in Papa, Cardinalibus & Epiſcopis *nimia pompa. f.* 64. *ſeqq.*

De iniquo perſonarum reſpectu, non virtutis, in promotione ſacra: Dum *indigni ad officia* & beneficia ſacra olim *evecti*, dignis poſtpoſitis. *f.* 68.

De *Prælatorum* ante Concilium Conſtantienſe *tyrannide. f.* 73. *ſeqq.*

De *Imperio Romano* ante Concilium Conſt. per Pontifices *enervato*, gladio Imperatori extorto & Pontificibus vindicato. *f.* 77. *ſeqq.*

De *Ignorantia Præſidum Eccleſiæ* ante Concil. Conſt. *f.* 82. *ſeqq.*

De variis circa illud tempus ortis *ſectis*, *Conradi Fabri*, *Wicleſi*, *Huſſi & Hieronymi Pragenſis. f.* 85. *ſeqq.*

Lib. IV. De *Concilio* congregando, aptiſſimo eliminandorum ex Eccleſia *malorum remedio. f.* 88. - 132.

Præcedentia in Eccleſia Pontificum *ſchismata Concilii beneficio* fuiſſe *ſublata. f.* 90. 100.

De *Sigismundo Imperatore, Concilii Conſtantienſis conciliatore* auguſtiſſimo. *f.* 103.

De *Simonia & Indulgentiarum venundatione* in Conc. Conſt. *tollenda. f.* 105. *ſeqq.*

De *Faſtu Prælatorum* ope Concilii Conſt. per Sigismundum temperando. *f.* 108. *ſeqq.*

Reſpectui perſonarum & *injuſtæ inter imperitos Eccleſiaſticorum officiorum diſtributioni metam* à Sigismundo iri poſitum. *f.* 112. *ſeqq.*

De *tyrannide Prælatorum* ope Conc. Conſt. *mulctanda. f.* 113.

De *Sigismundi Imperatoris Majeſtate.* De *Epiſcoporum Germaniæ ſingulari jure.* De *Epiſcopis Italiæ*, ut & utrorumqve differentia. *f.* 115.

De dogmatibus *Wicleſi*, *Huſſi & Hieronymi Pragenſis. f.* 120. *ſeqq.*

De *Conrado Smet*, in oppido Thuringiæ Sangerhuſen, ejusqve novis dogmatibus ante Concilium Coſtantienſe. *f.* 127. *ſeqq.*

Digitized by Google

Lib. V. De prægrandibus obſtaculis in Conſtantienſi Concilio emendationi Eccleſiæ oppoſitis. *f.* 132.-147.

De illius temporis auguriis, pacem ac reformationem Eccleſiæ in Concilio Conſt. vix ex voto ſucceſſarum. Deqve electione Gregorii XII. *f.* 134.

Epiſtola Gregorii ad Benedictum XIII. ſeu Petrum de Luna, de unione ſanciendа. *f.* 134.

Literæ Gregorii ad Rupertum Imp. & Anti-Card. Petri de Luna; de unione. *f.* 136.

Epiſtola Benedicti XIII. ad Paulum de Urſinis, de Unione ſarcienda. *f.* 137.

Epiſtola reſponſoria Benedicti XIII. ad Gregorium XII. pro reparanda unione. *f.* 138.

Epiſtola Petri de Luna ad Cardinales Gregorii: & Cardinalium Petri de Luna ad Cardinales Gregorii, de unione redintegranda. *f.* 140.

De conſtituta Synodo Gregorii XII. & Benedicti XIII. in urbe Savona. Deqve Gregorii XII. excuſatione aut tergiverſatione. *f.* 142.

Epiſtola Benedicti XIII. ad Gregorium XII. qva ob tergiverſationem Gregorium corripit. *f.* 144.

Metuitur de Concilio Conſtantienſi, ut qvid in eo fiat, aut concludatur de unione ac reformatione. *f.* 145.

De [illegible] *Concilii* [illegible] in qvo pro uno Papa conſtituendo tria emerſere capita. *f.* 146. *ſeqq.*

Lib. VI. De rebus arduis *in Concilio Conſtantienſi* geſtis. *f.* 150-175.

De allucente *ſpe emendationis ac reformationis publicæ in Concilio Conſtantienſi.* f. 150.

De ſpe felicioris *eventus Concilii Conſtant.* ratione unionis, quam in Concilio Piſano. f. 152.

De Concilio Conſtantienſi per Imperatorem Sigismundum & Johannem XXIII. Papam rite & prudenter convocato. f. 153.

De *Pompa Johannis XXIII.* Papæ, & *Majeſtate ac ſagacitate Imperatoris Sigismundi,* Conſtantiam ad Concilium venientium. f. 154.

De *Electoribus, Ducibus, ArchiEpiſcopis, Epiſcopis, Patriarchis,* cum infinito *nobilium ac doctorum numero ad Concilium Conſt. confluentibus. f.* 155.

De Præclaro *ordine Conc. Conſt. in quatuor dein quinque nationes diſtributi. f.* 158.

Quomodo *Papa Johannes* XXIII. obtulerit *ceſſionem Papatus ſui* in Concilio Conſt. f. 159.

De Imperatoris Conſtantinopolitani & Eccleſiæ Græcæ Legatis ad Concilium Conſtant. f. 162.

De Proteſtatione *Gregorii XII. apud Regem Romanorum,* qui paratus ſit ad probanda omnia pacis ac unionis media. f. 163.

De abdicatione Gregorii XII. ſpontanea à Papatu, & Cardinalitia poſt eam dignitate. f. 166.

De damnatis in Concilio Conſt. *dogmatibus Johannis Hus & Hieronymi Pragenſis, Johannis Parvi,* Theologi Pariſienſis. f. 170.

De Hieronymi Pragenſis recantatione in Concilio Conſtantienſi. f. 171.

Lib. VII. De periculis, cauſis dubiis ac ancipitibus, in Concilio Conſtantienſi obviis. f. 175-193.

De *Johanne XXIII.* qui poſt reſignationem turpi *fuga ſalutem quæſivit,* priſtinam dignitatem Papalem affectans. f. 178.

De *auxilio Ducis Auſtriæ* Friderici, Joh. XXIII. à Concilio *fugienti lato.* f. 179.

De *Joh. Hus,* qui ab incendio pro Martyre ab aſſeclis in Bohemia cultus. f. 180

De *Hieronymo Pragenſi,* ſuam *Revocationem* in Concilio factam in Concilio iterum *retractante.* f. 182.

De

De expectati in Concilio Conſt. *Regis Arragonum* Ferdinandi *obitu*: & de *legatis ejus* moras nectentibus. f. 183.
De *Petri de Luna* ſ. Benedicti XIII. Concilium Conſt. eludendi *artibus*. f. 185.
De *Sigiſmundo Imperatore* à Conc. Conſt. *in Galliam & Angliam* digreſſo, pacis conciliandæ gratia. f. 188.
Lugubre Carmen Eccleſiæ in *abſentem à Concilio Regem Sigiſmundum*, pacis reſtaurandæ cauſa in Galliam & Angliam digreſſum. f. 191.
De *diſcordia, inter Cardinales* & alios *nationum Prælatos* in Concilio Conſtantienſi ſuborta. f. 193.

Lib. VIII. De difficillimis ac intricatiſſimis quibusdam negotiis, in Concilio Conſtantienſi tandem compoſitis & confectis. f. 194–221.
De *Johanne* XXIII. Pontifice in Concilio Conſtantienſi à ſede Papali deturbato ac dejecto ejusque *miſeris fatis*. f. 196.
De *Friderici* Auſtriæ Ducis, profugi ac exautorati Papæ Johannis XXIII. infelicis protectoris, *adverſa fortuna*. f. 197.
De ſupplicio, animoſitate ac *devotione Hieronymi Pragenſis* in Conc. Conſt. *exuſti*. *f.* 200. *ſeq.*
De impenſo *Alphonſi, Arragoniæ Regis*, in pacem ac unionem ſtudio, ejusque miſſis ad Concilium Conſtantienſe *legatis*. f. 202.
De *Petri de Luna* ſ. Benedicti XIII, *artibus*, fraudibus, ac miſera conditione. f. 204.
De *Petri de Luna* incorrigibili *pertinacia*, qui ad Papatus reſignationem nullo modo adduci potuerit. f. 207.
Petrus de Luna ad generale Concilium Conſtantienſe per edictum Concilii publicum *citatus*. f. 210. *ſeq.*
Petrus de Luna contumax in Conc. Conſt. à ſede Papali *dejectus*. f. 213.
De *Sigismundo Imperatore*, ex periculoſo itinere Hiſpanico, Gallico & Anglico, ad Conſt. Conc. *reverſo*. Ejus in Eccleſ. & publicam tranquillitatem meritis. Et ex Eo magna Reformationis ſpe. f. 214.
De tribus Pontificibus, de Papali ſede contendentibus, in Conſt. Concilio per Sigismundum debellatis. f. 218.
De ultimis Concilii Conſtantienſis deſideriis, prius reformationem totius Eccleſiaſtici ſtatus ſuſcipiendam, dein novum Pontificem eligendum eſſe. f. 220.
De electo tandem novo Pontifice Martino V. f. 220.
Sic clauditur opus Vriano carmine, in laudem Sigismundi Imperatoris. f. 221.
Vita Autoris, *Theoderici Vrie*, *f.* 222. *ſeqq.*
Quem *Germaniæ*, ipſique *Weſtphaliæ*, & *Oſnabrugenſi* quidem Auguſtinianorum Monaſterio reddidimus ac vindicavimus ſupra in *Prolegomenis*, Cap. XIV. f. 23-26.

Pars II.

NICOLAI CLEMANGII, Theologi Galli, Concilii Conſt. tempore clari, *Vota pacis ac emendationis in Conſt. Concilio quæſitæ. Ex MSC. Wolfenb.*
Præfatio refert *fata Wallenrodianæ hiſtoriæ Concilii Conſt.* quæ incendio hoc ſeculo periit. Quam in rem exhibentur *Epiſtolæ* Generoſiſſimi Dni. *Johannis Erneſti à Wallenrod.*
Cap. I. De ardentibus Clemangii Votis, pro auxilio in publica Eccleſiæ *calamitate, ante Concilium Conſtantienſe* per Eccleſiaſticos excitata, à CAROLO VI. Gallorum Rege quaſſatæ Eccleſiæ ferendo. f. 1–9.

CAP. II

CAP. II. De acribus CLEMANGII calcaribus, BENEDICTO XIII. ſ. Petro de Luna, Pontifici recens in Gallia creato additis, quibus eum ad *tranquillitatem publicam* conciliandam & *mores Eccleſiaſticorum corruptos emendandos* incitavit. f. 10-28.

CAP. III. De Publicis & impenſis CLEMANGII deſideriis, *generale Concilium Conſtantienſe rite inſtruendi*, ac abſque affectuum intemperie *gubernandi*, ad *pacem publicam* in Eccleſia conſequendam & *morum reformationem* obtinendam, f. 29-35.

CAP. IV. De calidis CLEMANGII lacrymis, quibus ipſum *Conſtantienſe Concilium devote obſecrat*, injectis Synodo variis impedimentis *ab inſtituto bono ne abſtrahi ſe ſinant*; additis ad *perſeverantiam* impenſis precibus. f. 36-42.

CAP. V. De graviſſimis CLEMANGII monitis, legitimum ac *decentem* ſanciendi, *decernendi* ac definiendi, conſtitutionesque in Eccleſia formandi *modum in Conſtantienſi Concilio* eſſe obſervandum, *neq; citra autoritatem Scripturæ S. & abſque ratione quidquam Eccleſiæ præſcribendum. Reformationem* inprimis *Eccleſiæ univerſalem* ante novi Pontificis electionem *præcedere* debere. f. 43-70.

Vita Autoris, CLEMANGII, ad illuſtranda Concilii Conſt. tempora atq; fata. f. 71. ſeq.

PARS. III.

NICOLAI CLEMANGII Opuſculum *De Ruina Eccleſiæ circa tempora Concilii Conſtantienſis.* Ex MSCtis Helmſtadienſibus.

Præf. De deperditis MSCt. Actorum Concilii Conſt. Eccleſiæ Andreanæ Brunſvicenſis. Et de Operis Clemangiani fatis.

CAP. I. Cauſa primitivæ *fundationis* & dotationis *Eccleſiarum* & *monaſteriorum*. Ac de priſcorum Eccleſiæ miniſtrorum virtute, devotione, & *αὐταρκείᾳ*. f. 1-4.

C. II. De *inſolentia*, orta *ex affluentia* rerum temporalium in Eccleſia. f. 5.

C. III. De *tribus Vitiis, luxu, faſtu, & cupiditate*, ex quibus cætera mala orta ſint *in Eccleſia*. f. 7.

C. IV. De exorbitantiis, per ſummos Pontifices in Eccleſia introductis, f. 8.

C. V. De legitima Eccleſiaſticorum electione ſublata, & priſtina Papali Reſervatione beneficiorum ſacrorum. f. 8. 9.

C. VI. De *Camera* Apoſtolica, f. 9.

C. VII. De Gratiis *Expectativis*, & refugio ad curiam Romanam pro impetrandis officiis Eccleſiaſticis. f. 10.

C. VIII. De Vacantiis, & aliis vectigalibus, Eccleſiam opprimentibus. f. 11.

C. IX. De inſtitutione *Collectorum*, & malis per eos illatis. f. 12.

C. X. De *litigiis* Curiæ Romanæ. f. 13.

C. XI. De Regulis & Conſtitutionibus *Cancellariæ*. f. 13.

C. XII. De proſperitate curiæ Romanæ. f. 14.

C. XIII. De ſtatu & introductione *Cardinalium*. f. 15.

C. XIV. De multitudine *beneficiorum* Cardinalium & eorum *incompatibilitate*. f. 16.

C. XV. De Contractibus *Simoniacis* Cardinalium. f. 18.

C. XVI. De Eccleſiis Cardinalium neglectis. f. 18.

C. XVII. De Simoniacis interceſſionibus apud Papam, aliisque vitiis Cardinalium. f. 18.

C. XVIII. De *promotionibus, ad inſtantiam Principum per Papam* ſolitis fieri. f. 19.

C. XIX. Quod congregatio pecuniæ ſit præcipua cura prædictorum Prælatorum. f. 22.

C. XX. De vitiis Prælatorum. f. 22.

C. XXI. De *Promotoribus* jurisdictionis Epiſcoporum, & eorum abuſibus. f. 23.

C. XXII. De exactionibus pro Concubinis tolerandis. f. 24.

C. XXIII. De Collatione Simoniaca ſacrorum ordinum. f. 25.
C. XXIV. De indignis & indigne promotis ad ſacerdotium. f. 26.
C. XXV. De perpetua abſentia Prælatorum ab Eccleſiis ſuis. f. 26.
C. XXVI. De Prælatis in curiis Principum reſidentibus. f. 27.
C. XXVII. Quod tales Prælati mercenarii dicendi ſint. f. 29.
C. XXVIII. Quod utilior ſit talium Prælatorum abſentia à ſuis Eccleſiis quam præſentia. f. 30.
C. XXIX. De Capitulis & Canonicis. f. 31.
C. XXX. De Pace & fraternitate Canonicorum. f. 32.
C. XXXI. De cauſa Exemptionum, pro correctione vitanda. f. 32.
C. XXXII. De vita & moribus Monachorum, profeſſioni eorum repugnantibus. f. 33.
C. XXXIII. De Mendicantibus & de eorum vana jactatione & gloria. f. 34.
C. XXXIV. De jactata vana *Perfectione* Monachorum Mendicantium. f. 35.
C. XXXV. Quod *humilitas* ſit fundamentum perfectionis. f. 36.
C. XXXVI. De impudica vita & converſatione *Monialium*. f. 37.
C. XXXVII. Comparatio *morum* modernorum cum moribus priſcorum Patrũ. f. 39.
C. XXXVIII. Oratio Autoris, Clemangii, ad DEUM, pro emendatione. f. 40.
C. XXXIX. Excuſatio Autoris, quod *generali deſolatione Eccleſiæ*, occaſione Eccleſiaſticorum, non omnes velit intelligi, cum *aliqui boni* ſuperſint. f. 41.
C. XL. Quare de *bonis Viris* autor ſileat. f. 41.
C. XLI. Quod ſtatus Eccleſiaſticus merito patiatur. f. 42.
C. XLII. Quod Eccleſiaſticus ſtatus propter *ſuperbiam* tendat ad ruinam. f. 43. *ſeqq.*
C. XLIII. Quod Eccleſia prius humilianda ſit quam erigenda. f. 47.
C. XLIV. Quod ſchiſma fuerit initium deſolationis Eccleſiæ. f. 49.
C. XLV. Quod propter abominationem tantam adverſis Eccleſia obruenda ſit. f. 50.
Cap. XLVI. Si Eccleſia florere debeat, quod neceſſaria ſit *in omni ſtatu Eccleſiæ morum reformatio.* f. 50.
Devota Oratio Clemangii pro *ſalutari fructu reformationis* conſequendæ. f. 51.

PARS IV.

JOHANNIS GERSONIS, Theologi Galli, & Academiæ Pariſienſis Cancellarii, ac Regii ad Concilium Conſt. Legati, Opus in Conſtantienſi Concilio ſcriptum, *De Simonia abolenda Conſtantienſis Concilii ope.* Ex MSC. Noribergenſi.
Præfatio, De Statu Eccleſiæ ſub Bonifacio IX. & Joh. 23. eorumque artibus Simoniacis.
C. I. Quæ ſit Simonia. f. 1.
C. II. De legitimis ac illegitimis functionum Eccleſiaſticarum & ſalariorum generibus. ib.
Officium ſacrum & ſalarium optime ſimul conſiſtere. ib.
Actualem officii ſacri adminiſtrationem differre ab officio civili, ratione finis. f. 2.
Officium Eccleſiaſticum eſſe negotium ſpirituale. ib.
Beneficium deberi pro officio Eccleſiaſtico. f. 3.
Eſſe Simoniam, jure divino. f. 4
Et Papæ deberi beneficium pro officio ſuo Eccleſiaſtico. f. 5.
Nec officium nec beneficium Eccleſiaſticum poſſe vendi. f. 5.
C. III. Objectiones, pro Papæ immunitate à Simonia in recipiendis primis fructibus & annatis. f. 5.
1. Ab exemplo Sacerdotum V. T. quibus decimæ decimarum à Levitis datæ. f. 6.

2. Ab

2. Ab exemplo Canonicorum, qui pecuniam prænumeratam accipiant. f. 6.
3. Ab exemplo Prælatorum. f. 6.
4. A variis penſionum annuarum exemplis. f. 6.
5. A probabiliter bona longa Eccleſiæ conſvetudine. f. 6.
6. Ab indignorum Eccleſiaſticorum incredibili alias multitudine. f. 6.
7. A defectu remedii jam reliqui. f. 7.
C. *IV. Reſponſiones* ad objectiones ſuperiores. f. 8.
1. Solutio *primi dubii*, petiti à decimis Levitarum V. T. f. 8.
2. Ad exemplum Canonicorum. f. 8.
3. Ad exemplum Prælatorum. f. 9.
4. Ad penſionum annuarum exempla. f. 10.
5. Ad longam Eccleſiæ conſvetudinem. f. 10.
6. Ad periculum, nullum Eccleſiaſticum à Simonia poſſe excuſari. f. 10.
7. Ad querelam de defectu remedii. f. 10.
C. *V.* De variis Simoniæ conditionibus, gradibus, effectibus, nec non remediis. f. 12.
De Papæ Simonia. f. 13.
De promotis à Papa per Simoniam. f. 14.
De promotis à Prælatis per Simoniam. f. 14.
De mala quoque Simoniæ ſpecie cavenda. f. 14.
De Simoniæ correctione, per mentis atq; intentionis emendationem. f. 15.
De *remedio in Concilio Conſtantienſi quæſito*, pro abſolvendis Simoniacis dudum factis. f. 16.
De *præſervatione* contra Simoniam, *in Concilio Conſtantienſi quæſita*. f. 17.
C. *VI* De commoda Simoniæ & Simoniacorum *reformatione*. f. 18. 19.
C. *VII.* Succincta repetitio doctrinæ ſuperioris de Simonia. f. 20.
Vita Autoris, JOHANNIS GERSONIS, Regii in Conſtantieſi Concilio legati. f. 26. - 57.

PARS V.

JOHANNIS GERSONIS opus *De Modis Uniendi ac Reformandi Eccleſiam in Concilio univerſali*, ad Petrum de Alliaco, Epiſcopum, mox Cardinalem Cameracenſem, proxime ante Concilium Conſtant. A. 1410. ſcriptum. Ex MSC. Helmſt.

C. *I.* De publica Eccleſiæ miſeria circa tempora Concilii Conſt. f. 68.
C. *II.* De unitate Eccleſiæ: Deqve Eccleſiæ diſtinctione in Catholicam & Romanam. f. 69. 70.
C. *III.* De univerſalis Eccleſiæ unione conſervanda. f. 71. 72.
C. *IV.* De imminente Concilio Generali, qvod Conſtantiæ congregatum. f. 73.
C. *V.* De Pontificis Romani autoritate atqve poteſtate. f. 74. *ſeqq.*
C. *VI.* De modis loco trium Pontificum malorum eligendi bonum in Concilio univerſali Conſtantienſi. f. 81. *ſeq.*
C. *VII.* De membris univerſalis Eccleſiæ reduniendis. f. 84.
C. *VIII.* De jure univerſale Concilium convocandi. f. 85. 86.
C. *IX.* De autoritate Concilii univerſalis ſupra Papam. f. 87.
C. *X.* De De Reformatione morum in Eccleſia per Concilium univerſale. f. 89.
C. *XI.* De magna difficultate illius generalis Concilii convocandi per Cardinales. f. 93.
C. *XII.* De grandi Reformationis difficultate. f. 95.
C. *XIII.* Obſtacula Concilii generalis per Papam Johannem XXIII. convocandi. f. 95. *ſeq.*
C. *XIV.* De ſumma Romanorum Imperatoris autoritate Concilium univerſale cogendi cunctaque optime componendi. f. 98. 99. 100. *ſeqq.*

C. XV. De Epiſcoporum jure, poſt Imperatorem, Concilium generale congregandi. f. 103.
C. XVI. De Johanne XXIII. in Concilio generali ſede movendo. f. 104. 105.
C. XVII. De limitibus Reformationis in Concilio univerſali, quod erat Conſtantienſe. f. 107.
C. XIIX. Solvuntur dubia, à Johanne XXIII. Generali Concilio objecta. f. 111.
C. XIX. Concilium Generale novum, Conſtantienſe, aptius eſſe ad reformationem qvam Piſanum. f. 113.
C. XX. Confirmatur Jus Imperatoris ac Principum in convocando Concilio univerſali, & publica ſuſcipienda Eccleſiæ emendatione. f. 115.
C. XXI. Si Imperium Romanum vacet, cujus ſit jus convocandi Concilium univerſale. f. 118.
C. XXII. Solvuntur dubia, qvæ obſtarent, quo minus novus Imperator eligendus poſſet Concilium congregare. f. 120.
C. XXIII. Acris cenſura pecuniariarum Papæ Conſtitutionum *in genere*, circa tempora Concilii Conſt. f. 122. *ſeqq.*
C. XXIV. Graves ſtricturæ in novas illo tempore conſtitutiones pecuniarias Alexandri V. & Johannis XXIII. f. 125. *& ſeqq.*
C. XXV. Corruptiſſimos Eccleſiaſticorum mores ex Eccleſia prorſus eſſe eliminandos. f. 129.
C. XXVI. Non eſſe eligendum novum Papam ex tribus remotis, nec ex collegio Cardinalium, ante Concilium Conſt. exiſtentium. f. 131.
C. XXVII. De Romani Imperii damnis ex corruptis Pontificibus. f. 132.
C. XXVIII. De titulo Papali, *ſervus ſervorum Dei*, magnaqve dominandi libidine. f. 136.
C. XXIX. De ominoſo Papæ ſigillo, in qvo duo capita, Pauli & Petri. f. 137.
C. XXX. Summa Capita *Reformationis*, in Concilio Conſtantienſi ſuſcipiendæ. f. 141.
His adjecta COMMENTATIUNCULA De Emendationis Eccleſiaſticæ diſciplinæ, à Gerſone deſideratæ, publicis olim fatis in Germania, ſub *Sigismundo, Alberto, Friderico III. & Maximiliano* Imperatoribus. f. 143.
C. I. De Conſiliis Gerſonianis, in Germanos transferendam eſſe Emendationis Eccleſiaſticæ operam, & per Romanorum IMPERATOREM conficiendam. f. 143.
C. II. De initiis communis Eccleſiaſticæ reformationis, in GERMANIA à SIGISMUNDO IMPERATORE ex voto Gerſonis ſuſceptæ: Quo fine primum in Germania Concilium Univerſale Conſtantiæ congregatum. f. 147.
C. III. De primis impedimentis & in Germania in ipſo Conſtantienſi Concilio Reformationi adornandæ objectis. f. 149.
C. IV. De EBERHARDI Archi-Epiſcopi Salzburgenſis Provinciali Concilio, pro reformandis moribus in ſuis Eccleſiis. f. 161.
C. V. De THEODERICI Archi-Epiſcopi Colonienſis, Electoris Imperii, Provinciali Concilio, pro Reformatione morum in ſuis Eccleſiis. f. 163.
C. VI. De OTTONIS, ArchiEpiſcopi Trevirenſis, Electoris Imperii, Provinciali Concilio pro Eccleſiaſtica Reformatione in ſuis ditionibus. f. 163.
C. VII. De JOHANNIS vel CONRADI Archi-Epiſcopi Moguntinenſis, Electoris Imperii, Synodo Provinciali, pro Eccleſiarum ſuarum Reformatione. A. 1423. f. 165.
C. VIII. De interdictis à MARTINO V. Germanicæ Nationi Conciliis Nationalibus pro Reformatione Eccleſiæ, Conſtantiæ & Senis quæſita. A. 1424. f. 165.
C. IX. De Continuato in Germania univerſalis Reformationis negotio per SIGIS-

GISMUNDUM & ALBERTUM, Imperatores, aliosque Principes, in ſecundo Concilio Univerſali, in Germania, Baſileæ congregato, A. 1431. f. 167.

C. X. De Comitiis Moguntinenſibus, Anno 1440, & Comitiis Francofurtenſibus, A. 1442. pro reformanda diſciplina Eccleſiaſtica ſub FRIDERICO III. Imperatore. *f.* 172.

C. XI. De Interim Eugeniano, ſive Conventione, inter FRIDERICUM III. IMPERATOREM nomine nationis Germanicæ & EUGENIUM IV. inita, pro Reformationis Eccleſiaſticæ ſtatutis, in Baſileenſi Concilio factis, in Germania poſthac ſervandis. A. 1446. f. 173.

C. XII. De tranſactione Nicolaitana, ſive Concordia inita inter FRIDERICUM III. Imperatorem nomine Germanicæ nationis & NICOLAUM V. de Reformatione Eccleſiaſtica per Germaniam. A. 1447. & 1448. f. 178.

C. XIII. De novis Principum Germanorum qverelis, ob Reformationis Baſileenſis ac Concordatorum momenta Romæ neglecta, & nova Eccleſiarum Germanicarum onera à Calixto III. denuo impoſita. A. 1457. f. 181.

C. XIV. De Aſtu Sylviano, ſive impenſo illo apud Germanos deſiderio novi Concilii Univerſalis ad Reformandam Eccleſiam, eluſo per Æneam Sylvium Cardinalem. 1457. & 1458. f. 183.

C. XV. De Repetitis Germanorum Principum deſideriis, qvi Concilium Univerſale novum & in eo Eccleſiaſtici regiminis emendationem poſcerent. A. 1461. f. 211.

C. XVI. De reſtitutis publice Regulis Cancellariæ Rom. de qvibus reformandis tanto cum apparatu & tam longo tempore ex voto Gerſonis in Concilio Conſt. ac Baſileenſi inter Germanos erat actum. A. 1484. f. 211.

C. XVII. De Imperatoris Maximiliani ardentibus pro univerſali Reformatione Eccleſiaſtica votis. A. 1510. f. 215.

C. XVIII. De reſuſcitata Reformatione Eccleſiaſtica, Concordatorum nomine à NICOLAO V. olim determinata. A. 1513. f. 227.

C. XIX. De publica Wimphelingiana reſponſione ad librum Æneæ Sylvii contra Reformationem Eccleſiaſticam à Germanis anxie expetitam. A. 1515. f. 228.

C. XX. Brevis ſeries fatorum Reformationis Gerſonianæ in Germania. f. 239.

PARS VI.

PETRI DE ALLIACO, Epiſcopi, mox Cardinalis Cameracenſis, opuſculum *De Difficultate Reformationis in Concilio Univerſali.* Ad Gerſonem proxime ante Concilium Conſt. A. 1410. ſcriptum. Ex Manuſcripto Helmſtadienſi.

In *Præfatione* recenſetur inter alia Argumentum Orationis Gerſonianæ, circa illud tempus habitæ, *De Inferioris Eccleſiaſtici ſtatus defectibus & medicina adhibenda. f.* 249. *ſeqq.*

CAP. I. De Difficultate Concilii Univerſalis per Romanorum Imperatorem illo tempore convocandi, qvo Imperium vacabat, haud longe ante Concilium Conſtantienſe. f. 255.

C. II. De pecuniariis conſtitutionibus Johannis 23. qvæ Eccleſias onerarent. f. 256. *ſeqq.*

C. III. De magnis dubiis, Gerſoni objectis, de Papa extra Cardinalium collegium eligendo, & ſic eccleſia reformanda. f. 260.

C. IV. Scrupulus de Concilio Univerſali intermittendo. f. 262.

C. V. Novi ſcrupuli de Conſtitutionibus pecuniariis Johannis XXIII. f. 263.

C. VI. Imperatorem unionem Eccleſiæ difficulter paraturum, manente Johanne XXIII. f. 226.

Digitized by Google

C. VII. De duobus reliqvis Pontificibus, Gregorio XII. & Benedicto XIII. ad generale Concilium, qvod Conſtantiæ mox coactum, citandis. f. 267.
C. VIII. De tuto loco Concilii Univerſalis. f. 267. *ſeq.*

Pars VII.

Petri de Alliaco, rectius THEODORICI DE NIEM (ut notavimus f. 484.) *Monita de Neceſſitate Reformationis Eccleſiaſticæ in capite & in membris*, in principio Conſtantienſis Concilii conſignata. Ex MSCto Cæſareo Vindobonenſi.

CAP. I. De corrupto Eccleſiæ ſtatu circa tempora Concilii Conſtantienſis. f. 277.
C. II. De tribus Pontificibus, Gregorio XII. Benedicto XIII. Johanne XXIII. in Concilio Conſtantienſi removendis, ac bono aliquo ſubſtituendo. f. 278.
C. III. De Reſervationibus Papalibus in Concilio Conſt. abolendis. f. 280.
C. IV. Adſtringendum eſſe novam Papam ad ſervanda Concilii Conſt. decreta. f. 281.
C. V. De regimine terrarum Papalium, non per Nepotes & Conſangvineos, ſed alios deputatos tenendo. f. 281.
C. VI. Reſervationibus Papalibus ſubtrahi veris Eccleſiarum Patronis jus patronatus. f. 282.
C. VII. Damna in Romanam curiam ex Reſervationibus Bonifacii IX. illata. f. 283.
C. VIII. De Simonia curiæ Rom. f. 284.
C. IX. De multis aliis Reſervationum Papalium damnis. f. 285.
C. X. De Origine Reſervationum Papalium & incremento. f. 288.
C. XI. De officio ordinariorum Collatorum. f. 289.
C. XII. De Epiſcopis titularibus olim in Germania exiſtentibus. f. 290.
C. XIII. De Imperatore per Papam juvando. f. 291.
C. XIV. De converſis Principibus Turcis & Paganis juramento obſtringendis. f. 293.
C. XV. De Expeditione in Palæſtinam ad purgandam Italiam. f. 293.
C. XVI. De freqventandis Conciliis Provincialibus in Germania. f. 293.
C. XVII. De Epiſcopis Germanorum conſecrandis. f. 294.
C. XIIX. De gratiis Expectativis Papalibus revocandis. f. 294.
C. XIX. De Diſpenſationibus Papalibus circa officia ſacra repudiandis. f. 295.
C. XX. De alienationibus Eccleſiaſticorum bonorum per Papam factis. f. 296.
C. XXI. De Commendis revocandis. f. 296.
C. XXII. De Epiſcopis infirmis Coadjutore ſublevandis. f. 297.
C. XXIII. De tribus Pontificibus per Imperatorem ſede movendis. f. 297. *ſeqq.*
C. XXIV. De Reformatione Curiæ Rom. in Concilio Conſt. f. 301.
C. XXV. De neglectis magnis Eccleſiæ univerſalis reformandæ promiſſis; in Concilio Piſano factis. f. 302.
C. XXVI. De Johannis XXIII. nimia apud Pariſienſes benevolentiæ captatione. f. 305.
C. XXVII. De callidis Johannis XXIII. artibus, ſacrorum officiorum emtores emungendi. f. 305.
C. XXVIII. Johannem XXIII. ſuis Simoniacis artibus anſam dediſſe Huſſo ad oppugnandum ſedem Romanam. f. 306.
C. XXIX. Huſſiticam ſectam ſine Reformatione curiæ Rom. deleri non poſſe. f. 307.
C. XXX. Impenſiſſimum deſiderium reformandæ curiæ Rom. f. 308.
Theodorici Niemii judicium de Papa Johanne XXIII. quod pro vero Papa non ſit habendus: Deq; boni Papæ characteribus ac virtutibus. f. 286.

Since-

Sincera conteſtatio Alliaci, aut rectius *Theoderici a Niem*, de impenſo ſuo publicæ rei, ſacræ & civili, in Eccleſia & Imperio, optime conſulendi ſtudio. f. 389.

De Romanorum Imperatoris Majeſtate ſupremoqve jure. f. 389.

De Exactionibus quibus Johannes XXIII. Eccleſias ſuo tempore nimium onerabat. f. 393.

Repetitum *Niemii* Conſilium, Reipublicæ Præſidibus ſuo tempore datum, & in Conſtantienſi Concilio ſancte obſervatum, de Johanne XXIII. Eccleſiæ nimis oneroſo, ſede movendo. f. 395. *ſeq.*

PARS VIII.

PETRI DE ALLIACO, Cardinalis Cameracenſis, *Canones Reformationis Eccleſiæ, in Conſtantienſi Concilio ſuſcipiendæ.* Scripti in Conſt. Concilio. Ex MSC. Cæſareo Vindobonenſi.

In Præfatione *argumentum* exhibetur variarum *Orationum* hujus Cardinalis, quas in Conſt. Concilio *de Eccleſiaſtica emendatione* habuit. f. 403.

Præfatio Cardinalis de corruptione Eccleſiæ circa tempora Concilii Conſtantienſis, Reformationisqve neceſſitate. f. 409.

Cap. I. De Reformatione totius corporis univerſalis Eccleſiæ. De celebrandis Conciliis generalibus ac Provincialibus. f. 410. *ſeqq.*

C. II. De Reformatione Capitis Eccleſiæ, ſive ſtatus Papalis & Romanæ olim curiæ. De Cardinalium ſelectu. De Exactionibus Johannis XXIII. De Excommunicationibus. f. 414. *ſeqq.*

C. III. De Reformatione majorum Prælatorum. De Epiſcoporum ſcientia & virtutibus. De viſitatione in Conciliis provincialibus. f. 418. *ſeqq.*

C. IV. De Reformatione ſtatus Religioſorum ac Monachorum & Monialium. f. 422. *ſeqq.*

C. V. De Reformatione inferiorum Eccleſiaſticorum. De eorum ſcientia & moribus. De gradibus Academicis. Deqve Eccleſiarum Bibliothecis. f. 426.

C. VI. De Reformatione Laicorum Chriſtianorum. De Principum in Eccleſiam reformandam ſtudio atqve obligatione. f. 429. *ſeqq.*

Addita his Oratio integra PETRI de ALLIACO, Cardinalis Cameracenſis, Conſtantiæ in Concilio Generali ſolenniter habita A. 1417. De officio IMPERATORIS, PAPÆ, Reliqvorumqve Membrorum Concilii Conſtantienſis, pro Emendatione Eccleſiæ. f. 436. *ſeqq.*

Vita Autoris, PETRI DE ALLIACO, Cardinalis Cameracenſis. Qvi cum magna Concilii Conſtantienſis pars fuerit, ejus vita ac genius rebus geſtis plurimam affundunt lucem. f. 450-487.

PARS IX.

Anonymi, ut apparet FRANCISCI DE ZABARELLIS, Cardinalis Florentini, in Concilio Conſt. eminentis, inqve eodem defuncti, *Capita agendorum in Concilio Generali Conſtantienſi de Eccleſiæ reformatione.* Ex MSC. Cæſareo Vindobonenſi.

In Præf. ſiſtitur breve Argumentum *Speculi aurei*, à ſcriptore Anglo, haud longe ante Conſt. Concilium editi, *De beneficiis ſacris.* f. 493. *ſeq.*

Cap. I. De fide Catholica & hæreſibus. f. 506.

C. II. De qvorumlibet dubiis in Theologia & in jure, in Conſtantienſi Concilio decidendis. f. 506.

C. III.

Digitized by Google

C. III. De reduniendis Græcis cum Eccleſia Latina. f. 507.
C. IV. De præſenti tunc trium Paparum ſchismate: Et de proviſione adverſus futura, ne ſimilia eveniant: Et de remediis eorundem. f. 507. *ſeqq.*
C. V. De cultu Dei & officio Eccleſiaſtico. f. 513.
C. VI. De ſtatu & poteſtate Romani Pontificis, & illius electione. f. 514.
C. VII. De ſtatu & officio Cardinalium, & illorum aſſumptione. f. 515.
C. VIII. De ſtatu Romanæ Curiæ. f. 516.
C. IX. De toto ſtatu Eccleſiaſtico in genere. f. 517. *ſeqq.*
C. X. De Prælatis & Clericis *ordinandis*. f. 523.
C. XI. Quod Prælati & beneficiati in Eccleſiis ſuis ſint præſentes, & *ſua officia exequantur:* Et de diſpenſationibus ſuper præmiſſis. f. 524.
C. XII. De *Vita & honeſtate Clericorum* & religioſorum, & de illorum exceſſibus corrigendis. f. 525.
C. XIII. De Viſitationibus. f. 525.
C. XIV. De Synodis generalibus. f. 527.
C. XV. De Synodis provincialibus & diœceſanorum. f. 527.
C. XVI. De exemtionibus revocandis. f. 528.
C. XVII. De cenſuris Eccleſiaſticis, & irregularitate. f. 529.
Vita FRANCISCI ZABARELLÆ, eleganti oratione JOHANNIS FRANCISCI POGGII FLORENTINI, Clariſſimi in Concilio Conſtant. Oratoris, in laudato Concilio A. M CCCC XVII. in Cardinalis funere deſcripta. f. 537. - 546.
Alia Oratio Encomiaſtica ANONYMI, in Exeqvis FRANCISCI ZABARELLÆ, Cardinalis Florentini A. 1417. Conſtantiæ in Concilio dicta. Ex MSCto Lipſienſi. f. 546. *ſeqq.*

PARS X.

Illuſtris COLLEGII REFORMATORUM CONSTANTIENSIUM *De Eccleſiaſticæ diſciplinæ Reformatione Statuta.* Sive *Geminum Reformatorii Conſtantienſis Protocollum.* Ex MSC. Cæſareo Vindobonenſi.

In *Præfatione* fuſius *de Reformatorii illius Conſtantienſis fatis* agitur. f. 556. *ſeqq.*
C. I. De conciliis generalibus, & adverſus futura ſchismata. f. 583.
CAP. II. De Profeſſione Bonifacii VIII. per eligendos novos Pontifices ſummos præſtanda. Deque aliis vinculis. f. 587.
Cap. III. De gravibus & arduis per Papam non faciendis, niſi cum Cardinalium conſilio & conſenſu. f. 588. *ſeqq.*
C. IV. Contra Simoniacos. f. 592.
C. V. De numero & modo aſſumptionis Cardinalium: Et de qualitate aſſumendorum. f. 594.
C. VI. Quod Papa etiam pro alio crimine quam hæreſi, ſi notorie ſcandalizet Eccleſiam, poſſit deponi. f. 595.
C. VII. De Reformatione Curiæ & officialium ejus. f. 596. *ſeqq.*
C. VIII. De ſpoliis prælatorum, de procurationibus, de fructibus medii temporis, nec per Papam nec inferiores Prælatos capiendis. f. 610.
C. IX. Quod electiones & proviſiones de cetero non fiant per preces. f. 612.
C. X. De non diſpenſando cum promotis ad Epiſcopatus vel Abbatiam, qui non teneantur promoveri ad ſacros ordines. f. 614.
C. XI. De diſpenſatione ad incompatibilia. f. 614.
C. XII. De pluralitate beneficiorum. f. 624.
C. XIII. De præteritis diſpenſationibus quoad incompatibilia revocandis. f. 626.
C. XIV. De reſidentia Epiſcoporum & ſuperiorum Prælatorum. f. 626.

C. XV.

Digitized by Google

C. XV. De diſpoſitione ad ordines. f. 628.
C. XVI. De diſpenſatione ætatis Epiſcoporum, Abbatum, Curatorum & Ordinatorum. f. 628.
C. XVII. De litigantibus in Curia Romana, f. 620.
C. XVIII. De decimis per Papam non imponendis. f. 620.
C. XIX. De converſis ad fidem. f. 620.
C. XX. De Exemptionibus, religioſis conceſſis. f. 620.
C. XXI. De Privilegiis inferiorum Prælatorum ipſis conceſſis. f. 620.
C. XXII. De ignorantibus idioma Eccleſiæ cui præſunt Prælati. f. 622.
C. XXIII. De Unionibus Eccleſiarum. f. 626.
C. XXIV. De beneficiatis, citra Epiſcopos & Abbates, non reſidentibus. f. 627.
C. XXV. De taxis Eccleſiarum reducendis ad debitum modum. f. 627.
C. XXVI. Contra Simoniacos. f. 627.
C. XXVII. De oneribus ſeu ſolutionibus pecuniarum, qvas habeant ſubire, qvi recipiuntur ad Canonicatum vel præbendam in Eccleſiis Cathedralibus vel aliis collegiatis: Et ſpecialiter de ſtatutis vel juramentis, propter qvæ recipiendi ſtant per multos annos, ut nihil percipiant: Et de litera *Vidimus.* f. 629.
C. XXVIII. De tempore profeſſionis faciendæ. f. 629.
C. XXIX. De Conciliis Provincialibus & Synodis Epiſcoporum. f. 63[illegible]
C. XXX. De caſibus reſervatis ſedi Apoſtolicæ. f. 631.
C. XXXI. De Vicariis perpetuis in Eccleſiis inſtituendis. f. 631.
C. XXXII. Qvod Pontifices ordines, conſecrationes, & alia Pontificalia, per ſe vel ſubſtitutos, gratis, ſine qvacunqve exactione pecuniarum celebrare teneantur, & qvod non diſpenſent cum ordinatis per Simoniam. f. 633.
C. XXXIII. Contra Concubinarios. f. 635.
C. XXXIV. De Veſtibus Clericorum. f. 635.
De Promotionibus ad beneficia Eccleſiaſtica, quod graduati promovendi. f. 637.
C. XXXV. De conſvetudine Cathedralium & regularium Eccleſiarum, qvod in eis non admittantur, niſi de nobilium aut militarium genere procreati. f. 637.
C. XXXVI. De fructibus indebite perceptis per Prælatos. f. 639.
C. XXXVII. De iniqvis ſtatutis Eccleſiarum & Monaſteriorum. f. 639.
C. XXXIIX. De Exactionibus per Principes impoſitis Clericis. f. 641.
C. XXXIX. Contra Libertatem Eccleſiaſticam qui pugnant. f. 641.
C. XL. Qvod revocetur Auditor Cameræ, qui eſt Avinione &c. f. 641.
C. XLI. Contra Prælatos, qui non incedunt in habitu & tonſura decenti. f. 643.
C. XLII. Qvod Prælati habeant vicarios non idiotas ſed bene literatos. f. 642.
C. XLIII. De Juramentis capitulorum, præjudicantibus Eccleſiis. f. 643.
C. XLIV. Qvod Prælatus contra Prælatum non poſſit propria autoritate indicere bellum. f. 643.

Pars XI.

REFORMATORII CONSTANTIENSIS *Decreta, de regiminis Eccleſiaſtici emendatione: Ex MSC. Cæſareo Vindobonenſi.*

C. I. De futuris Conciliis celebrandis. f. 650.
C. II. Proviſio adverſus futura ſchismata præcavenda. f. 650.
C. III. De remedio electionis Papæ factæ per metum. f. 651.
C. IV. Profeſſio Papæ, aviſata in Concilio Conſtantienſi. f. [illegible]
C. V. Qvod Papa bona Eccleſiæ non [illegible], ſed [illegible]
f. [illegible]

C. VI. Qvod Papa non ſolum de hæreſi ſed & de alio crimine, ſcandalizante Eccleſiam univerſalem, & Simonia, poſſit deponi. f. 657.
C. VII. De indebita & inordinata electione Prælatorum præteritorum in Alemania, & de præcavenda futura. f. 657.
C. VIII. Qvod nullus eligatur in Epiſcopum vel Abbatem, niſi ſit Doctor Sacræ Theologiæ, vel juris Canonici vel civilis. f. 659.
C. IX. Qvod Prælati non ſint transferendi inviti. f. 661.
C. X. Contra Simoniacos. f. 662.

PARS XII.

REFORMATORII CONSTANTIENSIS *Decretales, de Eccleſiaſtici ſtatus Reformatione.* Ex MSC. Cæſareo Vindob.

Lib. I. De Reſcriptis. f. 670.
De Conſvetudine. f. 671.
De Electione. f. 671. *ſeqq.*
De Ætate, qvalitate, ordinandorum aut præficiendorum. f. 677.
De Filiis Presbyterorum & illegitime natis. f. 679.
De officio Judicis ordinarii. f. 679.
De Majoritate & obedientia. f. 681.
De Treuga & pace. f. 681.
De his, qvæ vi metusqve cauſa fiunt. f. 683.
Lib. II. De Judiciis. f. 683. *ſeqq.*
De Seqveſtratione poſſeſſionum & fructuum. f. 687.
De fide Inſtrumentorum. f. 689.
De Jurejurando. f. 690.
Lib. III. De Vita & honeſtate clericorum. f. 691.
De Clericis non reſidentibus in Eccleſia, vel in præbenda. f. 693.
De Præbendis & dignitatibus. f. 695. *ſeqq.*
De Conceſſione præbendarum, & Eccleſiæ non vacantis. f. 699.
De his, qvæ fiunt à majore parte Capituli. f. 701.
Ut beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferantur. f. 701.
De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non. f. 702.
De Teſtamentis & ultimis voluntatibus. f. 703.
De Decimis, primitiis & oblationibus. f. 703.
De ſtatu monachorum & aliorum religioſorum. f. 703-719.
De Monialibus. f. 719. *ſeqq.*
De Jure patronatus. f. 723. *ſeqq.*
De Cenſibus, exactionibus & procurationibus. f. 727. *ſeq.*
De Conſecratione Eccleſiæ & altaris. f. 729.
De Celebratione miſſarum. f. 730. *ſeq.*
De Reliqviis & veneratione ſanctorum. f. 733.
Lib. IV. De Matrimonio. f. 735.
Lib. V. De Accuſationibus & denunciationibus. f. 736. *ſeqq.*
De Simonia. f. 739.
Ne Prælati vices aut Eccleſias ſub annuo cenſu concedant. f. 743.
De Magiſtris. f. 743.
De Judæis. f. 745.
De Raptoribus, incendiariis & violatoribus. f. 745.
De Crimine falſi. f. 747.
De Exceſſibus Prælatorum & ſubditorum. f. 748.
De Privilegiis. f. 751.

De pœnitentiis & remiſſionibus. f. 751.
De Sententia excommunicationis. f. 753.

PARS XIII.

GALLICÆ NATIONIS in Conſtantienſi Concilio Declaratio *De Annatis non ſolvendis.* Ex antiquo Codice.

Cap. I. Hiſtoria variarum *in Reformatorii Conſtantienſi* conſultationum, de Annatis tollendis. f. 761.
C. II. Summa votorum ac rationum *Reformatorii Conſt.* qvoad Decretum de Annatis non ſolvendis. f. 762. *ſeqq.*
C. III. Rationes XXIV. qvod nulla in Annatis conſvetudo aut præſcriptio habeat locum. f. 766. *ſeqq.*
C. IV. Solvuntur longa ſerie argumenta XX. pro Annatis vindicandis in Concilio Conſt. mota. f. 776. *ſeqq.*
C. V. Conteſtatio Nationis Gallicanæ, de Annatis in & extra Concilium perpetuo per illam impugnandis. f. 790.

PARS XIV.

ANONYMI Graviſſima *Epiſtola* ad SIGISMUNDUM IMPERATOREM, in Conſtantienſi Concilio ſcripta, *De emendandis Eccleſiaſticorum moribus.* Ex MSCto Cæſareo Vindobonenſi.

De Supremo Eccleſiæ regimine corrupto. f. 801.
De Simoniæ in Eccleſia regno. f. 801.
De Curialium moribus & ArchiEpiſcoporum maculis. f. 802.
De Monachis, Canonicis, inferiorique clero depravato. f. 803.
Spes emendationis ex Sigiſmundo. f. 804.

PARS XV.

PILEI, Archi-Epiſcopi Genuenſis, Magnæ in Conſtantienſi Concilio autoritatis, Ingenua *Parænesis ad* SIGISMUNDUM IMPERATOREM. *De Reformatione Eccleſiæ in Conſtantienſi Concilio proſequenda.* Ex *MSCto Lipſienſi.*

Comparatio Sigiſmundi ac Conſtantini Imperatorum. f. 812.
De negotio Concilii arduo Eccleſiaſticæ reformationis, haud interrumpendo. f. 814.
De fructu ex illa Sigiſmundi per Concilium Reformatione expectato. f. 815.
De damnis ex reformatione illa neglecta orituris. f. 816.

PARS XVI.

STEPHANI DE PRAGA, Theologi, *Oratio*, in Conſtantienſi Concilio habita, *de Maturanda Eccleſiæ Emendatione.* Ex MSCto Helmſtadienſi. f. 823. & ſeqq.

PARS XVII.

MAURITII DE PRAGA, Theologi, *Conſilium*, in Conſt. Concilio ſolenni Oratione datum, *De Eccleſiaſtico ſtatu in Conſt. Concilio mature emendando.* *Ex MSC. Cæſareo Vindobonenſi. f. 860.*

Addita Oratio *Petri de Bruxellis*: De *Impendente in clerum calamitate ob corruptiſſimos ejus mores. f. 855. ſeqq.* Ex MSC. Cæſareo Vindobonenſi.

Pars XVIII.

BERNHARDI BAPTISATI, Abbatis, *Invectiva in corruptum illo tempore clerum, in Conſtantienſi Concilio emendandum.* Ex MSC. Helmſt. f. 879.

Pars XIX.

THEOBALDI, Theologi, publica *Conqueſtio De nimis diu dilata in Conſt. Concilio cleri Reformatione.* Ex MSC. Helmſt. f. 898.

Pars XX.

JACOBI, Epiſcopi Laudenſis, *Idea melioris ſummi Pontificis in Conſtantienſi Concilio eligendi.* Ex MSCtis, Cæſareo Vindobonenſi & Ducali Brunſvicenſi. f. 931.

In Præfatione exhibentur *Acta Controverſiæ Conſtantienſis, An prius Reformatio inſtituenda, an Papa ante eligendus? f.* 916. *ſeqq.*

Pars XXI.

MARTINI V. Papæ, recens in Concilio electi, *Regulæ Cancellariæ.* Ex MSCto Cæſareo Vindobonenſi & Lipſienſi.

De Reſervationibus. f. 965.
De Expectativis. f. 967.
De Vacantiis. f. 974.
De Beneficiis parvis. f. 978.
De fructibus percipiendis f. 979.
De Indulgentiis. f. 979.
De juſtitia. f. 987.

Additæ *& Regulæ Cancellariæ Johannis XXIII.* Papæ in Concilio ſede moti. Ex MSC. Helmſtad. f. 954.

Pars XXII.

GERMANICÆ NATIONIS Articuli *De Reformatione ſupremi Regiminis Eccleſiaſtici*, in Conſtantienſi Concilio Martino V. Papæ oblati. Ex MSC. Ducali Gothano.

De Numero, qualitate & Natione Dominorum Cardinalium. f. 999.
De Reſervationibus ſedis Apoſtolicæ. *ib.*
De Collationibus beneficiorum & Gratiis Expectativis. *ib.*
De Confirmationibus electionum. *ib.*
De Annatis & communibus ſervitiis ac Minutis. *ib.*
De Proviſione Papæ & Cardinalium. f. 1000.
De Cauſis in Romana Curia tractandis vel non. f. 1002.
De Appellationibus ad Ro. curiam. f. 1003.
De Officiis Cancellariæ & Pœnitentiariæ. f. 1004.
De Exemptionibus, Incorporationibus, tempore Schismatis factis. f. 1004.
De Commendis. f. 1006.
De fructibus medii temporis. f. 1007.
De non alienandis bonis Ro. Eccleſiæ. f. 1008.
Propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi. f. 1008.
De Extirpatione Simoniæ. f. 1008.
De diſpenſationibus. f. 1009.
De Indulgentiis. f. 1010.
De Decimis. f. 1010.

Digitized by Google

PARS XXIII.

MARTINI V. Papæ, Reformatio Conſtantienſis in Capite & Curia Romana, Nationibus in Concilio oblata.
Ex MScto Cæſareo Vindob. & Ducali Gothano.
De Numero, qualitate & Natione Dn. Cardinalium. f. 1021.
De Reſervationibus ſedis Apoſtolicæ. *ib.*
De Collatione beneficiorum & Gratiis Expectativis. *ib.*
De Confirmatione Electionum. f. 1022.
De Annatis, communibus ſervitiis ac minutis. f. 1024.
De cauſis in R. curia tractandis vel non *ib.*
De appellationibus ad R. curiam. f. 1026.
De exemptionibus & Incorporationibus tempore ſchiſmatis factis. f. 1028.
De Commendis. f. 1030.
De non alienandis bonis Ro. & aliarum Eccleſiarum. f. 1030.
Propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi. f. 1032.
De Extirpatione Simoniæ. f. 1032.
De Diſpenſationibus. f. 1032.
De proviſione Status Papæ & Cardinalium. f. 1036.
De Indulgentiis. f. 1038.
De decimis imponendis. f. 1038.
Tenor Conſtitutionis, Ad Regimen. f. 1042.
Declaratio Conſtitutionis, Ad Regimen. f. 1042.

PARS XXIV.

GERMANICÆ NATIONIS & MARTINI V. PAPÆ Concordata, qvoad Eccleſiaſtici Regiminis Emendationem, in Conſt. Concilio facta.
Ex MSCtis Cæſareis Vindob. & Ducalibus Brunſv.
De Numero & qualitate Cardinalium & eorum creatione. f. 1056.
De Proviſione Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, dignitatum & aliorum beneficiorum. f. 1056.
De Annatis. f. 1063.
De cauſis tractandis in Ro. curia nec ne. f. 1064.
De Commendis. f. 1064.
De non vitandis Excommunicatis, anteqvam per judicem fuerint declarati & denunciati. f. 1067.
De Diſpenſationibus. f. 1068.
De Proviſione Papæ & Cardinalium. f. 1068.
De Indulgentis. f. 1068.
De horum Concordatorum Papæ Martini & Nationis Germanicæ valore. f. 1068.

PARS XXV.

ANGLICANÆ NATIONIS & MARTINI V. Concordata Conſtantienſia, qvoad ſupremi Eccleſiaſtici Regiminis emendationem.
Ex MSCto Cantabrigienſi Anglicano.
De Numero & Natione Cardinalium. f. 1081.
De Indulgentiis. f. 1081.
De Appropriationibus, Unionibus, Incorporationibus Eccleſiarum & Vicariatuum. f. 1081.

De ornatu Pontificali inferioribus Prælatis non concedendo. f. 1081.
De Diſpenſationibus. f. 1083.
De Anglis ad officia Ro. curiæ aſſumendis. f. 1083.

PARS XXVI.

MONACHORUM BENEDICTINORUM CAPITULUM CONSTANTIENSE, De Viſitatione ac Reformatione Monachorum S. Benedicti.

Ex MSCto Ducali Gothano.

C. I. Decretum Concilii Conſt. de eligendis Præſidentibus capituli Provincialis Conſtantienſis ad Viſitationem ac Reformationem Benedictinorum. f. 1095.
C. II. Electi Præſidentes Capituli Provinc. Conſt. pro Reformatione Benedictinorum. f. 1095.
C. III. Juramentum Viſitatoris Benedictinorum in Conſt. Concilio electi. f. 1096.
C. IV. Modus ſuſcipiendi Viſitatores per viſitandos. f. 1096.
C. V. Juramentum Viſitandorum utriusqve ſexus. f. 1098.
C. VI. Copia Procuratorii ſecundum Conſtitutionem Benedictinorum. f. 1098.
C. VII. Proceſſus Generalis Monachorum nigrorum Capituli Provincialis, in Petri Domo, Monaſterio illius ordinis ultra pontem Conſtantienſem ſito, celebrati. f. 1098.
C. VIII. Diploma Imperatoris Sigismundi, datum in Concilio Conſt. Viſitatoribus Benedictinorum. f. 1110.

PARS XXVII.

RICHARDI ULLERSTONI, Theologi Oxonienſis Angli, *Petiones qvoad Reformationem Eccleſiæ militantis.*

Ex MSC. Academiæ Cantabrigienſis.

In Præfatione agitur de celebrata Reformatione Sigismundea. 1118. *ſeqq.*
Art. I. De Summi Pontificis ordinata electione. f. 1130.
A. II. De Simonia declinanda. f. 1136.
A. III. De Lege Chriſti præ omnibus aliis legibus exaltanda. f. 1138.
A. IV. Contra anormalam Eccleſiarum Appropriationem. f. 1140.
A. V. De idoneis viris Eccleſiis præficiendis. f. 1142.
A. VI. Contra Exemtiones. f. 1144.
A. VII. Contra Diſpenſationes. f. 1150.
A. VIII. Contra beneficiorum pluralitatem. f. 1150.
A. IX. Contra Appellationes. f. 1152.
A. X. Contra Privilegiorum abuſus. f. 1154.
A. XI. Contra Apoſtaſiam Clericorum, ſeſe ſecularibus negotiis immiſcentium. f. 1156.
A. XII. Contra prærogativam Cantorum & Officialium in curiis Dominorum reſidentium. f. 1160.
A. XIII. Contra Extorſiones & Exactiones pecuniarias. f. 1162.
A. XIV. Contra ſuperfluum & nimis ſumptuoſum ac inordinatum apparatum in Clericis & eorum familia. f. 1164.
A. XV. Pro cultu divino fructuoſius inſtituendo. f. 1166.
A. XVI. Pro pace inter regna Chriſtiana reſtauranda. f. 1168.

TOMI I. PARS I.

THEODERICI VRIE

THEOLOGI AUGUSTINIANI

SAXONICI,

Qui ſub Concilio Conſtantienſi floruit,

HISTORIA CONCILII CONSTANTIENSIS,

SIGISMUNDO IMPERATORI INSCRIPTA,

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

ex antiquiſſimo RUDOLPHEÆ BIBLIOTHECÆ

Codice recenſita

ab

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Juliæ Profeſſore..



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

Digitized by Google

Clariſſimus Vir
PAULUS LANGIUS
in Chronico Citizenſi:

* * *

Inter Illuſtres Viros,
qui
Tempore Constantiensis Concilii
floruere,
fuit
THEODERICUS VRIE.
Qui inter alia
ad Sigismundum Imperatorem

PULCHERRIMUM LIBRUM

de Conſolatione Eccleſiæ
CONSCRIPSIT:

In quo
GESTA CONCILII CONSTANTIENSIS
pro majore parte
complectitur.

Digitized by Google



PRUDENTI LECTORI

S. P.

AUguſtum Conſtantienſe Concilium graves, prudentes, ac locupletes deſiderabat interpretes. Nec enim ullum orbis Chriſtanus vidit Concilium auguſtius ac ſplendidius Conſtantienſi. Neque in ullo Concilio magis arduæ, difficiles, intricatæ, inexplicabiles, &, propter partium potentiam, moleſtiores ac tenaciores, quin & periculoſiores quæſtiones agitatæ, quàm in Conſtantienſi.

Totus fere Chriſtianus orbis, deformatis moribus, diſſiluerat, religioſo *trium Pontificum* nutu. Inſidiis quippe & artibus, religioniſq; formidine, Reges atque Principes in ſuas quisque partes traxerat. Hinc nulla ferme Principum decreta, pacta, fœdera, inſtituta, ſubditis profutura, quæ non ab adverſo quolibet Pontifice arte vel marte ſcinderentur. Una omnium fluctuatio, una morum corruptio, una virtutis pernicies. Civilis enim res illa ætate tantopere implexa ſacræ, ut ſub ſacro ſchemate civilis maxime afficeretur. Nil juverant diuturna *Gallorum* ſaluberrimaque conſilia, quibus illis malis infinitis mederentur. Riſerant partes. Solenne *Concilium Piſanum*, huic damno conſulturum, eluſum. Ut immedicabile fieret malum.

Divino tandem nutu SIGISMUNDUS IMPERATOR inexplicabilium rerum ſagaciſſimus arbiter datus eſt. Qui *Salomonis*, ſapientisſimi Regis, veſtigia lecturus, ſingulari *prudentiæ* exemplo, deformatas ac lugentes Eccleſias, & de Papatu contendentes tres Ponti-

fices, fato feminarum, quæ de peculio genuino olim dimicabant, 1.*Reg.III.* *Conſtantiam*, ad auguſtiſſimum ſuum Cæſareum conſpectum con- 16–28. fluere juſſit. Diſſidentibus his feminis, Eccleſiis in partes ſciſſis, inexpectatô novo ſed ſalutari remedio, *enſe regio monſtrato*, ſapientiſſime conſulere allaboravit. Quo erat in mores emendandos & pacem prudenter inſtaurandam affectu, Princeps religioſiſſimus.

Formidabile hoc, ſed & ſumma clementia temperatum, *Salomoneum in Sigismundo Conſilium*, *Conſtantiæ* coram Majeſtatis Ejus throno, in conſeſſu & conſpectu totius orbis, omnium conſenſu proditum, tantopere perculit pectora diſſidentium partium, *Johannis XXIII. & Gregorii XII.* ut hi terrore perculſi, & conſcientiæ teſtimonio convicti, ſponte cederent, & perpetuo quieſcere compellerentur. Tertium caput pertinaciter reluctans, *Benedictus XIII. SIGISMUNDI* dexterâ, Majeſtate munita, reſectum ac repudiatum. Ita triplici profundo trium Pontificum vulnere SIGISMUNDUS Eccleſiæ orbique ægerrimo ſalutem atque integritatem ex voto omnium reſtituere molitus eſt. Ita cum laceratæ eſſent Eccleſiæ, ut nulla ſalutis ſpes ſupereſſe videretur, SIGISMUNDUS nova ſectione, vulnereque recenti capitibus inflicto, coaleſcere juſſit omnes partes, priſtinamque incolumitatem melioremque formam corpori reddere contendit. Quod *Cæſareæ autoritatis*, auguſtiſſimi juris, & prudentiæ IMPERATORE dignæ, *illuſtriſſimum exemplum*, Germanorum decus eſt immortale, & totius orbis gloria manet æterna.

Quod igitur plurimum interſit omnium, priſtina exempla & publica Eccleſiæ ac Reipublicæ fata probe habere perſpecta: *Fide dignos* illorum conſtare *Scriptores*, ſummopere neceſſarium. Quo magis ambigua illa olim extiterunt fata, eo meliorem, ſagaciorem atq; ſinceriorem requirunt Interpretem. Qui non nudis externis motibus remediisque deſcribendis acquieſcat, ſed & agentium atque patientium pectora inſpiciat, fatorumq; fontes, partium ſtudia, conſilia, nutus, machinasque occultas detegat. Quanto etiam remotiora à noſtro ævo dignoſcuntur fata, tanto curatiori opus *Autorum diſcrimine*. *Coævi*, niſi affectu faſcinatos conſtet, cæteros omnes fide ſuperant. Et inter hos illi præferendi, qui rebus geſtis præſentes interfuerunt. In quibus & iſti palmam facile obtinebunt, qui non in angulo obſcuri delituerant, ſed in luce publica verſati, prudentiâ ac dicendi autoritate polluerunt. Imo & horum non poſtremi forte extiterint, qui ſua olim ſcripta omnium cenſuræ totiusque orbis literati judicio ingenue commiſerunt, eoque fine Regibus ac Principibus devote inſcripſerunt.

Germani proinde, quin omnes Chriſtiani, publicarum præſertim rerum Præſides, probe memores, quanti referat *Concilii Conſtantienſis Hiſtoriam* curatius habere perſpectam, ſolliciti ſunt merito de *Scriptoribus illius ævi*, iisque & prudentibus & doctis. Neque verò fortuna illam ætatem illuſtriaque Eccleſiæ & reipublicæ fata præclaris deſtituit Scriptoribus, quos & doctrina & rerum experientia magnis rebus agendis admovit.

In

Digitized by Google

In his primus merito debebatur locus *Equiti Aurato*, JOHANNI à WALLENROD, ex antiqua, nobili, & perilluſtri inter Germanos ſtirpe prognato. Qui & genere & genio vere generoſus, ſplendidum Concilium Conſtantienſe ſua præſentia ornans, doctrinæ præſidiis egregie inſtructus, *Hiſtoriam Concilii Conſtantienſis* exacte deſcripſit, locupletiſſimo teſte GASPARE BRUSCHIO.

Intereant iſti Concilio præter WILHELMUM à WALLENROD, bini JOHANNES à WALLENROD, propinqua cognatione conjuncti. Quorum unus JOHANNES à WALLENROD, *Archi-Epiſcopus Rigenſis*, à SIGISMUNDO IMPERATORE accitus, magnas in Concilio res Germanicæ nationis nomine confecit, ab *Ulrico Reichental, Conſtantienſi Canonico*, Concilii Conſtantienſis membro, ſpectatore & ſcriptore ſolertiſſimo, inſigniter commendatus. Quo de ſuo loco & nos Tomo hoc I. vel alio pluribus diſſeremus. Alter JOHANNES à WALLENROD, *puer in Boruſſia à ſummo Teutonicorum ordinis magiſtro, CONRADO à WALLENROD, alitus, magnus fuit per omnia totius Europæ regna peregrinator, qui multorum mores, multorum vidit & urbes. Poſt Hieroſolymitanam peregrinationem, EQUES AURATUS factus eſt. Is cum conjuge ſua, domina Sybilla à Lentersheim, in templo Schwabachiano, ante aram S. Catharinæ à ſe fundatam, terræ omnium parenti redditus eſt*, laudato *Bruſchio* autore. Atque hic quidem poſterior JOHANNES à WALLENROD, hiſtoriæ Concilii Conſtantienſis laudatæ autor celebratur à *Bruſchio*. INTERFUIT, inquit, CONCILIO CONSTANTIENSI. CUJUS HISTORIAM EXACTE IPSE DESCRIPSIT. *Scripſit item Peregrinationum ſuarum Hodæporicon.*

Chronologia monaſt. German. p. 139. 140.

Præclaram hanc *Wallenrodianam Concilii Conſtantienſis hiſtoriam*, clariſſimam univerſis rebus geſtis, quibus interent, lucem affuſuram, & virtus & ingenium viri illuſtre ſpondent. Non igitur quieſcere potuimus, quin impenſo iſtius operis deſiderio moti, in præcipuis Germaniæ Bibliothecis, ubi deliteſcere conjiceremus, ſcrutaremur, ubinam loci literarius iſte theſaurus reconditus hæreret, ut ex tenebris erutus lucem jam tandem videret meritisſimam. Verùm ea felicitas hactenus nobis non contingit, ut vota noſtra implerentur. Injuria quippe temporis, bella, flammæ, ſi non iniquæ ac imperitæ manus, quod vim præclarisſimis inferre ſoleant ſcriptis, ſalvam illuſtris noſtri WALLENRODII hiſtoriam evaſiſſe, dubitandi nobis anſam reliquerunt. Ne ullam tamen publicæ rei literariæ operam denegaſſe videremur, ad *Generoſiſſimum ac Perilluſtrem Dominum* JOHANNEM ERNESTUM à WALLENROD, ex prænobili illa antiqua proſapia hodie cum illuſtribus agnatis florentem, *Curiæ Provincialis Electoralis Boruſſiæ Præfectum ac Conſiliarium Supremum*, exacta doctrina & magnis in orbem literarium meritis inclytum, βιβλιοθήκην ἔμψυχον, Celeberrimo *IMHOFIO* judice, literas dare, conſultum judicavit *Sereniſſimus Princeps* RUDOLPHUS AUGUSTUS, quibus Excellentisſimum Virum

Not. Imp. Procer. l. 2. c. 8. ſ. 47.

exoraremus, in Bibliotheca, quam poſſidet, inſtructiſſima, reconditum abſque dubio laudatiſſimum *Hiſtoriæ Concilii Conſtantienſis MSCtum*, pro ſuo in publicam rem affectu gratioſe communicaret.

Etiamſi verò nulli dubitemus, Perilluſtrem Virum hanc non nobis ſed poſteritati facturum gratiam, ut benigne, ſi ſuperſit, largiatur: Differre tamen noſtri *Tomi I. Hiſtorici* editionem non potuimus, donec iſto beneficio frueremur. Spes interea nos alit benigniſſima, beneficio iſthoc affectos hunc reipublicæ literariæ theſaurum ſuo adhuc loco, vel *primo* hoc vel *altero Tomo* nos exhibituros.

Viam itaque parabit illuſtri WALLENRODIO, *Germano*, fatorum illius ætatis comes, & bene de publica re merendi ſtudio æmulus, *Germanus*, THEODERICUS VRIE, *Theologus illius ævi clariſſimus*, *Concilii Conſtantienſis*, cujus & hic fuit admirator, *fidus interpres*. *Doctrinæ & prudentiæ* præſidiis haud deſtitutum fuiſſe & hunc virum, modus tractandi, & rerum momenta haud vulgaria, *judiciumque* de actionibus magnorum virorum, fatiſque Concilii ancipitibus modeſtum, nec proletarium, abunde docent. Ut non nudam ſcripſiſſe hiſtoriam cenſendus ſit, ſed in publicis motibus cauſarum ſcrutandarum ſtudio, optimeque conſulendi peritia, impenſum civilis rei amorem declaraſſe videatur.

Ea maxime in his *modeſtia* autorem Theologum ornat, quod non ſuo plerumque nomine, *fatorum, præteritorum vel imminentium*, *cauſas* denunciet, ſed vel Eccleſiæ vel Chriſti. Quippe quod *Colloquii* formam *inter Chriſtum & Eccleſiam* hiſtoriæ huic conciliaverit. Partim ut tanto liberius impenſo ſuo in publicam tranquillitatem inſerviret affectui, partim ut eo tutius publicam notaret corruptionem, eoque modeſtius ſalubria dare conſilia ſuſtineret. Teſtatur namque tota autoris oratio, non duntaxat res enarrare geſtas ipſi fuiſſe in animo, ſed *fundamenta* detegere ſtatuiſſe triſtium ac ancipitium *fatorum*, inſimul *calamitatum* Eccleſiaſticarum *fundum*, *irreligioſam Simoniam*, monſtrare voluiſſe, ac ad juſta ac ſalutaria in adverſis aut dubiis iſtis rebus conſilia capienda excitare ſtuduisſe. Quapropter huic ſcopo congruum operi olim dedit titulum, *De Conſolatione Eccleſiæ*. Ipſumque adeo *Colloquium* diſtinxit in *Vocem Sponſæ*, Eccleſiæ afflictæ & in partes diſtractæ, & *Vocem Sponſi*, Chriſti conſolantis. Quam primam inſcriptionem mutare, & pro integro ac genuino rei tractatæ argumento ſummam totius operis alio & clariore *novo titulo* exprimere libuit, *Hiſtoriæ Concilii Conſtantienſis*. Quod *illuſtrandi jus* nobis recenſentibus datum credimus pro opera, & in autorem reſuſcitatum ac perennem ejus memoriam conſervandam ſtudio.

Fidem proinde huic noſtro *Germano*, THEODERICO VRIE, tanto dabimus lubentius, quanto conſtat apertius, publicis illis in Eccleſia motibus *Conciliique Conſtantienſis fatis eum interfuiſſe*, pacis & tranquilitatis ſtudioſiſſimum. *Abſolvit* enim hanc *ſuam Concilii Conſtantienſis hiſtoriam* ſub finem ipſius

Digitized by Google

ipſius Concilii , *Anno* M CCCC. XVII. *in Profeſto Sanctiſſimæ Eliſabeth viduæ.* Deſcripſit iterum , finito Conſtantienſi Concilio , An. 1425. in gratiam poſteritatis, hac ſubſcripta editionis formula: *Hæc ſcripſi breviter, pro futuris, qui legere poterunt* ACTA CONCILII CONSTANTIENSIS. *Et illi, qui ſupererunt, ſi delectat eos ſcribere etiam præterita, poterunt filiis ſuis & poſteritati nunciare. Nunc annus eſt Domini* M. CCCC. XXV. *Quo etiam, in feſto Pentecoſtes, noſtrum Generale Concilium eſt celebratum ſub Reverendisſimo Magiſtro Auguſtino de Roma, Generali noſtro.*

Meruit ergo reſuſcitari *collapſum* hoc antiquitate *monumentum*, in magno certe jam olim pretio habitum. Sane Clariſſimus gemino abhinc ſeculo Hiſtoricus, *Johannes Langius*, poſteritati illud ſollicite commendavit, his uſus verbis: *THEODERICUS VRIC* (VRIE ſcribendum,) *inter alia ad* SIGISMUNDUM IMPERATOREM *pulcherrimum librum, proſa & metro contextum*, DE CONSOLATIONE ECCLESIÆ, *conſcripſit, in quo* GESTA CONCILII CONSTANTIENSIS *pro majore parte complectitur.* Idem *Langius*, poſtquam ex memorati hujus noſtri operis *libr.* 1. *metr.* 2. gravia quædam allegaſſet verba, hæc ſubjungit: *Hæc metra excerpſi ex libro primo* de ConſolationeEccleſiæ, *quem compoſuit* THEODERICUS VRIC (VRIE) *Theologus ordinis Eremitarum divi Auguſtini, ad* SIGISMUNDUM ROMANORUM IMPERATOREM, *qui ambo his temporibus fuerunt. Et eſt vox Eccleſiæ plangentis caſum ſuum, quem tum patiebatur per Schiſma horrendum & periculoſiſſimum.*

Chron. Citiz. f. 851. edit. Piſt.

l. c. f. 848.

Præclarum verò hoc *antiquitatis monumentum* ex vetuſtiſſimo repetivimus Codice, *Coloniæ per Johannem Koelhoff de Lubeck An.* 1484. impreſſo, & in BIBLIOTHECA RUDOLPHEA *Brunſvigæ* aſſervato. Qui codex pro Volumine IV. operum *Gerſonis*, tunc primum collectorum atque editorum, habitus: Etſi non *Gerſonis* duntaxat, ſed & plurium aliorum doctorum opuſcula uno faſciculo complecteretur, utpote, *Henrici de Haſſia, Henrici de Hoita, Wilhelmi Orem, Johannis Hus*, & noſtri *Theoderici Vrie.* Quorum ſcripta omnia omiſſa in repetita editione Gerſonianorum, quæ mox *A.* 1494. *Argentinæ* lucem vidit, tribus voluminibus conſtans. Neque ullum eorum comparet in IV Tomo, utpote Appendice, à *Jacobo Wimphelingio*, Theologo, ſuperioribus adjecta, & *A.* 1502. *Argentinæ* edita. In exilium ſic ferme abierat *Germanus* noſter *Theodericus Vrie*, à latere *Gerſonis* avulſus, oblivioni fere æternæ mancipatus. Quæ ſunt iniqua præclariſſimorum monumentorum fata.

Cæterum, uti reſuſcitare ſepultum THEODERICUM contigit, & luci priſtinæque libertati hunc VRIE reſtituere, ut nominis ſui vim impleret: Habitum illi quoque externum dare noſtro ſeculo congruum fas fuit. Nulla enim in *antiquis illis obſcuri codicis ruderibus* diſtinctio, nullus ordo, confuſa & turbata omnia. Ut eruderare ac pulverem detergere noſtri ſeculi decor imperaret. *Stilum* verò *Autoris* mutare nobis fuit religio, tametſi alicubi in ligata æ-

exoraremus, in Bibliotheca, quam poſſidet, inſtructiſſima, reconditum absque dubio laudatiſſimum *Hiſtoriæ Concilii Conſtantienſis MSCtum*, pro ſuo in publicam rem affectu gratioſe communicaret.

Etiamſi verò nulli dubitemus, Perilluſtrem Virum hanc non nobis ſed poſteritati facturum gratiam, ut benigne, ſi ſuperſit, largiatur: Differre tamen noſtri *Tomi I. Hiſtorici* editionem non potuimus, donec iſto beneficio frueremur. Spes interea nos alit benigniſſima, beneficio iſthoc affectos hunc reipublicæ literariæ theſaurum ſuo adhuc loco, vel *primo* hoc vel *altero Tomo* nos exhibituros.

Viam itaque parabit illuſtri WALLENRODIO, *Germano*, fatorum illius ætatis comes, & bene de publica re merendi ſtudio æmulus, *Germanus*, THEODERICUS VRIE, *Theologus illius ævi clariſſimus*, *Concilii Conſtantienſis*, cujus & hic fuit admirator, *fidus interpres*. *Doctrinæ & prudentiæ* præſidiis haud deſtitutum fuiſſe & hunc virum, modus tractandi, & rerum momenta haud vulgaria, *judiciumque* de actionibus magnorum virorum, fatisque Concilii ancipitibus modeſtum, nec proletarium, abunde docent. Ut non nudam ſcripſiſſe hiſtoriam cenſendus ſit, ſed in publicis motibus cauſarum ſcrutandarum ſtudio, optimeque conſulendi peritia, impenſum civilis rei amorem declaraſſe videatur.

Ea maxime in his *modeſtia* autorem Theologum ornat, quod non ſuo plerumque nomine, *fatorum*, *præteritorum vel imminentium*, *cauſas* denunciet, ſed vel Eccleſiæ vel Chriſti. Quippe quod *Colloquii* formam *inter Chriſtum & Eccleſiam* hiſtoriæ huic conciliaverit. Partim ut tanto liberius impenſo ſuo in publicam tranquillitatem inſerviret affectui, partim ut eo tutius publicam notaret corruptionem, eoque modeſtius ſalubria dare conſilia ſuſtineret. Teſtatur namque tota autoris oratio, non duntaxat res enarrare geſtas ipſi fuiſſe in animo, ſed *fundamenta* detegere ſtatuiſſe triſtium ac ancipitium *fatorum*, inſimul *calamitatum* Eccleſiaſticarum *fundum*, *irreligioſam Simoniam*, monſtrare voluiſſe, ac ad juſta ac ſalutaria in adverſis aut dubiis iſtis rebus conſilia capienda excitare ſtuduiſſe. Quapropter huic ſcopo congruum operi olim dedit titulum, *De Conſolatione Eccleſiæ*. Ipſumque adeo *Colloquium* diſtinxit in *Vocem Sponſæ*, Eccleſiæ afflictæ & in partes diſtractæ, & *Vocem Sponſi*, Chriſti conſolantis. Quam primam inſcriptionem mutare, & pro integro ac genuino rei tractatæ argumento ſummam totius operis alio & clariore *novo titulo* exprimere libuit, *Hiſtoriæ Concilii Conſtantienſis*. Quòd *illuſtrandi jus* nobis recenſentibus datum credimus pro opera, & in autorem reſuſcitatum ac perennem ejus memoriam conſervandam ſtudio.

Fidem proinde huic noſtro *Germano*, THEODERICO VRIE, tanto dabimus lubentius, quanto conſtat apertius, publicis illis in Eccleſia motibus *Conciliique Conſtantienſis fatis eum interfuiſſe*, pacis & tranquilitatis ſtudioſiſſimum. *Abſolvit* enim hanc *ſuam Concilii Conſtantienſis hiſtoriam* ſub finem ipſius

Digitized by Google

ipſius Concilii, *Anno* M CCCC. XVII. *in Profeſto Sanctiſſimæ Eliſabeth viduæ.* Deſcripſit iterum, finito Conſtantienſi Concilio, An. 1425. in gratiam poſteritatis, hac ſubſcripta editionis formula: *Hæc ſcripſi breviter, pro futuris, qui legere poterunt* ACTA CONCILII CONSTANTIENSIS. *Et illi, qui ſupererunt, ſi delectat eos ſcribere etiam præterita, poterunt filiis ſuis & poſteritati nunciare. Nunc annus eſt Domini M. CCCC. XXV. Quo etiam, in feſto Pentecoſtes, noſtrum Generale Concilium eſt celebratum ſub Reverendisſimo Magiſtro Auguſtino de Roma, Generali noſtro.*

Meruit ergo reſuſcitari *collapſum* hoc antiquitate *monumentum*, in magno certe jam olim pretio habitum. Sane Clarisſimus gemino abhinc ſeculo Hiſtoricus, *Johannes Langius*, poſteritati illud ſollicite commendavit, his uſus verbis: *THEODERICUS VRIC* (VRIE ſcribendum,) *inter alia ad* SIGISMUNDUM IMPERATOREM *pulcherrimum librum, proſa & metro contextum,* DE CONSOLATIONE ECCLESIÆ, *conſcripſit, in quo* GESTA CONCILII CONSTANTIENSIS *pro majore parte complectitur.* Idem *Langius*, poſtquam ex memorati hujus noſtri operis *libr.* I. *metr.* 2. gravia quædam allegaſſet verba, hæc ſubjungit: *Hæc metra excerpſi ex libro primo* de ConſolationeEccleſiæ, *quem compoſuit* THEODERICUS VRIC (VRIE) *Theologus ordinis Eremitarum divi Auguſtini, ad* SIGISMUNDUM ROMANORUM IMPERATOREM, *qui ambo his temporibus fuerunt. Et eſt vox Eccleſiæ plangentis caſum ſuum, quem tum patiebatur per Schisma horrendum & periculoſisſimum.*

Chron. Citiz. f. 851. edit. Piſt.

l. c. f. 848.

Præclarum verò hoc *antiquitatis monumentum* ex vetuſtiſſimo repetivimus Codice, *Coloniæ per Johannem Koelhoff de Lubeck An.* 1484. impreſſo, & in BIBLIOTHECA RUDOLPHEA *Brunſvigæ* aſſervato. Qui codex pro Volumine IV. operum *Gerſonis*, tunc primum collectorum atque editorum, habitus: Etſi non *Gerſonis* duntaxat, ſed & plurium aliorum doctorum opuſcula uno faſciculo complecteretur, utpote, *Henrici de Haſſia, Henrici de Hoita, Wilhelmi Orem, Johannis Hus*, & noſtri *Theoderici Vrie*. Quorum ſcripta omnia omiſſa in repetita editione Gerſonianorum, quæ mox *A.* 1494. *Argentinæ* lucem vidit, tribus voluminibus conſtans. Neque ullum eorum comparet in IV Tomo, utpote Appendice, à *Jacobo Wimphelingio*, Theologo, ſuperioribus adjecta, & *A.* 1502. *Argentinæ* edita. In exilium ſic ferme abierat *Germanus* noſter *Theodericus Vrie*, à latere *Gerſonis* avulſus, oblivioni fere æternæ mancipatus. Quæ ſunt iniqua præclarisſimorum monumentorum fata.

Cæterum, uti reſuſcitare ſepultum THEODERICUM contigit, & luci priſtinæque libertati hunc VRIE reſtituere, ut nominis ſui vim impleret: Habitum illi quoque externum dare noſtro ſeculo congruum fas fuit. Nulla enim in *antiquis illis obſcuri codicis ruderibus* diſtinctio, nullus ordo, confuſa & turbata omnia. Ut eruderare ac pulverem detergere noſtri ſeculi decor imperaret. *Stilum* verò *Autoris* mutare nobis fuit religio, tametſi alicubi in ligata æ-

Digitized by Google

que ac proſa oratione non is appareat ornatus, quem comtius ac delicatius ſeculum amet. Præſtat gravis ſenectutis veſtigia in grandævo corpore relinquere, veneratione ob ætatem digna, quam nimia cultura venerabile ſenium dedecorare.

Quod reliquum, *cenſuram* eorum, quæ ab autore *acerbius dicta* videbuntur, ſive in *Pontifices illius ſeculi*, ſive *Huſſum* & *Hieronymum*, nobis non arrogamus, lectoris judicio cuncta relinqenda rati. Quiſque enim Autorum, ſui ſeculi moribus imbutus, ſententias opinioneſque præ ſe fert, poſteris dubias vel & moleſtas, quibus ex genio illius ſeculi commoda accedat interpretatio oportet.

Acrimonia, & in reprehendendis *pravis moribus publicis* illius ævi, *Simonia* præcipue perſtringenda, *ſalis pluſculum*, *apologiam* noſtram non expectat. Animi aperti atque candidi pectoris hi indices. Qui hunc candorem vel & animi optime conſulentis æſtum atque Zelum graviſſimo ſeni noſtro & Scriptori Eccleſiaſtico vitio verterit, næ is immemor erit vitii & turbarum iſtius tempeſtatis. Accuſet ætatem illam, tantopere corruptam, ut *ſale perfricari* neceſſum eſſet, ut amaro indigeret ſalubri tamen remedio, non duntaxat ab hoc *Germano* affectu germano deſignato, ſed & univerſi orbis conſilio nutuq; per *Imperatorem in Concilio univerſali Conſtantienſi* cum præſentisſimo fructu parato. Grato potius animo amplectenda ſinceritas majorum, qui ſuæ ætati conſulere probe, & poſteritati pie ac prudenter cavere ſtuduerunt. Sunt enim *remedia acriora*, ægris olim Eccleſiæ & reipublicæ fatis adhibita, *noſtra medela*, ut priſtinis moniti exemplis cautius mercari diſcamus. Noſtrum igitur hunc ſenem ingenuum, THEODERICUM VRIE, legat, qui & *mores ſuperiorum temporum* penitius noſſe, & alienis periculis caveri diſcupit. Spectet, tanquam in ſcena, quæ *ante Concilium Conſtantienſe Eccleſiæ & reipublicæ* fuerit *facies*, quam triſtia dederit ſpectacula, ut totus orbis horreſceret, ac Conſtantiam conflueret, iſti Tragœdiæ finem impoſiturus.

Dabimus nos ſuo loco *Theoderico Vrie Germano* teſtes locupletisſimos exteros, qui eandem ſeculi faciem atrociter ſauciatam miſereq; laniatam vivis pariter pinxerint coloribus, NICOLAUM de CLEMANGIS, JOHANNEM GERSON, & PETRUM de ALIACO, *Gallos*, PAULUM, GUALTHERUM DYSSE, & RICHARDUM ULLERSTON, *Anglos*, FRANCISCUM de ZABARELLIS, *Italum*. Qui ejusdem miſeriæ publicæ ſpectatores extiterunt, eademque *Concilii Conſtantienſis remedia* impenſe optarunt ac tandem viderunt. Horum querelas, vota ac ſuſpiria, non illa duntaxat ætas audivit, ſed & audiet & exhorreſcet poſteritas, triſtia majorum fata repetitura. Idem his, *Germanis*, *Gallis*, *Anglis*, *Italis*, affectus, par deſiderium, ſimile votum, nec diſſimilis παῤῥησία. Qui iisdem olim malis affecti, publicorum eorundem fatorum participes, easdem *malorum cauſas* demonſtrarunt, ut ſub diverſo cœlo uno locuti videantur ore, individui comites & hodie ſunto, teſtes apud poſteros futuri omni exceptione majores.

INDEX

INDEX LIBRORUM, METRORUM AC DISTINCTIONUM.

LIBER PRIMUS.

Querelæ Eccleſiæ de miſero ſuo ſtatu ante Concilium Conſtantienſe.

Metrum I. Eccleſia recolit ſtatus ſui primævi ſereniorem fortunam.

Metrum II. Deplorat Eccleſia caſum primi ſui ſtatus, & impenſe dolet, Papam, Cardinales, & alios Eccleſiæ Prælatos, circa tempora Concilii Conſtantienſis omnes vitio SIMONIÆ infectos.

Metrum III. Eccleſia deplorat humanum genus, quod degenerarit ultra omnem naturam cæterarum creaturarum.

Metrum IV. Eccleſia invitat creaturas omnes ad deplorandum illius tempeſtatis corruptionem publicam.

Metrum V. Eccleſia priſtina & meliora ſua fata, ſincerioremque ſuam in fide ac religione conditionem, ex Salomonis imaginibus in Cantico Canticorum repetit ac decantat.

Metrum VI. Eccleſia conqueritur de dilato Dei auxilio in iſti' temporis calamitate.

Metrum VII. Eccleſia anhelat ad opem ſibi à Chriſto ferendam in publica illius ætatis miſeria.

Metrum VIII. Eccleſia enixius implorat Chriſtum, qui præſentibus malis medeatur.

Metrum IX. Triſtes Eccleſia canit elegias, quibus ſuam illa ætate in corruptione publica miſeriam deflet.

Proſa libri Primi. Pares Eccleſia lacrymas fundit.

Diſtinctio I. Eccleſia figurâ Caini & Abelis pingit ſtatum ſuum geminum, ſinceriorem in Abele, & corruptum in Caino. Et dolet, ſe in præſenti iſta corruptione publica pravam Caini indolem referre.

Diſtinctio II. Eccleſia Cainiticam ſuam conditionem tempore nefandi illius ſchismatis graphice pingit, & corruptiſſimos eosque continuos illius ſeculi mores aperte deſignat.

Diſtinctio III. Queritur Eccleſia, ſe per tres Pontifices ſchismatos, Johannem XXIII. Gregorium XII. & Benedictum XIII. ante Concilium Conſtantienſe miſere laceratam, ut neſciret quam ſequeretur partem, aut quo ſe verteret.

Diſtinctio IV. Infauſtum illud trium Pontificum diſſidium, ex juſta vindicta divina ob publicam impietatem ortum, devotis precibus deprecatur Eccleſia.

LIBER SECUNDUS.

Solatia Chriſti, de ſpe, infandi illius in Eccleſia ſchismatis per SIGISMUNDUM IMPERATOREM extinguendi.

Metrum I. Chriſtus ſolatur Eccleſiam communi fatorum exemplo, quod, uti infortunia & pericula multis ſæpe contingant, ita & cum ſereniori fortuna eadem mox permutentur.

Metrum II. In memoriam Eccleſiæ revocantur priſtina in antiquis malis ſolatia.

Metrum III. Per SIGISMUNDUM IMPERATOREM diſſidia illa in Eccleſia iri compoſitum, læta voce promittitur.

Proſa libri Secundi. Solatia ſuperiora illuſtrantur.

Diſtinctio I. Ex Adami lapſu fons omnis mali derivatur. Ex Chriſti redemptione omnis ſalutis principium repetitur. Quam verò ſub tribus Pontificibus tunc diſſidentibus Eccleſia Chriſti paſſa ſit injuriam, pingitur exemplo Caini Abelem occidentis, & Synagogæ Judaicæ Eccleſiam Chriſti perſequentis.

Diſtinctio II. Eccleſiæ & adverſantium aut illam diſtrahentium contraria indoles magis illuſtratur, Abelis & Caini figuris clarius explicatis.

Diſtinctio III. Eccleſiam manere Chriſti Eccleſiam, etiamſi nullus exiſtat Papa,

Digitized by Google

demonſtratur. Imò nec duos vel tres Papas ſimul exiſtentes obſtare, quo minus Eccleſia maneat Chriſti Eccleſia. Papam poſſe vel ſponte Papatu cedere, vel removeri.

Diſtinctio IV. Eccleſiam eſſe & manere Chriſti Eccleſiam, etiamſi nullus Papa exiſtat, confirmatur.

Diſtinctio V. Publicorum illorum in Eccleſia malorum cauſæ commemorantur. Juſto Dei judicio, ob Præſidum quoque Eccleſiæ peccata, plebem unà cum Magnatibus diſſidiis illis publicis jactari.

Diſtinctio VI. Alia & proximior cauſa infandarum illarum in Eccleſia turbarum & diri ſchismatis notatur: Plebis Romanæ, Pontificis electionem ſibi arrogantis, & Italum aut Romanum poſcentis, tumultus & furor, & demagogorum fraudes & doli, qui plebi ſuccenturiarentur. Recenſeturq; tota ſchismatis hiſtoria usque ad Johannem XXIII. breviter.

Diſtinctio VII. Diſtinctius recenſentur publicorum malorum incrementa tempore illius ſchismatis, per longam Pontificum illorum ſeriem. Ambitio præſertim & Simonia illorum perſtringuntur.

Diſtinctio VIII. Publicam morum emendationem viam eſſe ad unionem, monetur. Promittitur illa ex IMPERATORE SIGISMUNDO. Quadriginta annorum corruptio publica multis & appoſitis pingitur figuris. Meliorum ex SIGISMUNDO fatorum auguria repetuntur.

LIBER TERTIUS.

Sollicita Eccleſia de apto publicorum malorum remedio, de quo fere deſperat, ob infandam morum corruptionem.

Metrum. Eccleſia denuo obſecrat Chriſtum, qui malis medeatur.

Proſa libri Tertii. Illuſtratur Eccleſiæ ſollicitudo de apto malis publicis medendi remedio.

Diſtinctio I. De difficultate & periculis, malis iſtis publicis medendi & ſchisma tollendi, queritur Eccleſia.

Diſtinctio II. Immedicabile, ante Concilium Conſt. radicatum Simoniæ malum graphice depingitur.

Diſtinctio III. Faſtus & arrogantia ante Concil. Conſt. in Clero, ut & in Papa, Cardinalibus & Epiſcopis nimia pompa, perſtringuntur.

Diſtinctio IV. Acceptio perſonarum damnatur, dum indigni ad officia & beneficia olim evecti, digni poſtpoſiti.

Diſtinctio V. Prælatorum ante Concilium Conſtantienſe tyrannis & ſacrilegia taxantur.

Diſtinctio VI. Imperii Romani ante Concilium Conſt. per Pontifices enervatio, gladius Imperatori extortus & Pontificibus vindicatus, vivis pinguntur coloribus.

Diſtinctio VII. Ignorantia Præſidum Eccleſiæ ante Concil. Conſtant. cum dolore deſcribitur.

Diſt. VIII. Variæ circa illud tempus ortæ ſectæ, Conradi Fabri, Wiclefi, Huſſi, & Hieronymi Pragenſis, commemorantur.

LIBER QUARTUS.

Concilium congregandum aptiſſimum malorum tollendorum remedium ſollicita Eccleſia ſubminiſtratur.

Metrum. Solatia Chriſti Eccleſiæ data, ad ſerenam emendationis ſpem.

Proſa libri quarti. De Concilii ope in corruptione publica.

Diſtinctio I. De primis Eccleſiæ ſchismatibus, concilii beneficio ſublatis.

Diſtinctio II. De quatuor conciliis œcumenicis, olim habitis.

Diſt. III. De ſchismatibus variis in prima Eccleſia, iisque extirpatis per Concilia.

Diſt. IV. De ſchismatibus Pontificum Romanorum usq; ad ſeculum XIV.

Diſtin-

Digitized by Google

Diſt. V. De ſchismate ſeculi XIV. tempore Johannis XXIII.
Diſt. VI. Sigismundus Imperator ob Conc. Conſt. convocationem extollitur.
Diſt. VII. Simonia & indulgentiarũ venundatio in Conc. Conſt. tollēda ſperatur.
Diſt. IIX. Faſtui Prælatorum remedium à Sigismundo iri quæſitum monetur.
Diſt. IX. Acceptioni perſonarum & in diſtribuendis officiis Eccleſiaſticis inæqualitati remedium à Sigismundo expectatur.
Diſt. X. Tyrannidem Prælatorum eſſe mulctandam aſſeritur.
Diſt. XI. De Sigismundi Imperatoris Majeſtate. De Epiſcoporum Germaniæ ſingulari jure. De Epiſcopis Italiæ, ut & utrorumque differentia.
Diſt. XII. De variis circa tempora Concilii Conſt. hæreticis, inprimis Wicleſo. Quibus in Concilio Conſtantienſi ſit obviam eundum.
Diſt. XIII. De Conrado Smet, in oppido Thuringiæ Sangerhuſen, ejusque novis dogmatibus ante Concil. Conſt.

LIBER QVINTUS.
De prægrandibus obſtaculis in Concilio Conſtantienſi.

Metrum. Eccleſiæ dolor ob diſcrimina publica.

Proſa libri V. Ingentes ſcrupuli Concilio Conſt. injecti recenſentur.

Diſt. I. De electione Gregorii XII.
Diſt. II. Epiſtola Gregorii ad Benedictum XIII. ſeu Petrum de Luna.
Diſt. III. Literæ Gregorii ad Sigismundum Imperat. & AntiCard. Petri de Luna.
Diſt. IV. Epiſtola Benedicti XIII. ad Paulum de Urſinis, de unione ſarcienda.
Diſt. V. Epiſtola reſponſoria Benedicti XIII. ad Greg. XII. pro reparanda unione.
Diſt. VI. Epiſtola Petri de Luna ad Cardinales Gregorii: Et Cardinalium Petri de Luna ad Cardinales Gregorii, de unione redintegranda.
Diſt. VII. De conſtituta Synodo Gregorii XII. & Benedicti XIII. in urbe Savona. Deque Gregorii XII. excuſatione aut tergiverſatione.
Diſt. VIII. Epiſtola Benedicti XIII. ad Gregorium XII. qua ob tergiverſationem Gregorium corripit.
Diſt. IX. Metuitur de Concilio Conſtantienſi, ut quid in eo fiat, aut concludatur de unione ac reformatione.
Diſt. X. De infauſto Concilii Piſani exitu, in quo pro uno Papa conſtituendo tria emerſere capita.

LIBER SEXTVS.
De arduis rebus in Concilio Conſtantienſi geſtis.

Metrum. Ut Chriſto, reformationem in Concilio Conſtantienſi promittenti, habeatur fides, veracibus credendum eſſe cantatur.

Proſa libri ſexti. Spes emendationis publicæ in Concilio Conſtantienſi, confirmatur.

Diſt. I. Promittitur totius religionis reformatio, in Concil. Conſt. inſtituenda.
Diſt. II. Felicior eventus Concilii Conſtantienſis ratione unionis promittitur, quàm in Concilio Piſano.
Diſt. III. Quod rite & prudenter convocatum ſit Concilium Conſtantienſe per Imperatorem Sigismundum & Johannem XXIII. Papam.
Diſt. IV. Quæ pompa Johannis XXIII. Papæ, & quæ Majeſtas ac ſagacitas Imperatoris Sigismundi, Conſtantiam ad Concilium venientium.
Diſt. V. Qui Electores, Duces, ArchiEpiſcopi, Epiſcopi, Patriarchæ, cum infinito nobilium ac doctorum numero ad Concilium Conſt. confluxerint.
Diſt. VI. De præclaro ordine Conc. Conſt. in quatuor nationes diſtributi.
Diſt. VII. Quomodo Papa Johannes XXIII. obtulerit ceſſionem Papatus ſui in Concilio Conſt.
Diſt. VIII. De Imperatoris Conſtantinopolitani & Eccleſiæ Græcæ Legatis ad Concilium Conſt.

Digitized by Google

Diſt. IX. Proteſtatio Gregorii XII. apud Regem Romanorum, qui paratus ſit ad probanda omnia pacis ac unionis media.
Diſt. X. De abdicatione Gregorii XII. ſpontanea à Papatu, & Cardinalitia poſt eam dignitate.
Diſt. XI. De damnatis in Concilio Conſt. dogmatibus Johannis Hus & Hieronymi Pragenſis, & Johannis Parvi, Theologi Pariſienſis.
Diſt. XII. De Hieronymi Pragenſis recantatione in Concilio Conſtantienſi.

LIBER SEPTIMVS.

De Periculis, cauſis dubiis ac ancipitibus in Concilio Conſtantienſi.

Metrum. Querela Eccleſiæ de periculis novis in Concilio redeuntibus.
Proſa libri Septimi. De magnis, arduis ac difficilibus fatis & momentis quibusdam, in Concilio Conſt. incidentibus.

Diſt. I. De Johanne XXIII. qui poſt reſignationem turpi fuga ſalutem quæſivit, priſtinam dignitatem Papalem affectans.
Diſt. II. De auxilio Ducis Auſtriæ Frederici, Joh. XXIII. à Conc. fugienti lato.
Diſt. III. De Joh. Hus, qui ab incendio pro Martyre ab aſſeclis in Bohemia cultus.
Diſt. IV. De Hieronymo Pragenſi, ſuam revocationem in Concilio factam in Concilio iterum retractante.
Diſt. V. De expectati in Concilio Conſt. Regis Arragonum Ferdinandi obitu: Et de Legatis ejus moras nectentibus.
Diſt. VI. De Petri de Luna ſ. Benedicti XIII. Concilium Conſt. eludendi artibus.
Diſt. VII. De Sigismundo Imperatore, è Concilio Conſt. in Galliam & Angliam digreſſo, pacis conciliandæ gratia.
Lugubre carmen Eccleſiæ in abſentem à Concilio Regem Sigismundum, pacis reſtaurandæ cauſa in Galliam & Angliam digreſſum.
Diſt. VIII. De diſcordia inter Cardinales & alios nationum Prælatos in Concilio Conſtantienſi ſuborta.

LIBER OCTAVVS.

De difficillimis ac intricatisſimis negotiis, in Concilio Conſtantienſi tandem compoſitis & confectis.

Metrum. De ſpe meliorum Eccleſiæ fatorum in Concilio Conſt.
Proſa libri VIII. De arduis rebus in Concilio transactis ipſoq; Concilii Conſt. fine.

Diſt. I. De Johannis XXIII. Pontificis in Concilio Conſtantienſi à ſede Papali deturbati ac dejecti miſeris fatis.
Diſt. II. De Friderici Auſtriæ Ducis, profugi ac exautorati Papæ Johannis XXIII. infelicis protectoris, adverſa fortuna.
Diſt. III. De ſupplicio, animoſitate ac devotione Hieronymi Pragenſis, in Concilio Conſt. exuſti.
Diſt. IV. De impenſo Alphonſi, Arragoniæ Regis, in pacem ac unionem ſtudio, ejusque miſſis ad Concilium Conſtantienſe legatis.
Diſt. V. De Petri de Luna ſ. Benedicti XIII. artibus, fraudibus, ac miſera conditione.
Diſt. VI. De Petri de Luna incorrigibili pertinacia, qui ad Papatus reſignationem nullo modo adduci potuit.
Diſt. VII. Petrus de Luna ad generale Concilium Conſtantienſe per edictum Concilii publicum citatus.
Diſt. IIX. Petrus de Luna contumax in Conc. Conſt. à ſede Papali dejectus.
Diſt. IX. De Sigismundo Imperatore, ex periculoſo itinere ad Conſt. Conc. reverſo. Cujus in Eccleſ. & publicam tranquillitatem merita commendantur.
Diſt. X. Sigismundi Imper. elogia. Sigismundi ex Concil. Conſtant. triumphus. Lætus Concilii Conſtantienſis eventus. Ultima Eccleſiæ epinicia in laudem Sigismundi Imperatoris.

THEO-

Digitized by Google



THEODORICI VRIE
THEOLOGI AUGUSTINIANI SAXONICI
HISTORIA
CONCILII CONSTANTIENSIS,
SIGISMUNDO
IMPERATORI
AUGUSTISSIMO CONCILII CONCILIATORI
INSCRIPTA.

Regi Regum, citra Chriſtum,

SIGISMUNDO,

in IMPERATOREM totius orbis electo, Sacroſanctæ Romanæ
Eccleſiæ Advocato univerſali, Ungariæ Regi præpotenti,
Sereniſſimo Principi,
Eccleſiæ ſanctæ, Chriſti ſponſæ, fideliſſimo filio, Regio exorto ſanguine,
Patriſque ſui Illuſtriſſimi

CAROLI

Regis Imperatoriſque ſemper Auguſti, vitâ, ſcientiâ, regimine, moribus
& prudentia ſectatori,
omniumque virtutum culmine perornato,

FR. THEODORICUS VRIE,

Inter Sacræ Theologiæ Lectores minimus Provinciæ Saxonicæ
Ordinis fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini,
Contra militantis Eccleſiæ adverſarios triumphum glorioſum,
Vitamque in præſenti curſu mundi gratia Dei plenam,
Et poſt hujus conſummationem agonis
Gloriam conſequi ſempiternam.

Digitized by Google

EPISTOLA
THEODORICI VRIE
AD
SIGISMUNDUM IMPERATOREM
PACIS ECCLESIASTICÆ RESTAURATOREM.

Triumphantis Eccleſiæ tranquillitas.

GLorioſus mundi rotundi architectus, Monarcha ſupremus, *triumphantem Eccleſiam* in ſumma *pacis* ac *unitatis* ſtabilitate conſervans, poſt *ſchisma* terribile horrendumq; conflictum, quem *Lucifer protoſchismaticus* cum ſuis ſpiritibus apoſtatis injecit triumphantis civitatis civibus, firmiſſima *tranquillitatis quiete* eam confirmavit. Ejectoque admirandæ gerulo claritatis, cum ejusdem complicibus, in inferni baratrum, tanta facta eſt *unio*, ut nec quidem illi beati ſpiritus, de ſua felicitate ſecuri, amplius decidere valeant aut peccare. Qui communem cum Deo deiformem repræſentantes ſocietatem, ſimpliciſſimam, beatiſſimam atque beatificantem divinam ſpeculantur eſſentiam: *Militantem* optantes *Eccleſiam*, è cujus laribus magnis gravibusve certantes niſibus evolarunt, eidem ſupracœleſti conformari hierarchiæ, in *pacis* ac *unionis* radice firmiſſima. Ut ſancta ſit, & immaculata atque tota formoſa, non habens maculam nequitiæ, nec duplicitatis rugam, neque in ea *diviſio* pateat, aut cujuscunque veſtigii *ſchiſma* clareat, aut *hæreſis* horror deformet: Et, ſi aliquod in ea fuerit virus *ſciſſura*, pariſormiter extirpetur, ad modum, quo triumphans in cœlis Eccleſia poſt *ſchisma luciferi* pace quieſcit æterna.

Militantis Eccleſiæ pax deſiderata.

Pax Eccleſiæ perfecta in terris non ſperanda.

Sed quanquam *pax* perfecta atque integra *in hac militante* haberi nequeat *Eccleſia*: Nam pugnat contra hoſtem, ut vincat, & certat, ut coronetur, altera vero neque pugnat neque certat, ſed ſine hoſte atque adverſario regnat, pacis æternæ lauro coronata: Attamen ſummopere elaborandum eſt niſu toto, perfectoq; conamine inſtandum eſt, ut hoc pernicioſum, periculoſum, horrendumve *ſchisma*, quod jam perelectam Chriſti ſponſam, tunicam inconſutilem, corpusque ejus venerabile, *XL ferme annis* periculoſiſſimo & ſcidit & diviſit *ſchisma* errore, penitus tollatur è medio, & funditus evellatur. Quapropter idem Dominus Rex & ſponſus eandem ſponſam ſuam *unam* vocat & *unicam*, totamque formoſam, dicens: *Una eſt columba mea.* Quam non modo partim pulchram & immaculatam nominat, ſed revera totam pulchram appellat, & incontaminatam perhibet, cum in ſequentia verba prorumpit: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te. Favus deſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua, odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata. Surge, propera, amica mea, veni de Libano, veni, coronaberis.* Eſt namque tunica Chriſti ſponſa inconſutilis, pro qua, milites ne dividerent, ſortiti ſunt. Innuitur, ſponſam ejus, *Eccleſiam militantem* nullo *ſchismate* deſœdandam, aut *quantocius reſarciendam*, ne de ſcintilla ignis, & de virga fiat arbor. Poëta teſte, qui iſta docet præcavere, ſic clamante:

Longum Eccleſiæ ſchisma ante Concilium Conſtantienſe.

Diſſidia mature componenda.

Opprime, dum nova ſunt, ſubiti mala ſemina morbi:
Et tuus incipiens ire reſiſtat equus.
Nam mora *dat vires, teneras quoque percoquit uvas,*
Et validas ſegetes, quod fuit herba, facit.
Quæ præbet latas arbor ſpatiantibus umbras,
Quo poſita eſt primum tempore, virga fuit.
Tunc manibus poterat ſumma tellure revelli,
Nunc ſtat in immenſum viribus aucta ſuis.

Qua-

Quapropter idem ſubdit ibidem:

Principiis obſta, ſerò medicina paratur:
Nam mala per longas invaluere moras.

Eapropter ſi *in principio ſufficientia* fuiſſent adhibita *remedia*, non tamdiu duraſſet iſtud deflendum *ſchisma*. Sed forſan iſtud dixit propheta futurum, cum ajebat: *Quadraginta annis offenſus ſum generationi huic, & dixi ſemper, hi errant corde. Ipſi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, non introibunt in requiem meam.*

Eccleſia corpus Chriſti.

Amplius, ipſa ſacroſancta, in terris militans *Eccleſia*, *corpus eſt Chriſti*, ſponſa, cujus ipſe caput eſt, quod & ipſe corrumpi noluit, eximio teſtante Propheta: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Hinc prædicator egregius, de iſto glorioſo *capite* & *corpore* venerando ad Coloſſenſes ſcribens, ait: *Hac eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ, & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, cujus factus ſum ego Paulus miniſter, qui nunc gaudeo pro vobis in paſſionibus, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.*

Chriſtus caput Eccleſiæ. Chriſtus ſuperior Eccleſiæ.

Eſt igitur *Chriſtus caput Eccleſiæ* ſecundum divinam humanamque naturam. Nam *ſecundum divinitatis naturam* caput eſt Eccleſiæ, ſanctorumque omnium, eos *vivificans* atque glorificans, utens eis ad libitum ſuum, ſicuti caput membris ſuis principatur. Et ſecundum hunc modum tota Trinitas ineffabilis caput eſt univerſalis ſanctæ Eccleſiæ, & triumphantis & militantis. Cæterum *ſecundum humanitatis naturam* caput eſt Eccleſiæ militantis per modum *excellentiæ*, ſed non autoritatis. Sicut caput cætera membra excellit in ſitus altitudine, & in propriæ nobilitate virtutis. Nam nobiliores membris cæteris habet vires, imaginativam videlicet & apprehenſivam, æſtimativam ſive cogitativam, & memorativam. Sic Chriſtus *altitudine* Deitatis immenſæ, humanitatis mundiſſimæ, qua omnium mundavit crimina, & nobilitate virium, qua omnem præcellit creaturam, merito caput eſt Eccleſiæ.

Et revera etiam in *perfectione* excedit. Nam, cum in cæteris membris ſit tactus ſolus, in capite ſenſus omnes ſunt aggregati. Hoc ergo modo *in quatunque natura perfectiſſimum*, *caput* vocitatur, ſicut leo *caput* quadrupedum. Et ſecundum iſtam capitis proprietatem Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, & ſecundum divinam & humanam naturam. Quod ſecundum naturam divinam eſt in eo plenitudo omnis divinitatis. Quod Apoſtolus manifeſte diſſerit, dicens, *in ipſo habitare plenitudinem divinitatis corporaliter.* Et ab ipſo, in quantum Deus, influit in nobis omnes gratias ſpirituales, & ſic dirigit nos in ſe ipſum. Similiter iſta conveniunt ei ſecundum humanam naturam, quæ in Chriſto eſt digniſſima ratione altitudinis, quod eſt usq; ad unionem in perſona divina exaltata. Ratione etiam exaltationis propriæ, quod dignisſimum actum habuit in Eccleſia, ſcilicet redimere ipſam, & ſanguine proprio ædificare. Itemque ratione perfectionis. Nam ſicuti in capite eſt omnium ſenſuum confluentia, ſic & in Chriſto eſt totius gratiæ perfecta plenitudo.

Chriſtus dat vires Eccleſiæ.

Eſt & alia capitis conditio. Nam vires animales cæterorum membrorum habent *motum* ſuum atque *influxum à capite.* Sic namque *caput* dicitur *principium* aliorum membrorum, dans eis ſenſum & motum. Et hoc modo omne principium dicitur *caput.* Ita fons *caput* fluminum nuncupatur, & *caput* libri, & *caput* viæ. Iſto modo etiam Chriſtus eſt caput Eccleſiæ. Nam per ipſum *fidei* ſenſum *charitatisque* motum accepimus, & gratiam & veritatem, ſecundum illud Johannis: *Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.*

Chriſtus dirigit Eccleſiā.

Tertia capitis conditio eſt *virtus directiva.* Dirigit enim reliqua membra in operationibus ſuis & actibus, propter imaginationem & ſenſus, qui in eo formaliter abundant. Sic etiam ob hanc conditionem omnis rector *caput* dicitur, ſicut Rex, Princeps, Pontifex & hujusmodi. Ea etiam ratione Chriſtus caput Eccleſiæ veriſſime appellatur, quod direxit nos per ſe ipſum doctrina ſalutari: Primo per ſe, prædicando, quod cœpit Jeſus facere & docere: Deinde per Apoſtolos & ſanctos doctores, per quos lumine fidei nos illuminavit, & exemplis virtutum mirabiliter dotavit.

Chriſtus

Eſt & quarta capitis conditio. Nam

Digitized by Google

& Eccleſia ejuſdē natura.

caput & membra reliqua ſunt ejuſdem naturæ. Et ſecundum iſtam naturam Chriſto competit eſſe caput Eccleſiæ militantis, & hæc complet capitis rationem in Chriſto. QuodChriſtus ſecundum naturam humanitatis habet perfectionem homogeneam aliis, & eſt principium quaſi univocum Eccleſiæ militantis. Et dicitur caput ſecundum humanam naturam, & gratiâ capitis, ſecundum quam iſtæ proprietates ipſi conveniunt, ſecundum quod influit aliis membris. Et iſto modo convenit nobiſcum in natura ſecundum ſpeciem. Unde conſequitur, quod convenientius Chriſtus eſt caput hominum, quam Angelorum, quod cum hominibus convenit in ſpecie, cum Angelis vero in genere intellectualis naturæ.

Eccleſia ſit una.

Ex quibus luce clarius intelligentibus patulum eſt, *Eccleſiam militantem unam* eſſe debere *in Chriſto*, non diviſam. Nam ſicuti ex capite & corpore fit unum, ſic ex Chriſto & Eccleſia fit unum, inſeparabile & indiviſum, quanquam ſint membra multa, quæ non eundem actum habent. Unde doctor gentium ad Romanos loquens ita clamat: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum ſumus in Chriſto.* Et ſicut ex multis racemis vinum confluit, atque ex multis granis unus panis conficitur, & fit ex his omnibus unum: Sic ex capite Chriſto, & Eccleſia, quæ ex diverſis membris conſtituitur, fit unum. Unum inquam tale, & taliter unum, ut Chriſtus ipſi libellum repudii dare non poſſit.

Schiſmata in Eccleſia unde?

Quanquam plures inſtinctu diabolico permoti ipſum ſanctum Chriſti corpus ſcindere machinantur, per quos fieri ſolent *ſchiſmata* & *contentiones*, quæ corpus ipſum monſtruoſum efficiunt. Et tales ab Apoſtolo *carnales* appellantur. Quales erant Corinthii, quibus idem ſcripſit Apoſtolus, eos reprehendens. Ait namque: *Cum inter vos ſit Zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Cum enim quis dicit: Ego quidem ſum Pauli, alius autem, ego ſum Apollo, homines eſtis.*

Schiſmata Eccleſia ante Concilium Conſtantienſe

Et revera hæc fuit vox jam pleroſque per annos: *Ego ſum Johannis, ego Gregorii, Ego Benedicti.* Numquid Chriſtus diviſus eſt? Abſit. At contra iſtos idem Apoſtolus ad Galatas intonat, *Omnes in Chriſto eſtis unum.* Et iſti corpus Chriſti dividunt, imo caput à corpore ſcindunt. Unum eſt enim corpus Chriſti naturale: Unum corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia, quam nullo modo ſcindi voluit aut corrumpi. Quod, ut idem Doctor ait ad Epheſios, *Unum corpus, & unus ſpiritus, unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus, & pater omnium, qui ſuper omnes & per omnia, & in omnibus nobis.*

E quibus claret, ad *unum caput noſtrum, Chriſtum* videlicet, omnia tendere membra, & omnia unum eſſe in Chriſto. Non ergo diviſus eſſe debet Chriſtus, quem tota Chriſtianitas ita diviſit. Quippe hæc *unio* monſtratur in Chriſto, cum non cor noſtrum, ſed caput, neque cor Eccleſiæ, ſed caput Eccleſiæ affirmetur. *Cor* enim eſt principium virium vitalium in toto corpore, & eſt primum principium membrorum omnium, quantum ad eſſe. *Caput* vero aliarum virium eſt principium, quæ ad ſenſum motumque pertinent. Cum igitur Chriſtum dicimus eſſe principium membrorum Eccleſiæ, non eſt intentionis doctorum, quantum ad eſſe naturale, ſecundum quod homines ſunt: Sed *quantum ad fidem & charitatem*, per quam Eccleſiæ membra uniuntur, quod ſunt unum corpus Chriſti, & ſunt unum in Chriſto. Hanc autem *unionem*, quæ poſt illam, quæ ſacratiſſimo in virginis utero facta eſt, excellentiſſima comprobatur, impedit præſens *flebile ſchiſma.* Unde quantæ & quot fuerint diviſiones, quot accreverint contentiones, quot emanaverint ſciſſuræ, claret mundum per univerſum.

Unionis deſiderium.

Diſſidia tollenda.

Qua de cauſa ſumme neceſſarium eſt, currens iſtud miſerandum atque pernicioſum *ſchiſma extirpari funditus*, ut ſacroſancta Eccleſia, Chriſti ſponſa, in Chriſto ſit una: Et populus hinc inde, diviſus, pretioſo Chriſti ſanguine redemtus, diu deſideratam & affectatam *pacem* conſequatur, qui huc usque magnis fluctuans in dubiis ignorat, cui parti debeat adhærere. Qua peſtilen-

ti ac nefaria ſemota ſeditione, ipſa Chriſti ſponſa electa una & unica reſplendebit. Pro qua & Propheta deprecatus eſt in perſona ſponſi ita dicens: *Libera de manu canis unicam meam.* Sane Eccleſia, quæ una eſſe debet & unica in manu *canis* fuerat, hoc eſt, ſub luciferi perſtitit poteſtate, à qua ſe quotidie per *filios* ſuos, quos enutrit, quos refocillat, gemitibus inſtans, ſuſpiriis inhians, repleta doloribus, petit, poſtulat, obſecrat & exclamat liberari. Hi ſunt, quos non filios aut fratres, ſed *patres* & *doctores* appellamus, *inter quos quidam* dignitate atque reverentia *ſacerdotali*, *nonnulli* verò *regia funguntur poteſtate*. Quibus priſcis & temporibus retroactis queruloſa loquebatur voce, in hæc triſtitiæ verba prorumpens: *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.*

Reformationis votum. Sed nunc temporis advenit plenitudo, quo immaculatus ſponſus deſolatæ dudum miſerebitur ſponſæ: Per filios alios, quos parturiit & peperit, qui ipſam peſtilentem, turbatam, diviſam, ſciſſamque, in hoc acceptabili tempore totis pro viribus intendunt & anhelant *reformare*.

Sigismundus Reformationis autor. De quorum numero *VESTRA SERENITAS* è ſeraphico demiſſa ſolio, caput eſt atque principium, finis atque medium, & totius originis fundamentum. Quæ non modo patrium ſolum, dominium, regnumve proprium, ob crucifixi fidem reliquit, ſed etiam terras adiit alienas, & remota climata mundi: Quatenus Ipſa ſumma cum prudentia, quâ ſponſus EANDEM excellentiſſime perornavit, flebile præſens, inveteratum, imo quodammodo induratum ſchisma exterminet & evellat. Quam utique Illuſtriſſimæ *VESTRÆ MAJESTATIS* Serenitatem Chriſtus, caput & ſponſus ſponſæ ſuæ Eccleſiæ, lamentabiliter læſæ, Rex Regum & Dominus dominantium, ſibi ſingulariter præelegit fideliſſimam, atque fundatiſſimam reparatricem, prout evidentia facti monſtravit, probat & probabit. HANC enim elegit ille atque prædeſtinavit, qui prædeſtinatus eſt, Dei filius, in virtute ante vaſti mundi conſtitutionem, & ſua infinita diſpoſuit ſapientia ad tam egregium, arduum, neceſſariumque negotium perficiendum, quod pleriſque præclariſſimis ex omni mundi ſapientia viris difficile, imò impoſſibile factum eſt effectu. Quod, quanquam inceperint omnibus, quibus poterant, opera & opere, nixibus atque niſibus, ſcandaloſum iſtud atque flebile tollere ſchisma, in fine tamen, quem aſpirabant, defecerunt. Et id quidem tam excellens *ſanctæ unionis* diu deſideratum negotium, ne ulterioris ſentiat dilationis detrimenta, ad Vos, tanquam ſereniſſimum & *Eccleſiæ ſanctæ fideliſſimum advocatum* eſt devolutum, ut afflictæ ac deſperanti Chriſtianitati finem optatum imponatis affectualiter, cum effectu. Quantum namq; *VESTRA SERENITAS* ad id perficiendum elaboraverit, quantumque effecerit, orbem noſcitur per univerſum, & in librorum proceſſu ſuccurrente Domino propalabo.

Sigismundi encomium. Eja ergo! Quantum fecit divina clementia, felicem illam animam moli corporeæ infundendo, & carceri carneo includendo! Euge & gaudeat illa Deiformis anima, Dei imagine incomparabiliter inſignita! Quanto condita eſt ſanctorum tripudio Angelorum! Quibus deinde claritatis ſpeculum intellectus aperuit, ut præſcirent, Eandem ſponſo candido & rubicundo ſponſæ flebili & triſtanti ſe pacis ac concordiæ fœdere jugiter unituram, miſerandi ſchimatis veneno penitus extirpato.

Ob id igitur, aperiendum, *PRINCEPS ILLUSTRISSIME*, citra Chriſtum, in hoc orbe præſentis miſeriæ Regi Regum, *librum* DE CONSOLATIONE ECCLESIÆ, ſanctæ ſponſæ Chriſti, hucuſque deſolatæ, reverenter ſcribo atq; offero. Humiliter & devote commendans ordinem meum *VESTRÆ SERENITATI*, quem *Illuſtriſſimus Imperator ſemper Auguſtus*, CAROLUS, *Bohemiæ Rex*, Veſter genitor felicis memoriæ, multis favoribus & promotionibus eſt proſecutus. Perſonamque meam nullius valoris præſinceriſſimæ Veſtræ Claritati commendo, ſupplicans Deo, pro nobis omnibus crucifixo, quatenus *SERENITATIS VESTRÆ* præclaram Reverentiam ſanam atque incolumem, & ſua plenam gratia uſque ad felicis animæ expirationem dignetur conſervare. Amen.

 LIBER

Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

QVERELÆ ECCLESIÆ

De miſero ſuo ſtatu ante Concilium Conſtantienſe.

METRUM PRIMUM.

Quo Eccleſia recolit ſtatus ſui primævi ſereniorem fortunam.

FLorens deliciis cantabam carmina lætis,
Dulcifluosq; ſonos me reſonante dabant.
Schiſmata ſcindebam, ſectas vanasq; cavebam,
Dogmate mellifluo ſchiſmata deſpiciens.
Fortis & armata conſevi ſemina grata,
Lumine quæ rutilo lumina clara dabam.
Mater eram natis, Chriſti de ſorte vocatis:
Grata mihi ſoboles, grataque mater eram.
Petra mihi *Petrus*, Phœbus radians mihi *Paulus*,
Sponſa fui *Domini*, ſponſus & ille mihi.
Cœtus Apoſtolicus cantabat cantica, cujus
Delicias colui, terrea quæque negans.
Secta procaxque gravis, ſententia falſa, rebellis,
Non eſt fuſa meo dogmate ſplendifero.
Candida tota patens, maculam rugamque relinquens,
Melle fluens fueram, dulcia mella gerens.
Mecum plauſerunt, & dulce melos cecinerunt
Climata ſeptena carmine mellifluo.
Aſtra poli radiis ſplendebant ſplendida claris,
Numina ſtellifera gaudia plura dabant.

* * *

METRUM SECUNDUM.

Quo deplorat Eccleſia caſum primi ſui ſtatus, & invehitur in Papam, Cardinales, & alios Prælatos Eccleſiæ, qui circa tempora Concilii Conſtantienſis fuerint omnes *vitio Simoniæ* infecti.

SEd reſtat lacrymoſa dies, qua triſtia promo!
En lacrymoſa dies carmina flenda dabit!
Flebilis iſta dies, cecidit qua gloria ſponſæ,
Gloria qua cecidit. En lacrymoſa dies!
Triſte dabo carmen, plauſum quia triſtia pellunt.
Audiat hinc ſponſus. Nam lacrymoſa dies!
Proſternor fortis, collidor, læſa reformans:
Cuncta fovens, pereo, viva regens, morior:

Me

Digitized by Google

Me gratam matrem perimit mea proles iniqua,
Quam genitam pavi pectore ſæpe meo.
Quis vidit ſimile, quis talia ſenſit amara?
Quod propriam voluit quisque perire matrem!
Vitis eram palmesque placens cum fructibus aptis,
Spem validamque dedi, gaudia plura colens.
Sed cum tempus erat fructus, dedit ipſa labruſcas,
Vitis fructifera ſemina prava gerens.
Et roſa pulchra rubens, roſa candida, prata ſerenans,
Et fueram fructu ſic roſa facta meo.
Crevit ſpina mihi, ſine fructu ſpinea fio,
Sum veluti turpis arida facta dumus.
Gramine, germine, ſemine pinguis, flore coruſca,
Depereo toto climate tota meo.
Papa ſtupor mundi cecidit, ſecum cecidere
Cœlica templa, mea membra, ſimulq; caput.
Papa dolor! mundique pudor! per crebra pateſcit
Crimina, ſeu ſcelera, famine ſonifero!
Heu *Simon* regnat, per munera quæque reguntur:
Judiciumque pium gaza nefanda vetat.
Curia papalis fovet omnia ſcandala mundi:
Delubra ſacra facit, perfiditate, *forum.*
Ordo ſacer, baptiſma ſacrum, cum chriſmate ſancto,
Venduntur turpi conditione *foro.*
Dives honoratur, pauper contemnitur, atque
Qui dare plura valet munera, gratus erat.
Aurea quæ quondam fuit, hinc *argentea*, *Papæ*
Curia, procedit deteriore modo.
Ferrea dehinc facta, dura cervice quievit
Tempore non modico. Sed modo facta *lutum.*
Poſtq; lutum quid deterius ſolet eſſe? Recordor,
Stercus. Et in tali curia tota ſedet.
Singula degenerant, putreſcit curia Papæ,
Ipſe caput ſcelerum dedecus omne parat.
Papa illum ſponſumque meum dirus crucifigit,
Sicque iterum patitur dira flagella Deus.
Abſolvens alios, ſe in mortem dejicit ille,
Turpiter inque ferum ſe jacit ille ſcelus.
Heu pudor! heu dolor! hinc & heu miſerabilis ipſa,
Quæ fueram valida, vulnera multa fero.

***

METRUM TERTIUM.

Quo Eccleſia invehitur in humanum genus, quod degenerarit ultra omnem naturam cæterarum creaturarum.

SErvat cœlum mobile firmo lumine curſum,
Jupiter atque Venus, Mars, Mercuriusque Saturnus.

Phœ-

Phœbus, clarus lumine puro, tramitte grato,
Cum luna motum ſervat, quem condidit ipſe
Ordo, laudis germine magnus, flore coruſcans.
Sic roſa, ſic quercus, fortis leo, ſic quoque agnus
Producunt fœtus, quos vis dedit inſita rebus.
Eſt ſtabili fundata loco, quæ pendet ad undas
Frigida tellus, ſchemate vilis, vilior antris.
Nobilior natura Dei, quam vexit ad alta,
Turpior extat, ſicca, tetra, nigrior illa,
Unda labilior, quia ſpernit cantica ſummi.
Proſpera geſtit, paret pravis, mente procaci.
Heu mortale genus, quantum tu degeneraſti!
Ut cœli partem, quam conditor ingeniavit,
Turbida ſepellas, te brutis æquiparando.
Hinc vultus pallet, oculus flet, cuncta liqueſcunt
Corporis in membris conſita pulchra meis.

* * *

METRUM QVARTUM.

Quo Eccleſia invitat inſenſibilia ad deplorandam illius tempeſtatis corruptionem publicam.

O Dolor, omœror! o quantus luctus! Et aſtra
Cœlica flete modo! Tempora triſte parant.
Plangat tellus, & unda fleat, pontus lachrymetur!
Flammivomusque rogus evomat & lacrymas.
Omnis ſtella poli, Zonæque per omnia plorent,
Signifer obliquus proferat & lacrymas.
O vos ſigna poli voces emittite planctus,
Semina vilia vos tam generaſſe palam.

* * *

METRUM QVINTUM

Quo Eccleſia priſtina & meliora ſua fata, ſincerioremq; ſuam in fide ac religione conditionem, ex Salomonis imaginibus in Cantico Canticorum, repetit ac decantat.

FLorida de roſeo quondam ſtillantia flore
Mella tuli, ſponſoque dedi, præ cordis amore.
Ob quæ baſia plura dedit, quæ contulit ore.
Et dedit ora mihi dulci manantia rore.
Ubera temeto mea tunc meliora fuêre,
Unde meus dulce voluit lac ſponſus habere.
Me meus invexit in ſtratum ſponſus amœnum,
Dulces præmonſtrans oculos, vultumque ſerenum.
In me lætitiam, contemta nube doloris,

Exul-

Exultans habuit, plenam ſplendore decoris.
Novit me fuſcam, nec ob hoc patui ſibi pigra.
Et violæ tales ſunt & vaccinia nigra.
Nigra, ſed obſerva, ſum nigra micansque vocata,
Quæ candore meo ſum ſponſo ſponſa probata.
Quam ſponſus pulchram laudat ſplendore genarum,
Quæ nunquam promſi quod torvum, vel ſit amarum.
Ut turtur ſimplex, & caſta, ſimulque pudica,
Sic ſponſo fueram pulcherrima ſemper amica.
Ut flos in ſpinis niveo candore niteſcit,
Sic meritis digna mea mens in amore liqueſcit.
Lectulus hic fuerat contectus gramine florum,
Labe carens vitii, ſpirans virtutibus horum.
Lingua, mente, manu, ſplendebam tota coruſca,
Mundanæ maculæ nulla nigredine fuſca.
Et favus in labiis diſtillans dulcia mella,
Lac quoque ſub labiis depellens triſtia fella.
Subfuit & capiti leva ſponſi plena pudoris.
Dextra dedit ſponſæ complexus larga ſoporis.
Sponſa fui ſponſi cœleſti lumine plena.
Atque columba Dei, florens, clarens & amœna.
Sponſi continui dulcis conſtanter amorem,
Quem quærendo diu reperi renovando laborem.
Et dixi: Tenui, teneo, ſponſumque tenebo,
Quem nec dimittam, ſed amicum ſemper habebo.
Sæpe meus venit proprium dilectus in hortum,
Comedit fructum lignis de dulcibus ortum.
Et bibit vinum de vaſe meo renovatum,
Hincque favum cum melle meo dulcem, ſibi gratum.
Pulchra fide, dulcis ſermone, ſuavis amica,
Corde decora fui meritis, cum carne pudica.
Lilia tunc legit: Nam caſtas flore pudoris
Mentes collegit ad præmia ſumma decoris.
Meque ſibi junctam tunc ſponſam ſponſus amavit,
Dogmate quam ſacro, dulci quoque laude beavit.
Filia quæque Sion me cernens laude trophæi,
Et cum Reginis laudavit luce diei.
Candens, ut luna, lucis dulcedine luxi,
Ut ſolis radius lecta rubedine fluxi.
Dilexi ſponſum ſponſi dulcedine capta,
Cujus amore liquens ſurſum forem undique rapta.
Sponſa meo ſponſo ſervavi poma vetuſta,
Et nova mala ſimul pulchro candore venuſta.

***

METRUM SEXTUM.

Quo Eccleſia conqueritur apud Chriſtum de dilato auxilio in iſtius temporis calamitate, ſtylo Cantici Canticorum.

Digitized by Google

O Heus præteriit, fingens ab amante receſſum,
Subtraxit greſſum, ſponſus, mea limina ſpernens.
Dulcoris guſtum mihi tollit ſponſus amœni,
Vberis hinc pleni lactis pellitque ſaporem.
Sponſa meum quæro, gyrans, & quærito ſponſum:
Nec dat reſponſum, nec percipit aure vocatus.
Surgo, meo, curro, me quæſtus cura fatigat.
Nec per quem figat ſua lumina,, cernit ocellus.
Cuſtodes ſed me cernunt, quam vulneris ictu
Diro conflictu quatiunt, *mea vellera tollunt.*
Heu dolor, heusque labor, pudor hic, mea dira rapina
Subtraxit vina dulci ſtillantia vite.
Heus ſponſi facies! Heus ejus pulchra figura
Eſt mihi jactura, quam ſpernit amatus amore.

* * *

METRUM SEPTIMUM.

Quo Eccleſia anhelat ad opem ſibi à Chriſto ferendam, ſtylo Cantici Canticorum & verbis Mariæ Magd.

NUm vos vidiſtis hunc, pro quo mens mea mœret,
Cui totis hæret affectibus iſta figura?
Dicite, num ſponſum vidiſtis, numque tuliſtis?
Hunc humeris iſtis capiam ſemperque tenebo.
Dicite, num lateat: magno ſectabor amore,
Ejus ut ex ore vocem mittat mihi dulcem.

* * *

METRUM OCTAVUM.

Quo Eccleſia implorat Chriſtum, qui præſentibus malis medeatur.

DIc ubi, ſponſe, manes, ſolito quem diligo niſu.
Qui ſplendore tuo ſum pulchra venuſtaque viſu.
Dic, ubi, ſponſe, cubas, ne pervaga ſim, vaga currens.
Accedas, rogo te, mihi ſubde ſilentia quæſo.
Audi nunc miſeræ vocem, carmenque doloris,
Horroris planctum tua, te precor, audiat auris.

* * *

METRUM NONUM.

Triſtes Eccleſia canit elegias, quibus ſuam illa ætate in corruptione publica miſeriam deflet.

VÆ mihi, ſponſe meus, mihi væ, væ, væ mihi, ſponſe!
O dolor! ô rabies! Væ mihi, ſponſe meus!

Ter-

Terricolis ſic prædixit dulcis paranymphus,
Væ, væ, væ ſit eis! Væ mihi ſponſe meus!
In me tela mea proles trajecit iniqua,
Et caput & membra. Væ mihi ſponſe meus!
Omnes declinant: Et inutilis omnis amicus,
Proh pudor! eſt factus! Væ mihi ſponſe meus!
Inſpexit terram Dominus, uæſivit & unum
Juſtum, nec reperit. Væ mihi, ſponſe meus!
Hinc clamant, fingunt, ululant cum crimine grandi:
Non Deus eſt ultor. Væ mihi, ſponſe meus!
Me tribulant omnes, & cantant fulmine forti:
Spes tibi nulla patet. Væ mihi, ſponſe meus!
Vah! veteri legi ſum turpis fabula facta,
Gentibus opprobrium. Væ mihi, ſponſe meus!
Atque tuis, ſponſe, monſtrum ſum facta, cachinni,
Meque manu monſtrant. Væ mihi, ſponſe meus!
Schismate me magno mea proles commaculavit
Tempore non modico. Væ mihi ſponſe meus!
Dedecus hinc populi ſum facta, ruina potentum,
Atteror opprobriis. Væ mihi, ſponſe meus!
Clara velut ſtellæ ſplendens jam ſordida labor,
Candida ſicut ebur, pereo, ſponſe meus!
Pulchrior in pulchris, qua nunquam pulchrior exit,
Horrida jam venio. Væ mihi, ſponſe meus!
Melle mage dulcis, claroque micantior aſtro,
Nunc ſpernorque teror. Væ mihi, ſponſe meus!
Me totam velat, & deſperatio lædit,
Nec ſpes ulla mihi. Væ mihi, ſponſe meus!
Mitior agno, purior aura, clarior auro,
Deprimor ac ferior. Væ mihi, ſponſe meus!
Turture ſimplicior, vernanti pulchrior herba,
Dedecoroſa feror. Væ mihi ſponſe meus!
Ille decens vultus, tibi gratus, tollitur hoſte:
Vulnera plura mihi. Væ mihi, ſponſe meus!
Languit, aruit, occidit illa lucerna coruſcans,
Illa fides fidei. Væ mihi ſponſe meus!
Ille ſtatus roſeus, nullo qui ſchismate vixit,
Decidit, & cecidit. Væ mihi, ſponſe meus!
Huc properate viri, jam florida confluat ætas,
Plangite nunc teneri. Væ mihi, ſponſe meus!
Fundite fletus, pungite pectus, plangite cuncti,
Dicite jam pueri, væ mihi ſponſe meus!
En mala ſors, extat mea mors, mea gloria quævis
Decidit in rabiem. Væ mihi, ſponſe meus!
Pœna mihi mea vita gravis, mea vita peribit,
Mors erit infelix. Væ mihi, ſponſe meus!

PROSA LIBRI PRIMI.

Pares Eccleſiæ lacrymas fundens.

DISTINCTIO I.

Eccleſia figurâ Caini & Abelis pingit ſtatum ſuum geminum, ſinceriorem in Abele, & corruptum in Caino. Et dolet, ſe in præſenti iſta corruptione publica pravam Caini indolem referre.

AB origine machinæ mundi, cum tu, o mi ſponſe amantiſſime, cæteris creatis, formaviſſes hominem, ad tuam imaginem tuamq; Deiformé ſimilitudinem, cui mandatum poſuiſti, ut multiplicaret infirmum adhuc mundum cognovit uxorem ſuam anno vitæ ſuæ xv. ille videlicet primus accola, paradiſi terreſtris cuſtos, *Adam*, & genuit *Cain*.

Qui cum adoleret, factus eſt avarus agricola. Quem pater ejus docuit Deo primitias ac decimas offerre. Obtulit ergo corroſas ſpicas & vacuas, fructu jam excerpto, ſibi ipſi meliora reſervans.

Transactis igitur XV. annis aliis poſt nativitatem Cain, Eva genuit *Abel*, virum totius innocentiæ cultorem, cui de gregibus cura fuit. Offerens Deo oblationem gratam, acceptus illi factus eſt. Et id quidem ex ſacrificii immolatione pernotuit. Nam ignis de cœlo deſcendens offertorium ejus ſuccendebat. Quâ re â fratre penſata, concidit ipſius facies, immutatusque eſt vultus illius, & doloſe Abel in agro Damaſceno peremit.

E quibus *duæ civitates* ortum habuere. Una videlicet *ſanctorum*, quæ peregrinatur in terris, expectans habitationem in cœlis. Hæc, inquam, ab Abel incepit, & non ab Adam, quod ſic continua non fuiſſet. In hoc igitur juſto & ſancto homine ego paupercula initium ſumſi, & non in primo parente Adam, ut initii mei, atque fontalis principii nullus unquam finis adeſſet. Fuit & iſte monogamus, præſignans, unius virginis unum & unicum eſſe debere ſponſum, ut fides inter ſponſum ſponſamque ſtabiliſſima

Abel idea proborum.

conſervetur, quos Deusglorioſus conjunxit, ne & ipſos poſſit homo, aut proprio, aut diabolico perſuaſus inſtinctu, ſeparare.

Altera verò civitas *reproborum* eſt, quæ in hac terra ſuum conſtituit habitaculum, ab amore ſui incipiens uſque in contemtum Dei. Hæc eſt quæ de ſalute æterna, ſicut Cain, deſperat. Hic fuit primus Rex, qui primam in terris condidit civitatem, & eandem fraterna cæde immaniter fœdavit, opes atque divitias rapinis congregans, & violentia uſurpans, ſuos ad latrocinia incitavit. Terminos terræ primus poſuit, civitates munivit, & quod, quos offenderat, metuebat, ſe ſuosque in urbibus collegit. Ex iſtius progenie natus eſt *Lamech*, vir bigamiam primus introducens. Hic eſt ſeptimus ab Adam. Nam Adam genuit Seth, qui Enos, qui Caynan, qui Mahalael, qui Jared, qui Enoch, qui Methuſalem, qui Lamech. Et hic finem habuit ætas prima mundi.

Cain idea improborum.

Ex his argutias, ut etiam claro patet intuitu, conjicio. Ac deinde me firmiſſima convicturum ſententia arbitror, *ſtatum propoſitum commutatum*, atque ea, quæ de Cain recitata ſunt, ſervire occurrenti ſpeculationis modo, ut penitus videar *ex Ada primogenito ortum atque radicem contraxiſſe.* Quod ne indignum videatur atque abſurdum, ſuper jam poſitis fundor fundamentis. Primario namque præmonſtratum eſt, ab Abel idcirco me ſumſiſſe originem, ne exiſterem interciſa, ſed continua, non interpolata. Secundo, ut monovira eſſem, non bivira aut trivira, cum ille in ſingulis me taliter figuraret. Ex iſtis convincam luce clarius, me *in Cain ortum habuiſſe.*

DISTINCTIO II.

Eccleſia Cainiticam ſuam conditionem tempore nefandi illius ſchismatis graphice pingit, & corruptisſimos eosque continuos illius ſeculi mores aperte deſignat.

Malorum ſucceſſio continua.

QUoad primum, breviſſime me expedire docet intercisſio manifeſtisſima, quam ſi quis negare voluerit, proprio ſe percutit gladio. Per totum namque mundum omnia, quæ enumerari poterunt, *mala malis ſuccedunt*, *bona* vero *bonis ſuccedere non videmus.*

Sunt jam *quaſi quadraginta anni*, in quibus tantam *continuationem ſervant* non modo *mali* ſed & *pesſimi:* Ut ego quaſi tota videar à te tuisque filiis derelicta. Si tempus jam recitatum computationi redderemus, utique oculato lumine intueremur, quot & quanti regnaverint & regnent *tyranni*, tam *dignitate ſpirituali*, quam temporali *fungentes* poteſtate, rapientes, ſpoliantes, deprædantes, incendentes, & templa tua meaque prophanantes.

Tyranni.

Veniamus ad *hæreticos*, fidem tuam impugnantes, & ecce innumerabilis eſt eorum exercitus.

Hæretici.

Quondam regnaverunt tyranni, me pro ſuis viribus vulnerantes & perſequentes. Tyranni quidem ab orthodoxa fide alieni. Sed nunc *cum tyrannis*, Chriſtiano vocabulo gaudentibus, erigunt ſe impiiſſimi fidei noſtræ inimici, *hæretici*, per orbem viri famoſi de Nimrod ſuſcitati.

Reſurrexere de ſuis *Datan & Abiram* ſepulchris, ſe contra Moſen hominem mitiſſimum erigentes. Qui ſunt hi, niſi *ſchismatici*, ſindentes me ſponſam tuam flebili ac neſandiſſimo *ſchismate*, quod jam, proh dolor! quaſi *annis XL. te* offendit, me moleſtat, te percutit, me vulnerat, te lædit, me anxiat, contra te errores, & mihi immittit dolores.

Schismatici.

Ecce qualis eſt hæc continuatio! Timeo, ne ſit *deſolatio*, de qua Propheta Daniel ait: *Et finem deſolatio non habebit.* Tota igitur eheu plena ſum, proh dolor! per continuationem hominibus malis, imò peſſimis, noſtræ ſacroſanctæ religionis inimicis. Et hoc melius ad *experientiam* cernimus, quàm in codicibus legimus.

Doceat & approbet iſtam argutiam ipſa certiſſima *evidentia*, quæ omnium rerum efficax eſt magiſtra. Si poteris, elice, vel ſi magis placet, elige *bonos, juſtos, ſanctos, pudicos, ſobrios, prudentes, humiles, mites, manſuetos:* Velles utique, ſed *non invenies.* Et ô utinam *unum bonum* invenire poſſes, *unum* dico *ſapientem, prudentem, religionis* tuæ *dilectorem, pudicum, caſtum, benignum, miſericordem! Unum* dico. Quæro ipſa, ſed non invenio. Quod Prophetæ dictum, qui mentiri non poteſt, verificari neceſſe eſt. Ait namque: *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat an ſit intelligens aut requirens Deum.* Et reſpondet: *Omnes declinaverunt, ſimiliter inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt usque ad unum.*

Impii.

Ecce cerno non eſſe bonum hominem inter filios hominum. Et tu noſti, quod tu ipſe fuiſti, qui de cælo videbas, & non inveniſti quærens unum bonum hominem. Quomodo igitur fui continua, quæ vitiis omnibus plena ſum? Heu mutatus eſt color optimus.

Merito igitur radicem traxi de *Cain*, cum omnes filii mei *raptores* ſint, & *avari, invidi, iracundi, latrones, hæretici, ſchiſmatici* penitus & *tyranni*, me matrem ſuam per omnia infamantes, ſcandalizantes & deſtruentes.

Digitized by Google

Distinctio III.

Queritur Eccleſia, ſe per tres Pontifices Schiſmaticos, Johannem XXIII. Benedictum XII. & Gregorium XIII. miſere laceratam, ut neſciret, quam ſequeretur partem, aut quo ſe verteret.

AMplius radix ſecunda, quod videlicet *monovira* eſſe debeo, & non *bivira*, luce clarius apparet, cum neque in Eccleſia ſacerdos aliquis bigamus eſſe valeat. Talis namque prohibetur ordinari. Eadem igitur ratione & ego unico ſponſo unica ſponſa nubere cogor. Sed revera me non modo biviram ſed & *triviram* & extitiſſe & jam eſſe, ipſa docet experientia manifeſta. Soror namque tonantis hoc modo *novitii ſolum relictum* eſt. Jovis altitonantis *relicta* videor, aut certe *concubina*. Unde herculeas, ut timeo, comitabor inſanias.

Scio namque, noruntque multi, ut priora repetam, unius uxoris unum & unicum ſponſum ſecundum legem tuam, neque plures eſſe debere. Nam ſacerdos aut Epiſcopus bigamus eſſe prohibetur. Unde Pauli gentium Doctoris ſententia hæc eſt: *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum.* Cujus ſententiæ ſenſus trifario eſt intelligendus intellectu. Primo, unius, quod *non plurium uxorum:* ſecundo, unius tantum *uxoris*, hoc eſt, *non concubinæ:* Et hic eſt intelligendum quod fuerit tantum uxor ejus, & nunquam concubina: Itemque tertio, unius tantum hominis, *non plurium virorum.* Debet ergo eſſe una unius viri, & unus unius uxoris, propter integritatis ſervandam fidem.

Ex his moveor, multumque perturbor, videorque ſimpliciter *derelicta*, abjecta ſimiliter & *contemta*. Claret, o mi ſponſe dulciſſime, cui loquor, cui gemitus ediſſero meos, in te mea jaculor ſuſpiria, ad te habeo ſecreta quæ perferam, quomodo non tam unicam, ſed plures acceperis ſponſas. Diviſiſti te in plures, meque contemta ſuperinduxiſti alias. Neſcio tamen, an *adulteras*, an *concubinas*. Adultera ſecundum legem tuam, quam ipſe ſanxiſti, divortio disjungitur. Bigamiam etiam ipſa lex tua non admittit. Quomodo ergo *tres uxores* duxiſti? Forſan *concubinæ* ſunt. Et id ipſum ſchisma tua ſcriptura vetat. Vel fortuito in fornicatione tibi junctæ ſunt illæ concubinæ. Et ſic in nefandis criminibus lex tua ſalvifica vivit. Non ergo ex Abel monogamus, ſed trigamus ex Cain progenie factus es. Et ego *bivira* & *trivira* rei evidentia probata ſum.

Tres Pontifices de Eccleſia contendentes.

Vetus illa quondam legis ſumma bigamiam permiſit, & trigamiam, raritate generis humani coacta: Sed in noſtra niſi morte interveniente non admittitur bigamia. Neque ſacerdotem etiam quocunque emergente caſu concedit eſſe bigamum, quippe qui eo ipſo irregularis efficitur. Et tu, o mi ſponſe dulciſſime, qui per *virginem* præſignaris, omnimodam ſervare debes integritatem. Ego vero per *ſacerdotem* deſignari non dedignor, quod nempe ſemper immaculata polleam caſtitate, quæ ab adultero Diabolo ad te ſponſum meum tranſivi. Tenes igitur uxoris locum, ſed virginis. Nam ſicuti mulier quoad procreandam ſobolem, nutriendam, cuſtodiendamve primiceria ac principalis eſt: Ita & tu filiis tuis prælatus es, ut eis de omnibus, quæ neceſſaria ſunt, providere non dedigneris. Qua ex re tu nullo modo, nulla vi, nullove ingenio ſponſæ tuæ fideliſſimæ fidem frangere deberes, quam utique te fregiſſe negare non valebis.

Dic ergo quæſo, quæ eſt ſponſa tua? Quæ uxor tua? Illa, quærito, quam fovit *Johannes* XXIII? An illa, quæ conſenſit *Gregorio?* Aut ea, quam ſuſtinet *Benedictus* in Francia? Et utinam hujus rei ſcirem veritatem!

Quapropter, o mi ſponſe amantiſſime, qui caſtis amplexibus mihi conſueveras conjungi, cur tanto tempore fracta fide à me diviſus es, adulter factus, neſcio an fornicarius? O veſania! O fu-

O furor! O viſcerum meorum inexplicabilis dolor! Quo hæc merito merui, ut ſic à te contemta videar, cui jam olim, ut me haberes unicam, tantam dignatus es fidelitatem oſtendere, ut crucifigi non dedignareris. Quid igitur feci tibi, aut in quo moleſtavi te, reſponde mihi. Æqualis appareo claritati abjectæ atque nefandæ ſynagogæ, nec non reſplendentiæ gentilitatis, quæ quodammodo ſejectis ignorantiæ tenebris in *noſtra diviſione* lucem ſe gloriantur atque gloriam induiſſe. Quondam ego lucifera mundum veri ſolis radiis illuminavi, nunc tenebris & erroribus, omni poſthabita tergiverſatione, ſum veſtita.

Luſtris octo quaſi jam peractis, tempus implens *ſchiſmatis*, nulla ſpe feror, paſſionibus dedita, in cruce levor immolata peſſimis. Utinam Agamemnonis inclita fuiſſem filia, ut ſic ſaltem Deorum fuiſſem auxilio defenſa. Unde vultus pallet, corda languent, atque omni ſpe ſolatioque deſtituta, tam crudeliter atteror, ut etiam me pigeat vivere; Imo tædet animam meam vitæ meæ. Et ut adverſum te loquar, eloquium meum eſt neceſſe: Si ſponſus meus es unicus, fidemque ſi ratam habueris matrimonio combinatam, ſi ſacramentum tenere volueris, facito, ut & ego tibi ſim unica ſponſa tua, non diviſa per partes, non per *ſciſmata* ſciſſa, non per *diſſenſiones* maculata. Ad te enim ſpectat defendere ſponſam, & ab omni tribulatione immunem conſervare. Quare me lacerari permittis? Quare tunicam tuam, quam ſcindi nolebas, dirumpi admiſiſti? Quare ſanctum corpus tuum à corruptoribus non defendis? Ad te ſpectat paſcere gregem tuum, & à *canibus male cuſtodientibus* liberare, qui revera *mercenarii, non paſtores* comprobantur, qui lupos intrare permittunt, & oves tuas jugulare.

DISTINCTIO IV.

Infauſtum illud trium Pontificum ſchiſma, ex juſta vindicta divina ob publicam impietatem ortum; devotis precibus deprecatur Eccleſia.

Diſſenſionum finis à Deo petendus.

NOli quæſo, o mi ſponſe dulciſſime, ſi tecum loquor, iraſci. Nam loqui prohibita tacere non poſſum. Memini, te verbo dixiſſe firmiſſimo, totique mundo prædicaſſe: *Miſericordiam volo.* Novi, te propter peccatores ex charitate nimia miſerum hunc orbem introiiſſe, & ex intemerata virgine carnem ſumſiſſe humanam, veram, non phantaſticam. Et ideo, ſi tu aliquando iratus fueris, *miſericordiæ* recorderis. Te quoque ut miſerearis omnium, exoro, meoque dolori compati te velle, ſuppliciter deprecor & devote. Potes enim, ſi volueris, & ut velis, humiliter expoſco, & id totis ex viribus concupiſco.

Veniſti, ut peccatores ſalvos faceres, ſalva me infirmam, ægrotantem, afflictam & deſperatam; qua non eſt miſerabilior, neque inter filias hominum infelicior, quæ tam *horrendo* tamque *flebili ſchiſmate* turbor. Salva noſtros, ſana *diſcrimina*, *pericula* abſolve, *ſcelera* diſcinde, *ſervitutem* laxa, reſtitue libertati, pro quibus ſpinea coronatus es corona. Noli, quod novi, te non velle, cito jacere jacula, qui tamen diſtuliſti dudum, ne ſanares vulnus putridum & ſanie jam corroſum.

Miror, cur *differas*, cum, quando volueris, medicinam poſſis adhibere. *Ulciſci* hominum *peccata* videris, juſtitia nimis vindicante, & erroribus & *ſchiſmatibus* dudum ingravatis tela vindictæ projicis, & forſan in innocentem. Quod unde meruerim, ego penitus ignoro, quæ totius *ira* ſentio *pondus*. Teque, ſi auſa ſum dicere, continuum intueor ultorem, armatumque ſemper horreo te, ut aſſidue ferias delinquentem. Nam poëta teſtis eſt, ut nunquam inermis procedat, qui ſemper intendit vindicare. Unde ait:

Si, quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.

Si

Digitized by Google

Si non peccaſſem, quid tu concedere poſſes?
Materiam veniæ ſors tibi noſtra parat.

Convertantur igitur & reſipiſcant, & tu miſereberis eorum. Nam *flecti-tur iratus prece rogante Deus.* Adſit igitur tua infinita bonitas, aſſiſtat tua immenſa pietas, aſtet & tua inſcrutabilis benignitas, & miſerere mei, & miſerere populi tui. Recordare amplexuum tuorum, & oſculorum, meque miſerabilem, ſed proh dolor nulli, niſi tibi ſoli miſerandam, digneris auſcultare, qui forſan *hoc in luctuoſo tempore* oblitus es miſericordiarum tuarum, qui ſemper miſereri conſuevisti. Expande ergo gremium, aperi ſinum, & ad præfata reſpondere dignare, & modo, quocunque volueris, me conſolari non deſiſtas. Nemo namque te præter, poterit mihi conſolationes innectere, quæ deſperationis laqueo graviſſime ſum immerſa.

LIBER SECUNDUS.

SOLATIA CHRISTI

De ſpe, infandi illius in Eccleſia ſchismatis per SIGISMUNDUM IMPERATOREM extinguendi.

METRUM PRIMUM.

Chriſtus ſolatur Eccleſiam communi fatorum exemplo, quod, uti pericula & infortunia multis ſæpe contingant, ita & cum ſereniori fortuna eadem mox permutentur.

Siſte modum, ſiſte. *Nec enim fortunu querenda*
Improba. Nec tibi ſola patet. Aliis ſua tela
Immittit dira. *Reliquorum cernito caſus,*
Mitius iſta feres. Medææ triſtia vertas.
Quam dolor, hinc & amor, docuerunt cædere natos.
Per varios caſus, per multa pericula, vita
Labitur humana, per tot diſcrimina currens.
Vincit nunc *victor*, tunc *victus.* Sors dat utrumque.
Victoresque cadunt. Sic *ſpes bona* vincere præſtat.
Spes bona dat vires. Sit ſpes in pectore firma.
Degeneres animos timor arguit, ſpes bona firmat.
Et *fortuna vices commutat.* Nunc mala ſurgit,
Craſque cadet. Forſan miſeros meliora ſequentur.
Magnanimis magna, *timidis* brevis addita virtus.
Invida fata piis, perverſis ſors bona creſcit.
Adde *moramque brevem.* Credas, *mala cuncta miniſtrat*
Impetus. Expecta, cernes ſortem variari.
Magna ruunt, tenues excreſcunt, quæ virga fit arbor.
Hinc tibi pone modum, ſub primo limite ſiſte.
Supprime, dum nova ſunt, magni mala ſemina morbi.
Tempora dant vires, mora vires creſcere fecit.

ME-

Digitized by Google

* * *

METRUM SECUNDUM.

In memoriam Eccleſiæ revocantur priſtina in antiquis malis ſolatia.

MUlta fuêre tibi *ſolatia*, cantica multa,
Carmina lætitiæ florentis plura fuêre,
Tempore præterito. Cœleſti flamine plena
Gaudia, perennis de fonte fluentia vitæ,
Læta chorea chori, roſeis falerata coronis,
In noſtris patuere locis ſuper omnia pulchris.

* * *

METRUM TERTIUM.

Per SIGISMUNDUM IMPERATOREM diſſidia illa in Eccleſia iri compoſitum, læta voce promittitur.

ETſi forte ſata ſevit mala perfidus hoſtis,
Ex quibus excrevit fructus cum ſemine falſus:
Omne tamen ſparſum ſolido portabitur antro,
Et luet ex merito, falſus qui ſemina falſa
Sevit, & induxit, percuſſo pectore falſo.
Nec validum dirumque putes tam ſchisma patere,
Quod nullo valeat divelli poſſe potente.
Sæpe fit, ut molle durum compeſcat & arctet.
Vomer humo teritur, lapis undâ, pollice gemma,
Et lupus atque leo muſcarum fit cibus, atque
Sic formicarum fit & urſus ſumtus & eſca.
Mittam non magnum, ſed *mitem*, quem velut agnum
Accipies, REGEM, lætans, ſed jure regentem.
Hic te ſalvabit, & mira pace beabit.
Hunc in proceſſu noſces ſuper omnia poſſe
Per me perficere, quæ dudum cœpta fuere.
Et nova tunc ſummo redolentia gaudia flore
Cernes lætanter, plene ceſſante dolore.
Tunc cum virginibus roſeis tu fulta coronis,
Junctis & reliquis præcedes digna colonis.

PROSA LIBRI SECUNDI.

Solatia CHRISTI illuſtrans.

DISTINCTIO I.

Ex Adami lapſu fons omnis mali derivatur. Ex Chriſti redemtione omnis ſalutis principium repetitur. Quam verò ſub tribus Pontificibus tunc diſſidentibus Eccleſia Chriſti paſſa ſit injuriam, pingitur exemplo Caini Abelem occidentis, & Synagogæ Judaicæ Eccleſiam Chriſti perſequentis.

AUdi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui,& concupiſcet Rex decorem tuum. Hæc tibi pro ſolatio, quæ dolori graviſſimo ſuccumbis. Adjicio, miſerens ſtatus tui lacrymabilis, cui ſubdita ac immerſa probaris, condolens infirmitati tuæ, quæ quaſi deſperationis laqueo innodaris. Paulatim igitur ad opus conſolationis exſurgens, quantopere potero, te conſolabor. Audi ergo filia, & vide, & inclina aurem tuam. Tu es unica ſponſa mea, filia unica, atque præ cæteris filiabus amantiſſima. Audi ergo, filia, patris in ſolio reſidens, candor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, Deique majeſtatis imago.

Tanto fueram divino Deitatis radio clarificatus, ut non rapinam, ſed naturam arbitrarer me patri ſimilem, cum quo præſens aderam ſtelleum fabricans olympum, mirando decore politum. Trifariam etiam in novem ſanctorum beatorumque ſpirituum ordines condiſtinctam edidi hierarchiam. Et poſt tam admirandam in ſingulis cœleſtis atque aëreæ naturæ ſtricturam, irrationalem, humanamque formavi plaſmaturam. Statuens *hominem*, quem Deiformem plaſmavi, in locum amœnitate conſpicua refertum, cui florum roſarumque præbui ſolatia, fontium etiam tribuens claritatem. Intus vero & exterius dulcedine decoravi hominem illum mirabili, quem ad mei ipſius Deiformem imaginem conformavi.

Lapſus Adami. Qui tamen ad hæc omnia *ingratus*, pomo, cujus eſum, ut ejus probarem obedientiam, inhibui, cecidit, & lapſus eſt. Ob cujus enormem, frivolamque pertinaciam,ignominioſamque piaculi ſui excuſationem, tumidamve ſceleris illius impietatem, ejeci miſeram,quam beatam plaſmavi creaturam, è tantæ ſuavitatis atque decoris horto roſifero. Atque deinceps proles, ab ipſo procreata, vitioſa facta eſt propter ejusdem inobedientiam,& multis innixa ſceleribus ſe ſæpius à me avertendo pertinaciter peccavit.

Conſiderans igitur, tantæ fœditati nullam poſſe ſuccurrere creaturam, de cœlo deſcendi ſtelligero, ex intemerata virgine carnem aſſumens. *Chriſti redemptio.* *Natusque* mundo viſibiliter te ſponſam in figura prælegi, in ſynagoga quondam figuratam, quæ me corona ſpinea ludibrio coronavit, quam & tunc ſprevi, te in ſponſam eligendo. Te quoque ſub Sathanæ conſtitutam poteſtate illi eripui, & te duxi ſponſam meam, oblitus populi tui Hebræi, domusque patris tui. Atque ut te ſervarem illibatam, *XXXIII. annis* ſummopere ſummaq; diligentia laboravi.

Tu es igitur una columba mea, una dilecta mea, quam concupiſco, quamque præcæteris Reginam mihi aſſocio. Nam Vaſti Regina ſuperba repudiata, te Eſter, radioſam atque formoſiſſimam elegi.

Obliviſcere igitur populum tuum. qui te unire deberet, & ſchiſmate peſſimo maculavit. *Schiſma Eccleſiæ ex ipſis eſt Chriſtianis.* Filii tui te macularunt, te infamaverunt, teque juxta iter ambulantium ſcandalum poſuerunt, & in omnibus gentibus per mundi climata viventibus opprobrium fecerunt. Populus vipereus propriam

am interemit matrem. Serpentina ſoboles genitricem ſuam interfecit.

Oblivifcere hunc populum, ſed non ad *pœnam*. Luat ipſe, quam luere debet. Nam, ut ait Poëta:

Nec enim lex juſtior ulla,
Quam necis artificem arte perire ſua.

Pœna turbarū. Pereat *ſchismaticus populus*, ſchiſmatis inventor; Erret, qui errorem poſuit: Interficiatur, qui interemit. Obliviſcere & domum patris tui. Hæc domus *Hebræus* eſt *populus*, qui tui à longo tempore oblitus eſt. Hanc obliviſcere, domum *ſynagogæ*, congregationemque virginum fatuarum. Ecce populus tuas populus *ſchismaticus* eſt, à tuis promotus doctrinis, qui errorum tumore ſtimulatus te ſanctam, te formoſam, te matrem ſpecioſam impiè dereliquit, atque alios fecit errare & à veritatis via declinare. Ecce domum patris tui, aſpice *ſynagogam*, quæ non modo te ſed & me aſpernata eſt, illudens me in vita pariter & in morte, etiam usque in diem hodiernum.

Chriſtiani Judæis ſimiles.

Eſt & alia ſecta, à tuis ſemota laribus, quæ multifarias ſententias multiplicibus intenta rationibus æmulatur. Hæc eſt, quæ Deos Deasque veneratur & colit. Nunc Saturno ſacra, nunc Jovi ſacrificia, nunc Junoni, nunc Floræ, cæterisque Diis & Deabus divinos imponunt honores. Enimvero quædam iſtarum *à Cain*, nonnullæ ab *Abel* ortum habuerunt.

Illa, certiſſime ſcias, ſereniſſima *fides*, quæ in Deum verum, unumque & unicum credidit; Quæ me pro humano genere incarnandum, atque poſtremo occidendum, firmiſſima fide tenuit, *ab Abel* ſumſit initium. Quod ſic omnes *patres* veteris legis crediderunt, ſimiliter & *Prophetæ*. Hanc fidem habuit Adam, habuit Abe, habuit & Abraham, cæterique omnes viri ſancti, ſive circumciſi, ſive incircumciſi, qui per me ſalvati ſunt, habuerunt. Nam & eo tempore, quo Abel vitam animalem agebat in terris, ego ipſe caput ejus extiti, cæterorumque ſanctorum. Etiam ſecundum humanitatem, non ſimpliciter exiſtentem ſed creditam, me quoque hi crediderunt Deo ſimillimum, charismatibus repletum. Idcirco per hanc fidem aliquid in eos de ſimilitudine fluxit de me, volueruntque hoc modo ſimilari, & aſſimilati ſunt ſancti fideles incorrupti.

Fides Abelis, Patrum, Prophetarum.

Qua ex re collige, quod ab Abel juſto usque in diem præſentem, futurumque judicium, quod obtulit mihi pater meus, tu ſponſa mea, una domus, una anima, unum corpus, unusque panis, & es, & vocaris.

Ea vero ſecta profana, quæ in me nec credidit, neque credit aut credet, à Cain ortum habet, infideli, hæretico, inſano & deſperato, quæ ſibi ipſi ſufficiens me contemnit, ſui ipſius amore confirmata.

Distinctio II.

Eccleſiæ & adverſantium aut illam diſtrahentium contraria indoles magis illuſtratur, Abelis & Caini figuris clarius explicatis.

Propoſuiſti igitur argumentum, probatura, te ipſam non ab Abel ſed à Cain aſſumſiſſe radicem. Noveris, te non recte argutiarum tractaſſe fundamenta. In Cain hoc cognoſce, qui prior natus eſt homo peſſimus, quam Abel juſtus. Quia in Adam totius humani generis maſſa jure damnata eſt. Et quando aliquis ex ea naſcitur vas in honorem, hoc non pervenit ex natura, ſed ex mei vocantis miſericordia.

Ecce quam diſpar duorum fratrum vita fuerit, unus peſſimus, videlicet *Cain*, alter optimus, ſcilicet *Abel*. In Cain, adverte, ſævire cœpit in ſanctos reproborum malitia.

In Abel vero proficere cœpit *ſanctorum vita* & *patientia*. Abel namque vir ſanctus & ſimplex, in paſtu ovium occupatus, de pecoribus gregis gratum Deo obtulit holocauſtum. Perſecutionem

Abel patientiæ imago.

Digitized by Google

nem fratris patienter ſuſtinuit, non ob aliud, niſi quod ille bonus erat & alter malus.

Unde & *in Abele* paſſionis meæ figura præceſſit. Atque in eodem, tu ſponſa mihi dilectiſſima, tribulari & pati cœpiſti, quæ in unoquoque juſto paſſiones tribulationesve pati non deſiſtis, & usque in finem mundi patieris. Cain ergo Abel perſequitur, quandocunque tu in tuis membris affligeris aut tribularis. Nam tu paſſionibus dedita es atque ſubjecta, ita, ut te Cain malitia ſemper inſequatur. *Abel eſſe renuit, in quem Cain malitiam non exercet.* Quapropter bene ipſum Cain raptorem & avarum & deſtructorem nominaſti. Hinc eſt, quod in tota prole Cain & Abel multi mali & multi boni inveniantur.

Cain perſecutorū avus.

Proles Abel ſpiritualis eſt, qui ſecundum carnem prolem non habuit. Unde & in principio ſeminationis fidei meæ tyranni Reges ſanguinem martyrum diabolico furore fuderunt, idola vana colentes. Ad quorum cultum ipſos ſanctos multis flagellis incitarunt.

Unde, *quot* pertuleris *perſecutiones*, recenſere nimis eſſet longum, cum fuerint multæ. Computantur tamen XII à quibusdam, ab aliis X. ſecundum X Ægypti plagas. *Primam* computant à Nerone, *ſecundam* à Domitiano, à Trajano *tertiam*, *quartam* ab Antonino, à Severo *quintam*, *ſextam* à Maximino, à Decio *ſeptimam*, *octavam* à Valeriano, ab Aureliano *nonam*, *decimam* à Diocletiano.

Perſecutiones Eccleſiæ.

Sed revera plures fuerunt. Nam & illa perſecutio computanda eſt, qua cruci affixus ſum. Hinc & ante tempora Neronis tu paſſa es tribulationes multas. Nam & tunc *Stephanus lapidatus* eſt, frater Johannis *Jacobus* gladio vitam finivit. Apoſtolus etiam *Petrus*, ut occideretur, incarceratus eſt, & cætera multa, quæ omnia enumerare longum eſſet. Nonne & *Julianum* te perſecutum tyrannide peſſima certiſſimum eſt? Poſterius etiam *Valens*, Valentiniani frater, Arrianus, per orientis partes magna perſecutione vaſtavit te ſponſam meam. Ex qua

Chriſtus crucifixus. *Stephanus. Jacobus, Cæſi. Petrus, tortus. Julianus. Valens. perſecutores.*

re non æſtimo definiendum numerum perſecutionum tuarum, quibus te exerceri oportet.

Perſecutionum non eſt numerus.

Amplius, quot & quantos diabolus moverit *hæreticos*, qui ſub Chriſtiano vocabulo tibi reſiſterent, quot etiam peſtifera atq; mortifera evomuerit dogmata, mundi noſcitur per univerſum.

Hæretici.

Fuiſti igitur *à Cain* continua, ut tribulationes patereris per filios ejus, ex illa peſſima radice ſuccedentes. Sed *in Abel* innocens & patiens ab hoſtibus multis afflicta ſemper extitiſti. Et illos inter filios multos reformaſti viros ſanctos, bonos & juſtos.

Sed quod in contrarium adduxiſti veritatis teſtem, qui ait: *Omnes declinaverunt, ſimiliter inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt usque ad unum:* Hoc veriſſime de filiis hominum dictum eſt. Unde ut allegaſti, dixit Propheta: *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat, an ſit intelligens, aut requirens Deum.* Sacra pagina teſtis eſt, quod filii hominum peccatores declamantur, dicente ſcriptura: *Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ &c.* Et revera illa eſt linea peccatorum à Cain deſcendentium, qui natura inutiles facti ſunt, & ex eis non erat qui faceret bonum, niſi gratia mea corda illorum illuminante, ut, quod negavit natura, conferret gratia. *Natura* igitur omnes declinaverunt, & non eſt usque ad unum, qui bonum faciat.

Naturâ omnes corrupti.

Multi tamen ſunt atque fuerunt filii Dei, quos non natura, ſed *gratia* bonos fecit. Nemo enim bonus niſi ſolus Deus. Primum dat natura, quod nemo bonus ex indita natura ſua: Sed quod ſint multi boni, confert hoc gratia mea. Secundum verò non humanæ, ſed divinæ naturæ proprium eſt, eſſe videlicet ex ſe bonum quoddam, non ſimplex bonum ſed infinitum atque interminum, dans omni creato, quod continet bonitatis.

Gratiâ Dei ſuperſunt boni.

Ex his igitur me tibi reſpondiſſe noverim ad id, quod primo proponere tanta diligentia ſtuduiſti. *Non eſt* enim *malum, pati malum: Sed malum facere, peccato carere non poteſt.*

Quid malum?

Omnes

Digitized by Google

Omnes ergo, qui me perſequuntur, ex radice illa peſſimi Cain proceſſere. Cujus ut progenies à facie tolleretur altiſſimi, tota ejus ſoboles in diluvio eſt abſorpta.

Et qui perſecutiones propter juſtitiam patiuntur, ex optimi & innocentis viri Abel, virginis, primi martyris & ſacerdotis progenie genus ſpiritualiter contraxerunt.

DISTINCTIO III.

Eccleſiam manere Chriſti Eccleſiam, etiamſi nullus exiſtat Papa, demonſtratur: Imo nec duos vel tres Papas ſimul exiſtentes obſtare, quo minus Eccleſia maneat Chriſti Eccleſia. Papam poſſe vel ſponte Papatu cedere vel removeri.

NOſſe te, velim, me ad hoc niſibus elaborare totis, ut tuis poſtquam ſatisfecero argumentis, etiam rei, quam intendis, ſatagere ſufficiam. Perpendo namque, te notaſſe periculoſum hoc & *flebile ſchiſma*, quod *temporibus jam multis* elapſis me ſponſum tuum, teque ſponſam mihi dilectiſſimam maculavit. Unde te æſtimo ſcire, ſed ſi neſcieris, te non ignoraturam exopto, ſi aliquando caſus emerſerit, me in hoc militanti regno, in quo mihi te ſponſam prælegi, *non habere vicarium*, vel ex tui perſecutione, ſeu alio quocunque modo ejus affuerit carentia, ob hoc te non eſſe non ſponſam meam dilectiſſimam, cui fideliſſime adhæreo, & ſemper inhærebo. Sicuti contigit ſub iniquorum hominum perſecutione tyrannica, *Diocletiani* videlicet & *Maximiani*.

Eccleſia poteſt carere Pontifice.

Diocletiani crudelitas.

Hujus namque *Diocletiani* imperii anno XIX, dum tu proſperis incrementis per orbem terrarum ubique fuiſſes dilatata, propoſitum eſt edictum, ut cunctæ, quæ in orbe erant Eccleſiæ usque ad ſolum diſſiparentur, & Sacræ Scripturæ ubique igni traderentur, omnesque, qui Eccleſiis præerant, in vinculis ponerentur, ac demum exquiſitis ſuppliciis immolare cogerentur. Rapiebantur enim omnes Eccleſiarum principes, & ſancti clerici, necnon cum eis nobiles & ignobiles multi. Brevi etiam poſt tempore fœminæ & pueri, ita ut præ compeditorum multitudine carceres æſtuarent. Hujus enim tempore tanta invaluit dira & crudelis perſecutio, ut intra XXX dies XVII millia hominum, promiſcui ſexus per diverſas provincias martyrio coronarentur. Ea tempeſtate ſedit *Marcellinus Papa* Romæ, natione *Romanus*, qui annis octo rexit Eccleſiam. Qui ductus, ut ſacrificaret idolis, thurificavit, ne moreretur in corpore. Sed ne corpore moreretur, eum *metus* corporalis occidit in anima. Sed poſt paucos dies pœnitentia ductus, anima reviviſcente, capite truncatus eſt. Poſt cujus martyrium *ceſſavit pontificatus annos ſeptem*, menſes ſex & dies viginti quinque, *Diocletiano* Chriſtianos perſequente.

Marcellinus Papa.

Pontificatus ceſſavit.

Ecce, audiſti, *vacaſſe ſedem* vicarii mei. Audiſti, te vacaſſe paſtore tuo, o dulciſſima ſponſa. Audiſti tunc *nullum fuiſſe, qui locum Petri tenens* in beata Petri ſede reſideret. Neque imaginari te volo, illo te tempore eodemq́; momento meam non fuiſſe ſponſam, meque tuum non extitiſſe ſponſum. Nam & beata *Petri cathedra plerumque*, prout noſti, *paſtore vacavit*. Imo & ipſa eadem, quam & ſponſam meam nomino, quæ tu ipſa es, quam Eccleſiam voco, ſponſa mea, ſæpiſſime vacaſti, nec propter hoc quisquam autumet, te non manſiſſe ſponſam meam. Sufficeret namque unus juſtus, etſi omnes cæteri eſſent hæretici, ut & ego ſponſus tuus ſemper & eſſem & remanerem. Et jam olim in mea matre benedicta fides tota remanſerat, cum diſcipuli mei omnes à te receſſiſſent. Jam etiam, à tempore, quo BALTHASAR, qui fuit JOHANNES XXIII, & GREGORIUS XII. *reſignarunt*, tu remanſiſti unica & una ſponſa mea.

Vacante ſede Eccleſia manet Eccleſia.

Pontifices reſignarunt in Concilio Conſt.

Non igitur ſponſum perdidiſti, ſi mei ex parte vicarium, id eſt, *Papam*

Digitized by Google

non habeas, qui adminiſtranda adminiſtret, & reliqua, quæ ad ipſum facienda pertinent, exequatur.

Duo vel tres Pontifices Eccleſiæ unitati non obſtant.

Ex eodem cognoſce fundamento, ſi *duo* fuerint *aut tres ſummi Apoſtolatus culmine fungentes*, te ob eorum pertinaciam aut præſumtionem non eſſe biviram aut triviram reputandam. Non, inquam, illi ſunt ſponſi tui cenſendi, cum ego ſolus & unicus ſim ille, cui tu nupſiſti, inſeparabiliter mihi fidem ſervando, & ego eandem tibi integerrime reſervabo.

Chriſtus ſolus caput Eccleſia.

Vicarius namque unus conſtituitur; qui non puri hominis, ſed mei, qui verus Deus ſum, vicem gerit in terris, cui autoritatem non humanam, ſed divinam contuli ligandi atque ſolvendi omnia, quæ in cœlis aut in terris ſunt.

Pontifex poteſt abeſſe aut removeri, aut reſignare.

In quo quidem vicario meo plenitudo poteſtatis tuæ ita reſidet, ut etiam ipſe poſſit à tuo matrimonio ſeparari, & tu poteris eidem libellum dare repudii, quem ego tibi aut tu mihi dare non valebis ullo modo.

Celeſtinus Papa.

Poterit enim *Papa reſignare* ſummo pontificio. Nam *Celeſtinus* reſignavit. *Poteſt deponi*; poteſt degradari. Sicuti noſtris jam contigit temporibus, ut inferius plenius oſtendetur. Neque plures vicarios habere quam unum debeo, qui Petrum Apoſtolorum principem ſolum & unicum conſtitui ſuper plebem meam. Cum vero plures fuerint, ſcito evidentiſſime, te diviſam. Nec ob hoc bigamus aut trigamus a te volo nuncupari, cum tu ſis ſola & unica, quam ego duxi, neque tu alicui præter me inſeparabiliter nupſiſti, ſed alii, etſi tres aut quatuor fuerint, à te potuerunt ſeparari, aut per reſignationem, aut alio modo, qui per eos, quorum intereſt, canonice & juſte poterit inveniri.

Chriſto ſoli nupſit Eccleſia.

DISTINCTIO IV.

Eccleſiam eſſe & manere Chriſti Eccleſiam, etiamſi nullus Papa exiſtat, confirmatur!

Inter tres Pontifices quis verus dubium.

QVæris etiam inter alia, quæ pars ſit, ſponſa, tua, aut JOHANNIS, aut unius alterius, vel duorum, aut omnium, aut quis eorum meus ſit verus Vicarius. Nunc tibi reſpondendum cenſeo. Secretum namque tibi nunc eſt, nec explanabo, ſcies autem poſtea. *Romanam* tamen *ſedem* cæteris nolo quod ambigas *præponendam*.

Conjectura difficiles.

Paſchaſius.

Eſt igitur, ut exemplum capias, non leve quid, de hujusmodi re grandi aliquid *conjectare*. Nonne legiſti, *Paſchaſium*, miræ ſanctitatis virum, in purgatorio graviſſime punitum, quod parti Laurentii in ſummum Pontificem electi conſenſit, quem Symmacho prætulit, quem tamen Eccleſia ſummum decrevit Pontificem. *Tacendum* igitur ad hoc puto *ſecurius*, *quam aliquid inconſulte definire*.

Tacere ſecurius.

Eccleſia abſque Pontifice.

Sed certiſſime ſcias, ut etiam ſuperius declaravi, *univerſitatem ſanctorum fidelium*, *& juſtorum virorum atque fœminarum ſancte viventium*, *veriſſime eſſe ſponſam meam: Dato, quod nullus ſit vicarius meus hic in terris.* A qua quidem univerſitate ſanctorum ſeparari non potero, nec eidem libellum repudii dare poſſum. Quapropter his breviter pertranſitis ad alia properabo reſponſurus.

DISTINCTIO V.

Publicorum illorum in Eccleſia malorum cauſæ commemorantur. Juſto Dei judicio, ob Præſidum quoque Eccleſiæ peccata, plebem unà cum Magnatibus diſſidiis illis publicis jactari.

Cauſa malorum quærenda

SEd cum iſta ad præſens reliquero indiſcuſſa, venio ad id, quod ſubjunxiſti, petens, qua de cauſa te tam dilectam jam dudum & usq; ad tempus, quod nunc præſto eſt, permiſerim lacerari. Cur tunicam inconſutilem ſcindi perpetiar, quam dividi non volebam. *Cur* corpus meum *à corruptio-*

ruptio-

Digitized by Google

ruptione atque ſeductione non præſervaverim?

Convulſio Eccleſiæ ante Concilium Conſt.

Revera quæſtio hæc magna eſt. *Sciſſura* enim,ut tu objeciſti, clariſſima eſt, quam neque ego negare volo, cum me cernente atque perſpiciente iſta facta ſint, tanto etiam tempore protogata, ut ab initio mundi tum dira tamque diuturna inter noſtros non fuerit *diviſio*, quæ tanto jam tempore invaluit, ut finem tu deſperes execrabile hoc *ſchiſma* aliquando habiturum.

Cauſæ multæ.

Volo igitur tibi aliquas ſubjungere *cauſas*, quare hoc flebile luctuoſumque *ſchiſma* tibi ſit immiſſum, *toti Chriſtianitati pernicioſum*, multarumque animarum damnativum. Veritati igitur ſtudens, ſimiliter & brevitati, quæ ad præſens occurrunt, ediſſeram *cauſas*, & ut ipſas humiliter attendas, & gratanter ſuſcipias, cordialiter te exoro.

Peccata Regum. Davidis.

Noſti namque, non modo currenti tempore, ſed & prioribus momentis, priſcisve lapſis ævis, aliquando *populum propter eorum Regem flagellatum.*

Ut propter David Regis peccatum Angelus multos cædebat homines, donec Rex ipſe miſericordiam meam implorans lamentabiliter mihi ſupplicando diceret: *Converte oro, Domine, gladium furoremq; tuum contra me. Populus enim iſte quid fecit? Non perpetrarunt oves iſtæ peccatum aliquod, propter quod tam dira ſuſtineret flagella. Ego*, inquit *ſum, qui peccavi, vertatur obſecro manus tua contra me, & contra domum patris mei, qui peccavi peccato magno. Superbia enim me ſervum tuum contra te erexit.* Et poſt multorum millium plagam quievi percutere, & placatus ſum, miſertus afflictionis populi tam graviter occidendi.

Principum. Epiſcoporum.

Et tu quid miraris, quid multum anxiaris, quidve turbaris, ſi propter ſceleratos *principes*, tam *ſpirituales*, quam temporales, iram meam in orbem transfudi terrarum, ut non tantum vulgus vario pollutum errore, multisque facinoribus ſubditum, decreſcente omnium charitate, ferierim, & feriam, ſed etiam principes & prælatos eorum una cum illis communi plaga percutiam atque percuſſerim. Populus revera ille David Regis, quod peccaverit Rex ipſe, ignorabat. Sed populus meus iſte, tuusque mundum ſparſus per univerſum, quantis malis, quot criminibus, quot ſceleribus implicatus ſit, neminem puto neſcire, niſi qui ab hac vita ſemper exulavit, vel ad inferos deſcendens, vel viſens jam cœlica regna.

Achior.

Legiſſe etiam te non dubito, quomodo *propter peccatum Achior filii Core* plebs *Iſraelitica* in manibus hoſtium tradita ſit, qui tamen ab illo illius peccato immunis erat. Amplius & puniuntur animalia rationis expertia. Ut propter peccata *Amalechitarum*, animalia eorum à Saule mandata ſunt occidenda. Peccato etiam *Ægyptiorum* poſſeſſiones inſenſibiles grandini traditæ ſunt, & primogenita atque jumenta morte conſumta ſunt. Unde claret non ſolum irrationalia ſed etiam inſenſibilia, quæ à peccato ſunt immunia, aliorum luiſſe ſcelera atque ſublevaſſe peccata.

Amalekitanum. Ægyptiorum.

Inferiorum.

Cæterum *propter peccata minorum* etiam *majores puniti* ſunt. Nam propter *Iſraëlitarum* peccatum arca Domini Philiſtæis tradita eſt. Similiter & Prophetæ.

Prælatorum.

Peccata etiam *prælatorum* flagellata legimus, cum ſuos, quos deberent, non corripiunt ſubditos. Unde eo modo propter *peccata filiorum Eli* populus corruit in manus Philiſtinorum. Nam revera pro meritis prælatorum depravatur vita ſubditorum.

Eli.

Pœna varia.

Et ſic nunc *propter peccata prælatorum*, nunc *ſubditorum delicta*, prælati ſimul & ſubditi puniuntur. Nunc puniuntur, qui puniri meruerunt; Nunc puniuntur etiam, qui puniri non meruerunt. Ut communitas propter unius delictum excommunicatione percellitur, quæ tamen nec auxilium, nec conſilium dedit cauſæ, propter quam omnes puniuntur. Sunt etiam *parvuli Sodomorum* puniti cum parentibus, qui tamen peccare non valuerunt. Item punitur & *juſtus pro injuſto*, ut patet XXIV. q. 1. *Non turbatur.* Nam *non turbatur navis qua Petrum habet, turbatur qua Judam habet.* Legimus enim *Marc. IV.* quod ante Domini paſſionem, cum diſcipuli eſſent in navi, factus

Inſontes etiam plectuntur.

Digitized by Google

ctus eſt motus magnus & ventus eis erat contrarius: Et hoc propter Judam injuſtum factum eſt. Sed poſt Domini paſſionem Petrus fuit in navi, ſed non legitur navis turbata, in qua fuit Petrus ſine Juda.

Cain & Judas ſemper in Eccleſia. Ex quibus colligitur, te, ſponſam meam, turbandam fore, cum in te *Judas*, qui de ſemine *Cain* ſecundum malitiam fuit ortus, ſemper extiterit, usq; ad extremum illud tempus, quo ſe, qui te infeſtat, impiiſſimus Judas laqueo ſuſpendat.

Puniuntur etiam *injuſti propter Juſtum.* Ut Maria propter Moſen.

Puniuntur etiam quidem *graviter & ſubito*, propter peccati deteſtationem. *Anaſtaſius Papa.* Ut *Anaſtaſius* Papa, qui fuit tempore *Theoderici Regis*. Eo tempore clerici multi ſe ab ipſius communione ſemoverunt, eò quod communicaſſet ſine conſilio Epiſcoporum vel presbyterorum & clericorum cunctæ Eccleſiæ Diacono *Photino*, qui comunicaverat *Achatio*, per Eccleſiam damnato. Et quod voluit occulte revocare Achatium, divino nutu percuſſus eſt. Nam dum ad naturæ ſecreta ſecederet, miſerabiliter mortuus eſt, egerendo inteſtina. *mulctatur.*

Sic pecunia Judæ cum Juda damnata eſt, cui dictum eſt: *Pecunia tua ſit tecum in perditionem*: Et bene ille *Judas* dicitur, qui per *Simoniam* Spiritum ſanctum emere voluit, ſicut Judas pro pecunia vendidit Chriſtum. *Simoniacus eſt Judas.*

Multis ergo modis peccata vindicantur, ut ex præfatis clarum eſt. Tu igitur, dulciſſima ſponſa, plerisque cauſis prænarratis affligeris. Nunc propter peccata principum, nunc propter delicta populi, nunc propter utriusq; fere facta, nunc juſta pro injuſtis percuteris: Nunc propter peccati deteſtationem percelleris, variis tuorum pœnis ſubdita & conſumta. Veriſſima res eſt, te non peccaſſe, cum ſis ſancta & immaculata, ſed filii tui deliquerunt peccatis gravibus & enormibus: ſed tu luis peccata quæ non meruiſti. Et quanquam de hac re infinita conjicere poſſem, ſubticeo tamen, experientiæ tribuens hæc probanda.

Distinctio VI.

Alia & proximior cauſa infandarum illarum in Eccleſia turbarum & diri in Eccleſia ſchiſmatis notatur. Plebis Romanæ, Pontificis electionem ſibi arrogantis, & Italum aut Romanum poſcentis, tumultus & furor, ut & demagogorum fraudes ac doli, qui plebi ſuccenturiarentur. Recenſeturq; tota ſchiſmatis hiſtoria usque ad Johannem XXIII. breviter.

Alia malorum cauſa ante Concil. Conſt. Supereſt poſt prædictas jam & annotatas *cauſas*, *aliam*, ipſi rei magis propinquam aſſignare. *Inſanus* enim *populus verſus in furiam & inſaniam abutitur ratione*, atque tota humanitatis natura ſejecta, *in beſtialem feritatem transformatur*: Qui *nec prece nec pretio quietari* poterit, niſi vel *violentia victus*, vel voluntatis ſuæ *impetu nefando pacatus*. *Plebis furor.*

Ob quem turbatus frequentiſſime iram meam in filios hominum diſſeminavi, cum, me poſtpoſito, ſemoto atque contemto, ſuum ſine me *nefarium atque pernicioſum conſilium* complevere. *Conſilia plebis pernicioſa.*

Judaici populi deſiderium. Quale priſtis moliti ſunt annis, cum me irrequiſito & ſine me, non per me, Regem petierunt, & principem eis inſtitui poſtularunt, ſed non per conſilium meum. Et datus eſt eis Rex, non, inquam, bonus, ſed malus ille *Saul*, qui ſatis bonis initiis peſſimum finem habuit, aſcendens de tribus Cain, factus mihi inobediens, ſecutus patrem ſuum Cain, cum quo & in flammivoma ignis rota rotatur in æternum. *Saul rex malus.*

Ecce, ſponſa chariſſima, hæc vox erat *perſtrepentis populi*, Regem poſcentis à Samuele, viro ſancto & Propheta: *Conſtitue nobis Regem, ut judicet nos, ſicut diverſæ habent nationes.*

Locutus eſt autem *Samuel* omnia verba hæc in ore Domini. Et ait Dominus: *Audi vocem populi, in omnibus, quæ loqvuntur tibi, non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos, juxta omnia opera ſua, quæ fecerunt à die, quâ eduxi eos de* *Dei de plebis voto ſententia.*

terra Ægypti uſque in diem hanc. Nunc ergo audi vocem eorum. Veruntamen prædic eis jus regium, qui regnaturus eſt ſuper eos.

Jus regium.

Et ait ad *populum* Samuel: *Hoc erit jus Regis, qui imperabit vobis: filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & curſores quadrigarum, & conſtituet ſibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum & curruum ſuorum; filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias & panificas. Agros quoque veſtros & vineas, & oliveta optima tollet & dabit ſervis ſuis: ſed & ſegetes veſtras, & vinearum reditus decimabit, ut det eunuchis & famulis ſuis. Servos etiam veſtros & ancillas, & juvenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros decimabit. Voſque eritis ei ſervi, & clamabitis in die illa à facie Regis veſtri, quem elegiſtis, & non exaudiet vos Dominus in die illa.*

Noluit autem *populus* audire vocem Samuelis, ſed dixerunt: *Nequaquam. Rex erit ſuper nos, & erimus nos ſicut aliæ gentes, & judicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.*

Et conſtituit eis Samuel *Regem*, & venerunt hæc omnia ſuper eos mala. Prædicta ſecundum hiſtoriam recitata ſunt. Et adjicitur, quod *Saul* factus fuerit Rex eorum, de quo præfatus ſum, cui cæteri Reges Iſrael ſuccedentes etiam mali fuerunt.

Populus Romanus Judaicæ plebi ſimilis.

Hæc igitur ad noſtrum applicando propoſitum: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.* Nimirum, non fabulam, ſed rem geſtam, atque veriſſime ſcriptis & literis commendatam, brevius, quo potero, ediſſeram. Ut pateat, quare me quodammodo ſubtraxerim, & tam flebile *ſchiſmatis* virus, me non impediente, in te, ſponſa mea, lateſcat.

Pontifex electus invito Deo

Nam *revera elegerant vicarium meum, ſed ſine me. Factus eſt Petri ſucceſſor, ſed non ſecundum conſilium meum.* Qui eligere debebant, *electionis jure ſpoliati* fuere. Et qui non debebant eligere, *electioni ſe intromiſerunt.*

Electores incongrui.

Summum ſibi *ineptum vulgus* Pontificem acclamabat. *Conſtituite nobis*, inquit plebs Romana, *Romanum Pontificem, vel ſaltem Italicum*, qui nos regat, qui nobis de noſtris præficiatur, & gentem noſtram judicet, *vel timore mortis ſuccumbetis, ſi non elegeritis*, quem nos acclamamus eligendum.

Plebs Romana electionem Pontificis ſibi arrogat.

Et *hoc modo ſummus Pontifex fuit electus*, in quo iſtud execrabile ſchiſma cœpit, ut immediate ſubjungam.

Gregorius XI. defunctus.

Officialium urbis Romæ conſiliũ.

Mortuo enim felicis recordationis Domino *Gregorio XI.* vicario meo, cujus mors erat *anno* à nativitate mea *milleſimo, trecenteſimo, ſeptuageſimo octavo, die 27. menſis Martii, Officiales urbis Romæ* diverſa in Capitolio celebravere conſilia. Inter quæ concluſerunt, *ut Domini Cardinales Romanum vel ſaltem Italicum eligerent ſummum Pontificem.* Nam alias formidabant, curiam in Italia non manſuram.

Bartholomæi Barenſis calliditas.

Huic conſilio interfuit BARTHOLOMÆUS, *ArchiEpiſcopus Barenſis*, prout proprio confeſſus eſt ore. Qui & ſe ante conclavis introitum Bandarenſibus commendavit. Egerunt etiam iidem *officiales*, ut cuſtodiam portarum & pontium eorum familiares clauderent, ne electores modum haberent recedendi. Pendentibus etiam diebus X. qui à morte præfati Gregorii effluxerant, prædictæ urbis *officiales*, aſſumto civium numero non modico, *Romanum* Pontificem, vel ſaltem *Italicum* poſtularunt: ipſos Cardinales maximis ſubeſſe damnis, & periculis irremediabilibus, proclamantes, ſi non facerent ea, ad quæ hortabantur. Sicque factum eſt, ut etiam *minas* ad domos Cardinalium intimarent, ſi non perficerent, quæ poſcebantur.

Officialiũ Romanorum deſiderium.

Minæ.

Expulſis igitur *nobilibus Romanis*, per ſæpe dictæ urbis officiales, ut breviter loquar, cum conſenſu multorum Prælatorum effectum eſt, ut omnia urbis capita adjunctis civibus convenirent, conclave intraturi. Qui cum compeſci non poterant, introire permiſſi ſunt, non libere, ſed metu ſuſcepti. Qui, ſic, ut præfertur, intromiſſi, *Romanum* vel ſaltem *Italicum* in Papam requirebant, & niſi hoc efficerent, antequam conclavi exirent, electo-

Prælatorum Rom. ars.

Plebs irruit in conclave.

Digitized by Google

electores ſtarent in ſuarum periculo perſonarum. Et inpoſterum *magnis perſtrepuere vocibus*, munientes palatium viris armatis, portamque illam, quæ directe ſub conclavi ſuerat, ictibus & ſtrepitibus nocte tota commoverunt, lingua ſua clamantes: *Romanum volumus, aut Italicum.* Et voces easdem de mane reſumſerunt. *Pulſatisque* poſtmodum *campanis*, præ populi tumultu, rumor pejor priore increbuit, cum prædicta proclamatione: *Romanum volumus aut Italicum.*

Strepitus & clamor plebis.

Campana pulſatæ.

Et tunc de *cardinalibus* quidam omnium ex parte & conſenſu votis eorum ſe velle ſatisfacere reſponderunt, nominantes prædictum Dominum *BARTHOLOMÆUM Barenſem Archi Epiſcopum.* Eundem ergo eo modo elegerunt, ut verus eſſet *ſummus Pontifex*, mortis tamen timore in eorum animis permanente.

Cardinales plebi obtemperant.

Bartholomæus Barenſis fit Pontifex.

Demum *officiales cum populo* conclave confregerunt magna cum violentia. Quod cum intrarent, cardinales in capellam ſecretam ſe retraxerunt. Cujus portam ſecuribus in partes diruperunt; Introivitque populus armatus, vocibus perſtrepens, ut prius, ſuribundis.

Fores conclavis perfringuntur.

Quod cernens unus ex Cardinalibus, *Dominum*, inquit, *Sancti Petri eligimus, qui nobis reſiſtit. Hunc igitur ad conſentiendum inducite.* Quem accipientes bina vice ſed invitum poſuerunt in cathedram.

Cardinalis S. Petri reſpuit Pontificatum.

Hic *Cardinalis Sancti Petri* tanquam vir ſanctus maledictionem pro benedictione Romanis imprecans, ipſos ad dictum *Barenſem* tranſmiſit.

Et dum illi reverentiam, tanquam ſummo Pontifici conſuetam, facere vellent, Cardinales palatium exiverunt, domos proprias pedites intrantes. Nonnulli vero, ad caſtrum ſancti Angeli transformatis habitibus ſe tranſtulerunt. Aliqui vero urbe Romana exiverunt.

Cardinales fugiunt.

Bartholomæus igitur *Barenſis* eo, quo præfatus ſum, modo electus, cardinalibus, qui ſe in urbe reſervaverant, mittebat, ut ad ipſum pro majoris periculi evitatione properarent. Illi vero noluerunt. Sed quaſi de ſuis requiſitionibus faſtiditi, ad illos miſerunt, qui in ſuis domibus remanſerant. Qui ab eo & urbis officialibus poſtulati jam venerant ad palatium, unam ſchedulam manibus eorum ſubſcriptam ferentes, per quam ſex cardinalibus tunc cum eo in palatio exiſtentibus poteſtatem *ipſum inthroniſandi* commiſerant.

Bartholomæus Cardinales citat.

Qui *Barenſis* de hoc non contentus vocavit *Epiſcopum Caſſanenſem*, in hæc verba prorumpens: *Vade ad Bandarenſem, dicendo, ſibi nihil eſſe factum. Et ut ordinet, ut hi, qui in caſtro ſunt, etiam ad palatium veniant, pro inthroniſatione celebranda.*

compellit.

Hoc ergo modo requiſiti ſæpius, ne majori ſuccumberent periculo, propter bona ipſorum jam diſperſa, & caſtri munimina nimis infirma: Nam formidabant victus paucitatem, neque locum tutum, quem accedere poterant, noverant: Venerunt ad palatium, & eundem *Barenſem* more ſolito *inthroniſarunt*.

Cardinalium metus.

Bartholomæus inthroniſatur.

Quod advertentes illi qui de urbe jam receſſerant, reverſi ſunt, timentes, ſi tum non veniſſent, potuiſſe Romanos ſuſpicari, ipſos hujusmodi electionem velle impugnare, & ea de cauſa à Romanis forſan occidendos, & ipſorum bona hinc inde diſperſum iri. Horum igitur timore ducti, ſeu potius ſeducti, Romanam urbem acceſſere, ipſum Dominum *Bartholomæum coronantes.* Quippe ab eo tempore eundem *coronatum, ut Romanum Pontificem* meumque vicarium in omnibus tractaverunt.

Coronatur Pontifex.

Cardinales vero *ultramontani* de poſtfacto ipſum ſæpius requirebant, ut de tuto ac ſecuro loco eis provideret, in quo liberum haberent eligendi locum. Quibus paulatim *Ananiam* venientibus, pro conſilio, prædictus *ſummus Pontifex* ſine alicujus Cardinalis ſocietate venit *Tyburtinum.* Ad quem locum eos ſæpius evocavit, quaſi prioribus & paribus eos vellet periculis implicare, ut ipſi Cardinales affirmant. Unde ipſi ſic metu concuſſi, & timore perterriti, ipſum ſic electum, ſic introni-

Cardinales ultramontani ſollìciti.

Novi Pontificis aſtutia.

Digitized by Google

tronifatum, ſicque, ut prætertur, coronatum dimiſerunt.

Clemens VII eligitur in Gallia.

Et in Francia *Clementem ſeptimum* libere & canonice in civitate Fundana elegerunt. Quo mortuo *Clemente*, ſucceſſit ei *Petrus de Luna*, quem *Benedictum* appellabant, adhuc vivens. De quo in proceſſu aliqua latiora contingentia declarabo.

Petrus de Luna.

Urbanus VI. *Bonifacius IX.* *Innocentius VII.* *Gregorius XII.*

Præfatus igitur *Barenſis*, *Urbanus Sextus* nominatus eſt. Quo mortuo ſucceſſit ei *Bonifacius IX*, cui *Innocentius VII*, qui mortuus eſt *anno* à nativitate mea *milleſimo quadringenteſimo ſexto.*

Poſt hunc *Gregorius XII* in ſummum Pontificem ſublimatur, qui *Angelus Corario* dicebatur, adhuc vivus. Qui die 30. menſis prædicti in ſummum Pontificem fuit electus.

Conciliũ Piſanum. *Alexander V.*

Hic in *concilio Piſano* depoſitus fuit, abſens tamen. Et in locum ejus *ALEXANDER quintus* ſurrogatur, qui fuit *Petrus de Candia.*

Tres Pontifices ſimul.

Et tunc crevit *ſchiſma*. Nam eo tempore *tres* geſſerunt ſe pro ſummis Pontificibus: Quorum unus in *Francia*, & duo alii erant in *Italia.* Quorum quilibet ſummus Pontifex dici & teneri exoptabat.

Johannes XXIII.

Qui *Alexander* cum diem clauſiſſet extremum, electus eſt *Balthaſar Coſſa*, & appellatus eſt *Johannes XXIII*, cujus vita ſuperſtes eſt usque in diem hodiernum. Et de his ſic nominatis ſummis Pontificibus totum iſtud volumen tractabit in proceſſu.

Electio Pontificis pernicioſior electione Saulis.

Ex quibus omnibus nuda claret veritate, hanc ſummi Pontificis acclamationem multo deteriorem atque pernicioſiorem extitiſſe poſtulatione Regis à populo Judaico: Non modo ex parte *populi furentis*, qui hanc electionem voce furibunda conclamabant, & ſtrepitibus favoribusque impiiſſimis proſequebantur, ſed etiam ex parte *doli*, per majores urbis, etiam prælatos, in hac electione commiſſi. Qui qualem modum procedendi ſervaverint breviter patet ex hiſtoria jam narrata.

Furor populi. *Fraudes Prælatorum.*

Unde non immerito ego, quanquam miſericors, quanquam benigniſſimus, iram meam diffundi ſuper totum univerſum permiſi, ob electorum malitiam, ob venenum ſchismatis tam periculoſi, tamque ſcandaloſi & infandi, ob iniquitatis filios, qui me tam graviter offenderunt. Cum non ſolum hoc ſine me effecerint, ſed contra conſilium meum, & eadem contra meam perpetraverint voluntatem. Verum etiam *prælati* plerique, qui favoribus & conſiliis, ut prætertur, cum populo inſtiterunt, me magis turbaverunt, qui & gravius contra me peccaverunt.

Intempeſtiva electionis pœna.

Unde revera non mirandum, ſi *jus regium* eos etiam *ad vindictam* ſecutum eſt. Nam ut gravi eos in vindictam *jure* percellerem & *jugo*, qui hæc perpetrarunt, cum ſua poteſtate non evaſerunt impune.

Pontificis jugum. *Roma à Pontificibus preſſa.*

Roma etenim quot & quantis ſubjecta fuerit traditionibus, cædibus, tribulationibus, bellisve inteſtinis & punicis, norunt ipſi, referant & ſcribant iidem. Non dico ab alienis, non extraneis principibus, ſed *ab eorum ſummis*, quos acclamabant, *Pontificibus*, *qui tanquam Reges virga ipſos ferrea non tantùm regebant, ſed etiam tanquam vas figuli illos confringebant.* Et ut clarius ediſſeram, non modo jugulabant, decapitabant, in ſervituté eos redigebant, vineas & ſegetes eorum ſibi vendicabant, filios & filias ſibi ſervos ſervasq; faciebant, verum etiam totam urbem Romanam ſervam ſibi fecerunt, & ſervituti *tyrannice* ſubjecerunt.

Bonifacii IX. bella.

Longum eſt ſingula dinumerare, imò prolixum eſt valde ſolius *Bonifacii IX. bella* perſtringere, ab eo quo ventum eſt tempore ad *Johannem XXIII*, qui *Balthaſar* eſt. Cujus & geſta mundum noſcunt per univerſum. *Qui quomodo Romanam ſubjecerint gentem, & virga eos ferrea correxerint*, noverunt illi, qui mala paſſi ſunt. *Dicant ergo quibus placet; Mea intereſt de illa ſilere materia*, qui ad alia ſcripturus properabo.

Ecce, ô ſponſa dulciſſima, nonne anxiari, nonne turbari, nonne ira repleri ob hæc *impia* ſere *facta* debeo? Qui tam perverſis, qui ſe immiſcuerunt electioni, ſive dolo, ſive iniquitate ſeductis, & certe magnis & parvis, prælatis & ſubditis, quos omnes & ſingulos

in præfatis novi reos, pœnam injeci. *Ut videant ſe ſic puniri, quia ſuis malis meritis hæc omnia meruerunt.* Attente igitur te, ô ſponſa dulciſſima, advertere geſtio, & te veritate adjuratam interrogo, an *tanti autores ſceleris* pœnam pro injectione hujus pernicioſi atque flebilis ſchismatis non meruerint? Non aliter te judico reſponſuram, niſi illos ea, quæ patiuntur, *ſupplicia meruiſſe.* Et videbis etiam *majores* ſuam quam meruere culpam *luituros* pœna graviori.

DISTINCTIO VII.

Diſtinctius recenſentur publicorum malorum incrementa tempore ſchismatis, per longam Pontificum illorum ſeriem. Ambitio præſertim & Simonia illorum perſtringuntur.

TU tamen miſericordiæ atque clementiæ me commemoras largitorem dulciſſimum. Mihi enim proprium eſt miſereri ſemper, & parcere. Unde & devotiſſime flagitas, te, dudum ab amicis deſolatam, & ab æmulis afflictam, liberari. Audio certe, neque te, quæ ſuper me radicata es, firmiſſimam petram, deſerere potero.

Pœna gravis.

Aliud eſt enim percuti, & *ſine relaxatione* puniri. Quo nimirum modo *Synagogam* verberavi percuſſione ſatis crudeli. De qua *Jeremias Propheta* ait ita: *Plaga inimici percuſſi te, caſtigatione crudeli.* Et iterum *Propheta* hanc percuſſionem vocat *inſanabilem.* Ait enim: *Quid clamas ſuper contritione tua? Inſanabilis eſt dolor tuus.*

Sic percuſſi *Pharaonem* ſuperbiſſimum Regem, quem poſtremo per famulum meum Moyſen in mari rubro cum curribus & equitibus ſubmerſi. Sic *Herodem*, ſic *Antiochum*, cæteroſque Cain filios induratos flagellavi.

Pœna levis.

Aliud eſt puniri, *ut quis corrigatur*, & ſe peccaſſe cognoſcat. Ita *David*, & *Manaſſes*, & *Maria Magdalena*, & plerique viri atque fœminæ peccaverunt, qui ſuam confitentes culpam miſericordiam ſunt conſecuti. Ita etiam quondam plagis punivi *genus Hebræum*, nunc ſtrage, nunc oppreſſione, nunc ſervitute, nunc eremi detentione annis pluribus. Nec tamen ipſum deſerui deſolatum.

Pœnarum divinarum finis.

Verbero igitur, ut emendem delictum: Caſtigo peccantem, ut hominem ſalvem: Flagello delinquentem, ut ſanem vulnera languentis. Tempus medicinæ prolongo, qui *tarde ad iram* provocor, ut gravius percutiam. Nam, ut ait *Ovidius*, quanquam

Quanto quis major, tanto placabilis ira,
Et faciles motus mens generoſa capit:

Tamen, ut ait *Valerius*: *Lento gradu ad vindictam ſui divina procedit ira, ſed tarditatem ſui gravitate compenſat.*

Auxilii dilatio. *Diſſidia longa.* *Pauci illa volunt componere.*

Neque nunc feſtino, non accelero remedium adhibere, propter ipſius *criminis* inſe, & delinquentium *quantitatem.* *Quadraginta* enim fere *annis* offenſus ſui per generationem iſtam peſſimam, & noverunt, ſe graviſſime peccaſſe. Sed diligentiam, quam debebant, non adhibuerunt pro *ſchismatis* pulſione. Et ideo increverunt ſuper eos mala. Unde ingravata eſt contra ipſos ira mea tanto jam, ut præfatus ſum, tempore.

Sigismundi auxiliū.

Hinc, nimirum, ut illi, qui hujus *ſchismatis* ſunt *autores* & *fautores*, culpam tam enormem ſuam conſiderent, & peccatum ſuum cognoſcant, horumque malorum omnium & ſingulorum cernant gravitatem, nec potui, nec volui præſtare remedium, *donec mitteretur, qui mittendus fuerat, & veniret qui venturus erat, qui huic nefando finem imponeret ſchismati*, REX *ille* SERENISSIMUS, de quo in ſequentibus mentio fiet ſpecialis. Scriptum namque eſt: *Juxta quantitatem delicti erit plagarum modus.*

Diſſidiorum diuturnitas magnatū & ſubditorum pernicies ac pœna.

Cæterum expecto & reſpecto. Moramque facit, *ne ſubito miſerim, qui mittendus erat*, ut in ſe puniantur, qui *malum* ſuis *exemplum ſubditis* præbuerunt: Et revera *ſubditi*, ut *rebelles*, atque *pertinaces*, conſpectent, ſe ipſos in *malis*, quos elegere, *prælatis* manifeſte publiceque caſtigari. Unde ait Scriptura: *Qui regnare facit hominem hypocritam, propter populi perverſitatem.*

Prælati ambitioſi.

Puniuntur igitur *prælati*, *qui ſumma ambitione ad papatum aſpiraverunt*, nec propter ſanctam pacem Eccleſiæ dandam

dam

Digitized by Google

dam *reſignare* voluerunt, ſed multo magis ad *ſchismatis* robur nutriendum quicquid facere valuerunt, effecerunt, ut interius luce clarius oſtendetur.

Non loquor de parvis aut mediocribus, ſed de *maximis* & *ſublimioribus*, qui tibi, ô ſponſa, pacem obligarentur elargiri, & ſemper in oppoſitum laborarunt in affectu. Hi igitur, qui æmulatores extitere priorum malorum, & hujus hoſtendæ voraginis executores, nonne merito ſunt puniendi? Nonne corrigendi? Nonne merita vindictâ percellendi? Revera punientur & *maximi*, ut parvis detur exemplum majores non æmulandi. Luent illi, qui ſe non luituros ſua putant ſcelera. Revelabitur in futurum, nunc occultum. In luce clarebunt omnia. Nam

Pralatorum pœna eſt plebis terror.

Sub nive quod tegitur, dum nix perit omne videtur.

Et tu proponis ulterius, me ulciſci nimis vindicative. Ad id per præcedentia ſatis eſſe reſponſum, arbitror. Sed tamen adhuc ad illud tibi cenſeo reſpondendum. Omnis, inquam, *pœna*, cum ſit juſta, & à me vel ab homine inflicta, *bona* reputatur, in peccati vindictam. Purgat enim *pœna temporaria*, quam merito *purgatoriam* nominamus; illa demta, quæ æterna eſſe comprobatur. Neque tantum facinus, in meam conſpiratum injuriam, atque religionem tuam, ferre debebam impune, ne cæteri religionis tuæ adverſarii paria aut majora facere conarentur, & omnes eodem gladio ferirentur, qui ejusdem culpæ conſcii ſunt.

Pœna temporalis purgatoria.

Amplius, *quid plangis peccati pœnam? Peccatum ipſum plangere eſt neceſſe.* Pœnam infligi gaudioſum. Tui meruerunt propter malum culpæ malum pœnæ ſuſtinere. Æquum enim eſt & juſtum, ut, quia contra te atque me deliquerunt, pœnam, quam meruêre, ſufferant. Nam & *Maria* Moyſi ſoror, quæ tranſito mari rubro prima divinum carmen canere meruit, poſtea, quando peccavit contra fratrem ſuum Moyſen, & quod mulierem duxerat Æthiopiſſam eum objurgavit, vel, ſi quæ alia fuit cauſa, leprâ maculata eſt, ut culpam pœna detergeret, & ſe ipſam recognoſcens humiliaretur, pœniteret & reſipiſceret & exaudiretur, in ſtatum priſtinum revocata. Quod ſi hoc juſto factum eſt judicio, propter unius fœminæ ſciſſuram contra fratrem unicum: Nonne ergo iram meam meruerunt, qui corpus à capite, quantum in eis eſt, diviſerunt, & te monſtruoſam effecerunt?

Peccatum deflendum, non pœna.

Sed forſan tu reſpondebis: Te non negaturam, reprobos puniendos, & illorum perſonas juſto plectendas judicio. Sed quia tu, ô ſponſa, hæc pateris, innocens, velles à *ſchismatis pernicie liberari.* Et reſponſio in promptu eſt, cum & ad iſta ſuperius reſponderim luculenter: Quod *etiam innocentia pro impietate percellitur.*

Et innocentia pro impietate plectitur.

Sed revera' *ſingula hac mala fiunt propter majores Eccleſia*, propter quorum *ambitionem* peccatum ſchismatis pœna factum eſt, & cauſa peccati. Unde ego permiſi, ut propter *pralatorum* tuorum *peccata*, qui me contemſerunt, *ambitione victi*, gravia crimina gravia ſecuta ſint facinora.

Præfecti Eccleſia ambitioſi.

Nam omne peccatum, quod primo omittitur, peccatum eſt. Sed ſi cito non tegitur, juſto Dei judicio obligatum, hominis mentem & in peccatum aliud cadere permittit: Ut, quod primo non ſtuduit emendare, incipiat peccato adaugere peccatum in vindictâ.

Peccatū morâ fit gravius.

Quia igitur *præſens flebile ſchisma* in principio non abolebatur, *peccatum* ſimul eſt, & *cauſa & pœna peccati*, quod inde ortum eſt. Ut excreſcente cœcitate malitiæ, incrementa vitiorum facta ſint ſupplicia peccatorum. Merito ergo, & ex juſtitia factum eſt, ut, quod repagula in initio poſita non fuerunt, mala plura ſint ſubſecuta. Unde Moyſes: *Nondum*, inquit, *completa ſunt peccata Amoraorum.* Et ſpiritus Sanctus per os David: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem.* Et Johannes ait: *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* Hinc etiam ſcriptum eſt: *Secundum duritiem autem tuam, & cor impœnitens theſauriſas tibi iram Dei.*

Peccatū aliquando & cauſa & pœna peccati.

Videamus ergo breviſſime, & intente ſpeculemur, quomodo *præſens ſchisma* ſit' *peccatum.* Sed hoc quidem

 clarum

clarum eſt. Sed quomodo *cauſa & pœna peccati?* Similiter iſta ex præcedentibus patent. In principio, quo *Urbanus VI. Papa* creatus eſt, *incepit* ipſum *ſchiſma*. Quo creſcente creverunt *ſimonia*, *avaritia*, *ambitio*, & cætera, ut tu noſti, ô ſponſa dulciſſima.

Schiſmatis Papalis initia et fructus.

Minus ſcelerata erat *ætas*, quæ duravit *ab Urbano uſque ad Bonifacium*. *Mala* tamen erat. Quia & ille *non bonus* erat: Ut infra clarius apparebit.

Urbanus inurbanus.

Secunda ætas iſtius ſchiſmatis cœpit *ſub Bonifacio*. Sed illa *pejor*, pravior, & nimis ſcelerata. Nam tunc, illius ætate, qua regnabat, floruit *avaritia* ſuccrevit *Simonia*, & cætera mala, imo peſſima. Sub eo mala initium fortitudinis ſuæ acceperunt.

Bonifacio non bono. Simoniæ incrementum.

Et poſt *in tertia ætate* invaluerunt iſta mala, & quaſi roborata audaciam aſſumſerunt, & quæ *prius timore* facta fuerunt, *tunc depoſita verecundia* non reputabantur peccata. Et *ſub Innocentio* iſta ſuam fixêre radicem.

Innocentius haud innocens.

Quarta ætas cœpit *ſub Gregorio*. Qui, quanquam *bonus* eſſet *homo*, mala tamen ante radicata flores produxerunt, & incepit increſcere ſchiſma. Quia in *Concilio Piſano* ipſe depoſitus fuit, & *Alexander* ſurrogatus. Et factum eſt *ſchiſma duplex* ſub Romani Pontificis obedientia. Unde major error, major infamia, & major rumor accreverunt.

Gregorio erroris fomes.

Et *ſub illis duobus* erat *ætas quinta*, ſed pejor, imò crudelior. Quia revera bellum inteſtinum, quod Punico nocentius, eſſe conſuevit.

Demum mortuo *Alexandro* cœpit *ætas ſexta ſub Johanne*, quæ *omnibus aliis pejor* facta eſt. Tunc flores produxerunt omnis iniquitatis, & malitiæ fructum. Ut per rei patet evidentiam, & tu optime noſti.

Johannes nefandus.

Ex quibus patet, quomodo in pœnam peccati peccatum eſt cauſa peccati: Et quia *ſchiſma in principio non eſt abolitum*, ideo hæc *mala omnia facta ſunt præcedentium ſupplicia malorum*, & ex ſchiſmate hæc mala tanquam ex cauſa procreverunt.

Emendationis dilatio damnoſa.

Non ergo ſchiſma tolli poterit, donec impii corrigantur, qui illius cauſa ſunt & extiterunt, & à ſtatu ſuo vel coacti vel conſentientes *deponantur*, aut per ipſorum *reſignationem* voluntariam, aut *depoſitionem* eis etiam diſplicentem, ut epiſcopatum eorum alter accipiat, illis pro ſuis criminibus manifeſte punitis, qui te ſanctam & immaculatam publice ſcandaliſaverunt, & infamia defœdarunt.

Correctione opus. Deponendi autores malorum. Reſignatio.

Nulla enim confert *juſtitia*, *ut obſtinatis detur miſericordia*, quam non mereantur, & culpa illis remittatur, qui reſipiſcere aut pœnitere dedignantur. Sed revera remota cauſa removebitur & effectus.

Juſtitia obſtinatorum non miſeretur.

DISTINCTIO VIII.

Publicam morum emendationem viam eſſe ad unionem, monetur. Præmittitur illa ex IMPERATORE SIGISMUNDO. *Qradraginta annorum corruptio publica multis & appoſitis pingitur figuris. Meliorum ex Sigiſmundo fatorum auguria repetuntur.*

NOli ergo exaſperari, o dulciſſima ſponſa, quæ me autumas ea percutere de cauſa, ut flagellis continue atque aſſidue verberare velim: Quæ magnis me pulſas clamoribus, ut miſereri non dedigner eorum, qui contra me tam graviter deliquerunt, & juſtitias meas profanarunt. Polluerunt templum ſanctum meum, ponentes te ſanctam & immaculatam in pomorum cuſtodiam. *Non* eſt, volo quod advertas, *miſericordia inſigne*, *indulgere peccantibus*, ut iniquitatem faciant: *Neque impii miſerendum eſt*, *ut injuſtitiam facere diſcat*. Quinimo & *in hac parte miſericordia dignitas eſt, tollere miſericordiam* & auferre. Solum converti volentibus miſericordia impertienda eſt, qui ſe peccaſſe pœnituerint, & de cætero peccare noluerint. Nec tamen impune tranſire debebunt, ne juſtitiæ derogetur.

Miſericordia non eſt, indulgere peccantibus.

Quamdiu igitur *Prælati*, mundi hujus

Prælatorum

ſum-

Digitized by Google

tyrannis. ſummi rectores & tenebrarum harum regimen, quod tyrannice poſſident, obſervaverint, non eſt porta ad miſerendum reſerata. Qui *ſola ducti ambitione ſe Prælatos oſtendunt: Ut præſint non proſint:* Ut *marſupia impleant, animarum ſpreta ſalute: Ut vivant ut volunt, non ut debent:* Ut *libita* proſequantur, *non licita:* Omnibus ſcilicet inferioribus ſcandalum, & ſpecula malorum, & totius Chriſtianæ religionis macula exiſtentes. Quibus aut *reſignantibus* aut *depoſitis* rectum patebit iter ad tuam, o ſponſa, *unionem* celebrandam.

Prælatorum ſtudium.

Reſignatio eorū. Depoſitio.

Sed, quod tu ipſa pro te, atque tua gente deprecari non deſiſtis, quam miſericordiam meam implorare proclamas, quæ mihi tibique fidelis inventa eſt, & niſibus totis ad noſtram anhelat pacem: Te exaudiam una cum populo tuo meoque, *miſſurus tibi PRINCIPEM virum bonum, quem inveni ſecundum cor meum*, cum cæteris multis, qui *pacem* tibi dabunt *exoptatam.* Nam quanquam filii tui dereliquerint legem meam, & juſtitias meas profanaverint, & mandata mea non cuſtodierint: Miſericordiam tamen meam non diſpergam ab *EO, quem tibi mittam*, propter ſanctam religionem tuam. Et revera, quæ de labiis meis procedunt, non faciam irrita. Videbis enim, & mirabitur & dilatabit ſe cor tuum, quando converſa fuerit ad te multitudo fidelium tuorum, & gentis tuæ fortitudo venerit tibi, qui omnes te *ad unitatem* priſcis radicatam temporibus revocabunt.

Sigismundi Imper. auxilium

Et ut clarius intelligas, attentius ſolito pauliſper advertas quæſo. *Quadraginta annis* irritatus ſum ab iſtis, qui ſe erraſſe noverunt. Sed non emendarunt, quod male geſſerunt. Sed neceſſe eſt, ut finem accipiat prævaricatio. Quod non erit deſolatio perpetua, ſed præciſe temporalis. Nam ſicuti poſt plagam, qua percuſſi Hebræos, ceſſavit ira mea: Ita *poſt pœnam* & vindictam *placabilis ero* ſuper iniquitate gentis tuæ.

Dies XL. Ezechielis. Et ecce hi *anni XL* dies illi ſunt XL, de quibus *Ezechielis IV: Dormies ſuper latus dexterum, & aſſumes iniquitatem domus Juda XL diebus.* Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. Conſumetur igitur iniquitas filiorum tuorum *XL annis*, & tunc finem accipiet peccatum.

Hi ſunt anni iræ Dei, in quibus peccatoribus vindictam meam exhibui, de quibus *Numer. XXXII.* dicitur: *Iratus Dominus adverſum Iſrael circumduxit eum per deſertum XL annis, donec conſumeretur univerſa generatio, quæ fecerat malum, in conſpectu Domini.* Iſti ſunt anni vindicativi, in quibus ultio mea manifeſta claret propter iniquitatem filiorum tuorum. De his *Numer. XIV: Filii veſtri vagi erunt in deſerto annis XL, & portabunt fornicationem veſtram, & ſcietis ultionem meam.* Vagi fuere filii hominum annis iſtis XL. boni cum malis, & quaſi ſuper terram profugi cum contentione magna, & receperunt iniquitatem præcedentium, qui ab hac vita deceſſerant. Fuerunt ergo vagi in verbis, vagi in moribus, iſti *Romani*, illi *Francigenæ*, alii *maritimi.* Sed nunc in anno XL complebitur ultio mea, ut quilibet ad cauſam veram & unicam revertatur. *Anni XL Iſraëlitarum in deſerto.*

Hi etiam nimirum ſunt *dies illi XL*, in quibus ſuper terram *plui XL diebus*, ut punirem peccata hominum, parvulorum cum parentum peccatis. Et conſumetur peccatum diebus XL. diem pro anno computando. *Dies XL. pluvia.*

Hi etiam anni poſſunt deſignari per *horas XL, quibus mortuus* fui. Nam revera *iſtis annis XL* quaſi dormiens fui & ſoporatus. Sed *horâ XLI* quaſi leo ſurrexi de ſepulchro: Et nunc *in fine XL* annorum quaſi urſa ſaliens, & leo fortiſſimus vigilabo, & exurgere te faciam, O ſponſa dulciſſima, ut de *uno capite* tibi provideam, cæteris & punitis & repulſis. Conſumetur igitur tota malitia in *his annis XL*, & finem capiet prævaricatio & iniquitas univerſa. *Horâ XL mortis Chriſti.*

Quippe iſti *anni XL* includuntur *ſex tribulationibus*, de quibus ſanctus *Job* prophetavit, futuram tuam perſpiciens tribulationem, & ejusdem poſt certa tempora abſolutionem. Ait enim ad te clamans de me: *In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum* *Sex tribulationes.*

Digitized by Google

malum. In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladii, a flagello lingua abſconderis, & beſtiam terra non formidabis, & beſtia terra pacifica erunt tibi, & viſitans ſpem tuam non peccabis, & ſcies, quam multiplex erit ſemen tuum, & progenies tua ſicut herba terra. Nonne etiam & tu ipſa ad quendam amicum tuum prorupiſti in hæc verba: *Ipſe liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.* Poſt digna populi tui flagella te ipſam vir ſacro imbutus ſpiritu conſolatur, ne veſaniam aut deſperationis laqueum cogaris incidere, cum tu timida doloris tui finem æſtimaveris te non habituram.

Finis miſeriarum.

Non enim, ut præfatus ſum, erit deſolatio iſta perpetua, ſed temporaria, non crudelis, ſed punitiva, non horrenda, ſed emendativa, non deſtructiva, ſed futuræ ſeditionis præſervativa. Hinc eſt, quod edoctus ſpiritu Prophetico ait ad te, dulciſſima ſponſa: *In ſex tribulationibus liberabit te.* Sed quam Te? Te ſponſam liberabit dilectam ſuam ſponſus ille civis dulciſſimus, candidus & rubicundus, & ex millibus electus. Ille, inquam, in ſex tribulationibus liberabit te.

Ponitur hic numerus & finitus, cum talis omnis ſit numerus, ut poſſit numerari. Adjicitur etiam tribulationis univerſitas, totiusque doloris tui congeries, quæ *numero* ſignificatur *ſenario. Sex* enim numerus perfectus eſt, poſt quem non erit dolor amplius aut triſtitia, neque tribulatio, neque luctus, quæ prima abierunt, & ideo in *ſex tribulationibus*, quas ſupra *ſex* commemoravi *ætates*, caſtigaberis, flagellaberis, corripieris, & vulneraberis, & in illis peccatum tuum delebitur, amputabitur & reſcindetur. Noli igitur, dulciſſima ſponſa, anxiari in ſpiritu tuo, nec turbetur, neque formidet cor tuum.

Numerus ſenarius perfectus.

Sex dies creationis.

In *ſex diebus* patrabam mundi opus omne, cœlum & terram, flumina, maria, volucres, piſces, hominemque, & cætera, quæ formanda fuerant, contexui cum ornatibus eorum, & cuncta perfecte condidi & diſtinxi. *Die* verò *ſeptimo* requievi ab omni opere, quod perfeci. Sic & tu in *ſex tribulationibus* liberaberis, ut tribulationum tuarum numerus in *ſenario* perficiatur, & in *ſeptenario* requieſcas tota pulchra & formoſa.

Septimus quietis.

In *columna* præcedam te, & ſtabis firmata, ſuper columnam firmiter radicatam. Nam ſapientia ædificavit ſibi domum, & excidit *columnas VII.* Iſtæ verò columnæ tuæ, ô ſponſa, confirmatæ ſunt. Unde per os David loquitur Spiritus Sanctus: *Ego confirmavi columnas ejus.* Sed quomodo columnæ iſtæ dicerentur exciſæ & confirmatæ, niſi eſſent nobiles, inſignes & fortes? Nobiles ſunt, quia aureæ, inſignes quod argenteæ, & fortes, quod ferreæ atque marmoreæ. Et tu eris, ô ſponſa, ferrea. Unde Propheta Jeremias: *Dedi te in columnam ferream.* Nam ſicut ferrum cætera metalla domat, ſic & tu omnia mundi regna ſubjugabis. Tu es enim columna & fundamentum veritatis, ſecundum Apoſtolum ad Timotheum. Et qui tuus erit proviſor, *rectorque religionis ſanctæ, columna* erit firmiſſima ex auro fulvo, cujus baſes erunt argenteæ, & erit *columna* marmorea ſtans firmiſſime, neque ad ſiniſtram neque ad dextram declinans. Unde Johannes in Apocalypſi: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. Quod ſi non vicerit, non erit columna.*

Columna, Eccleſiæ præſides.

Columna igitur erit in templo meo *futurus Pontifex*, qui triumphum in Eccleſia militante reportabit, victis hoſtibus religionis Chriſtianæ, *columna* inquam aurea, *columna* argentea, *columna* ferrea, & *columna* marmorea. Talis eligetur *ſummus ſacerdos*, qui non alia, quam talis *columna* ſtatuetur.

Hic vero *re & nomine* COLUMNA erit, quem eligent ſummi Pontificis electores. Unde *Johannes in Apocalypſi* quaſi illum digito monſtrans ait: *Ponam te columnam in templo Dei mei.* Prophetia iſta fallere non poteſt, cum Spiritus Sanctus ipſam ſit elocutus. Tu ergo *COLUMNA, quicunque ille fueris*, in templo Dei *columna* firmaberis, ut pacem Eccleſiæ largiaris, ſchiſmatis veneno plenius extirpato.

Alluditur ſcite ad Oddonem de Columna, Cardinalem in Conſtantienſi Concilio electum Pontificē.

Et ſic in *ſex tribulationibus* liberaberis,

ris, quia in *ſex Pontificibus* vicariis meis finem accipiet prævaricatio, & peccati tui pœna finietur.

Dies ſeptimus, quietis.

Sex enim *diebus*, ut ſcriptum eſt in *Exod. Operaberis, & in ſeptimo ab omni ceſſabis opere.*

Annus ſeptimus, libertatis.

Servus etiam emtitius *ſex annis ſerviet* tibi, ut ibi dicit Scriptura, ſed in *anno ſeptimo* liber erit.

Ecce, *ſex diebus eſt operandum*, & *ſeptimo ceſſandum. Sex annis* eſt *ſerviendum*, & *in ſeptimo* erit *libertas.* Sic ergo in ſex tribulationibus liberabitur Eccleſia. Quia conſumetur peccatum *ſex ætatibus*, quas ſupra memoravi, quæ *ſub ſex Pontificibus* contigerunt. *Prima*, ut præfatus ſum, erat *ſub Urbano VI*, *ſecunda ſub Bonifacio*, *tertia ſub Innocentio*, *quarta ſub Gregorio*, *quinta ſub Alexandro*, *ſexta ſub Johanne.* In & ſub quo hoc damnoſum atque execrabile ſchisma finem habebit. Et *in ſeptima* non continget te malum.

Ætates ſex disſidii ante Conciliū Conſt.

Nimirum usque in finem mundi tribulationes patieris, quæ militas & pugnas: Sed non tanget te amplius *ſchismatis tam horribilis* atque ſcandaloſi malum aut pernicies, quæ draconis verſutias ſumma cum prudentia eradicabis.

Diſſenſionis publicæ finis in Concilio Conſt.

Ante tempora multa crudelis ſæviebat *leo per perſecutiones* manifeſtas aliarum gentium & infidelium populorum. Sed nunc victa leonis feritate, pugnat inſidians *draco per hæreſes & inventiones diſſenſionis in Eccleſia.* Sed quomodo leo rugiens ſuperatus eſt, ſuperabitur & draco doloſus.

Perſecutiones priſtinæ.

Diſſenſiones novæ.

Subdit autem vir ſanctus: *In fame*, inquit, *eruet te de morte, & in bello de manu gladii.* Sic igitur te redimam, ne morti ſuccumbas, & ne ſubmergaris, ſumma te diligentia cuſtodio. Fuiſti huc usque *ſicuti Jonas in ventre ceti.* Sed evomeris, antequam magnum emerſerit ævum. Te ergo, ne occidaris, ſalvabo. Ne in bello, quo contra æmulos tuos dimicas, eorum intcrimaris gladio, meus te ſalvabit & defendet mucro. Semimortua recubas, ſed totam te ſuſcitabo vivam. Panis ſancti eſurie anxiaris, ſed te ego ipſe, ut reſocilleris, paſcam vitali cibo. Nonne *Elias* per me pane paſtus eſt, qui ſe emori appetebat & optabat: Et te, quæ vivere geſtis, non educabo? Abſit. Nam & *Moyſen* ſervum meum XL diebus & noctibus ſine corporali cibo potuque pavi, cœleſti eundem nutriens manna. Quomodo ergo te fame perire permittam? *Populumq;* cervicis duriſſimæ quam mirabiliter ipſe paverim atque potaverim, ipſa non ignoras. Qui etiam me toties tamque graviter exacerbavit, ut etiam per eos cœleſti ſumto edulio ira mea in ipſos deſcenderit atque deſævierit. Quomodo ergo te, mihi amantiſſimam, dulciſſimam atque gratiſſimam ſponſam & amicam, derelinquam, te dimittam, tui obliviſcar?

Imagines Eccleſiæ ſervatæ.

Jonas.

Elias.

Moſes.

Populus Judaicus in deſerto.

Eſt, putas, poſſibile, ut dulciſſimi partus ſui mater obliviſci poſſit, quem tenerrime dilexerit, attrectaverit dulciter, atque dulciſſimo complexata fuerit oſculo, quem nec quidem uno momento abſentem à ſinu ſuo poterit ſuſtinere? Sic & tui, ego tuus, cui tanquam fideliſſimo dulciſſimoque inniteris ſponſo tuo, obliviſci non valebo. Oblivioni quod tu me dare non deſeris, te in præcordiorum intuitu meorum non propoſuero in factis ſingulis & faciendis? Panem cœli, panemque Angelorum manducavit homo, & te pane cœleſtis lætitiæ angelicique tripudii nonne ſatiabo? Ob cujus intimam mellifluamque dulcedinem & dilectionem nimiam, ut te eſurientem ſaturarem, ſtelleo deſcendens e cœlo terrena petivi, & te famelicam Lucifero eripui, qui te in ſua captam potentia inanem absque nutrimento dereliquit. Abſit à me, abſit omnino. Abſint & à te cogitationum hujuſcemodi emolimenta, cum talia fingere etiam nefas reputem & ingratitudinis vitium, o dulciſſima ſponſa. In hac igitur exitioſa *fame* tua te à morte liberabo.

Et non modo ne defungaris eſurie, auxilium compræſtabo, ſed etiam, uti præclariſſimus vir ille ac ſanctiſſimus Job ajebat: *Etiam in bello, de manu gladii eripiam te.* O quoties pro Hebræorum gente profana pugnavi, vincens atque triumphans, nunc in ignis, tunc

Eccleſia bellis non extinguenda.

in nubis eos columna præcedens: Aliquando ſubmerſione necans eorum adverſarios. Ut in Pharaonis plaga, quem ſtrage numeroſa atque terribili in mari rubro ſubmerſi. Interdum victoriâ per gladii ſcindentem aciem æmulos eorum cædens, mortiferæ ſubjeci pœnæ. Et tibi, quam præ ſynagoga elegi, auxilium putas impendere nolle? Infirmam opinaris, quam ad te gero, amicitiam? Sed eandem ut ſcias firmiſſimam, noſſe te velim: *In neceſſitatis articulo amicitiæ firmitas patet.* Hanc, ſi placet, intueri te volo, & ab his recedes ſermonibus, quos huc uſque lacrymabiliter te panxiſſe novi. Te ergo de morte liberabo, & *in bello* pro te ſic pugnabo, ut de tuis hoſtibus triumphes coronata.

Detractores in Eccleſia.

Hinc, ut vir idem ſanctus effatus eſt, *à flagello linguæ abſconderis.* Quia exprobrationes detrahentium atque obloquentium tibi obmuteſcere faciam, & convitia contumeliasque, quas evomuerunt pharetra diriſſima, in eos, qui emiſerunt, reſilient, & verecundiam propriis ſauciati ſagittis patientur. Nec habebunt ultra contra te occaſionem ullam, ut jacula venenatæ ejiciant linguæ, qui, etiamſi verba malitiæ proloqui vellent, ſubticere compellentur.

Hæretici.

Sequitur etiam: *Beſtiam terræ non formidabis*, hoc eſt, *hæreticos*, qui tibi inſidiati ſunt, qui terram comedunt, terrena ſapientes, te timebunt, & tu non formidabis eos. Per te namque in terræ pulverem juſtitiâ damnati convertentur. Inſuper & tu ejicies eos à ſede ſancta tua, quod indigni ſunt, ut in domo tua habitent, quos error & perfidia circumvallant.

Tyranni.

Nec non & *beſtiæ terræ erunt pacificæ tibi. Tyranni* nimirum beſtiæ terræ ſunt, qui bonos opprimunt, vaſa facti iniquitatis. Hi erunt tibi pacifici, & pacis tuæ æmulatores, converſi de moribus malis ad tuam ſanctitatem, cujus & erunt ignei defenſores. Tunc namque viſitans ſpeciem tuam non peccabis. Pulchra enim eris in charitate filiorum tuorum, quæ tunc novo germine accreſcet, & accendetur veluti clibanus ignis ardentis amor tuus, & univerſi te diligent & contra adverſarios tuos defenſabunt.

Erunt tunc filii tui pleni charitate, & *multiplicabitur ſemen tuum:* ſemen inquam Abel juſti tunc adolebit, & erit pax ſuper orbem univerſum, & ſubjicientur tibi Turci & Saraceni, & qui filii Cain fuerint, debellabuntur, & decident ore gladii.

Splendidum augurium de felicibus fatis Sigiſmundi Imper.

Capiet tibi filius tuus Rex Sigismundus, *advocatus tuus* univerſalis, civitatem ſanctam Hieroſolymam, & multiplicabitur ſemen tuum nimis. Miraberis, & dilatabitur cor tuum, quando converſa fuerit ad te multitudo gentium. Erit progenies tua ſicut herba terræ fructifera, & ſicuti pratum floribus aſperſum. Eris corona triumphalis, mortuos ſuſcitans, ſurdos reſtaurans, leproſos mundans. Et tunc innumeras mihi ſponſo tuo grates reddes dulciſſimo, & erit pax ſuper omnia regna tua, & multiplicabitur imperium tuum in pace ſempiterna.

Per hæc, quæ præfatus ſum, ad omnia & ſingula per te mihi propoſita æſtimo me ſufficienter reſpondiſſe. Si quid vero occurrerit tibi de cætero proponendum, in futurum librum reſervato.

LIBER

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

Sollicita Eccleſia de apto publicorum malorum remedio, de quo fere deſperat, ob infandam morum corruptionem.

METRUM.

Eccleſia obſecrat Chriſtum, qui malis medeatur.

DUlcia pulchrave verba canis, mi ſponſe venuſte:
Florida lætaque dicta ſeris *ſolamine* plena:
Proſpera ſic & amœna paris ſermone perito.
Mellea nam tua carmina clam me carpere noſcas.
Daque modum, *jam ſolve nodum.* Dic, qualiter extet,
Triſtis ovans, mœrensque parans ſe ad gaudia læta.
Tolle moras, quæ dando placas ſolamina verbi.
Cerno *malum vetus*, atque *novum*, quæ tollere cures.
Tollito *peſſima ſcandala*, plurima, garrula vulgi.
Morbida pellito pocula, fundito pocula virus.
Vincula, ſi poteris, ſimul atque *pericula* pelle.
Pelle *timorem*, redde favorem, pellito *morbum.*
Sit medicina tuo formata per omnia ſenſu.
Sit fortis, dulcis, ſit vivida, ſitque ſerena.
Non poterit firma quercus radice locata
Abſque labore gravi divelli ſeu lacerari.
Ecce, timor meus eſt, *non poſſe nefas ſpoliari*
Mundum, quo plenus ex omni parte probatur.

PROSA LIBRI TERTII.

Illuſtratur Eccleſiæ ſollicitudo de apto malis publicis medendi remedio.

DISTINCTIO I.

De difficultate & periculis, malis iſtis publicis medendi & ſchisma tollendi, queritur Eccleſia.

COntradicere illis, quæ à te relata ſunt, ſponſe mi dulciſſime, non valeo; Cum & eadem ſuper fundatiſſima ſint radicata ratione.

Sed temporis tantarum miſereor penuriarum, quo & ipſum peccatum finem capiat, & ego priſtinum in ſtatum revocata quieta atque ſecura ſervire tibi poſſim.

Et id quidem parum mihi eſt, ut *tanta deſolationis* intuear *finem.* Unde mihi, hujuscemodi attendenti, gravis accreſcit doloris inopinati anxietas, cum videam *gravisſimum* ſuper me filiosque meos *jugum*, deprimens atque onerans totius ſtatum univerſi. Et ô utinam advertere valerem, *quomodo* tot *ſchismata*, tantave ſcandala, infamiæ, ac rumores *poſſint aboleri.* Tu igi- igitur qui veritas es, promiſiſti jucundo carmine, hæc ſingula finem habitura.

Jugum Eccleſiæ ante Conc. Conſt.

Modus diſſidiorũ componendorũ difficilis.

tura. Vis, ut credam ſermonibus tuis. Certiſſime noſſe te velim, verbis tuis adhibeo fidem, quæ te ipſum æſtimo mentiri non poſſe, qui veritatis lumine radioſo decoraris.

Deus poteſt diſſidia publica componere.

Sed neſcio multis præpedita mœroribus, divinum tuum penetrare conſilium, *quo modo*, quibusve via atq; vi hæc fieri poſſe comprehendam. Novi, te poſſe omnia, & non eſſe impoſſibile apud te omne verbum, qui cœlos fundaſti & terram formaſti, cuncta palmo concludens. Sed celaſti me, *quomodo* id, quod fiet, ſit futurum.

Difficulter diſſenſiones componuntur.

Si venit plenitudo temporis, ut poſt vindictam miſericordiæ recorderis, quæſo, diligenter ex præcordiis meis auſcultare digneris, quæ mihi *ad oppoſitum* fidem firmam faciunt, ne credam, niſi aut *maxima difficultate*, aut experientia manifeſtiſſima ſuperatâ, me *pace atque unione* fruituram. Qua de cauſa infortunii mei querelas ſingulatim proponere ſtudui, ut me tacente reſpondere non dedigneris ad ea, quæ ediſſerere jam inchoabo.

DISTINCTIO II.

Immedicabile Simoniæ malum graphice depingitur.

INcreverunt in me mala, quorum non eſt numerus. Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre. Multiplicatæ ſunt infirmitates meæ nimis, quia circumdederunt me mala peſſima. Quæ, ſi potero, ad *numerum* reducam *octonarium*, ut ſic ſaltem videatur, num *remedium* poſſit adhiberi.

Multa Eccleſiæ mala.

Simonia in Eccleſia regnum.

Primum igitur malum eſt *Simoniaca pravitas*. Eſt enim *Simonia* voluntas ſtudioſa *emendi vel vendendi ſpirituale*, vel annexum ſpirituali. Vocatur etiam *hæreſis*: Quod benedictio Simoniaci in maledictionem vertitur.

Simoniaci Gehaſitæ.

Habuit ortum in veteri lege à *Gehaſi*, qui a Naaman a lepra mundato munera recepit. Unde dicuntur ſpiritualium venditores *Gehaſitæ*.

Simoniaci à Simone Mago.

Simoniaci vero proprie à *Simone Mago* vocitantur, qui à principe Apoſtolorum Petro Spiritum Sanctum pecunia volebat emere.

Spiritualia ementes & vendentes.

Et vocantur *Simoniaci*, *ſpiritualium emtores*, ut qui pro ordinibus ſacris & beneficiis dant iniquitatis mammonam. Nuncupantur tamen communiter *Simoniaci*, ſive *vendant*, ſive *comparent* ſpirituale.

Omnes clerici Simoniaci ante Conc. Conſt.

Hæc impia hæreſis, *hæc iniqua pravitas mundum intoxicavit univerſum.* Quis eſt *clericus*, quis in ordine ſacro, qui non ſit *Simoniacus*? *Papa*, *Cardinales*, *Archiepiſcopi* & *Epiſcopi*, omnes hac impia ſunt *infecti* pravitate. *Omnes accipiunt munera*, pro temporali theſauro dantes ſpirituales divitias. O quot & quanta contra *Simoniam* ſcripſerunt, ut ipſam abraderent! Sed nihil prodeſt ſcribere vel dicere, ſi non affuerit & efficere.

Simonia olim Inter Judæos.

Prælatorum Chriſtianorũ quæ ſimonia?

Reſpiciamus comparationem. Inſpicio *Synagogam*, quæ me multo melior eſt. Ecce, & adverte, mi ſponſe dulciſſime. Illa *columbas vendebat in templo*, ut avaritiæ ſacerdotes ejus intenderent, & divitiis replerentur. Sed filii mei *Prælati*, & *quanto majores*, *tanto deteriores*, *filium* te *Dei* verum, columbam ſanctam, *ſpiritum* videlicet tuum *ſanctum*, *ſacramenta* tua, *beneficia*, *ſpiritualesque poteſtates*, *prece*, *pretio*, & *favoribus vendunt* inordinatis. Et revera tu ipſe menſas numulariorum & columbas vendentium evertiſti. Ecce, quomodo ſtabit regimen ſponſæ tuæ in tam impio regno profundatum.

Simoniacorum claſſes.

Sunt igitur filii tui atque mei *Simoniaci* & *Gehaſitæ*. Nam hi *vendunt*, iſti *emunt*: Iſti *advocant*, illi *procurant*: Illi ſunt *ſequeſtri*, illi *arbitri*: Iſti *citatores*, illi *compoſitores*: Iſti *auditores*, illi *exceptores*. Et quocunque cenſeri potuerint nomine, *Simones* ſunt & *Gehaſitæ*.

Simonia peccatum non habetur.

Et ô mi ſponſe dulciſſime, te geſtio non latere: *Simonia peccatum non reputatur.* Vis forſan abnegare, & me compellere adducere *teſtes*. Certiſſime noveris, & infra rimaberis, oculata fide. Omnes *viros ſpirituales* refero vitio pravitatis hujus irretitos. Et forte autumas, *eccleſiaſticas* in teſtimonium

Digitized by Google

um vocatas aut ducendas, nobiles atque notabiles *perſonas*, veritati nolle perhibere teſtimonium. Equidem *adſunt*. Etſi nollent aſſiſtere, rapiantur in medium, ut ſic ſaltem veritate victi veritatem ediſſerant, velint nolint.

Commune Epiſcoporum malũ Simonia.

Congregetur atque glomeretur in unum tot *ſpiritualium turba Pontificum*. qui cæteros dignitate, & ô utinam ſic & ſanctitate, præcellunt. Hi *omnes & ſinguli Simoniacæ pravitatis vitio ſunt involuti*.

Monachi Simoniaci.

Neque excipio *monachos* aut *religioſos*, *mendicantes* aut *non mendicantes*. Mundus ipſe novit totus, etiam & iſtos huic peſſimæ ſubjectos iniquitati. Ad cujus experientiam ipſa teſtis ſit *experientia*, fide digna, pro teſtimonio invocata.

Vah! quomodo deſtruitur regnum meum! Eheu quali impietate mei promoventur! Et ô proh dolor, quomodo meum ſtabit imperium, quod in ſe tot tantisve diſſectum eſt diſcriminibus, & tot ſcandalis irretitum! Vellem, ſi proficerem, mei ipſius *plura* proponere *ſcandala*, ſed ea de cauſa, *ut emendentur* ſingula. Conqueror tibi, ô mi ſponſe, defero querelas, ſed contra me ego me ipſam accuſo, etſi Judæi aut Turci aut Saraceni me non incuſant de facinoris mei pravitate. Ego ſcelere major, crimine famoſior, & in iniquitate ſum deterior.

Chriſtiani Judæis deteriores.

Synagoga, juxta illud contemplantis *Ezechielis* verbum, quo queſtus eſt: *Soror*, inquit, *mea Samaria*, id eſt, Synagoga, *dimidium peccatorum tuorum non peccavit*, *ſed viciſti eam ſceleribus tuis*. Ecce, hæc de me dicta ſunt, & veriſſime in me reperta ſunt facti evidentia. Nec video proportionem iniquitatis meæ, quin major emineat ad ipſam Judæorum ſectam comparata. Qua ex re *idem* ſanctus *Propheta* inferius ſubjicit in mei deteſtationem peccati, ita dicens: *Plus inſanivit libidine, & fornicationem ſuam præbuit imprudenter divitibus, & magiſtratibus ad ſe venientibus, indutis veſte varia.* En piaculi mei libidinem atque fornicationem adulteram, quam *Pontificibus* meis quaſi fornicaria tradidi, qui omni ſanctitate tanquam impii ſunt abuſi. *Veſtis varia* impia eſt *Simonia*, quâ ad & ſuper modum multipliciter omnes filii mei *majores*, tam *ſpirituales* quam *temporales*, quaſi diploide ſunt veſtiti.

Quanta ſit hujus ſceleris immanitas, quantave perverſitas, in ſequenti notabiliter monſtratur exemplo. *Henricus Imperator tertius*, tempore *Conradi II.* patris ſui, à quodam clerico fiſtulam tulit argenteam, qua adoleſcentes aquam jaculari conſueverunt, epiſcopatum ei paciſcens, cum fieret imperatoria ſtipatus dignitate. Advenit tempus, quo pollicitum exigeret epiſcopatum. Imperator vero ſponſum impigre donavit. Pauco labente tempore Imperator morbo ſternitur acerbo, & aggravata infirmitate exſenſis jacuit & mutus. Pro cujus ſalute Pontifices triduano indicto jejunio Dominum ſuppliciter exorarunt. Sanitati redditus, epiſcopum, cui *pro fiſtula epiſcopatum contulerat*, concilii ſententiâ depoſuit: Confitens, ſe toto illo triduo malignos ſpiritus infeſtos horribiliter habuiſſe, anhelitus flammivomos per eandem jacientes fiſtulam. Fuit namque tam intenſe flamma ſuccenſa ſpirantium, ut ignis noſtri incendium illius comparatum ardori, riſus & luſus æſtimetur. Interea verò juvenis quidam ſemiuſtus appropinquans calicem miræ magnitudinis aqua plenum ferebat, cujus intuitu, & laticis aſpergine extinctos Imperator effugiebat ardores. Hic erat glorioſus martyr *Laurentius*, cujus templum tegmine fecerat ſolidari, & calicem aureum contulerat templo, in ſancti Laurentii honorem, qui ipſum à diaboli machinamentis defendebat.

Henrici III. Imp. facinus contra Simoniacũ Epiſcopũ.

Epiſcopatus venditus pro fiſtula argentea.

Quid igitur, ô mi ſponſe, proponere debeo ſalvationi meæ neceſſarium, niſi ut omnis *e medio tollatur Simonia impietas*. Cujus ablationem fieri non poſſe multum formido, cum & ipſa iniquitas *pro nullo crimine reputetur*.

Simonia eradicanda.

Poſſem, ſi vellem, ad particularia deſcendere, oſtenſurus nominatim *Simoniacos* maniſeſtiſſimos. Sed niſi neceſſitas compellat, uti tragœdiis nolo. Nam comicus eſſe geſtio. Ne tamen

Digitized by Google

men alicujus oſtendar opinione, dicam breviter veriſſimum veritatis eloquium: *Omnes totius religionis* tuæ *rectores ſimoniaci* ſunt manifeſti. Et tu, ſi placuerit, inſpice *ſummos* tuos *vicarios*, & adverte, annon à primo usque ad ultimum *ſimoniaci* veri ſint. Hos dico, qui *hoc in periculoſo ſchismate ſummi pontificatus* effulſerunt dignitate. Et deſcende de monte per medium usque ad montis pedem, &, ſi non repereris, ut refero, mihi amplius credere noli.

Pontifices ſummi ante Conc. Conſt. Simoniaci.

Ecce malum *primum*, quod in me invaluit, & ô utinam eradicetur. Timeo, quod extirpari nequeat. Sed quod per tuam poſſit prudentiam, ſemper ſpero. Ex his patulum eſt, omnes deditos eſſe *avaritiæ*, à minimo usque ad maximum. Quæ totius *mali* præfati *cauſa* eſt & fundamentum. Sed & hic rivus fonte ſuo pejor eſt, magisque perverſus.

DISTINCTIO III.

Faſtus & arrogantia in Clero, in Papa Cardinalibus & Epiſcopis nimia pompa, perſtringuntur.

STudens, in quantum potero, brevitati, dimiſſa de avaritia ac Simonia proſecutione ulteriori, procedo ad *aliud* non minus iniquitate *malum*, ad *faſtum* & *prælatorum ſuperbiam* ſuperabundantem.

Faſtus Prælatorum.

Tu docuiſti humilitatem filios tuos, dicens: *Diſcite à me, quod miſer ſum & humilis corde.* Et te tuus ille *Petrus*, cui dixiſti: *Paſce oves meas*, Et iterum: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, miro humilitatis ſequebatur veſtigio, cui & præcepiſti ſic inquiens: *Sequere me.* Huic Petro, huic vicario tuo, imo & omnibus tuis impoſuiſti jugum leve atque ſuave, ut te ſequerentur, *humilitate* præfulgentes.

Humilitas Chriſti.

Itemque tu ipſe, ſtelleum relinquens olympum, carnem ex virgine ſumſiſti Maria, *paupertatis* cultor factus, qui mundi bona totius poſſides, eadem largiens ſecundum tuæ propoſitum voluntatis, his plura, aliis pauciora. Et illam dedicaſti paupertatem in tua carne, & in matris gremio ipſo nudus mundum ingrediens, deinde vilibus obtectus pannis in loco immundo inter beſtias effuſus, reclinatus in præſepio, poſtmodum XXXIII annis famem, ſitim, frigus & cætera plura præ paupertate perpeſſus, demum aſcendiſti in lignum crucis, mortem nudus expectans turpiſſimam, nec habens poſt crucis deſcenſum, proprium, in quo ponereris, locum, qui aiſti: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet.*

Paupertas Chriſti.

Duo igitur hæc in te ipſo dedicaſti, *humilitatem* videlicet & *paupertatem.* Sed quantum tui declinaverint ab his itineribus *ſucceſſores Petri*, orbem noſcitur per univerſum. Vah quantæ ſacerdotum omnium familiæ, vicariorum tuorum familia, ſuperflua equorum pluralitas, veſtiumque plura mutatoria, pretioſitas nimia, atque ædificia ampla, multumque decorata.

Familiarũ ſplendor in Epiſcopis.

Ecce, mi ſponſe, *maximi Pontifices* tui ut milites pugnant, ut raptores ſpoliant. Armigeri facti ſunt, qui tui tyrones eſſe deberent. Diaboli ferunt inſignia, non tua, dulciſſime ſponſe, glorioſa ſtigmata. *Currunt* revera paſſim *ad curas* gregum tuorum, *tanquam ſine curis* quisque ſit victurus, *ſuperbiæ* & *avaritiæ* nimis intendentes, neque te ſequi etiam in minimo volunt.

Pontificũ ſummorum ſtudium ante Conc. Conſt.

Ad Eccleſias curritur ſine curis.

Et quo plus dignitatis Eccleſiaſticæ fuerint onere gravati, tanto plura appetunt pondera divitiarum, *ambitione* notati. Nec periculis deterrentur, ſed favoribus præditi, & ſuperbia inflati, quicquid contra humilitatem & paupertatem efficere potuerint, ſatietate quadam inexplebili præoptant. Eſt in eis infinita *ambitio*, intermina *ſuperbia*, *avaritia* inſatiabilis, & immane atque crudele *honoris deſiderium*, ut amplius dilatentur, & ad celſiora exaltentur.

Ambitio cleri.

Superbia.

Avaritia.

Sed quid? Loquorne ego ſponſa tua de *pretioſis veſtibus*? Abſit, ut illarum obli-

Pretioſæ veſtes in Clero.

Digitized by Google

obliviſcar. Chriſtus nudus natus eſt, & ipſi *Pontifices* ſine veſtimentis lugubrem inchoavere vitam. *Chriſtus* Rex Regum & Dominus in nativitatis ſuæ etiam initio fuit pauperrimus, & *hi*, *vili aliquando ſtemmate nati*, ante prælationis curam *pauperes*, ſed *inviti*. Cura vero paſtorali præditi, veſtes pretioſiſſimas comparantes, te Regem atque ſummum Pontificem aſpernantur.

Mulierculis præcipitur: *Non in veſte pretioſa*. Quod ſi fœminæ verecundari de pretioſo veſtimento tenentur, quare tu,*caudate Pontifex*, etſi *Papa* ſis aut *Cardinalis*, te ipſum in tam pomposo non reprehendis habitu? Vadunt geruli, ut Pontificum & Cardinalium ſufferant veſtes.

Pompa Pontificum & Cardinalium.

Et,tu ô Petre,Clemens,cæteriq;Chriſti ſancti vicarii, ubi *veſtes* veſtræ *caudata in terra ſerpentes?* Fuiſtis Vos ſponſi mei imitatores, humili habitu incedentes. Cujus, rogo, ſunt iſti ſecutores, *caudas longas*, *familiarum pluralitate* ferentes? *Equi* magni phalerati auro & argento relucent amicti. Rogo, dicite Pontifices, *in freno quid facit aurum?* Ecce pauperculi noſtri fame, ſiti & nuditate deficiunt, & iſti dona tua tam viliter, quam inutiliter expendunt, mori permittentes, quos illos etiam tuo ſanguine redemiſti pretioſo.

Veſtes caudatæ.

In freno quid facit aurū?

Pontifices, cæterique *prælati*, nihil quærere niſi tantùm Dei honorem deberent & ſalutem proximorum. Sed nunc Deum poſtpoſuerunt, & te ſponſum meum ad iram irritaverunt, & propriæ intendunt *utilitati*, proximorum ſalutem minime advertentes. *Aurum* quærunt, & te Dominum habere dedignantur. Te humilem ipſi *ſuperbi* ſequi volunt, ſed æſtimo, quod non poſſint. Te etiam pauperem, *ſuffocati divitiis*, imitari cupiunt. Sed alium tibi Dominum præpoſuerunt, quem renui: Non nomine, ſed re ipſa inſequuntur.

Divitiis ſoffocati.

Timeo me verbis meis prolixis te infeſtare: Vellem Pontifices noſtros ſancti *Amalachiæ* vitam, mores, converſationem, quam utique, ſi vellent, poſſent, imitari. Hic erat *tempore Conradi III. Archiepiſcopus* ſingularis atque ſanctiſſimæ vitæ. Hic *nunquam* fuit *otioſus*. A die primo ſuæ converſionis ſine proprio vixit, non ſervos, non ancillas, non villas, non vitulos, non denique quicquam redituum Eccleſiaſticorum ſeculariumve in ipſo habuit epiſcopatu. Menſæ prorſus Epiſcopali nihil conſtitutum vel aſſignatum, unde Epiſcopus viveret. Nec enim vel domum propriam habuit. Erat autem inceſſanter circumiens parochias omnes, ſerviens Evangelio, & de Evangelio vivens, ſicut conſtituit ei Dominus. Apud quos moram fecerat, illorum ſe moribus & obſervantiis conformavit. Cumque iret ad prædicandum, cum peditibus & ipſe pedes ibat. Et hæc quidem eo magis mira, quo rara nimis in aliis.

Amalachiæ Archiepiſcopi vita.

Otii fuga

Familiæ tenuitas.

Menſa frugalis.

Viſitatio Eccleſiarum.

Noſtri Pontifices dominantur in vulgo & in clero: Iſte omnium ſe ſervum fecit. *Noſtri nec evangelizantes manducant de bonis Eccleſiæ, & bibunt ad ſaturitatem:* Ille, Paulum ſecutus, ut evangelizet manducat. *Noſtri faſtum & ambitionem æſtimant pietatem:* Ille paupertate & humilitate gloriatur. *Noſtri felices ſe credunt, ſi magnas habuerint quibus dominentur terras:* Ille in charitate tua magnum jocundatur. *Noſtri horrea & dolia replent, unde onerent menſas:* Ille colligit in deſerta & ſolitudines, ut impleat cœlos. *Noſtri capiunt decimas, primitias, fructus, oblationes: Inſuper & de Cæſaris beneficio, telonia & tributa, aliosque reditus innumeros:* Iſte cogitat ſolum, ut impleat promptuaria Dei. *Noſtri exigunt a pauperibus, ut dent divitibus:* Iſte ſollicitat divites, ut dent pauperibus. *Noſtri alta erigunt ædificia, palatia conſtruunt, turres & mœnia fabricant, & ad cœlos levant:* Iſte non habens ubi caput reclinet opus facit evangeliſtæ. *Noſtri equos conſcendunt cum turba hominum:* Iſte ſanctorum fratrum circuit & amplectitur pedes, panem portans angelorum, quo animas ſatiet eſurientes. *Noſtri plebem non agnoſcunt:* Iſte erudit: *Noſtri potentes & tyrannos amant & honorant:* Iſte punit tales, corripit & caſtigat. *Citius hiſtrioni noſtri Pontifices dant florenos X. quam pauperi mendicanti ſolidos VII. Recipiunt munera à pauperibus, quibus ſuas elargiri debent eleemo-*

Pontificū & Epiſcoporum vitia ante Concil. Conſt.

leemoſynas. Ecce hic vir verus fuit apoſtolicus. Tales eſſe deberent Pontifices, qualis fuit vir ille ſanctus. Sed breviter dicam:

Gradus dignitatum Eccleſiaſticarum.

Noſtrorum Pontificum *ſuperbia & ambitio*, qui te oderunt, aſcendit ſemper. *Facti noſtri clerici Archidiaconi, ad Epiſcopatum adſpirant:* Et *habito Epiſcopatu, ad ArchiEpiſcopatum tendunt, vel ad duos epiſcopatus*, non moti juſtitiæ zelo, ſed ambitionis iniqua voragine allecti. Et *qui ſe ipſos regere nequeunt, ſpirituale & temporale ſibi uſurpant regimen*, ſive per fas ſive nefas. Quia *habentibus pecuniam omnes fores & oſtia ſingula patent:* Pauperibus verò omnis janua clauſa. Unde eſt & illud *Ovidii:*

Curia pauperibus clauſa eſt.

Unde conſequitur: *Divitibus omnia reſerata.*

Sed & in ſequentibus de hac magis dicere intendo materia. Nunc dixiſſe ſufficiat de *Prælatorum ſuperbia, faſtu atque ambitione.* Ad alia tranſeundum eſt cum brevitate.

Luxuria Eccleſiaſticorum.

De *luxuria* etiam eorundem quid dicam? Cum ipſa jam facta *impudicam Eccleſiæ Prælatorum ac ſacerdotum vitam* apertiſſime clament. Nulli enim parcunt ſtatui aut ſexui feminarum, & ſive virgines ſint, ſive moniales, ſive ſeculares, aut alterius conditionis, indifferentes ſunt ad omnes. Teſtantur hæc animalia ſupra terram gradientia in dedecus tuum meumque, dulciſſime ſponſe.

DISTINCTIO IV.

Acceptio perſonarum damnatur, dum indigni ad officia & beneficia evehuntur, digni poſtponuntur.

VEllem de malo progredi in bonum, ſed non permittit ſchola noſtra tam perverſæ congregationis, ut omni conatu valeam noſtro jam tempori adſcribere bonum. Præſentium dierum, horarum atque momentorum non patitur anguſtia, ut *de ſpinis roſulæ* colligantur, ſed *ſpinis adjici tribulos* eſt neceſſe. Hinc *tertium* ſuperaddam *malum*, quod mentem moleſtat meam, cor quoque facit inquietum. Et iſtud ex primis antè poſitis oritur radicibus & fundamentis.

Acceptio perſonarũ in officiis Eccleſiæ diſtribuendis.

Eſt igitur, ut cito colligam, *tertium* nefandum *malum expulſio* ſanctæ *charitatis*, & *deſertio æqualitatis*, quaſi, ut ita dixerim, naturalis: *Acceptio perſonarum.*

Hoc namque judicium humanum fallitur *divino* conſilio, quod *non eſt perſonarum acceptor DEUS*, ſed in omni gente Deum timens acceptus eſt illi. Qui *meruit* merito ſuo, ſive bono, ſive malo, præmium, nactus eſt. Sententia iſta à nulla revellitur plebe, quam filii noſtri in noſtra conglomerati ſchola ſimpliciter annullant & contemnunt.

Digni officiis ſacris.

Meritum jam voco, *dignum, quem* ipſa *ſcientia vitaque honeſta perornat converſatio.* Qui, etſi talis tantusve in omnibus extiterit, ſed *pauper*, tanquam vas *ejicitur* putridum aut inane, quod, *unde beneficium ſibi vendicet, non habet.* Hinc & fame, quantum in noſtris eſt filiis, mori permittitur.

Eruditio; Vita honeſtas.

Pauper & in Eccleſia jacet.

Dives vero cum abundet, ea, quæ libent, non quæ licent, *impetrat:* Cum *munera* ipſum immeritum ac *indignum* multum *digno præferri* non deſiſtant. Quod & Poëta teſtatur, ita dicens:

Divites ad munera ſacra adſpirant.

Indigni dignis præferuntur.

Carmina laudantur, ſed munera magna petuntur,
Dummodo ſit dives, barbarus ipſe placet.
Aurea nunc vere ſunt ſecula, plurimus auro
Venit honos.

Item idem:

Ipſe licet venias muſis comitatus, Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Enimvero hæc eſt in noſtra congregatione ſtupenda ſocietas. Ebrius unus eſt, alius ſitibundus incedit, alius fame palleſcit, alter gula moritur. Alter nudus nudam tuam ſequitur crucem, alius vario circumamictus latebras ſequitur Dæmonis & ſpeluncas. Alter conſcientiæ gloriam in te ſponſo meo figit. Alius tumore præben-

darum

Digitized by Google

darum ſtipatus tui obliviſcitur, in ſe ipſo confidens. Alius lumine tuo ſuffultus radios ſpargit charitatis tuæ. Alius divitiarum tumultu præditus, ſpeciem evomit nequitiæ, ſanctam dilectionem parvi pendens. Et tamen, qui mammonam habuerit iniquitatis, maligno armatus ſpiritu quantumcunque fuerit, ſuperfluens, pauperi præponitur, quantumvis digno. O veſania, o injuſtitia. O infinita perverſitas. Quantum agit & efficit auri pondus, & argenti copia?

Opum vis in Eccleſia

Dicite, Pontifices, *in templo quid facit aurum*? Paupertatem ſpernit & ejicit aurum, divitem atque opulentum ditiorem facit. Memini jam verba Philoſophi in hæc verba prorumpentis: *Nemo poterit juſtitiæ & pecuniæ ſimul ſervire.* Sed quod dictum eſt, forſan non recenſebis.

In templo quid facit aurū?

Juſtitiæ & pecuniæ ſimul ſervire nemo poteſt.

Audi, mi ſponſe dulciſſime, aperiam in parabolis os meum, imo in veritate proloquar. Audi ergo & tu, terra, ſermones meos. Concreſcet ut ros eloquium meum, & delectabitur anima tua in multitudine vocis meæ. Nolo ad ſingularia declinare, in communi loquor *ſecundum rem geſtam.* Non enim ſunt fabulæ verba mea. *Res actæ ſunt.*

Unus poſſidet *beneficia* XVIII. XX. XXIII. ſecundum-ſub-& ſuper-*compatibilia* & *incompatibilia.* En, hi divites ſunt. Sed *pauper*, cui meritò ſubveniri deberet, *contemnitur, & ſcientia & ſancta vita ejus.*

Beneficiorum Eccleſiaſticorum cumulus.

His imprecatur *Propheta Amos: Væ*, inquiens, *væ, qui opulenti eſtis in Sion!* Æſtimo ego, *beneficia eleemoſynas eſſe pauperum, non ingluvies divitum.* Sed reveva *divitum* videntur *patrimonia.*

Beneficia Eccleſiæ ſunt eleemoſynæ pauperū.

Heu dolor, quam de bonis Domini vivitur? Eheu, quomodo diviſa ſunt bona! Ecce patrimonium crucifixi! Tu es ille, & revera de novo te iſti crucifigunt. Et tu permittis, proh pudor, quod ſunt diviſa bona tua.

Iſte in *una* civitate & *duabus* Eccleſiis *tria* poſſidet *incompatibilia*, tot ditatus *beneficiis*, ut etiam vix numerum computare norit eorum: Et alius egens & mendicus nullius poterit beneficii pietate provideri.

Beneficia incompatibilia.

Unde hic, ut citius eloquar, *convenire* volo *cum ſancto Bernhardo conſcientias ſingulorum*, & ſecundum Domini præceptum ad cor Hieroſolymæ loqui. Huic parvulo, *nec dum* forſan *nato*, *Eccleſiaſtica* jam *beneficia* provida parentum ſollicitudo paravit. Hunc nos, inquiunt, illi vel illi trademus *Epiſcopo*, apud quem habemus gratiam, vel forſitan, cui ſervivimus, ut ditemur de bonis Domini, ne in tot liberos noſtra dividatur hæreditas. Illum *Præpoſitus* aut *Decanus*, ut ſibi ſuccederet, plusquam materno educavit affectu, *in deliciis* enutriens *& delictis.* Ille dignus *Archidiaconatu*, puta filius principis, magis autem, ſi ſit *Epiſcopi Conſobrinus*, in quo nimirum eſt tota Epiſcopalis progenies. Alius undique circumit ſedulus explorator, blanditur, obſequitur, diſſimulat, miſeraque ſibi *ſuffragia mendicare* non erubeſcit, manibus pedibusque repens, ſi quacunque cautela ſe *in patrimonium* queat *ingerere crucifixi.*

Infantes etiam beneficiis Eccleſiæ onerantur.

Modus aucupandi præbendas.

Ars ut ſuffragia mendicantium.

Patrimonio Chriſti ſe ingerere.

Revera, quisquis ſic quærit Chriſti patrimonium, ut inter ſumtus hæreat, evangeliſat ut manducet, & retrogrado modo cœleſtibus temporalia mercatur, ſane melius eſſet, ut carnalia magis opera atque negotia exerceret pro temporalium affluentia, cui prohibetur etiam, tali aſtutia poſſidendi hæreditatem tuam, ſponſe mi dulciſſime.

Eligi deberent ex clericis viri juſti, ipſi ſe *ingerere* non deberent. Sed his plura eveniunt mala. Suſtinendum eſſet, ſi modo vitæ neceſſaria quærerent, ſi nuditatem ſuam tegere, ſi eſuriem compeſcere intenderent: Sed revera ſuperflua petunt, & quanto plura poſſederint, tanto magis *ad pinguiora anhelant*, juxta illud Ovidii:

Eligendi beneficiis digni.

Pinguiora beneficia.

Creverunt & opes, & opum furioſa cupido.
Et cum posſideant plurima, plura petunt.
Sic quibus intumuit ſuffuſus venter ab unda,
Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Væ, væ mihi in filiis meis! Magis *idololatræ*, quam miniſtrantes tibi, reputandi ſunt, quorum Deus venter eſt.

Idololatræ in Eccleſia.

Sed adhuc perverſa res eſt valde: *Sacrilegium* certe eſt, *res pauperum non pauperibus dare.* Sed quibus largiantur noſti

Sacrilegi.

Digitized by Google

Promotiones ſacra. *Patrimonia pauperum.* *Diſpenſatores eorum.*

& tu, o mi ſponſe. *Extollunt* & exaltant de bonis tuis, o Domine cruci affixe, *conſanguineos, nepotes: Neptes* vero, ſi non dixerim *filias*, nuptui tradunt. Sane patrimonia ſunt pauperum facultates Eccleſiarum: Et ſacrilega eis crudelitate ſurripitur, quicquid ſibi miniſtri & diſpenſatores, non utique tui, vel poſſeſſores, ultra victum & veſtitum accipiunt. Nec enim ordinavit Deus his, qui Evangelio ſerviunt, de Evangelio quærere delicias vel ornatus, ſed vivere. Ut videlicet ſint contenti, *alimenta corporis, non gulæ irritamenta aut incitamenta libidinis*, & quib' tegantur, non, quibus ornētur, accipere. Triplex ergo funiculus, qui difficile rumpitur, miſerum in perniciem trahit: Qui impure *intrat*, indigne *miniſtrat*, & fructu *abutitur* temporali.

Statuta Eccleſiaſticam ſpernuntur.

Contra præfata mala plura *in ſtatutis Eccleſiaſticis* ſcripta ſunt. Sed non video ſcripturæ profectum, quia nullus ſequitur executionis effectus. Hæc ſingula ſcriptis veteribus novimus emendata. Nam anno à nativitate tua M XCV *Urbanus Papa* in Galliam veniens apud Claromontem concilium celebravit, in quo inter cætera ſtatutum eſt, *ne clerici in duabus civitatibus in Eccleſiis prebendas habeant: Et ut Eccleſiaſtica dignitas a nullo ematur vel vendatur: Et ut eis auferantur Eccleſiaſtica dignitates, qui ſcienter à ſe vel à ſuis parentibus emtas habuerunt.* Sed quomodo contra hæc *clericorum* pugnet *aſtutia* &

Decreta Urbani Papæ de bonis Eccleſiæ.

Clericorum aſtutia.

triumphet, qui ſuperabundanter iſta poſſident, experientia certa manifeſtat.

Decreta Eccleſiaſtica vel praſtanda vel abolenda.

Unum igitur a te expoſtulo, ſponſe gratioſiſſime, ut *decretorum* decretaliumque *ſtatuta teneantur*, in quibus expreſſiſſima æquitate Pontificum ſtatuta, atque ſubditorum ſuorum ſubjectiones notatæ ſunt, *aut* ſimpliciter *aboleantur*, ne cæteri, videntes eos à ſtatu ſuo tantum exorbitaſſe, ſcandalizentur, ultra modum ſtatum vilipendentes clericalem. Sed & ipſos deviaſſe, noverunt multi. Sed ex vitiata conſuetudine illa radix, quæ extabuit, curſu communi defluit quaſi irreprehenſa: Cum omnis jam mundi ſtatus à tramite juſtitiæ declinaverit. Doctus pariter & indoctus, ſenex, decrepitus, juvenis & adoleſcens, mares & fœminæ, omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, & non eſt usque ad unum, qui bonum faciat.

Communis contemptus conſtitutionum Eccleſiaſticarum.

Cur nulla emendatio ſperanda.

Hinc eſt, quod quilibet alium ſuffert: Quod nullius vitâ talis eſt, ut irreprehenſibilis alterum valeat reprehendere. Enimvero, meliores reputo *laicos* in ſuo ſtatu, quod non ad tanta, ſicut iſti, obligantur.

Laicorũ conditio melior.

His pone, mi ſponſe dulciſſime, tuâ clariſſima prudentia *neceſſarium remedium*, obicem tantorum criminum, atq; horrendorum facinorum finem, ut & ſequentia contundantur mala, quæ poſthæc propono recitare.

Distinctio V.

Prælatorum ante Concilium Conſtantienſe tyrannis & ſacrilegia taxantur.

Ceſſare non valeo, quin malis accumulem mala, quod multiplicata ſunt mala, mala inquam, quorum non eſt numerus. Ponam igitur *quartum malum* prioribus non minus leve. Sed ego quidem veritate compulſa, ut & illud exterminetur expoſco.

Prælatorum tyrannis in Eccleſia. Propriũ

Prælati noſtri *tyranni* ſunt, *bonum proprium quæritantes*, non gregum ſuorum. Et, quæ aliquando ad experientiam communitati prodeſſe videntur, intrinſece *in uſum atque bonum proprium* commutant. Hi non paſtores, ſed mercenarii à te Dei filio vocantur, qui non intrant in ovile per januam, ſed aſcendunt aliunde. Fures ergo ſunt, non *Prælati*, niſi *ſolo prælationis nomine* exultantes.

Commodum.

Hi etiam de ſubditorum ſuorum malefactis gaudent: Ut eosdem illud facientes pecunialiter poſſint condemnare. *Nec* abhorrent facinus, *curantes, quantum quis deliquerit*, ſed *quantum quis ſolvere poſſit.*

Scelera ſubditorum ſunt gaudia prælatorum.

Eſt & aliud *tyrannidis vitium*, quod non

Digitized by Google

Exactiones moleſtæ.

Monaſteria opum promptuaria.

non ſolum importabiles imponunt *tallias* transgreſſoribus, ſed & innocentibus, pauperibus & Deo devotis. Nam monaſteriis monachorum atque monialium bona, unde vivere deberent, auferunt, rapiunt, & ſuis caſtris, mœnibus, & oppidis uſurpant, ſacrilega quadam inſania templum DEI prophanantes.

Moniales virorum favorem mercantes.

Monialium ſtuprum.

Unde compelluntur monachi, & præcipue ſanctæ *moniales*, præ inopia & præ penuria ſepta exire monaſterii, *virorum mercando favorem*, ut habeant, unde ſuſtententur. Et ſic pauperculæ oves tuæ infamantur, deflorantur, & in interitum mortis abeunt, deſciſſæ a ſanctorum Angelorum ſocietate, quorum ſorores effectæ fuêre.

Grande dedecus.

Pœna facinorum.

Eheu! quanta loquor cordis amaritudine, cum hæc oculis meis videam & cognoſcam. Et tu ſponſe, taciturnitate nimia obmuteſcis, violari permittens ſponſas tuas. Cur non cædis illos *importunos* atque tibi rebelles tyrannos, qui non modo patrimonium tuum, ſed & templa ſancta tua profanant. Noli differre, qui hucusque diſtuliſti, vindicare tam grande ſcelus, tam immane facinus, tamque horribile crimen. Cum tu per *Micheam Prophetam* ita prænuncies, & vindicative loquaris: *Audite Duces domus Iſrael, vos odio habetis bonum & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum de eis, & carnes eorum de oſſibus eorum. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum excoriaverunt, & oſſa eorum contuderunt, & conciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ. Ceſſare eos faciam, ne ultra paſcant gregem meum, liberabo eum de ore eorum, & non erit ultra eis in eſcam.* Ecce Pontifices Tyranni, qui pauperibus tuis bona tua abripiunt, imo violenter auferunt. Qui & ipſi pauperibus non habentibus ex tuo erogare obligantur præcepto.

Damna monialium irreparabilia.

Muliebris ſexus privilegium.

Principes ſeculares meliores.

Si peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum: Etſi congregationi præfatæ temporalia reſtituerint, quod nec intendunt: Quomodo reddent honorem, famam, pudorem & florem virginitatis, quem eo, quo prænarravi modo, abſtulerunt? O nefanda Pontificum impietas! O execrabile templi Dei ſtuprum! O crudele ſpectaculum! Sacrilegi ſunt iſti, omnibus beſtiis immaniores. In omni genere etiam beſtiarum, ferarum & jumentorum *muliebri ſexui parcitur*, ne mares fœminis ſint crudeles. Sed hi, qui ſanctam ſocietatem devotarum deberent defendere puellarum, eas rebus perſeqvuntur, & pudore proſternunt. *Seculares principes hujusmodi ſcelera adhuc non ſenſi effeciſſe, quorum aures talia audire etiam perhorrent.*

Lupi in clauſtris

Beltulfus comes injuſtus plexus.

Sed quod tu, o mi ſponſe, ſilentio iſta pertranſis, ideo te non vindicaturum opinantur. Age ergo, quæſo, agito fortiter, opilio mundiſſime, ne oves tuas, quanquam immundas, tantorum feritas luporum de cetero devoret, & in ſempiternæ præcipitium mortis abducat. Timeo, te expectare tempus vitæ illorum extremum, quo ſingula præfata gladio juſtitiæ coërcebis. Sed hæc animadverſio nimis dura. Novi namque, te & in præſenti mundi ſtatu aliquando ſtrenue judicaſſe, eo in tempore, cum ob cujuſdam tui famuli devotas ſupplicationes, videlicet *Vigoris Epiſcopi Bajocenſis*, tempore *Childeberti Regis Francorum*, imperante *Juſtino* ſeniore, comes *Beltulfus*, avaritia æſtuans, agrum illius ſuperbe & violenter occupavit, illumque aratris conglobatis arare cœpit. Orante te viro Dei, ut hæreditatem ab eo ſibi datam defenderes, ſuperbum illum in vindictam perpetrati facinoris de equo cadere permiſiſti, qui cervicibus fractis miſerabiliter expiravit.

Neque ô mi dulciſſime ſponſe, tali te volo percellere vindicta, qui patrimonium tibi abripiunt: Sed eos mulctari vellem plaga quadam vindicativa in hac præſenti vita, ut ſe deliquiſſe confiterentur, agentes pœnitentiam, & ea, quæ Eccleſiæ tuæ injuſte abſtulerunt, condigna ſatisfactione rependerent, ne poſt hanc vitam ſuppliciis æternis dediti ſtygi horrendæ miſcerentur.

Sicut contigit cuidam *comiti*, de quo refert *Petrus Damianus*. Qui, cum bonæ fuiſſet opinionis, & innocentis vitæ, ſecundum opinionem hominum, dum mor-

Digitized by Google

mortuus eſt decennio, complens ſuæ conſummationis diem: Contigit, virum quendam religioſum per ſpiritum ad inferiora deſcendere. Qui cum deſcendiſſet, vidit eundem comitem in ſupremo gradu cujuſdam ſcalæ. Quæ ſcala inter ſtridentes & crepitantes flammas videbatur erecta ad ſuſcipiendos homines, qui ex eadem comitum genealogia deſcenderant. Surgebat autem ſcala illa de immenſo baratro. Hoc autem ordine ſuccedentium ſeries texebatur, ut qui novus adveniebat, ſupremum teneret gradum ſcalæ, & qui in eo repertus fuerat, ad inferiorem proximum deſcenderet. Cumque vir, qui hoc aſpiciebat, requireret, quare ille comes ſui temporis, qui tam juſte vixerat, illic torqueretur: Audivit, propter quandam poſſeſſionem Matenſis Eccleſiæ, quam beato Stephano proavus ejus abſtulerat. Cui iſte jam decimus in hæreditate ſucceſſerat.

Peto ergo pœnam pro culpa infligi, ut anima ſalva fiat, ut ablata reſtituantur, & Deiformis à te ſpiritus corpori infuſus ſalvetur. Et, quod te terribiliter novi puniturum eos, qui pauperibus tuis ſua auferunt, in futura vita; Idcirco pœnam illam ſempiternam in temporalem hujus vitæ commutari, ſuppliciter expoſco.

Præbendarum multitudo.

Sic & non minus peccare firmiſſime credo *Pontifices* & *ſacerdotes*, qui *præbendarum pluralitate* gaudent, & Eccleſias duas ſuo regimine diſponere non formidant. Hoc ante prohibitum eſt à ſanctis viris, niſi neceſſitate ſtringente, non poteſtate dominante, aut ſuperfluitate regnante. Magis itaque peccant Pontifices ſecularibus viris, qui revera Eccleſiam tuam in omnibus & per omnia ordinare debebant, & ſumma vigilantia cuſtodire, ne circa ipſam aliquatenus, niſi quantum devotio, & ſincera charitas patitur, procedant, eidem nihil penitus auferentes, vel ſuis pauperibus abſtrahentes.

Summi Pontificis culpa & pœna.

Summus igitur *Pontifex* in his delinquens majori & diriori pœna percellendus eſt. Unde & habemus clarum eodem *Petro* narrante exemplum. *In partibus Babylonia tempore Henrici quarti ſedes Apoſtolica poſſeſſionem habebat.* Unde tantum balſami reditum annuatim capiebat, quod ſufficiebat illuminandæ lampadi, ante altare ſancti Petri ſuſpenſæ, & ſemper ardenti. *Hanc poſſeſſionem accepta pecunia Papa diſtraxit*, & canonem aromatis, quem accipere ſolebat, amiſit. Aliquanto poſt, cum idem Papa ante altare quaſi devotus aſtaret, orans, ecce grandævus & terribilis ſenex, in cujus etiam facie barbicaſium videbatur, elato brachio colaphum illi vehementer incuſſit, & ait: *Tu extinxiſti lucernam meam ante me, & ego extinguo lucernam tuam ante Deum.* Moxque diſparuit. Ille corruit, & paulo poſt obiit.

Summi Pontificis beneficia ex reditibus Balſami Babylonici. Papa vendidit.

Pœnam dedit.

Tanta igitur pœna magnum proclamat facinus atque injuriam gravem cum præpotenti injuſtitia. Unde crudelis & immanis *raptus* ille præcipitium corporis & animæ merito nuncupatur. Tali ergo morte *Tyrannorum* rabies percelli conſuevit. Ut vix aliqui, qui ſine ſanguine ac cæde crudeli moriantur, poſſint reperiri, juxta illud Juvenalis:

Tyrannorum fata.

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges & ſicca morte Tyranni.

Iſtud ergo impium ſanctorum *templorum ſpolium*, ſed verius *ſacrilegium*, ſummopere flagito amputari. Et ne longiloqvus nimis experimento comprober, ad alia puto transeundum.

Distinctio VI.

Imperii Romani ante Concilium Conſt. per Pontifices enervatio, gladius Imperatori extortus & Pontificibus vindicatus, vivis pinguntur coloribus.

Radice læſa, ut rami putreant & areant eſt neceſſe. Quapropter ventorum turbine quaſſa exanguis reperior, multimodis concuſſa moleſtiis. Unde te ô mi ſponſe dulciſſime, animadvertere niſibus totis flagito. Neſcio, quid fecerim tibi, ut me relictam patiaris, jam jamque quaſi *XL annis.*

Digitized by Google

annis ſimpliciter acephalam. Non modo queror de ſponſo vitæ contemplativæ, ſed & activæ.

Ubi ſunt *gladii* illi, de quibus referebat Apoſtolorum chorus: *Ecce duo gladii hic*: Et tu reſpondiſti: *Satis eſt.*

Imperatori debetur gladius.

Imperatoris eſt accipere gladium, ut tanquam miles pugnet pro me. Ecce, gladius unus, qui corpora ſcindit, malos de medio aufert, & unicuique ſecundum leges timorem mortis ingerit, juſtitia mediante. Hunc itaque gladium, veluti ſanctus & egregius miles *Carolus Magnus*, *omnis* accipere debet *Imperator*. *Quem nullus Papa aut Epiſcopus*, ut ſe illo, ſicut miles tueatur, *rapere poteſt*, te teſte, cum dixiſti Petro: *Mitte gladium tuum in vaginam.* Tuus ergo & meus uterque eſt gladius, ſed unus pro me, alter à me; Hic ſummi Pontificis, ille militis manu extrahendus.

Carolus magnus.

Papa aut Epiſcopis denegatur gladius.

Papa injuſte ſibi vendicat gladium.

Sed revera *contra vetitum Papa gladio certat*, ut miles. Ut veriſſime *non Petri ſucceſſor*, ſed *Conſtantini* aut Principis cujusvis ſecularis Papa *vicarius* æſtimetur. Debuit Papa paſcere gregem meum verbo doctrinæ ſalutaris & opus exercere prædicatoris: Sed, eo contemto, *non verbo* pugnat *ſed ferro*, non gladio ſpirituali, ſed enſe corporali.

Papa verbo paſcat, non ferro.

Tu ipſe, neque *Petrus* tuus proceſſiſſe legitur gemmis ornatus vel ſericis: Milite multo ſtipatus, urbes, caſtra & oppida circumvallaſſe, viros nobiles & ignobiles captivaſſe, homines decapitaſſe, & cetera militis impleſſe opera: Credens, tua ſuppleſſe præcepta, paſcendo oves tuas, per te ipſi commiſſas, verbo ſalutaris harmoniæ, cœleſtis videlicet doctrinæ, ſcientiæ & ſapientiæ. O proh dolor inſania! Eheus infamia! Vah deſtructio ſanctiſsimi ſtatus mei.

Papa Petro diſſimilis.

Scribant Reges & Principes ſeculares homilias & poëtrias. Scribant *Epiſcopi*, majores & minores, ut *faciant peltas & vaginas*, ut belligerent. Nam pugnant *Pontifices*, tui ſucceſſores, absque neceſſitate. Et miror, quare tu eodem te non defenderis enſe, cum tibi neceſſe fuerat. Aut, ſi non decuit, cur nunc tuos decet Epiſcopos, ut illo ferreo pugnent gladio? Qui imperium ſibi tanta nacti ſunt autoritate, ut *Imperatoris nomen egregium expulerint*, culpæ in vindictam.

Officia Principũ & Epiſcoporum commutata.

Imperatoris juri derogatũ.

Sed cito eloquar Cadat igitur utros eloquium meum. *Acephala ſum in rectoribus utriusque gladii.* Nam *Papa multi* ſunt, *Imperator nullus.* Monſtruoſa res ego ſum, quod hic pluralitas, ibi defectus. Pluralitas in Papis. Ecce nova Grammatica: *Duo Papa*, duo ſoles. *Defectus in Imperatore.* Portentum in Epiſcopis. Qui ut milites omni ſe parant apparatu, geſtu & moribus, armati, loricati, dextra lanceam rapientes, ad prælia doctiſſimi, femore gladio circumcincti, pugione coxa ſuffulti. Militaris hoc facta ſum gladio. Unum neceſſe eſt, milites alio pugnaturos gladio, ut maneant enſes tui duo: Cum illi *ferro* certent, iſti *verbo* ut prælientur conſequens eſt.

Papæ multi.

Imperator nullus ante Concil. Conſt.

Portentum in Epiſcopis.

Horum cauſa eſt omnium tam *miſerabilis caſus imperii ſacri*, ut à tempore illuſtriſſimi atque ſereniſſimi Principis *Caroli*, *Bohemiæ Regis atque Imperatoris* ſemper Auguſti, cujus memoria in benedictione eſt, nullus fuerit Imperator usque in diem hodiernum. Qui mortuus fuit in regali civitate Pragenſi anno ab incarnatione tua MCCCLXXVIII. in vigilia ſancti Andreæ.

Imperii ſacri caſus.

Carolus IV. Imp.

Apparet igitur, *Romanos*, *eorumque Pontifices*, *prænuncios eſſe & præcurſores antiChriſti*, *cum cauſa ſint ceſſationis & vacationis imperii.* Poſſet & iſtud eſſe ſignum adventus Anti-Chriſti, qui non veniet, ut ajunt noſtri Doctores, niſi prius *imperium deſtruatur*. *Cujus deſtructio* manifeſta cum multis enormitatibus jam eſt injecta. Vel forſan fuit defectus in ſacri imperii Electoribus, qui non rite elegerunt, vel inutilem & pertinacem. Et tota iniquitas in caput meum redundat.

Augurium de Pontificibus Romanis ante Conc. Conſt.

Imperii Romani ruina ante Concil. Conſt.

Poſt tam *enormia ſeculi noſtri pericula*, *inobedientia* impio regnat gradu. Ut mundum per univerſum, *totius poteſtatis*, ſive ſecularis, ſive ſpiritualis, *commotio* triumphet. Surgit enim oculato luminis radio gens contra gentem, & regnum adverſus regnum, Princi-

In ſacris & civilibus confuſa omnia ante Concil. Conſt.

pes

Triſtia fata Reipublicæ ante Concil. Conſt.

pes ſpirituales contra Dominos temporales, ArchiEpiſcopi & Epiſcopi contra Duces, & è contra Epiſcopi contra civitates proprias, & vice verſa: Epiſcopi contra comites, contra nobiles, contra militares, & iidem contra Duces, & illi contra comites: Militares contra nobiles: Et ipſi illis inſultant, & filius contra patrem. Nam

Filius ante diem patrios incurrit in annos.

Duces quoque contra te ſponſum meum militant, & me nituntur magna dejicere violentia. Unde merito conqueri cogor illud Jeremiæ: *Contritio ſuper contritionem vocata eſt repente, vaſtata ſunt tabernacula mea.*

De his omnibus atque ſingulis ſi tragœdiis uti vellem, exempla ponerem temporis jam currentis. Sed, ne librorum congeries in diſpendioſum trahatur volumen, ceſſandum eſſe à ſingulis utile puto, quia hæc ad experientiam certiſſimam intuemur. Pugno igitur contra amicos meos, ambitione ſuffulta, tyrannide coronata, & ſuperbia perornata. Contra paganos & inimicos loricam non induo, haſtam non accipio, armata non incedo. Sed, noſtri defenſores, noſtri rectores, noſtri Chriſtiani, noſtri ſoti laribus, & lacte educati dulciſſimo, pauperes opprimunt, viduas deprædantur, Eccleſias ſpoliant & incendunt. Et non eſt, qui ſuccurrat miſero, & cauſam pauperis qui defendat non invenitur. Ecce magni ſunt hi viri, *acephali* vitam in terris agentes, tot ſcandala, tot crimina, tot perpetrantes nefaria, ut vitia ipſis in virtutes reputentur. Infimi modice delinquentes acriter puniuntur, ſed iſti latrocinia committentes extolluntur, & laudantur, quaſi magnifici.

Publica miſeria illius temporis.

Et revera locum hic habet ſolennis illa inter Alexandrum & Dionem piratam diſputatio: Et id, quod glorioſus ille *Philoſophus ajebat magnis furibus parvum furem ſuſpenſuris: Non æqua lance penſatur humana vita.* Et ut breviter dicam: *Magni, quicquid libuerit, abſque diſcrimine facere poſſunt, parvis ob minima condemnatis.*

Magni fures parvum ſuſpendunt.

Licentia ſuperiorum.

Unum inter hæc eſt, unde vulnerata proſternor: Cum omnes iſti dominante ſint opulenti poteſtate, *quicquid voluerint*, non quod liceat, taceo expediat, *agunt.* Nam & ab iniquitate Regis familia malitiam ſolo diſcit exemplo, ut ait Pœta Ovidius:

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

Hinc fit, & factum eſt, ut à maximo usque ad minimum non ſit, qui faciat bonum, neque usque ad unum. Nam *qualis Rex, talis grex, qualis ſacerdos, talis populus, qualis radix talis ramus, talis & fructus.* Nullum enim melius eſt conſilium, nullaque utilior perſuaſio, quam *docere opere & veritate*, ſileo verbo atque lingua. Sed ſi neque verbo inſtruunt, neque bono erudiunt exemplo, quomodo bona radix, quomodo boni paſtores ſunt, quorum intereſt, ut pro omnibus ſuis reddant ſubditis rationem. Quibus ſingulis dicitur: *Cuſtos, quid de nocte: Cuſtos quid de nocte.*

Eccleſiaſticorum obligatio. Corruptio

Neque habent excuſationem cum Cain, ut reſpondeant tibi: *Numquid cuſtos fratris mei ego ſum?* Vere ipſi *paſtores* ſunt, ſive *principes ſpirituales* ſive *ſeculares.* Sed gregem ſuum oberrare permittunt, facti *mercenarii* ſanctarum ovium, quas pretioſo ſanguine tuo redemiſti.

Caini æmuli.

Mercenarii.

Sed ut finem faciam horum omnium, una eſt ratio: Quod *acephala* ego ſum. Cum in his principaliter deficiam, qui neceſſarii paſtores eſſe deberent. Unde vacante papatu, propter paparum pluralitatem, vacat imperium ex perſonæ defectu. Quapropter *omnis lex, omnis ordo, & omnis juſtitia confuſa eſt*, publica ob hoc malitia omnium in omnes & ſingulorum in ſingulos dominante. Proceſſurus igitur ad reliqua his vel æqualia vel mala majora.

Calamitas publica ante Concilii Conſt.

DISTIN-

Digitized by Google

Distinctio VII.

Ignorantia præſidum Eccleſiæ ante Conc. Conſt. cum dolore deſcribitur.

O Utinam malis adeſſet finis optatus! Quem prorogari jubet ſequentium iniquitas malorum. Ut malum malo cohæreat, & jam malis plerisq; enumeratis plura ſequantur mala. Nunquam ceſſant mali te proſequi, & me infeſtare, atque meæ injuriari benignitati.

Eccleſiaſticorum injuriæ in Eccleſiam.

Sed in his contra *prælatos* & rectores ago. Iſti enim ſunt, qui te perſequuntur. De quibus tu dixiſti: *Amici mei, & proximi mei adverſum me appropinquaverunt & ſteterunt.* Sic & ego tecum queror, & præ omnibus turbata, dolens nimis ego ſum, quia univerſitas tota populi Chriſtiani adverſum nos conjuraſſe videntur. Et egreſſa eſt iniquitas à *ſenioribus*, *judicibus*, *vicariis* tuis, qui gentem tuam etiam quacunq; cuſtodia paſcere cernuntur.

Gradus Eccleſiaſtici occaſiones lucri.

Et ô proh pudor! qui *rectores* & *primates* poſiti ſunt, in perſecutione mea primi ſunt. Quorum *gradus ſacri occaſiones turpis* ſunt *lucri*, & *avaritiæ quæſtus bonum pietatis* eſt. Cura magna illis eſt circa *prælaturam*, ſed de ſalute animarum ſolicitudo nulla. Ubi nunc prælatorum dulcedo, ubi ſapientia? Periit dulcedo, quod regnant tyrannide. Dulcedo allicit, ſed illi repellunt à ſe ſua impia crudelitate ſubjectam ſibi gentem.

Ignorantia Eccleſiaſticorum ante Conc. Conſt.

Sed ubi *ſcientia prælatorum*, ubi *ſapientia?* in ſtultitiam commutata eſt. Quia ſapientia hujusmodi ſtultitia eſt apud Deum. *Ignorantia ſcripturæ ſacræ plures fecit errare.* Plato *mundum* dixit *aureum*, *cum ſapientes regnabant.* Et Romani non armis aut potentia, ſed ſapientia mundum ſibi ſubjecerunt. Unde & ego tui providentia tribus ſum dotata privilegiis, videlicet *ſacerdotio*, *imperio* & *ſtudio*, tanquam principali, quo vicarii tui, ſive Pontifices, ſive Reges, ſibi populum conceſſum debent gubernare. In cujus ſignum ſanctus vir & Rex illuſtriſſimus *Carolus Magnus* ſtudium tranſtulit *Pariſios.* Per hoc innuens, *mundum ſapientia regi*, & providenter ſuſtentari.

Reipublicæ præſidium ſapientia.

Caroli M. Academia Pariſienſis.

Mundus ſapientia regitur.

Principum conſiliarii prudentes & docti.

Etſi aliquando, ut præſenti contuemur tempore, *principes* legum fuerint ignari & ſcientiarum: Ad minus *prudentes* & *ſapientes* habere debebunt, quorum *conſilio* religio Chriſtiana regatur & corrigatur. Nam cum Roboam juvenum & inſipientum uteretur & regeretur conſilio, partem regni ſui majorem perdidit. Quapropter Philippo ab Athenienſibus decem poſtulante oratores, ut ſic illis habitis recederet, reſponſum accepit ab oratore eloquentiſſimo *Demoſthene*, hanc fabulam confingente: Lupos aliquando paſtoribus, quorum diligentiam decipere voluiſſent, ſuaſiſſe, ut in amicitiam convenirent, ea tamen conditione, ut ipſis canes, in quibus jurgiorum erat cauſa, ſecuritatis loco traderentur: Annuerunt paſtores, & ſpe ſecuritatis dederunt canes, quos ovium ſuarum vigilantes habebant cuſtodes: Tunc lupi, ademta formidine tota, gregem omnem non modo pro ſatietate, verum etiam pro libidine laceraverunt.

Demoſthenis prudens conſilium.

Sapientum exilium.

Sic nunc noſtris temporibus, *ſublatis viris ſapientibus*, lupi gregem omnem tyrannide & crudelitate necant. Sunt igitur conſilia, ſunt adinventiones ſingulæ pro regnis acquirendis, divitiis ampliandis, & pompa magna exercenda, non pro religione mea dilatanda, quam & ipſi vicarii tui contemtui habent & habuerunt. Non cogitant nec advertunt *Horatii* dictum, qui ait:

> *Vilius argentum auro eſt, virtutibus aurum.*

Hanc vellem Reges optarent, Pontifices amarent, & omnes paſtores mei corde exquirerent ex toto, qui tibi ſimillimi fiunt, imo Dii efficiuntur. Nam his dixiſti: *Ego dixi, Dii eſtis.* Et idem Poeta ait de ſapiente:

> *Sapiens uno minor eſt Jove, dives,*
> *Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum,*
> *Præcipue ſanus.*

Sed

Sed valde notandum eſt, quare humanum genus tot ſeculi curas amplectatur: Quod *ſapientiam deſeruit*, quam amplexari aſpernatur. Et hæc tuentem ſe abſtrahit, ne mundanis rebus inhærens cœleſtes perſequatur motus nec illos odio habeat. Unde, ſi

Frigida curarum fomenta relinquere poſſes,

ut itidem Poëta loquitur ad genus humanum,

Quo te cœleſtis ſapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc ſtudium! Parvi properemus & ampli.
Si patria volumus, ſi nobis vivere cari.

Sapientia vincit omnia.

Ego quidem certiſſime puto, *ſapientiam omnia vincere*, & corporis vires atque pulchritudinem, inſuper & theſaurum margaritarum, auri & argenti copiam multam, & quicquid dici poteſt ad omnium horum laudem & præconium. Imo *vincit & ipſam fortunam*, quæ fortiſſima in rebus omnibus eſt, *Juvenali* dicente: *Victrix fortunæ ſapientia.*

ipſamque fortunam

Sapientia naturæ conformis.

Ignorantia naturæ inimica.

Concordat etiam *cum natura ſapientia.* Ut *ignorantia* vere ſit & dicatur eſſe *naturæ humanæ contraria* & rationi inimica. Idem etiam clamat hominis natura, idem clamat ſapientia. Nam *nunquam aliud natura, aliud ſapientia dicit*; ut idem præfatus Poëta ait. Ex quibus luculenter patet, non modo rationis participem *ignorantiam tanquam hoſtem repellere*, verum etiam omnem humanam naturam diligere ſapientiam ex natura.

Sapientia fons juſtitiæ.

Omnis igitur, *qui diligit ſapientiam, diligit juſtitiam*, ſine qua Reges regnare non valent, & ſine qua regna non ſunt niſi latrocinia. Quæ utique talis eſſe debet, ut omnia referat in te Deum, cunctarum opificem rerum. Aliàs etiam ſapientia dici non meretur.

Salomonis avidũ ſapientiæ deſiderium.

Eapropter Salomon à te petiit ſapientiam, dicens ad te: *Ego ſum puer parvulus, & ignorans egreſſum & introitum meum: ſervus tuus eſt in medio populi, quem elegiſti: Dabis ergo ſervo tuo cor docile, ut poſſit judicare populum tuum, & diſcernere inter bonum & malum.* Et tu reſpondiſti dicens: *Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiiſti dies multos, nec divitias, nec animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum judicium: Ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Ut ipſe dixerit, gratias agendo: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Sapientia fortunata.

Sed *noſtri* nunc temporis *ſapientiam abjecerunt*, judicantes populum ſecundum ignorantiam & deſidiam capitis ſui, judicium & juſtitiam pervertentes. Enimvero, in quibus ſapientiæ lumen clarere de jure deberet, ceteris magis ſunt ignari.

Ignorantia publica ante Concil. Conſt.

Ejus fructus.

Loquor de omni *ſtatu, clericali* ſimul & *laicali.* Permaxime tamen *contra* hos loquor, & audaciæ eloquio, *qui curam gerunt animarum*, è quibus non ſapientes inſipientibus, ſed *inſipientes ſapientibus præferuntur.* Et id efficiunt divitiæ, & *amicorum promotiones.* Nam non curatur ſcientia, ſpernitur ſapientia, & conſilia ſapientum, ſi qui fuerint, contemnuntur. Et jam *in omni politia nummoſi, doloſi, ſapientibus præferuntur.* Multum vilipenditur, cujus compenſa non poteſt auro aut pretioſis lapidibus comparari. Sed ceſſet nunc prolixior locutio, ad alia jam procedam.

Nummoſi, doloſi, ſapientibus olim prælati.

DISTINCTIO VIII.

Variæ circa illud tempus ortæ ſectæ, Conradi Fabri, Wicleſi, Huſſi, & Hieronymi Pragenſis, commemorantur.

Ignorantia principium erroris.

HUjus ſapientiæ atque *ſcripturæ ſacræ ignorantiam* intellectus comitatur *arrogantia.* Unde novitates pullulant, oriuntur hæreſes, *ſchismata* & errores quamplurimi, qui me deſtruunt & annullant, & te confuſioni notoriæ ſubjiciunt. Unde *infamia* ſequitur, & rumores peſſimi in exteras gentes evolant, quibus, ſive veri, ſive falſi ſint, leviter adhibetur fides, juxta illud *Virgilii in Æneidos*:

Fama celeritas.

Fama ambiguitas.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, vireſq; acquirit eundo,
Tam ficti praviq; tenax, quam nuncia veri.

In

Digitized by Google

In tantum etiam fama increvit, ut non modo Chriſtiana religio, ſed & omnis paganorum atque Judæorum ſecta de noſtris errorum ac hæreſum vatibus exultent, & de eorundem falſiloquis ſententiis joculentur, cum per omnia & in omnibus me tam crudeliter ſciſſam atque laceratam intueantur.

Judæi rident Chriſtianos ob hæreſes.

Non tantum in una mundi parte, ſed & in omnibus fere mundi climatibus, errores & hæreſes ſeminantur, & in tantum ratificantur, ut etiam evelli quacunque vi non poſſint, cum ex virga ſit arbor facta. Nunc etiam verificatur dictum Doctoris gentium, ad Timotheum ſcribentis: *Erit tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ſecundum deſideria ſua coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Et ad Epheſios ſcribens reddidit nos cautos, dicens: *Non circumferamur omni vento doctrinæ, & nequitia hominum, in aſtutia, ad circumventionem erroris.*

Totus Chriſtianiſmus ſchismatibus refertus.

Sed iſta præmonitio parum valet, nihilque prodeſt, cum omnis religio, *tota* quoque *Chriſtianitas*, ut obtutibus claret manifeſtis, *hæreſibus & ſchismatibus* ſit *referta.* Sed forſan fides his graviter adhibetur verbis, transeamus igitur, videamus, num ut dixerim, ita ſit, luſtremus ſecula, adeamus provincias orbis, & num mendacia protulerim, advertamus.

Sed conſidero, qua in mundi parte primo incipiam magiſtros errorum elicere, an in *Almania*, an in *Anglia*, aut in *Bohemia*, in *Europa*, aut *Africa*, aut ceteris hujus mundi partibus.

Religionis mutatio in Sangerhauſē.

Sed ne immorer, ſit in *Almania* ſermonis initium. Illud igitur *Thuringiæ oppidum Sangerhuſen* adeamus, in quo *Conradus Faber*, hæreſiarcha, in ſe primo hæreſi maculatus, dehinc alios, viros videlicet & mulieres, perfidia ſua defœdans, maledictum poſt ſe ſemen dereliquit, variis mixtum & denigratum erroribus & hæreſibus. Hi mente cœca perſtrepunt, ut novi quid evomant contra ſanctam tuam religionem.

Conradi Schmed nova dogmata.

Baptiſma expiraſſe.

Baptiſmatis ſacri undam expiraſſe, novumque incepiſſe ſacramentum, quo cetera legis tuæ ſacramenta omnia ſint revocata. Nam pro baptiſmi ſacramento *ſanguinis* poſuere *ſacramentum*; novella decepti ſecta. Et reliqua *caſſata*, quæ ex latere tuo fluxere *ſacramenta*, impudenter proloqvuntur. De cujus *ſectæ* multiplicitate ſcribere plura horreo, ne & ipſe aër maculetur ex tam periculoſa hæreticorum præſumtione.

Unum & Novum ſacramentum ſanguinis flagellantium.

Qui *Conradus* & ſeſe Eliam vocavit, & Enoch, ſpiritumque habere Prophetarum. Cui & Pater tuus in divinis primum dederit judicium, ut vivos judicet & mortuos. Cum tamen nos recta teneamus fide, patrem tuum tibi omne judicium tribuiſſe.

Sed procedundum eſt ad alias terras. Percontemur, an *Angliam* errores infament aut hæreſes. Sed certe niſi publica teſtis eſſet fama, poſſet denegari à tantis viris, quos *Angelicos* ſanctus *vocavit Gregorius*, hæreſis aut erroris macula, aut aliqua notabilis nota, quæ fidem ſacroſanctam infringere videretur.

Angli Angelici dicti.

Novimus *Johannem Wickleff*, virum diabolico deformatum inſtinctu, hæreſiarcham, & damnatum, quem iidem *virum pronunciant Evangelicum*, qui tot hæreſes & errores diffudit in mundum, ut & tota Anglia & ceteræ provinciæ per illum ſint infectæ.

Secta Johannis Wicklef. Wicklef Vir Evangelicus dictus.

Hic circa venerandum corporis tui *ſacramentum* quanta ſparſerit ſata, ipſe noſti. Religionem tuam, fidemque ſanctam tuam, in qua ſalus tota conſiſtit, diffringere non abhorrens, ceteroſque tam ſqualido dogmate ſuo alliciens, pleroſque decepit, & per ſuos ſequaces fallere non deſiſtit.

Ab eodem tanquam venenato fonte, rivus exortus eſt, omni prorſus virus & toxico repletus, qui *Bohemiæ* regnum luſtrat univerſum. Unde duo amariſſimi proceſſere fluvii, *Johannes* videlicet *Hus* & *Hieronymus de Praga*. Qui ſuis erroribus & hæreſibus, peſſimiſque machinamentis cædem magnam in Chriſtiano populo effecerunt, ſanguinis etiam effuſionem nimiam procurarunt, Studiumve ſolenne præfatis erroribus & ambagibus deſtruxerunt, quod quaſi mater electa multos pepo-

Wicleſita Johannes Hus & Hieronymus Pragenſis.

peperit filios, tuæ religionis amatores. Et ut plerorumq; aſſerit eloquium veracium, *Rex Wenceslaus* prædictorum aſſirmatur ſuſtentator & defenſor, quem tu culmine tanto prætuliſti, ut mei eſſet protector, in Imperatorem electus, ut me defenderet ſuo ſibi commiſſo gladio, ut ſchiſmata pelleret, errores tolleret, atque hæreſes diſcinderet manu forti. Quondam infelix *Theodoricus* hæreſin defendit Arrianam, ſanctum *Papam Johannem* interficiens, & patritium urbis Romæ ſanctum *Boëtium* una cum aliis morte crudeli perſequens, pro ſancta religione tua. Et *Julianus* apoſtata eandem tuam perſecutus eſt fidem, multos pro nomine tuo martyres efficiens.

Wenceslaus, Rex Bohemiæ, Huſſi defenſor.

LIBER QVARTUS.

Concilium congregandum aptisſimum malorum tollendorum remedium ſollicitæ Eccleſiæ ſubminiſtratur.

METRUM.

Solatia Chriſti Eccleſiæ data, ad ſerenam emendationis ſpem.

MOrdet perpetuo tua morſu pectora *cura*,
Finem nec capiet, donec tibi vita ſuperſit.
Decidat hinc dolor ipſe prius, pereat *dolor* ipſe,
Qui ſi *longus* erit, *nulla medicabilis arte* eſt.
Cerno ſed expertus, poſt gaudia plura repleri
Mentem gaudentem luctu magnoque dolore,
Quam dolor ex magno plauſu major comitatur.
Dulcius hic nihil eſt, quam gaudia nulla petiſſe.
Hinc ceſſet *dolor*, hinc planctus, *quo vita ſeneſcit*,
Inque ſenem juvenem mutat, jam morte cadentem.
Et *deſperatos dolor efficit inveteratus*.
Se perimit, alios trucidat. Sic deſperatio lædit.
Dulcibus hinc verbis te ſolor carmine dulci.
Tempore jam diro grandi ſubmerſa dolore,
Audi conſilium, verus quod mittit amicus.
Illud *amicitiæ* cunctis optabile *nomen*,
Firmum percipies, quavis formidine pulſa.
Tempore nam fuſco ſolet omnis cedere falſus:
Sed *verus ſemper manet immutatus amicus.*

PRO-

PROSA LIBRI QUARTI.

De Concilii ope in corruptione publica.

Distinctio I.

De primis Eccleſiæ ſchismatibus, concilii beneficio ſublatis.

Peradmirabilis cœlorum ſtellarumque diſpoſitio pulchritudine quadam præclariſſima decorata, ſapientiam atque intellectus divini venuſtiſſimam ſubtilitatem prænunciat. Quibus, ut omnis retur humani perſpicacitas ingenii, mundus iſte ordinatione pulcherrima conditus eſt propter orbis inferioris convenientiam placentiſſimam: Ut *hierarchia terreſtris* divinæ præ omnibus conformetur venuſtati, & ordini deiformi. Ad cujus conformitatem tota hæc principum machina dirigitur, tendens in ſupremum opificem, candorem lucis æternæ, qui eſt fons ſapientiæ & verbum Dei in excelſis, Deus, de Deo, lumen de lumine, claritas de claritate, de patris ſubſtantia genitum verbum, non factum. Et id me tuum ſponſum amantiſſimum eſſe, ſummo comprobare debes eloquio, qui propter tuam dilectionem nimiam ex inviolato puellari thalamo carnem mundiſſimam aſſumſi, ut te mihi raptam injuſta quadam violentia ſpolio dulciſſimo atque juſtiſſimo illi, qui te ceperat, eriperem, carne ſuffultus humana: Conſilio ad hoc Patris mei accepto pro *reformanda perdita creatura.*

Chriſtus reformator.

Cum igitur in cœlis & in terris horrenda fuerint *ſchismata*, inita ſunt pro illius ſummi ſchismatis exterminio *ſalubria* multorum *conſilia.* Ut & ſchismatis impii effectores pœnam luerent, & pellerentur, & pax atque unio firmiſſima poneretur.

Sic ergo contra ſchismata per *concilia* procedendum eſt, ut quod plurium conſenſu diſtractum eſt, plerorumque conſultu recolligatur. In omnium ergo ſchismatum, errorum atque hæreſum exterminatione *conciliis* uſi ſunt ſancti Patres. Quorum autoritatem à fonte ſapientiæ, ſanctiſſima hauſere Trinitate, ſicut in exordio collationis dixeram.

Concilia ſchismatum antiqua remedia.

Primum ſchiſma fuit *ſub Lucifero*, qui *concilio* beatificantis eſſentiæ divinæ in baratrum miſſus eſt inferorum. Ad cujus expulſionis effectum & concilii complementum penitus conſequendum miſſus eſt Archangelus Michael, qui *auctore ſchismatis* in ima detruſo pacem ordinavit.

Schisma ſub Lucifero.

Hic noſcens in paradiſo poſitum agricolam, qui quanquam immortalis gratia Dei factus fuerat, ſua tamen natura fragilis erat: Hunc adiit *lucifer* ille, *ſchismatis cœli primicerius*; & ut ipſum de ſolio ejiceret paradiſiaco; *ſchisma* fecit *inter creatorem & creaturam.* Cujus impio ſuaſu ejectus eſt à tam præclara deliciarum ſuavitate cum tota generis humani poſteritate.

Schisma inter creatorem & creaturã.

Unde condolens, tanto interitu mortis perire ſeculum, convocato in cœlis *concilio* miſſum eſt ad virginem quandam, ut pacis & concordiæ unitas reformaretur inter patrem meum ipſamque deſtructam creaturam. Unde factum eſt, ut poſt mirabilium operum conſummationem gens mea me cruci affixerit, & tertia die reſurgens primum parentem cum ſuis, qui mihi complacuere, ex inferorum educerem loco, & in cœlum evcherem triumpho glorioſo. Sicque *ſchisma Luciferi* compeſcui, ipſum religans usque ad ſecundum judicium in adventu meo.

Concilium cœleſte de Chriſto mittendo.

Qui quanquam ſic nexu ſit ligatus firmiſſimo, ſuos tamen poſtea in mundum miſit angelos, ut pacem, quam reliqui diſcipulis meis, perturbarent. Nam ſicuti in Hieroſolyma *ſchisma* fuit *inter Judæos*, ut me morti traderent, & ibidem ſuſpenſus in cruce omnia pacavi, humi ſuffoſſa Synagoga, atque jam abjecta: Sic & facta eſt *ſeditio inter diſcipulos* meos de legalium celebratione. Deſcenderunt enim quidam

Schisma inter Judæos.

Seditio inter Chriſti Diſcipulos.

Digitized by Google

dam de Judæa, Chriſtiani, ſed adhuc judaizantes, qui de ſecta Phariſæorum erant, inter quos facta eſt ſeditio atque ſchiſma non modicum cum Paulo & Barnaba, quod prædicabant Phariſæi, fidem absque legalibus non ſufficere. Et conſenſerunt eis multi, veteri conſuetudine irretiti. Et ſtatuerunt, ut pro hoc ſchismate dirimendo *concilium* celebraretur *in Hieroſolyma*, coram majoribus Apoſtolorum, Petro videlicet & Jacobo, Hieroſolymorum Epiſcopo.

Concilium Hieroſolymitanum.

Anno igitur Claudii IV. aſcendit *Paulus* cum Barnaba, aſſumto Tito, ſicut ipſe refert *in Ep. ad Galat.* Et qui deſcenderant de Judæa, aſcenderunt contra eos, ſive de hæreſi Phariſæorum ad fidem converſi. Qui cum veniſſent in præſentia Apoſtolorum, Petri & Jacobi, & ſeniorum, ſurrexerunt contra Paulum & Barnabam, dicentes: *Oportet circumcidi fideles, & ſervare legem Moſis.* Et audita utriusque partis ſententia, convenerunt Apoſtoli & ſeniores, ut judicarent ſuper hoc. Et poſt multam diſceptationem ſurgens Petrus oſtendit rationabiliter, non eſſe imponendum fidelibus jugum legis. Quod ipſe conſilio Dei baptizaverat Cornelium, & Deus prædicationem ſuam confirmaverat, mundans corda eorum, & antequam baptizarentur, viſibiliter mittens Spiritum Sanctum ſuper eos, nec indicens eis obſervantiam legalium. Et ſtatim incepit *Paulus* & *Barnabas* narrare, quanta ſigna & prodigia Deus fecerit in gentibus per eos. Poſthæc *Jacobus* autoritate Pontificali protulit ſententiam definitivam dicens: *Ego judico, eos, qui de gentibus convertuntur, non cogi ad gravitatem legalium.*

Et ſic *ſchiſma per concilium abrogatum eſt*, & pax atque unio fidei confirmata. Hinc etiam *Petrus* à Paulo arguitur, quod comedens cum quibusdam fratribus de Judæa, timens eos moleſtare, diſcernebat cibos, & ita gentes ſuo cogebat exemplo judaizare. Sed hæc locum hic non habent, tranſeundum eſt ad alia.

DISTINCTIO II.

De Quatuor conciliis oecumenicis, olim habitis.

POſt hæc pleraque ſunt habita *concilia*, ſed non ſine rationabili cauſa, propter multos errores, & hæreſes varias, quæ ex incautis & perverſis dogmatibus pullularunt. Quæ omnia, ut acta ſunt, enumerare nimis eſſet prolixum. Sed ut breviter ediſſeram, pro majoris certitudine fidei, tuæ menti imprimendæ, citius quo potero pluro ex his enarrabo.

Ne igitur tibi mihique deeſſent æmuli, *Johannes in Apocalypſi* illorum ponit hæreſes, & *in Canonica* ſua. Contra quorum falſam ſententiam ipſe tanquam pugil fortiſſimus triumphavit, Sancti Spiritus & Eccleſiæ fretus conſilio.

Paulus Samoſatenus.

Poſtea *Paulus* quidam, *Samoſatenus* genere & *Epiſcopus Antiochenus*, Demetrio ſucceſſit Epiſcopo. Hic indigna de me ſentiens, utpote tumidus & ſuperbus hæreticus, prædicabat, me hominem tantum communis fuiſſe naturæ. Contra quem *Antiochenum concilium* congregatum eſt, in quo idem *Paulus* manifeſtus convictus hæreticus & condemnatus. Qui condemnatus cum Eccleſia nollet exire, ex præcepto Aureliani manu publica expulſus eſt.

Conciliũ Antiochenum.

Deinde currente tempore ſub magnifico & illuſtriſſimo Rege *Conſtantino* in urbe *Roma* congregatum eſt *concilium:* An lex Judæorum legi novæ debeat anteferri. Erant ibi Epiſcopi Chriſtiani provinciarum diverſarum LXXV. Judæorum vero ſacerdotes CCXX, exceptis XII. ſcribis, quos Iſachar Pontifex miſit altercandi gratia, nonſolum Hebræo, ſed etiam Græco & Latio ſermone elimatos. In quo concilio *Conſtantinus* & mater ejus fuerunt auditores, judices vero *duo philoſophi*, qui nec Judæi erant, nec Chriſtiani. Quorum unus *Crathon*, alter *Zonophilus* dictus eſt. In quo conflictu Judæi victi ſunt, & fideles effecti, unum ovile factum eſt una cum infidelibus, ex gentibus converſis, & creviſti tu mirabiliter ex illius concilii conventione. Poſtea

Conciliũ Romanũ ſub Conſtantino.

Canones Conciliorum.

Poſtca ejusdem *Conſtantini* tempore, *canones generalium conciliorum* inceperunt. Nam præcedentibus annis perſecutione ſervente, docendarum plebium minime dabatur facultas. Inde Chriſtianitas in diverſas hæreſes ſciſſa eſt, quod non erat Epiſcopis licentia conveniendi in unum, niſi tempore ſupradicti Imperatoris. Ipſe enim dedit facultatem Chriſtianis libere conveniendi. Sub hoc autem, in *concilio Niceno*, ſancti Patres, de omni orbe terrarum convenientes, juxta Evangelicam fidem & Apoſtolicam, ſecundum poſt Apoſtolos ſymbolum tradiderunt.

Docendi facultas Eccleſiæ data ſub Conſtantino. Conciliũ Nicanũ. Symbolũ Nicenũ.

In eodem Arrianæ perfidiæ condemnata eſt blaſphemia, quam de inæqualitate ſanctæ Trinitatis idem *Arrius* aſſerebat. Prædicabat enim, me filium Dei creaturam eſſe, & Spiritum Sanctum ab eo creatum. Et cum has faceret differentias inter Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, *Alexander, Alexandrinæ urbis Epiſcopus*, reſiſtebat. Sed cum illum ab exitiali errore revocare non poſſet, expulit eum ab Eccleſia ſancta. Ille vero ſeditionem contra eum excitavit.

Arrius damnatus. Alexander Epiſcopus.

Quod audiens pius Princeps *Conſtantinus*, ſanctam Synodum apud *Nicæam Bithiniæ urbem* fecit coadunare, *anno* incarnationiis meæ *CCC XVI.* Convenerunt CCC XVIII Epiſcopi. Et hæc fuit *prima Synodus univerſalis.* Jam *Sylveſter Papa* mortuus fuerat, ut ait *Hugo*.

Conciliũ univerſale primũ Nicanũ.

Sed in *Pontificali* dicitur *Sylveſter* ibi adfuiſſe, & contra *Arrium*, *Photinum* & *Sabellium* in urbe præfata Synodum celebraſſe & præfatos hæreticos ibidem cum aliis Epiſcopis condemnaſſe.

Secunda univerſalis ſynodus in *Conſtantinopoli*, CL patrum, temporibus *Damaſi Papæ* & *Gratiani* principis, contra *Macedonium*, Spiritum Sanctum Deum eſſe negantem, congregata eſt, quæ Spiritum Sanctum Patri Filioque conſubſtantialem demonſtrat.

Conciliũ univerſale ſecundum Conſtantinopolitanũ.

Tertia ſynodus Epheſina prima, CC Epiſcoporum, ſub juniore *Theodoſio Auguſto* edita eſt, quæ *Neſtorium*, duas in Chriſto perſonas aſſerentem, juſto damnavit anathemate, declarans, in duabus naturis unam Chriſti Jeſu perſonam manere.

Conciliũ univerſale Tertiũ Epheſinum.

Quarta ſynodus Chalcedonenſis, ſexcentorum triginta ſacerdotum, ſub *Marciano Principe* habita eſt. In qua *Eutichen Conſtantinopolitanum Abbatem*, verbi Dei & carnis unam pronunciantem naturam, & ejus *Dioſcorum* defenſorem, quondam *Alexandrinum Epiſcopum*, & ipſum rurſus *Neſtorium Epiſcopum*, cum reliquis hæreticis, patrum ſententia condemnavit, prædicans eadem ſynodus Chriſtum Dominum ſic natum de virgine, ut in eo ſubſtantiam & divinæ & humanæ confiteamur naturæ.

Chalcedonenſe quartum.

Hæ ſunt *IV. ſynodi principales*, rectam fidem pleniſſime prædicantes. Cætera vero *concilia* poſt iſtorum quatuor autoritates omni manent ſtabilita vigore.

DISTINCTIO III.

De ſchismatibus variis in prima Eccleſia, iisque extirpatis per concilia.

CÆteris breviloquii gratia dimiſſis, ut ſolatii eo ſatius carmen tibi valeam infundere, omnia, quæ ab orbis initio fuere hæreſes & ſchismata, caſſata ſcias, & annullata; *Hoc* jam demto *periculoſo*, cui inſudamus, *ſchismate*, & erroribus atque malitiis, quibus præſentis temporis innititur malorum ac hæreticorum verſutia. Qui & quæ veluti reliqua ſunt, annullata ſchismata, & hæreſes atque errores eradicati ſunt. Sic & iſtud *exitiale* deſtruetur *ſchisma* cum ſuis peſſimis, quæ allegaſti, malis hæreſibus atque erroribus.

Nam *primum ſchisma poſt Apoſtolos*, ſi non fallor, factum fuit *tempore Conſtantii Imperatoris*, *anno* nativitatis meæ *CCCXL.* hæreſi Arriana infecti, ſub *Papa Liberio*, qui in exilium propter religionis meæ fidem ivit. In cujus locum ſubordinatus eſt *Felix*, venerabilis ſacerdos. Fecit igitur *Felix concilium* XLVIII Epiſcoporum, & invenit duos presbyteros, conſentientes Conſtantio Arriano Auguſto, *Urſacium & Valentem*, &

Schisma ſub Conſtantio Imp.

Conciliũ Felicis Papæ.

& damnavit eos. Poſt paucos vero dies provocati contra Felicem rogaverunt *Conſtantium*, ut de exilio revocaret *Liberium* tanquam magis conſentaneum. Sic igitur revocato Liberio *Felix* de Epiſcopatu pulſus eſt.

Quot etiam perſecutiones propter *Arrianam hæreſin* tempore *Honorici Wandalorum* tu perpeſſa fueris, ſi ſcriberem, longiloqvus nimis viderer. Contra quem impium Regem ſanctus *Eugenius* cum ſuorum orthodoxorum ſacerdotum concilio ſanctam declaravit fidem meam, Arrianos confutans & condemnans. Poſt cujus ſanctæ fidei expoſitionem miſerabiliter proſcripti ſunt & expoliati quibus etiam omnis vitæ alimonia negata eſt, & demum multi ex eis viri ſanctiſſimi miſeranda morte periere.

Conciliū Eugenii Papæ.

Hæc ſecreta Arrianorum, perfidiæ atque crudelitatis plena. *Recaredo* regnante *Wiſigotharum*, *ſynodo* LXII Epiſcoporum apud *Toletum* congregata, damnatur & anathematizatur, & tota gens ejus in fide catholica confirmatur.

Synodus Toletana.

Neque evaſit impune præfatus hæreticus, & impius *Arrius*. Nam cum poſt ſolennem doctiſſimi viri *Athanaſii* diſputationem qui eundem in conventu publico maniſeſtiſſima convicit veritate, venerabili viro, probo & gentili arbitro ſeu judice conſtituto, ſeceſſum iret, in ſua malignitate permanens effuſis viſceribus juſtiſſima morte pœnam exſolvit, tam horribiliter moriens, quam inſatiabiliter & temere contra perſonam Chriſti perfidiam evomere non timebat.

Athanaſii diſputatio maſcula.

Arrii exitium.

Eo etiam momento, & eadem diſputatione, *Photinus & Sabellius* convicti ſunt in tam venerabili *concilio*, ubi prædictus vir eloquentiſſimus *Athanaſius* præſidebat, qui tanquam ſolis luculentus radius te ſponſam meam fulgentiſſimo decorabat ſplendore.

Photinus & Sabellius damnati.

Poſtmodum tempore *Theodoſii Senioris*, qui regnare cœpit anno a nativitate mea CCCLXXXVII, *Damaſus Papa* in Romana cathedra præſidebat. Quem ſibi prælatum arrogans non ferens *Urſinus Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus*, congregata turbulentorum atque ſeditioſorum manu, Epiſcopum ſe contra juſtitiam fecit conſecrari. Quare tanta in Romano populo excrevit *ſeditio*, ut templa mea atque monaſteria humano effuſo ſanguine replerentur. Sed ne nefas illius ſuſtinerem, collecto ſanctorum *concilio* ſacerdotum, idem pulſus eſt *Urſinus* ab Apoſtolica, quam ſibi nequiter uſurpabat, dignitate.

Damaſus Papa.

Urſinus.

Epiſcopus ſeditione factus.

Urſinus ſede motus.

Dehinc *Anaſtaſio* ab Auguſto aſſumto, qui Imperialem accepit purpuram anno à nativitate mea CCCCXCIII & regnavit annis XXV. Hic, a *Bachario* depravatus Epiſcopo Conſtantinopolitano, hæreticis favebat, perſequens orthodoxos. Hujus *Anaſtaſii* tempore *Symmachus Papa* floruit. Hic cum *Laurentio* uno & eodem die ordinatus eſt. Sed *Symmachus* in baſilica Conſtantiniana, *Laurentius* in Eccleſia Beatæ Mariæ. De qua cauſa clerus turbatus eſt, & ſeparatus, diviſus etiam eſt & ſenatus. Alii *Symmachi*, alii partem *Laurentii* tenuerunt. Facta igitur conventione, hoc ſtatuerunt partes, ut ambo *Ravennam* pergerent ad judicium *Regis Theoderici*. Ubi judicatum eſt, ut qui primo ordinatus eſſet, vel ad quem major pars declinaret, ipſe ſederet in cathedra. Et factus eſt *Symmachus* Papa. Qui fecit *ſynodum* congregari, & conſtituit Laurentium in Miterinam civitatem Epiſcopum, intuitu miſericordiæ.

Symmachus Papa.

Synodus Symmachi.

Poſt annos verò quatuor zelo ducti nonnulli ex clero, & aliqui ex ſenatu, maxime tamen *Feſtus & Probinus*, incuſaverunt Symmachum, & ſubornantes teſtes falſos, quos Ravennam miſerunt ad Regem Theodericum, criminantes beatum Symmachum, occulte Laurentium revocarunt.

Libello igitur facto Romæ, factum eſt iterum *ſchiſma*, & diviſus eſt clerus. Alii Symmacho, alii Laurentio adhærebant.

Illo tempore *Symmachus fecit concilium*, & coadunavit Epiſcopos CXV. Factaque ſynodo purgatur à crimine falſo, damnaturque *Laurentius*, & *Petrus Altinenſis*, quod ſedem Apoſtolicam invito Symmacho invaſerant. Et ſedit *Symmachus* vicarius meus in gloria & honore.

Pro-

Procedente tempore ſub *Maurii* imperio *ſchiſma* factum eſt inter Romanam Eccleſiam, & arrogantiam *Johannis Epiſcopi Conſtantinopolitani*, *univerſalis patriarchæ* nomen ſibi uſurpantis. Sub *Papa Pelagio* conceptum, & à *Gregorio* jam inde non leviter exagitatum. Sed conſilio meo urgente, quod ſchisma ante quieſcere non poterat, niſi *Johannes* diem clauderet extremum, morte ſubita in peccati ſui pœnam expiravit.

Univerſalis Patriarcha.

Distinctio IV.

De ſchiſmatibus Pontificum Romanorum, uſq; ad ſeculum XIV.

NEc quievit *ambitio* adverſus ſanctam religionem, fidemq; meam, te quoque ſponſam meam dulciſſimam.

Nam *anno* à nativitate mea *ſeptingenteſimo*, Paulo Papa mortuo, ſub Conſtantino Leonis filio, *Conſtantinus* Pſeudo quidam ſacerdos ordinatur ex laico. Hic *ambitione tyrannica* papatum invaſit, & mihi ſcandalo magno fuit, ſeditque anno uno & menſe uno. Qui fidelium meorum zelo ejicitur à papatu oculis privatus.

Conſtantinus Papa. *excæcatus.*

Stephanus quoque ſubſtituitur præſul XCII. Hic *Roma concilio congregato* omnia per Conſtantinum ordinata revocat, præter baptiſmum & chriſma. Et ceſſavit quaſſatio ad tempus, & tempora longa.

Stephanus Papa.

Inde ſub *Ottone primo*, anno nativitatis meæ DCCCCXXVIII, qui imperavit annis XXXVI, collecto e tota Italia Epiſcoporum *concilio*, *Johannes Papa* de nefariis cauſis infamatur.

Johannes Papa.

Quapropter *Leo* adhuc laicus, electione omnium & conſenſu Imperatoris, *Papa* ſubſtituitur. Sicque *Leo* præſidens Apoſtolicæ ſedi fecit ordinationes, & ea, quæ erant Pontificis ſummi.

Leo Papa.

Nec diu poſt Romani, alterata fide apud Imperatorem, *Papam Johannem* recipiunt. Qui *collecta ſynodo* Leonem depoſuit, ejusque facta caſſavit. *Synodus* vero à Leone habita, omnium judicio *proſtibulum*, favens adulteris, eſt nominatum. Illi igitur, qui ab eo fuerant ordinati, juſſi ſunt ſuam proſcriptionem in charta præſentare, hæc verba continente: *Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit.*

Romana Synodus proſtibulum.

Proſcriptorum formula.

Romani igitur, Johannis illecti pecunia, Imperatorem cum exercitu pauco Romæ morantem ſubito aggreſſi, ita ab Imperatoris armigeris ſunt attriti, ut niſi ab Imperatore & à Papa Leone milites Imperatoris à cæde revocati, usque ad internecionem Romani eſſent deleti. Quibus per Leonem Imperatori reconciliatis, *Leo Papa* inſidias ſibi parari ſentiens ad Imperatorem fugit.

Johannes vero *Papa* ſe cum uxore cujusdam oblectans à Diabolo in tympano percutitur, ac ſine viatico moritur.

Johannis Papa interitus.

Hinc *Romani contra juramentum Imperatori factum Benedictum Papam ſibi præfecerunt.*

Romani juramentum Imperatori datum frangunt.

Quapropter *Imperator* obſeſſa Roma Romanos adeò cæde & fame afflixit, ut Leonem Papam ſe promitterent recepturos. Sicque *Benedictus* rejectus, non ſolum papatu ſed etiam ſacerdotio à Leone exordinatur, & ab Imperatore in carcere ſtrangulatur.

Imperator vindex.

Poſtea tempore *Henrici tertii*, qui cœpit regnare anno ætatis meæ MXL & regnavit annis XVII, hujus Imperii anno ſexto, *Benedictus nonus* Papatum ſibi *Simoniace* uſurpaverat. Cumque eſſet *indoctus*, alterum ad vices officii Eccleſiaſtici exequendas ſecum *Papam Sylveſtrum* fecerat conſecrari. Quod cum multis non placeret, tertius ſuperducitur *Gregorius*. Qui ſolus vices duorum adimplevit.

Benedictus IX Papa Simoniacus & indoctus. *Sylveſter Papa.* *Gregorius Papa.*

Itemque *ejusdem Imperatoris* anno VIII. Romæ uno contra duos, & duobus contra unum de papatu contendentibus, *Rex divino functus conſilio*, *Romam contra eos vadit. Et eisdem canonica & imperiali cenſura depoſitis*, *Clemens Papa* CLIIII. præſidet. Et ab eo Rex in Imperatorem benedicitur, *jurantibus Romanis, ſe ſine ejus conſenſu Papam non electuros.*

Imperator Pontifices depoſuit. *Clemens Papa.* *Juramentum Romanorũ Imperatori factũ.*

Huic Imperatori Henrico cum ſuccederet *Henricus quartus*, qui regnavit annis

Papa Papam excommunicat.

annis multis, factum eſt ſchisma periculoſiſſimum, dum *Papa Papam excommunicat*, *Gregorius* videlicet *Clementem* & è contra, uno pro Papa elevato, altero per Regem Apuliæ contra alium defenſato.

Gregorio Henricũ III. Imp. excommunicat.

De hoc *Gregorio* refert *Martinus* in chronica ſua, quod idem *Gregorius* Henricum tertium excommunicaverit concilio CX. Epiſcoporum. Quamvis aliter ſenſerit *Sigibertus*, quod unitatem Eccleſiæ Romanæ ſcindere voluerit. Poſtea *electus eſt Guibertus*, *conſenſu Imperatoris*, qui *Clemens* dictus eſt. Et ab eodem Henricus Imperator coronam accepit imperii, Gregorium in caſtro Angeli obſidendo. Sed audiens Imperator, Guiſcardum Regem Apuliæ Gregorio ſuccurſurum, cum ſuo Clemente antipapa fugit Senas. Quem Rex Apuliæ liberando ab obſidione in palatio Lateranenſi reſtituit. Qui poſt in Apuliam deſcendens Salernæ mortuus eſt, miraculis coruſcando.

Clemens Papa.

Innocentius Papa.

Poſtmodnm *Innocentio Papa* Catholico præſidente *Petrus Leonenſis* ſchismaticus ipſum perturbavit. Ad cujus ſchiſmatis peſtem ſedandam vocatus à Clarevalle *Sanctus Bernhardus* multum laboravit, multum profecit.

Qua de re convocato apud Stamphas *concilio* ſanctus Bernhardus Innocentium ſuſcipi perſuaſit. Petro igitur ob parentelæ ſuæ fortitudinem apud ſanctum Petrum commorante, Innocentius urbem egreſſus in Gallias proficiſcitur.

Concilium Gallicanum.

Eccleſia Gallicana ipſi adhærente, *concilium* celebratur, & in Papam confirmatur. *Petrus* vero ab omnibus Galliæ ac Germaniæ Epiſcopis anathematizatur. *Innocentius* igitur *Aurelianus à Ludovico Francorum* Rege honorifice ſuſceptus eſt. Inde Carnotum deductus eſt à *Ganfredo Carnotenſi Epiſcopo*, magnarum virtutum viro. Ubi occurrit ei *Henricus Rex Anglorum*, & honorifice ab eo receptus eſt.

Cumque per multa tempora pax eſſet & unio, ſub *Friderico primo* anno ætatis meæ MCLVIII. *Adrianus Papa* præſidebat, & anni præfati Imperatoris ſecundo mortuus eſt. Quo mortuo maxima tibi mihique ſupervenit tribulatio. Cardinales enim ad invicem diviſi duos elegerunt ſibi ſummos Pontifices, *Rolandum* videlicet Cancellarium, qui *Alexander* dictus eſt, & *Octavianum*, horribili ſchiſmate te ſponſam meam dirumpentes. Unde proceres regionum diverſarum turbati ſunt. Nam quidam uni, nonnulli alteri adhæſerunt. Imperator ſiquidem Romanus cum ſuis Epiſcopis *Octaviano*, quem *Victorem* nuncupaverunt, adhæſit, Rex vero Francorum Ludovicus, & Rex Angliæ Henricus, cum ſuis Alexandrum in patrem & Dominum ſuſceperunt.

Cardinalium diſſidium.

Alexander Papa.

Victor Papa.

Distinctio V.

De Schiſmate ſeculi XIV. tempore Johannis XXII.

Clemens V. Papa.

Poſthæc vacavit imperium, anno videlicet incarnationis meæ MCCCV. & electus eſt *Clemens Quintus* in Papam. Hic *Clemens* ſedit annis VIII, menſibus X & diebus XV. *Vacavit* autem *ſedes* annis duobus, menſibus tribus, & diebus XVII. Cujus ratio fuit hæc:

Cardinalium diſſenſio.

Defuncto *Papa Clemente Quinto*, Cardinales numero XXIII, qui apud Carpentoracem civitatem cum alia curia reſidebant, intrarunt conclave in epiſcopali palatio, pro ſummi Pontificis electione facienda. Cumque ibidem diu perſtitiſſent, non valentes concordare, ſuborta gravi & grandi perturbatione exterius inter familias eorum, ex ipſo conclavi circa feſtum Mariæ Magdalenæ concorditer exiverunt, ſtatuentes tempus, intra quod deberent regredi in eundem locum, pro ſummi Pontificis electione celebranda. Sed variis ſubortis quæſtionibus minime redierunt, ſed in villis diverſis, & civitatibus hinc inde diſperſi ſunt. Permanſerunt autem ſic diviſi annis plus quam duobus.

Fuga ex conclavi.

Jacobus Portuenſis.

Poſtea *Lugduni* convenerunt, & *Jacobum Epiſcopum Portuenſem* elegerunt, anno nativitatis meæ MCCCXVI, & vocatus

Digitized by Google

Johannes XXII. Papa. catus eſt *Johannes XXII.* Fuit autem *coronatus* more Romanorum Pontificum *Lugduni* cum ſolenni honore in Ecclefia cathedrali, anno incarnationis meæ MCCCXVII.

Hic Pontifex ſummus plures conſtitutiones edidit utiles & ſalubres *contra Ludovicum Bavariæ ducem*, qui in contrarietate in Imperatorem fuit electus, & ſe pro Imperatore gerebat, ſed ejus electio per ſedem Apoſtolicam non erat approbata. *Adverſarius Ludovici Imperatoris.* Idem *Imperator ad ſedem Apoſtolicam citatus* non comparuit. Hinc *excommunicatus* fautor & defenſor hæreticorum adjudicatus eſt. *Excommunicavit Imperatorem.*

Qui *Ludovicus* malorum peſſimo uſus conſilio contra eundem ſummum Pontificem vicarium meum, & adverſus te ſanctam ſponſam meam multipliciter, crudeliter & barbarice ſe erexit. Veniensque Romam, quendam pſeudo antipapam, cui nomen *Petrus de Cerbario*, Reatinæ urbis, *de ordine fratrum Minorum*, in Papam aſſumſit, anno nativitatis meæ MCCCXXVIII in menſe Maji. *Ludovico Imperator conſtituit aliū Papam.*

Qui ante quam habitum aſſumeret Minorum, uxorem habuit nomine Johannam, cum qua in conjugio vixerat annis quinque. Qua derelicta, ruptoq; conjugali fœdere, *frater Minor* factus eſt. *Papa habuerat uxorem.*

Hoc aſſumto in ſummum Pontificem, tanquam Papæ reverentiam idem Dux Bavariæ exhibuit, in dedecus meum, ſcandalumque tuum, o ſponſa dulciſſima.

Fecitque ſe à ſuis *Nicolaum Quintum* vocari. *Nicolaus V. Papa.* Hic idem impius antipapa, tanquam leo rugiens, atque draco ignem evomens, in opprobrium urbis Romanæ, & in ipſa urbe pro Papa ſe gerebat, & in eadem ſua crudeli veſania creavit Cardinales, & conabatur, in quantum valuit, ſanctam unionis diſcindere pacem, veluti miniſter, membrum & *præco manifeſtus* impiiſſimi *AntiChriſti*. *Creavit Cardinales. Miniſter AntiChriſti.*

Hujus perverſisſimi hominis uxor *Johanna* ipſum antipapam repetiit in judicio coram Epiſcopo Reatino, oblato libello. Et pro Johanna contra ſæpe dictum AntiPapam lata fuit ſententia publice, juris ordine ſervato, penultima die menſis Novembris anno incarnationis meæ MCCCXXVIII. *Papæ uxor redditur.*

Idem quoque Antipapa per Bonifacium comitem Domino Johanni, vero meo vicario, præſentatus eſt. Qui ipſum miſericorditer recepit. Sub fidei verò cuſtodia Avinione tentus eſt. Ubi & diem clauſit extremum. *Papa captus.*

Et ſic ceſſavit diſcordia, & pax facta eſt usque in *præſens ſchisma*. Si quæ alia fuerint ſchismata, iſtis adjiciantur. Quorum omnium eradicatio nec non extirpatio maniſeſtisſime facta claret vel *conciliorum congregatione*, vel quorundam *virorum idoneorum*, *conſilii promtitudine pollentium*, ad hoc vocatorum, qui prædicta ſchiſmata omnino caſſarunt, & penitus annullarunt. *Vis conciliorum. Conſilii virtus.*

Distinctio VI.

SIGISMUNDUS IMPERATOR, Concilii Conſtantienſis Conciliator, extollitur.

Nunc ergo, o mi ſponſa dilectiſſima atque dulciſſima, per ea, quæ ſupra dicta ſunt, claret, omnia per fideliſſimos noſtros ſervos ſchiſmata priora penitus caſſata & abrogata.

Ut igitur & *hoc* etiam horrendum & periculoſum, inveteratum quodammodo & exitiale, *currentis temporis ſchiſma tollatur* è medio, & ſeneſcentis erroris malitia conculcetur, cætera etiam intercurrentia neſanda, prout tu de multifariis periculis & ſceleribus ſuperius propoſuiſti, climinentur, *ſuſcitavi ſpiritum Danielis*, qui Suſannam innocenter morti damnatam liberabit. *In Sigismundo Daniel, Eccleſiæ vindex,* Cujus anguſtiæ ineffabiles tempore ſuæ tribulationis extiterant, cum ab illis *ſenioribus, qui populum regere juſte videbantur*, iniquiſſime fuerat judicata, plurimis ſcandalis infamata.

Excitavi, inquam, *novum Regem David*, qui populum meum de manibus ſuorum eruet æmulorum. *David,* *Elegi* enim,

Digitized by Google

abjecto Saul, *virum ſecundum cor meum*, Virum, inquam, manu fortem, qui urſum interfecit, & leonem occidit. Gigantem etiam, inermis armatum, lapidibus limpidiſſimis interemit.

Hector, *Hector* jam fortiſſimus *ſurrexit à mortuis*, ut matrem ſuam Hecubam Reginam ab incidentibus inimicorum periculis defendat.

Carolus M. *Carolus magnus*, ſpreto ſororis & quietis tumulo, una cum *Rolando* bellicoſiſſimo milite deſcendit in medium, ut te ſponſam mihi dilectiſſimam *gladio cœlitus miſſo* protegat, & cuncta tibi adverſantia ſepellat.

Mercurius, *Mercurius Tyro*, inſerps ſperniens, deſerens cœlica, armatus novi prodigio miraculi, haſta Julianum interfecturus, ornatiſſimo procedit intuitu.

Conſtantinus, *Conſtantinus, Rex* prudentiſſimus, mirando functus ingenio, prodit in publicum, te ſanctam *reformaturus Eccleſiam*, multorum concurrente ſcientificorum atque ſapientium ſcientia, quorum *prudentiſſimo concilio reformaberis*, pacis munere & unitatis plenitudine gaviſura.

Theodoſius. Properat *Theodoſius Rex* inclitus, oratione ſuffultus devotiſſima, qua te ſponſam mihi dulciſſimam contra rebellantes devincat hoſtes.

Hic revera *illuſtriſſimus* eſt *Princeps, glorioſus REX, Sereniſſimus mundi monarcha*, SIGISMUNDUS in IMPERATOREM electus, fideliſſimi filii tui *Caroli, Regis Bohemiæ, Imperatoris* ſemper Auguſti, *filius*, qui una cum *Johanne Papa XXIII* concilium generale in *Conſtantia, civitate Imperiali*, provinciæ Moguntinæ, convocabit. Ubi totius religionis noſtræ concurret dulcedo, virorumque illuſtrium ex omnibus mundi partibus confluet ſapientia, pro pacis ac unionis tuæ efficaciſſima proſecutione. *Sigiſmundus Concilium Conſtantienſe convocavit.*

De quo non ambigas, cum jam præfatus *ſummus Pontifex* una cum prædicto ſereniſſimo Hungariæ Rege in *Imperatorem* electo concordaverit de *loco*, ut prædixi, & *tempore*, quod erit *anno* ab incarnatione *Milleſimo CCCCXIV. in feſto omnium ſanctorum.* *Initium Concil. Conſt.*

Ubi tam periculoſi *ſchiſmatis*, tantorumq; *malorum*, per te allegatorum, *finis* erit, & in quo ſpinæ comburentur igne, roſis reſervatis, & tribuli deſtruentur, floribus ſpecioſum decorantibus campum. Et iſta dum videris atq; ſpectaveris, dilatabitur cor tuum præ gaudio ineffabili, gratias multas mihi referes, timore pariter & anxietate penitus extirpatis. *Scopus ejus tranquillitas publica.*

DISTINCTIO VII.

Simoniæ & indulgentiarum venundationi in Concilio Conſtantienſi medendum ſperatur.

Supr fol. 60. ſeqq. PLane tibi reſpondere ad ea quæ propoſuiſti, non dedignabor, volens, te non ignorare, me nunquam contra veritatem locuturum, neque, quæ falſitatis telo ſagittantur, velle, ſi falſa fuerint, excuſare, ſed prorſus inhærebo veritati. Quippe non modo tuam auſcultavi rationem, ſed & teſtimonium veritati perhibebo. Neque negare debeo, quod radicatum firmaſti veritate expertiſſima, *omnes religionis* tuæ *prælatos, majores cum minoribus, ſimoniæ vitio irretitos.* *Simonia Eccleſiaſticis olim communis.*

Novi equidem, *per avaritiam & Simoniam ſummos Pontifices electos*, pariformiter & reliquos *ordinatos pro munere Præſules.* *Papæ per Simoniã electi.*

Qui & alios eis ſubditos in ſacerdotes, diaconos, ſubdiaconos & acolitos ordinant, *prius conventione & pacto ſtrictos*, antequam ordinare illos velint. De qua iniquitatis mammona & *Epiſcopi*, verique rectores, una cum *capitulis*, partem tollunt. *Conventiones pecuniariæ ante ordinationem ſacerdotum.*

Et quod quondam dictum fuit nobile proverbium: *Gratis accepiſtis, gratis date*; nunc vertitur in viliſſimum eloquium: *Gratis non accepi, quod magna pecunia epiſcopatum emi, neque gratis dabo. Ut effuſarum impie refuſionem recipiam expenſarum. Ordinare te nolo in ſacerdotem, niſi aureum dones. Sacramentum ordinis mihi comparavi, dum Epiſcopus fierem, & illud ejuſdem ordinis ſignum ſacrum tibi* *Præclara regula Simoniacorum.*

vendo

Digitized by Google

vendo. Prece & pretio mihi procuravi, rogatu atque munere tibi vendo. Si tantum non dederis, ſacerdos non eris.

Si nunc *Simon Magus* viveret, certiſſime non tantùm Spiritum ſanctum, ſed & Patrem Deum, meque Dei filium poſſet pecunia comparare. Emitur ab ingratis gratia, quam non gratiam efficiunt. Nam gratia gratis datur. Cum igitur emitur, gratis non datur. Gratia ergo gratia non eſt.

Auro olim empta gratia.

Sed quid plura? *Epiſcopi accipientes pecuniam* pro ordinibus, lepra afficiuntur cum Gehaſi: *Ordinati* vero, *dantes* munera, perditioni ſubjiciuntur cum Simone mago. Cui dixit *Petrus*, *Pecunia tecum ſit in perditionem.*

Simoniacorum, ementium & vendentium, pœna.

Sed quis horum majori pœna mulctatur, an qui lepræ contagio, an qui perditionis jaculo adjicitur? Revera utriusque abhorrenda ſententia. Sed ut æſtimo, major eſt lepra, quod quanto ſtatus altior, tanto minus gravior. Relinquo tamen ad præſens, ne per varia videar evagari, diſceptationem eam, ad cætera progreſſurus.

Indulgentiarum numerus non capit numerum, ſi mammonæ finitas infinitate menſuretur. Certiſſima ſunt omnia, expertiſſima ſunt ſingula.

Indulgentiarum copia ante Conciliū Conſt.

Si dantium intermina foret donatio, recipientium abyſſalis eſſet acceptio. *Infernus* damnatis atque damnandis, *purgatorium* afflictis puniendisve vacuaretur, ſi pecuniæ quantitas ſtatere non poſſet ponderari, elargita ſine modo.

Multum igitur hæc peſſima *Simonia* me dudum afflixit, quam viribus & conamine quibuscunque potuero per dilectiſſimum filium meum Sigismundum Regem, nec non per *ſacrum concilium* congregandos cæteros filios meos, penitus evellere ſtudebo. Ne iſtud virus, quod ſimpliciter primum in te, o ſponſa mea, fuſum eſt, inter omnia nefaria tibi inflicta ullo in te poſſit perdurare modo vel momento. Quod utique nefas ſatis radicatum eſt in te per eos, qui obicem poſuiſſe debuerunt. Eſt igitur verificatum ſapientis dictum:

Simoniæ remediū in Concilio Conſt. quærendum.

Radicatum malum Simonia.

Quod nova teſta capit, inveterata ſapit. In veteri lege hæc pravitas ſumſit initum, nec adhuc, tempus usque in præſens finem accepit. Propter hanc igitur extirpandam nequitiam, ob iſtam enervandam iniquitatem, pro hac evellenda impia hæreſi, totus fidelium congregabitur cœtus, univerſique orbis conglomerabuntur ſapientes, & ex omnibus viris electiſſimis *curia Conſtantienſis* prudentibus replebitur. Juſti judicium juſtitiamq; facturi in *Conſtantia*, magna ſtabunt conſtantia adverſus eos, qui te anguſtiaverunt. Primum & principale nefas, quod eſt *Simonia*, penitus ablaturi. Quapropter procedendum eſt contra *Simoniacos*, & qui inventi fuerint hujus lepræ irretiti vitio, juſta pœna punientur, prout aliquando priſcis factum eſt temporibus, quibus contra *Simoniacos* eleganter proceſſum eſt, & debite judicatum.

Scopus Concilii Conſt.

Fons malorum in Eccleſia omnium ante Conc. Conſt. Simonia fuit.

Nam tempore Henrici Quarti *Hildebrandus Cardinalis*, qui poſtea *Gregorius* factus eſt, cum legatus eſſet in Gallia, & in concilio contra multos Simoniacos proceſſiſſet, contra unum Epiſcopum Simoniæ lepra maculatum procedere conabatur, ſed teſtes in medium producendos auro corruptos invenit. Cumque hæc experiretur, ait: *Producatur in medium divinum conſilium. Epiſcopatus enim donum Dei eſt, & quisquis mercatur Epiſcopatum, contra Spiritum ſanctum facit. Si ergo tu contra Spiritum ſanctum non feciſti, dic: Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.* Quod ille intrepidus incipiens, cum *Patri & Filio* dixiſſet, *Spiritui Sancto* nullatenus exprimere potuit, ſæpius *Gloria Patri* repetito. Unde ejectus eſt, ut meruit, de Epiſcopatu. Quo expulſo plene dixit: *Patri & Filio & Spiritui ſancto.* Tanta igitur opera, tantaque diligentia ad iſtud expellendum adhibebitur virus, ut ſentiant, ſe male feciſſe, qui Simoniam exercuêre, & cæteri ab eis exemplum accipient, ut terreantur, huic vitio non inhæſuri. Hæc breviter dixerim, ad alia proceſſurus.

Gregorii VII. contra Simoniacum Epiſcopū ſententia.

Simoniaci Epiſcopi examē.

Digitized by Google

DISTINCTIO VIII.

Faſtui Prælatorum à SIGISMUNDO remedium iri quaſitum, monetur.

Superbia Prælatorum. SEcundo loco propoſuiſti opponens mihi *prælatorum ſuperbiam*, atque divitias, contra meam humilitatem & paupertatem, quas culmine magnifico extollendas
Supr. f. 64. ſeqq. prædicavi, in me ipſo has virtutes miro dedicans exemplo.

Neque putare te velim me *ſuperbiæ* aut *ambitionis* vitia laudaturum, quæ utique Luciferum de cœlo, & Adam ejecerunt de Paradiſo. Hæc namque eti-
Ambitio mater ſcelerum. am ſecundum Poëtas *matres* vocantur *ſcelerum*. Unde *Claudianus* :

At primam ſcelerum matrem, quæ ſemper habendo
Plus ſitiens patulis rimatur faucibus aurū,
Trudis avaritiam. Cujus fidiſſima nutrix
Ambitio: Quæ veſtibulis foribusque potentum
Excubat, & pretiis commercia poſcit honorum,
Pulſa ſimul: Nec te gurges corruptior ævi
Traxit ad exemplum, quod jam firmaverat annis
Crimen, & in legem rapiendi verterat uſū.

Vitia connexa. ***Superbia*** , ***ambitio*** & ***avaritia*** connexa ſunt vitia, & unum ſine altero neque eſſe. Hæc in *prælatis* juſta reprehendenda cenſeo æquitate.

Epiſcopis indulta quadam pompa. Quæ etſi aliquando apparuerint exteriori habitu, non tamen ſic æſtimanda ſunt vel interiori animi motu radicari. Cum & præſules atq; Pontifices ſecundū eorum ſtatum deceat incedere tramite æquiſſimo, illis indulto.

Donatio Conſtantini jactata. Non enim decet ſummum Pontificem, Cardinales, Patriarchas, cæterosque præłatos, poſt indultam à ſereniſſimo Principe Conſtantino dignitatem imperialem, more ſimplicis incedere ſacerdotis, aut clerici, quos ego in præfato Imperatore Conſtantino ſingularibus privilegiis dotavi. Namusque ad illum ſancti viri ſolum ſpiritualibus intenderunt. Sed poſtquam ille purificatus eſt, imperium & imperialia vicariis meis conceſſit. Quibus ad tuam uti potuerunt & debebunt defenſionem, amicti ornamentis, phalerati familiis, & equorum ſtrepitibus circumducti.

Unde ipſe *Conſtantinus* ait : *Sanctis Apoſtolis, Dominis meis*, & *beato Sylveſtro, patri noſtro, & univerſali Papæ, omnibusque ejus in ſede beati Petri ſucceſſoribus, Pontificibus, imperii noſtri palatium Lateranenſe contradidimus, deinde diadema capitis noſtri, ſimulque phrygiū & ſuperhumerale, qui imperiale circumdare aſſolet collum, & chlamydem purpuream, tunicamque coccineam, & omnia imperialia indumenta, & omnem proceſſionem imperialis culminis, & gloriam poteſtatis noſtra. Et quemadmodum imperialis potentia diverſis officiis cubiculariorum, & oſtiariorum & omnium excubitorum ornatur, ita & ſanctam Romanam Eccleſiam decorari volumus. Et ut amplius pontificale decus præfulgeat, decernimus & hoc Ejusdem Eccleſiæ clericis; ex linteis candidiſſimo colore equos eorum decorari, & ita equitari. Decernimus & hoc, ut venerabilis Pater Sylveſter, & omnes ejus ſucceſſores Pontifices, diademate, quod ex capite noſtro illi conceſſimus,* ex auro *puriſſimo & gemmis pretioſis, uti debeant, & in eorum capite ad laudem Dei pro beati Petri honore geſtare. Ac ipſe beatiſſimus Papa ſuper coronam clericatus quam gerit, omnino ipſa ex auro non eſt, uti paſſus, corona. Phrigyum vero, candido nitore ſplendidum, reſurrectionem Dominicam deſignans, ejus ſacratiſſimo vertici manibus noſtris impoſuimus. Et tenentes frenum equi ipſius, pro reverentia beati Petri, ſtratoris officium ei exhibuimus. Statuentes, eodem phrygio eorum ſucceſſores omnes uti in proceſſionibus, ad imitationem imperii noſtri. Et ut Pontificalis apex non vileſcat, ſed amplius quam terreni dignitas imperii, & gloria potentia decoretur, ecce tam palatium noſtrum, ut prelatum eſt, quam urbis Romæ, & omnis Italiæ, ſeu occidentalium regionum provincias, loca, & civitates patri noſtro Sylveſtro, ejusque ſucceſſoribus decrevimus diſponenda, ac jure Eccleſiæ Romanæ permanſura. Unde congruum conſpeximus, noſtrum imperium & regni po-*

Formula celebrata donationis Conſtantini.

teſtatem orientalibus regionibus transferri, & in Byzantiæ provinciam, in optimo loco, nomini noſtro civitatem ædificari, & illic imperium noſtrum conſtitui. Quo modo, ubi principatus ſacerdotum & Chriſtianæ religionis ab Imperatore cœleſti conſtitutus eſt, juſtum non eſt, ut Imperator terrenus habeat poteſtatem. Denique coram Deo, qui nos regnare præcepit, & coram terribili ejus judicio obteſtamur per hoc noſtrum imperiale conſtitutum, omnes ſucceſſores noſtros Imperatores, & cunctos optimates, & univerſum populum in noſtro imperio, nulli quocunque modo licere, hæc, quæ à nobis imperiali ſanctione ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ, & ejus Pontificibus conceſſa ſunt, refragari, aut confringere, vel in quoquam convellere. Si quis autem in hoc contemtor aut temerator extiterit, æternis condemnationibus ſubjaceat innodatus, & ſanctos Dei, principes Apoſtolorum, Petrum & Paulum, ſibi in præſenti vita & in futura ſentiat contrarios, atque in inferno inferiori concrematus cum Diabolo & omnibus impiis deficiat.

Splendor Pontificū ex donatione Conſtantini repetitur.

Ex his luculenter claret, *ſtatum Prælatorum, Pontificum, mutatum*, divina diſpoſitione. Cum & hæc ſub tanto *Imperatore* & tam ſancto *Pontifice Sylveſtro* facta ſint. Cui divinitus iſta conceſſa ſunt cum ejus ſucceſſoribus omnibus, non ſolum ſummis *Pontificibus*, ſed & aliis illorum *Suffraganeis*. Qui ex imperatoriæ dignitatis conceſſione

Bona feudalia Epiſcoporum.

bona feudalia obtinent, pro Eccleſiæ ſuæ utilitate, cum caſtris, civitatibus, pro conſervatione Eccleſiæ, nec non Pontificalis dignitatis honeſtate.

Abuſus ſplendoris Pontificalis.

Sunt etiam nonnulli, qui hic ſibi taliter indultis *abutuntur*, in damnum animæ ſuæ, & ſcandalum Eccleſiæ. Quorum *abuſum* non laudo, ſed tecum, in quantum valeo, reprehendo. Qui *ſuperbia* inflati intumeſcunt, pauperes deſpiciunt, & pompoſe incedunt, ſpernentes humilitatem & paupertatem. Qui res Eccleſiæ confiſcant, ut eas teneant, nec pauperum ſuccurrunt egeſtati, vel *hiſtrionibus* aut cæteris bona impertiuntur Eccleſiæ, qui illis merito gaudere non debent. Qui *palatia* magna conſtituunt ſine neceſſitate, aut Eccleſiæ utilitate, ut inde videantur aut extollantur. Hos omnes & ſingulos corripio, corrigo atque reprehendo.

Hiſtrionibus collata Eccleſiæ bona.

Palatia Epiſcoporum ſuperba.

Supr. f. 66. 67.

Epiſcoporum bonæ notæ.

Epiſcoporum in Germania ſingularis conditio.

Et quid adjunxiſti exemplum de Sancto *Amalachia*, cujus vitam una tecum ad plenum laudare vix valeo, ut modo loquar humano? Utinam tales eſſent omnes *Epiſcopi, ſancti, juſti, pii, miſericordes*, & *ſinceri*. Sed *in Allemania* tales eſſe ad effectum non poſſunt, quamvis *ſancti* & *juſti* eſſe poſſint, qui & *judicum locum tenent in temporalibus & ſpiritualibus*. De qua materia inferius abundanter ſcribam, de *doctrina Epiſcoporum in Alemania*, & aliis provinciis orbis, quibus præſunt Pontifices tanquam judices & rectores.

Dotatio Conſtantini venenum Eccleſiæ.

Fuit igitur *tempore Conſtantini Regis venenum immiſſum* tibi, ô ſponſa dilectiſſima, ſed abutentibus dotatione atque ditatione tua. Divitiæ namque in ſe malæ non ſunt, ſed qui eis abutuntur, mali per eas extant. Fuere namque & exiſtunt divites plerique viri ſpirituales & temporales, qui ſuis opibus regnum meruere cœlorum. Nam & tu theſaurum habes, ut eo ad pietatis opera utaris, quibus ad ſolium patris mei pervenitur.

Papæ & Epiſcoporum obligatio.

Volo igitur una tecum, ut *ſummus Pontifex* primo, deinde *cæteri Pontifices*, in ſuo geſtu, ſtatu, habitu, vita & converſatione, nihil faciant, quod cujusquam offendat animum, aut lædat conſcientiam, ſed quod ipſorum decet ſanctum ſtatum.

Reformatio morū à Sigismundo expectata.

Et ad hoc totis ex viribus, per electum meum REGEM SIGISMUNDUM, advocatum tuum univerſalem, cæteroſque ad hoc opus idoneos, anhelabo, ut *mores*, ſi quos *corruptos* habuerint, *reformentur*.

Digitized by Google

DISTINCTIO. IX.

Acceptioni perſonarum & in diſtribuendis officiis Eccleſiaſticis inæqualitati remedium à SIGISMUNDO expectatur.

Supr. f. 68. ſeqq.

TErtia vice multa *de acceptione perſonarum*, quaſi notabiliter hoc dixeris, conſtantiſſime propoſuiſti, nullius timore percuſſa: Quod, ut aſſeris, *patrimonium* meum *inæqualiter diviſum* fit. *Divites* affirmas plura & multa *poſſidere beneficia*, *compatibilia* & *incompatabilia*. Unum abundantia florere, alterum, refers, fame perire.

Inæqualiter beneficia Eccleſiæ diſtribuuntur.

Certiſſime te alloquor, conſtanter *veritatem* protuliſti, quæ omnia vincit. Et ego in hac cauſa teſtificor tecum coram Deo & hominibus & ſanctis ſpiritibus, qui divinam intuentur claritatem, quod *veritatem* puriſſimam enarraſti. Neque habeo aliquid, ut excuſationis modicum etiam quid dicere poſſim. Quippe amaro nimis ſum animo, hac eadem perculſus *injuſtitia*, volens *ſtatum* tuum ſimpliciter *in hac parte immutari in concilio generali*, quod *Conſtantiæ* in congregatione ſapientium tuorum celebrabitur, non potens neque volens amodo talia ſuſtinere.

Concilii Conſtant. remediũ.

Et miror ſatis, cum de hac ediſſereres materia, quare *de fratribus mendicantibus*, filiis tuis, nihil propoſueris, qui revera non modo in hoc ſchiſmate, ſed etiam ante & poſt, columnæ tuæ videntur, teque usque in diem hodiernam ſuſtentant, qui opprobrium ſunt divitum, & abjectio potentum. Hi ſunt religioſi viri, ſanctitate conſpicui, vitâ exemplares, & doctrinâ præfulgentes. *Dominicus* cum ſuis *fratribus Prædicatoribus*. *Franciſcus* cum ſuis *fratribus Eremitis*. Elias Propheta cum ſuis *Carmelitis*. Hi nempe ſunt, quos ex remotis mundi partibus in unum paſtor ovile collegi, qui lac atque lanam fructificant, moribus ſinceri, & ſcientia atque eloquentia præpollentes. Hi ſunt cœli, in quibus habitaculum mihi paravi, in quorum ſermonibus mira ſpargo fulgura & tonitrua. Iſti ſunt, de quibus prophetatum eſt: *Rorate cœli deſuper*, *& nubes pluant juſtum*, *aperiatur terra*, *& germinet ſalvatorem*. Per iſtos arida reſeratur, germinans me ſalvatorem, dum horum tuba reſonat in auribus peccatorum, qua attoniti convertuntur. Iſti ſunt fideles, veri religioſi, qui nec minas Principum timent, neque potentum tyrannides, ut taceant veritatem, revereantur. Hi ſunt, quorum doctrina fulget, ut ſolares radii, mundum illuſtrantes. Nam in omnem terram exit ſonus eorum, & in fines orbis terræ eorum procedunt verba. Iſti contra *diluvium iſtius horrendi ſchiſmatis* columnæ fuêre marmoreæ, & contra ignis incendium ſtatuæ lateritiæ extiterunt. Hi fidei tuæ, ô ſponſa, clariferi ſunt prædicatores, conſtantes defenſores, & veritatis ſinceriſſimæ pronunciatores. Quos & ego contra inimicos eorum defendere ſtudeo, & efficaciter protegere, committens *Illuſtriſſimo Principi & univerſali advocato* tuo, SIGISMUNDO, nec non aliis, quorum intereſt, noſtros non modo non offendere, ſed etiam conſtantiſſime defenſare. Nam quod uni ex his immaniter factum fuerit, mihi reputo crudeliter immiſſum. Eorum *privilegia* in vigore perfecto manſura contendo, & oppoſitum, per quoscunque attentatum fuerit, annullatum cenſeo, aut per viam aliam eis provideri cupio & exopto. Sacerdotes ſunt, & homines, cibo & victu indigent, fame eos perire non permittis, & ad nuditatis tegumentum veſte carere non valent. Superflua non exoptant, neceſſariis indigent, quibus eos ſummopere volo providere. Sed, ne tædium generem, ad ulteriora procedo.

Monachorum ordinis Mendicantium elogia.

Dominicani. Franciſcani. Carmelitæ.

morati, docti, eloquentes,

Oratores,

animoſi,

diſſenſionis hoſtes,

frugales.

DISTINCTIO X.

Tyrannidem Prælatorum eſſe mulctandam aſſeritur.

Quar-

Supr. fol. 72. ſeqq. Prædiorũ Eccleſiaſticorum uſurpatio.

Quarto loco oppoſuiſti plura, objiciens etiam *prælatorum meorum tyrannidem*, qui *aliena* ſibi *uſurpant prædia*, & poſſeſſiones tuas incaſtrant caſtris ſuis. Unde etiam mala varia ſequuntur.

Nihil habeo, quo excuſare poſſim illos, cum etiam ipſe multos tales noverim non modo *meliores*, ſed & in *ſummo dignitatis culmine conſtitutos*, qui hujuſmodi neſanda facere non verentur. Sed noſſe te volo, illos pœna debita *mulctandos*, prout poſt non magnum experieris tempus, cum, ſicut & tu allegaſti, etiam illi, de quibus locuta es, exſolverint malum, quod egerunt. Et jam ad reliqua ſum tranſiturus.

Distinctio XI.

De SIGISMUNDI IMPERATORIS majeſtate, de Epiſcoporum Germaniæ ſingulari jure. De Epiſcopis Italiæ, ut & utrorumque differentia.

Supr. fol. 79.

Quinto objeciſti, conquerens te *acephalam*, propter *imperatoriæ majeſtatis carentiam*, *tricephalam* ob *ſummorum Pontificum pluralitatem*. Erat tibi neceſſarium, ut hæc proponeres, mihi vero oportunum, ut reſpondendo tibi ſatisfaciam. Hic enim habeo, ut plura ediſſeram, quæ ſuppliciter deprecor, attente digneris advertere.

Imperii Rom. jura fracta ante Conc. Conſt.

Priſcis jam *elapſis temporibus*, querimoniam de his deferre neceſſe fuerat. Jam vero neque expedit, neque neceſſarium eſt, cum tibi ſolatii plena valeam mittere gaudia, in quibus deſperatio & anxietas tua non deperibit.

Sub Sigismundo Cæſarea majeſtas redintegrata.

Vere fuiſti *acephala*. Sed jam acephalam te dicere non debebis, cum tibi *de optimo religionis* tuæ *viro ſtrenuo* providerim, *monarcha univerſali*, *& advocato*, de quo ſuperius aliqua expreſſi, *qui pacem & unitatem reformabit*, ut neque *acephala*, nec *bucephala*, aut *tricephala* debeas reputari. Imo *monocephala* penitus & nominaberis & eris.

Sigismundo ferrum. Pontifici verbum.

Unus enim eſt *REX tuus*, *cui gladium commiſi temporalem*. Alius erit rector ſummus, vicarius meus, cui *gladium* dabo *ſpiritualem*, qui genti ſibi ſubditæ vitâ & laudabili converſatione, atque ſanctitatis exemplo præibit, cæteris, qui ſe ſummos gloriantur Pontifices, depoſitis & abdicatis. Nec dubium tibi ponas in hoc, cum hæc brevi certiſſime videas affutura.

Intuebris etiam *pacis* per orbem univerſum *unitatem*. Ut non ſurgat amplius gens Chriſtiana contra populum religionis tuæ, ſed pax erit ubique terrarum. Ut majori læteris pacis unione & concordia, quam triſtata fueris diſcordiæ ſchismate & erroris.

Epiſcoporum gladius ſpiritualis.

Amplius propoſuiſti, *ſummum Pontificem*, alioſque *Epiſcopos* gladio corporali non percuſſuros, quibus *ſolo gladio ſpirituali* permiſſum eſt, & indultum, ut percutiant, *non accepturi gladium*, quo pugnent, *corporalem*.

Epiſcopi Samueli ſimiles, aliqui. Sacerdotes & judices ſimul ſunt Epiſcopi Germaniæ.

Hic conſiderare te volo, *Pontifices* in duplici fore differentia. Quidam repræſentant *ſacerdotium Samuelis*. Qui quamvis eſſet *ſacerdos*, *judicis* tamen officium gerebat in temporalibus, & officium judicis exercebat. Ipſe enim Regem elegit, & electum confirmavit, & Agag corporali gladio interfecit.

Hujus imitatores ſunt *Epiſcopi Alemaniæ*, qui dotati & ditati à ſancto Conſtantino, utuntur etiam contra inimicos gladio corporali, tua templa defendentes, & prædia & poſſeſſiones tuas protegentes.

ArchiEpiſcopi Electores Imperii. Trevirenſis. Colonienſis. Moguntinus.

Nam & ipſi ſunt *Electores Imperii*, veri *Principes*, more Samuelis, qui judex fuit & ſacerdos. *ArchiEpiſcopus* videlicet *Trevirenſis*, qui eſt Archi-Cancellarius Galliæ, *ArchiEpiſcopus Colonienſis*, qui eſt ArchiCancellarius Italiæ, *ArchiEpiſcopus Moguntinus*, qui eſt Archi-Cancellarius Germaniæ, id eſt, totius Alemaniæ.

ArchiEpiſcopi Germaniæ

Iſti ſunt *vicarii* illius, qui dixit ad me: *Domine paratus ſum in mortem tecum ire*,

& edu-

gladio Petri accincti. ArchiEpiſcopi caute utantur enſe Petri.

& eduxit tempore tribulationis gladium, & amputavit ſervo Pontificis auriculam. Et quod ego illi dixi: *Converte gladium tuum in vaginam*, deſignare volui, ut *ſine neceſſitate & ratione* gladio nullus uti deberet. Quod qui fecerint, veriſſime gladio peribunt.

Judas Maccabæus. Ariſtobulus. Alexander.

Sic & *Judas Maccabæus*, Mathatiæ filius, olim Judæorum favore *Pontifex* decernitur, qui & *Dux populi* fuit. *Judex* igitur fuit & *Pontifex*. Sic & *Ariſtobulus* Jonathæ filius, *Rex* pariter *Pontifex*. Qui & primus apud Judæos diadematis aſſumſit inſigne, poſt CCCCLXXXIV annos Babylonicæ captivitatis. Cui ſucceſſit *Alexander*, etiam *Rex* & *Pontifex*.

Germaniæ Epiſcopi.

Pariformiter *Alemaniæ Epiſcopi* horum tenent locum, tanquam *Reges* ſint & *Principes*, & *Pontifices*, gladio utentes utroque.

Papa Epiſcopis Germaniæ ſimilis uſu gladii.

Quo etiam non tantùm *iſti*, ſed & ipſe *ſummus Pontifex* pro tua poterit uti neceſſitate & utilitate. Ad cujus probationem nobile producam exemplum.

Gregorii VI. Papæ res geſtæ.

Nam *Gregorius VI*, qui utique fuit vir vitæ ſanctiſſimæ, & religionis magnæ, Apoſtolatus Romani ſtatum per anteceſſorum ſuorum incuriam diminutum reperit, ut præter pauca oppida, urbi vicina, & oblationes fidelium nihil haberet, quo ſe ſuſtentaret. Civitates, prædia, caſtra & poſſeſſiones eminus poſitæ, quæ ad jus tuum pertinebant, à raptoribus ablatæ erant. Tramites & ſtratæ regiæ per Italiam totam à latronibus ſtipabantur: Ita ut nullus peregrinus niſi manu fortiori impune peragraret. Ceſſatum eſt ab omni provincia Romam aggredi. In ipſa etiam *urbe* ſicarii rapinam exercebant. Super ipſa ſanctorum Apoſtolorum & martyrum corpora gladii nudabantur. Oblationes accedentium vix appoſitæ de manibus rapiebantur, arreptæ in comeſſationibus & ſcortorum abuſiones inſumebantur.

Animi moderatio in Gregorio VI.

Tantis malis venerabilis Pontifex *primo leviter, ut decet Pontificem*, occurrere cœpit, *amore* plus, quam *terrore*, *verbis* magis quam *verberibus* agens. Mandat, ut a peregrinorum infeſtatione ceſſent, & rapina ſacrorum. Invaſores Eccleſiaſtici patrimonii & mandatis & epiſtolis invitavit, ut aut debita redderent, aut, ſe jure illa tenere, in ſenatu Romano probarent: Si neutrum facerent, membra ſe non eſſe cognoſcerent.

Conſilium pro bonis Eccleſiaſticis recuperandis.

Lenitas irrita Excommunicationis fulmina.

Talia frequenter concionatus parum profecit, aut nihil. Tunc *excommunicavit* omnes, qui aut talia agerent, aut agentibus convivio aut colloquio participarent.

Excommunicatio armis eluſa.

Illi autem *excommunicati* cœperunt contra furere, muros urbis armis circumſonare, adeo ut pene Papam interficerent.

Gregorius VI. Papa arma prehendit.

Tunc *ſummus Pontifex* ferro abſciſionis utendum judicans, arma & equos undecunque conquiſivit, milites & equites adornavit, ac primum Eccleſiam beati Petri præoccupans raptores oblationum vel extinxit, vel fugavit. Occiſis itaque ſibi reſiſtentibus, prædia & oppida multo tempore amiſſa in antiqvum jus reſtituit.

Gregorius VI. Sanguinarius dictus.

Quirites interea, raptu vivere aſſueti, *ſanguinarium* illum vocabant, & indignum, qui Deo offerret, tot cædium conſcius.

Cardinales corripiunt Gregorium VI.

Ipſi etiam *Cardinales* hoc dicebant. Adeo ut cum ille in valetudine, qua defunctus eſt, decumberet, conſilio inter ſe habito, auderent *eum admonere*, ne ſe in Eccleſia ſancti Petri cum cæteris Apoſtolicis tumulari præciperet, qui tot hominum mortibus officium fœdaſſet.

Minax apologia Gregorii VI.

Tunc ille collecto ſpiritu torviſque luminibus *minax* hanc orationem inter cætera habuit: *Vos, inopem vitam diurno pane agebatis. Vos populari & diſſuto amictu oculos movebatis meos. Itaque cum hac pati nequirem, bellum aliis indixi, ut damno civium gloriam emerem clericorum. Sed, ut modo experior, in ingratos collata beneficia perdidi. Quod alii per angulos muſſitant, Vos in publico evomitis. Et libertatem quidem probo, ſed pietatem requiro. Morientem Patrem filii de ſepultura ſua exagitant. Communem mortalium domum mihi negabitis? Non arcetur ab introitu Eccleſiæ meretricula, non uſurarius, non latro; Et Vos Papam ingredi prohibetis? Mortuus peccare neſcit, imo*

Digitized by Google

imo nequit, ſummo carens viatico. Quam immanis igitur barbaries eſt, ut hunc a domo Dei excludatis, cui peccandi deſit & voluntas & facultas? Quapropter filii tam prærupta audacia, per miſericordiam agite. Stulte enim & amare locuti eſtis. Conſiderate etiam rationem. Crebro miſerabilis interpellabat egenus, ut ejus levarem inopiam. Ego futurorum inſcius non abnui, ſed diverſis monetis onuſtum dimiſi. Diſcedens ille latronem offendit, qui videns eum nummos portantem, clava, quam ferebat, percuſſum occidit. Numquid inde judicandus ſum, qui peregrino dederam, unde cauſam mortis incurrit? In legibus Eccleſiaſticis & forenſibus idem factum diverſo reſpectu & punitur & laudatur: Animadvertitur in latronem, quod hominem occidit in occulto, probatur in milite, quod hoſtem fuderit in bello. Itaque homicidium in iſto laudabile, in illo vituperabile. Ezechiel ſacerdotes accuſat, quod non ſteterint ex adverſo, nec ſe oppoſuerint murum vel clypeum pro domo Iſrael. Duæ ſunt perſonæ in Eccleſia ad reſecanda vitia conſtitutæ, una, quæ exacuit eloquium, altera, quæ portat gladium. Ego non neglexi partem meam. Illi ſcripſi, ut noſtis, cujus intererat gladio corporali pugnare. Reſcripſit, ſe occupatum bello, rogans, ut meis laboribus & ſuis expenſis non gravarer latronum conciliabula deturbare. Si renuiſſem, quam excuſationem offerrem Deo, cum Imperator in me ſuas refudiſſet partes? Viderem cædem civium, damnum peregrinorum, & dormitarem? Quiſquis parcit latroni, occidit innocentem. Sed objicitur: Non eſſe ſacerdotis, ut ſe cæde cujuſcunq; commaculet. Verum eſt, ſed non ſe inquinat, qui ſontem premens inſontem liberat. Imo vere beati, qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam. In omni tempore ſacerdotes fuerunt ampliſſima laude famoſi Phineas & Mathatias, qui delinquentes manu ſua ulti ſunt. Alter amplexus Veneres manu ſua confodit: Alter idolis immolantem immolatico cruori commiſcuit. Zacharias ſacerdos ſacrificantem Regem expulit, & procul dubio non dubitaſſet occidere, niſi Deus illum acceleraſſet cedere. Prævenit Epiſcopalem manum plaga divina, ut illius cadaver depaſceretur lepra, cujus animus uſurpaſſet illicita. Parum eſt, quod excuſo: Sed laudandum eſt, quod feci. Contuli enim illis beneficium, quibus videor intuliſſe exitium. Pœnam minui, dum mortem acceleravi. Sceleratus enim, quanto plus vixerit, tanto plus peccabit. Sed quia & mea & veſtræ ratiocinationes falli poſſunt, committamus omnia divino examini. Corpus meum anteceſſorum meorum more compoſitum ante januas Eccleſiæ ſiſtite, januis ſeris & repagulis obſeratis. Si Deus voluerit, ut ingrediatur, plaudatis miraculo. Sin autem, de cadavere facite ſicut placet.

Quo mortuo, oſtiis clauſis & obicibus interjectis, funus ibi poſitum eſt. Et ecce turbo vehemens divinitus emiſſus repagula reſeravit, & januas aperuit. Et in Eccleſia corpus ejus ſepelierunt.

Ex quo patet exemplo, *Epiſcopos & Pontifices in neceſſitate, & Eccleſiæ utilitate,* uti debere etiam *gladio corporali.* *Epiſcopis quando competat enſis.*

Et ſic faciunt *Epiſcopi in Alemania*, qui *utroque* ulciſcuntur *enſe*, ut præfatum eſt. Claret ergo, quomodo uti poſſint gladio utroque, & qualiter non debeant vindictam ſive in ſuos ſive in extraneos exercere. Et hæc dicta ſufficiant de *Epiſcopis & Pontificibus*, qui *locum tenent judicum & ſacerdotum.* *Epiſcoporum in Germania prærogativa. His competit verbum & ferrum.*

Alii verò ſunt *Pontifices Italiæ*, qui ſunt *vicarii illius, qui relicta ſyndone nudus aufugit.* Et *hi pugnant gladio* præciſe *ſpirituali*, docentes verbo veritatis, vita & converſatione honeſta, ſcientia præpollentes, quorum ſtatum multum commendo. Iſti ex viris religioſis eliguntur, vitæ exemplaris, & ſcientiæ atque eloquentiæ ſingularis. Quicquid igitur in his defectuoſum repertum fuerit, emendabitur in futurum. *Epiſcopi Italiæ ferro carent.*

Et quod propoſuiſti ſexto *de ignorantia rectorum*, non potero excuſare. Sed providendum eſt, ut illi, qui *digni* fuerint, præficiantur, qui verò non meruerint, evellantur. *Supr. fol. 82.*

Digitized by Google

DISTINCTIO XII.

De dogmatibus Wiclefi, Huſſi & Hieronymi Pragenſis.

Supr. f. 16

SEptimo & ultimo in medium produxiſti *hæreticos* quosdam, cum ſuis erroribus & hæreſibus, quorum nomina etiam poſuiſti. Certe revelato lumine dixiſti veritatem, & revertuntur hæreſes, quæ primo in mundum ſeminatæ ſunt.

Nam, ut ſupra dixiſti, *hæreſis prima* fuit *ſimonia. Secunda hæreſis circa* ſanctiſſimi corporis mei *ſacramentum* erat, quæ velut à duritia ſermonis mei facta eſt. Nam cum dicerem illud *Joh. VI. Niſi quis manducaverit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habet vitam æternam*: Illi non intelligentes dixerunt ad invicem: *Durus eſt hic ſermo. Quis eum poteſt manducare?* Dicentes, *durus eſt hic ſermo*, ſe ipſos à me ſeparaverunt, & remanſi cum XII. Qui cum diſceſſiſſent, inſtruxi eos, qui remanſerant, dicens: *Spiritus eſt, qui vivificat, caro nihil prodeſt. Verba, quæ locutus ſum Spiritus & vita ſunt.* Intellexiſtis ſpiritualiter, ſpiritus & vita ſunt. Dixi autem, non *hoc* corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, ſed *ſpiritualiter.* Spiritualiter intelligite, quæ locutus ſum. Non *hoc* corpus i. e. non in hac ſpecie, in qua me videtis, manducaturi eſtis me, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent, hoc eſt, non ſecundum illam ſpeciem, ſecundum quam effundetur in cruce.

Quapropter hæc eſt vera, orthodoxa fides, quod *ante conſecrationem* eſt *verus panis* in altari. *Poſt conſecrationem* verò eſt ibi *verum corpus*, quod ex Maria virgine aſſumſi, quod in cruce pependit, & quod in ſeculorum fine judicaturum erit vivos & mortuos.

Wiclefi & Huſſi ſententia de Sacramento altaris.

Contra quam profeſſionem ſentiunt impiiſſimi hæreſiarchæ, *Johannes Wickleff* damnatæ memoriæ, *Johannes Huſſ & Hieronymus de Praga.* De quibus ſuperius es locuta. Qui inter cæteras hæreſes, & falſiſſimos errores, hanc *de ſacramento altaris ſectam* & hæreſin renovarunt, inquientes: *Panem & vinum*, quæ in altari ponuntur, *poſt conſecrationem* ſolummodo *ſacramentum*, & *non verum corpus meum* eſſe. Et adhuc cum multis de ſecta ſua ita tenent.

Tres Scholaſticorũ ſententiæ de corpore Chriſti in S. cœna.

Tres igitur de ſacramento corporis Chriſti fuerunt *ſententiæ.* Una dixit, quod illa ſubſtantia, quæ prius erat panis & vinum, poſt conſecrationem ſit corpus & ſanguis Chriſti, ut patet *de conſe. diſt. II. Panis &c. Quia corpus.* Secunda tenet, quod ſubſtantia panis & vini deſinit eſſe, & tantum ipſorum accidentia remanent, ſcilicet ſapor, color & pondus, & ſub illis accidentibus eſt corpus Chriſti verum. Et hæc probatur *de ſumma trin. & fide cathol. c. I.* Tertia dixit, remanere ſubſtantiam panis & vini, & in eodem loco, & ſub eadem ſpecie eſſe corpus Chriſti. Sed iſti *hæreſiarchæ* dicunt, poſt conſecrationem eſſe ibi tantum tanquam in ſigno, & non eſſe in altari verum corpus Chriſti. Hac hæreſi *Berengarius* fuit infamatus, de qua ſe expurgavit, ut patet *de conſe. diſt. II. Ego Berengarius.*

Sententia Wiclefi, Huſſi, Berengarii.

Ad cujus probationem adduco id, quod de ſanctiſſimo viro *Baſilio Epiſcopo Cæſarienſi* legimus. Nam cum oſtenſione publica vellem clarificare rei veritatem multis dubiam, quidam *Hebræus*, officii myſterium explorare volens, permiſcuit ſe populo, & vidit infantem partiri in ſancti Baſilii manibus, & accedens ſumſit vere carnem & verè ſanguinem. Quod indicans uxori ſuæ baptizatus eſt cum omni domo ſua.

Et non minus ſtupendum contigit *miraculum* anno à nativitate mea CLXXXI. Apud *Aurelium*, die Dominica circa feſtum beati Laurentii, presbyter celebrans duas paraverat hoſtias, propter viaticum, & proceſſerat usque ad orationem Dominicam. Videt illam, quam manibus tenent, rubeo colore ſuffuſam, & ſanguinem ex ea inter digitos profluentem, eamque ſuper altare in tribus locis tranſpoſuit, & in ſingulis, quantum

Digitized by Google

tum ipſa continet, tantum de ſanguine purpuratur, populus occurrit, miratur, ſacerdos illam ſumit, quam ipſe paraverat reponendam. *Rex* autem *Philippus*, qui non longe aberat, accurrit & vidit hoſtiam in forma carnis lividæ, & ſupra corporale ſanguinis guttas, ſive etiam notas, cum transponeretur hoſtia, ad modum hoſtiæ circulatas.

Poſt modicum apud caſtrum Corrolam eadem hoſtia partim carnis partim panis ſpeciem repræſentavit, in feſto omnium ſanctorum: Dum priore celebrante & volente ipſam tripartiri, frangi non potuit, ſed integra manens per medium eſt replicata, & mox pars una formam carnis induit, pars reliqua in priſtina forma manſit.

Similia acciderunt apud *Soranam oppidum*, & in territorio *Vindocinenſi*, & apud *Atrebatum*. Hæc autem per me facta ſunt propter *hæreſin in Vaſconia pullulantem*.

Sed hos horumque errores una cum ſibi adhærentibus neceſſe eſt evelli, atque radicitus ſupplantari. Impium enim eſt, non extirpare hæreticos. Et qui non reſiſtunt eis fovere videntur hæreſin & approbare. Illi ſaltem, qui poſſunt impedire, & non faciunt.

Wenceslaus Rex Huſſitis favit.

Sicuti, & tu conqueſta es contra *Bohemiæ Regem*, quem mulctandum pronuncio, ſi fautor illorum impiorum hominum fuerit adinventus. Nam & multa bona à multis effecta parum proderunt, ſi hæreſum aut errorum favor ab eis proceſſerit, & permaxime ſi *Principes*, quorum intereſt etiam usque ad mortem pro me pugnare, in tam pernicioſo crimine me derelinquere non abhorrent. Quorum peccatum graviſſimum, crimen manifeſtius. Unde & pœna major præfata conſequetur. *Conſenſus* enim *Principum* in exercendis malis impune non evadit. Unde notabile referam ad id exemplum.

Ludovicus Rex Germanorum.

LUDOVICO REGI GERMANORUM apparuit in ſomnis genitor ejꝰ, olim *Imperator*, filium per nomen ſanctæ Trinitatis adjurans, ut ipſum eriperet è tormentis, quibus tenebatur, unde tandem requiem æternam habere mereretur. Ob hoc ad diverſa monaſteria eleemoſynis deſtinatis obnixe filius ſuccurrebat patri. Unde dabatur intelligi, quod licet idem Imperator multa Deo & hominibus placentia feciſſet, plura tamen Deo contraria in regno ſuo fieri conſenſerit. In quibus graviora videbantur, quod *hæreſi Nicolaitarum* non reſtitit, & monita Gabrielis Archangeli, XII capitulis comprehenſa, quæ legenda & obſervanda oblata fuêre, ſervare non ſtuduit.

Huſſitis faverunt Principes & Epiſcopi.

Qua ex re colligo, quod ſi præfatus *Rex Bohemiæ* aut alii *Principes*, ſive *ſpirituales* ſive *ſeculares*, fautores eorum fuerint, quod abſit, contra ipſos juſtitiæ gladio foret procedendum. Sed non dubium, quin, ſi ita repertum fuerit, *Illuſtriſſimus advocatus* tuus cum cæteris filiis tuis, juris ordine ſervato, contra ipſos procederet hæreticos cum eorum complicibus & fautoribus, cujuscunque conditionis, ſtatus extiterint ſeu dignitatis.

Wicleſi condemnatio in Anglia.

Sed & unum certiſſime factum noſcito, errores atque hæreſes præfatorum, *Johannis Wiclef Anglici*, *Johannis Hus atque Hieronymi*, hæreſiarcharum, Londoniis ab *Archi Epiſcopo Cantuarienſi*, ſtudii Oxonienſis conſervatore, octo Epiſcopis & triginta Magiſtris in Theologia, condemnatos, quos hodierno tempore ſtultilogi iſti, tumidi & ſuperbi *hæreſiarchæ*, artiſtæ nonnulli, *Pragæ* nituntur defenſare.

Huſſi & Hieronymi condemnatio in Conc. Conſt.

Horum principales adhuc viventes ſunt prænominati *Johannes Hus* & *Hieronymus de Praga*. Sed ne dubites, ſponſa dulciſſima, egregios ac illuſtres viros ſæpe dictos *in concilio Conſtantiæ congregandos* remedium adhibituros oportunum.

Dogmata Wicleſi.

Articuli vero erronei & hæretici ſunt jam annotandi.

Primus articulus *Johannis Wicklef*, quos prænominati hæretici *Pragæ* defendunt, eſt iſte: *Subſtantia panis & vini manent poſt conſecrationem.*

Contra Tranſſubſtantiationem.

II. *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto, in eodem, poſt conſecrationem.*

III. *Chriſtus non eſt in eodem ſacramen-*

to identice, vere & realiter, & in propria perſona corporali.

De S. cœna.

IV. *Non eſt fundamentum in Evangelio, quod Chriſtus miſſam ordinarit.*

De Miſſa.

V. *Epiſcopus vel ſacerdos exiſtens in mortali peccato, non ordinat, nec conficit, vel baptizat.*

De ſacerdotum conſecratione.

VI. *Si homo fuerit debite contritus, oris confeſſio eſt ipſi ſuperflua & inutilis.*

Confeſſione.

VII *Deus dat obedire Diabolo.*

VIII. *Si Papa eſt præſcitus vel malus, & per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles Chriſti ab aliquo ſibi datam, niſi forte à Cæſare.*

Poteſtate Papæ.

IX. *Poſt Urbanum Sextum non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum.*

Papatu.

X *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat, ipſum excommunicatum à Deo.*

Excommunicatione.

XI. *Qui ſic excommunicat, ex hoc fit hæreticus vel excommunicatus.*

XII. *Prælatus excommunicans clericum, qui appellat ad Regem, vel ad conſilium, ipſe proditor & traditor Regis & regni.*

Clericorum appellatione ad Principem.

XIII. *Qui dimittunt prædicationem ſeu verbum Dei propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in die judicii traditores Chriſti habebuntur.*

XIV. *Contra ſacram Scripturam eſt, aſſerere, quod viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones temporales. Et vocat ſacram Scripturam doctrinam Apoſtolorum.*

Cleri opibus.

XV. *Licet alicui clerico vel diacono, vel presbytero, prædicare verbum Dei abſque autoritate ſedis Apoſtolicæ, vel Epiſcopi, vel alterius, de quo ſufficienter conſtat.*

Prædicatione verbi.

XVI. *Aſſerendum eſt, quod nullus ſit Dominus civilis, nullus ſit Epiſcopus, nullus ſit prælatus, dum eſt in peccato mortali actualiter.*

XVII. *Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſiaſticis delinquentibus.*

Jure Principū in bona cleri.

XVIII. *Et populares poſſunt ad eorum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.*

XIX. *Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ.*

Decimis.

XX. *Parochiani poſſunt propter peccata ſuorum curatorum decimas detinere, & ad libitum ſuum aliis, quibus volunt, conferre, cum ſint puræ eleemoſynæ.*

XXI. *Spirituales orationes applicatæ alicui perſonæ per prælatos vel religioſos, non plus proſunt eidem perſonæ cæteris paribus, quam generales.*

Precibus.

XXII. *Eo ipſo, quod aliquis ingreditur religionem privatam quamcunque, ſive poſſeſſionatorum, ſive mendicantium, fit ineptus vel inhabilis ad obſervantiam mandatorum Dei.*

De ordinibus Monachorum.

XXIII. *Sancti inſtituentes religiones privatas quaſcunque, tam poſſeſſionatorum, quam mendicantium, in inſtituendo peccaverunt.*

Fundatoribus eorum.

XXIV. *Religioſi ſive fratres tenentur ad laborem, & non per mendicationem victum acquirere.*

Monachis mendicantibus.

XXV. *Conferentes Eccleſias fratribus prædicantibus, ſunt excommunicati, & recipientes ſimiliter.*

Prædicatoribus.

XXVI. *Religioſi, viventes in religionibus privatis, non ſunt de religione Chriſtiana.*

XXVII. *Papa cum omnibus clericis ſuis, poſſeſſiones habentibus, ſunt hæretici: Eo, quod poſſeſſiones habent.*

Bonis Eccleſiaſticis.

XXVIII. *Quod omnes eis conſentientes, ſcil. Domini ſeculares, & cæteri laici, & propter hoc Papa neminem poteſt judicare de hæreſi, cum ſit hæreticus.*

Papæ judicio.

XXIX. *Eccleſia Romana eſt ſynagoga Satanæ: Nec Papa eſt proximus & immediatus Chriſti vicarius.*

Eccleſia Romana.

XXX. *Decretales Apoſtolicorum Epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt a fide Chriſti.*

Decretalibus.

XXXI. *Clerici ſunt ſtulti, qui eas ſtudent.*

XXXII. *Imperator & Domini ſeculares ſeducti ſunt à Diabolo, ut Eccleſiam Dei bonis temporalibus dotarent.*

Dotationus Eccleſiarū.

XXXIII. *Electio Papæ à Cardinalibus & Diabolo introducta eſt.*

Electione Papæ.

XXXIV. *Ideo ſuadet, à Papa & à Cardinalibus recedere, & ſe ſimpliciter Deo committere.*

Papa & Cardinalibus.

XXXV. *Non eſt de neceſſitate ſalutis, credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter Eccleſias.*

Superioritate Eccleſiæ Romanæ.

XXXVI. *Fatuum eſt credere indulgentiis Papæ & Epiſcoporum.*

Indulgentiis.

XXXVII. *Juramenta civilia ſunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus & commercia civilia.*

Juramētis.

XXXIIX. *Auguſtinus, Benedictus, Gregorius, Bernhardus, & cæteri ſancti Patres damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod*

Cœnobiorum

habue-

Digitized by Google

fundatione & opibus.

habuerint poſſeſſiones, & inſtituerint & invenerunt religiones, indifferenter introductas, & ſic Papa uſque ad infimum religioſum habentem poſſeſſiones, eſt hareticus.

Ordines Monachorum.

XXXIX. *Omnes religiones indifferenter introducta ſunt à Diabolo.*

XL. *Oratio praſcits nihil valet.*

XLI. *Omnia de neceſſitate eveniunt.*

Confirmatione, conſecratione.

XLII. *Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, locorum conſecratio, reſervatur Papa & Epiſcopis, propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.*

Gradibus Academicis.

XLIII. *Item univerſitas, & ſtudia & collegia, graduationes & ordinationes ſunt vana gentilitas, & introducta, & tantum proſunt Eccleſia Dei ſicut diabolo.*

XLIV. *Item excommunicatio Papa vel cujuscunque Pralati non eſt curanda, quod eſt cenſura AntiChriſti.*

XLV. *Peccant fundantes clauſtra, & ingredientes ſunt veri diabolici.*

XLVI. *Item, ditare clerum eſt contra regulam Chriſti.*

XLVII. *Sylveſter Papa & Conſtantinus Imperator erraverunt dotando Eccleſiam.*

De bonis clauſtrorum confiſcandis.

XLIIX. *Inducit etiam Reges & Principes ſeculares, ut bona clericorum ſibi invideant, & eos ſpolient, & univerſum populum ſecularem inducit contra eos.*

Poſui impiorum & hæreticorum hominum ſectas iniquas, errores ſcandaloſos, piarum aurium læſivos. E quibus mortem ſubiit *Johannes Wiclef* damnatæ recordationis. Sed *ſuperſtites* exiſtunt *hi duo*, quorum malevolam ſententiam *ignis probabit*, niſi reſipuerint, & condignam egerint pœnitentiam, cum *ſacrum generale concilium Conſtantia celebrandum* rite fuerit congregatum.

Pugnabunt igitur fideles filii tui & devincent. Pugnaſti tu, ô mi ſponſa cariſſima, primis temporib' contra *Leonem*, hoc eſt *tyrannos*, quos me viciſti protegente. Pugnas nunc adverſus *draconem*, id eſt, contra *hareticos*. Nam loco tyrannorum habes hæreticos. Sed, quomodo victus eſt leo, vincetur & draco. Hæc animo tuo imprime, & lætitia perfunderis.

Distinctio XIII.

De hæreticis in Sangerhuſen, & eorum hæreſibus & dogmatibus, circa tempora Concilii Conſtantienſis.

Haretici in Sangerhuſen. Supr. f. 86.

PRopoſuiſti etiam querendo, *in Sangerhuſen* magnam & maculatam eſſe *hareticorum ſectam.* De cujus ſcandaloſa ſocietate multum doluiſti, & non immerito, cum hæc impietas non modo Chriſticolas inficiat, verum etiam Judæos & paganos lætificet, & ſcandalum nobis gignat.

Wicleſita interfecti. Sangerhuſani cremati.

Sed ut pulſis triſtitiæ & doloris gemitibus lætitia ſuperfundaris inæſtimabili, noveris, nuperrime & *in Anglia* de ſecta impiiſſimi *Wicleff* multos eſſe *interfectos*, & in *Sangerhuſen* XCI. & in aliis oppidis quamplures de alia nefandiſſima opinione *concrematos*, & pœnam, quam meruerunt, recepiſſe, prout iidem confeſſi ſunt coram honorabili & religioſo viro fratre *Henrico Schonevelt ordinis fratrum pradicatorum, haretica pravitatis inquiſitore*, præſentibus & aſſeſſoribus inclitis *Principibus Thuringia & Miſnia*, eidem in adjutorium deputatis. Penes quos, & à quibus præfati *articuli* una cum eorum doctoribus ſunt damnati.

Henricus Schonevelt inquiſitor.

Dogmata Sangerhuſanorum.

Ut igitur clareat iſtorum perverſitas & error, *articulos* jam ſubjungam. Sunt *numero quinquagenario* determinati.

Crucifratrum origo.

Primus articulus eſt: *Quod ſecta crucifratrum, qui ad LX annos vel circa ſemetipſos flagellando cum cantu per mundum tranſiverunt, originem habuerit ex quibusdam literis, quas Angeli ſancti Roma ſuper altare beati Petri de cœlo portaverint.*

Flagellatores. Contra Papam & Epiſcopos.

II. Quod ante LX annos, cum ſe ipſos flagellando crucifratres tranſiverunt, Deus Papam Romanum & omnes Epiſcopos, caterosq, pralatos & ſacerdotes, ne deinceps populo in ſpiritualibus praeſſent, licentiarit, & omni autoritate ligandi & ſolvendi, aut quaecunque res conſecrandi eosdem ſimpliciter privarit.

III. Quod, ſicut in expulſione negotiatorum de templo propter ſacerdotum malitiam,

Chriſtus repudiavit & abjecit ſacerdotium Judaicum: Ita in tranſitu crucifratrum propter presbyterorum nequitiam Deus licentiarit & abjecerit ſacerdotium Evangelicum.

De Sacerdotibus.

IV. Quod poſt tranſitum crucifratrum, Eccleſiæ & cœmiteria, aqua, ſal, cineres, oleum & chriſma, ac cætera hujusmodi ſacramentalia debuerint & debeant pro non ſacratis haberi, quod per nullum ſacerdotem potuerint conſecrari.

Sacramẽtalibus rebus.

V. Poſt tranſitum crucifratrum Eccleſiæ materiales fuerint & ſint niſi congeries lapidum, publicæ domus peccatorum, & ſpeluncæ latronum.

Templis.

VI. Sacerdotes, baptiſmum aquæ, & aliorum ſex ſacramentorum legem prædicando docentes, ſint ſeipſos, cum populo eisdem credente, ſpiritualiter occidentes.

Sacramentis.

VII. Quod clava mortificationis ſit aſperſorium aqua benedicta, & ſcintillæ infernales ſint aſperſæ cum ipſis ejusdem aquæ guttis.

Aqua benedicta.

VIII. Quod tota divini officii in Eccleſia decantatio non debeat ſanctius quid reputari, quàm canum ululatio.

Cantu priſtino in templis.

IX. In tranſitu crucifratrum lex baptiſmi aquæ depoſita à Deo, & lex baptiſmi proprii ſanguinis inſtituta.

De novo baptiſmo ſanguinis.

X. Quando Chriſtus in Cana Galileæ circa finem nuptialis convivii aquam albam in vinum rubeum mutavit, deſignavit, quod circa finem mundi baptiſmus aquæ in baptiſmum ſanguinis mutari deberet.

XI. Quod ſicut vinum rubrum præ omni vino prius poſito convivantibus magis placuerit, ut commendaretur, ita nova lex baptiſmi ſanguinis præ cunctis ante datis legibus à Deo gratiſſima ſit accepta.

XII. Quod poſt tranſitum crucifratrum nemo potuit ſalvari, & verus exiſtere Chriſtianus, niſi in proprio ſanguine cum flagello de corpore ſuo excuſſo baptizaretur, & flagellatorum eſſet conſectaneus.

XIII. Quod ſacramentum confirmationis pro nullo & pro truſa debeat reputari, quod nonchriſmati Judæi ita bene barbas habeant & animas, ſicut illi, qui ſe à ſacerdotibus faciunt chriſmari.

De Confirmatione.

XIV. Quod ſacrorum ordinum ſacramentum una cum ſacerdotibus ſit à Deo ſimpliciter abjectum & contemtum.

Sacramẽto ordinis.

XV. Quod Deum & corpus Chriſti non contineat ſub ſe realiter altaris ſacramentum.

De reali præſentia corporis Chriſti in S. cœna.

XVI. Quod ſi hoc eſſet verum, quod in ſacramento altaris eſſet veraciter Chriſtus Deus, diu eſſet devoratus, etiamſi eſſet mons ingens & magnus.

XVII. Quod Chriſtus à mortuis ſurgens volenti eum tangere ait Mariæ Magdalenæ: Noli me tangere: Quia tam humanæ manus ſunt inflictivæ, à modo in ipſas nolo venire. Patet igitur, in ſacramento altaris Chriſtum veraciter non exiſtere.

XVIII. Quod ſacerdotum avaritia totum ſic ſibi ſubſtraverit mundum, ut tam care vendant hominibus panem tantillum, cujusmodi eſt hoſtia: Pro qua ad minus velint habere denarium.

De nummo confeſſionario.

XIX. Quod, ſi Chriſtus ſit veraciter in Sacramento altaris, tunc Juda traditore, qui eundem Chriſtum dedit pro triginta argenteis, ſacerdotes moderni pejores exiſtant: Quia Chriſtum pro uno denario vendunt.

XX. Altaris ſacramentum eſt niſi kuckuc ſacerdotum.

Sacramẽto altaris.

XXI. Quod ad mortalem peccatorum remiſſionem non oporteat, ut quis faciat ſacerdoti confeſſionem.

Confeſſione.

XXII. Qui ſacerdoti confitetur, non plus munditiæ acquirit, quam qui ſui lutoſæ ſe allidit.

XXIII. Quod omnia peccata, quantumcunque interioribus enormia, tollat ſola proprii corporis flagellatio ſpontanea.

XXIV. Quod omnes indulgentiæ ſint penitus nullæ, à quocunque datæ, & cum ſacerdotio reprobatæ.

Indulgẽtiis.

XXV. Quod benedictiones ſacerdotum, & cæteræ ſolennitates Eccleſiæ, ſacramentum matrimonii non extollant & dignificent, ſed magis ipſum deprimant & deturpent.

Benedictione ſacerdotali in matrimonio.

XXVI. Quod magis conferat infirmantium ſaluti, in corpore recenter flagellato mori, quam integrâ olei librâ per ſacerdotem in extrema unctione perfundi.

Unctione extrema.

XXVII. Quod veſtis nuptialis, quæ ſe indutum dignificat ſuperni Regis convivio, eſt cutis recenter vulnerata cum flagello.

XXIIX. Quod poſt inceptam flagellatorum legem, nemo beatitudinem cœli intrarit, niſi quem ſpontanea flagellatio usque ad eruptionem ſanguinis vulneravit.

XXIX.

Digitized by Google

De ſeptē ſacramentis Rom. Eccleſiæ.

XXIX. Quod poſt inchoationem ſectæ flagellatorum nullus more Romanæ Eccleſiæ ſeptem ſacramenta percipere potuerit, qui in ipſorum perceptione mortaliter non peccaret.

XXX. Quod loco prædictorum ſeptem ſacramentorum in iſta ultima lege flagellatorum omni Chriſtiano populo inſtituta ſit ſola proprii corporis in memoriam paſſionis Chriſti ſpontanea flagellatio.

XXXI. Poſtquam flagellatores per mundum primo tranſiverunt, nulli homines paſſioni Chriſti grati & vere Chriſtiani fuerunt, niſi qui in flagellatorum ſecta extiterunt.

XXXII. Quod ſacerdos, & Levita, qui Chriſtum inter Hieruſalem & Hiericho à Judæis vulneratum non compatientes tranſierunt, ſint moderni presbyteri & credentes ipſis populi, paſſionibus Chriſti ingrati.

XXX. Quod Samaritanus, qui eundem Chriſtum vulneratum jumento impoſuit, & duos denarios pro ejusdem cura protulit, ſit ſecta flagellatorum, quæ jam ſola Chriſtum paſſum in humeris propriis portet, & cum denario Dominicæ orationis & obſervantiæ X mandatorum curet debite & honoret.

De Anti-Chriſto

XXXIV. Quod Anti Chriſtus diu regnarit & regnet, & quotidie immineat dies judicii. Quod Elias & Enoch jam in mundo apparuerint, & diu ſint mortui.

XXXV. Quod Anti-Chriſtus, qui diu jam regnarit, ſint Prælati, Presbyteri. Qui omnes Anti-Chriſti ſint, & dicantur, quod ſectam flagellatorum infeſtent & perſequantur.

De Begardo quodā Erfordiæ combuſto.

XXXVI. Quod Elias jam mortuus ſit, qui fuerit quidam Begardus, qui ante XLVIII annos propter hæreſin in Erfordia combuſtus eſt.

De Conrado Smet.

XXXVII. Quod Enoch, qui jam de ſeculo diu migrarit, fuerit Conradus Smet, qui hæreſes ſupradictas primus in Thuringia publicavit.

De Præexiſtentia animarū.

XXXIX. Quod Deus in principio omnium hominum animas ſimul crearit, & cum primo homine in paradiſum collocarit.

XXXIX. Quod quotiescunque fœtus humanus in utero matris animetur, anima de paradiſo per Angelum adducatur, & fœtui inſpiretur.

De Henoch & Elia reverſis.

XL. Quod cum Begardus ſupradictus, & Conradus Smet, etiam præfatus, in maternis viſceribus exiſtentes animari debuerint, Angeli de Paradiſo venientes uni Eliæ alteri Enoch animam infuderint, & ſic Elias unus veraciter extiterit & Enoch realiter alter fuerit.

De extremo judicio.

XLI. Quod in die noviſſimo, non unum, per Chriſtum, ſed ſeptem vel octo per diverſos judices conſtituenda ſint judicia.

XLII. Quod ultimum judicium in die noviſſimo non inſtituturus ſit Chriſtus, ſed Conradus Smet, flagellatorum hæreſiarcha.

De juramentis.

XLIII. Quod, quamvis omnia juramenta, qualitercunque fiant, ſint peccata mortalia: Eligibilius tamen ſit, flagellatores coram Inquiſitoribus jurare, & multa committere perjuria, quam ſe & ſectam prodere: Quod poſſint juramenta & perjuria poſtmodum cum flagello expiare.

De purgatorio. Precibus pro defunctis. Miſſa pro defunctis.

XLIV. Quod poſt hanc vitam non ſit aliquod animarum purgatorium. Quare defunctos non juvent ſuffragia vivorum.

XLV. Quod vigiliæ & exequiæ defunctorum ad nihil aliud valeant, niſi quod ſint aliquale ſolatium vivorum, & quod repleant marſupia clericorum.

Imaginū veneratione.

XLVI. Quod crucem Chriſti, & imagines glorioſæ virginis aliorumque ſanctorum nullus debeat adorare: Quia in ipſorum adoratione committatur idololatria.

De dieb9 feſtis.

XLVII. Quod ſolum omnes dies nativitatis Dominicæ Chriſti, aſſumtionis virginis glorioſæ, ſint celebrandi ſecrete & ſtudioſe.

Jejuniis.

XLVIII. Quod nulla, quæ per ſacerdotes mandantur, obſervanda ſint jejunia, ſed ſolum vigiliæ nativitatis Chriſti, & aſſumtionis virginis glorioſæ, & cujuslibet ſextæ feriæ, in anno venientes.

XLIX. Dies nativitatis Chriſti ſuper die veneris ſi veniat, cum jejunio ſextæ feriæ non diſpenſare.

L. Quod exiſtentes in prædicta nova flagellatorum ſecta ſacerdotes venerentur, & Eccleſiæ ſacramenta percipiant, eorundem mandatis obtemperent, & oblationes & jura ſolvant in jejuniis quatuor temporum, & aliis fidelibus conformentur, & ſanctorum imagines & feſta colant, ſolum propter hoc, ne ab hominibus notentur, & poſtmodum de hoc pœnitentes flagello ſe percutiant.

Ecce poſui hæreſes & errores eorum, de quibus tu queruloſe plura objeciſti, pœnasque eorundem appoſui, ut tu planctus tui atque fletus obliviſcaris.

Sanger-huſani extincti. ſcaris. Neque poſt *præfatorum combuſtionem* per inquiſitionem diligentem alii ſunt inventi prædictis erroribus & hæreſibus maculati.

Unde huic *libro quarto* poſiturus finem, puto, me ad omnia & ſingula tibi regulariter & plenarie reſpondiſſe. *Supr. f. 88.* *Mala* vero, quæ in fine libri tertii epilogo ponebas, *in ſacro Conſtantienſi concilio* penitus abradentur, & medicamina medici conſtituendi adhibebunt, me ſuffragante, qui genus humanum vario deluſum errore ad veritatis viam reducere poſſum, una cum Patre & Spiritu Sancto, æterno & vero ſummoque Deo cuncta regente in ſecula ſeculorum. Amen.

LIBER QVINTUS.

Metuit Eccleſia inanem eventum CONCILII CONSTANTIENSIS, ratione unionis, exemplo irriti CONCILII IN SAVONA inter GREGORIUM XII. & PETRUM DE LUNA: Qui ambo conſenſerint de loco & tempore, irrito eventu. Similia CONCILII PISANI fata deſcribuntur.

METRUM.

Eccleſiæ metus de irrito reformationis in Concilio Conſtantienſi ſucceſſu.

O Mi ſponſe pie, radioſos orbe ſtatutos
Mente regens cœlos, ſis miſerens miſeræ.
Jam clemens ſtatue *rotæ* tandem *ruituræ*
Finem fortunæ, tenera quæ miſeris.
Ceſſit, & eliſa eſt *lux*, quondam ſplendida multis:
Fata dicant triſte, *ſors graviora parat.*
Plango jam miſera, vilis fleo, fontibus uſtæ
Nullus adeſt Notus: Omnis amicus abeſt.
Experior, ſorte ſolum felice fruenti
Plaudere fata, Deos, aſtra viasque hominum.
Altera ſum *Megæra* merens, quæ crine ſoluto
Nobilis Alcidis anxia flevit iter.
Heu, tellure jacens eſt mœſtus *Job* ſociatus:
Mœſta, ſed exhauſta ſpe, nece cocta feror.
Facta priora monent, me non cito credere poſſe.
Hinc ſequor, & promo, quæ ſit mihi *cauſa doloris.*

PROSA LIBRI QUINTI.

DISTINCTIO I.

Auguratur Eccleſia, pacem ac reformationem Eccleſiæ in Concilio Conſtantienſi vix ex voto ſucceſſuram. De Gregorii XII. electione diſſeritur.

Reformatio in Concilio expectata.

Spes ſæpe fallitur.

EA omnia ac ſingula, quæ in præcedenti libro ad mei conſolationem aptiſsime pronunciaſti, gratanter ſuſcipio, ſperans, quæ ſic propoſuiſti, affutura: ut videlicet in *Conſtantienſi Concilio* rupta & diſciſſa *reformentur*. Et de *hæreticorum* pœna *igne crematorum* me lætari multum, noſſe debes.

Timeo tamen, *hæc bona* tua nuncia *non eventura*: Cum argumentis ac rationibus id probare velim, veritatis teſtimonio roboratis. Noſti enim, novitque mundus univerſus, quanta diligentia filii mei pro hac, quam exopto, unione laboraverint dudum, & nihil effecerint in effectu, & præſertim poſt obitum felicis recordationis *Innocentii Papæ VII.*

Fata anni 1406.

Conventio Cardinalium in electione Papæ, ante Conc. Conſt.

Tunc namque *anno* à nativitate tua, ô mi ſponſe amantiſſime, *MCCCCVI. Indictione XIV. die Martis, XXIII die menſis Novembris, in die ſancti Clementis*, Apoſtolica *ſede* paſtore *vacante*, congregati, & ad invicem collegialiter adunati, pro futura ſummi Pontificis electione celebranda, Reverendiſſimi in Chriſto Patres & Domini, Domini *Angelus Hoſtienſis Florentinus*, *Henricus Tuſculanus Neapolitanus*, *Antonius Peneſtrinus Aquilegenſis*, *Epiſcopi*: *Angelus tituli ſancti Marci Conſtantienſis*, *Jordanus tituli ſancti Martini in montibus de Urſinis*, *Johannes tituli ſanctæ crucis in Hieruſalem Ravennacenſis*, cum cæteris filiis meis *Cardinalibus*, in communi Capella ſacri palatii Apoſtolici *Romæ* apud ſanctum Petrum convenerunt: Tibi Deo atque tuæ benedictæ matri, virgini glorioſæ Mariæ, ac ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, totique cœleſti curiæ *juraverunt*: Et ad invicem unus alteri, & è contra, ſolenniter ſe obligando *promiſerunt*, quod ſi quis eorum ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumtus eſſet, *pro integratione unitatis Chriſtianorum renunciaret effectualiter juri ſuo & papatui, pure, libere & ſimpliciter, ſi & quando Antipapa, qui eſſet, & pro tempore foret, renunciaret, & cederet prætenſo juri ſuo & papatui*, ſive decederet, dummodo AntiCardinales effectualiter vellent cum eiſdem Dominis de ſacro Collegio ſic & ſic convenire, ut ex utroque collegio ſequeretur juſta, canonica electio unici ſummi Romani Pontificis: Et qui ſic electus foret in ſummum Pontificem, infra tres menſes à die inthroniſationis ſuæ mitteret ſolennes oratores ad ipſum Antipapam pro unico ſummo eligendo Papa, & deputarentur locus & tempus, ubi & quando convenire deberent pro hoc periculoſo ſchiſmate extirpando.

Juramentum Cardinalium ante Conc. Conſt.

Reſignatio Papatus promiſſa à Papa recens electo

Electio Gregorii XII. Papæ ante Conc. Conſtant.

Juramentum ejus.

Hinc anno, quo ſupra, menſis prædicti die XXX. electus fuit à Dominis Cardinalibus unanimiter & concorditer in ſummum Pontificem Dominus *Angelus tituli ſancti Marci, presbyter Cardinalis*, dictus *Gregorius XII.* Qui eodem die immediate poſt electionem *idem votum, ſacramentum, & promiſsionem fecit*, prout in inſtrumento deſuper confecto plenarie continetur: Et ſe ipſum manu propria ſubſcripſit, omnia ſe firmiter impleturum effectualiter, omnia, quæ pro ſanctæ unionis modo & via fieri poſſent, prout *in ſolenni conventione* prius ipſe cum aliis voverat & juraverat.

DISTINCTIO II.

Epiſtola Gregorii XII. ad Petrum de Luna ſeu Benedictum XIII. de unione ſancienda.

GRegorius igitur electus, volens ſuis ſatisfacere voto & juramento, tanquam vigilans cuſtos gregis ſibi commiſſi, *Petro de Luna*, qui ſe usque in diem hodiernum pro Papa gerit, ſcripſit in hunc modum:

GREGORIUS, Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, PETRO de LUNA, quem nonnullæ gentes in hoc miſerabili ſchismate Benedictum XIII. appellant, pacis & unionis affectum. Qui ſe humiliat, inquit veritas, exaltabitur, & qui ſe exaltat, humiliabitur. Cujus ſaluberrimam monitionem, quando nobis ex alto promittitur, obedienter ſecuti, decernimus per literas noſtras, omni contentione ſepoſita, benigne te affari, & ad redintegrationem Eccleſiæ cohortari, imo te invitare ad id conſilium capeſſendum, quod nos ipſi pro pace Chriſtianorum accepimus. Vides, quanta mala, quanta pericula, quanta incommoda, quanta denique Chriſtianæ religionis infamia jam per XXX. annos ex hac peſtilenti & nefaria ſeditione in populo Dei provenerint, quantaque niſi provideatur, ſint quotidie proventura.

Gregorius invitat Benedictũ ad unionem.

Et infra: *Non videtur ſemper de ſummo jure diſputandum, ſæpe rigor ipſi utilitati & tempori cedit. Nam ſi mulier illa & juri ſuo renunciare, & proprio ſe filio ſpoliare voluit, ne ſectionem unius pueri videret: Quanto magis nobis, ſi malitia operante ad optatam unionem venire non poſſumus per juſtitiæ vias, pie cedendum videtur. Quare exurgamus ambo, in unum unionis affectum concurramus, feramus ſalutem Eccleſiæ jam hoc diuturno morbo afflictæ. Ad hoc te hortamur, ad hoc te invitamus, paratique ſumus & offerimus, noſtro veriſſimo juri & papatui cedere & renunciare. Et efficaciter faciemus, ſi, & quando tu renunciaveris & ceſſeris pretenſo juri & papatui tuo vel deceſſeris: Vel quicunque ſucceſſor tuus renunciaverit & ceſſerit prætenſo juri & papatui ſuo, vel deceſſerit. Dummodo illi, qui apud partem tuam pro Cardinalibus ſe gerunt, ſic convenire & concordare cum venerabilibus fratribus noſtris, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, velint cum effectu; Ut exinde canonica unici Romani Pontificis ſequatur electio. Itaque ut prædicta expeditiorem conſequantur effectum, celeriter mittemus oratores noſtros, qui de loco habili & decenti ad hujus rei executionem diſponant. Et inſuper pendente hujuſmodi unionis contractu non faciemus nec creabimus aliquem Cardinalem, niſi forte cauſa coæquandi numerum fratrum noſtrorum cum numero illorum, qui apud te pro Cardinalibus ſe gerunt, ut ſic pares ex utraque parte ad ſolennem & canonicam electionem unici Romani Pontificis poſſit deveniri. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, XI die Menſis decembris, Anno à nativitate Domini MCCCCVI.*

Omnes Papatu cedere ſuadet Gregorius Papa ante Concil. Conſt.

Conditionata reſignatio Papatus.

DISTINCTIO III.

Literæ Gregorii XII. ad Rupertum Romanorum Regem, & ad Cardinales Benedicti XIII. de unione.

IDem etiam *Gregorius* magis inſtans, non modo *Petro de Luna* Anti papæ, ſed & *Regi Romanorum* atque *anti Cardinalibus* ſuam inſinuavit intentionem, qua ad ſanctam anhelat unionem, ita ſcribens:

GREGORIUS &c. *cariſſimo in Chriſto filio RUPERTO, Regi Romanorum illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Eo celerius* &c. & ſic finit: *Oratores noſtros celeriter miſſuri ſumus, qui de loco idoneo & decenti cum eiſdem diſponant ad hujuſmodi unionem faciendam. His igitur cognitis de pace atque unitate Eccleſiæ bonam ſpem ſuſcipere tua Serenitas debet. Nam profecto confidimus, tempus adveniſſe, in quo anxia Chriſtianorum implebuntur vota.*

Gregorii XII. ſollicitudo pro eligendo uno Papa.

Amplius hortaturus *antiCardinales* ad eradicandũ iſtud nefandiſſimum ſchisma, & ingerendam ſanctam unionem ita ſcripſit *Gregorius*:

Ut vobis omnibus pateat: &c. Et infra: *Obſecramus itaq; vos atque obteſtamur per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti, quatenus in Deum oculos erigentes, & ad calamitatem, ob ipſum ſchisma afflictæ Chriſtianitatis, piis affectibus reſpectantes, velitis exurgere, omnemque conatum cum eodem veſtro Domino, ac reliquis quos hoc tangit negotium, excitare, ut tam deſiderabile cunctis Chriſticolis bonum unionis hujuſmodi ſubſequatur.*

Deſiderium pacis.

Ex quibus luce clarius apparet, quantam diligentiam huic ſanctiſſimo filio tuo inſuderis, ut tam fideliter omnes

Affectus autoris in Gregoriū. omnes ſibi contrarios in *ſanctæ unionis reformationem* evocaverit, ut te præ oculis habentes mei miſereantur tanto tempore deſolatæ, tamque diu nimis afflictæ. Ut & ipſe *verus* fuerit *Gideon*, qui filios Iſrael de manu ſuorum eripuit æmulorum.

Bonum certiſſime fuerat *principium*, bona exhortatio ejus, ut & diu rebellantes incitaverit ad *ſanctæ unitatis bonum* penitus & plenarie perficiendum. Quo & tu laudaris, & ego ipſa in priſtinam reſtituor unitatem.

Distinctio IV.
Epiſtola Benedicti XIII. ad Paulum de Urſinis, *de unione ſarcienda.*

Viſus uterq; Pontifex quærere pacē. NEc fuere ſcripta tanti Patris inania, neque alterius, qui ſe *Benedictum* nominat, vacua conſcientia. Uterque namque ad præfatum *unionis bonum* ſingulariter aſpirat.

Videris namque gratiam tuam divinitus effuſam his tribuiſſe: Cum & ipſe [illegible] ejusdem fuerit propoſiti ſancti. Quod manifeſte claret ex epiſtola, quam *Paulo de Urſinis* miſerat, cujus tenor ſequitur in hæc verba: *BENEDICTUS, Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio, nobili viro, PAULO de URSINIS, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* *Benedict9 XIII. pacis ſtudiū ſimulat.* *Ad noſtrum auditum fama publica divulgante pervenit, intruſum in ſede Romana eſſe ab hac luce ſubtractum. Verum cum ad eradicandum profugandumque occurrentis ſchiſmatis & ſeneſcentis erroris perniciem & procurandum Eccleſiaſticam unitatem, illo teſte, qui nihil ignorat, noſtra aſpiraverit & aſpiret intentio; Pro tanto nobilitatem tuam, quam ad tanti proſecutionem negotii affectam novimus, rogamus, & hortamur, per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti, quatenus apud illos, qui ſub nomine Cardinalium præfato intruſo, dum viveret, adhærebant, cum nunc ſit acceptabile tempus, & opportunitas ſit prompta ad pacem Eccleſiæ autore Domino conſequendam, velis efficaciter interponere partes tuas, agasque indirecte exhortationibus opportunis, ut ad ſedationem hujus horrendi ſchiſmatis velint totis pro viribus* *Fucus Benedicti.* *intendere: Nos enim, ulterioribus non parcentes laboribus aut impenſis, parati ſumus in loco decenti & idoneo, ac utrique ſecuro, cum eis, ſublato moræ diſpendio, convenire, & dare operam talem, ut totus mundus cognoſcat, quod per nos non ſtabit, quando vera unio in Dei Eccleſia habeatur: Et præſtolamur in nobis miſericordiam Redemtoris, ut, ipſo dirigente, qui novit, & præſtante, qui poteſt, nobis & prædictis in unum convenientibus, finis huic deflendo ſchiſmati imponatur, & Chriſtianus populus pacem diu deſideratam effectualiter aſſequatur. Velis igitur, quæſumus, cum præfatis, modis tibi poſſibilibus, procurare, ut ipſi nobiſcum, ut præfertur, pro tanto bono conveniant, & ad conſtituendum alium loco defuncti non procedatur, ſed a tali actu abſtineant. Talis enim conſtitutio ſchiſma amplius concitaret, radicaret, & vias difficiliores redderet ad aſſequendam Eccleſiæ unitatem.* *Calliditas Benedicti.* *Nos enim pro feliciori hujusmodi proſecutione negotii nuncios noſtros ad partes illas breviter deſtinare proponimus, plenis inſtructionibus eruditos. Hujusmodi autem directionem negotii velis quæſumus ſuſcipere commendatiſſimam, recepturus ex hoc laudem grandem hominum, & immenſum meritum apud Dominum. Datum Tholoni VIII. Cal. Decembr. Pontificatus noſtri anno XIII.*

Et ſimili modo ſcripſit *rectoribus almæ urbis, quæ totius univerſi noſcitur eſſe caput.*

Distinctio V.
Epiſtola reſponſoria Benedicti XIII. ad Gregorium XII. *pro reparanda unione.*

Affectus autoris in Benedictum. PRoceſſit vir ille, *Petrus* videlicet *de Luna*, ut extolleret nomen ſuum, & laudabile illud faceret coram populo univerſæ terræ, reſcribens epiſtolam præfato venerabili viro *Gregorio*. In qua primo gratias agit tibi, quod tua ineffabili clementia, quando venit temporis plenitudo, noſtræ

noſtræ humanitatis indumento conte- ctus diverſos in tuæ nativitatis exordio parietes copulaſti, virumque huic flagitioſo dediſti mundo, qui tota animi intentione, omnibusque viribus ad hoc anhelat, ut *pax Eccleſiæ atque unitas reformetur.*

Pro cujus unione, refert, ſe duobus prædeceſſoribus ſuis ſcripſiſſe. Et, quod diſplicenter eructat, quanquam ipſe ſemper paratus extiterit, nullum tamen ab eis reſponſum congruum, nec verbum potuerit habere effectivum. Unde in plenum aſſurgens gaudium ita ad prædictum venerandum virum ſcribit:

Gloriatio Benedicti.

O te felicem, ſi ad hoc te Dominus reſervavit, ſi facultatem ad ea, quæ tibi data videtur, cum omni diligentia efficaciter proſequens, nobis in affectu proſequendæ unionis te reddendo conformem, prout ſpopondiſti, de contingentibus nil omittas. Ad hoc enim te piis exhortationibus invitamus, ad hoc nos promtos reperies, hoc videre ſummopere cupimus, ad hoc noſtra proſpiravit, & proſpirat intentio, noſter intendit & attendit affectus, ut Deo dirigente, qui novit, & præſtante, qui poteſt, per noſtræ humanitatis miniſterium unio in Dei Eccleſia deſiderata ſequatur.

Simulatio Benedicti.

Secundo principaliter inſinuat, ſe nunquam reſiliiſſe à præfato *ſancto propoſito*, quin omnibus modis & via, quibus potuerit, periculoſi & horrendi ſchiſmatis optaverit & optet expulſionem, & erga alios, quos negotium tangebat, cum debita ſolicitudine ſit omnino proſecutus. Nec per ipſum unquam ſtetiſſe aut ſtaturum, quin, quantum in eo fuerit, ad præſentis ſchiſmatis anhelaverit extirpationem, & unionis aſſecutionem. Ad cujus rei evidentiam ſic, ut jam ſequitur, ipſe inferendo ait:

Ut igitur de intentione noſtra, quam habuimus & habemus ad hujus deflendi ſchismatis extirpationem, & unionis aſſecutionem, te certiorem reddamus, ſibi præſentium tenore ſignificamus, & offerimus, quod, ut tam præoptatum unionis negotium celerius & ſecurius valeat executioni mandari, parati ſimus una cum collegio venerabilium fratrum noſtrorum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, in loco ſecuro, decenti & idoneo, tecum aut cum quocunque ſucceſſore tuo, cum tuis, qui pro Cardinalibus ſe gerunt, aut gerent, perſonaliter convenire pro unione Eccleſiæ tractanda, & favente Domino obtinenda: Ibique proviſe & ordinate de his, quæ pro ſecuritate & acceleratione unionis prædicta erunt oportuna ac neceſſario diſponenda, parati ſumus pro pace & ſalute animarum, ac unione & redintegratione Chriſtianorum, in dicta conventione perſonaliter noſtro veriſſimo juri, & papatui, pure, libere & ſimpliciter cedere & renunciare. Et efficaciter faciemus, ſi tu ibidem ſimiliter renunciabis & cedes prætenſis juri tuo & papatui, vel decedes, vel quicunque ſucceſſor tuus conſimiliter renunciabit & cedet prætenſis, juri ſuo & papatui, vel decedet: Dummodo tu, vel quicunque ſucceſſor tuus, & illi, qui apud partem tuam pro Cardinalibus ſe gerunt aut gerent, ſic, ut præfertur, volueritis & voluerint cum effectu convenire & concordare nobiſcum & cum venerabilibus fratribus noſtris, ut exinde canonica unici Romani Pontificis ſequatur electio & unio Eccleſiæ ſanctæ Dei.

Benedict. invitat Gregoriũ ad reſignationẽ Papatus.

Sic igitur ex prædictis patule cognoſcitur, quantis laboribus, quantisve niſibus prænominatus *Petrus de Luna* ad unionem meam anhelaverit affectu, & quantum in eo fuerit pariter & effectu.

Distinctio VI.

Epiſtola Petri de Luna ad Cardinales Gregorii; Et Cardinalium Petri de Luna ad Cardinales Gregorii, de unione redintegranda.

Hic etiam vir contentus non erat epiſtolâ Gregorio miſſâ, ſed etiam ipſe, ut intentionem ſuam publicaret, ſcripſit *Cardinalibus Gregorii*, exhortans eos ad præfatam unionem effectualiter perficiendam. Tenor igitur ſequitur ſub hac forma:

BENEDICTUS &c. univerſis, qui in hoc pernitioſo ſchismate ANGELO CO-

CORARIO, qui ſe GREGORIUM appellat, tanquam Cardinales adhærent, pacis & veræ unionis affectum pariter & effectum. Nuper &c. Et infra: *Unde vos requirimus, & exhortamur per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti, quatenus in hujuſmodi propoſito firmiter perſiſtatis, quæ de labiis veſtris proceſſerunt, in irritum non veniant, ſed opem feratis ad actum. Sicq; velitis partes veſtras apponere efficaces, nihil, prout ſpopondiſtis, de contingentibus omittendo. Ut præoptatum unionis negotium ulterioris dilationis detrimenta non ſentiat, ſed Deo præſtante, cujus cauſa tractatur, ad finem deſideratum valeat breviter & feliciter pervenire. Nam quantum ad nos ſpectare dignoſcitur, ad ejus accelerationem volumus & optamus reſumta omni diligentia procedere, cum nobis poſt æternam ſalutem nil fuerit vel ſit deſiderabilius in hac vita.*

Benedicto urget pacem.

Illi etiam, qui ſe pro Cardinalibus *Petri* ejuſdem tenent, Cardinalibus *Gregorii* notabilem miſerunt epiſtolam *pro unione ſancta* cito adimplenda. Cujus ſententia ſcripta fuit ſub hac forma:

Miſeratione divina Epiſcopi, Presbyteri, ac Diaconi ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ CARDINALES univerſis & ſingulis pro CARDINALIBUS ANGELI CORARIO, quem nonnulli in hoc miſerabili ſchiſmate Gregorium nominant, ſe gerentibus, Spiritum cogitandi, quæ ſunt unitatis & pacis, & illa propitius exequendi. Vobis notum facimus &c. Et infra: *Intellectisque ipſarum literarum tenoribus fuimus ultra, quam dicere valemus, in Domino conſolati &c.* Et magis infra: *Ad nil aliud vacamus, & vacare intendimus toto conamine, & ſummis præcordiis, quam ut quantocius in unum conveniamus locum. Ut, quod, paraclito inſpirante, pariter mente concepimus, impleamus operibus. Nam ſecundum veſtrum maximum oratorem pluris eſt conſiderate agere, quam conſiderare prudenter. Amputemus igitur pro Dei miſericordia omnem moram, quæ in magnis negotiis ſummi ſolet eſſe periculi, & malos conſuevit producere exitus. Spiritus ſanctus vos conſtanter perſeverare faciat in opere cœpto. Amen. Datum Marſil. anno Domini MCCCCVII.*

Pluris eſt conſiderate agere, quam conſiderare prudenter.

Ex his igitur omnibus clariſſime lucet, quantis conatibus, quantisve niſibus parte ex utraque pro ſancta tua *unione* ſit laboratum, quantum ad affectum. De effectu vero in ſequentibus nunc narrabo.

DISTINCTIO VII.

De Conſtituta Synodo Gregorii XII. & Benedicti XIII. in urbe Savona.

Deque Gregorii XII. excuſatione aut tergiverſatione.

OMnia, quæ in corde meo habeo, tibi propalavi, neque aliquid tibi, o mi amantiſſime ſponſe, abſcondere poſſum, cui cuncta ſecreti mei ſcrinia aperio.

Hinc factum novi, poſt tot ſcripturarum plurium manifeſta documenta, Iſtos, de quibus præfatus ſum, viros venerabiles *concordiam* iniiſſe, plene quoq; *conveniſſe de loco & tempore*, in quibus omni ambiguitate ſemota in *Savona* in feſto ſancti Michaelis Archangeli perſonaliter cum ſuis collegiis deberent ſe præſentare, acceſſuri ad tam ſolenne *unionis* meæ *opus*, & operam efficacem, ut extirparetur hoc penitus flagitioſum & horrendum, omnibus ſeculis infame ſchiſma.

Conſenſus Pontificum de colloquio in urbe Savona.

Enim verò ſi *Pontifex Romanus* in feſto prædicto commode adeſſe nequiret, *dilationis tempus* ſtatutum fuerat, ut in feſto ſanctorum omnium nullo fractus impedimento, nullave tractus morula, ſe nullatenus abſentaret.

Dilatio indulta.

Sed præfatus GREGORIUS, ſe de hoc, poſtmodum factus impotens, excuſavit, ſcribens PETRO de LUNA: *Cupientes ab intimis noſtris præcordiis, ut peſtiferum hoc ſchiſma in Dei Eccleſia protinus extirpetur &c.* Et inferius: *Ut poſſemus præfixo in tempore, in loco decreto convenire, diligentiam adhibuimus, ut galeas fidas habere poſſemus. Sed quum huc usq; poſſibilitas nobis hujuſmodi galeas habendi nullatenus data ſit, nec ſpes certa ſit, non ſolum octo, ſed nec ſex galeas conſequendi, niſi facultas alia, quam totis effectibus exoptamus, nobis in futurum adveniat, non concernimus præfixo in tempore venire poſſe, de quo ab intimis anxiamur. Quæ jam notificare decernimus, ut hujuſmodi, de qua dolemus,*

Tergiverſatio Gregorii.

lemus, noſtra impotentia nota fiat, daturi pro viribus operam, quantum divinitus ipſa conceſſerit, ut quamprimum facultas affuerit, ad conſummationem extirpationis ſchiſmatis, & conſecutionis unionis hujusmodi veniamus. Et cum paratam oportunitatem videbimus, curabimus celeriter reſerare. Si verò interim, quousque ipſarum galearum poſſit haberi commoditas, pro celeriori expeditione conſummationis deſiderabilis boni unionis præfatæ, reſpectu multiplicium mediorum, quæ appoſita noſcuntur tam gravia in conventionibus ipſis, pro reddendo locum Savonæ ſecurum, ut locus non ſolum incommodus & valde gravis, inhabilis & indecens reddatur: In aliquo alio loco, utrique noſtrum accommodo, convenire nobis ex multis reſpectibus, maximè pro conſervatione ſtatus præfatæ Eccleſiæ, in temporalibus potiſſimè, cum in maximo periculo & amiſſione fore noſcitur, quod te latere non credimus, ſaluberrimum videretur. Super quo placeat celeriter reſpondere, ut ſalutaris utriusque proviſio impendatur. Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, III. Idus Julii, Pontificatus noſtri anno primo.

Excuſatio Gregorii

Colloquiũ fugientis.

DISTINCTIO IIX.

Epiſtola Benedicti XIII. ad Gregorium XII. qua ob tergiverſationem Gregorium corripit.

Affectus autoris in Benedictum.

His verbis, ſive ſcriptis permotus *Petrus de Luna*, ſive fraude, ſive dolo, ſive prudentia, ſive aſtutia, ſive Dei timore, ſive hominum laude ſtimulatus, reſcripſit in hunc modum:

BENEDICTUS &c. ANGELO CORARIO &c. Literas tuas ſub eodem tenore recepimus iteratas. Quarum tenore perlecto mirari cogimur, nec facile credere poſſumus, te, ſicut ex literis hujusmodi innuitur, ad concordiam inter nos & venerabiles fratres noſtros, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ex una, & nuncios tuos habentes à te & tuo prætenſo collegio poteſtatem parte ex altera, ſolenniter firmatis & fere per totum orbem divulgatis, velle prætenſis rationibus reſilire, & cauſam Dei, ubi de ſalute agitur tot haſitantium animarum, quæ non admittit ſine diſpendio tarditatem, ſub dubiæ dilationis ambiguo dimittere ſic ſuſpenſam. Noſti enim, & nos experientia ſæpe probavimus, quod res arduæ, maximè hoc nebuloſo tempore, quo proh dolor multorum charitas refrigeſcit, non poſſint ſine perplexitatum & laborum diſpendiis optato fine concludi. Non eſt tamen noſtræ credulitatis, quod Chriſtus Dominus Eccleſiam ſponſam ſuam amittat, ſpe optatæ concluſionis non adepta, ſub tali labyrintho diutius evagari. Sed tandem felici arbitratu videtur, quod eam in ſtatum eriget meliorem. Et ſi cuncta in arduis non ad vota ſuccedunt, à bono tamen propoſito non eſt faciliter deſiſtendum. Nos jam circa conventa hujusmodi expenſas & labores non modicos adhibuimus. Quod ſi facultas non adeſſet cum galeis ſex, ſaltem cum quatuor, aut duabus etiam, ſi tu octo haberes, ad locum decretum fiducialiter pergeremus. Hortamur ergo te per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quatenus, conſideratis, quæ decet ſuper tanto negotio in ſtatera æquitatis appendere, reſumtis viribus, de Dei gratia ſpe concepta, in recta intentione, quam gerimus ipſo teſte, hanc pacem, in decretis loco & terra, pro complemento eorum, quæ concordata ſunt, velis infallibiliter convenire, & dare operam quantum ad te ſpectare dignoſcitur ad agenda. Nos autem non ſine laboribus & expenſis permaximis, ut præmittitur, diſpoſiti, quæ neceſſaria incumbebant, Domino concedente ad alia reſtantia exequenda fiducialiter properamus, omnia ponentes ante oculos judicis cuncta cernentis. Cujus clementiam humiliter imploramus, ut greſſus illorum in viam ſalutis & pacis dirigat, qui in tam neceſſario negotio recte ſecundum eum incedunt, & cauſam ipſius ſinceriter proſequuntur.

Benedictus reprehendit Gregorium tergiverſantem.

Dilatio dubia.

Bono conſtanter inſiſtendum.

Admonitio gravis.

Sic reſcripſit *Petrus de Luna* venerabili viro *Gregorio*. Ubi præfatus *Petrus* ſe totum juſtum & rectum cernitur oſtendere, ſeque excuſatum exhibet, & pronunciat, ſine culpa ſua hoc peſtiferum ſchisma me ſponſam tuam tam horribiliter maculare. Apparet etiam hic egregius vir, Dominus *Gregorius*, incuſari tanquam ſchismatis fautor & fotor, dum de his ſe excuſat tanquam impotentem ad præfatum locum veniendi.

Ob

Inanis pacis quæſitæ eventus.

Ob cujus impotentiam prædictum execrabile ſchisma vires recepit perdurandi, quod usque in diem hodiernum, [qui eſt annus à nativitate tua M CCCCVIII.] in pleniſſimo proh dolor, ſtat vigore.

DISTINCTIO IX.

Metuitur de Concilio Conſtantienſi, ut quid in eo fiat aut concludatur. de unione ac reformatione.

Benedict9 & Gregorius ad Conciliũ Conſt. non venerunt.

EX his breviter lacrymis vultu ſuffuſis horreo, *præfatos viros* cum cœtu fidelium ad *Concil. Conſtantienſe non acceſſuros.* Cujus *aditus impoſſibilior* apparet, tum ex loci parte, tum ex parte perſonarum conventurarum, & viæ diſtantia, quàm locus ille, qui fuit illis duobus viris cum eorum adhærentibus deſignatus.

Colloquiũ Savonenſe diſſipatum.

Retractum eſt igitur ſanctum propoſitum, & cauſa mea manet ſuſpenſa. Et ubi de animarum ſalute deberet tractari, pes laſſus & fatigatus eſt, antequam arriperetur iter. Tota diligentia ſolo tenus proſtrata. Quis putaſſet, *tantos viros*, tam ferventer ad ſanctam animatos unionem, *pedem retraxiſſe*, qui viribus ex totis cordatiſſimi facti illam optaverant? Sed dum tam ignito hanc proſequebantur ingenio, *obtuſum* eſt *inſipiens cor eorum*, & facti ſunt *fabula mundi totius*, diem usque in hodiernum. O deflenda ſanctæ unionis inſignis contumacia! O deploranda magnanimorum Principum & magnatum pervicax deſidia! O lamentanda mei ipſius inexplebilis vorago, pelagusque teterrimum! Quis me univerſo ludibrium fecit, & improperium exprobrantium, ut veraciter Mahometi, Saracenorum atq; Judæorum opprobrium reipſa & nomine ſim impudenter effecta? Initiata ſunt principia pacis, clariora per orbem prædicata. Sed deſtiterunt & defecerunt, famoſioribus finibus, imo turpiſſimis, rem tam ſanctam, tam ſalubrem, tamque perutilem terminantes. Quis eſt homo non intelligens, non conſiderans, tam præcellens negotium, tam periculoſo termino clauſum, pleriſque conviciis, contumeliis & opprobriis exprobrari? Cujus initii finis præoptabilis, ab omni ſanctorum ac prudentum expectabatur collegio virorum.

Reprehenduntur Papæ ob neglectam pacem.

Unsri duo iſti Pontifices non potuerunt ante Concil. Conſt.

Spes pacis inanis.

Clamabant magni, *pax erit in terra noſtra*; Clamabant parvi, *redivivo flore gramina virent*; Clamabant mediocres, deſiderandus absque dubio affectus, adveniet unionis effectus. Sed proh pudor, tot elevata in gaudiorum tumulos ſancta præcordia repulſam ſunt perpeſſa.

Metus publicus de Concilio Conſtantienſi antequã inchoaretur.

Reſtat igitur nil aliud, quam de futuro, de quo fingitur, *Conſtantienſi Concilio* verba atque dicta ſepellere, rumores dirumpere, & famam, ne evolet per aëra, diffringere, ne tantam remiterum *fruſtratus* ſequatur *finis*, & rumor noviſſimus pejor fiat priore. Silendum igitur præ omnibus præcipio, ora claudere mando, linguamq; ne in verba prorumpat, ſuſpendi jubeo, ne ipſa, quæ quondam, o mi Rex, tui ſponſa fui unica & legitima, tanquam ſynagoga videar repellenda. Sed neque hac ſuffulta fortiſſima *ratione* ſilebo: Ad *aliam* illico procedo fortiorem.

DISTINCTIO X.

De infauſto Concilii Piſani exitu, in quo pro uno Papa conſtituendo tria emerſere capita.

UTinam ſilere valerem, quæ præ triſtitia locutura lacrymas inſatiabiliter effundere cogor, præcordiorum viſcerumque meorum inexplicabiles dolores continere nequiens. Unde amaritudines. Quas utique, ſi valerem, explicarem, tam flebiliter tamque amaricate ipſas ſuſtineo. Enimvero linguæ deficiunt & hominum & Angelorum, totius vitæ meæ ærumnoſas exprimere triſtitias, quæ tota ſpe deſolata jaceo, turbata nimis. Et per-

Digitized by Google

perpendere viribus ex omnibus nequeo, quomodo tantas valeam evadere pœnas, quarum terminum ſola ipſa mors ponet, aut ſeculi hujus lacrymandus & deſideratus mihi finis.

Nam quo plus expectationi inhæreo, tanto magis *expectatione deficio*, & quo plura ſolatiorum ſpeique evomuntur eloquia, tanto plus *ab optato receditur fine.* Cumq; jamjam certus exponatur & figatur omnis amaritudinis exitus, infigitur totius turpitudinis ingreſſus. Eheu, quid referam miſera, quid faciam caliginoſa nubecula, quis deducet me, ut ſolis radios non videam, quis quondam mihi dies vitæ meæ optabiles nunc vero lacrymoſos, quacunq; etiam morte obnoxios auferet, ne vel nefandis nefandiora cernam, triſtibus triſtiora adjectura?

Concilii Piſani deſcriptio.

Congregavere filii mei congregationem, neſcio, cum *Dathan & Abyran*, vel *Moſe & Aaron, in civitate Piſana*, cum cujus vel quorum neſcio conſenſu Regis vel Imperatoris, aut Papæ aut Principum. Itaque omne concilium ſummi Apoſtolici placito, neque ſine ejus velle debet convocari.

Gregorio in Concilio Piſano non extitit.

Certiſſimum tamen eſt, *in eodem Piſano Concilio Papam Gregorium*, qui tunc currente tempore orbem quaſi per univerſum, Petri de Luna demta parte, paſtor colebatur univerſalis, *non extitiſſe.*

Gregorius in Concilio Piſano remotus.

Cui à Cardinalibus fuit ſubtracta obedientia, tanquam ſchismatis nutritori, die XI Menſis Maji, anno à nativitate tua MCCCCVIII. Omnesque ipſi adhærentes tanquam ſchisma foventes pronunciavere mulctandos.

Alexander V. in Concilio Piſano electus.

Et ibi electus fuit *Petrus de Candia, ordinis Minorum*, & vocatus eſt *Alexander Quintus.* Hæc ita facta, orbis teſtatur Romanus.

Diſſidia per Concilium Piſanum aucta.

Ecce, qualis *unio*! Imo vide, qualis nova *diviſio.* Eſt certe ſciſſura execrabilis. Unum paſtorem ſummum, ut unica eſſet cauſa tua, efficere voluerunt, & facti ſunt tres. *Bivira* fueram, & *triviram* me fecerunt. O filii prudentes, quomodo plures patres procreaſtis? Cujus vel quorum deſide culpa, ſat ignoro. Me præ omnibus matrem novi infelicem! Quicquid de his perſtiterit, qui ſe forſan felicia putavere mancipia. Sed non beatos filios æſtimo, quos infelix finis miſeros clamat natos.

Fata Anni 1414.

Metus publicus illius temporis de Concil. Conſt.

Et adhuc *anno præſenti*, qui currit infeliciter, qui eſt *annus MCCCCXIV.* doloroſo atque timoroſo corde præſtolor, metuens, *ſchisma* hoc *inveteratum non poſſe extirpari.* Rumores igitur, qui de *Conſtantienſi* currunt *Concilio*, opprimendos conſulo, juxta illud Poetæ, qui adjicit cauſam talia ſilendi:

Rumores fuge, ne incipias novus autor haberi.

Et idem:

Nam miranda canunt, ſed non credenda Poëtæ.

Tres illo tempore Papæ.

Concilii Piſani eventus.

Noſti enim, *Petrum de Luna* ſe pro Papa gerere, ſimiliter *Gregorium*, ſimulque *Johannem XXIII*: E quibus non duo ſufficerent, ſed ſuperabundarent. Sicq; ex totius mundi prudentia atque ſapientia virorum, qui unum caput facere voluerunt, tres Papas effecerunt.

Concilii Conſt. periculum.

Et verendum nimis, *ne*, ſi *Conſtantienſe Concilium* effectum cœperit, *quatuor ibi formentur.* Ut de tam flebili caſu meo etiam in poſterum non modo homines, ſed & elementa, imo cœli cum ſuis ſideribus lugeant & triſtentur.

Unde ego jam anxiata ſpiritu, quid dicere boni ſati valeam, ignoro. *Tacere reputo melius.* Tamen, ſi aliqua reſpondere, aut proponere volueris, usque in ſequentem ſextum reſervato librum.

LIBER

LIBER SEXTUS.

De arduis rebus in Concilio Conſtantienſis geſtis.

METRUM.

Ut Chriſto Reformationem in Concilio Conſtantienſi promittenti habeatur fides, Veracibus credendum eſſe cantatur.

ALloquio dulci loquor, o dulciſſima ſponſa:
Ad te verba feram, capias ea, ſponſa, precor te.
Nec grave pondus erit, nec erit tibi ſarcina grandis,
Ut mea dicta notes, quæ triſtia corda reformant.
Multi mendaces, fallaces ſunt & iniqui:
Veraces multi, juſti ſimul atque beati.
His manet intacta, fluit ipſa *fides* aliunde.
Diſcute, cui credas, puero non, nec mulieri.
Quem perfudit adeps hæreſis, vitare memento.
Prona fides populis, *nec te cito credere malo.*
Quam credas tarde! Cito credere ſæpius angit.
Firmo tu credas, tibi quem nullo nocuiſſe
Tempore, noviſti, quem firmum ſæpe probaſti.
Peſſima res, *cito* credere, peſſima credere *nolle:*
Peſſima *nulli*, peſſima *cunctis* credere velle.
Cui credas videas, *cui non credas* videasque.
Huic credas *firmo*, huic *falſo* credere noli.
Currit in *ambages* per tempora vita perennis,
Et cito credit amor, celebris amor omnia vincit.
Nunquam *fallaci* credas: *Veraci* credere ſemper
Conſulo, qui ſemper firma radice movetur.
Nec levibus adhibenda fides, ſed quisque notandus,
Qui fert, quis fuerit, & ſi gravis extitit autor.

PROSA LIBRI SEXTI.

Spes emendationis publicæ in Concilio Conſtantienſi confirmatur.

DISTINCTIO I.

Promittitur totius religionis reformatio, in Concilio Conſtantienſi inſtituenda.

NUnquam, o ſponſa dulciſſima, homini propoſui conjecturas, quaſi ex illis fraudulenta aut fallacia tibi vellem ingerere ſolatia. Quid enim prodeſſe valeret, mihi ignominiam gignere, & te, in falſitatis ſuſpenſam eqvuleo, doloroſe relabi in pelagus amaritudinis? Itaque, ſicuti lucem in tenebras ſpargere poſſe condecet, ſic, ut ego rumores falſitati obnoxios retexam, poſſibile credito, quod tamen te haud latere non dubito. Et quia talem me tuum firmiſſimum ſæpe probaſti dilectum tuum, poſt expectationem tuam nimis doloroſam:

Fortuna Eccleſia melior in Concil. Conſt.

Quæ jam brevi facta ſunt tempore & completa, ſilere non valeo, omnino te excitaturus ad audienda *ſingularia fortunæ myſteria*, quæ pro te, o ſponſa, tam mirando, quam ſtupendo modo & ordine facta ſunt. Tempus eſt enim, ut te dudum deſolatam conſolari non deſiſtam, & quæ diu dilata ſunt, nunc præ oculis aſpicies conſummata.

Totius reformatio religionis in Concil. Conſt. expectata.

Ut tu ipſa veluti gravi è ſomno excitata gaudiis atque lætitiis replearis: Nec ut amplius nubiloſa appareas, ſed tota radioſa præfulgeas, noſſe te velim, *totam tuam religionem in omnibus & ſingulis reformandam.* Erit *paſtor unus*, vicarius meus, beatam Petri recturus ſedem. Erit & *Imperator unicus*, & magnificus, totius mundi gubernaturus climata. Qui *duo gladii* ſpiritualia ponent in incrementum, & temporalia ad augmentum, me & juſtitiam habentes præ oculis; ut quicquid infirmum fuerit, medicina ſanetur, & quod fractum perſtiterat, redintegretur.

Et ne diutius hæreas, quantocius potero, progredi non deſiſtam, ea, quæ neceſſaria ſunt, atque veriſſima, locuturus.

Distinctio II.

Felicior eventus Concilii Conſtantienſis, ratione unionis, promittitur, quàm Concilii Piſani.

OPpoſuiſti rationes duas tanquam munitiſſimos muros, quas revera puriſſima veritate optime pronunciaſti, quibus etiam nullum, ut æſtimo, poterit contradicere ingenium, de *Gregorio & Petro de Luna.* Qui ſumma potiti diligentia unionem facere conati ſunt, ſed in fine defecerunt concupito.

Affectus autoris in Gregorium XII.

Pariformiter in *Concilio Piſano* etſi depoſitus erat *Gregorius*, vel cum cauſa, ſeu ſine cauſa, nullus tamen uſque in diem hodiernum ſecutus eſt effectus. Imo multo magis diviſa es propter *ſummorum Pontificum pluralitatem.* Et rationabiliter formiduloſa, quæ proponere debueras, proponebas: Cogeris tamen imbebilli ratione, timore præteritorum compulſa: Ut, ſi hoc, quod utique magna actum eſt diligentia, ad optatum non pervenit finem, neque quod futurum dicitur, & ſperatur, eveniat. Sat noſti, perſpicaciſsimo florens ingenio, hanc non valere formam: *Illa non evenerunt, igitur iſta non fient.*

Sperandum omnimode, unionem futuram aliquando. Omne enim, quod futurum eſt, eveniet, nulli dubium. Quod in veritate dictum eſt, erit *unum ovile, & paſtor unus.* Sinceriſſime continget, etſi non eveniebat, quando eventurum ſperabatur. Optime conſequitur, ut aliquando ſperetur futurum, quod omnino eveniet. Magis ergo ſperandum eſt, quod omnino ſperari debet, & de futuro ſperando nullatenus deſperandum, quod certiſſime eveniet. Nam ſi futurum eſt, ut fiat unum ovile & unicus paſtor, ſecundum clariſſimam Evangelii ſententiam, veriſſime fiet unus paſtor. Nam ſi non eveniret, utique futurum non eſſet. Nunc autem & futurum eſt, & eveniet.

Cur tanto dolore ſtringeris, &, quaſi deſperationis laqueum incideris, nimium anxiaris? Per hæc ergo tam brevia recitationis meæ eloquia reſipiſce, fortiter animata, mœroris, triſtitiæ, anxietatisvé cumulis proſtrata. Quapropter, ne ſolum argutiis te exhorter, aut verboſus repertus fuero, re ipſa conſolationem tibi injiciam, non verbalem tantum, ſed & realem, ut te ipſam etiam ſupra modum conſolari non deſiſtas.

Referam namque tibi, ut opinor, *incredibilia*, quæ tamen ut omnino credas, non modo exopto, ſed & veritate coacta credes vel invite. Videbis igitur, nunc *plenitudinem temporis adveniſſe*, quo vineæ meæ, quæ tu es ipſa, miſerebor. Ecce igitur, nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, quibus exitiale hoc atque flebile ſchiſma pellitur è mundo. Ad cujus oſtenſionem ſequentia ſatis agent.

Distin-

Digitized by Google

Distinctio III.

Quod rite & prudenter convocatum ſit Concilium Conſtantienſe per IMPERATOREM SIGISMUNDUM *& Papam Johannem* XXIII.

MIrando pollens ingenio mundi ſabricam ornatiſſime factam mirabilius decoravi. Cœlum terramq;, aërem atque ignem ſpeciebus variis diſtinxi. Poſt quoque creationis primi parentis tempora, ipſe in crimen læſæ majeſtatis incidit, à quo ſanguine proprio ipſum in fine mundi & temporis plenitudine expiavi, magno tempore eundem in ærumnis multiplicibus reſidere permittens, ut ſe propria ſalvandum virtute non putaret, elevandumque à tam pernitioſo ſchismate ſe per me cerneret, lege veteri finem capiente, per quam nec ſalus unquam homini eſt præſtita, quæ etiam nec peccatum delevit, ſed cognoſcere fecit. Motus igitur ſanctæ Deitatis concilio, atque imperialis dignitatis omnipotentia, Patris videlicet & ſpiritus paracleti ſuprema virtute, mundum ſceleribus injectum erexi de caligine tenebrarum, ut in omnibus ſpecies & ordo relucerent.

Lapſus Adami per Chriſtum expiatus.

Sicque poſt nubiloſum atque exitiale hujus temporis ſchisma, cum plenitudo adveniebat temporis, ut è medio tolleretur tam nefanda vorago, miſi in mundum *fidelem ac ſtrenuum Principem* SIGISMUNDUM, *Ungariæ Regem, in* IMPERATOREM *electum, virum*, inquam, *prudentem, virum ingenioſum, virum circumſpectum.* Qui ſua *prudentia* huic periculoſiſſimo ſchismati finem imponet. Qui una cum conſilio Domini Johannis XXIII. loco & tempore deputatis, *generale concilium in civitate Conſtantienſi fecit* congregari *Anno ab* incarnatione mea MCCCCXIV.

Lapſus Pontificū per Sigiſmundum Imperatorem emendatg.

Et hoc utiq; *ſumma providentia actum eſt*, ut autoritate ſummi Pontificis concilium hoc celebraretur. Sine cujus præſentia aut legatione omnia Conciliorum facta caſſantur & irritantur, ut patet in *Canone, diſtinctione XVII.*

In Convocando Concilio Conſt. cautio.

Amplius, ſchismatici & hæretici per *principes ſeculares* & coërceri debent & puniri, ut claret XXIII. *q.V.*

Principum jus.

Item, *ubi materia fidei & unionis tractatur, Imperator & cæteri Principes ſeculares intereſſe debent*, ut luce clarius notatur *XCVI. diſt.*

Status civilis adſit, ubi de rebus fidei tractatur.

Ideò *autoritate* ſummi ſacerdotis & *Imperialis Majeſtatis* hoc ſacrum *Concilium eſt in Conſtantia congregatum.* Nam vicarius meus Petri cathedram gubernans, nec non Imperator temporalia diſponens, duo gladii ſunt, quibus totum regitur univerſum, prout ſignatur *diſt. XVI.* Quibus ratificata *autoritas Concilii.* Sine quorum præſentia non prodeſſet ipſa convocatio, cum in eis vis tota conſiſtat quoad proceſſum & effectum.

Autoritas Cæſaris & Pontificis in Concilio convocando.

E quibus patulum eſt, *quam providenter hoc ſacrum concilium initium ſumſerit*, quod non temeritate, ſed illorum convocatum eſt autoritate, quorum dignitas expoſtulat, ut ſine illis nec fieri poſſit, nec debeat. Unde forſitan conſequens eſt, cum *Concilium Piſanum* hoc prudentiſſimo caruerit ordine, annullatum eſſe re & penitus vacuatum.

Prudenter convocatum Concil. Conſt.

Concilii Piſani fata, ex autoris ſententia.

Distinctio IV.

Quæ pompa Johannis XXIII. Papæ, & quæ Majeſtas IMPERATORIS SIGISMUNDI, *Conſtantiam ad Concilium advenientium.*

Infauſtus adventus Johannis XXIII. ad Conciliū. A. 1414.

PLacuit ergo SUMMO PONTIFICI, ut iret *Conſtantiam*, non judicaturus, ſed judicandus. Et *venit Conſtantiam* ante feſtum nativitatis meæ anni prænominati, cum fratrum ſuorum venerabili collegio, totaque curia ſua, conſertus ArchiEpiſcoporum & Epiſcoporum, cæterorumq; Prælatorum ſolenni comitiva.

Pompa advenientis Papæ Imperatoris

REX vero *Sereniſſimus*, advocatus tuus uni-

adventus ad concilium.

univerſalis, in nocte nativitatis meæ præfata, inter quartam & quintam horas, poſt intempeſtæ noctis ſilentium, cum REGINA nomine BARBARA præfatam ingreſſus eſt civitatem, plerorumque nobilium ſtipatus milite multo.

Sigismundus à Sacris rem inchoavit. Conſeſſus imperatoris primo in templo.

Intravit igitur illius civitatis *Eccleſiam cathedralem*, in qua *Dominus Johannes Papa* adventum ejus præſtolabatur; *Solio Regis* à dextris ſummi Pontificis ornatiſſime ac decentiſſime præparato. Ad dexteram vero Regis *Reginæ ſedes* parata fuit. Erat igitur *habitus REGIS* cappa rubea, & *corona imperialis* capiti ejus circumamicta. A dextris ejus ſtetit MARCHIO BRANDEBURGENSIS, continens manu ſua *ſceptrum regale*. Et DUX SAXONIÆ aſtabat, *gladium evaginatum* oſtentans. Inter ſummum Pontificem & Sereniſſimum Principem Regem adſtitit COMES ZILIÆ, gener Regis, *pomum rotundum* habens in palma.

Marchio Brand. Dux Saxoniæ. Comes Ziliæ.

Itaque Princeps Eccleſiæ fideliſſimus, ROMANORUM REX & *ſemper Auguſtus*, legit Evangelium: *Exiit edictum à Cæſare Auguſto.*

Sapientia Sigismundi. Obligatio Imperat. publica in Conc.

Completa vero lectione, *Dominus Apoſtolicus contulit Ei gladium*, quo te dulciſſimam ſponſam meam defendere deberet viribus totis. *Juravitq; REX* ille fideliſſimus, ſe id pro poſſe ſemper impleturum.

Ingens Sigism. ſollicitudo pro disſidiis in Eccleſia componendis.

Quid putas, o ſponſa dilectiſſima, tantum *Regem* poſſe te deſerere, talem virum velle te lacerari, qui tanta diligentia per tot viarum diſcrimina, tot quoque itinerum, nemorum, ſylvarumve pericula, mundi totius ſacerdotalem dignitatem, atque Principum ſecularium potentiam collegit in unum. Non, quod ipſe *Rex* indigeret cujusquam, cui munere liberaliſſimo plura dedi, honorem, dignitatem, potentiam, divitias, cæteraque plura, quæ eloquio ſolent humano inter humana reputari: Sed, ut te diviſam congregaret, te ſciſſam repararet, & te demerſam relevaret. Ego enim illum elegi ex omnibus, ut in ipſo laborem & operer, præ cunctis mundi Regibus & principibus, miranda, ſtupenda, & plerisque ſeculis inaudita. Inveni enim *virum ſecundum cor meum. Inveni, quem diligit anima mea.* Inveni, cujus adventum eminus expectavi.

Commendatio Sigismundi.

Venit igitur nunc temporis plenitudo, ut orbem terræ per vitiorum pluralitatem infectum *reformare* velim penitus, nulla labe criminis in eo permanente. Enimvero, ſicuti genus, quod peccaverat, humanum per intemeratam reformavi virginem, ex ipſa carnem aſſumens: Ita per hunc *conſtantiſſimum Principem* te, quæ periculoſo ac flebili ſchismate laboras, reparabo.

Reformatio in Concilio expectata. Spes reformationis ex Sigismundo.

DISTINCTIO V.

Qui Electores, Duces, ArchiEpiſcopi, Epiſcopi, Patriarchæ, cum infinito nobilium ac doctorum numero ad Concilium confluxerint.

Viri illuſtres in Concilio Conſt. præſentes.

PRincipum ac *Prælatorum nomina* recenſere ſatis eſt grave, qui præſenti interfuerunt concilio, & usque in præſens aſſiſtunt. Neq; ſit cura illorum omnium & ſingulorum computare perſonas. Sed quarundam cenſeo pro tuæ conſolationis incremento nomina annotare.

Archi Epiſcopi Germaniæ in Concilio.

De *Almania* fuerunt venerandi Patres, *ArchiEpiſcopus Moguntinus Archi-Cancellarius, Salzburgenſis, Herbipolenſis, Patavienſis, Ratisbonenſis, Brixienſis, Lubecenſis, Mersburgenſis, Auguſtenſis, Bambergenſis & Rigenſis*, qui ſolenni comitiva civitatem Conſtantienſem intraverunt.

Leodienſis legatio.

Leodienſis verò per Ambaſiatores ſuos ſacrum intravit concilium, & per alios tanquam per ſe ipſum ſolenniter venerabiles filios tuos inibi pro ſancta unitate viſitavit.

Gregorii XII. legati in Conc. Epiſcopi Germania in Concilio.

Fuere & viri orthodoxi ſub *Gregorii* venerandiſſimi Patris obedientia. *Epiſcopi*, qui nec venire neglexerunt, hi fuerunt: *Spirenſis, Wormatienſis & Verdenſis.* Habuerunt etiam & iſti mandatum *ArchiEpiſcopi Trevirenſis*, *Archi-Cancellarii*, aliorumq; de ſua obedientia.

Ex Hungaria viri illuſtres in Conc.

De Hungaria, *ArchiEpiſcopus Strigonienſis*, cum alio ArchiEpiſcopo, & duobus Epiſcopis, & Prælatis & Doctoribus.

Ex Italia multi.

De *Italia*, ArchiEpiſcopi, Epiſcopi, Prælati, Doctores & Magiſtri, in multitudine copioſa-

Patri-

Patriarchæ in Concilio Conſt.

Patriarcha vero, *Conſtantinopolitanus, Antiochenus, Gradenſis & Alexandrinus.* Itemque *alii*, de obedientia Gregorii.

Ex Anglia.

Item de *Anglia* Epiſcopi, & Abbates & Doctores ſolennes.

Ex Gallia.

Et de *Francia* ſimiliter.

Principes in Concil. multi.

De *Principibus* vero in ſolenni comitiva Principalis erat *Sereniſſimus* filius meus SIGISMUNDUS REX *Romanorum ſemper Auguſtus: Dux Saxoniæ* RUDOLPHUS, cum fratre ſuo: FREDERICUS, *Burgravius de Nuremberga: Dux Magnopolitanus*, vulgariter Mekelenborch nominatus: *Dux* LUDOVICUS *de Sleſia* : *Dux* HENRICUS *de Bavaria:* WILHELMUS *frater Reginæ Bohemiæ: Marchio Badenſis: Comes Ziliæ*, Pater Reginæ Romanorum, cum primogenito ſuo: *Filius Ducis de Pomeren, Comes de Montforde* : *Dux de Deck*, frater Patriarchæ Aquilegienſis: LUDOVICUS *Dux Bavariæ*, qui eſt comes Palatinus: OTTO frater ejuſdem: Et plures alii, quorum nomina omnia recenſere prolixum eſt.

Ex Bohemia & Polonia.

De *Bohemia* vero & *Polonia* Barones multi.

Milites quaſi ſine numero.

Infinitus hominum numerus in Concil.

Tot igitur fuerunt inibi *Duces, Comites, Barones, Principes nobiles & milites* ut præ multitudine fuerint quaſi guttæ maris.

Ambaſiatores quoque egregii Principis *Ducis Auſtriæ* ALBERTI, nec non FREDERICI. Qui etiam in propria perſona venit, ut inferius oſtendetur. Cæterum ambaſiata *Marchionis Miſnenſis, Ducis Mediolanenſis, Comitis Sabaudiæ*, & aliorum Principum, in ſolenni & ornata acceſſit legione.

Legati Principũ.

Hæc igitur pauca dicta ſufficiant pro tuo ſolatio, ô ſponſa dulciſſima, ut eſferas, unde depreſſeras, caput. Noli ergo mœrore proſterni, oculos flebiles averte, vultum triſtem in jucundum commuta, & noli opinari, rumores fictos. Verba quæ pronuncio, ipſa re ſic facta ſunt, & majori certitudine, pluri ſolennitate, & multitudine Principum abundantiori, atque prælatorum copioſiori, quam enarraverim, nobili turma.

Legati Gregorii XII.

Miſitque ſanctiſſimus Pater GREGORIUS *Ambaſiatores* ſuos, venerandiſſimos Patres, JOHANNEM DOMINICI, Cardinalem, ordinis Prædicatorum, cum uno *Patriarcha*, Prælatis & Doctoribus. Qui plenum habuere *mandatum reſignationis Gregorii*, ſi & quando alii duo, videlicet *Johannes & Petrus*, reſignarent.

Inſtructio eorum.

Legati Benedicti XIII. & Regis Aragoniæ.

BENEDICTUS vero & *Rex Arragonum* miſerunt duos *Epiſcopos*, duos *Barones*, unum *Protonotarium*, & *Prælatos* & *Doctores*. Sed non portaverunt reſignationis plenum mandatum. De quo *Rex*, tuus filius fideliſſimus multum fuit anxiatus, & ſuo ſpiritu conturbatus.

Scito igitur, ut progrediar, quod poſt hæc iterum gaudio compleberis, cum ea recitavero, quæ in eodem *ſacro concilio* proceſſum habuerunt.

DISTINCTIO VI.

De Præclaro ordine Concilii in quinq; nationes diſtributi.

Ordinis decor

OMnia in numero & pondere creata ſunt, & *ordine*, & ſpecie, cœlum terraq;, & omnia, quæ in eis ſunt. Ut in omnibus & ſingulis creaturis potentia divina præfulgeat, & bonitas omnipotentis ſemper collaudetur. Qui & in parvis & in magnis mirabilia facit, & oſtendit magnificentiam gloriæ ſuæ in *ſapientia & prudentia* ſuæ creaturæ. Idcirco namq; creavi hominem ad imaginem & ſimilitudinem meam, ut rationis capax *ſapientiam* meam pro poſſe imitaretur, qua cuncta, quæ facienda ſunt, ordinantur & ad finem debitum deducuntur.

Sapientiæ regula.

Præclarũ facinus præſidum Concilii.

Hac igitur *ſapientia* tanquam claritate præpollentes viri illi, quos ſapientia mea perfudi, *rectores ſacri Concilii*, in quibus reſidet mundi totius ſapientia, pro ſanctæ unionis fundamento, & horrendi ſchiſmatis extirpatione, totam congregationem primo *in quatuor nationes diviſerunt*, videlicet *Germanicam, Gallicam, Italicam* & *Anglicam*.

Diſtinctũ Concilium in 4. nationes.

Præſides nationũ.

Cuilibet verò *nationi præſidentem* præfecerunt. *Præſidentes* vero mutantur de menſe in menſem. Ut ſic, quod ſalutiferum

Digitized by Google

Nationalia decreta in Conc. Quinta natio Hiſpanica in Concil. ferum fuerit, & utile, *per omnes nationes communiter concludatur.*

Supervenientibus autem *Ambaſiatoribus* inclyti *Regis Arragoniæ, quinta natio* ſtatuetur. Per quam ſalus tibi fiet, cum illi, qui ſub *Petri de Luna* ſunt obedientia, reſilient, & in noſtrum convenient ovile, ut per eos, illo rejecto, unus fiat paſtor, pro cujus creatione congregatio tota facta eſt. Neque hæſitandum, illos adventuros, cum Illuſtriſſimus filius tuus SIGISMUNDUS jam in eo *regno Arragoniæ* extiterit, & *Regis* voluntatem ad ſanctam inclinaverit unionem. Qui nulli dubium, ambaſiatores ſuos miſſurus eſt tempore oportuno, invito etiam, ſeu contradicente *Benedicto*, quem forſitan obſtinatum & pertinacem juſtitiæ gladius temperabit. *Sigismundi Regis iter in Arragoniam.*

DISTINCTIO VII.

Quomodo Papa Johannes XXIII. obtulerit ceſſionem Papatus ſui die XV. Februarii Anno 1415.

NOn ſunt fraudati à deſiderio ſuo, qui pro tuæ unionis pace laboraverunt. Et quomodo potuit illorum fraudari intenrio, quorum præcordia in cœlo converſantur? Etſi Moſes ſolus iram patris mei placavit, quid non faciet tam numeroſa juſtorum deprecatio, & continuata diligentia, qui non ceſſant clamare quotidie, cordis conamine toto: *Domine vide; deſcende de cœlo, & viſita vineam iſtam, quam plantavit dextera tua.* Neque poterit avertere oculos ſuos pater meus, quem pro illa, ne pereat, exoro, & me pro reverentia mea exaudire non dedignatur.

Quondam, cum quinque millia hominum in deſerto paviſſem, diſcipulos meos compuli ire trans fretum, remanens in terra. At illi venti turbine perturbati, ſe putavere ſubmergendos. Laborabant tamen, ſed parum proficiebant. Donec ego quarta noctis vigilia propinquans ſedarem fluctus procelloſos. Me igitur adveniente clamabant, ſe perituros, ſalvari cupientes. Et, qui tota nocte periculis deditì ſe juvabant laborando, niſi adveniſſem, periiſſent. Sic & multo jam tempore laboraverunt in mari viri orthodoxi, Apoſtolorum ſectatores, ſed non profecerunt. Donec ego ipſe nunc advenerim, laborantibus ſuccurſurus. Et tempeſtate ſedata ſchiſmate pulſo *tranquillitas* in mari fiet.

Ex reſignatione Pontificũ Quæ quidem fieri non poterit niſi per illorum *Pontificum ſummorum reſignationem.* Qua effecta tibi, o ſponſa, pax erit plena atque perfecta. *ſpes tranquillitatis.*

Reſignatio Johannis XXIII in Conc. Quapropter *Johannes* nunc *Papa* XXIII. d. XV. *Menſis Februarii*, *anni* à nativitate tua MCCCCXV ſe paratum obtulit *ad reſignandum* ſummi apoſtolatus dignitati, ſi & quando *Gregorius & Petrus de Luna* reſignarent.

Diploma reſignationis Papalis. Quam poſtmodum *reſignationem* ſolenniter patefecit, pronuncians & declarans in hunc modum: *Johannes &c. Pacis bonum omnium bonorum excellentiſſimum eſſe, Propheta demonſtrat, qui Salvatorem venturum pacis principem appellavit. Unde etiam in ejus ortu chorus Angelorum decantans: Pax, inquit, in terra hominibus bonæ voluntatis. Sicuti autem de ipſo Salvatore vox prophetica nunciaverat, ita poſtmodum in ipſo fuit adimpletum. Pacem enim docuit verbo, pacem docuit per exemplum, pacem inter Deum & hominem proprio ſanguine firmavit, ſe ipſum in ara crucis pro nobis offerens, ut ejus merito propitiatus Deus nos ad æternæ pacis gratiam reſtitueret, à qua primi hominis factum exules nos effecerat. Quæ omnia intra noſtræ mentis aciem revolventes, ac ejuſdem Salvatoris, cujus vices ſed immeriti gerimus in terris, cupientes, quantum nobis ex alto conceditur, imitari veſtigia, decrevimus, omnes noſtros conatus ad illa dirigere, per quæ integra pax Eccleſiæ Catholicæ reddi poſſit. Eapropter de conſilio venerabilium fratrum noſtrorum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ CARDINALIUM, communicato CONSILIO cum chariſſimo filio noſtro SIGISMUNDO Rege Romanorum & Hungariæ &c. generale con-*

concilium in civitate Conſtantienſi provincia Moguntina certo tempore ad hoc deputato convocandum curavimus. Ac poſtmodum veniente dicto tempore, etſi multa noviter emergentia præſentiam noſtram in Italia flagitarent, tamen omnibus poſtpoſitis pro tanti boni conſecutione una cum eisdem fratribus, non ſine magnis difficultatibus, ad ipſum locum pervenimus; Et ne voluntas noſtra nobis à Deo inſpirata in occulto lateret, ſed tanti boni, quantum ad nos attinet, ſequeretur effectus: Licet certiſſima jura, ac univerſalem quaſi obedientiam, & omnia temporalia dominia ratione Eccleſiæ, exceptis paucis, habeamus: Tamen pro conſequenda pace viam mutuæ ceſſionis, quam omnibus conſideratis promtiorem & aptiorem credimus, amplecti decrevimus. Confidentes indubie, quod quanto plura relinquimus, tanto majus apud Deum præmium aſſequimur. Hac igitur conſideratione inducti, in publica ipſius concilii ſeſſione, ipſo REGE ROMANORUM & HUNGARIÆ PRÆSENTE, *& perſonaliter aſſiſtente, nec non præſentibus pluribus Principibus ac oratoribus multorum Regum, Principum, ac univerſitatum, ſtudiorum, poſt miſſam ſancti Spiritus, per nos ſolenniter celebratam, ipſo ſacro approbante & laudante concilio, hanc viam ceſſionis obtulimus his verbis: Ego Johannes Papa XXIII propter quietem populi Chriſtiani profiteor, ſpondeo & promitto, juro & voveo, Deo & Eccleſiæ, ac huic ſacro Concilio ſponte & libere dare pacem ipſi Eccleſiæ per viam meã ſimplicis ceſſionis papatus, & etiam facere & adimplere cum effectu, juxta deliberationem præſentis concilii, ſi & quando Petrus de Luna Benedictus XIII, & Angelus Corario Gregorius XII, in ſuis obedientiis nuncupati, papatui, quem prætendunt, per ſe, vel procuratores ſuos legitimos ſimiliter cedant, etiam in quocunque caſu ceſſionis vel deceſſus, aut alio, in quo per meam ceſſionem poterit dari unio Eccleſiæ Dei ad extirpationem præſentis ſchismatis. Quocirca univerſitatem veſtram requirimus & hortamur in Domino, quatenus hanc noſtram ſpontaneam oblationem grato ſuſcipientes affectu ac pro conſummatione & complemento tanti boni Petrum de Luna Benedictum XIII, ac Angelum Corario Gregorium XII in ſuis obedientiis nuncupatos, eorumq; obedientias ad dictam pacem invitantes ad viam mutuæ ceſſionis celerius exequendæ ſimiliter inducatis, & effectualiter induci procuretis. Et nihilominus pias veſtras orationes & preces altiſſimo in humilitate cordis effundere non poſtponatis, ut per ſupernam gratiam mundus pacem optatam, & Eccleſia integram recuperet unitatem. Dat. Conſtantiæ.*

Reſignatio Pontificum optimus modus habitus.

E quibus, ô ſponſa chariſſima, mœroris tui jacula deponere ſtringeris, quæ tanta preſſa anxietate verba elegica depromere conſueviſti. Induere igitur veſtimento lætitiæ, indumentis triſtitiæ contemtis & abjectis.

DISTINCTIO IIX.
De Imperatoris Conſtantinopolitani & Eccleſiæ Græcæ Legatis ad Concilium Conſt.

Magna ſpes de Concilio Conſt. Orientalis & occidentalis Eccleſiæ conjunctio ſperata ex Concil. Conſt.

PLenitudo jam temporis advenit, in quo per admirabiles filios mirabilia operabor. *Pax* enim unicuique dabitur provinciæ. Inſuper & omnibus orbis climatibus pax firmabitur, & quæ non flectetur. Nunc etenim miſerabilis miſerebor tui, ô ſponſa, dudum afflictæ. Neque tantummodo *pax reformabitur Eccleſia Romana*, ſed & orientali pax reſtituetur religioni. Ut duo illi parietes inter ſe diſtantes & disjuncti copulentur ad unam caulam conjungendam.

Inſtructio Legatorũ Conſtantinopolitani Imp.

Cujus rei veritatem apertiſſime monſtrarunt *Ambaſiatores Imperatoris Conſtantinopolitani*, coram præſidentibus & deputatis nationum ſacroſancti concilii, in loco nationis Germanicæ. Qui, literis credentiæ reverenter exhibitis, retulerunt, tanquam fideliſſimi legati, *Imperatorem* præfatum, cum omnibus ſuis, imo *tota Græcia*, ſubjiciendum Romano Pontifici, ſchismate è medio rejecto, & pace ſanctæ Eccleſiæ indubie radicata. Inſuper & ſe ad Imperatorem Conſtantinopolitanum dixerunt reverſuros, & ſuis nunciis expeditis ad ſacrum concilium redituros. neque, donec ejuſdem Concilii finis adeſſet, receſſuros.

Quid-

Digitized by Google

Quidnam modo te movere ad triſtitiam poſſit ignoro, cum cuncta proſpere procedant ad tuam faciendam, quam intentione totali peroptas, *unionem.* Plura, quam ſperaveras, eventura ſunt, majora, quam putaveras, promittuntur, & alia futura ſunt, quæ forſan ſæpiſſime non eventura timuiſti.

DISTINCTIO IX.

Proteſtatio Gregorii XII. apud Regem Romanorum, qui paratus ſit ad probanda omnia pacis & unionis media.

Prolixus autoris affectus in Gregoriū XII. à ſede remotum.

PLeraque contra *Gregorium* eloquia flammivoma diffunduntur in auribus plurium, multorumq; garritus contra ſanctitatem illius ſparguntur in orbem, detrahitur innocentiæ, deturpatur devotio, offuſcatur claritas ſapientiæ, & ingenii ſerenitas venerandi illius viri ſtultorum imò impiorum ignavia obtunditur. Levant æmuli in aërem voces clamoroſas, exaltant inſipida verba, guttura laxant iniqua, & corrodunt viri ſanctitate repleti oſſa jam arentia. Prudentiam illius radioſam aſtutiis fraudum obnubilant, excuſationemque illius veracem auſcultare dedignantur: Non, licet innocenter infamatum; virum juſtum, virum ſanctum, virum Deo devotum, in quibus oportunum eſt, ſe innoxium oſtentare. Judicatur ſanctitatis ejus abſentia, & condemnatur non auditus, ejus præſentia fallacibus ornata ſermonibus, & deponitur pulſus vir tantus à cathedra paſtorali.

Placeat igitur audire & legere, quæ ipſius ex parte ad *Sereniſſimum Romanorum Regem* ſic ſunt ſcripta:

Sereniſſime Imperator. Viſceroſiſſimus Pater veſter, Dominus noſter Papa GREGORIUS XII. *Majeſtatem Veſtram requirit, ceu Principem fideliſſimum & Chriſtianiſſimum, cujus indefeſſum exercitium eſt, ſemper Turcis & infidelibus non ſolum reſiſtere, ſed acerrimum bellum inferre, unionis Zelatorem, virum utique prudentiſſimum & Conſtantiſſimum, ſicut multiplex experientia docet & docuit. Equidem cum ſecundum judicium humanum, (uam nolo ponere os in cœlum,) Vos & domus Veſtra receperitis multiplicem & multipliciter injuriam, nunquam tamen à vera obedientia receſſiſtis, ut verus filius tanti feliciſſimæ memoriæ patris, incliti Caroli Regis Romanorum, qui tanta cura, tantaque ſolennitate, diligenti examinatione præmiſſa, cum concilio Principum determinavit obedientiam dare Papæ Urbano ſexto, & ſucceſſoribus ejus, ac felicibus natis ſuis mandavit ſub pœna maledictionis æternæ, ut à tali fidei ſinceritate nunquam recederent; Cujus incliſiſſimi Patris geſta nedum per generoſos filios fuere irritanda, ſed neque per Turcos & infideles. Et quia ex Majeſtatis officio advocatus eſtis Eccleſiæ per aſperſionem ſangvinis Jeſu Chriſti, quatenus flebilibus caſibus Eccleſiæ, quibus premitur, ſuccurrere debeatis: Ipſe vero Dominus noſter* PAPA GREGORIUS *ſe offert ad quodlibet poſſibile, non ſolum de jure communi, ſed à plenitudine poteſtatis uſque ad totius ſangvinis effuſionem, nil ſibi reſervans præter conſcientiæ puritatem, contra quam nullatenus intendit venire, ſed potius omnia mala pati, quam mala perpetrare.*

Et pro declaratione tantæ materiæ aliquas concluſiones annecto. Quarum prima eſt hæc:

Poteſtas Romani Pontificis non eſt ab homine, neq; à tota univerſitate Chriſtianorum, ſed à ſolo Deo, Domino noſtro JEſu Chriſto, dicente: Ego dabo tibi claves regni cœlorum. Hanc concluſionem Doctores ſolennes Theologiæ diffuſe probant.

II. *Papa non poteſt deponi, niſi propter pertinacem hæreſin, quæ eſt directè contra Deum, & articulos fidei. Hæc eſt Domini Joh. And. in c. ad hominem, & aliorum Doctorum, ſane in fide ſentientium.*

III. *Ipſe Dominus Papa Gregorius ſcit ex certa ſcientia, quod contra Deum & articulos fidei nihil ſentit, ſed eos tenet, & veneratur ſecundum communem ſcholam, & Doctores approbatos per ſacroſanctam Eccleſiam.*

IV. *Idem Dominus Papa Gregorius ſcit certo, quod in prætenſo proceſſu Piſano nonnulla mendaciter finguntur per eum facta vel dicta, aliqua vero dicta vel facta reticantur infideliter & imminute, nonnullis vero di-*

ro dictis vel factis adduntur, quæ corrumpunt ſententiæ ſubſtantiam, in quibus fundaretur intentio æmulorum ad procedendum, ſi procedere poſſent.

V. *Dominus Papa Gregorius ſcit actu, quod nunquam colluſit cum æmulo circa viam ceſſionis, aut quodvis aliud, ſed fideliter, quantum in ſe fuit, illam proſecutus eſt.*

VI. *Dominus Papa Gregorius ſcit, ſe non eſſe perjurum, ſed ſemper fuiſſe & eſſe paratum ad viam ceſſionis, conditionibus expreſſis in forma juramenti adimpletis. Iſtam concluſionem probant etiam æmuli, quod in prætenſo proceſſu Piſano probant Dominum Petrum de Luna nunquam voluiſſe cedere.*

VII. *Per ceſſionem ipſius nulli acquiritur jus papatus. Patet, quod datur jure per electionem.*

Ex his infero, quod ſtante protervia æmulorum & damnabili pertinacia, Dominus Papa Gregorius ſine peccato mortali deſerere non poſſit papatum. Quod tunc daret cornua peccatoribus. Sed utique cederet, ſi ſervaretur poſt ceſſionem ſuam electio canonica, ad quam vult dare omnem operam efficacem, ipſo etiam permanente in quolibet infimo ſtatu.

Item ex dictis infero, Dominum noſtrum Papam Gregorium non poſſe ignorare, ſe eſſe verum Romanum Pontificem, præſuppoſito, quod aliquando fuerit, ſicut totus mundus teſtatus eſt.

Patet ex dictis, quod ex falſis atteſtationibus depoſitus eſt. Igitur Papa Gregorius, unionis Zelator, non ſolum in genere ſe offert ad omnia poſſibilia, ſed etiam ad particularia deſcendit, non excludens aliqua rationabilia, hic non expreſſa.

Primo, ſi videretur, quod unio poſſet dari per viam ſubtractionis obedientiæ & omnis ſubſidii, *ad quamlibet partem paratus eſt, quantum cum Deo poteſt ſubtractionis licentiam fidelibus dare.*

Si via cognitionis *videretur aptior, ad eam deſcendit, dummodo judices eligantur non ſuſpecti, circa quos eligendos de Serenitate veſtra confidit.*

Ac ſi per viam generalis concilii *incedendum videretur, Serenitati veſtræ committere vult facultatem ipſum convocandi quoad locum & tempus, ſic tamen, ut numerus partium ſit æqualis, & ut Veſtra Majeſtas habeat ſolvere dubia, quæ in ipſo oriri poſſent.*

Verùm, ſi diu poſtulata via ceſſionis magis placeat, Dominus noſter Papa Gregorius Celſitudinem Veſtram conſtituit in procuratorem irrevocabilem ad cedendum, dummodo alii, qui ſibi ſedem Romanam uſurpant, hoc idem faciant, & cedere pro uno, ſit & cedere pro quolibet. Nam aliter non ſequeretur unio, ut patet ex dictis.

Non tetigi viam juſtitiæ, quæ exoſa eſt malis, & electis pretioſa, qua ſpoliatus primo debet reſtitui, quam contra ipſum aliquid proponatur, & per quam ipſo jure omnis electio ſecunda eſt nulla, niſi prius prima per ſententiam caſſetur, quæ utique eſſet via regia. Et Dominus noſter Papa Gregorius eſſet diſpoſitus mox reſtitutus cedere ſimpliciter & abſolute. Nunc videat Veſtra circumſpecta Majeſtas, quid amplius per ſanctum & juſtum virum poſſit fieri, &, ut ſic loquar, ipſe major promtus eſt bene conſulenti obedire filio, Vobis, ſingulariſſimo Domino meo.

DISTINCTIO X.

De abdicatione Gregorii XII. ſpontanea à Papatu, & Cardinalitia poſt eam dignitate.

AUdite cœli, quæ loquar, audi ſponſa mi dulciſſima, quam roſeo ſanguine meo mercatus ſum: Audiat terra verba oris mei: Concreſcat ut ros eloquium meum, pateant ſingulorum aures, attendant potentum præcordia, advertant divitum corda, rem juſtam, non fabulam de ſancto & juſto viro, Viro inquam devotiſſimo, viro ſcientiſſimo, atque fideliſſimo paſtore tuo. Quantum ejus affectum quantus ſecutus extiterit effectus, ſecutura docebunt. Non fuere inania viri illius mellita eloquia, qui ad caulam ſanctæ unionis te ſanctiſſimam ſponſam meam reducere poſſe pro toto conatur. Vere bene *Angelus* eſt nomen ejus, ſecundum quod ſcriptum

Impenſus autoris affectus in Gregorium XII.

Digitized by Google

ptum eſt: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam meam ante faciem tuam.* Veneranda hujus viri virtus per ſecula manifeſtabitur, qui probatus, ut aurum in fornace, ſtabilis manſit cuſtos tuus, neque prece aut pretio à conſcientiæ ſuæ ſereniſſima puritate valens ſegregari, diu jam optatam ponet in mundo pacem, ſchismate flebili penitus extirpato. Ad hoc igitur gloriam famamque univerſæ machinæ mundi celebrandam, tanto pro te mei tuique compulſus amore, effecit, ut neque illius nomen mirabile oblivioni tradi posſit, ſed portento quodam Angelicæ ſerenitati compareтur. Totus ergo clerus laudem concinat dignam, & plebs univerſa lætis reſpondeat vocibus: Benedictus *Angelus*, qui miſertus eſt calamitatis ſponſæ meæ, quam graviſſimo crimine fœdatam execrabili quoque ſciſſura diviſam ipſe & purgavit & integravit. Radio etiam ſui luminis ipſam tenebris tetris injectam illuſtravit.

Commendatio Gregorii XII. Papatui cedentis.

Gaudeant igitur univerſa climata mundi de tanta viri glorioſa ſerenitate, qui nobilem virum *Carolum de Malateſtis* ſolennem miſit *Ambaſiatorem ad ſacrum Conſtantienſe Concilium* cum pleno mandato, ratificans, roborans & autorizans ſacri Concilii egregiam congregationem *die Julii quarta, in ſesſione publica, loco ſolenni & devoto.* Cujus roborationem ſacroſancta ſynodus inibi humiliter & ſinceriter acceptavit.

Carolus de Malateſtis legatus Gregorii XII. ad Concil. Conſt.

Atque idem ipſe *Carolus* papali dignitati, qua fultus extiterat, ab ipſo Gregorio habens reſignationis mandatum pleniſſimum, ſimpliciter & abſolute renunciavit. Hinc omnes ſunt ſublati proceſſus, ſententiæ & pœnæ; hinc inde per utrasque obedientias unam in alteram latæ. Unde revera ſcandala plurima, quæ ante tempora floruere, reſciſſa ſunt, rumoresque & infamia tanto ſeculo perpetrata penitus per illius venerandi patris reſignationem ſunt ejecta. Agmina cœlorum tripudiant, inferi tremunt, & pace replentur homines bonæ voluntatis. Unde merito debebis & tu jubilare, inclita ſponſa, de tam nuncio ſolenni, & ambaſiata cunctis ſeculis peroptanda.

Reſignavit Gregorius Papatui per Commiſſarium.

Sed & videamus nunc, an tantæ mercedis & meriti ſit illi venerabili viro facta compenſatio, qui ſe humilians ad infima viam regiam ob tuæ zelum unionis poſtponebat.

Factus eſt igitur *Epiſcopus Cardinalis*, qui erat paſtor & cuſtos principalis. Ut ex humilitate mereretur exaltari, qui, ut ſchisma pelleret, etiam in quocunq; ſtatu basſiſſimo cupiebat remanere.

Gregorio XII. Papa factus iterum Cardinalis.

Nec non & ejus remanſere *Cardinales. Officiales* verò etiam in officiis ſuis hac conditione ſequenti perdurarunt, videlicet quod cũ aliis in officiis concurrentes in obedientia *Johannis*, debeant determinationi ſacri concilii ſubjacere. Cætera vero, in obedientia ejusdem venerandi Patris rationabiliter & canonice facta, ſunt omniquaque confirmata.

Gregorii reſignantis Cardinales ac officiales non ſunt læſi.

Amplius, quanta devotione & humilitate præfatus venerandus Pater de ſummo ad imum deſcenderit, ipſius rei geſtæ teſtatur hiſtoria. Manifeſtum fecit, quod in ipſum ſeminarium ſchismatis non erat retorquendum, ſicuti tamen quidam ejus æmuli ipſi imponebant. Finis namque, concludens omnia, clariſſima veritate monſtravit ſinceram hujus ac præfulgentem conſcientiam, quæ præ omnibus mundi divitiis ab omni eſt homine appetenda. *Fecit*, inquam, *quod dixit*, nihil ſibi retinens præter *conſcientiæ puritatem.* Auſcultet ergo omnis terra, & roſæ atque lilia applaudant odoris ſui mira dulcedine, qualiter *roſa & lilium inter ſpinas* concreverunt, nec tamẽ ſpinis curvata.

Pura conſcientia in Gregorio abdicante encomium.

Ipſe quidem *Gregorius roſa* fuit, quæ de ſpinis crevit, nullo tamen ſpinarum aculeo puncta; Ille etiam & *lilium*, cujus rectitudinem atque puritatem ſpinæ non deflectunt. Pulchra igitur roſa fuit albedine puritatis, pulchrior roſa ardore ſanctitatis, pulcherrimum lilium propter pacem unionis, quam voluntarie non coacte tibi dedit, o ſponſa dulciſſima, ad quam cordialiter ſemper anhelavit. Nam vir iſte tantæ reverentiæ, audita *renunciatione*, per illuſtrem virum *Carolum de Malateſtis* effecta, ſtatim & absque mora, ut, quantum in eo eſſet, ſubito tibi pax redderetur

Encomia ſponte reſignantis Gregorii.

&

Gregorii XII. abdicatio Papatus.

& unio, ſummi Pontificatus inſignia deponebat, deſcendens ad ſuos Cardinales, & ad ſui ipſius pedes reſidens, illis, quorum erat caput & principium, ſe combinavit.

Cardinalitia dignitas Pontifici reddita.

Nomine quoque dignitatis ſummi Pontificis rejecto, *Angelum* ſe nominat *ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum Cardinalem*. Cæterum ut ſummam oſtentet obedientiam puramque conſcientiam vir veteranus, *ſacri arbitrio concilii* reliquit, quod, ſi ipſius præſentiam habere geſtierint, præſto ſit, cum reliquis Cardinalibus adventare.

Suſtentatio Pontificis remoti.

Quibus omnibus penſatis, ſacrum concilium *die Julii XV* provideri fecit huic venerando patri ſuper honeſtate ſtatus & victus neceſſitate. Quæ duo talem decent ſanctitatem, & viri devoti juſtitiam. Manſit igitur, ſacri determinatione concilii, ſummo Pontifici futuro *Immediatus Cardinalis*. Ut, qui ſe multum humiliaverat, multum exaltaretur. Donec *Petrus de Luna*, qui ſe etiam pro Romano gerit Pontifice, reſignet. Quo facto, in arbitrio ſtabit ſummi Pontificis, quem illorum alteri velit præferri.

Cardinalis immediatus.

Marcha vero *Anconitana* pro victus ſufficientia, quoad vixerit, ipſi per præfatum ſacrum concilium eſt tributa.

Ecce, quam breviter attigi iſtius ſancti & juſti viri propoſitum ſanctum, cujus omnia geſta ex fine dignoſci potuerunt. Unde & æmulorum quorumlibet perfidia ſeu doloſitas confundi poterit & contemni.

DISTINCTIO XI.

De damnatis in Concilio Conſtantienſi dogmatibus Johannis Hus, Hieronymi Pragenſis, & Johannis Parvi Pariſienſis Theologi.

Audiſti, quæ pro tuo ſolatio veritate ſinceriſſima locutus ſum. Nihilque jam dixerim, cujus effectus oſtendi non poſſit, eademque tu jam olim impoſſibilia credidiſſes, quæ nunc certiſſimo fine cernis concluſa. Et ad iſta credenda vix admonitione ſecuriſſima te poteram inducere amaricatam animo, & ſpiritu hærentem nimis triſti. Sed ut & tuum quondam deſperatum quodammodo animetur ingenium, noſſe te velim, quod prius conjectans prophetavi, jam eveniſſe.

Tu namque ſuperius *libro tertio diſt. VIII.* hæreticos mihi propoſuiſti, eorumque errores, ſectas, & hæreſes tibi nocituras conquerebaris. Et ibidem *Johannem Wiklef, & Johannem Hus* nominibus ſuis nuncupaſti. Quorum & errores, opiniones & ſectas & hæreſes ego, tibi ad præfata reſpondens, manifeſte poſui, adjiciens & inibi, eos, qui adhuc vivant, hæreticos, *Johannem* videlicet *Hus*, *Hieronymum de Praga*, merita mulctandos pœna per ſacrum Conſtantienſe Concilium. Cujus rei evidentiam ipſa docebit & atteſtatur hiſtoria.

Wicleſi doctrina in Concilio damnata.

Nam *VI die Menſis Julii* in publica ſeſſione damnati fuere articuli *Johannis Wiklef*, hæreſiarchæ damnatæ recordationis.

Hus corã Concilio comparuit.

Ubi & ipſe *Johannes Hus*, hæreticus impiiſſimus, fuit *adductus*, & ipſo præſente *articuli* ejus erronei, de ejus libris extracti, fuerunt *condemnati*. Hinc & contra eundem verſipellem virum, & pertinacem hæreticum, & doctrinam illius inſanam *ſententia lata* eſt, in qua ipſe à tota Chriſtiana religione *hæreticus* pronunciabatur, & *degradandus* officio ſacerdotali. *Libri* etiam, quos compilaverat, & ſpecialiter *tractatus*, quem intitulavit *de Eccleſia*, mandabantur *comburendi*.

Condemnatus.

Libri ejus combuſti.

Poſt quam juſtam *ſententiam*, per *ArchiEpiſcopum Mediolanenſem*, & reliquos venerabiles Pontifices, tanquam commiſſarios, ad hoc opus deputatos, in præſentia tam venerabilium Patrum fuit *degradatus*, demumque brachio traditus ſeculari, *igni traditus eſt*, & horrendam, quam malevola meruit anima, pœnam expertus eſt, initians à pœna ignis temporalis, usque ad gehennæ crudele incendium ac æternum.

Degradatus. Combuſtus.

Et ne illi, qui de ſua ſecta illi adhæ-

Digitized by Google

Cineres Huſſi in Rhenum conjecti. ſerant, reliquias de ſuo corpore aut veſtibus tollerent, *cineres* tam corporis maledicti quam veſtium damnati collecti *in medium Rheni ſunt projecti.*

Ecce novella certiſſima nulla conficta falſitate. Qua ex re te ipſam de cætero conſolare, & ſpiritum triſtantem revoca in gaudentem animam, & redivivam te totam cernes, omnibus anxietatibus, doloribus & mœroribus extirpatis.

Johannis Parvi dogma. Cæterum *in eadem ſeſſione quidam articulus falſus fuit condemnatus*, qui ſequitur ſub hac forma: *Tyrannus quilibet poteſt & debet licite & meritorie occidi per quemcunque vaſallum ſuum vel ſubditum, etiam per inſidias & blanditias vel adulationes, non obſtante quocunque juramento, ſeu confœderatione facta cum eo, non expectata ſententia vel mandato judicis cujuscunque.* *in Concilio Conſt. damnatum.*

Hæc igitur acta ſunt contra hæreticos, ipſorumque errores & hæreſes. Fautores vero eorum in *Bohemia* nominatim citati ſunt, qui revera videbunt in poſterum vel pœnis jurium atque legum coacti, aut pœnitentia ducti, ſe male ſenſiſſe, & contra ſanam doctrinam & Romanam Eccleſiam inaniter & doloſe fulminaſſe. *Aſſeclæ Huſſi Bohemi ad Conciliũ citati.*

DISTINCTIO XII.

De Hieronymi Pragenſis recantatione, in Concilio Conſtantienſi facta.

ET tu, ô ſponſa dulciſſima, ex hæreticis, qui tibi multum nocuere, alterum propoſuiſti, prænominati *Johannis Hus* damnatæ memoriæ *diſcipulum*, qui præfatorum *Johannis Wiklef* & *Johannis Hus* hæreſiarcharum errores, ſectas, & hæreſes confirmavit. Cujus præſumtuoſa audacia in *civitate Pragenſi* homicidia plura commiſſa ſunt, rumores atque infamiæ contra ſanctam fidem increverunt, & mala quaſi innumera ſunt perpetrata.

Hic tamen quanquam tantorum patrator malorum reſipiſcebat nuperrime, *XI die menſis Septembris* ſe paratum exhibens, ſanctæ ſemper obedire Romanæ Eccleſiæ, atque ſacro generali Concilio, quod univerſalem Eccleſiam repræſentat. Hinc & præfatas omnes *revocavit* hæreſes & errores. *Revocavit Hieronymus Pragenſis in Conc. Conſt.*

Et ut clareant hæc ſingula, *revocationem* ejuſdem ponam, quam ipſe propria ſcriptam manu ore ſuo, ſicut hic ſequitur, revocavit: *Ego Magiſter HIERONYMUS de PRAGA, Magiſter in liberalibus artibus, generalium ſtudiorum, Pariſienſis videlicet, Colonienſis, Heidelbergenſis & Pragenſis: Libera mente, nullo cogente aut impellente hoc proprio meo ſcripto coram vobis reverendiſsimis in Chriſto Patribus & Dominis ArchiEpiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, coramque Doctoribus & Magiſtris variarum facultatum doctiſsimis atque præſtantiſsimis, coramq; cæteris Dominis quorumcunque ſtatuum aut graduum, ſingulis & univerſis hujus ſanctæ congregationis, profiteor, quod ſto & ſemper ſtare paratus ſum firmiter & fideliter cum ſancta, catholica, Apoſtolica & Romana Eccleſia, in determinationibus & ordinationibus ejus, tanquam cum matre mea, & Domini mei ſponſa, atque Chriſti fidelium, nedum decretorum ſed & decernendorum vera magiſtra, cui ſenſum meum non æquans ſeu præferens, ſed coaptans atque reverenter ſubjiciens, nunc & ſemper humiliter obedio, atque ſemper obedire paratus ſum, prout filius fidelis, qui tenetur fideliter pro viribus ſuæ honeſtiſsimæ matris tueri honorem ubilibet, & fortiter & conſtanter defendere. Et inſuper conſequenter eadem libertate profiteor, vere atque veridice, quod cum ſacroſancto Conſtantienſi generali præſenti Concilio, quod quidem modo concilium dictam Dei Eccleſiam repræſentat, ſto & ſemper ſtate paratus ſum, fideliter & firmiter, ſuper determinationibus & ordinationibus ejus, & præſertim in his, quæ ad fidem pertinent, ratas nedum tenens eas aut profitens, ſed conſtanter tenturus & profeſſurus: Et cum hoc ſto cum ſacro concilio, atque ſemper ſtabo in determinationibus ſuper condemnatione XLV articulorum Magiſtri JOHANNIS quondam WIKLEF, aut ſi omnes non ſint illius, ſunt cujusvis alterius, & XXX articulorum Magiſtri JOHANNIS HUS, directe atque ſincere profitens, rite ac militer* *Formula revocationis Hieronymi Prag.*

ter illas eſſe condemnatas ſententias, tanquam Chriſti fidelibus obnoxias, atque dictam ac redictam ſanctam Dei Eccleſiam turbantes, in hoc nullum præjudicium faciens, ſed & neque facere intendens veritatibus ſacris, quaſi dicti viri ſcripſerint aut docuerint ſcholaſtice ſeu populariter. Et de articulis XXX Magiſtri JOHANNIS HUS partialiter loquens dico vere atque veraciter, quod dum mihi prima fronte ad videndum erant oblati in ea forma, in qua nunc ſtant, ejus eos eſſe non credidi. Sed poſtea informatus quaſi plena informatione per egregios Doctores atque Magiſtros, qui præfato JOHANNI HUS in illis formis coram præſentia ſacroſancti Concilii eoſdem legerunt articulos, illius eſſe didici. Verum ad removendum totum ſcrupulum mentis pro proprio libro prædicti redictique Magiſtri JOHANNIS HUS ſedulo diligenterque inſtiti. Et tandem librum ejus ſcriptum propria manu illius adeptus ſum. Et tempore accepto & acceptato cum tribus in Theologia ſacra ſolennibus Doctoribus duplicatos jam ſæpe dictos articulos à primo incipiens uſque ad ultimum perficiens cum ejus libro contuli, eoſque omnes & ſingulos in illis præciſe formis, in quibus damnati ſunt, in ejus libro ſua propria manu ſcripto reperi. Et proinde ſecure iſtas per ſacrum præſens generale concilium confutatas, reprobatas, atque condemnatas ſententias profiteor confutandas à Chriſti fidelibus, reprobandas atque condemnandas, non omnes ut hæreticas, neq; omnes ut erroneas, ſed quaſdam ex eis ut hæreticas, quaſdam ut erroneas, & quaſdam ut ſcandaloſas. In hoc Deum teſtor, non intendens in aliquo præjudicium facere aut perſonæ, aut ejus, meo videtur, bonis moribus aut ſacris veritatibus plus quam pluribus, quas audivi ab eodem & in ſcholis & in prædicationibus popularibus plurimis. Imò ut verum fatear, propter ejus dulces mores, & antè hoc propter ſacras veritates, quas inſtanter explanando verbum Dei ad populum referebat, intimus amicus eram perſonæ, & gratia veritatis defenſor ejus honoris, ad quemcunq; locum deveneram. Nunc ſcriptis ejus propriis certificatus, ejus errorum amicus eſſe non volo, eo quod ſemper meo fideli & directo propoſito cultor veritatis ſum & eram. Eſto, quod ſint amicus & Plato & Socrates, ſed magis amica veritas mihi eſt, & eſſe debet. Nec, rogo, hoc ſcripto meo, quod libere & voluntarie trado, quiſquam offendatur in animo, ut, quaſi detractor & calumniator honoris mei, putet ſeu adſtruat quoſque revocare aut retractare per præſens ſcriptum errores, ſeu quaſcunque hæreticas ſententias: quod de gratia Dei certus mihi ſum, quod nunquam in ſcripturis ſacris aliquem errorem aut aliquam hæreſin pro fide tenuerim, quanquam & eos audierim, legerim, quos jam ſæpe dicta ſancta damnavit Eccleſia, nunquam ſcienter autoritatem eorum præferens autoritati matris meæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Tandem hæc præſcripta ſingula & univerſa per me in ſtilum redigens & manu propria ſcribens nunc libere & voluntarie trado mea propria manu primùm Dominis & Reverendiſſimis Patribus Dominis Cardinalibus, præſertim cauſæ meæ deputatis, & cæteris, rogans reverenter, ut dignentur iſta ſcripta ex parte mei juxta ſapientiam ipſorum pleno offerre ſacroſancto præſenti concilio, ut hoc ſcriptum fiat ſempiternum munimentum fidei meæ orthodoxæ, & poſt mei honoris: Etiam, ne quis ſit in quoquam angulo mundi, qui audeat meo nomine iſtas reprobatas & damnatas per hoc ſacrum concilium tueri aut approbare ſententias, & ut toti Chriſtianitati reſplendeat, ne dum me iſtis ſententiis non eſſe propitium, verum etiam eſſe atque continue fore ſempiternum inimicum. Scriptum per me atque lectum in Conſtantia, in loco ſeſſionis, in majori Eccleſia, coram congregatione magna, proxima feria quarta poſt diem nativitatis ſanctiſſimæ Dei virginis & genitricis Mariæ. Quæ lectione ſic, ut præmittitur, per me facta ulterius requiſitus ego Magiſter HIERONYMUS prædictus iterum de quibuſdam, ad quæ aliàs ſub conditione reſpondi, ad eadem cathegorice & ſine conditione reſpondeo, & dico, quod jam plene & ſufficienter informatus de ſententiis latis per ſacrum Concilium contra JOHANNEM WIKLEF quoad condemnationem doctrinarum ejus, librorum, & perſonarum, per hoc ſacrum Concilium damnatarum, eidem condemnationi aſſentio, & approbo eandem, quantum in me eſt, & quæcunque præſens Concilium damnavit aut damnabit, habeo & habebo pro damnatis, & hoc coram toto cœtu hujus ſacri Conc. proprio juramento affirmo.

Digitized by Google

DISTINCTIO XIII.

Epilogus.

RESpondiſſe me arbitror invectionibus tuis ſingulis, quas in medium produxiſti, neque ad aliquod inductum me recolo ſiluiſſe. Quapropter, ſi in animo tuo aliquid vagari contigerit, proponere ne differas, ut ſopitis quietem impedientibus ſic ſaltem dormire compeſcaris. Aut ſi alia quæcunque ea fuerint, ruminaveris, aut fortuito interim acciderint, ediſſere, reſponſum gratanter acceptura. Et *ad librum ſeptimum* reſervato verba proponenda & ſententiam promulgandam.

LIBER SEPTIMUS.

De Periculis & cauſis dubiis ac ancipitibus in Concilio Conſtantienſi.

METRUM.

Querela Eccleſiæ de periculis novis in Concilio redeuntibus.

PArce mihi, nam parco tibi, dulciſſime ſponſe.
Si taceam, plango: ſi loquor, elacrymor.
Facta velut *vidua*, velut omnibus omnia facta,
Stultaque & inſipiens, ſum miſeranda nimis.
Infelix ego ſum, felicibus orta catervis:
Quæ felix fueram, probra tacens patior.
Cur tibi, ſponſe meus, placuit, quod carperet iter
Sponſa tui *miſera*, te patiente Deo.
Quid juvat, e throno tantos te cernere poſſe
Planctus, tot lacrymas, tot gemitus genitos.
Non fuit in mundo tanto miſerabilis unquam,
Qui mihi par fuerit, qui ſimilis fieret.
Sum *monſtrum*, monſtri, monſtro deformius omni,
Me monſtrant omnes: *Fabula* facta nova.
Heu, quid agam! Plorans plorabo? Nec ſatis illud
Sufficiet menti, quæ vaga, quæ miſera.
O fortuna volans, ubi nunc es? En mea verſa
In planctum eſt cithara: Fit lacrymoſa dies.
Summa: Mihi fuit in ſpecie ſpes firma, manendi
Abſque dolore gravi. Sed dolor, hincque pudor.
Dum putat exire *captus* rete flumine *piſcis*,
Volvitur è medio jam lacerandus humo.
Cerno quidem, cerno nihil infelicius unquam,
Quam ſpem fruſtratam, quæ rata facta fuit.

PROSA

Digitized by Google

PROSA LIBRI SEPTIMI.

De magnis, arduis ac difficilibus fatis ac momentis quibusdam, in Concilio Conſtantienſi incidentibus.

Distinctio I.

De Johanne XXIII. qui poſt reſignationem turpi fuga ſalutem quæſivit, priſtinam dignitatem Papalem affectans.

SUperius memoraſti exultabilem *Johannis Papæ XXIII. reſignationem*, quæ exitiale hoc atque nefandisſimum ſchisma pelleret è medio, & quaſi jam unitatem inveneris, lætatus es. Eâdemque, ut aſſeruiſti, effectâ, pacem plenam, unionemque perfectam prophetabas adventuram.

Ecce *reſignatio facta* eſt, nec dum pacem vides perfectam aut plenam. Imo *noviſſima prioribus pejora* ſunt effecta.

Comparatio Johannis XXIII cum Achabo ac Ieſabel. Timeo, ne *ſpiritus* ille, qui decepit *Achab*, & illi illuſerit, aut certe *Jeſabel*, illa impiiſſima mulier, quæ Naboth innocentisſimum virum falſo peremit teſtimonio, *illi conſuluerit*, ut derelicto unionis ſanctæ propoſito, cui inverſabatur, ad ſchismatis confirmationem procederet cum effectu, & me innocentem ſævis obrueret lapidibus, tam atrociter quàm traditorie perimendo.

Neſcio, an quæ fuit *infamia* iſta major, cui ſe ſubdidit ille, qui reſignavit ſummo pontificatui, de quo præſens verſatur ſermo: *Sceleratisſimus* inquam *homo* ille, qui *novo genere mentiendi* ſe amicum tuum meumque monſtrarat: Ut ſic ſub *doli* præcipitio me immaculatam præcipitaret, & novello inveniret ingenio, Satanæ calliditate ſeductus? ut quæ *verbo* atque *ſcripto* compoſuit, & eleganti pronunciabat eloquentia, coram totius Chriſtianitatis præſentia, *facto* ipſemet diſcinderet, & relictam tunicam inconſutilem ſcinderet atq; divideret, in gentilium Judæorumque cachinnum ac deriſum, & meæ lacrymoſæ matris infamiam, ſcandalum ac gravamen.

Novum genus mentiendi Johannis XXIII

Reſignatio fallax.

Comparatio Johannis XXIII cum Abſalomo. Ecce *Abſalon* parricida patrem ſuum perſequitur: Et iſte patrem, matremq; interficere machinatur. O horrendum, & mundo notorium flagitium.

Fuga Johannis XXIII. è concilio. Fugit ſanctam congregationem *Balthaſar Coſſa*, ut novum ſchisma generet, qui utique animam & corpus pro me exponere deberet.

Sed attendamus *modum*, & intueamur *fraudem fugæ*, quam ſcandaloſe confinxit, Sathanæ ſtipatus auxilio.

Nox præſidium fugæ. *Achitophel* revixit in dando tam maledictum conſilium, quo tota Chriſtiana religio vitiatur. *Receſſit*, inquam, ſceleratiſſimus homo ille *nocte*, cum jam tenebræ eſſent. Sicut *Judas* capta buccella panis noctu egreſſus eſt à ſancto Concilio tuo, & Apoſtolorum tuorum, te traditurus. Receſſit & iſte à ſancto Concilio filiorum tuorum nocte & in tenebris, atque mortis umbra. Neque minor culpa iſtius, quam illius. Cum & uterque te tradere præſumſerit, & quantum in utroque fuerat, te tradiderunt. Et ſi acute perſpicitur iſtius crimen, gravius oſtenditur quam illius. Ex fine namque omnia denominantur. Nunc ergo ex traditione Judæ mundus ſalvatus eſt, & fides atque Evangelium introiit in mundum. Sed ex iſtius receſſu mundus, fides, & Evangelium peribunt, perfidia & rebellio creſcent, hæreſes, ſchismata & errores innovabuntur. O quam plangenda fuga, cujus occaſione infirmatur religio Chriſtiana. O miſerabilis exitus, qui deſolatam efficit pacem ac unionem, huc usque inevitabiliter exoptatam. O fera peſſima, quæ devoravit dilectiſſimum Joſeph, quem Ruben quæritans non invenit.

Comparatio Johannis XXIII cum Juda proditore.

Eluſum Concil. Conſt. Ceſſit igitur, & *eluſum eſt ſacroſanctum Concilium*, comitantibus plerisque, qui ejusdem profugi atque vagi viri veſtigia

gia miſerabili inſectantur comitiva.

Nec ſuffecerunt clandeſtinus illius receſſus, tempus nocturnum, hora illicita: Sed & *dolus fregit promiſſionem, votum & juramentum*, quæ ille publice coram toto fidelium cœtu pronunciabat.

Perjuriũ Johannis XXIII.

Hæc egit & perfecit in *habitu diſſimulato* & indecenti, per fraudem & aſtutiam, ut infringeret totius ſanctæ religionis ſperatam unitatem. Peccavit igitur major, & *alii ſecuti ſunt*, qui merito & de jure animam & corpus pro te exponere usque ad mortem debuerunt.

Fugiens habitum mutavit.

Inventus eſt igitur ſummus & principalis *ſchismatis fautor*, excellens duos ejus prædeceſſores Neapolitanos, in omni malitia exercitatos: *Urbanum* videlicet *ſextum, parricidam*, qui propria innixus malitia quinque de ſuis Cardinalibus uno Epiſcopo adjuncto interimi mandavit & occidi: Poſt quem *Bonifacius IX*, qui *avaritia illectus* totam fœdavit Chriſtianam dignitatem.

Encomia trium Pontificũ Johannis XXIII. Urbani VI.

Bonifacii IX.

Sed vir iſte quantis fuerit de facto convictus illecebris, *articuli* contra ipſum annotati nude manifeſtant.

Ex quibus colligo, pacem & unitatem Eccleſiæ dari non poſſe: Cum *Balthaſar* totam illam congregationem diſſipaverit; Et Sathanæ verſutia firmatus, ad proprios lares venturus, pejora faciet, quam fecit usque in diem hodiernum. Nam tyrannide armatus non curabit, quid agat mali, dummodo ſuam impiam exequatur voluntatem. Tota illi adhærebit Italia, Francia ſe illi reuniet, & in caſſum laborabunt, ſi qui remanſerint Conſtantiæ, unionem, pacemque inchoatam perfecturi.

Pericula ex fugiẽte Johanne XXIII.

Distinctio II.

De Auxilio Auſtriæ Ducis FREDERICI, Johanni XXIII. è Concilio fugienti lato.

SEd poſſes, ô mi ſponſe, congruenter dicere, *Regem*, defenſorem neum, tantæ potentiæ, imo armatæ militiæ tam ſtrenuum poſſeſſorem, ut & Papam cum ſuis reducat invitum. Ut ſic deſiderata perficiatur religionis tuæ pax & unio perfecta. Facile quidem hoc crederem, ſi Frederici *Ducis Auſtriæ*, viri potentiſſimi, manus non adeſſet, qui præfato Johanni auxilium pariter & conſilium, præbuit, præbet, & præbebit. Qui, ut aſſeritur, attractus munere illius, in caſtris & oppidis ſuis ipſum ſecuravit, potens in deſpectum cujusquam eundem deducere, & ad patriam ſuam remittere manu ſua armata ipſum juvante; Cujus exercitus arenæ maris dicitur comparari.

Per Sigismundum à fuga revocandus Johan. XXIII.

Fridericus Auſtriæ Dux juvit fugientem Papam.

Quapropter timendum, ne, ſicut in *Piſano Concilio* unum Papam creare conati ſunt illi, ad quos electio ſpectare videbatur, & accreverunt *tres Papæ*, & in fine noviſſima prioribus pejora ſunt effecta: Sic & nunc *fugientem Johannem Papam XXIII*, & ad lares patrios rediturum, pro Papa conſtituant & habeant. *Petrus* etiam *de Luna* non reſignabit. Et hi, qui ſacro inhærent Concilio *tertium creabunt*. Et ita deinceps ſchisma fovebitur, & me miſerabilem matrem impiis telis confodient, & crudeliſſime lacerabunt.

Publicus metus ſub Concilio Conſt. ex fuga Papæ.

Horum omnium & ſingulorum cum recordata fuero, quomodo incidet in mentem horrendi hujus caſus mei & infortunii mei plangendi felix aut *optatus finis?* Hæc me, ſponſe mi dulciſſime, commovent & perturbant. Æſtimo, me non inculpandam, cum & cauſas mei indicibilis proferam doloris, quas tibi, tanquam ſponſo meo fideliſſimo, occultare non audeo, neque easdem te latere volo, cui omnia mei ſecreta præcordii manifeſto.

Distinctio III.

De Johanne Hus, qui ab incendio cultus pro Martyre ab aſſeclis.

PLura, imò plurima occurrunt, & mirabiliter multa, ſanctam & deſideratam deprimentia unionem. Superius etiam eleganter Johannis Hus

incen-

Digitized by Google

Incendiū Huſi. *incendium* pronunciaſti damnatæ memoriæ, lætitiam mihi inditurus, ut illius, quem ignis cremavit, non noceat in futurum error, aut hæreſis, quam impio ore prædicabat.

Aſſeclæ Huſi. Nam tanti factum eſt, ut *Reges, Duces, Comites, nobiles* & *ignobiles illius* venerentur & *acceptent* damnatos *errores*, perſonamque præfati hæreſiarchæ martyrii plenam & percolant & honorent.

Huſſus combuſtus pro martyre habitus ab aſſeclis. Aſſeritur veridicorum ſermonibus, qui id non ſolum audierunt, ſed & vidiſſe ſe ajunt, JOHANNEM Hus, quem ſacra Conſtantienſis Synodus purum damnavit hæreticum, *pro martyre depictum* in ſolenni civitate Pragenſi. Et tanquam *pro fide certaverit*, *juſtum & ſanctum* illum virum conſecrarunt, opinantes, eundem inter ſacrorum numerum Deorum feliciter ac glorioſe collocatum.

Huſitæ Concilio Conſt adverſi. Si igitur tam pauca populi congeries ſe præfato ſæpe *opponit Concilio*, illius monita ſpernens, acta contemnens, & doctrinam aſpernans ſalutarem: Quid facient alia regna, ducatus, comitatusque, dum hæc viderint & audierint? Nonne & ſenſus eorum pervertentur, qui in quocunque hominum proni ſunt ad malum. Reſiliunt equidem præfati à ſancta Romana Eccleſia, quæ repræſentative in ſacro conſiſtit Conſtantienſi Concilio. Reſiſtunt plenitudini Romani Imperii, quæ ex electione Romani regni reſidet in Sereniſſimo Principe *Sigismundo*, advocato univerſali ſanctiſſimæ ſponſæ tuæ, qui nos defendere debuerunt.

Sed ex his amariſſima mente colligo, non ſatisfacere verba, quæ promſiſti, ſolatii magni methodum oſtenſura, cum & tot *impedimenta* poſita ſint, & tot *ſcandala* hinc inde oriantur. Si enim non valebit mundi ſapientia, *unius regni* pellere errores, malitiam tollere, ſchismata evellere, quomodo *totius univerſi* horridas ſectas, hæreſes & errores, & ſchismata inveterata conſumet & abrogabit?

Quinimo & iſti de erroribus, quos penes nos *errores* ſic reputamus, & vere hæreſes ſunt & errores, *doctrinas ipſi prædicant ſalutares*. De his etiam, quæ ſacrum damnavit concilium, riſum illi faciunt & cachinnum. Et de publice promulgatis per idem Concilium hæreticis, *martyres* efficiunt & *theodoxos*. Enim vero non verentur in ſtratis canere de præfato *Johanne Hus* hæretico: *Hic eſt martyr, qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fudit.* Unde & ſecundum illos ipſe dicere poterit in laudem Jeſu: *Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.* *Huſitarum affectus in Huſſi exuſti doctrinam.*

Ecce mi ſponſe dulciſſime, an gratis mœrore deſluo, quæ tanta contra me intueor ingeri, & me tam amaris cerno jaculis ſagittari?

DISTINCTIO IV.

De Hieronymo *Pragenſi, ſuam revocationem in Concilio factam in Concilio iterum retractante.*

MOvet etiam me novella malitia novelli hæretici, HIERONYMI videlicet DE PRAGA. Qui tam eleganter, ut ipſe proponebas, errores ſuos *revocabat*, ſe ſacro ſubjiciens concilio, & determinationi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ: Qui etiam in condemnationem præfatorum hæreticorum, *Johannis Wiklef & Johannis Hus* conſenſit, ut ex ſuperius notatis claret evidenter. *Hieronymus Pragenſis ab Huſſi doctrina receſſerat.*

Ad doctrinam Huſſi rediit. Hic tamen, ſalutis ſuæ immemor effectus, *recidivavit*, totum ſacrum Concilium ſcandalizans, & primo tuum contemnens honorem, deinde tuorum aſpernatus doctrinam. Ut forſan prædictorum errorum fautores, ſi qui ab eis declinare voluiſſent, iterum induceret, ne ab ipſis reſilirent, ſuis pertinacia & præſumtione tanquam muro reſiſtentibus, quibus totum Chriſtianitatis ſtatum evertere machinatur.

Sectatores Huſſi per multi. Quibusdam latrantibus, in illo hæreſiarcha tantam infuſam eſſe *ſapientiam*, ut neque totius religionis Chriſtianæ ſcientia illum convincere poſſit ulla

la ratione. Qua ex re multi, ut vulgus aſſolet, multa loqvuntur: Ut etiam etſi non patentes, habere tamen videatur latentes pleroſque conſautores.

Referam igitur, quæ retulit in *ultima ſua* coram ſacro Concilio *præſentatione*, quæ erat ſabbato poſt aſcenſionis tuæ, anno à nativitate tua M CCCCXVI, in medio omnium conſtitutus, voce patula, facie pallidula, prolixa barba atque nigra.

Huſſitica Confeſſio Hieronymi Pragenſis A. 1416.

A deputatis interrogatus, & admonitus de ſcriptura propria manus ſuæ, qua revocavit illorum, quos præfatus ſum, hæreticorum ſententias & errores, Reſpondit luculenter: *Manus ſuæ ſe non negare ſcripta, neque revocationem per ſe non factam: Sed ſe nunquam graviori crimine atque peccato circumvolutum a*jebat, *quàm, cum illam revocationem pronunciaſſet. Nunquam etiam ſe de aliquo peccato tantum doluiſſe, quantum ſe dolere* aſſerebat, *quod ſententias præfatorum, & ſanctorum virorum, Johannis Wiklef & Johannis Hus revocaſſet, & in mortem illorum bonorum virorum conſenſiſſet. De quibus omnibus usque ad mortem ex intimis ſuis ſe dixit velle pœnitere.*

Audiverunt hoc omnes, & quem omnes ſalvari voluerunt, ipſe in ſua pertinacia permanebat, damnans ſemetipſum.

Excluſit tamen *articulum unum*, quem *Johannes Wiklef* poſuit, nolens ipſi in illo dare fidem, ſed plus cenſuit eſſe credendum ſancto *Auguſtino*, quàm *Wiklef*. Unde dixit: *Ego credo, quod in altari ſit verum Chriſti corpus, quod natum eſt ex Maria Virgine, quod crucifixum eſt, & quod judicaturum eſt vivos & mortuos. In aliis autem conſentio dictis Johannis Wiklef, & Johannis Hus, qui fuerunt homines ſancti & juſti, & bonæ vitæ.*

Hieronymi Pragenſis ſententia de Sacramento cœnæ.

Si igitur tanta functus temeritate ſolus, *homo unicus* tantam ſpernit congregationem, quid facient alii, quorum potentia magna, turba multa, & timor horribilis in univerſo prædicatur? Et revera, pleroſque novi, quibus riſum, imò contemtum *Conſtantienſe Concilium* præbet. Unde non immerito amaritudine repleta ſolatiis omnibus ſum deſtituta.

DISTINCTIO V.

De expectati in Concilio FERDINANDI, REGIS ARRAGONUM, obitu, & de Legatis ejus moras nectentibus.

POſt paucas tribulationes & lacrymas conſolabiles, prodeunt anguſtiæ irremediabiles, dolores indicibiles, & luctus intolerabiles.

Nam recordor, te in præfatis apertiſſime dixiſſe, *quintam nationem per Arragonenſes formandam.* Qui & infallibiliter adventuri nunciabantur. De quorum acceſſu multum ſollicitata ſperabam ſatis, unionem affuturam, cum & illi de obedientia *Petri de Luna* perſtiterint. Qui, ſi ſacro ſe junxiſſent Concilio, unitas fortaſſe fuiſſet ſubſecuta.

Sed, ut dicitur proverbialiter: *Rumores ſæpiſſime falſi:* Claret etiam luce clarius, FERDINANDUM *Regem Arragonum* Conſtantiam non venturum. Cum inclitus ille *Rex* diem clauſerit extremum, *die VII menſis Aprilis* anni à nativitate tua ſuperius prælibati. *Cui ſacroſancta Conſtantienſis ſynodus ſolennes*, ut meruit, *exequias celebravit.*

Ferdinandus Arragoniæ Rex defunctus A.1416.

Qui revera Sereniſſimus Princeps toto conamine, & viribus totis ad ſanctæ Eccleſiæ unionem anhelavit. Ecce mortuus eſt, in quo tota ſpes mea reſedit. Dedit terræ corpus, ut ibi putreſceret, unde formatum eſt. Tradidit Deo Patri ſpiritum, ut ad illud glorioſum perveniret habitaculum, ubi ſanctorum juſtorumque animæ recondi conſueverunt. O quam hujus deſiderati viri mors pretioſa, ſed non affectata. O quam felix interitus, cujus in terris bona vita præceſſit. O quàm beata anima, felixque tranſitus tam ſancti viri, qui ad unionem ſemper totis viribus & ſpiritu intendebat.

Encomiũ Ferdinandi Regis Arragoniæ.

Hic namque vir egregius quantos ad meæ pacis unitatem labores habuerit, literæ ipſi ſcriptæ, & per ipſum aliis miſſæ ſinceriſſime manifeſtant. Cum igitur tanto me privaveris filio, tam intimo zelatore me ſpoliaveris, unicoque animæ meæ ſolatio deſtitueris, quid eſt, quod de cætero attentabo? Ad

Digitized by Google

Ad quem refugiam? In quem confidam?

Per hunc namque *Petri de Luna* potentia infirmata fuiſſet. Status caſum habuiſſet, & gradus illius dignitatem amiſiſſet. Nunc igitur cecidit corona mea, gaudium meum commutatum eſt, & ſpes mea arefacta eſt. Recipiet & ille inveteratus dierum malorum audaciam novam. Cornua novella accreſcent illi, & erit hircus ipſe contra agnum pugnaturus, & ſtabit in majeſtate ſua, in ſe ipſo de tam glorioſi Regis morte gloriaturus. Dicet namque: Exaltabo ſuper cœlum ſedem meam, volens altiſſimo ſimilari, ſed ero ſuper omnes altiſſimus, neſcio Deum cœli ſuper me. Sacro reſiſtam Concilio, argumentis & rationibus phaleratus: Non eſt, qui poteſtati meæ reſiſtere valeat: Quidlibet faciam, nullius contrariante majeſtate.

Publicus illo tempore metꝰ de arrogantia Petri de Luna.

Ecce, mi ſponſe dulciſſime, quamobrem mœrore conſumor, triſtitiis pereo, & tribulationibus inquietor. Sola *mors illius Sereniſſimi Principis* ad iſtas amaritudines me perducit. Non venient igitur, qui venire deſiderabantur, non exibunt terram ſuam, & cognationem ſuam aut domum patris ſui, qui exituri ſperabantur. Ut longæ factæ ſint viæ ſanctæ unionis, quæ tam propinquæ ante prædicti Regis mortem ſpectabantur.

Obitus Ferdinandi di Arragonia Regis remora Concilii Conſt.

Distinctio VI.

De Petri de Luna ſ. Benedicti XIII. Concilium eludendi artibus.

Non minus me movet, imo permaxime anxiat ſpiritum meum, & anguſtiat animam meam *Petri de Luna* perverſa & impia *doloſitas*. Qui, ut noſti, quantam operam dederit ad unionem & pacem Eccleſiæ dandam tempore Gregorii, prout literæ ejus manifeſtant, tantam nunc monſtrat repulſam, ne ſanctæ pax unionis ad finem debitum perducatur.

Dolus Petri de Luna ſ. Benedicti XIII.

Hic eſt veriſſime *induratus* ille *Pharao*, qui neceſſitatis in tempore populum Domini promiſerat victurum in pace, ſed ſuæ redditus voluntati, prioris immemor voti, eandem Domini plebem crudeliter affligebat. Certe vir iſte quantis, *dolo, fraude, aſtutia*, prudentia, cautelave me ſponſam tuam vexaverit, res ipſa producit in medium, quam ſuo proprio ſcripto ante decennium doloſiſſime publicavit. Scripſit namque ſancto & juſto viro, Domino *Gregorio*, pro tunc univerſali Pontifici, in hæc verba, quæ etiam ſuperius clarius annotavi: *O te felicem, ſi ad hoc te Dominus reſervavit, ſi facultatem ad ea, quæ tibi data videtur, cum omni diligentia efficaciter proſequens nobis in affectu proſequendæ unionis te reddendo conformem, prout ſpopondiſti, de contingentibus nil omittas. Ad hoc enim piis te exhortationibus invitamus; Ad hoc nos promtos reperies, hoc videre ſummopere cupimus, ad hoc noſtra ſemper proſpiravit, & proſpirat intentio, noſter intendit & attendit affectus, ut Deo dirigente, qui novit, & præſtante, qui poteſt, per noſtra humanitatis miniſterium unio in Dei Eccleſia deſiderata ſequatur.* Et multa hujusmodi, quæ ſupra poſui *libro quinto, diſtinctione quinta.* Ubi ſe ſemper ad exſtirpationem ſchiſmatis perficiendam, & optatam ſibi unionem aſſequendam promtiſſimum ſcribit & paratum, annotans, ſe velle ſuo veriſſimo juri & papatui pure, libere, & ſimpliciter cedere & renunciare, & cætera perficere, prout in literis ſuis publicat manifeſte.

Comparatur Petrꝰ de Luna cum Pharaone.

Ecce locutus eſt falſitatem ore ſuo, & dolum in corde cogitavit, & mentita eſt iniquitas illius. Non cuſtodivit linguam ſuam, ut non delinqueret ea, ſed tanquam latens inſidiator, quæ lingua & ſcripto firmaverat, & mundo publicaverat, nunc re ac facto falſiſſima monſtrat, & dolo plena. *Ipſe* enim inter omnes *ſolus eſt, qui reſignare aut cedere contemnit*, cum alii jamdudum reſignaverint, & ceſſerint pleno cum effectu.

Petrus de Luna cedere Papatu noluit.

Meritò igitur nomen ipſi *Petrus de Luna* congruit. Ut in nomine ejus fiat expreſſio rei, quam facit, ſecundum illud Pſalmiſtæ: *Secundum nomen tuum ſic & laus tua in fines terræ.* Revera nomen ſibi grande uſurpavit, contumeliæ videlicet, dedecoris, quod jam mundum redo-

redolet per univerſum. Videamus ergo nominis ſui proprietatem. *Petrus*, ut norunt omnes, *agnoſcens* dicitur. Cognoſcit igitur: ſed de quo ſit illius cognitio, agnomen illius inſinuat, cum additur *de Luna*. *Luna* inſtabilis eſt, mutabilis eſt, creſcit, decreſcit, in eodem ſiſtere neſcit. Hujus domus cancer eſt, qui eſt piſcis retrogradus. Sic *ipſe in ultima ſuâ conſtitutus ſenectute*, & in fine, quo factam debuit fovere unionem, retrogradus eſt inventus.

Inconſtantia Petri de Luna.

Sed mirum eſt, quomodo ipſi pontificale nomen ſanctum *Benedictus* ſit impoſitum, cui tota res ipſa contrariatur. Unde advertenter conſiderandum eſt, quod rem ipſam nomina deſignent. Nam nomina ex rebus, non res ex nominibus tracta eſt. *Benedictus* namque vocatus eſt *Petrus de Luna*, non, quod in re ipſa ſit benedictus, ſed *nomine ſolo*. Sicuti namque literis & lingua unionem ſanctam deſiderabat, ſic ſola *Benedictus* eſt *apparentiâ*, ſed non rei exiſtentia.

Enimvero, cum tot, tantasve per orbem emiſerit literas pro ſanctæ unionis intimo zelo, Benedictus eſt acclamatus. Quaſi diceret omnis lingua: Benedictus, qui venit in nomine Domini, qui talem virum radio divini ſplendoris luminoſum orbi contulit univerſo, qui & inveteratum & exitiale ſchisma tollet è medio. Hæc vox mundum ferebatur per univerſum. Et ſolo *nomine Benedictus* vocatus eſt, ſed *re ipſa* veriſſime *maledictus*. Conſtat igitur, nullum ex nomine ſolo ſalvandum, ſed meritum bonum per gratiam Chriſti ſalvat omnem hominem; quanquam etiam perverſo nomine nominatur.

Benedictus XII. maledictus.

Maledictus ergo ille *Benedictus*, cui non poterit dici: *Ingredere benedicte Domini, cur foris ſtas?* Sed rumore crudeliſſimo illi acclamabitur: *Egredere maledicte Diaboli, cur intus ſtas?* Dignum enim eſt, & juſtum, ut, qui toti Chriſtianæ religioni maledicit, exeat foris condemnatus, & epiſcopatum illius accipiat alter, illo ſede ſua cathedrali rejecto.

Sed, o mi ſponſe dulciſſime, multum horreo hujus maledicti ac nequiſſimi viri *dolum* atque nequitiam. Quem ſacrum *Conſtantienſe Concilium* favoribus comprehendere non valet, neque viribus obtinere. Qui ſe ſummum gloriatur Pontificem, & adhærentibus ejus miram infundit audaciam, Regibus videlicet & Principibus, ne ipſum deſerant, quem verum eſſe Papam cognoverint. Confidit opibus & divitiis, atque ſuæ manſionis ſecuritate. Cujus, ut fertur, manſio nulla poterit indignatione compelli, nulliusve potentia poterit ſubjugari. Quæ omnia ipſum contra te ſponſum meum tyranniſare compellunt, juxta illud Poëtæ:

Pertinacia Petri de Luna.

Deniq; non parvas animo dat gloria vires,
Et fœcunda facit pectora laudis amor.

Etſi per ſæpe ſatum *Conſtantienſe Concilium* obedientiam illi, ut merito mereretur, ſubtracta fuerit, quid proderit iſta ſubtractio, ſi Reges & Principes ei adhærebunt? Quoniam per ipſius mortem non ſequetur unio, cum & illius *AntiCardinales* alium ipſius loco eligant, de quo nullo modo erit hæſitandum. Et per maxime propter *mortem Ferdinandi, Sereniſſimi Regis Arragonum.* De quo in præcedenti diſtinctione cauſam movi.

Quapropter unionis pacem & Chriſtianæ religionis concordiam non video adventuram, cum tot occurrant mala, tot eventus obveniant, totque impedimenta.

DISTINCTIO VII.

De SIGISMUNDO IMPERATORE è Concilio in Galliam *& Angliam digreſſo, pacis conciliandæ gratia.*

LAcrymis lacrymas, fletibus fletus addere cogor. Ut veraciter cum *Alano* dicere poſſim:

In lacrymas riſus, in luctus gaudia verto.
In planctum planſus, in lacrymoſa jocos.

Unde ſuper omnia cogit me ad plangendum dolor inæſtimabilis, & invincibilis mœror. Anguſtiæ enim mihi ſunt undique, & quid eligam, ignoro.

Mor-

Digitized by Google

Mortem ſuper omnia guſtare mallem, quam in tantis ſemper triſtitiis & calamitatibus anxiari. Omne ſolum, patriaque quælibet, gravisſima mihi ſunt onera. Cœlum, ſtellæ, erratici quoque circuli, voluntati meæ contrariantur. Et quocunque me divertero, ſentio, omnem mihi orbem partibus in ſingulis contraverſari. Et unde ſolatia expectabam, gemitus inſeruntur & ſuſpiria perhorrenda.

O me infelicem, miſeramque ſponſam! Cur, ſpreta ſynagoga, me in tot caſuram diſcrimina ſponſam elegiſti? Nonne Ahasverus Vaſti repudiata, Eſter præelegit, quam in ſponſam ſibi dulciſſimam abſque amaritudine conſecravit. Et cur me tot jaculis transfigi permittis? Cur vulnera tanta incuti ſinis? cur me non eripis, quam tuo ſanguine mercatus es pretioſo?

Sigismundi Imp. elogia. Unicum mihi, prout in præcedentibus claret, *ſtrenuum ac fidelisſimum* contuliſti *proviſorem, & advocatum*, REGEM SIGISMUNDUM, mundi per climata virum famoſum. Qui multa per elapſa tempora ad meæ unionis aſpiravit concordiam, quam non modo verbis, ſed & re ipſa, quantum in eo fuerat, approbavit, & confirmavit.

Caroli IV. Imp. filii. Novit cœlum, & orbis teſtatur univerſus, CAROLUM IMPERATOREM, *Regem Bohemiæ*, Principem ſerenisſimum, ac fideliſſimum meum defenſorem, duos generaſſe filios, *Wenceslaum* videlicet & *Sigismundum*.

Wenceslaus Imp. reprehenſus, quod disſidiis Pontificũ non occurreret. Quorum primus, ſenior, videlicet WENCESLAUS, poſt mortem piiſſimi patris ſui in *Regem Romanorum* eſt electus. Qui in ea cauſa, propter quam erat electus in Romanorum Regem, ſegnis fuit, & nimis tepidus. Quia in mei defenſione ſimpliciter frigeſcebat, quam intuebatur devaſtatam, ſchismatibus maculatam, & fere totam deſolatam: Nullis namq; anhelabat niſibus, ut pro mea pace aliquid ageret, ſed tanquam fornicariam me dereliquit, omni prorſus ſolatio deſtitutam.

Sigismundus fratrem Wenceslaum captivum tenuit. Quod cernens piiſſimus *Hungariæ Rex* SIGISMUNDUS, nunc advocatus tuus, dolore cordis tactus intrinſecus, meiq; miſertus, præfatum WENCESLAUM duxit Viennæ captivum, ut eundem opus ſibi injunctum compelleret fideliter exequi.

Sigismundus Imperator electus. Sed neque ſic profuit fœcunda libertas *animoſi Principis* SIGISMUNDI. Quapropter *Imperii ſacri* ELECTORES iſtius fervidum inſpicientes zelum, & alterius tepidum propoſitum, conciliati ſunt ſuper unius electione & alterius depoſitione, ſecundum illud Johannis: *Quod nec frigidus es, nec calidus, ſed tepidus, incipiam evomere.*

Sigismundus Concilium Conſt. convocavit. SIGISMUNDUS igitur, fideliſſimus filius meus, in Regem Romanorum eſt electus, qui quanta pro meæ pacis unitate effecerit, mundum claret per univerſum. Nam *congregavit in Conſtantia generale Concilium*, ubi omnes mundi ſapientes advenerunt. *Ibat Nicæam* ad conveniendum cum Rege Arragonum, & Petro de Luna, ſolenni ambaſia. *Egitq; ut Johannes & Gregorius reſignarent.* Cæteraq; multa perfecit, ut in ſuperioribus apparet, & in ſequentibus declarabo.

Elogia Sigismundi. Neque fuit Rex, aut unquam Perſona ſive publica, ſive privata, quæ tanta effecerit prudentia & ſapientia, quanta vir iſte, verus Chriſticola, ob tui ſanguinis pretium jam perfecit, nullo ſuperatus labore nec æmulorum perterritus aut odio aut timore.

Itinera Sigismundi. *Tranſiit* igitur *Arragoniam*. Peragravit *Franciam* & *Germaniam*. Et nunc eſt *in Anglia*. Et ô utinam ſanus, non infirmus, vivus, non mortuus, liber, non captus!

Ecce, mi dulciſſime ſponſe, pro tanti *Regis*, filii mei, anxior ſalute, anxior ſanitate, timens eum aliqua preſſum moleſtia, aut periculis circumductum. Turbatus eſt ea de cauſa ſpiritus meus, contriſtata eſt anima mea, & gemitu pleniſſimo ſuſpirat intra me cor meum propter rumores multorum, quos audivi.

Rumores in Conc. Conſt. de Sigismundi abſentis nece. Quidam namque latenter inter ſe ruminant, ipſum eſſe *captum*, neque libertati reddendum. Alii *mortuum* ferunt. Cæteri maximis *ſubjectum periculis* eloqvuntur. Inter hæc *veneno* nonnulli ſibilant eundem *decumbere*, & priſtinæ non poſſe reſtitui ſanitati.

Vide nunc, mi ſponſe, qui cœlo mariq;

rique, terræ, pelago & inferno principaris, ubi talem reperiam filiam, filium inquam fidelem, filium prudentem, filium omni ſuffuſum ſapientia, qui me deſolatam mirabiliter & ſupra æſtimationem humanam conſolabatur. Dicam ergo cum David Rege: *Fili mi, fili mi, quis mihi det, ut pro te moriar; fili mi.* Mors enim tua mors mea eſt, pericula tua præcipitatio mea, infirmitas tua ejectio mea, captivitas tua exilium meum. Dicam & cum Tobia: *Ut quid te miſerim, fili mi, lumen oculorum meorum, & baculus infirmitatis meæ; ſine te cæcutio, abſque te collidor & proſternor.* Dicam & cum egregio Jacob Patriarcha: *Fera peſſima devoravit dilectum filium meum, & ideo lugens deſcendam usque ad infernum.*

Precor cœleſtem Regem, precor patrem ingenitum, precor te unigenitum Dei filium, ſponſum meum, ut me oculis meis illum facias cernere, antequam moriar, dilectum filium meum, quem elegi ex millibus fideliſſimum & electum. Et hic utique, mi ſponte dilectiſſime, etiam filius tuus eſt, quem elegiſti & aſſumſiſti; unde de ipſo *carmen* ſequens canto.

Lugubre carmen Eccleſiæ in abſentem à Concilio REGEM SIGISMUNDUM, *Pacis conciliandæ gratia in Galliam & Angliam digreſſum.*

Filius hic *Rex* eſt meus, hic tuus utique natus,
  Præ pueris merito gratior ipſe tuus.
Offuſcans reliquos ſplendet fulgore ſereno,
  Omnibus in pueris lucifer iſte præit.
Et velut in radiis fulgor ſolaris, & apta
  Emicat aurora, ſic nitet iſte puer.
Huic *natura proba*, huic *gratia ſumma* decoris
  Prodiga contulerat, quicquid habebat opum.
Labes nulla fuit vitii, quam *ſanguinis* iſte
  Nobilitate fruens poſſit adire puer.
Omnia *virtutum* reſplendent *munera* grata
  In puero dicto, Rege potente nimis.
Gratia, quæ poterat infundi lumine divo,
  Huic datur, & merito, nam meruit meritus.
Tempore, quo primus eſt accola conditus Adam,
  Nullus in hoc unquam tam probus orbe fuit.
Præmia virtutum virtutibus undique ſertum
  Sectentur, veluti gloria, laus & honor.
Conſerva ſtudio ſummo, conamine toto
  Hunc roſeum puerum, quique meusque tuus.
Heu! Privata viro tam firmo, tamque ſereno,
  Neſcio quicquid agam, quæ ſine ſpe maneo.
Electus fuit ex mille, cunctis virtutibus ille
  Ornatus varie. Proh periit miſere!
Soli ſola mihi fuerat ſpes corpore triſti
  Hic vir, & iſte meus filius atque tuus.
Heu! Periit, timeo, diſcedens corde ſereno,
  Hinc quia non rediit, fertur: Et hic periit.

Satius

Digitized by Google

SAtius eſſet, mille mori Principes, quam talem unicum ſuccumbere morti, *in quo tota ſpes noſtra conſiſtit.* Et revera, ſi glorioſus ille Princeps debitum humani perſolveret generis, nulli dubium, quin prioribus malis poſteriora fierent ampliora. Hæc igitur cauſa eſt mei inexplebilis doloris, timor videlicet de infortunato filii mei ſucceſſu, pro quo mihi cura non modica, gemitus & ſuſpiria innumera, cum ipſe me manu teneat, *& ad ſtatum priſtinæ religionis reformare* ſuſpiret & anhelet.

Reformaturus Eccleſiam erat Sigiſmundus.

DISTINCTIO VIII.

De diſcordia, inter Cardinales & alios nationum prælatos in Concilio Conſtantienſi ſuborta.

DOlens doleo, & dolore multo ſtimulor, doloribus dolores augens, cum pridie à veridicis audierim *mala novella*, auribus auſcultantium ſatis horrida. Unde horreſco nimis propter famam, quæ crudeli famatur infamia, nec poterit ſileri tam publica fama, unde generantur ſcandala multa in plebe & clericis. Scandaloſum quidem nomen, & ſine nomine nominandum volat per aëra. *Invidia* devoravit charitatem, pacemq; fœdavit *diſcordia.* Libet, ut in congregatione ſit charitas, pax & amor: Sed non licet, ut ſint jurgia, æmulationes, rixæ & cætera hujusmodi, quæ charitatem offendunt. Patres convocavit charitas, fratres amor, & reliquos pax ſincera. Omnes enim, quos tantum opus arduum conjunxit, quinimo divinum, dilectionis nodo colligari debent.

Invidia & diſcordia in Concilio Conſt.

Sed ſcriptura teſte, *cum die quadam veniſſent filii Dei, ut aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos Sathan.* Sathan *adverſans* interpretatur. Hic namque fratres & Dei filios pacificos adverſarios facit & inimicos, odia ſeminans & diſcordias movens.

Hic veriſſime *in congregatione Conſtantienſi* cognoſcitur guerras & rixas concitare, ne inter ſe concordare valeant, ad quos *ſanctæ reformationis onus & opus* ſpectare videtur. Sunt enim alterius contra alterum clamores, jurgia, contumeliæ, & hujusmodi, quæ ſine diabolico inſtinctu eſſe nequaquam poſſent. Per quæ tantum *reformationis negotium in capite & in membris* ſummopere retardatur.

Reformationis opus in Concilio diſſidiis impeditum.

Reformatio in capite & in membris quæſita.

Hæc igitur ſunt, ſponſe mi dulciſſime, quæ animum pulſant meum, tibi per me propoſita, & ſic ſat ventilata. Ad quæ, ſi poteris, aut volueris reſpondere, audiam patienter.

LIBER OCTAVUS.

De difficillimis ac intricatisſimis negotiis in Concilio Conſtantienſi tandem compoſitis ac confectis.

METRUM.

De Spe meliorum Eccleſiæ fatorum ex Concilio Conſt.

OMnia corde tuo quæ fixa fuere, tuliſti,
Et cum mœrore fers ſingula, vulnere triſti.
Quæ ſermo præſens tollet, per cordis amorem,
Ut lætam te ſic faciam, tollendo dolorem.
Tela tibi miſſa tollam ſermone pudico.
Ut mihi complaudas, velut omnis amicus, amico.
Et velut auroram te ſponſam ſurgere cernes,
Et terrenarum tu rerum præmia ſpernes.
Aſſumes ſcutum, quod te defendat ab enſe,

Tuq;

Tuque ſtatu firmo guſtabis dulcia menſæ.
Potabis muſtum, cum melle meo renovatum.
Pinguia tu comedes, & dulce cadens tibi gratum.
Tu mihi dilecta, pariterque columba pudica,
Tota ſuavis eris, & dulcis, ſemper amica.
Te ſponſam ſponſus per ſecula ſemper amabo,
Moribus & vita ſinceris te renovabo.

PROSA LIBRI VIII.

De arduis rebus in Concilio tranſactis, ipſoque Concilii Conſtantienſis ingruente fine.

DISTINCTIO I.

De JOHANNIS XXIII. Pontificis, in Concilio Conſtantienſi à ſede Papali deturbati ac dejecti, miſeris fatis.

GRatanter, imo lætanter & patienter ſuſtinui, ut ediceres omnia & ſingula, quæ cor tuum vulnerabant, & præ quibus anxiabaris in ſpiritu tuo. Nam perſpiciebam in vultu tuo mirandas ſat mutationes, è quibus ſpiritus tui eliciebam amaritudinem, & tibi condolui, eo quod nimis in viribus corporis totius exæſtuabas, tota triſtitiis plena. Nolui tamen interrumpere ſermones oris tui, ne in tali luctamine magis deficeres, quam proficere videreris. Expectavi igitur finem ſermonis, donec ipſa diceres finem affuiſſe, & me ad loquendum tuis labiis provocares. Sigillatim ergo tuis ſatisfaciam ſermonibus, quos revera ſumma providentia atque prudentia proponebas. Nec volo, ut intelligas, me contra te ſentire, quod aliquid ſtulte aut inſipienter locuta fueris, ſed omnia providenter atque ſapienter in medium deduxiſti.

Turpis fuga Johannis XXIII. è Concilio. Primum ergo, quod te movet, eſt *receſſus* JOHANNIS *de Conſtantia*, ſcandaloſus, & infamatorius, ſchiſmatis conſortativus, & unionis ſanctæ impeditivus. Revera ſic erat, ut ſapienter propoſuiſti.

Citatus. Sed noſſe te volo, eundem *Johannem* per ſactum concilium *citatum* per edi- *Reverſus.* ctum. Qui non longe poſt *reverſus eſt Conſtantiam.* Ubi ſecundum nominis ſui proprietatem actum eſt. Nam *Bal-* *Judicatus.* *thaſar judicium Dei* interpretatur, vel *judicavit me Deus.* Ut vere dicere potuerit: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Et iterum: *Omnia quæ feciſti, in vero judicio feciſti.*

Videns igitur, ſe non poſſe ultra fugere, ſed omnino coacte reverſurum, propter potentiam *Sereniſſimi Principis*, filii tui meique, SIGISMUNDI, arctatus nimis, ut Saul, cum ab illo receſſiſſet Spiritus Domini, dixit ad Pithoniſſam: *Suſcita mihi Samuelem:* Sic & ipſe miſerandus homo gratiam petiit, ſcribens Regi Romanorum in hunc modum inter cætera: *Ad te, tanquam unicum poſt Deum ſpei noſtræ refugium, dirigimus deſideria cordis noſtri, ad te devotiſſimas preces pro dilectione dilectionem inquirentes effundimus, obſecrantes per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti: Memor eſto verbi tui, in quo nobis ſpem dediſti. Hæc nos conſolare in humilitate noſtra. Et ſi ſive cum cauſa, ſive ſine cauſa, cum iratus fueris, miſericordiæ recorderis, nomenque egregium clementiæ, in hoc caſu ne pati patiaris inſtantiam. Sed qui aliis offenſoribus atrociſſimis parcendo te liberalem habere conſueveras, parcere quoque nobis & miſereri ne ſpernas. Ne, quæſumus, pietatis tuæ præclaro titulo notam crudelitatis inferri permittas. Potes itaq;, ſi velis, & ut velis depoſcimus, erga ſacrum concilium, quod tua ſapientia, tuaque potentia tanquam firmiſſimum fundamentum ſuffultum, tuis interceſſionibus operari, ut ſui contemplatione honoris perſonam noſtram habeant recommendatam, & unione Eccleſiæ ſemper ſalva, honorem, famam ac ſtatum noſtros, poſt dimiſſionem papatus quam pridie obtulimus, atque dudum aliquo-*

Supplex litera Johannis XXIII. ad Sigismundum Imperatorem.

Digitized by Google

quoties in manibus tuis poſuimus, quantum poſſibile fuerit, ſalvare & cuſtodire dignentur. Et alia ſalutem noſtram reſpicientia proſequaris magnifico cum effectu.

Sed revera hæc *petitio parum profuit*, fortaſſe tantum, quantum *oratio Saul*, qui & pro ſe Dominum precabatur, & alii pro eo, ſed inexauditus permanſit.

Iſta enim ſupplicatione non obſtante, *ſacroſancta generalis Conſtantienſis Synodus*, in Spiritu Sancto legitime congregata, *ſententiam definitivam protulit*, pronunciavit, decrevit, & declaravit, *receſſum* per præfatum Dominum *Johannem Papam XXIII a civitate Conſtantienſi*, & dicto ſacro *generali Concilio*, clandeſtine, de nocte, hora ſuſpecta, in habitu diſſimulato & indecenti factum, fuiſſe & eſſe *illicitum*, Eccleſiæ Dei, & dicto Concilio notorie *ſcandaloſum*, pacis & unionis ipſius Eccleſiæ turbativum & impeditivum, ſchismatis inveterati nutritivum, à voto, promiſſione & juramento, per ipſum Dominum *Johannem Papam* Deo & Eccleſiæ, ac huic ſacro Concilio præſtitis, deviativum: Ipſumque Dominum *Johannem Papam Simoniacum* notorium, bonorumque & jurium nedum Romanæ ſed aliarum Eccleſiarum, & plurium aliorum locorum piorum *dilapidatorem* notorium, malumq; ſpiritualium & temporalium Eccleſiæ adminiſtratorem & diſpenſatorem, fuiſſe & eſſe: Suis deteſtabilibus *inhoneſtisq, vita & moribus*, Eccleſiam Dei, & populum Chriſtianum notorie ſcandalizaſſe, & ſcandalizare: Poſtq; monitiones debitas, & charitativas, iteratis & crebris vicibus eidem factas, in præmiſſis malis *perſeveraſſe*, ſeque ex hoc notorie *incorrigibilem* reddidiſſe: Ipſumque propter præmiſſa & alia crimina in proceſſu dictæ cauſæ contra eum deducta & contenta indignum, inutilem & damnoſum à papatu & omni ejus adminiſtratione ſpirituali & temporali amovendum, privandum & deponendum eſſe.

Fuga Johannis XXIII. è Concilio, publice damnata.

Johannes Papa Simoniacus.

Dilapidator ſacrorum.

Sceleratus, Scandaloſus, Pertinax, Incorrigibilis.

In Concilio damnatus

Sic *eum ſancta Synodus* amovit, privavit & *depoſuit*. Hinc etiam eadem ſancta ſynodus inhibuit univerſis Chriſti fidelibus, ne eundem à papatu ſic depoſitum de cætero Papam nominent, aut illi tanquam Papæ adhæreant ſeu obediant quovis modo.

A ſede Papali depoſitus.

Unde & idem *Johannes* in majorem & evidentiorem vindictam, *poſitus eſt in cuſtodia* loco carceris, in qua ad ſtandum & morandum damnatus eſt usque ad tempus, quo ſacro Concilio videbitur illum pro aliis ſuis criminibus puniendum, ſecundum quod rigor juſtitiæ, vel miſericordiæ ratio perſvadebit.

Incarceratus.

Ex his, ſponſa dilectiſſima, patenter tibi ad primam tuam rationem me æſtimo reſpondiſſe, & omnia, quæ mentem tuam vel timore aut tremore pupugerunt, efficaciter abſtuliſſe.

DISTINCTIO II.

De FRIDERICI, AUSTRIÆ DUCIS, *profugi ac depoſiti Papæ Johannis XXIII. protectoris infelicis, triſtibus fatis.*

Secundo propoſuiſti loco timorem, potentiam, & manum armatam *Ducis Auſtriæ*, qui revera & indubitanter *Princeps magnus* aſſeritur. Cujus tantum formidabas violentiam, ut ipſe per ducatum ſuum, nolente etiam inclito & devotiſſimo Romanorum Rege, *Johannem* educeret.

Fridericus Auſtriæ Dux Johannem Papam è Concilio liberavit.

Ex præcedentibus luculente claret, hæc non ita ſe habuiſſe. Quod, cum fortis armatus cuſtodit domum ſuam, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet: Cum autem ſupervenerit fortior, ſpoliabit illum, & tollet, quæ voluerit. Fortis itaque armatus *Dux* erat, qui *Johannem* ducebat: Sed cum *Rex Romanorum* cum ſuis obvenerat, ſpoliabat ſpoliantes, & captivavit perſonas, & cepit munitiones fortiſſimas, *Ducem cum Johanne* exterminando.

Unde tanta mota ſunt *bella*, tam dura facta ſunt verbera, ut *Dux* perdiderit XL civitates, caſtra & oppida, vel circa. Erat namq; ſeptem exercitibus circumdatus ducatus Auſtriæ, & prævaluit *David* funda & lapide contra Goliath.

Fridericus bello petitus.

Sentiens vero ac intelligens *Dux* præfatus, ſe ſimpliciter eradicandum, per

Digitized by Google

Accepit Fridericus A. Dux ſalvum conductũ. Conſtantiam rediit. Supplex factus Sigismundo Imper.

per *Sereniſſimum Principem Ludovicum, Ducem Bavariæ, Comitem Palatinum,* Regisque Franciæ Ambaſiatorem, ſalvum ſibi obtinuit dari conductum. Quo adcepto, perſonaliter *adiit Conſtantiam*, & aſſumtis inclitis & ſerenisſimis Principibus, *Duce Bavariæ, Burgravio Nuremburgenſi, & Comite magno de Hungaria*, reliquisque Principibus, flexis genibus coram devotiſſimo Domino *Romanorum Rege*, & deputatis nationum proſtratus, inſtantisſime gratiam & miſericordiam imploravit. Submiſit igitur perſonam ſuam, Civitates etiam & oppida cum caſtris omniaque bona ſua, tam mobilia quàm immobilia, Regiæ majeſtati.

Tenor igitur literæ, in qua ſe ſuaq; devotisſimo *Regi Romanorum* ſubjecit, ſequitur in hæc verba:

Diploma Friderici Auſtriæ Ducis Sigismundo devoti.

Nos FRIDERICUS Dux Auſtriæ &c. Quod cum ſereniſſimi Principis SIGISMUNDI REGIS &c. indignationem inciderimus, venimus in propria perſona ad conſpectum dicti Domini Regis Conſtantiam, & nos, perſonam noſtram, territoria, homines, civitates, fortalitia, & quicquid habemus & tenemus, nihil excepto, ad ſuam regalem gratiam dedimus & poſuimus, damus & ponimus, vigore præſentium. Taliter, ut ipſe nobiscum, & cum eisdem facere & dimittere poſſit pro ſua regalis libito voluntatis. Quicquid etiam qualibet perſona, vel perſonæ Eccleſiaſticæ vel ſeculares, nobiles vel ignobiles, in quacunque dignitate vel ſtatu conſtitutæ, nemine excepto, contra nos habent actionis pro quacunque cauſa, nulla excepta, hoc totaliter poſuimus & dedimus in arbitrio dicti Domini Regis, ſic & taliter, ut quicquid ipſe Dominus noſter in hujusmodi juſſerit, ordinaverit, ac dictaverit pro ſua voluntate per nos erga quemlibet faciendum, ut iſtud facere, adimplere & finire debemus. Et inferius: *Nos etiam volumus & debemus in obſtagio Conſtantiæ manere, quousque omnes & ſinguli officiales, cives & incolæ munitionum, civitatum & territoriorum in Suevia, Alſatia Rheni, Brisgovia, comitatu Tirolis, circa Atheſim & Valle dicta Intal, præfato Domino noſtro Regi & imperio ſacro fidelitatem promiſerint, & juraverint ad ſancta Dei Evangelia ipſum reſpicere & ſibi obedire, donec omnia & ſingula promiſſa per nos totaliter & effectualiter facta fuerint & adimpleta. In quo etiam præfati Domini Regis ſimplicibus literis, verbis aut intimationibus absque alia probatione debent contentari. Aut quousque idem Dominus noſter Rex eosdem fidelitatum, promiſſionum & juramentorum hujusmodi per ſe vel ſuas literas nunciaverit abſolutos. Et in caſu, quo præmiſſa in toto vel in parte non fecerimus, & adimpleremus, ſeu quomodolibet contraveniremus, quod Deus avertat, ex tunc præfatæ civitates, munitiones, territoria, & homines noſtri præfato Domino Regi noſtro, & ſacro imperio totaliter devolventur, & deinceps eidem tanquam juſto, ordinario, & naturali Domino ſuo ſubjicientur & obedient, noſtra & cujuslibet alterius conditione non obſtante, omnibus fraude, dolo, ceſſantibus totaliter in præmiſſis. Hæc omnia jurat, & in majorem certitudinem rogat Dominum LUDOVICUM DUCEM BAVARIÆ, & BURGRAVIUM de NURENBERGA &c. ut prædicta ſigillarent.*

E concilio iterum abiit Fridericus. Concilium oppugnavit.

Sed his ſic factis, *Dux* præfatus *receſſit de Conſtantia*, & contra ſacrum concilium literam ſcripſit patulam Valvæ ſancti Stephani impreſſam, in qua eidem falſitatis ac injuſtitiæ notam impoſuit, quaſi ſacroſancta ſynodus præfato Duci juſtitiam denegaverit, & obturaverit illorum ora, qui per juſtitiæ rigorem pro ipſo volebant advocare.

Sed poſt perditionem caſtrorum, munitionum & oppidorum alia vindicta percuſſus eſt, videlicet maledictionis jaculo usque ad ſecundam generationem, quam ſuis exigentibus meritis merebatur. Patet ergo, ad id tibi reſponſum, quod altero loco recitabas.

DISTINCTIO III.

De ſupplicio, animoſitate ac devotione Hieronymi Pragenſis, in Concilio Conſtantienſi exuſti.

Tertio

TErtio & quarto de duobus *hæreſiarchis* materiam expoſuiſti, quos, quorumque complices extimuiſſe te, elocuta es, acſi illi ſanctam & deſideratam valeant impedire unionem. Et in hoc quidem multum fruſtraris, nimis anxia & timoroſa. Id enim, quod illi contra ſanctam Romanam machinantur Eccleſiam, ſuo tempore ſedabitur, & luent coërciti juſta, quam merentur, vindicta. Non enim tam lucida, tamque clarens unquam etiam in ſtatu tuo radioſiſſimo extitiſti, in quo perſecutiones aut hæreticorum aut tyrannorum perpeſſa non fueris, ſic quoque usque in mundi terminum aut illorum infeſtationes, aut iſtorum tyrannides patieris. Ob hoc igitur ne doleas. Noſti enim, quod neceſſe ſit, ut ſcandala veniant: Sed væ illi, per quem ſcandalum venit. Expedit enim, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum.

Huſſus & Hieronymus Pragenſis Romanam Eccleſiam oppugnarunt.

Enim vero, quid prodeſt homini damnato, & in infernum detruſo *pro martyre pictura?* Et quid obeſt cœlica regna tenenti rumor latronis, & iniquitatis nomen? Certe nihil. Et quod reſiſtunt utrique poteſtati, ſacerdotali videlicet & imperiali, non multum obſtat: Sed tempore juſtæ vindictæ vindicabitur malitia illorum, quorum finis interitus, & pœna ſempiterna vindicta perpetua. Horum etiam ſolet hic incipere pœna temporaliter infligenda, ut duret, quæ ſequitur, ſempiterna.

De Huſſi martyrio pictura inter Bohemos.

Sed dimiſſis his, quæ de *Johanne Hus* propoſuiſti, qui *igne combuſtus* eſt, &, ut meruit, judicatus eſt, veniam ad illum impium, dico, *Hieronymum.* Qui poſt revocationem ſuam atque aliquando dignam pœnitentiam publice recidivavit. Quem ob ſuam frivolam diramque pertinaciam ſacrum damnavit concilium, & tanquam putridum enormeve membrum à ſanctæ Chriſtianæ religionis corpore judicavit ejiciendum. Unde lata contra eum ſententia.

Hus uſtus.

Hieronymus Pragenſis à Concilio damnatus.

Coronam dedecoris, coronam horroris, coronamque turpitudinis ſibi oblatam manu ſua tenebat, in hæc verba prorumpens: *Chriſtus, Deus meus, corona pro me ſpinea coronatus eſt, & ego pro ipſius gloria hanc coronam portabo libenter.* Quibus per eum prolatis aliquantulum genu flexit, & reſurgens cecinit: *Credo in unum Deum*, usque ad finem.

Coronatus infula Papyracea.

Gaviſus in contumeliis.

Devotus.

Et aſſumtus eſt, ut ad ignem probandus accederet, cantans in via: *Chriſti virgo dulciſſima*, usque ad finem.

Miſerabilis igitur homo ille miſerabiliter incedens omnibus erat miſerandus, eo demto, quod ſui ipſius noluerit miſereri. Ductus itaque ad ignis incendium *veſtibus ſuis ſpoliatus eſt*, & ad ignem applicatus.

Veſtibus ſpoliatus.

Cumque jam nudus ſtaret flammis circumdatus, & æſtuantibus lignis caleret, canere cœpit: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.* Et dum, *redemiſti nos*, diceret, fumus flammivomus infelicem extraxit animam. Sicq; miſer ille hæreticus miſerandum baratro ſpiritum tradidit, & dedit perpetuo comburendum.

In rogo cantavit.

Ultima vox.

Per iſta, quæ breviter poſui, ad objecta mihi me ſane opinor reſpondiſſe.

DISTINCTIO IV.

De impenſo ALPHONSI Regis Arragonum in pacem ac unionem ſtudio, ejusdemque ad Concilium Conſtantienſe miſſis Legatis.

QVinto loco lacrymabiles & miſerabiles effudiſti gemitus, & miſeranda ſuſpiria propter *inſperatam Sereniſſimi Regis Arragonum mortem*, in cujus vita inevitabilis ſanctæ unionis pax hærebat. Necem ejus deplanxiſti doloroſam quidem, imo multum luctuoſam. Quam & ego tecum non modo lacrymis tuis, ſed ſpe futuri boni provocatus intime plangerem, & corde tenus deflerem, niſi *literæ*, quas ſacrum recepit concilium, *filii ejus primogeniti*, ex parte me conſolarentur.

Alphonſo Rex Arragon. ad Concilium ſcripſit.

Qui quidem filius bene dignæ memoriæ ac ſanctæ recordationis *Ferdinandi*,

Digitized by Google

nandi, omnia & ſingula, quæ pater concepit & incepit pro ſchiſmatis extirpatione, & unionis ſanctæ pace, perficiet, & ad effectum plenum deducet. Mors igitur illius pretioſa eſt in conſpectu Domini, qui revera, ut ſupra memoraſti, ante felicis animæ ſuæ emiſſionem filio ſuo *Alphonſo*, regni ſui veriſſimo hæredi, & cæteris regni ſui nobilibus ad ſe vocatis, tanquam principali, filio ſuo, commiſit unionis ſanctæ executionem, per nefandi & execrabilis ſchiſmatis extirpationem, mandans & exhortans, ut ad hoc opus & inceptum negotium fideliſſime intenderet, ut ex hoc præcipuam apud Deum Patrem laudem mereretur, & apud homines dignus Eccleſiæ filius haberetur.

Ferdinandi Regis Arragon. teſtamentum pium pro reformatione Eccleſiæ.

O veræ teſtamentum pacis æternum. Et quis amore divino coactus lacrymas hæc audiens continere poterit? Quis tanti Regis devota præcordia non miretur? *Solent* enim *morituri patres ſucceſſoribus filiis terrena commendare, ſpiritualia oblivîſci.* Sed *hic* ante omnia miſerabilem Chriſtianæ religionis intuitus ſtatum, ut per filium, quantum in eo eſt, reſtauretur, mandavit & hortatus eſt.

Cum igitur in ſuperioribus interrogaveris, ad quid confugias, & in quem confidas, per jam præcedentia cepiſti reſponſum: Ut, quod in morte illius ſancti Regis abſolutum eſt, per filium ejus redintegrari valeat, imo & firmari debeat, omnibus, dolo, falſitate, & fraude ſecluſis.

Hæc ita ſe habere veriſſime crede, neque in me falſitatis ullum ſenties piaculum, quia vera ſive veritas. Unde ad cor tibi redeundum eſt, ut conſolationes meæ lætificent animam tuam, & ſpiritum tuum multa propter pericula arefactum refocillent.

Subjicis etiam de non venturis, ut trepidas, *ambaſiatoribus Regis Arragonum.* Propter quorum abſentiam times, omnimodam, quæ ſperatur, non affuturam unionem. Sed inter iſta te ſollicitam & turbatam dulciſſime conſolabor. Crede mihi, cui ſi credideris, videbis gloriam Dei. Non dico: Ecce dies venient, & ſuſcitabo David germen juſtum. Sed affirmo clamans: Adveniſti deſiderabilis *comitiva*, nobilis, ut pax Eccleſiæ reformetur.

Venerunt & intraverunt civitatem Conſtantienſem, *quinta die Septembris, anno a nativitate mea M CCCCXVI.* Humiliavit ſe ſereniſſimus & inclitus *Rex Arragonum*, & miſit *Ambaſiatores* ſolennes ſolenni comitiva. Et ſe ſacro concilio unierunt, & *fecerunt quintam nationem.* Ob hoc namque proprios dimiſere lares, hac de cauſa patriam, parentes, cognatos & amicos, uxores, filios & filias reliquerunt.

Legati Regis Alphonſi ad Conciliũ venerunt.

Quinta in Concilio natio Hiſpanica.

Et quid amplius vis, ut fiat, quod per iſtum *juvenem Regem* non eſt factum? Patri ſuo obediens inventus eſt, ut longævus ſit ſuper terram, patri cœleſti pia inclinavit præcordia, pacem anhelans tuam, ut in regno patris cœlica pace fruatur. *Venerunt* igitur, qui venire deſiderabantur, exibant terras, fineſq; ſuos, quos exire ſperabantur, & propinquæ factæ ſunt ſemitæ ſanctæ unionis, cujus oppoſitum tu pronunciando putaſti. Debes igitur caput erigere, & in lætitiam poſt triſtitias jucundata reſilire.

DISTINCTIO V.

De Benedicti XIII. ſ. Petri de Luna artibus ac fraudibus miſeraque fortuna.

Vis, ſponſa, reſpondeam, vis, ut fracto ſilentio lingua ſolvatur pendula, optas, labia ut moveantur mea, deſideras, pulmonis ſtratum ſpiratibus impleri, cupis, me vocem eructare in clero atque vulgo. Scio te velle, & id ſatis optare, aurem que tuam meis inclinandam ſermonibus peroptime novi, ut forſan nonnulla tibi pandere poſſim latentia & occulta. Sed ob hoc noli me vexare, cum ſecreta nulla publicare valeam, quæ non noveris, O dulciſſima ſponſa.

Nempe *rebellio*, *doloſitas* & *aſtutia atq;* calli-

Benedicti XIII. maledictus. Ejus aſtutia, Impietas. *callida prudentia* hujus *maledicti Benedicti* mundum ſic reſonant per univerſum, ut etiam pueri & adoleſcentes illius incredibilem teſtentur *pertinaciam*, & rebellionem fateantur.

Hic eſt *vir* ille *impiiſſimus*, à Spiritu diabolico deceptus, qui egreſſus decepit Achab. Huic aſſidet iniquiſſima *Jeſabel, ſenſualitas* videlicet, domitans rationem.

Falſitas, Ubi ſunt, dic *Petre de Luna*, omnium hominum *nequiſſime*, literæ tuæ, ubi ſcripta tua, ubi verba tua, quæ ſcripſiſti, quæ dictaſti, quæ locutus es. Ecce, audi verba tua, quæ ſcripto mandaſti. Oblitus es forſan, quæ *Paulo de Urſinis* ſcripſeris. Noli credere, ea oblivioni tradita. Ecce iſta ſunt, quæ ſeqvuntur. *Nos*, inquis, *ulterioribus non parcentes laboribus aut impenſis, parati ſumus, in loco decenti & idoneo, ac utrique ſecuro, cum eis, ſublato mora diſpendio, convenire, & dare operam talem, ut totus mundus cognoſcat, quod per nos non ſtabit, quin vera unio in Dei Eccleſia* habeatur. *Doloſitas.* *O verba vulpino plena dolo!* Cogitaſti tu per te ſtatuere locum ad eundum *tibi* ſat facilem & ſecurum, ſed *aliis* impoſſibilem, graviſſimum & non tutum. Si igitur ex intentione vera, non falſi cujusquam operculo hæc ſcripſiſti, & peragere ac perficere voluiſti, cur nunc in plenitudinis tempore per te *ad ſacrum concilium Conſtantienſe non acceſſiſti*, ut vel in ultima ſenectute conſtitutus tantum bonum executioni, quantum in te eſt, donares, ut libere ſpiritus tuus infelix corpus tuum exire mereretur, nullo retardatus viæ tam anxiæ diſpendio, cujus nunc periculo horrido moleſtaris & præpediris. *Concilii contemptus.*

Legatos ad Concilium non miſit. Aut ſi inveterata oſſa tua infirmitati ſubdita fuere, *Ambaſiatores tuos* tui ex parte quare non miſiſti? Quia, ut gloriatus es, laboribus aut impenſis parcere noluiſti.

Vel forte *locus* ille tibi decens aut ſecurus non apparet. Cur ergo *tibi* magis quam *aliis* indecens eſt & inſecurus?

Sed hæc acta ſunt, ut impleretur ſcriptura, dicens: *A ſenioribus egreſſa eſt iniquitas.* Et iterum: *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Spernis matrem tuam, Petre.

Comparatio Petri de Luna cum Petro Apoſtolo. Non es *Petrus* ille, cui dixi: *Petre amas me?* Tu namque nunquam me dilexiſti. Tu revera es *Petrus ille*, cui cum de paſſione mea, qua genus redimerem perditum, futura relaxarem, dixerat: *Noli Domine, ſed parce tibi.* Tunc ajebam ad Petrum: *Vade retro Sathana, Recede à me, quod Diabolus es, aut Sathanas in te loquitur*, ut mihi ſuggeras, ne humanam propaginem damnatam liberarem. *Petrus de Luna Chriſto adverſus.* Tu revera es ille *Petrus*, cui Sathanas ſuggerit, ne papatui tuo & pontificatui prætenſo reſignes. Retro ergo ibis, quod *per ſacrum generale Concilium maledictus deponeris*, & recipies pro benedictione maledictionem, & benedictionem tuam maledictionibus adimplebo, & cui benedixeris, erit ille maledictus. *In concilio deponendus.*

Petrus de Luna negavit chriſtum. Impœnitens, Tu es revera *Petrus ille*, qui *negaſti Chriſtum.* Sed non es ille *Petrus*, quem Chriſtus reſpexit, qui converſus exibat & flebat amare: Quod tu permanes in malitia tua obſtinatus & induratus.

temerarius, Tu es *Petrus* ille, qui dixiſti: *Domine paratus ſum tecum in carcerem & mortem ire.* Ecce, tu dixiſti, nolo expenſis fatigari aut laboribus, donec unio fiat in Eccleſia Dei. Sed tempore, quo *ingruebat* pacis unio, & *reformatio* ſponſæ meæ, clamaſti: *Non novi hominem. Neſcio quid dicis.* Rumores ſanctæ unionis facti ſunt tibi tonitrua Romana, & Friſonica bella. *Reformationis hoſtis.*

Tu es *Petrus ille*, qui *ambulaſti ſuper aquas*, ſed cum vidiſti ventum validum, *timuiſti.*

Unionis & pacis contemptor. Tu es *ille Petrus modicæ fidei*, cum vires pro ſancta firmanda unione ſumere debueras, dubitaſti. Et in hoc dubio, timeo, usque ad mortem permanebis. Ecce, *qualis Petrus eſt iſte Petrus!*

Comparatio Petri de Luna cum luna. Inconſtans. Iſte eſt *Petrus de Luna. Luna frigida* eſt, & mater aquarum. *Iſte frigidus eſt*, qui adveniente ultimæ ætatis ſuæ veſpere in amore creatoris ſui incaleſcere deberet, ſed *frigidus* totus eſt effectus. Iſte eſt *pater aquarum.* Aqua fluxibilis eſt: Et hic quantum ſit *fluidus*, vita ejus tota teſtatur.

Conſilii ſpreto Iſte eſt *Roboam Rex*, qui *ſapientum ſpre-* *to*

Digitized by Google

to conſilio juvenes ignaros maluit quam ſenes prudentes auſcultare. Eapropter cum ſuperbe præſumſerat, è regno pulſus eſt, quamvis invitus. Et *iſte Petrus* ſuorum fretus Conſiliariorum ingenio, qui à veritatis methodo illum ſepellunt, pelletur è regno pontificatus ſui, non ſine magnis diſpendio atque ſcandalo, & infamia, per totius orbis ſecula perſonantibus.

Hæc ſunt, ô ſponſa, prima mœnium meorum ſundamenta, quibus turrim inexpugnabilem conſtituam in futurum. Quippe iſta protulerim contra *vagum virum*, etſi omnis illi *ſcientia* adſit, quam certiſſime nullus dubitet *inſtantem*, quod foris divinum pellit honorem, & deiformem extingvit charitatem. *Doctus, ſed arrogans.*

DISTINCTIO VI.

De Petri De Luna incorrigibili pertinacia, qui ad Papatus reſignationem nullo modo adduci potuerit.

POſtquam primus parens Dei præceptum transgreſſus erat, ambulans Dominus poſt meridiem in paradiſo, quærens peccatorem, ei dixit: *Adam ubi es?* At ille tremens reſpondit: *Domine audivi vocem tuam, & timui, eò quod nudus eſſem.* Et ait Dominus: *Et quis oſtendit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti.* Et ait Adam: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Et Dominus ad mulierem: *Cur hoc feciſti?* Quæ ait: *Serpens decepit me.* *Adami lapſi excuſatio.*

Sic igitur ſunt plerique, *quærentes excuſationes, in peccatis*, ſequaces parentum noſtrorum primævorum. Nam alii per *infirmitatem*, alii per *impotentiam*, alii per *ignorantiam* ſe excuſant. *Excuſationis ſtudium apud omnes.*

Petrus vero *de Luna* nullo horum ſe poterit excuſare. Non *per infirmitatem* aut *impotentiam*. Cum alii etiam illo *infirmiores* in humana natura, jam *reſignaverint*. Imo *infirmitas* non quærit obſtinatiam aut rebellionem, quæ in ipſo usque ad radicem reperitur. Omnis enim, qui ex infirmitate vel impotentia delinquit, culpam ſuam confitetur, & ſe peccaſſe cognoſcit. *Petrus de Luna* nec culpam ſuam fatetur, neque ſe male egiſſe proclamat. Non ergo ex infirmitate peccavit. *Petrus de Luna excuſari nequit, cur non reſignaverit. Non infirmitate excuſandus.*

Neque peccavit *ex ignorantia*, ſeu neſcientia, quod forte ſe excuſando poſſet affirmare, aſſerendo, ſe jam XXII annis ſummo functum Pontificatu pacifice, & ea de cauſa ipſum papatui reſignare non debere. *Nec ignorantia.*

Et contra id primo veniam, & deinde concludam, illum *ex pura malitia* & peccaſſe & deliquiſſe, & in eadem ſic permanſiſſe diem usque in hodiernum. *Ex pura peccavit malitia.*

Primo namque contra ipſum inducuntur inducta, quæ *ex ipſius literis* contra eum manifeſte proponuntur. Et non ſolum illa, verum etiam, cum in inferiori conſtitutus eſſet dignitate, *viam mutuæ renunciationis de ſummo pontificio contendentium* laudavit, approbavit, & utiliorem retulit, & faciliorem pro ſanctæ religionis pace atq; unione. *Promiſerat reſignationē.*

Nec ſolis contentus verbis ſimplicibus, ſed & cum aliis illius obedientiæ Cardinalibus *juravit* ſolenniter, *imminente* Romani Pontificis *electione*, in ſua obedientia per eos fienda, quod ſi contingeret, ipſum in Papam aſſumi, pro tunc ipſe unionem ſanctæ Eccleſiæ ſine excuſatione, dilatione & machinatione, vellet diligentiori, quo poſſet, modo proſequi cum effectu, per omnes vias utiles & accommodas, etiam usque ad caſſationem papatus incluſive, ſi præfatis Cardinalibus, qui tunc erant, vel eorum majori parti videretur expedire. *Juraverat hoc ante electionem.*

Ipſe itaque *Petrus de Luna* aſſumtus in Papam *denuo juravit*, ſe prædicta efficaciter impleturum, ſi ſuis Cardinalibus *via mutuæ ceſſionis* placeret. Quæ omnibus, præter unicum Cardinalem, placuit. Et hoc idem ipſo in papatum aſſumto fuit poſtea declaratum. *Juraverat idem electus.*

Fuit deinde ex parte Sereniſſimi *Caroli Francorum Regis* per ſuos ſolennes legatos, claræ memoriæ *Ducis*, *Byturicenſem* *Admonitus à Rege Galliæ.*

Digitized by Google

cenſem & Burgundiæ, patruos, ac *Aurelianenſem*, fratrem dicti Regis, & alios plures propter hoc ad eum deſtinatos, nec non zelatores pacis Eccleſiæ Cardinales Papæ præfati, Petri de Luna, quem ſui Benedictum appellant, poſtmodum verò ex parte *Sereniſſimorum Principum, Angliæ & Caſtellæ Regum*, deinde ſpecialiter & ſingulariter ex parte *Sereniſſimi Principis, Wenceslai Bohemiæ Regis*, tunc *Romanorum Regis*, & conſequenter per plures alios cum magna devotione & humilitate ſupplicatum, ac etiam in vim prædicti, per eum præſtiti, juramenti requiſitum, quatenus proſequi vellet ſanctæ Eccleſiæ unionem per viam mutuæ ceſſionis ſuæ & alterius cum eo de papatu contendentis. Quæ via fuit ab omnibus Chriſti fidelibus, & permaxime à Principibus & Prælatis atque univerſitatibus ſtudiorum generalium magis approbata.

Angliæ, Caſtellæ, Bohemiæ,

Iuramentum repetivit.

Demum præfatus *Benedictus* quorundam victus inſtantia devota, Deo & Eccleſiæ *juravit*, vovit & promiſit, pro Eccleſiæ concordia effectualiter celebranda *cedere ſummo pontificatui*, altero cum ipſo de papatu contendente mortuo vel ejecto. Et licet *Johannes* ejectus ſit aut *ceſſerit*, & venerabilis vir *Gregorius* libere *reſignaverit*, ipſe tamen nec cedere vult, nec reſignare.

Sed pejeravit,

Amplius, ne ſe aliquibus, vi aut modo poſſit excuſare, ex parte totius Chriſtianæ religionis acceſſit ad eum devotiſſimus atque fideliſſimus totius Eccleſiæ univerſalis advocatus, SIGISMUNDUS *Rex Romanorum* in perſona propria, & claræ memoriæ FERDINANDUS *Rex Arragonum*, & nonnulli alii Principes & Domini ſuæ obedientiæ, nec non *legati Franciæ, Angliæ & Caſtellæ*, atq; *Caroli Navarræ Regum*, atque *generalis Concilii Conſtantienſis* provinciæ Moguntinæ, magna cum inſtantia, devotione & humilitate ipſum requirentes, quatenus *pacem Eccleſiæ* per ſuam *reſignationem* concedere dignaretur.

Rogatus iterum à Sigismundo Imper. Ferdinando Arrag. gon. Rege, Legatis aliorum Regum, totiusq; Concilii Conſt.

Ipſe verò prænarratis *Eccleſiæ* ſanctæ *calamitatibus non compatiens*, neq; compaſſurus, *nec vim conſiderans juramentorum*, quæ juravit, altiſſimo de loco *Perpiniani*, ad quem præfati Reges & Principes pro prædictis convenerant, manu ſeceſſit armata, & ad *Colliberum* maris portum, ubi ſuas armatas habuit galeas, ſe tranſtulit, tanquam *publicus Eccleſiæ tyrannus*, & tuus manifeſtus inimicus.

Perpiniano fugit. Colliberū ſe recepit. Publicus Eccleſiæ tyrannus.

In quo quidem loco cum adhuc exiſteret, iterum de præfatis fuit requiſitus pro parte *oratorum Regum Caſtellæ, Arragoniæ & Navarræ* præfatorum, nec non dilecti filii *Johannis Comitis Fuxi*. Qui requiſitionem non exaudiens de loco dicto receſſit, & in caſtro *Paniscolæ* munitiſſimo diœceſeos Dertuſenſis, ubi ad eum non eſt tutus aditus, ſe contulit, & recluſit.

Denuo monitus à legatis Regum. In caſtro Paniſcolæ delituit.

Ubi ex parte præfati *Sereniſſimi Principis, Regis Arragonum*, de præmiſſa *ceſſione* pro Eccleſiæ pace fienda, fuit iterum & tertio requiſitus. Et iterum recuſavit. Et poſſetenus horrendum iſtud atque execrabile ſchiſma nutrit & fovet, & omnia, quæ poteſt, *præſtat impedimenta*, ne ad pacem Eccleſiæ valeat perveniri.

Iterumq; commonefactus à Rege Arragonum. Incorrigibilis.

Ex quibus omnibus luce clarius apparet, præfatum *Petrum de Luna ex pura malitia & obſtinatione* & peccaſſe & peccare, alter factus *Pharao*, qui non reſignavit niſi in manu forti, neq; te ſponſam meam dimittet afflictam, donec in rubro mari demergatur in profundum.

Obſtinatus. Pharaoni ſimilis.

Claret etiam, dictum *Petrum* eſſe fautorem & nutritorem hujus inveterati ſchismatis, quo jam XL annis offenſus ſum per hanc generationem Cain peſſimam. Quanquam & dixerim illis: *Hi errant corde. Ipſi vero non cognoverunt vias meas quibus juravi in ira mea: Non intrabunt in requiem meam.*

Ex his concludo, *Petrum de Luna* eſſe perfectum *ſchismaticum, hæreticum & perjurum*.

Encomia Petri de Lunæ

DISTINCTIO VII.

Petrus de Luna ad generale Concilium Conſtantienſe per edictum publicum citatus.

His

Digitized by Google

Petrus de Luna ad Concil. Conſt. citatus.

HIs omnibus per mundi ſapientes intime conſideratis, *ſacrum generale Conſtantienſe Concilium* non potens de cætero iſtius *pertinaciam* ſuſtinere, ipſum *Petrum citavit* & citari fecit, materia ſuperius immediate poſita tanquam firmiſſimo præſuppoſita fundamento.

Citationis Conciliaris formula.

Unde ſub his verbis ſequitur forma verborum: *Convenientes igitur in unum, more ſolito canonice convocati ac repræſentantes ipſam univerſalem Eccleſiam &c.* & infra: *Et quod eundem Benedictum feciſſe & facere, quo minus ad perſonam ſuam pateat tutus acceſſus, ſuper his recepta ſummaria ac legitima informatione reperimus, nos ſpecialiter, & ex certa ſcientia, eundem Benedictum citari decrevimus per edictum publicum ad inſtantiam edictorum in albo prætoris poſitorum, citatoriamque ipſarum in audientia publica literarum, ejusdem ſacri Concilii, quam vicem & effectum Apoſtolicæ curiæ & audientiæ apoſtolicæ literarum decrevimus & decernimus exercere & publice ſiendam. Vobis omnibus & ſingulis & cuilibet veſtrum, qui ſuper his exequendis fueritis requiſiti, vel fuerit requiſitus, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, quatenus vigore præſentium literarum noſtrarum citetis publice præfatum Benedictum, quem etiam nos tenore earundem literarum citamus, ipſasque literas noſtras publice legatis, vel legi faciatis. Inſuper ex abundanti ad perſonam ejusdem Benedicti, ſi ad ipſum tutus vobis vel veſtrum alicui, requiſitis vel requiſitò fuerit forſan acceſſus. Sin autem, ad portas dicti Caſtri, loci, ſeu villæ Paniſcolæ: Si etiam illuc vobis vel veſtrum alicui, ut præmittitur, fuerit tutus acceſſus. Alioquin in Eccleſia Dertuſenſi, & in valvis Eccleſiarum majoris villæ ſancti Matthæi, aut villæ ſeu Caſtri Servario ejusdem Dertuſenſis diœceſeos, aut in aliis locis circumvicinis, quæ ad hæc idonea decernimus, in ipſorum locorum Eccleſiis infra miſſarum ſolennia easdem literas noſtras alta & intelligibili voce publice legatis aut legi faciatis, eundemque Benedictum citetis peremptorie, ac uno edicto peremptorio pro omnibus. Quem etiam eodem modo per præſentes citamus ad comparendum perſonaliter in dicta Eccleſia cathedrali Conſtantienſi, in loco ſeſſionis noſtræ, ad diem videlicet centeſimum à die lectionis earum noſtrarum literarum prædictarum, vel ad diem LXX à die citationis factæ ad perſonam ſuam, vel ad valvas ſui domicilii, ſi, ut præmittitur, fieri contingat. Alioquin à die citationis factæ & publicatæ in Eccleſia Dertuſenſi prædicta. Quem terminum primo, ſecundo & tertio peremptoriis terminis aſſignamus ad videndum & audiendum ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, & maxime ſuper crimine ſchiſmatis & hæreſis tanquam ſuper notoriis, aut alias procedi ad omnes & ſingulos actus & articulos judicii ſeu cauſas hujusmodi usque ad definitivam ſententiam incluſive, ipſamque ſententiam proferri videndum & audiendum, prout juris fuerit, & prout utilitati univerſalis Eccleſiæ prædictæ viſum fuerit expedire, intimantes eidem & publicè, prout etiam nos per noſtras literas intimamus, quod, ſive venerit, ſive non, nos etiam ipſius abſentia divina repleti præſentia contra eum ſuper omnibus & ſingulis præmiſſis usque ad definitivam incluſive ſententiam procedemus, prout ad utilitatem ipſius univerſalis Eccleſiæ mediante juſtitia videbitur faciendum. Volumus autem & mandamus, quatenus easdem noſtras literas, quas duplicandas & triplicandas, ac quoties opus fuerit, multiplicandas in valvis Eccleſiæ majoris Dertuſenſis prædictæ affigatis, vel affigi faciatis, & affixas dimittatis per duas horas. Et deinde loco ipſarum noſtrarum literarum ſic affixarum copiam illarum ſub ſigno alicujus notarii, eisdem originalibus receptis, affigatis vel affigi faciatis, & affixam dimittatis, quatenus toties & in tot locis facta earundem literarum ac citationis publicatio omnis ignorantiæ & tergiverſationis locum excludat. Decernentes, quod citationes hujusmodi factæ in audientia literarum, nec non in Eccleſia Dertuſenſi præfatis cum affixionibus ad valvas Eccleſiarum prædictarum, ut præmittitur, & alterius ipſarum & qualibet earundem citationum ſic valeant, & illum arctent poſt lapſum terminorum ipſarum citationum, & cujuslibet earundem, ac ſi ad propriam ipſius perſonam citatus extitiſſet, & eidem perſonaliter noſtræ prædictæ literæ præſentatæ & lectæ extitiſſent. Omnes & ſingulos, Reges & Principes & Dominos temporales, & præcipue chariſſimum Eccleſiæ filium, Alphonſum Regem Arragonum, omnesque ſecularem & temporalem*

pote-

poteſtatem continentes, quocunq; nomine ſeu titulo nuncupentur, requirimus in fide Chriſti & Dei, eosq; nihilominus ex parte noſtra requiratis, quatenus vobis & cuilibet veſtrum in exequendis præmiſſis præbeant auxilium, conſilium & favorem, vosq; & quemlibet veſtrum ab omni impedimento vel impedimentis, & ad præmiſſa omnia & ſingula, quantum in eis erit, protegant & defendant. Mandantes vobis & veſtrum ſingulis, prout ad quemlibet pertinebit, quatenus nobis in generali ſeſſione de geſtis per vos, & reſponſis, fideliter ſub publicis inſtrumentis intra terminos citationum ipſarum recitare faciatis, & debite præſentetis. Dat. Conſtantiæ IIII Cal. Decembr. Anno à nativitate Domini M CCCC XVI.

Distinctio IIX.

Petrus de Luna aut Benedictus XIII. contumax in Concilio Conſtantienſi a ſede Papali dejectus.

HAc citatione executioni mandata, lecta fuit coram præfato *Benedicto*, & fideliter executa in præſentia illius perſonali à venerabili viro *Domino Lamberto de Stipite, Priore ordinis ſancti Benedicti, diœceſeos Leodienſis.*

Lambertus de Stipite citationem Petro de Luna prælegit.

Sed ille ſalutis ſuæ immemor in animæ ſuæ graviſſimum ac horrendum periculum ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ *contumax* factus eſt & *rebellis*.

Unde & ſacroſanctum *Conſtantienſe Concilium* eundem Benedictum, prout meruit, judicavit & ſententiavit *ſchismaticum* notorium, *hæreticum & perjurum.* Et per conſequens tanquam putridum membrum ejecit & degradavit ab omni dignitate pariter & honore.

Contumax Petrus de Luna. Per Conc. Conſtant. Condemnatus, à ſede Papali dejectus.

Et ut clarius pateat, ſequitur *contra eum lata ſententia* ſub hac forma: *Sacroſancta &c.* [Vid. in Actis Concilii.]

Distinctio IX.

De SIGISMUNDO IMPERATORE ex periculoſo itinere ad Conſtantienſe Concilium reverſo. Cujus in Eccleſiam & publicam tranquillitatem merita commendantur.

AUdi filia, & vide, & inclina aurem tuam. Aperiam os meum in magnitudine laudis. Dabo ſalutem in Hieruſalem, & in omnem terram mittam gloriam ſalutaris mei. Audite igitur cœli, quæ loquar, audiat terra verba oris mei. Concreſcet ut ros eloquium meum, & ſermo meus veluti gramen germinabit. Timore concuſſa dilectiſſima ſponſa mea, tumoreque quaſſata *mortem* univerſalis advocati tui, quam rumore in aëra levatam auſcultaſti, formidabas. Et alia, quæ ora loquentium infrunite ac mendaciter protulere, eſſe vera pertimuiſti. Sed & in hoc te non reprehendo.

Captivitas enim *illius, mors* vero permaxime, religionis ſanctæ *congregationem Conſtantiæ collectam* diſcinderet, & ſchisma inveteratum induraret & nutriret, finemque intentum *generale Concilium* non haberet. Ipſe enim *ſolus* eſt vir ille, qui te *reformabit*, atque in ſtatum ſanctæ religionis priſtinæ collocabit. Inveni namque virum ſecundum cor meum, qui reædificabit civitatem ſanctam Hieruſalem, de qua Spiritus ſanctus per os ſic dicebat: *Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei.* Hæc eſt revera civitas, quam Johannes ſe vidiſſe commemorat, dicens: *Vidi civitatem ſanctam, Hieruſalem novam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Et infra: *Et dixit, qui ſedebat in throno: Ecce nova facio omnia.* Hæc ſancta civitas Hieruſalem Eccleſia eſt militans, quam Johannes poſt antiquitatem vidit renovatam. Ipſa enim in principio nova formata eſt poſt contemtum ſynagogæ. Qua ſpreta cum in cruce pro ipſa levarer, nova facta eſt, & poſt Evangelii promulgationem ſynagoga mortifera facta eſt, terræ re-

Sigismundi Imper. in Conciliū Conſt. merita.

condita. Sed ipſa civitas novella claruit per orbem, quæ per multa annorum centenaria religioſiſſime vixit. Sed ultimo jam in tempore, *XL* videlicet *annis*, nimis inveterata, ſciſſa eſt, & dirupta per multorum malitiam, de quibus ſupra pleraq; nos contuliſſe reminiſcor. Nunc verò temporis adveniente plenitudine *tota reformabitur*, quæ tota dirupta eſt, tota ſanabitur, quæ tota jacuit ægrota, & tota reviviſcet, quæ tota fuit occiſa.

Sigismundus Reformator Eccleſiæ expectatus.

Reformabitur ergo *per fideliſſimum filium tuum* SIGISMUNDUM, *Romanorum Regem*, advocatum tuum, cujus ſtatus ſalvificus & magnificus eſt. Qui jam eſt *in Conſtantia Princeps glorioſus*, cujus *prudentia* cuncta reguntur, cujus *ſapientia* ſingula gubernantur, & cujus *providentia* omnia diſponuntur.

Caroli Magni æmulus.

Novimus, *Carolum Magnum* gladio mundum ad fidem convertiſſe, qui & ſtupenda atque miranda geſſit opera, ut ad unum ovile oves hinc inde diſperſas congregaret. Hic vero *Rex* totum orbem terrarum, horrendo maculatum ſchismate, & XL annis diviſum, ſciſſumve, ad tantam reduxit pacem, tantamq; unitatem concordiæ, ut jam *conclavi in civitate Conſtantienſi fabricato* de ſola ſummi Pontificis electione agatur, *reformationibus in capite ac in membris jam notatis*.

Conclave Conſtantiæ paratū pro eligendo novo Papa. Reformatio in capite & in membris in Concilio Conſt. quæſita.

Lætare ergo Hieruſalem, quia diſpenſatorem ſtrenuum, regio ſanguine exortum, tibi contuli, SIGISMUNDUM. Unde *carmen* ſequens voce jucunda decantabo.

EN velut è ſpinis roſa tincta coloribus iſtis
Albo cum rubro prodit: Sic prodiit almo
Sangvine perfuſus, REX inclitus atque ſerenus.
E ſpinis prodit, quia ſponſam cum male rodit
Impia ſciſſura, portendit regia jura.
Albus ineſt gratus color, atque rubens ſociatus.
Primus ineſt ſplendens, alter per florida fervens,
Regis ſplendorem primus, ſignatque decorem
Vitæ fulgentis ſuper omnia culmina mentis.
Alter virorem confert color, atque calorem.
Albo ſplendeſcit animus, rubeoq; liqueſcit.
Primo purgatur, ſecundo mens ſatiatur:
Inducit primus opus, omne bonum docet imus
Conſtanter, mire de cœptis non reſilire.
Concilium tale color advocat hic *generale*.
Alter perdurat, nec amantem lædere curat.
Ut roſa pulchra patet, roſa candida, florida claret,
Utque rubens roſula, roſa mellea, rorida, pulchra.
Et velut hi flores florum dicuntur honores,
Sic *Rex* iſte choris decus omne probatur honoris.
Floret deliciis roſeis per climata, turbis
Fultus & armatus, cunctis per ſecula gratus.
Cui ſe ſubjiciunt Reges, cui pectora ſubdunt,
Magni-ſcutiferi, qui novit prælia ferri,
Cui gens obaudit, cui mundi machina plaudit,
Turcos proſtravit, gentiles ſuppeditavit;
Schiſma tulit mundi, mundi per climata fuſi.
Omnia colligere valuit, quæ rupta fuere.

Hinc

Digitized by Google

Hinc lætare pia, quæ triſtia promere, ſponſa,
Tu conſueviſti, jubilans reſpondeas iſti.

Distinctio X.

SIGISMUNDI IMPERATORIS elogia ab Eccleſia decantata.

Prophetia de magna

PLus, quam credere quis poſſit, exulto, & ultra modum lætabunda progredior, alacris viam curro, nova lætiora nunquam audiam, neque auſcultabo. Sit nomen ejus glorioſum tam glorioſi *Regis*, tam fidelis *Principis*, qui unica ſpes mea eſt.

De quo quædam ſolennis vertitur *prophetia*, quæ canit *totum univerſum in novellum ſtatum & optimum per ipſum reformandum.* Hæc, ſponſe mi dulciſſime, ex verbis tuis, quæ clariſſima promis veritate, conjicio veriſſima, & à veridicorum etiam ore prolata nuperrime ſum experta. Unde nimirum in laudem ipſius *Regis Sereniſſimi* prorumpens ſequens cano carmen:

Sigismundi reformatione.

HIc vivat ſemper *Rex magnus*, magnificus *Rex*,
Et vivat regnans, ſuſtentans climata mundi!
Hic, ſolio fungens regali, *Rex* generoſus!
Vivat *Rex mitis*, *Rex prudens*, inclitus hic Rex!
Hic vere magnus *mundi monarcha* ſupremus,
Lux & dux cleri, cœlo ſublimior alto,
Juſtus, manſuetus, humilis, fortis quoque mitis.
Hector de Troja, *Carolus Magnus & Achilles*,
Hic *Diomedes*, & eſt *Moiſes*, vir ſtrenuus, atque
Rex *David, Salomon, Joſias*, ſic & *Ulyſſes*.

* * *

SIGISMUNDI ex Concilio Conſtantienſi triumphus, nomine Chriſti Eccleſia denunciatus.

Meritò poſt cumulum threnorum lætari poteris, poſt lacrymarum effuſionem innumeram gaudere compelleris. Nam nunc tempus advenit, ut dicas:

Gaudia præmiſſi cumulant inopina dolores.

Et ut ait Poeta:

Inſta, ne ceſſes, venient poſt ſemina meſſes.
Poſt lacrymas riſus, poſt exilium paradiſus.

Gaudium publicum ob Sigismundi in Eccleſiam merita.

Hæc omnia gaudia venerunt ſuper nos per *Sereniſſimum Principem SIGISMUNDUM, Romanorum Regem* devotiſſimum, ac univerſalem advocatum tuum, qui opus tam laborioſum duxit ad effectum, quod à XL annis usque in tempus præſens totius mundi ſapientibus & nobilibus reſiſtebat, qui etiam omnem, quam poterant circa iſtud opus diligentiam habuere. Ut concludendo de ejus *triumpho* canere poſſim ad te ſponſam meam:

NObilis Athlantem currendo vicit alacrem
Ipomenes, magno Regis de ſemine natus,
Qui ſolus meruit vincens ſibi fœdere jungi
Conjugis atque viri, reliquis pro ſorte necatis,
Fit labor his caſſus magnis, te qui voluere
Ducere pro curſu, ſolus tibi *Rex* copulatur,
Aurea qui poma propoſuit ordine grato,

Digitized by Google

Quæ Venus electo juveni dedit omine lecto.
Cœlifer Athlantem juvit jam mole cadentem.
Suſtinet hic cœlum, te pondere ſublevat omni,
Hic tuus atque meus *Rex* fortis, ſorte gravatam
Terrigenas auſos ſedem corrumpere Jovis,
Fulmine laxavit, *deſtruxit culmina montis*,
Grandes calcavit, ſimul hoſtes ſuppeditavit.
Hic Rex magnificus, quem gloria laudat honoris,
Tartareos Ditis reſerat vectes furibundi,
Alcidis fortis manus, atque potentia grandis.
Cerberus eſt captus per eum, qui ſingula cepit.
Cepit & hic mirans, quem mammona magna levabat, * ** Johan. XXIII.*
Ac confortabat, omni ſpe jam ſpoliatum.
Occidit prudens Argum, ſtellis variatum,
Fraudibus atque dolo vulpinis ſæpe probatum. * ** Italos.*
Et rudis & groſſus vulpem decepit aſellus,
Nec rubeum valuit vulpis ſuccurrere vellus.
Hydram, cui ſeptem creverunt culmina ſenſus,
Herculeus labor & terror *ſcidit ordine* miro.
Deſtruit hic hæreſes, mortis pœnâ feriendo.
Deficiunt linguæ, jam deficit os numerandi
Regis virtutes perfuſi lumine divo.
Hinc ceſſent verba, ceſſet nunc lingula fari.
Ceſſent ſermones. Sileamus, florida ſponſa.

* * *

Lætus Concilii Conſtantienſis eventus celebratur nomine Chriſti.

SUpereſt adhuc unica reſponſio ad ultimum per te objectum, cujus tamen diſſolutio ex inmediate prolatis clariſſima eſt. Ne tamen aliquid indiſſolutum pateat, & idem enodabo.

Objicis namque, *invidiam & Sathanam* intereſſe ſacro Conſtantienſi Concilio. Unde impediri times propoſitum atque unionis ſanctisſimæ effectum. Verum, cum propter iſta tam anxia trepides, & univerſali credas rumori, finem intentum acquiri non poſſe: E contra ego toti mundo prædico, etſi quæ fuerat invidia aut zizania agro ſuperſuſa divino, penitus illam, ne dubites, jam ablatam.

Lites in Concilio ſubortæ, compoſitæ.

Et quid mirum, ubi de tanto agitur opere, tamque ſolenni negotio, arduoque nimis, ſi cauſa diſputationis ſeu inventionis melioris methodi *multi inter ſe multa ſenſerint*, ſic tamen, ut per tam vias varias unus ſequatur finis, ad quem omnes anhelant. Noſti etiam, per diverſas probationes ſæpe unius propoſitionis oſtendi veritatem.

Nulla magna congregatio absq; omni diſſenſione.

Non ignoras etiam, *Paulum & Barnabam* gentium doctores inter ſe diſſenſiſſe, & ſanctiſſimos viros, *Johannem* dico *Chryſoſtomum* & *Epiphanium*, & verbo & ſcriptis diſſenſionem inter ſe habuiſſe.

Pauli & Barnabæ contentio, Chryſoſtomi & Epiphanii.

Sed quicquid factum ſit, jam tranſiit in præteritum, *concordes* etiam ſunt & unius animæ, unius intentionis, uniusq; propoſiti *nationes omnes* exiſtunt cum *ſacro Cardinalium collegio*, ut uni ovili unus paſtor bonus præponatur.

Concordia in Concilio.

Nihilque aliud agendum eſt, niſi ut *poſt reformationem totius Eccleſiaſticæ dignitatis* ad ſummi Pontificis electionem procedatur.

Reformatio totius Eccleſiæ deſiderata.

Et proceſſum eſt, & electus eſt nobiliſſimus Dominus *Oddo Cardinalis*, & vocatus eſt MARTINUS V. Et ſic præoptata & diu deſiderata pacis unio facta eſt ad effectum, patre meo, & Spiritu ſancto, meque efficiente, ut regnum militantis Eccleſiæ gloriæ triumphantis, quantum poterit, comparetur.

Electio novus Pontifex in Concilio, Oddo de Columna Cardin. dictus Martinus V.

Epini-

Epinicia Eccleſiæ, in laudem SIGISMUNDI IMPERATORIS.

CArmine læta tuo, jam deſino triſtia fari.
Gaudia plura meo veniunt in pectore. Nam quæ
Anxia forte fui, mœrens, & triſtis & ægra,
Fletibus impleta, lacrymoſaque, pallida, nigra,
Florida nunc ſurgo, roſeo perfuſa colore,
Gaudiens & plaudens cano cantica carmine læto,
Poſt planctum plauſus, poſt triſtia gaudia canto.
Illa dies felix, & nox ea ſit benedicta,
Et cœli ſtellæ radioſo lumine plenæ,
Quæ radiis pulchre ſplendebant, ſint benedictæ,
In quibus illuſtris regali ſemine natus
REX REGUM *mundo datus eſt per ſchismata ſciſſo,*
Qui me ſolatur, qui cuncta *reconciliavit,*
Quique *reformavit,* quæ ſingula rupta fuere.
Gaudeat omne genus, ſpecies lætetur & omnis.
Et latitudo perfecti quælibet entis
Gaudia nunc reſonet, & cantet carmina, melos.
Aſtra, polus, cœli, mare, tellus, gaudia cantent.
Spiritus Angelici plaudant, & machina tota
Cœli, cum terra plaudant, mœrore repulſo.
Sint tibi, nate Dei, grates, dulciſſime ſponſe,
Qui cum Patre tuo vivis per ſecula cuncta. Amen!

F I N I S.

Digitized by Google

VITA
THEODERICI VRIE.

THEODERICUS VRIE, libertati atque integritate reſtitutus, vinculis ſolutis pulſaque caligine.

VRIE conſtanter nobis audiit celeberrimus autor, qui *editioni* antiquæ *Colonienſi* fidem merito habuimus. Etſi non ignoremus, *Paulum Langium Monachum Bozawienſem, à quo in Chronico Citizenſi* bis commendatus, utrobiq; eum appellaſſe VRIC. Sive ipſius *Langii* calamo, ſive deſcribentis potius oculis lapſus ſit tribuendus. *Langii* veſtigia legiſſe videntur *Gerhardus Johannes Voſſius*, *Johannes Jacobus Hoffmannus*, & alii, qui hunc noſtrum nomine *Vric* inſigniunt.

Voſſius de Hiſtor. Latin. lib. 3. c. 5. p. 546. THEODORICI VRIC, inquit, *de geſtis Concilii Conſtantienſis hiſtoria eo opere comprehenſa, quod inſcripſit de Conſolatione Philoſophiæ* (Eccleſiæ) Et *p. 548. Conſtantienſis Concilii tempore vivebat* THEODORICUS VRIC, *qui ad Sigismundum Imperatorem volumen partim proſa partim carmine contexuit de Conſolatione philoſophiæ* (Eccleſiæ.) *Quo majori ex parte Concilii Conſtantienſis geſta comprehendit. Meminit Paulus Langius in Chronico Citizenſi.*

Hoffmannus in Lexico Univerſali, Tom. II. f. 447. col. 1. THEODORICUS VRICUS, *magni nominis in Concilio Conſtantienſi, ſec. 15. opus de* Conſolatione *philoſophiæ* (Eccleſiæ) *metrico proſaicum inſcripſit Imperatori Sigismundo.*

Andreæ Schotto (vel quisquis tandem autor) *in Hiſpaniæ Bibliotheca*, ſeu *de Academiis ac Bibliothecis, Tom. II. p. 268.* in Claſſe Eremitarum S. Auguſtini Hiſpanorum ſcriptorum, ex *Joſ. Pamphili Epiſcopi Signini* Chronicis, & *Hieronymo Romano*, dictus VRIAS. Ita enim ſcribit: THEODORICUS VRIAS *Hiſpanus, Vir non contemnendæ eruditionis, reliquit opus de Conſolatione Eccleſiæ, Argentinæ olim excuſum. Floruit ad annum Chriſti* M. CCCC. Noſtrum deſignari Vrie, ex omnibus conſtat circumſtantiis. Etſi *Coloniæ* editum opus ſciamus, non *Argentinæ*, quod non vidimus. Memoria interim quem non fallat?

Forte *Schotto* cum ſuis autoribus, unde hauſit, viſum eſt, ex cognominis *Vrie* ſpecie, ex caſtro Hiſpaniæ *Veas* in Vandalitia, cui olim nomen *Vrium* fuiſſe celebris Geographus *Baudrandus Tom. II. f. 400.* obſervat, haud longe à fluvio cognomine *Vrium*, noſtrum *Vrie* traxiſſe originem. Ut eapropter ab illis appellaretur *Vrias*.

Atque

Digitized by Google

Atque ita noſter *Vrie Hiſpanus* fuerit, ſi illis autoribus tribuenda fides.

Nos *Germanum* fuiſſe ex eo conjecimus, quod *Theologum ſe provinciæ Saxonicæ* diceret in præfatione operis ſui, Sigismundo Imperatori inſcripti. Non interim immemores, characterem illum eſſe poſſe non patriæ, ſed loci officii. Atq; ita *Hiſpanos* Theologos in Germanicis monaſteriis agere uti non adversū, ita experientia confirmat. Sicut *in Weſtphalia* in monaſterio Dominicanorum *Oſnabrugi* Theologum Hiſpanum, doctrina clarum, diſputationi ſolenni præſediſſe, puerum me ſpectatorem in *patria Oſnabrugi* olim audiviſſe memini. Satius interim in re dubia eſſe autumavimus, (quod mutato nomine *Vrias*, ſeductum aliquo pacto, cum autoribus ſuis, *Schottum* exiſtimaremus,) *patriam colligere ex cœlo ſub quo egiſſet.* Cui conſonare videtur nominis *Vrie* dialectus germanica, cum ſint adhuc inter Weſtphalos, qui *Vrie* audiant. Curatius ſcrutamen expectabimus ab aliis, quibus plus præſidiorum ac otii.

In Saxonia verò egiſſe noſtrum, ſive patria ſive functionis locus eſſet, extra omnem controverſiam, ſuo ipſius indicio. Sive ea noſtro hodierno ſtylo *ſuperior Saxonia* indigitetur, ſive *Inferior*; ſive latiori ſenſu diffuſa *Weſtphaliam* complexa, quod hactenus expiſcari nobis non licuit, etſi per literas paſſim nodum ſolvi quæſiverimus.

Monachus fuit *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini*, uti ex ipſa autoris Confeſſione manifeſtum.

Theologiæ Lector aut Profeſſor in ſuo Monaſterio aut forte Academia præ reliquis eximius claruit, indubio teſte laudati operis publica inſcriptione. Totum quoque opus ejusdemque disquiſitiones ſacræ continuæ Theologicam ejus profeſſionem abunde confirmant.

Eccleſiaſticæ hiſtoriæ fuiſſe *peritiſſimum*, teſtimonio fuerit operis prolixi filum.

Poëſeos amantiſſimum teſtantur varia carminum genera, quibus opus hoc ſuum exornavit. Etſi verò elegantiam autei ſeculi non exprimant, quin potius ſeculorum, quæ è barbarie vix emerſerant, veſtigia inculta referant, amorem tamen poëſeos pro illius ætatis fortuna in autore commendant. *Boëtium ac Gerſonem* imitatus apparet in hac ligatæ & ſolutæ orationis mixtura, operisque inſcriptione. Quorum ille, *de Conſolatione Philoſophiæ*, iſte *de Conſolatione Theologiæ*, noſter *de Conſolatione Eccleſiæ* ſcripſit.

Pluribus ſcriptis eum olim inclaruiſſe colligi poſſe videtur ex *Pauli Langii* recenſione, qui eum *inter alia* ſcripſiſſe *hoc* Opus *Hiſtoriæ Concilii Conſtantienſis*, nunciat.

Floruit ſeculo XV. ſub Imperatoribus *Wenceslao, Ruperto, & Sigismundo.* Superſtes adhuc fuit A. 1425.

Incidit omnino in *turbulenta tempora*, expertus triſtia fata *longi ſchismatis* & maximarum in Eccleſia turbarum, quæ increbuerant ſub Pontificibus *Gregorio* XII. *Benedicto* XIII. & *Johanne* XXIII.

Infandam præcipue *morum corruptionem in univerſo clero* ipſaque ſede Romana illa ætate præſens ſuis vidit oculis & horruit.

Vidit quoque utriusque *Generalis Concilii, Piſani* A. 1408. *& Conſtantienſis*, A. 1415. remedia, illis malis publicis quæſita.

Vidit & *Generale Concilium Senenſe*, A. 1423. *à Martino V.* juxta decretum Concilii Conſtantienſis convocatum, præter Provinciales Synodos plures.

Vidit & ſui ordinis *Auguſtinianorum Generale Concilium*, ſub eorum generali *Auguſtino de Roma* A. 1425 celebratum. Cui noſtrum interfuiſſe veroſimile. Quo finito *hiſtoricum* ſuum *de Concilio Conſtantienſi opus*, ſub ipſo Concilio Conſt. editum, recenſuit ac denuo publicavit. Quod ideo ab eo factum videtur, quod appareat, in generali iſthoc ſui ordinis Concilio quam expectaverat reformationem, ſine iterum ſuo fuiſſe fruſtratam. Quo inani ſucceſſu motus hanc ſuam reformationis in Concilio Conſtantienſi quæſitæ, ſed non impetratæ, hiſtoriam, querelis ac votis pleniſſimam, in lucem revocaverit. Ut exemplum ſupereſſet & communis deſiderii, & publicæ ſollicitudinis, ac indefeſſæ in hoc negotio Sigismundeæ induſtriæ, quin & expectationis fruſtratæ.

An *Concilii Baſileenſis* tempora proxima A. 1431. attigerit noſter, incertum. Niſi forte *Auguſtinus Sabothius*, in Notis ad *Jordanum Saxonem ſ. de Saxonia*, *ordinis Eremitarum S. Auguſtini*, *qui de Vitis Fratrum Ordinis ſui* libros 4. ſcripſit, hæc & alia explicaverit, quem nunc inſpicere non fuit datum.

De cetero, quod *Univerſale Concilium Conſtantienſe* ſumma illius ætatis gloria haberetur, huic inter illuſtres viros alios noſtrum hunc Theologum Vrie interfuiſſe, ſubindicare videtur laudatus *Hoffmannus l. c.* An verò ex certo hoc habuerit fonte atque autore, an potius ſuo fiſus judicio ita collegerit, affirmare haud ſuſtinemus. Neque verò diffitebimur, *conjecturam* hanc quoque fuiſſe *noſtram*, non omni forte ſpecie deſtitutam. In magno ſcil. peregrinorum Theologorum, omnis ordinis aut religionis, Conſtantiam ad Concilium advolantium numero, cum Generali Auguſtinianorum advenerunt *Theologi Doctores Auguſtiniani XVI.* Quorum omnium nomina non conſignata ab *Ulricho Reichenthal* & *Gebhardo Dacher*, qui his rebus in Concilio inquirendis præfecti. Neq; *Munſterus* diſtincte commemoravit, illorum absque dubio veſtigia ſecutus. In his quid ſi & noſter extiterit *Vrie, Theologus Auguſtinianus*, & doctrina & ingenio clarus.

Accedit, quod *Hiſtoriam* hanc *Concilii Conſtantienſis ſcripſerit durante Concilio Conſtantienſi.* Cujus primam partem, quatuor nempe priores libros, abſolvit *A.* 1417. *feria 6. ante Dominicam Septuageſ.* Quatuor poſteriores, aut ultimam partem, *eod. anno* 1417. *menſe Novembri.* Ubi obſervandum probe, in hac recenſione ea ab autore deſcribi quæ tam diſtincte per literas alio perſcribi vix potuerint. Quin ergo præſentem arguunt ſpectàtorem, eumque oculatiſſimum. Deinde tam cito per nuncios nunciari in remotis regionibus in Concilio geſta non potuerant, quàm autor noſter deſcripſiſſe deprehenditur

ditur. Vix enim geſta calamo ſuo jam conſignavit noſter Hiſtoricus. Quippe quod Anno 1417, *diebus definitis*, ea ſcripſiſſe cognoſcatur, quæ vix ac ne vix quidem in Concilio geſta, nedum alio perſcripta. Ita *creationem Pontificis novi* Martini V. in Concilio, omnibus circumſtantiis adjectis, à creatione A. 1417. d. 11. Nov. *vix ſeptem diebus elapſis*, jam in hoc ſuo opere deſcripſerat d. 18. Nov. Ex quibus abunde colligi poſſe videtur, eum Concilio interfuiſſe. Ad minimum haud longe abfuiſſe dicendus.

Vigilantiſſimum certe virum fuiſſe conſtat, qui non ſomno deditus ac inertiæ, ſed oculos ſuos circumferre uti per libros, ita per Eccleſias, per respublicas, didicerit. Qui non externam fortunam ſpectaſſe contentus, affici nequiverit periculis publicis: Sed cui curæ cordique fuerit *ſalus Eccleſiæ publica*. Cui nec defuerunt uti literarum ita *prudentiæ* præſidia. Ut, non affectibus temere ſerviens, caute res diſtingueret, publicæ integritati profuturas aut nocituras.

Litium Eccleſiaſticarum vel *Eccleſiaſtico-politicarum*, in Eccleſia tunc graſſantium, hoſtis fuit infenſiſſimus, qui toto pectore abominatus *arrogantiam de primatu contendentium Eccleſiaſticorum. Simoniæ* quoque & irreligioſæ corruptionis impatiens.

Imperio Romano & civili Magiſtratui ſuum jus gladii ac *ferri*, Epiſcopis & Eccleſiaſticis *jus verbi*, conſtantiſſime ac animoſe aſſeruit. Neque curiæ Romanæ defectus & maculas detegere dubitavit: Quod vel libertatem ſeculi id ferre, vel nimiam corruptionem id requirere ſciret.

Emendationis ac *reformationis Eccleſiaſticorum* vota ardentiſſima concepit. Sigismundi Imperatoris & Patrum in Concilio congregatorum ſaluberrimo inſtituto, *ad reformationem univerſalem* tendenti, ex animo applauſit. Impedimenta alicubi injecta acerbe deploravit. Succeſſum vel leviſſimum, impenſi gaudii materiam amplexus eſt. Refractarios, ac pacis publicæ atque reformationis Eccleſiaſticæ pertæſos, *Johannem* XXIII. & *Benedictum* XIII. Pontifices, execratus.

Impenſe favit *Gregorio* XII. quod paci ac reformationi in Concilio Conſtantienſi inſtituendæ non obſtitiſſet, ſed, ex voto Sigismundi Imperatoris ac Concilii, Papatui ſponte valedixiſſet.

Sigismundi Imperatoris Zelum, ac pro univerſali Eccleſiæ reformatione ſuſcipienda ardorem, devotiſſimo cultu proſecutus eſt, ut in cœlum usque attolleret.

Ferdinandi quoque & *Alphonſi*, *Arragoniæ Regum*, pietatem ac ardens pacis ac reformationis ſtudium adoravit.

Ex ſuo interim ſeculo quod ſingulares nonnullas opiniones traxerit, non mirum, ſive religionem ejusque momenta, ſive regimen Eccleſiaſticum concernentes.

Wiclefo, *Huſſo*, & *Hieronymo Pragenſi*, amore Eccleſiæ Romanæ, minime fuit addictus. Ut dici nequeat, acerbitatem ſtyli & aculeatum calamum, quem in *aulam Romanam* ejusque vitia, inque *cleri* communes grandesque *lapſus* ſtrinxiſſe notatur, ex affectu in Huſſum ejusque doctrinam profectum. Cum æque acerbe Huſſum ac reliquum

quum clerum tractaverit, in quo turpitudinem vitiorum perſtringendam putavit.

Legiſſe eum apparet gravisſima ſcripta virorum ſuæ ætatis celebrium, qui *corruptionem Eccleſiæ publicam* graphice depinxerant, *Petri de Aliaco, Nicolai de Clemangiis, Johannis Gerſonis*, aliorumque, quorum fuit coætaneus. His calculum ſua hac dediſſe hiſtorica Concilii deſcriptione, eorumque querelas auxiſſe, remedia quæſita confirmaſſe ac impenſius optaſſe animadvertitur. Ut vir doctus, Theologus cordatus, & civis bonus ſui temporis merito habeatur.

Quod igitur à Cl. Vrie nonniſi *nobilis Hiſtoria Concilii Conſt.* ſuperſit, meruit utique *monumentum hoc* ab interitu conſervari. Quapropter ex pulvere reſuſcitare oblivione ſepultum non dubitavimus.

Quam verò *diligentiam* atque *fidem* in hoc antiquo libro recenſendo adhibuerimus, intelligent, qui meminerint, cujus ſit operæ ac induſtriæ, ex MSCtis, vetuſtiſſimisq; impreſſis codicibus, *perpetuis abbreviaturis* horrentibus, ſententiam eruere integram. Cum aliàs arduum ſit, de iis, quæ conjecturâ ſequenda ſunt, aliquid certi promittere.

Ita primùm noſter Vrie in *vetuſto codice Colonienſi* ex longa ætate continuis fere *abbreviaturarum* rugis atque plicis horrere nobis viſus. Ut haud immerito lectorem à ſe arcere, perpetuis tenebris mancipandus videretur. Quaſi nollet videri, cujus vox nollet audiri nec intelligi.

Præter anguſtiſſimos hoſce vocum carceres, catenis quaſi & vinculis tota porro oratio ita conſtricta deprehenſa, ut *neque ullo commatis vel puncti intervallo* diſtingueretur. Quod quantum lectori pariat tædium, & quos injiciat ſcrupulos, norunt qui in antiquis MSCtis & æmulis primis editionibus non ſunt hoſpites. Aperire proinde obſcuros hos vocum carceres, & arctisſima vincula laxare, uti operæ eſſe pretium judicavimus, ita amore publicæ rei ac poſteritatis, omni adhibito ſtudio *rem difficilem* pertentavimus. Sicubi lucem adhuc majorem deſideraverit lector, ſua conjectandi arte ſe feliciorem probabit, de re literaria optime meriturus.

Poſthæc non ornatui, ſed luci operis antiqui & fere ignoti, ac vel ob memoratos abbreviaturarum carceres paucis inſpecti, brevia dedimus *rerum argumenta, margini adjecta*. Credidimus enim, in vetuſtis ac deſertis monumentis expoliendis atque commendandis, ejusmodi locum eſſe *oculiferiis*. *Argumenta* iſthæc *marginalia* lectorum oculos per librum errantes tenent, ducunt, & in viam pertrahunt. Dein juvant & delectant. Quippe quod brevi manu potisſimas res comprehendere lector ac ab aliis minus neceſſariis diſtinguere prompte posſit. Et judicii hoc ſubſidium, & memoriæ legentis ac repetentis, aut rem lectam denuo perquirentis, eſt adjumentum.

Sunt autem hæc *ſummaria* ſic adornata, ut *illius ætatis indolem* ab autore deſcriptam aperte referant. Unicus hic ſcopus merito ſit talium argumentorum autoribus. Ab omni cenſura rerum ab autore deſcri-

Digitized by Google

deſcriptarum abſtinuimus plane. Cum hoc alterius ſit fori. Aculeos itaque omnes remotos eſſe ac longum valere juſſimus. *Qualis fuerit rerum in Eccleſia & republica ante & circa Concilii Conſtantienſis tempora facies*, indice digito monſtravimus, notulis iſtis ac characteribus, ad mentem autoris, non noſtri ſeculi ſententiam, compoſitis.

Quos pro genio ſeculi hæreſeos accuſavit Autor, purgare noſtrum non fuit. Uti pungere ſuæ ætatis Pontifices ſummos licuit, ita in eo feremus, quod Huſſum laceſſiverit. Iſta id volebant ſecula. Satis eſt, hos illorum temporum cognoviſſe mores.

Non noſtram igitur attingunt ætatem brevicula iſthæc argumenta, ſed *priſtinam Eccleſiæ & reipublicæ fortunam* tempore Concilii Conſtantienſis. Noſtrûm hodie quenquam offendere nobis religio eſt. Uti nec priſcam Romanæ curiæ formam hodie ſupereſſe opinamur, quæ ex virtute gloriam nunc quærat ſolidiorem. Habent ſuum genium ſecula quævis. Nec ex uno ævo cuncta tempora judicanda. Solertis interim eſt diſtinguere temporum conditiones, vitia & virtutes.

Uti marginalium hoc jus eſſe putavimus, abſtinere ab unguibus, ita & *argumentis librorum* ac *capitum* hoc privilegium conceſſum rati, vim *ſenſumque omnem absque dentibus breviter indicare*, rem olim geſtam paucis ſincere ſumus complexi.

HÆc te, optime lector, ſcire voluimus de Vita *noſtri Theoderici Vrie.* Quem merito *noſtrum* appellaverimus, quod nulli parſerimus labori in illo reſuſcitando ac ex denſiſſima caligine in lucem revocando. *Vita genus ac fata viri* ex ipſo hoc ejus opere collegimus: Quod nullum reperiremus nobis præeuntem, vel ſi quis vel verbo autorem attigiſſet, non impegiſſe eſſet viſus. Ignoſcet igitur nobis, ſi quid præteriiſſe videbimur, quotusquisque memor fuerit, quanti ſit laboris, in arduis viam quærere, ac ſecuturis parare atque monſtrare.

His utere, integerrime lector, memor, cum ab autore noſtro, ipſoque Concilio Conſtantienſi, tria pœne ſint elapſa ſecula, ob longum temporis intervallum, inſtar ſomnii hæc omnia noſtræ ætati videri: Quemadmodum noſtra ſtudia & hujus ſeculi fata poſteris olim, quando nos dudum abierimus, ſomniorum inſtar habebuntur. Abiere patres, ut vix horum meminerimus: Ibimus & nos, illorum exemplo, poſt fata expectaturi dulcem noſtri memoriam. Vale, bone lector, ac tuâ virtute & in nos affectu, utrique ſervemur ac vivamus, cura.

HERMANNUS von der Hardt/
Oſnabrugâ Weſtphalus, Academiæ Juliæ Prof.

Hæc

Digitized by Google

Nobilis hæc
Concilii Conſtantienſis Hiſtoria
Scripta
à
THEODERICO VRIE
Theologo Auguſtiniano
Anno M CCCC XVII.
durante Concilio Conſtantienſi,
Imperante
SIGISMUNDO IMPERATORE.
Reviſa
ab Autore
Anno M CCCC XXV
celebrato Generali Auguſtinianorum Concilio
ſub Auguſtino de Roma,
Eodem CÆSARE SIGISMUNDO.
Excuſa Coloniæ
Anno M CCCC LXXXIV
Sub Imperio
FRIDERICI IMPERATORIS.
Reſtituta
Helmſtadii in Academia Julia
Anno M DC XCVI menſe-Februario,
Quo, ob calidam aëris tempeſtatem inſolito exemplo cuncta in hortis progerminabant ac flores protrudebant,
Regnante
IMPERATORE LEOPOLDO,
ANTIQVÆ GERMANORUM GLORIÆ ET MAJESTATIS ROMANI IMPERII VINDICE GLORIOSISSIMO.

Digitized by Google

TOMI I. PARS II.

NICOLAI DE CLEMANGIIS

THEOLOGI GALLI

Qui ſub Concilio Conſtantienſi claruit,

VOTA PACIS AC EMENDATIONIS IN CONCILIO CONSTANTIENSI QVÆSITÆ.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

ex antiquiſſimo MSCto AUGUSTÆ BIBLIOTHECÆ WOLFFENBVTTELENSIS

recenſita

ab

HERMANNO von der Hardt / Oſnabrugenſi,

Acad. Juliæ Profeſſore.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

Digitized by Google

JO. TRITHEMIUS
Abbas Spanheimenſis:

* * *

NICOLAVS CLEMANGIS
Vir
in divinis Scripturis eruditus,
& in ſecularibus literis nobiliter doctus,
metro excellens & proſa,
magnam Eruditionis ſuæ evidentiam dedit.
Scripſit utroque ſtylo
multa
PRÆCLARA VOLUMINA,
quibus
luculentiſſimi ingenii ſui
memoriam reliquit.
Claruit
temporibus
SIGISMUNDI IMPERATORIS
&
Concilii Conſtantienſis
Anno Domini
M. CCCC. XVII.

Digitized by Google



HERMANNUS von der Hardt
Lectori Salutem.

RErum *fata* noſſe, quis ſucceſſus, quis eventus, utile quidem & jucundum: Aſt *principia* pervidere atq; fontes, adeo ſæpe difficile, ut à ſcrutamine abſtinere & melius & tutius ſit. Vel enim publicarum præcipue mutationum *origines* adeo ſunt *remotæ*, ut longa temporis mora eas penitus ſopiverit & poſterorum memoriæ ſubtraxerit: Vel argutiis atque artibus favrorum hominum, qui palliare ac peregrinos rebus colores accerſere norunt, *occaſiones primæ* egregie diſſimulantur. Quin, ſi penetrare forte oculato contingat, metus vel pudor oculos tegere & labia comprimere ſuadet. Sunt enim frequenter agnita *fundamenta* adeo *lubrica*, ut in illis conſiſtere absque lapſu vel & vitæ diſcrimine non detur. Ut ſatius ſit vel ignorare vel ſilentio te-

gere ac neſcire velle *primas* publicorum fatorum *cauſas*. Sunt nihilominus omni ævo, ſive candore pectoris pellecti, ſive veritatis luce convicti, ſive animi compasſione compulſi, qui quam perviderunt publicorum motuum *anſam* fœcundamque materiam, diſſimulare verentur. Ex quibus ad poſteros promanat cum fonte rivus, ut vel judicet poſteritas vel caveat.

Quandoquidem ergo Eccleſiæ & Chriſtianæ reipublicæ fata *ante tempora Concilii Conſtantienſis* turbulentisſima extitere, ut non majori tempeſtate quaſſata res Chriſtiana crederetur, quam illa ætate: Infandorum *malorum*, illo tempore Eccleſiam inundantium *ſcaturigines* detegere non dubitarunt viri cordati & prudentes, qui iisdem fluctibus jactati, nexum atque impetum rerum omnium coram erant intuiti. Expertis his fidem à poſteritate haberi omnino par eſt. Quanto etiam difficiliora deprehenſa ſunt iſta negotia, non ſine vehementisſimis Eccleſiæ & reipublicæ motibus componenda: Tanto major illis debetur gratia, qui *turbinum principia* monſtrarunt.

Decentisſime hoc *ſub ipſo Concilio Conſtantienſi* præſtiterat celebris Theologus THEODERICUS VRIE in nobili ſua *Concilii Conſtantienſis hiſtoria*. Denudaverat hic Eccleſiæ faciem, illa ætate ex inflictis vulneribus ſic maculatam, ut abſterreret à ſui conſortio omnes bonos carisſimosque filios, tantum abeſt ad gremium ſuum exteras gentes ac

hoſtes

hoſtes invitaret. *Eccleſiaſtici ſtatus miſerrimam* illo tempore *conditionem*, ex *corruptisſimis moribus* ortam, ſincere demonſtraverat. Cui nefandæ *morum corruptioni remedium in Concilio Conſtantienſi* per SIGISMUNDUM IMPERATOREM diligentisſime *quæſitum* eſſe, idem plus centies apertisſime monuerat. Ita ut ex totius orbis voto *Concilium Conſtantienſe Reformationis communis* haberetur *theatrum*, in quo omnium doctorum virorum conſilio depravati Eccleſiæ mores prorſus emendarentur. Tametſi verò ſaluberrimo huic negotio tenacisſima injecta impedimenta, laborum tamen gravisſimorum in ſolennisſima iſthac Eccleſiæ congregatione ſcopum illibatum manſiſſe *Publicam Eccleſiæ Reformationem*, ſedulo inculcaverat.

Quapropter in hiſtorica recenſione celebratisſimi Concilii Conſtantienſis, Clarisſimum hunc *illius ævi ſcriptorem*, oculatum teſtem, *Theodericum Vrie*, in pulvere relinquere, aut præterire tacite, nefas exiſtimavit SERENISSIMUS PRINCEPS RUDOLPHUS AUGUSTUS. Quin potius, quod doctus & peritus, prudens & circumſpectus hic Theologus, *fundum* omnis illius *mali* pulchre detexiſſet, ac elegans *compendium omnium*, primorum ac ultimorum *iſtius temporis motuum*, ſcite concinnaſſet, hunc reliquorum *ſcriptorum agmen ducere* Ejus Celſitudo æqvum judicavit & præclara viri eruditione ac integritate dignum.

Comites vero & locupletes ac graves fidei *te-*

ſtes ex eodem ævo Theoderico noſtro jungere, quibus *eædem periculorum cauſæ* non ſine lacrymis obſervatæ, conſultum putavit Princeps.

Deſideratisſimam igitur JOHANNIS à WALLENROD *Concilii Conſtantienſis hiſtoriam*, in præfatione *operis Vriani* laudatam, magno ſtudio quæſitam, hic jam exhibuiſſemus, niſi iniquisſima fata omnem illius potiundi ſpem orbi erudito viderentur denegaſſe. In *Franconia*, *in tabulis Eccleſiæ Schvvobacenſis*, ubi, cum Eccleſiam illam multis reditibus beaſſet, defunctus Noſter, nulla hujus literarii monumenti Wallenrodiani veſtigia ſupereſſe, ex Decano Schvvobacenſi nobis retulit *Noricæ Eccleſiæ Theologus clarisſimus & Philologus Excellens Dn. Feurlinus. In Cæſarea Viennenſi Bibliotheca*, inter præclara MSCta *Bruſchii*, qui Wallenrodianum opus posſediſſe creditur, quæſitæ Wallenrodianæ reliquiæ. Verùm has nec ibi comparuiſſe cum dolore accepimus.

Spem noſtram interea aluerat *Boruſſia*, perilluſtri VVallenrodiana familia effulgens. Verùm ſerena ſpes noſtra denſisſima doloris nube obruta ac penitus abſorpta. Niſi ex cineribus ſuis, quos amaris merito irrigamus lacrymis, reſuſcitari poſſe nobile monumentum nobis perſuaderi patiamur. Quandoquidem *Perilluſtris ac Generoſiſſimus Dominus JOHANNES ERNESTUS à WALLENROD, Conſiliarius Elect. Borusſiæ ſupremus ac Curiæ Provincialis Præfectus eminentiſſimus*, impenſis deſideriis

deriis *Sereniſſimi Ducis* RUDOLPHI AUGUSTI, pro ſuo prolixisſimo in publicam rem literariam affectu, reſponſurus, *triſtiſſimam* laudatisſimi antiqui MSCti *fortunam* gratioſisſimis literis commemoravit. Quæ fata abſq; lacrymis intueri non poſſe quempiam ſumus perſuaſisſimi. En ergo elegantisſimam *Excellentiſſimi Viri*, Venerandi Senis, octogenario majoris, *Epiſtolam*, epicedium deperditi præclarisſimi operis complexam, non ſine gemitu legendam.

„ LIteras tuas *d.* 23. *Octobr. a.p.* ad me datas
„ *menſe Decembr. ejusdem Anni* accepi. Indicasti iisdem
„ deſiderium lustrandi *hiſtoriam Concilii Conſtantienſis à*
JOHANNE à WALLENROD olim conſcriptam, quam tibi non
„ ſolum in ſcripto, feliciſſimis Auſpiciis *Sereniſſimi Prin-*
„ *cipis ac Domini Dn.* RUDOPLPHI AU-
„ GUSTI *Brunſv. & Luneb. Ducis &c.* adornando,
„ proficuam futuram, verum etiam à me tibi ſubminiſtratum i-
„ ri certiſſime confidis. Equidem ipſe fateor, non exiguam
„ operi, quod meditaris, fœneraturum eſſe lucem *ſcriptum Wal-*
„ *lenrodianum*, ſi honorifica teſtimonia Hiſtoricorum ejusdem
mentionem facientium veritatem non offendunt, inter quos
„ non poſtremus eſt à te allegatus *Bruſchius l.c. fol.* 39. cui conſentit
„ *Spangenberg. part.* 2. des Helden Buchs Teutſcher Nation *p.* 185. Taceo
„ *alios*, ne multorum commendatio acerbam memoriam rei
amiſſæ reducat. Scriptum enim *Agnati mei*, cujus memoria
„ ſit in pace, ſupellex libraria mea tanquam ſingulare ornamen-
„ tum jamdudum deſiderat. Nec mireris, quare bibliotheca
„ mea, quam tu vel nimia humanitate, vel favorabili fama ſe-
„ ductus inſtructiſſimam appellas, hoc ſcriptum non poſſideat.
„ Sequentia enim, ut puto, ſcrupulum tibi excutient. *Dn. Parens*
„ *meus* beatæ memoriæ, *Cancellarius hujus provinciæ* olim Excel-
„ lentiſſimus, & ſi verum fateri liceat, *Philomuſus genuinus* (enco-
„ mium enim, quod ipſa invidia illi tribuit, à filio ſine grandi
„ impietate & ingrati animi turpiſſima nota diſſimulari non
poteſt)

„ poteſt) pro *ſingulari*, qua pollebat, *eruditione*, & *accurata librorum* „ *cognitione* haud vulgarem ſupellectilem optimorum libro- „ rum ſummo ſtudio collectam, maxima cura, ut pretioſiſſi- „ mum theſaurum cuſtodiebat. Sed eheu! Funeſta ac impro- „ viſa *flamma*, quæ unde ſurrexerit, in hunc usque diem ignora- „ tur, cunctis domeſticis alto ſomno ſepultis in ædibus pater- „ nis orta, omnem ejus ſubſtantiam, &, quod magis dolen- „ dum, egregiam *Bibliothecam*, ne pagina quidem relicta, *hauſit*, „ ſemique nudis domeſticis vix ægre ſe repentina fuga ſubdu- „ centibus, præter vitam nihil quam incredibilem terrorem re- „ liquit. Quod factum *Anno hujus ſeculi XXIII.* Ego tunc puer „ *octo annorum*, felici ſaltu per feneſtram ſex vel ſeptem cubitis à „ terra diſtantem, periculo vitæ liberatus, dolores paternos, ut „ illis annis fieri ſolet, vix capiebam. Hoc tamen probe adhuc „ memini, Dominum Parentem, tanquam Virum quadratum „ animique conſtantis, rerum in hac calamitate amiſſarum re- „ cordatione nunquam valde motum, Bibliothecæ tamen, & „ inprimis *manuſcriptorum*, nullo pretio comparabilium, memo- „ ria adeò excruciatum fuiſſe, ut vix eorundem mentio ſit fa- „ cta, quin oculi ipſius acerbis lacrymis rigarentur. Quarum „ nonnullas MANUSCRIPTO quoque JOHANNIS à WAL- „ LENROD conſecratas fuiſſe eo minus dubito, quo certior ſum, „ *Dominum Parentem meum, ſcriptum iſtud* ex Franconia ſecum ad- „ portatum *maximis in deliciis habuiſſe.* Ex hoc quidem tempore „ novam bibliothecam inſtaurare iterum cœpit, quam ego pro „ facultatibus meis amplificavi & exornavi, *manuſcripta* tamen „ ſemel *flammis abſumta* optari quidem potuerunt, reſtitui non „ potuerunt. Quare etiam facile me veniam conſecutu- „ rum eſſe minime deſpero, ſi hac in re placitis ac deſideriis „ *SERENISS. PRINCIPIS BRUNSVIC.* „ *& LUNEBURG.* Domini mei Clementiſſimi, cui „ cum devota & ſubmiſſa ſervitiorum meorum oblatione im- „ menſum annorum curſum cum omnigena felicitate ex animo „ apprecor, officiis meis reſpondere non potuerim. Deum te- „ ſtor omniſcium, quam promtus ſim, ſi quidquam qualiquali „ ſtudio meo res literaria promoveri queat. Inprimis mihi gra- „ tulatus eſſem, ſi mea tenui opera piis conatibus ac heroico in- „ ſtituto Tanti PRINCIPIS ſuccurrere, aut ad minimum hac „ occaſione promtum inſerviendi animum explicare potuiſ- „ ſem. Quo fine non ſolum *meam ſupellectilem librariam diligentiſſi-*

me

„ *me excuſſi, verum etiam Bibliothecæ Electoralis & virorum eruditorum* „ *ſubſidium imploravi* (quod reſponſionem meam huc usque ſuſ- „ flaminavit) ſed inani ſucceſſu. Quare cum hic opera mea „ nihil valui, piis ſuſpiriis & votis, quæ pro veſtri *laboris, Reipublicæ* „ *literariæ utilisſimi*, felici ſucceſſu emittam, conatus veſtros „ ſemper comitabor.

Regiomonti Boruſſorum
die 9. Februarii 1696.

JOHANNES ERNESTUS à WALLENRODT.

Altera magni literatorum Mæcenatis epiſtola, qua eadem MSCti Agnati ſui fata amare deplorat illuſtriſſimus WALLENRODIUS.

„ QVam impoſſibile mihi fuerit repetitis tuis ſatisfacere „ petitis, vel literæ ſuperiori menſe ad te exaratæ doce- „ bunt. Funeſtiſſima flamma ſeptuaginta tribus abhinc annis *Manuſcriptam Concilii Conſtantienſis hiſtoriam*, „ auctorem JOHANNEM à WALLENROD agnoſcentem, „ proh dolor! delevit, ſimulque facultatem eandem tibi com- „ municandi mihi abſtulit. Credas velim, vir præclariſſime, „ non mediocrem me inde ſentire dolorem, quod tam oppor- „ tunam & publico & tanto PRINCIPI amiſerim inſervi- „ endi occaſionem. Omnibus idcirco in Patria antiquitatum „ literariarum monumentis diligentiſſimè excusſis, virisque in „ hoc curioſo ſtudiorum genere verſatisſimis in conſilium tra- „ ctis, etiam ad exteros mea excurret inquirendi diligentia, & „ quicquid inde ad me perveniet notitiæ, fideliter tibi com- „ municabo. Non enim exiguam noſtræ familiæ acceſſurum „ eſſe ſplendorem credo, *ſi ſcriptum Wallenrodianum* felicisſimis „ auſpiciis *Serenisſimi Principis* BRUNSV. AC LUNEB. DUCIS publicis „ exſcriptum extaret typis. Interim non poſſum non niſi grato „ animo agnoſcere ſingularem prænobilisſimæ tuæ claritatis

„ favorem in me & totam familiam noſtram publico ſcripto
„ luculentisſime teſtatum. Præfationis ſane ad lectorem totius
„ operis primarium ſibi vindicat argumentum laus & enco-
„ mium WALLENRODIORVM. Neque in diſputa-
„ tione tua eruditiſſima diſſimulare potuiſti affectum tuum in
„ noſtram familiam propenſisſimum, dum *JOHANNEM à*
„ *WALLENROD*, *ArchiEpiſcopum Rigenſem*, ſingulari favoris tui
„ argumento inter Eſaias iſtos, qui SIGISMUNDO IMPERATORI
„ glorioſiſſimæ memoriæ, genuino ævi ſui Hiskiæ, operam
„ contra machinationes Pontificum fideliter præſtiterunt, ſat
„ honorifice numeraſti. Hanc certe gratiam nullis unquam
„ oblivionis terminis circumſcribi patiar, & quamlibet impo-
„ ſterum occaſionem tibi tuisque inſerviendi promptiſſime ar-
„ ripiam. Vale.

Regiomonti Boruſſ. d. 8.
Martii, 1696.

JOH. ERNEST à WALLENRODT.

Quod igitur omnis jam ſpes noſtra decollasſe videatur, luctum ab interitu *literarii theſauri* reliqvum temperabimus non niſi *indelebili ejus memoria* reſuſcitata ac æternitati conſecrata.

Fiat hoc ſequenti impoſito cineribus MONUMENTO.

AVREO

AVREO MANVSCRIPTO
HISTORIÆ CONCILII CON-
STANTIENSIS
Illuſtris Conditoris
EQVITIS AURATI
JOHANNIS A WALLENROD
Generis, virtutis, eruditionis
gloriâ inclyti
Splendidiſſimi Concilii ſpectatoris
ſagaciſſimi
Conſtantiſſimam lucem
atque incorruptibilitatem promeritò
Aſt
cum inæſtimabili Bibliothecæ
Wallenrodianæ theſauro
funeſtæ ac inſidioſæ flammæ injuriam
experto
Irreparabili damno
A. M DC XXIII.
IN CINERES SOLUTO
Hæc
LACRYMARUM URNA
doloris ſempiterni materia
pro inextinguibili deſiderio
conſervando
feſſa manu poſita.
A. M DC XCVI. ID. MART.

ACCIPE NON PARIO NUTANTIA PONDERA SAXO,
QVÆ *CINERI* VANUS DAT RUITURA LABOR:
SED FRAGILES BUXOS, ET OPACAS PALMITIS UMBRAS,
QVÆQVE VIRENT *LACRYMIS* ROSCIDA PRATA *MEIS*.
ACCIPE, WALLNRODI, NOSTRI MONUMENTA LABORIS,
HIC *TIBI* PERPETUO TEMPORE VIVIT HONOR.
CUM MIHI SUPREMOS LACHESIS PERNEVERIT ANNOS,
NON ALITER CINERES MANDO JACERE MEOS.

QVod ergo lacrymas tantiſper reprimere oporteat, à *ſacris* Wallenrodiani operis *cineribus* madentes oculos alio flectere, & ſenes alios quærere *Vrianæ ſinceritatis teſtes*, neceſſe.

In ſpectabili MSCtorum ad rem præſentem ſpectantium cumulo, quæ ſingulari fortuna in *Sereniſſimi Principis RUDOLPHI AUGUSTI*, hanc Hiſtoriam molientis, celſiſſimas manus inciderunt, cum alius eſſet quæſitus *ſcriptor antiquus*, qui noſtri Vrie latus clauderet, fata Concilii Conſtantienſis ſuis etiam oculis olim intuitus: Obtulit ſeſe GEBHARDUS DACHER *Conſtantienſis*, qui celebris hujus Concilii pars haud poſtrema extitit, Conciliiq; ſplendidiſſimi hiſtoriam curate olim conſcripſit, Vir doctus, & præſentibus in Concilio Principibus gratus, Electori præcipue Saxoniæ impenſe dilectus, in patria ſua, Conſtantienſi republica, autoritatis magnæ, patriæ hiſtoriæ amantisſimus. Cum *Ulricho Reichenthal*, Canonico *Conſtantienſi*, Viro ſpectabili, ſibi admodum familiari, in Concilii Conſtantienſis ſcribenda Hiſtoria certavit. Unus tamen ob familiaritatem alterius opera uſus. GEBHARDI hujus DACHERII *HISTORIAM CONCILII CONSTANTIENSIS MSCtam*, nec quod ſciamus unquam editam, ex *AUGUSTA Bibliotheca Wolfenbuttelenſi* clementisſime exhibuit *Sereniſſimus Princeps RUDOLPHUS AUGUSTUS.* Præfatio huic hiſtoriæ præmiſſa de

Digitized by Google

de autoris genio teſtabitur. *Chriſtianus*, inquit, *orbis trium Pontificum diſſidentium machinis erat diſtractus. Quod enim quisque ſuos in diverſis regnis ſectatores, obedientiam tanquam Pontificum ſummo præſtantes, inveniſſet, diriſſimo diſſidio, fidem attingente, longo tempore continuato, confuſa omnia. Neque hoc incendium niſi univerſalis Concilii ope reſtingui poterat. Sigismundi Imperatoris conſilio atque induſtria effectum tandem, ut diverſæ nationes Chriſtiani orbis, Itali, Germani, Galli, Angli, Hiſpani, unà cum finitimis populis, in unum congregarentur cœtum. Quo facto reformationem urſit Imperator. Ceterum in populoſiſſimo iſthoc Concilio univerſali voti ſui non ultra compos factu Sigismundus Auguſtus, quàm quod Cleri ordinem illuc convocatum ac præſentem, ad confeſſionem ſuorum ſcelerum, ac inprimis Simoniæ, diſſidiorum, ac in fide diſſenſionum, compulerit, memoratos tres Papas ſede moverit, & cum omnium conſenſu novum Papam Ottonem de Columna, antea Cardinalem, Martini V. nomine inſignitum, eligi curarit. Acta hæc Conſtantiæ, Concilio in tertium annum & 9. menſes protracto, A.* 1418. *finito. Advenerat huc in Concilium ipſe Johannes XXIII. Pontifex, aſt mox iterum ſe ſubduxit. Vocati ad hoc Concilium Husſus ac Hieronymus. Quorum ille, Imperatoris ſalvo conductu ſtipatus à Bohemis Conſtantiam deductus, ac à Romana curia hæreſeos accuſatus. Cæſar, quaſi, tenore decretalium, Husſo fidem datam præſtare non teneretur, multis verbis perſuaſus, Huſſo & Bohemis ſalvi conductus fidem fregit. Sic Huſſus ille ac Hieronymus, quod Sacramentum cœnæ ſub utraque ſpecie, ex inſtitutione Chriſti, in Bohemia ad exemplum veterum adminiſtrandum publice prædicaſſent atque ita diſtribuiſſent, exuſti. Quomodo Concilium diſſolutum, neque Reformationi, ab Imperatore quaſitæ ac deſideratæ, locus ullus relictus. Qualem reformationem in hunc usq; diem* (ſub Concilio Baſileenſi) *& ſeculares & Eccleſiaſtici fugiunt. Decretum interim in Concilio, à fine Conſtantienſis Concilii intra quinque annos proximos novum Concilium cogendum, & illo finito ſingulis decenniis ſemper aliud eſſe congregandum. Tres iſti ſubmoti Papæ fuerunt Petrus de Luna Hiſpanus, Benedictus XIII. cognominatus, Angelus de Corario ſ. Gregorius XII. & Balthaſar de Coſſa ſ. Johannes XXIII. Cetera in Concilio confecta negotia, hæc ſunt: Miſſalia ſacra, Benedictiones Papales, Indulgentiæ, Proceſſiones, Ceremoniæ, pompæ ac ſplendoris oſtentationes, Conſecrationes panum, ignis, aquæ, cerearum, unctiones, luſtrationes, Agnus Dei, roſæ, laudes, campanarum tinnitus, & ſimilia. Femina quoque Brigitta in hoc Concilio inter ſanctas relata. A Concilio Imperator Pragenſes fruſtra obſedit. Pontifex verò Eugenius Concilium Baſileenſe impedire conatus.*

Ex qua DACHERII præfatione zelus & affectus Viri, & judicii ſinceritas, ac ob reformationem in Concilio impeditam animus indignabundus abunde elucent. Ut Noſtro Vrie jungendus

Digitized by Google

QVod ergo lacrymas tantiſper reprimere oporteat, à *ſacris* Wallenrodiani operis *cineribus* madentes oculos alio flectere, & ſenes alios quærere *Vrianæ ſinceritatis teſtes*, neceſſe.

In ſpectabili MSCtorum ad rem præſentem ſpectantium cumulo, quæ ſingulari fortuna in *Sereniſſimi Principis RUDOLPHI AUGUSTI*, hanc Hiſtoriam molientis, celſiſſimas manus inciderunt, cum alius eſſet quæſitus *ſcriptor antiquus*, qui noſtri Vrie latus clauderet, fata Concilii Conſtantienſis ſuis etiam oculis olim intuitus: Obtulit ſeſe GEBHARDUS DACHER *Conſtantienſis*, qui celebris hujus Concilii pars haud poſtrema extitit, Conciliiq; ſplendidiſſimi hiſtoriam curate olim conſcripſit, Vir doctus, & præſentibus in Concilio Principibus gratus, Electori præcipue Saxoniæ impenſe dilectus, in patria ſua, Conſtantienſi republica, autoritatis magnæ, patriæ hiſtoriæ amantisſimus. Cum *Ulricho Reichenthal*, Canonico *Conſtantienſi*, Viro ſpectabili, ſibi admodum familiari, in Concilii Conſtantienſis ſcribenda Hiſtoria certavit. Unus tamen ob familiaritatem alterius opera uſus. GEBHARDI hujus DACHERII *HISTORIAM CONCILII CONSTANTIENSIS MSCtam*, nec quod ſciamus unquam editam, ex *AUGUSTA Bibliotheca Wolfenbuttelenſi* clementisſime exhibuit *Sereniſſimus Princeps RUDOLPHUS AUGUSTUS.* Præfatio huic hiſtoriæ præmiſſa de

Digitized by Google

de autoris genio teſtabitur. *Chriſtianus,* inquit, *orbis trium Pontificum disſidentium machinis erat diſtractus. Quod enim quisque ſuos in diverſis regnis ſectatores, obedientiam tanquam Pontificum ſummo præſtantes, inveniſſet, dirisſimo disſidio, fidem attingente, longo tempore continuato, confuſa omnia. Neque hoc incendium niſi univerſalis Concilii ope reſtingui poterat. Sigismundi Imperatoris conſilio atque induſtria effectum tandem, ut diverſæ nationes Chriſtiani orbis, Itali, Germani, Galli, Angli, Hiſpani, unà cum finitimis populis, in unum congregarentur cœtum. Quo facto reformationem urſit Imperator. Ceterum in populoſisſimo iſthoc Concilio univerſali voti ſui non ultra compos factu Sigismundus Auguſtus, quàm quod Cleri ordinem illuc convocatum ac præſentem, ad confesſionem ſuorum ſcelerum, ac inprimis Simoniæ, disſidiorum, ac in fide diſſenſionum, compulerit, memoratos tres Papas ſede moverit, & cum omnium conſenſu novum Papam Ottonem de Columna, antea Cardinalem, Martini V. nomine inſignitum, eligi curarit. Acta hæc Conſtantiæ, Concilio in tertium annum & 9. menſes protracto, A. 1418. finito. Advenerat huc in Concilium ipſe Johannes XXIII. Pontifex, aſt mox iterum ſe ſubduxit. Vocati ad hoc Concilium Husſus ac Hieronymus. Quorum ille, Imperatoris ſalvo conductu ſtipatus à Bohemis Conſtantiam deductus, ac à Romana curia hæreſeos accuſatus. Cæſar, quaſi, tenore decretalium, Husſo fidem datam præſtare non teneretur, multis verbis perſuaſus, Huſſo & Bohemis ſalvi conductus fidem fregit. Sic Huſſus ille ac Hieronymus, quod Sacramentum cœnæ ſub utraque ſpecie, ex inſtitutione Chriſti, in Bohemia ad exemplum veterum adminiſtrandum publice prædicaſſent atque ita diſtribuiſſent, exuſti. Quomodo Concilium diſſolutum, neque Reformationi, ab Imperatore quaſitæ ac deſideratæ, locus ullus relictus. Qualem reformationem in hunc usq; diem* (ſub Concilio Baſileenſi) *& ſeculares & Eccleſiaſtici fugiunt. Decretum interim in Concilio, à fine Conſtantienſis Concilii intra quinque annos proximos novum Concilium cogendum, & illo finito ſingulis decenniis ſemper aliud eſſe congregandum. Tres iſti ſubmoti Papæ fuerunt Petrus de Luna Hiſpanus, Benedictus XIII. cognominatus, Angelus de Corario ſ. Gregorius XII. & Balthaſar de Coſſa ſ. Johannes XXIII. Cetera in Concilio confecta negotia, hæc ſunt: Miſſalia ſacra, Benedictiones Papales, Indulgentiæ, Procesſiones, Ceremoniæ, pompæ ac ſplendoris oſtentationes, Conſecrationes panum, ignis, aquæ, cerearum, unctiones, luſtrationes, Agnus Dei, roſæ, laudes, campanarum tinnitus, & ſimilia. Femina quoque Brigitta in hoc Concilio inter ſanctas relata. A Concilio Imperator Pragenſes fruſtra obſedit. Pontifex verò Eugenius Concilium Baſileenſe impedire conatus.*

Ex qua DACHERII præfatione zelus & affectus Viri, & judicii ſinceritas, ac ob reformationem in Concilio impeditam animus indignabundus abunde elucent. Ut Noſtro Vrie jungendus

Digitized by Google

proxime omnino videatur. Ceterum, quod pia Sigismundi vota à Clero iſtius temporis fruſtrata videret, falſæ ſpei publicæ impatiens, externum præcipue in ſua hiſtoria præ aliis rebus Concilii apparatum literis commendare maluit. Quod decenti ordine, *Ulrichum Reichenthal*, Civem ac familiarem ſuum longe ſuperans, præſtitit. Quapropter DACHERO noſtro alium in altero Tomo locum dandum eſſe conſultius putavimus.

Cum itaque inter MSCta porro de aliis diſpiceretur autoribus, qui fontem mali monſtraſſent, *corruptione iſto tempore in Eccleſiaſtico ſtatu publica*, utpote Concilii Conſtantienſis cauſa atque occaſione prima, urgentisſimaque materia, expoſita: Placuit DUCI præ cæteris CLEMANGIUS, Theologus eruditisſimus atque ſolertisſimus, ſed & religionis Chriſtianæ amore penitus imbutus. Qui pleraſque illius tempeſtatis *motiones* publicas & intricatisſimas *cauſas* ſuis obſervaſſet oculis. Qui *corruptiſſimum ſui illius temporis in Eccleſia ſtatum* elegantisſima oratione deſcripſiſſet. Quique ſeriam & curatam *Eccleſiaſticorum emendationem* multis precibus flagitaſſet.

Ex AUGUSTA proinde *Wolfenbuttelenſi Bibliotheca* vetuſtisſimum *Epiſtolarum Clemangii* noſtri *Codicem MSCtum*, magna Ducis gratia impetravimus, ex quo curate primùm ſeligeremus ad rem præſentem facturas. Etſi verò à *Lydio* editas conſtaret *Clemangii Epiſtolas*, *MSCto* tamen

men tanto magis fidendum eſſe creditum, quanto certius cognitum, edita hactenus antiquorum Scriptorum opera à MSctis fide dignis quamplurimum ſæpe differre. Id quod mox in collatione MScti hujus cum editione Lydii abunde animadvertimus.

Scriptus antiquus hic *codex anno* 1480. per *Eucharium Troſther, Præbendarium Eccleſiæ majoris Argentinenſis*, ut ſuâ in fine libri teſtatus eſt manu. Inſcriptio MScti hæc eſt: *Epiſtolæ Magiſtri Nicolai de Clamenges, Cantoris Bajocenſis.*

Locupletior hic codex MSctus Lydiano. Multæ quippe epiſtolæ hic deprehenduntur, nec Lydio nec orbi erudito hactenus viſæ. Sicuti ex adverſo quaſdam etſi breviculas *Lydius* exhibuit, quas hoc volumine non complexus eſt *Troſtherus*. Præterea inſertæ his à *Troſthero* illæ, quas de *Concilio Generali* ſcripſit *Clemanges*: *Lydius* verò in MScto ſuo non inventas, ex impreſſis hauſtas ſeorſim recenſuit.

Selectiſſimas proinde quas hic exhibemus Clemangianas è laudato nobili *MSCto VVolfenbuttelenſi* bona fide depromſimus. Quippe quod *emendatiorem* hunc *Codicem MSctum* deprehenderemus, quam Lydianum. Id quod conferentibus noſtram recenſionem cum Lydiana ſatis ſuperque conſtabit. Varias autem cumulare lectiones, ſupervacaneus fere labor habitus.

Argumenta præmittere clariora atq; pleniora addi-

additis inſuper characteribus aut *indicibus marginalibus*, operæ fuit viſum pretium. Lectoris quippe memoriæ & fugientium oculorum commodis inſervire omni modo, par & æqvum eſt.

Pingunt ſelectæ hæ epiſtolæ eleganter *vivam iſtius temporis*, Concilio Conſtantienſi nobilitati, *imaginem*: Quæ nubes ac *nebulæ* præceſſerint *in Eccleſia*: Quam aucta ſuſpiria & vota pacis ac emendationis Eccleſiaſticæ: Quam illas tempeſtates disſipare ſtuduerit Conſtantienſe Concilium: Quam *multa* injecta *offendicula*: Quam *tenax* prior *corruptio*: Quam denique *difficilis* tentata in Concilio ſolenni *emendatio*.

Uberiorem his affundet lucem aliud breve ſed nobile ejusdem *Clemangii* opuſculum, *De Ruina Eccleſiæ circa tempora Concilii Conſtantienſis*. Quod ex præclaris *MSCtis* itidem petitum Epiſtolis his ſubjungere animus eſt, tanquam nitidisſimum ſed & *plenisſimum* in pauculas has epiſtolas & ardua *Concilii tempora commentariũ*.

Tanto majorem erudito orbi nos facturos gratiam ſperamus, Clemangianis his rebus ex MSctis erutis atque operi huic inſertis, quanto uberiorem affundunt lucem hiſtoriæ Concilii Conſtantienſis, quantoq; corruptiora Clemangiana hactenus edita, noſtraque MScta pleniora atq; emendatiora. Ut cum Vrie reſuſcitari denuo meruerit Clemangius, coætanei, eorundem olim fatorum publicorum participes.

NICO-

NICOLAI CLEMANGII
Theologi Pariſienſis
Qui ſub Concilio Conſtantienſi claruit,
SELECTÆ EPISTOLÆ
EX MSCto WOLFENBUTTELENSI.

Quibus *Reges*, *Pontifices*, aliosque *viros illuſtres*, ipſum denique CONSTANTIENSE CONCILIUM, enixe obſecravit, ut corruptos illo tempore Eccleſiaſticorum mores emendarent, ac diſſenſionibus publicis mederentur.

CAPUT I.

De ardentibus CLEMANGII *votis, pro auxilio in publica Eccleſiæ calamitate, ante Concilium Conſtantienſe per Eccleſiaſticos excitata, à* CAROLO VI. GALLORUM REGE *quaſſata Eccleſiæ ferendo.*

TAmetſi tempeſtates, circa Concilii Conſtantienſis tempora Eccleſiam & rempublicam Chriſtianam quaſſantes, *lenta & occulta per plura ſecula ſubrepentia* agnoſcant *principia:* Seculo tamen XIV. An. 1378. *quadraginta* propemodum *annis ante Conſtantienſe Concilium*, palam erumpentes Eccleſiam inundare cœperunt. Fatali quippe hoc anno, *Gregorio XI.* qui Avenioni in Gallia ſedem habuerat, Romamque iterum ſe contulerat, defuncto, novus ſubſtituendus erat Pontifex. Hic *artibus* videbatur locus dandus, quibus ſedes Papalis *in Italia* iterum firmaretur. Factum aut tentatum hoc multis machinis, callidis conſiliis, ſuaſionibus, corruptionibus, armata denique manu. Quæ callida machinamenta, ac publicarum in Eccleſia turbarum feralia initia, *Theodericus Vrie, in Hiſtoria Concilii Conſt. lib. 2. diſt. 6. f. 37. ſeqq.* fuſe expoſita, vehementer illo tempore eſt deteſtatus.

Malorū initium An. 1378.

Romanorum calliditas turbis præluſit.

Dolis majus *infortunium* acceſſerat, quando per artes & vim electus novus Pontifex *Bartholomæus, Neapolitanus, ArchiEpiſcopus Barenſis, Urbanus VI.* dictus, grandibus vitiis inſignis deprehenſus. *Theodorico Niemio*, aulæ Ro. Secretario, domeſtico illius temporis teſte, *Turbanus: Theoderico* noſtro *Vrie, Hiſt. Conc. Conſt. lib. 7. diſt. 1. f. 179. omni malitia exercitatus, parricidaque:* Illuſtri *Stephano Baluzio, in Vitis Paparum Avenionenſium, natura ferox, melancholicus, bibax, ebrioſus, furioſus, vindictæ appetens, crudelis, immanitate barbarus,* audit.

Urbani VI. prava indoles.

Triſtia hæc publicæ rei fata cum animadverteret Gallia, alium Papam, *Robertum, Comitem Gebennenſem, Clementem VII.* elegit, quem moribus ornatiorem & regimini aptiorem cenſeret, *natura leniſſimum, omnibus in rebus comem & humanum, liberalem, pauperum patrem, ſcientia literarum ſpectabilem, eorum qui illarum ſtudiis dediti erant*

Clementis VII. melior mens.

Digitized by Google

rant fautorem, in dubiis ſapientem, in adverſis patientem, in injuriis non iratum, nec convitiis commotum, memorante *Baluzio, l.c. in præf.*

Cujus lenitas ac indulgentia tanta, ut in grande vitium ac magnum Eccleſiaſtici decoris detrimentum deflecteret. Utpote quam *Clemangius* noſter, teſtis graviſſimus, cuncta coram intuitus, amare deploravit in nobili ſuo opuſculo *De ruina Eccleſiæ.* Cujus verba, ex *MSCto Academiæ noſtræ Juliæ*, hæc ſunt: *Quid Clemente noſtro dum ad vixit, miſerabilius? Qui ita ſe ſervum ſervorum Gallicis principibus addiceret, ut vix minas & contumelias, quæ illi quotidie ab aulicis inferebantur, deceret in viliſſimum mancipium dici. Cedebat ille furori, cedebat tempori, cedebat flagitantium importunitati, fingebat, diſſimulabat, largiter promittebat, diem ex die ducebat, his beneficia dabat, illis verba. Omnibus quos aut ars aſſentatoria aut ludicra in curiis acceptos ferebat, ſummopere placere ſtudebat, eosque beneficiis promereri, quo talium patrocinio, dominorum gratiam & favorem aſſequeretur. His itaque & juvenibus nitidis & elegantibus, quorum maxime conſortio gaudebat, ſingulos vere vacantes Epiſcopatus ceterasque præcipuas dignitates impendebat. Denique, ut Principum benevolentiam facilius aſſequeretur, aſſecutam foveret, fotamque conſervaret, conſervatam amplificaret, plurima ultro donaria atq; xenia illis dabat. Quascunque ſuper clero exactiones petere voluiſſent, annuebat, ultro ſæpius etiam ingerebat. Sic omnem clerum, ſecularium magiſtratuum diſpoſitioni ita ſubjiciebat, ut Papa magis quilibet eorum, quam ipſe putaretur.*

Clemens VII. Curiæ Gallicæ mancipium.

Eccleſiaſtica beneficia quibus diſtribuerit.

Duobis igitur his ſic comparatis *Pontificibus*, publica res univerſa ubique debilitata atque enervata. *Romam* ſane ipſam ſub ſuo iſthoc *Urbano* & ſucceſſoribus peſſum ire cœpiſſe, pœnamq; ſuæ temeritatis luiſſe, graviter commemoravit laudatus noſter *Vrie*, l. c. f. 43. *Roma, quot & quantis ſubjecta fuerit traditionibus, cædibus, tribulationibus, bellisve inteſtinis ac punicis, norunt ipſi, referant & ſcribant iidem. Non dico ab alienis, non extraneis Principibus, ſed ab eorum ſummis quos clamabant, Pontificibus. Qui tanquam Reges virga ipſos ferrea non tantum regebant, ſed etiam tanquam vas figuli illos confringebant. Et, ut clarius ediſſeram, non modo jugulabant, decapitabant, in ſervitutem eos redigebant, vineas & ſegetes eorum ſibi vendicabant, filios & filias ſibi ſervos ſervasque faciebant; Verùm etiam totam urbem Romanam ſervam ſibi fecerunt, & ſervituti tyrannice ſubjecerunt &c.*

Ruina Romæ ſub Urbano & ſucceſſoribus, ante Concilium Conſt.

Hac tempeſtate omnis virtus, morum decor, Chriſtiana pietas, juſtitiæque religio ſuccubuit. Pudori omni remoto graſſari cœpit Eccleſiaſticorum ambitio, rerum ſacrarum turpis & execrabilis venundatio, inſatiabilis avaritia. Quibus cuniculis publica res univerſa ſubruta ac convulſa penitus. *In principio, quo Urbanus VI. Papa creatus eſt*, ſcribit ingenue integerrimus *Vrie, l.c. diſt. 7. fol.* 48. *incepit ipſum ſchisma. Quo creſcente creverunt Simonia, avaritia, ambitio & cetera.*

Status Eccleſiæ illo tempore.

Cujus infandæ *corruptionis* turpiſſima *incrementa* fuſe ac clare multis depinxit figuris oculatus teſtis, celeberrimus *Vrie, l.c.f.* 48. 49. & *diſt.* 8. *fol.* 50.

Simo-

Digitized by Google

Simonia regnum.

Simoniæ & ſacræ venundationis publicum illo tempore forum non exhibuerit apertius ac manifeſtius quiſpiam, quam ſinceriſſimus noſter *Vrie* præſtitit, *lib.*1. *met.*2.*fol.* 11. *& lib.* 3. *diſt.*2.*fol.* 60.61.62.63. *& lib.* 4. *diſt.*7.*fol.*105. 106.

Arrogantia & faſtus imperium.

Inſatiabilem *honoris cupiditatem, in toto Eccleſiaſtico ſtatu* illa ætate dominantem, clariſſime ob oculos poſuit candidiſſimus *Vrie, lib.*3. *diſt.*3.*fol.*64.65.66.67.68. *& lib.*4.*diſt.*8.*fol.*108.*ſeqq.*

Illiteratorum ac rudium in Eccleſia dominium.

Porro *ad officia & munera ſacra*, majora ac minora, *ineptiſſimos* quoſque, *literis deſtitutos*, & moribus peſſimis præditos, tunc temporis *promotos*, eruditis & honeſtis viris poſtpoſitis ac rejectis, amaris lacrymis deploravit *Vrie, lib.*3. *diſt.*4.*fol.* 68. 69. 70. 71. 72. 73. Ratio fuit, quod non virtus & eruditio, ſed auri & pecuniæ vis omnia & unice in Eccleſia tanquam in foro poſſet, teſte *Vrie* luculentiſſimo.

Præſidum Eccleſiæ tyrannis.

Acceſſit *præſidum Eccleſiæ tyrannis*, judice graviſſimo *Vrie*, *lib.*3. *diſt.*5.*fol.*73.74.*ſeqq.* Qui Eccleſias expilarent, inſontes premerent, ac pro libidine de Eccleſiis diſponerent.

Imperii Ro. ſupplantatio.

Quo affectato *Eccleſiaſticorum dominio Imperii Ro. majeſtas* & gloria vehementer *imminuta* & tantum non fracta, conquerente cordato noſtro *Vrie, lib.*3. *diſt.*6.*fol.* 77.78.79.80.81.

Præſulũ ignorantia.

Quibus corruptelis omnibus vim adjecit *Præſulum Eccleſiæ* illa tempeſtate *ignorantia*, literarum ſacrarum & civilium turpis ac ſupina inſcitia. Unde nata imprudentia, temeritas, crudelitas, omniſque publicæ rei ruina. Quippe quibus antiſtitibus *gradus ſacri* non *niſi occaſiones lucri.* Quod indigniſſime tulit *Vrie, lib.*3.*diſt.*7.*fol.*82.83.84.85.

Querela bonorum publica.

Immaniſſima hæc vitia *anſam* dederunt, in immedicabili iſta Eccleſiæ corruptione, multis viris doctis, non ſolum *querendi* ac deplorandi miſeram Eccleſiæ fortunam, ſed & acerbius in Pontifices univerſumq; clerum invehendi, vitia taxandi, ac mores meliores præſcribendi. Id quod ex candidiſſimo noſtro *Vrie*, luculenter patet.

Emendatores violenti.

Alii eouſque progreſſi in illis turbis, ut *aperta fronte* autoribus *ſummis Pontificibus ſeſe opponerent*, eorum jugum excutiendum ſuaderent, omnemque eorum autoritatem, qua abuti viderentur, vellicarent. Quod tanto ſtudio atque animi impetu aliqui fecerunt, ut inde hæreſeos notam ferrent, & ad ſupplicium publice raperentur, utpote qui decreta ac ſtatuta Pontificum fregiſſent. Quales *Wiclefus*, *Huſſus*, *Hieronymus Pragenſis*, aliiq; plures. Quorum etiam fata deſcripſit *Vrie, lib.*3. *diſt.*8.*f.*95.*ſeqq. & lib.*4.*diſt.* 12.*f.*120.

Reformatores moderati.

Alii *magis* viſi *moderati & cauti*, in aulis verſati, vel aulicorum mores imitati, viri magni, Theologi ac Politici, alia obviam illis malis via eundum judicarunt: Publicis nimirum obteſtationibus, admonitionibus, precibus, literis atque epiſtolis devotiſſimis, ad Reges atq; Pontifices exaratis.

Clemangii genius.

In his reformationis ſuſcipiendæ patronis cum excelleret & *Clemangius*, illuſtris *Pariſienſium Theologus*, elegantia literarum celebris, pectoris candore, ſed & animi præſentiâ alios antecellens, non deſtitit *molliorem* hanc inire *viam*. Crebras proinde, eaſque ornatiſſimas, ſed & graviſſimas, neque occultis tamen aculeis deſtitutas, ad Reges

Digitized by Google

atque Principes, Gallos externosq́; dedit literas, quibus eos deliniret atque ad emendationem corruptelarum iſtarum invitaret.

Anno 1393. Clemangius hanc ſcripſit epiſtolam.

En ergo calcaria CLEMANGII, *Gallorum Regi* CAROLO VI. *addita*, quibus tantum Principem ejusque curiam ad deſideratam emendationem ſuperiorum corruptelarum inſtigaret. Scripſit hanc epiſtolam Pariſiis, *Anno* circiter 1393. vivente adhuc CLEMENTE VII. Pontifice ſummo Avenionenſi, qui Urbano VI. in Italia dominanti oppoſitus fuerat, haud longe tamen ante ejus obitum, qui ſecutus *A.* 1394. adeoque illo tempore, quando ſchisma quindecim jam annos duraverat, & mores depravati increbuerant, ac virtus ſopiri, ſimonia creſcere, omnisque confuſio oriri cœperat. Unde pro temporis conditione *molliuscula* adhuc hæc *epiſtola*, emendationi quæſitæ ſacrata. Auctis dein turbis ac vitiis, peſſundataque tandem omni Eccleſiaſticorum virtute, ſub ſequentibus Pontificibus, *Bonifacio IX*, *Innocentio* VII. *Gregorio* XII. *Alexandro V. Johanne* XXIII. *&* *Benedicto* XIII. usque ad Concilii Conſtantienſis remedia, graviores indies literas, ſale uberiori adſperſas, atque profundius penetrantes, quin & acrius mordentia ſcripta adjecit. Quod teſtabitur acre & doctum *ejus* opuſculum *de Ruina Eccleſiæ, ex MSCtis Bibliothecæ noſtræ Academicæ* mox *Parte* III. exhibendum. En autem ardentia Clemangii vota ex *MSCto Wolfenb.*

CAROLO VI. FRANCORUM REGI CLEMANGIUS.

Res magnas auſus Clemangius. Zelus religionis.

NOn meum, *Princeps Chriſtianiſſime*, fugit animum, quot adverſum me *calumnias* concitem, quantis me *æmulorum morſibus* ac latratibus objiciam, qui humilis atque ignotus ſenſu, pariterque natu junior, *Tuæ* ſublimi *Celſitudini* de rebus magnis atq; arduiſſimis ſcribere adorior.

Sed *zelus* ardentior domus Dei, qui mihi ad hoc audendum dux, adjutor, impulſorq; eſt, apud tuam, ut confido, clementiam me excuſabit. Quæ ſi aures placidas præbuerit, *piisque* dignabitur meis *hortatibus* mentem benigniſſimam inclinare, linguas ac *maledicta obtrectatorum* facile deſpiciam.

Nihil ſalutare absq; obtrectatoribus.

Quonam usque igitur, *Princeps Potentiſſime*, quousque tandem hanc *miſerabilem ſanctæ Eccleſiæ ſectionem* patiere? Quamdiu ſacroſanctam Chriſti religionem cachinnis atque irriſionibus infidelium ſubjacere permittes? Quousq; igitur domus Dei ædificium, ſacroſancto pignore ſangvinis proprii filii ſtructum, conſecratum & dedicatum, tuis temporib' corruere & demoliri ſines?

Diuturna calamitas Eccleſiæ ante Concil. Conſt.

Ecce, jam *trinis* exactis *luſtris*, Petri navicula horribili disjecta tempeſtate, diſſipatur: Alternisque & adverſis flatibus adeo concutitur, ut ruptis jam magna ex parte compagibus vix ſibi cohæreat. Hinc Scyllam videt, hinc Charybdim. Hinc Scyllæi pertimeſcit monſtri canibus lacerari, inde Charybdis raptiſſimæ dira voragine ſorberi.

Pauci ſolliciti de ſalute publica.

Vix tamen *tam longis temporibus* de illa tantis ex periculis eruenda, in tranquillumque portum perducenda, aliquis cogitavit. *Rarus* eſt, qui ejus vicem doleat, aut qui de illius ſit ſalute ſollicitus.

Præſides Eccleſiæ ſalutis publicæ prodigi.

Dormit nauclerus, *dormiunt remiges*, & in tanto tamque periculoſo naufragio *torpentes* ſopiuntur. Eſt ſane, ut verbo dicam Virgilii: Eſt iſte *conſanguineus lethi ſopor*. Quis enim, niſi ſenſus inops, navi in tali conſtituta tempeſtate, cum capitis ſui periculo in ea dormiat? Quæ autem alia res hanc plagam crudeliſſimæ

Negligentia antiſtitū Eccleſiæ.

mæ diviſionis intulit Eccleſiæ, niſi *ſopor miniſtrorum ac gubernatorum?*

Seminaverat homo Chriſtus bonum ſemen in agro ſuo. Cum autem (juxta Evangelicam parabolam) *dormirent homines*, venit inimicus homo & ſuperſeminavit Zizania in medio tritici, & abiit. Ecce quomodo ſeminator Zizaniorum, tempus *ſoporis* ac *negligentiæ colonorum* ad ſpargenda ſuæ nequitiæ ſemina vigilanter explorat? Noctem quippe, quæ tempus ſomni eſt, & tenebras, princeps tenebrarum diligit. Unde & *noctem* Propheta metuens, propter hoſtiles inſidias, ad dominum clamat: *Cuſtos quid de nocte?* In mari ſiquidem magno & ſpacioſo mundi hujus, cantu Syreno & dulciſono delectati *obdormiſcimus.* Hoc eſt, ſi quis metaphoram non intelligit, dum *rerum temporalium* blanda & fallaci *ſuavitate* nimium capimur atque allicimur, in hisq; *patriæ obliti*, requiem quærimus, quaſi in molli ſtrato, languido inertique *ocio torpeſcimus*: Et qui vigili curſu ad patriam tendere debueramus, dulciaque Syrenum carmina, pernicioſe blandientia, ſurda velut aure vitare atque declinare, illis capti atque conſopiti, tum patriam fugimus, tum in periculum exitiale pertrahimur. *Sopitis* autem *gubernatoribus*, quis *navem periclitari* miretur, quæ ductu ac regimine deſtituta, ac ventis undique permiſſa, facile in Syrtes aut ſcopulos aut vaſtos gurgites incurrit.

Negligētia præfectorum cauſa corruptionis.

Voluptates præferuntur publicæ rei ſtudio

Quomodo autem navi periclitante, nos à periculo liberabimus? Si in navi ſteterimus, nobis cum illa pereundum eſt: Sin vero extra evagemur, ſalus nos effugit. Cum extra navem Eccleſiæ nulla ſit ſalus. *Niſi enim in navi manſeritis, ſalvi eſſe non poteſtis*, verba ſunt *Pauli in Actibus Apoſtolicis.* Una nobis eſt ratio, una ſpes ſalutis, ut & *in navi ſimus* & *in illa non dormiamus*, ſed ad noſtram & illius ſalutem vigilemus, ipſosq; *dormientes rectores*, voce, precibus, inſtantia, pulſu denique & magno clamore excitemus: Diſcipulorum formam exemplumque ſecuti, qui valida jactati tempeſtate, Dominum in navi dormientem trepidi atque conterriti excitaverunt. Dormiebat autem Dominus corpore, veritatem in ſe *noſtræ infirmitatis* inſinuans: Mente autem divinitateque vigilabat, qui per ſe ipſum in canticis loquitur: *Ego dormio & cor meum vigilat. Nautæ* autem *noſtri*, quibus Catholici eſt navigii commiſſa cuſtodia, non tam corpore, quam *mente dormiunt*: Suæ curæ, ſuæ cuſtodiæ, ſui oneris atque officii, ſui poſtremo noſtrique periculi immemores: Quos tamen vigilare oportuerat, illumque diligenter meditari verſiculum: *non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael.* Sed ſi *illi* in tanto naufragio dormire non metuunt, numquid & *nos* debemus cum illis ſomniculoſo torpore reſolvi, totamque ratem, totamq; vecturam fluctibus oppreſſam demergi permittere?

Eccleſiæ corruptio non celanda.

Regi minorenne parum agi poteſt.

Hactenus, *Rex Clementiſſime*, te ab hujus pericoloſiſſimi operis congreſſu ætas excuſavit, ſomnumque tibi aliquamdiu pueritia indulſit, nondum ad tantas res intelligendas confirmatis animi viribus. Quamdiu autem ætas imbecillior te vacare coegit, nos ab iisdem etiam vacare, & quodammodo *tecum quieſcere neceſſe fuit*, qui ſine te duce ac ſignifero parum poteramus.

Animus additur Regi ad emendationem Eccleſiæ.

Sed numquid qui dormit non adjicit, ut aliquando conſurgat? Expergiſcere tandem aliquando, *Princeps Illuſtriſſime.* Conſurge, ſomnumque, puerilia deſideria, juvenileſque curas abjice, cum matura ætate animos indue.

Aggredere & magnos jam jam maturus honores.

Aperi oculos tuos, & vide, in quanto verſere periculo, in quanto nos & ſancta Eccleſia, & fides Catholica, imò orbis univerſus. Tuum eſt, his mundi mederi languoribus, his Eccleſiæ cladibus ſubvenire, fidem tueri, pacem quærere, malum furiale ſchismatis abolere.

Virtus majorum æmulanda.

Æmulare *virtutem majorum* tuorum Illuſtriſſimorum, qui pro Eccleſiæ defenſione nullum laborem recuſaverunt, nullum periculum adire timuerunt. Sit hoc geſtorum tuorum, quæ te multa & glorioſa manent, initium, & tam fauſtum proſperumq; principium cæterorum ſit operum tuorum felix auſpicium. Noli in tua fama & gloria, quæ te tua terra, quæ gentibus incolitur

tur, ſublimen prædicat, hanc labem, ut ſancta Eccleſia, à tuis *clariſſimis atavis* egregie dotata, potenter protecta, latius ampliata atque propagata, excellenter ac mirifice illuſtrata, turpi miſerabilique ruina decidat. Succurre parenti fili: Rex reginam adjuva, liber captivam libera, ſoſpes ægram ſana, miles invictâ fortitudine militanti auxiliare: Tunicam Chriſti inconſutilem, quam nec cruenti milites ſciderunt, per *impios & carnales Chriſtianos* nefaria *ambitione* laceratam, reſarcire ſtude.

Auxiliũ divinum in emendatione promittitur.

Nec te *labor* terreat reiq; *difficultas*. Facilè opus expletur, in quo *Chriſtus* operator adeſt, comes, auctor, adjutor. Ubi autem ille adjutor erit, ſi in *ſponſa ſua* negotio non fuerit? Quid dico ſponſæ ſuæ, cum *ſuo* potius dicere debuerim? Suum namque eſt, quicquid ſponſa virtutis, quicquid gratiæ, quicquid fructus & bonitatis, quicquid pacis, quicquid ſalutis, quicquid honoris & dignitatis, quicquid denique unitatis & concordiæ habet.

Quis ergo illum non adfuturum ſuo operi & negotio crediderit, cujus ipſe non ſolum adjutor, ſed principalis opifex, motor & ductor eſt? In virtuoſo enim quolibet opere, Dei magis dici debemus adjutores, quam ille adjutor noſter: Quamvis utroque locutionis genere ſcriptura utatur. Sed illa eſt in omni actione principalior cauſa, quæ cæteras ad agendum prævenit, ac præmonet, & quæ illas etiam in agendo dirigit, cæteræ autem velut miniſtræ illi ſubſerviunt. Inde eſt quod per Paulum clara voce dicitur: *Dei adjutores ſumus.*

Summa autem dignitas, Deo *ſervire*, Deique adjutores eſſe. Si illi ſervire regnare eſt, quos magis illi ſervire decet, quam eos, qui volunt & gaudent *regnare*. Hinc eſt, quod ad Reges Propheta ait: *Servite Domino in timore.* Quod autem acceptabilius ſervitium potes illi facere, quam ſuam ex tanta calamitate *Eccleſiam liberare.*

Deus agit per me-

Poterat ille Eccleſiam continuo ſolo juſſu, imo ſolo dictu, imo etiam ſolo nutu liberare: Qui *omnia dixit, & facta ſunt: Et omnia quæcunque voluit fecit in cælo & in terra.* Sed *non ſolus* hoc vult agere: Verùm homines in tam glorioſo opere, ſocios atque adjutores habere: Ut inde ſibi apud ſe meritum comparent, apud homines laudem honoremque acquirant. Vide quantos inde fructus ſis conſecuturus, & noli te fruſtra laboraturum æſtimare.

dia in terris.

Inchoandum.

Incipe igitur, o pugil Eccleſiæ invicte, incipe. Quid? usque ad hæc tua tempora Deus te intactum, integrumq; ſervavit, ut perfectum integrumque honorem inde reportares, nec tuorum anteceſſorum gloria in Eccleſiæ ſubventione fraudareris.

Bonis cœptis favent boni.

Nec defuturum tibi *hominum* crede *auxilium*. Mox enim ut ad hoc te adſpirare univerſorum cætus fidelium agnoverit, tibi Reges, tibi Proceres, tibi exteræ nationes adjungentur, qui tuum in hac re fideliſſimum ductum jamdudum parate ac voluntarie expectant. Quicquid autem ſingulis erit induſtriæ, quicquid virtutis, & facultatis & potentiæ, libenter impendere curabunt. Adeo cujuslibet fidelis animus hujus boni optatisſimi flagrat deſiderio votivisq; accenditur ardoribus.

Procul autem ſit à tuis moribus, ut tam pia fidelium vota irrita facias, ſpemque ingentem in hac materia de te conceptam velut caſſam atque inanem evacues.

Diſſenſio publica ante Conc. Conſt. in Eccleſia.

Unum auſim dicere, cuivis mortalium utilius fuiſſe, non naſci, quam hujus *nefanda diviſionis* fautorem atque altorem permanere. Nonne autem fautor quodammodo eſt, qui in Eccleſiæ pacificatione ſuam operam ſuumque laborem, vel apte impertiri denegat, vel inerti negligentia diſſimulat?

Nec iſta propterea, *Rex optime*, dixerim, quod de *tua regia majeſtate* tale aliquid ſuſpicer. Abſit, ut de tua optima natura, ſuo generoſo inſtinctu ad omne bonum inclinatiſſima, tale aliquid ſiniſtri ſentiam. Sed idcirco ea dixi, ut, ſi qui tam infeliciter nati eſſent homines, qui hanc ſacratiſſimam *concordiam* turbare atque impedire conarentur, apertius videas, in quantum ſe damnationis barathrum præcipitent, ne venenato talium ſermone, peſtifera ſuaſione, deludaris. *Datum Pariſiis.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

De acribus CLEMANGII *calcaribus*, BENEDICTO XIII. *ſ. Petro de Luna, Pontifici recens in Gallia creato, additis, quibus eum ad tranquillitatem publicam conciliandam & mores Eccleſiaſticorum corruptos emendandos incitavit.*

Ætas Eccleſiæ prava ante Concil. Conſt. ſub Urbano VI.

NAta ſub *Urbano* VI. & *Clemente* VII. Pontificibus, in *Italia* & *Gallia* ſedentibus, acerba *diſſidia*, ſummum ſibi in Eccleſia faſtigium utroque unice arrogante. Natique ſub his *depravatiſſimi Eccleſiæ mores:* Ut ſurſum deorſum ferri jam viderentur univerſa. Propullulaverat, teſte *Vrie*, publica ſub Urbano *Simonia, ſacrorumque nundinatio, cleri faſtus & arrogantia, avaritia eorum inexplebilis.*

Ætas pejor ſub Bonifacio IX.

Verùm illa *Urbani* in Italia & Clementis in Gallia *ætas*, etſi *inurbana* ſatis & inclemens, ſequentibus tamen proxime comparata urbana & clemens dicenda. Quæ cum effluxiſſet, orta ſub *Bonifacio* IX. & *Benedicto* XIII. ætas pejor, imo maledicta, judice noſtro *Vrie*, *lib.* 3. *diſt.* 7. *fol.* 48. *Secunda ætas*, inquit, *iſtius ſchiſmatis cœpit ſub Bonifacio. Sed illa pejor, pravior, & nimis ſcelerata. Nam tunc illius ætate, qua regnabat, floruit avaritia, ſuccrevit ſimonia, & cetera mala, imo peſſima. Sub eo mala initium fortitudinis ſuæ acceperunt.* Quod paucis, non tamen abſque gravi indignatione, confirmat, *lib.* 4. *diſt.* 1. *fol.* 180. *Bonifacius* IX. *avaritia illectus, totam fœdavit Chriſtianam dignitatem.*

Hoc igitur Bonifacio in Italia creato, in Gallia à Clementis obitu dignitate Papali eminuit *Petrus de Luna, Hiſpanus, Arragonenſis, Benedictus* XIII.

Hic *Petrus de Luna* à doctrina virtuteq; ante dignitatem Papalem inſignia ſuo tempore meruit encomia. Ut ab eo in ſedem Pontificalem Avenioni evecto ſibi ſponderent viri boni opem, calamitati Eccleſiaſticæ ferendam.

Hoc igitur fine *Clemangius* noſter, Pariſiis degens, recens creato huic Pontifici Avenionenſi devotas ſcripſit literas An. 1394. quibus animum porro adderet ad diu deſideratam in Eccleſiaſticis *morum emendationem* ſuſcipiendam, indeque *pacem publicam* procurandam.

Vita Petri de Luna ante Papatum acta.

Ante verò quam *calentia* audiamus *Clemangii vota*, *genium* ac *mores* hujus *Petri de Luna*, quibus *ante adeptam dignitatem Papalem* inſignis fuiſſe fertur, contemplari par fuerit. Ut conſtet, qui factum, ut *Clemangius* tam confidenter novum hunc Pontificem ad publicam Eccleſiæ corruptæ emendationem hortaretur. Deinde, ut judicet lector, an priſtinos ſuos mores in thronum papalem ſecum advexerit, an cum honoribus mores animumque mutaverit. Præcipue cum conſtet, unum hunc Pontificem maximam creaſſe poſtmodum Eccleſiæ moleſtiam, qui artibus circumvenire totum orbem, conſilia regum ſalubria eludere, & vel blanditiis vel armis declinare univerſalis Conſtantienſis Concilii juſſa contenderit. Quam illius pertina-

ciam

ciam, miraſque artes, uti *Acta Concilii Piſani & Conſtantienſis* abunde teſtantur, ita *Theodericus Vrie* graphice depinxit, *lib.7. diſt.6. fol.186.* & *libr.8. diſt.5. fol.205. 206. & diſt.6. fol.207. ſeqq. & diſt.7. f.211. & diſt.8. f.213.*

Delineare verò rectius hunc *Petrum de Luna Cardinalem*, ad faſtigium dignitatis Eccleſiaſticæ evectum, haud poterimus, quam adhibitis coloribus, ab illuſtri *Stephano Baluzio* noviſſime ſuppeditatis, ex antiquis tabulis magno ſtudio depromptis.

Petrus de Luna ingenio polluit, Memorat nimirum *Baluzius in Notis* ad *Vitas Paparum Avenionenſium, fol.* 1182. *Petrum de Luna, Decretorum Doctorem, hominem* fuiſſe *ingenioſum*, judice experto, & in curia Romana tunc temporis verſatiſſimo, *Theodorico à Niem*: Qui à multis ob peritiam & virtutem diligeretur atque laudaretur. *Apprime eruditus* habitus *in omni* *doctus,* *fere ſcientia*, ex ſententia *Johannis Nideri* Theologi, qui itidem illa ætate vixit, & Concilii Conſtantienſis ac Baſileenſis fata vidit, in opere hiſtorico, *Formicarii* nomine olim inſignito, noviſſime *Auſpiciis Sereniſſimi Ducis RUDOLPHI AUGUSTI* hic Helmſtadii luci reddito, & *De Viſionibus ac revelationibus* inſcripto, iterumque hoc anno *Operis Hiſtorici ac Moralis*, quo illius ſeculi facies deſcripta, charactere ornato, p. 287.

religioſo, Froiſſardo Petrus de Luna Cardinalis audit *vir valde* religioſus, *ſanctus, & vitæ contemplativæ addictus.* Petri Abbatis S. Facundi teſtimonium de Petro de Luna addit *Baluzius*, qui Cardinalem Gebennenſem ceteris Cardinalibus dicentem audiverit ante Urbani VI, electionem: *Multos Cardinalium illius temporis dignos corona Pontifi-* *Cardinalis juvenis,* *cali, interque eos Cardinalem ex Arragonia Petrum de Luna, qui vir bonus vitæq; probæ, etſi valdè juvenis.* Menendus quoque Epiſcopus Cordubenſis, cum ante ingreſſum conclavis Cardinales diſpexiſſent *de viro Papali faſtigio digno*, dixiſſe fertur, in diſſenſu *primas tuliſſe Cardinalem de Luna. Alvarus Martini* de integritate Petri de Luna ex Cardinali Gebennenſi hoc retuliſſe dicitur teſtimonium: Cum omnes reliqui Cardinales, Anagniæ agentes, in Urbanum ſextum conſentire nollent, unum Cardinalem Petrum de Luna ſibi ſervaſſe ul- *conſcientioſus* teriorem diſquiſitionem juris, *eo quod nimis eſſet conſcientioſus.* Quam conſcientiæ ſuæ puritatem pluribus dein coram Gebennenſi Cardinale teſtatus ipſe Petrus de Luna.

Ex quibus teſtimoniis adductis *Baluzius* colligit, Petrum de Luna *usque ad ea tempora* exiſtimatum fuiſſe virum eruditum & bonæ famæ.

Repudiat dein *Baluzius* de Petro de Luna cenſuram Alphonſi Eremitæ apud Odoricum Rainaldum, eum eruditum fuiſſe Doctorem *Ambitioſus habitus.* & magnum in ſcientia, ſed *optandum, eum tantum fuiſſe in profunda, humili, & non ambitioſa conſcientia.*

Multo minus admittit *Baluzius* Gregorii XI. cum Petrum de Lu- *Augurium de Petro de Luna.* na crearet Cardinalem, publicum de eo affatum: *Caveas, ne tua luna patiatur Eclipſin.* Eo quod *calliditatem* Petri, *ſophismatibus verbisq; fallacibus imbuti*, cognoviſſet. Quam ſententiam ex eo refellit *Baluzius*

Digitized by Google

zius, quod ſi Gregorius XI. Pontifex *fraudulentum* iſtum Petri de Luna *animum* cognoviſſet, Cardinalem eum non fuiſſet creaturus. Ut *Spondani* potius conjecturæ ſit adſtipulandum, qui autumet, illa ſic eſſe conficta ex poſtremis Petri de Luna facinoribus, quando Pontifex factus omnium conſilia ac voluntates eludere artificioſe didicerat. Cui rei teſtem advocat *Baluzius* Theodoricum à Niem, qui à Gregorio Cardinalem hunc factum ajat inſignium ejus virtutum ac meritorum conſideratione.

Lectoris ſagacis judicio relicta ſunto univerſa, qui pro ſuo ingenio exploret, an ſimulandi artis peritiſſimus *Petrus de Luna*, cujus documenta Pontifex ſummus factus irrefragabilia dedit, ambitionem, & ad apicem Papalis dignitatis ſolertem contentionem, conſiliaque in omnem fortunam mutanda haud obſcure præ ſe tulerit *Cardinalis*, quod ſubodorati plures coætanei, ſed premendum rati, an demum in throno cum honore mores commutaverit. Vividiſſimi certe ingenii fuerit, in omnem fortunam compoſiti, gloriæ avidisſimi, dignitatis tenaciſſimi, & ſpem opinionemque aliorum eleganter fallere docti.

Ceterum à Gregorio *Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Cosmedin* factus *Petrus de Luna* exeunte A. 1375. Proxime ſtatim ſequenti A. 1376. cum Promotore ſuo Gregorio XI. *Romam* profectus. Ubi palatium ſuo titulo conforme optime inſtruxiſſe ac reſuscitaſſe dicitur. *Cardinalis creatus Anno 1375.*

Ab *obitu Gregorii* A. 1378. cum Cardinales conſilia agitarent de novo Pontifice creando, noſter dixiſſe fertur, notante *Baluzio*, ſe in denominatione Papæ nihil contra conſcientiam ſuam facturum. Quod utro intellexeris modo, callidum ſapit ingenium.

Ex quo conclave ingreſſi, *d.* 8 *April.* aëre ſereno *fulmen* inter tonitrua conclave tetigiſſe ex aliis refert *Baluzius*, & quidem *cameram Petri de Luna feriiſſe*, lumine eam replendo ac nonnihil inflammando, abſque omni tamen damno Petro de Luna aut rebus ejus illato. Unde collegerint aliqui, eum futurum papam. Etſi alii duo cubicula fulmine tacta dixerint, ex quo aliud ortum augurium, Cardinalem Petrum de Luna & Cardinalem Gebennenſem, cujus itidem conclave fulgure illuſtratum, fore Antipapas. Ridet autem has *fabulas* cum *Spondano* vir magnus. Maxime, cum alii in artem diabolicam magicamve Urbani VI. hoc fulmen derivare non dubitaverint. *In electione novi Pontificis camera Petri de Luna in conclavi electorum fulmine tacta.*

Quod igitur urgente populo Romano, uti *Vrie Hiſt. Conc. Conſt. lib.* 2. *diſt.* 6. *f.* 40. 41. pluribus recenſuit, Romani aut Italici ſanguinis Papa eſſet eligendus, nonnullorum conſilium, in gratiam Romanorum aliquem Papam tantisper ſalutandum, prorſus improbaſſe fertur, his verbis: *Se vitulum conflare nolle, aut genua coram Baal flectere: Se unum genuinum expectare Papam.*

In ipſa electione *Urbani VI.* primam ei vocem à Petro de Luna datam eſſe, obſervat *Baluzius*. Electione facta, cum obſtrepentibus Romanis Cardinales è conclavi diffluerent, aliis ſe extra urbem con- *Elegit Urbanum VI. Romæ*

ferentibus, aliis in urbe domum petentibus, in his Petrus fuiſſe de Luna notatur, qui equo, etſi non abſque diſcrimine vitæ, domum vectus. Ut adeo maneret Romæ Cardinalis Petrus de Luna, donec in thronum eveheretur Pontifex Urbanus VI.

De legitima Urbani VI. electione ſubdubitavit.

Inter citatos autem ad *Urbanum* in thronum evehendum Cardinales (*Vide Vrie l. 6. f. 41.*) invitus tandem comparuiſſe dicitur Petrus de Luna. Unde conjicit *Baluzius*, Petro de Luna *ſcrupulum* ſubnatum de *legitima Urbani VI. electione*, quæ vitio facta non valeret. Scripto quoque dein, re omni accuratius expenſa, electionem illam prorſus improbaſſe, qui erat genius in omnem fortunam verſatilis, novique ſemper conſilii haud expers.

Indubitato tamen aſſeverat *Baluzius*, ultimum aut penultimum iviſſe Anagniam Petrum de Luna, quo reliqui Cardinales ſenſim confugerant, novorum in ancipiti negotio conſiliorum capiendorum cauſa, notante & noſtre *Vrie, l. c.* Memorabile verò, quod alii addunt, monente Baluzio, eum fruſtra quid ab Urbano VI. petiiſſe, indeque animo motum dixiſſe: *Quare ego ſtabo hic cum Domino noſtro? Quia ipſe nihil facit de his, quæ peto. Certe non ſervirem Deo, ſi non faceret mihi bonum.*

Votorum apud Urbanum VI. non factus compos eum deſeruit.

Quas impias voces comparati ad apoſtaſiam animi indices fuiſſe ex Rainaldo obſervat *Baluzius*.

Mox *die* 20 *Sept.* Cardinalis *Robertus Gebennenſis* in Gallia electus *novus Papa*, *Clemens VII.* dictus. Qui ex tempore ſuæ electionis rationem aliis Regibus atque Principibus aperuit.

Novum Pontificẽ in Gallia Clementem VII. ſectatus eſt.

Clementis VII. in Hiſpaniam legatus fuit.

Ab hoc Clemente VII. novo in Gallia Pontifice, Petrus de Luna in Hiſpaniam ablegatus, *ult. Dec.* Egit & *Barcinoni*, ab Hiſpaniæ Regibus non ante admiſſus, quam quis duorum illorum Pontifex verus eſſet, cognoviſſent. Quapropter aliquamdiu in Hiſpania hæſit, non ut Cardinalis, vel legatus, ſed ut *regnicola*. Quo tempore contigiſſe creditur *diſputatio ſolennis R. Schem Toſ*, Judæi Hiſpani, *cum Petro de Luna Cardinali Arragonenſi*, de Meſſia. Donec Clemens ab Hiſpanis reciperetur, exiſtente in Hiſpanorum conventu Petro de Luna.

Lutetiam ablegatus

Viam ceſſionis à Papatu laudavit.

A. 1394. miſſus à Clemente VII. Lutetiam, non ut ſchiſma propagaret, ſed ut partes Clementis tueretur, cum ibidem ageretur de modo Eccleſiam ad unionem reducendi. Atque tunc quidem Petrum publice defendiſſe *viam ceſſionis*, tanquam optimam, ſcribit *Baluzius*.

Inſignem Bibliothecam habuit.

Paniſcholæ inſignem & *locupletem* habuit *Bibliothecam*, referente *Baluzio*, cujus multi codices in *Bibliotheca Colbertina* hodie extent.

Parentes ejus.

Patre uſus viro illa tempeſtate clariſſimo, *Johanne Martinez de Luna*, Barone de Ilveca, matre *Maria Perez de Gotor*.

Cum tandem *eodem anno* 1394. Clemens VII. Avinione diem obiret ſupremum, ab ejus obitu laudatus *Petrus de Luna* Cardinalis *electus Papa*. Omnis illa res, mortis in *Clemente*, reſurrectionis aut exaltationis in *Petro de Luna*, ſequentem in modum geſta eſt, *Creatus Papa.*

com-

commemorante *Baluzio, l. c. f. 562. ſeqq.* ex vetuſto autore, oculato teſte.

ANNO Domini M CCC XCIV. die Mercurii, quæ fuit
” *XVI. Septembris*, in palatio pontificali Avinionenſi *mortuus* eſt Dominus *Papa Clemens VII.* natione Gebennenſis, ex Comitibus Ge-
” bennenſibus, qui obiit dicta die *circa horam ſextam*.

” Et *ea die* hora Veſperarum in ipſo palatio congregati ſunt infra ſcripti Domini *Cardinales*: quos ego in camera paramenti
” dicti palatii congregatos vidi, videlicet:

Epiſcopi Cardinales.

” D. *Petrus de Corſinis* de Florentia, Cardinalis *Portuenſis*.
” D. *Guido de Maloeſſo* Lemovicenſis, Cardinalis *Preneſtinus*.
D. *Johannes de Grangia* Burgundus, Cardinalis *Tuſculanus*.
” D. *Nicolaus de Branchaciis*, de Neapoli, Cardinalis *Albanenſis*.

omnes præſentes.

” D. *Jacobus de domo regali* de Arragonia, Cardinalis *Sabinenſis*.
” D. *Johannes de Novocaſtro* Burgundus, Cardinalis *Hoſtienſis*.

Hi ambo abſentes erant, non tamen legati, ſed pro ſuo ſolatio, primus in Arragonia, in Eccleſia ſua Valentinenſi, ſecundus in Lothoringia.

Presbyteri Cardinales.

” D. *Guillelmus de Agrifolio* Lemovicenſis, Decanus collegii, tituli ſancti Stephani in Cœlio monte.
D. *Leonardus de Giffono* de regno Siciliæ, frater Minor, tituli ſancti Sixti.
” D. *Bertrandus* Lemovicenſis, dictus *Hieroſolymitanus*, tituli ſanctæ Pudentianæ.
” D. *Thomas de Piſtorio* Tuſcus, dictus *Neapolitanus*, tituli ſanctæ Praxedis.
D. *Johannes de Parma* Lombardus, dictus *Venetiarum*, tituli ſancti Cyriaci in Thermis.
” D. *Johannes de Murolio* de Alvernia, tituli ſancti Vitalis.
D. *Petrus de Tureyo* Lugdunenſis, tituli ſanctæ Suſannæ.
” D. *Johannes de Bruniaco* Gebennenſis, dictus *Vivarienſis*, tituli ſanctæ Anaſtaſiæ.
” D. *Martinus de Salva* de Navarra, dictus *Pampilonenſis*, tituli ſancti Laurentii in Lucina.
” D. *Johannes de Vivario*, dictus *Auxitanus*, tituli ſanctorum Johannis & Pauli.
” D. *Petrus* Lugdunenſis, dictus *Anicienſis*, tituli ſancti Petri ad vincula.
” D. *Guillermus de Vergeyo* Burgundus, tituli ſanctæ Cæciliæ.

omnes præſentes.

„ D. *Petrus* Cardinalis Hiſpaniæ. Hic non habuit titulum, quia
„ nunquam fuit in curia, & creatus de novo.

Diaconi Cardinales.

D. *Hugo de ſancto Martiale* Lemovicenſis, ſanctæ Mariæ in Porticu.
„ D. *Petrus de Vernhio* Lemovicenſis, ſanctæ Mariæ in via lata.
„ D. *Petrus de Luna* Arragonenſis, ſanctæ Mariæ in Coſmedin.

D. *Amedeus de Saluciis*, ex Marchionibus de Saluciis, ſanctæ Mariæ novæ. — Iſte hac die non erat præſens, ſed in beneficio ſuo de Bolina. Venit tamen poſt & interfuit ſepulturæ

„ D. *Galeotus de Petra-Mala* de Arecio in Tuſcia, ſancti Georgii ad velum aureum.

„ Die Veneris, *XVIII. Septembris*, ſepultura facta fuit corporis,
„ hora ante tertiam. Et receptum fuit corpus de capella magna palatii, & portatum ad ſanctam Mariam Eccleſiæ cathedralis Avinionenſis, ubi congregati erant Cardinales. Celebravitque Miſſam
„ *Dominus de Giffono* Cardinalis, & fecit ſermonem.

„ Completa novena, omnes prædicti Domini Cardinales præſentes numero XXI. intrarunt *conclave* die ſabbati *XXVI. dicti menſis*,
„ in veſpere. Qui unanimiter & concorditer *elegerunt in Papam prædictum Dominum Petrum de Luna*, ſanctæ Mariæ in Cosmedin, *die Lunæ*, immediatè ſequenti vigiliam dedicationis ſancti Michaelis.
„ Qua die hora prandii exiverunt conclave, & duxerunt dictum Dominum Papam ad noſtram Dominam de Dominis Eccleſiam cathedralem. *Fuit impoſitum ipſi nomen Benedictus Papa XIII.*

Alia ex vetuſtis monumentis petita deſcriptio vitam & thronum papalem deſerentis Clementis VII. & in vacuam mox ſedem evecti BENEDICTI XIII.

„ ANno à nativitate *M. CCC XCIV.* die Mercurii, *XVI. Septembris*,
„ inter nonam & decimam horam, fel. rec. Dominus Clemens Papa VII. anno ſui pontificatus XVI. animam ſuam creatori ſuo reddidit.
„ Die Veneris immediate ſequenti, corpus ejus traditum in Eccleſia Avinionenſi juxta ſepulturam Domini Johannis XXII. Eccleſiaſticæ ſepulturæ, Tunc in collegio erant *viginti quatuor Cardinales*.
„ Quorum *viginti & unus* erant *præſentes* in curia, videlicet,

„ Domini
„ *Petrus* Portuenſis, dictus *Florentinus*.
Guido Peneſtrinus, dictus *Pictavenſis*.
„ *Johannes* Tuſculanus, dictus *Ambianenſis*.
„ *Nicolaus* Albanenſis, dictus *Cuſentinus*.

Jaco-

Jacobus Sabinenſis, dictus *de Valentia*, in Arragonia. } Hi erant
Johannes Oſtienſis, dictus *de Novocaſtro.* } abſentes.
Guillelmus tituli ſancti Stephani in Cœlio monte, dictus *de Agrifolio.*
Leonardus tituli ſancti Sixti, dictus *de Giffono.*
Bertrandus tituli ſanctæ Potentianæ, dictus *Hieroſolymitanus.*
Thomas tituli ſanctæ Praxedis, dictus *Neapolitanus.*
Johannes tituli ſancti Cyriaci in Thermis, dictus *Venetiarum.*
Johannes tituli ſancti Vitalis, dictus *de Murolio.*
Petrus tituli ſanctæ Suſannæ dictus *de Tureijo.*
Johannes ſanctæ Anaſtaſiæ, dictus *Vivarienſis*, ViceCancellarius.
Petrus ſancti Petri ad vincula, dictus *Anicienſis*, Pœnitentiarius.
Martinus ſancti Laurentii in Lucina, dictus *Pampilonenſis.*
Johannes ſanctorum Johannis & Pauli, dictus *Auxitanus.*
Guillelmus ſanctæ Cæciliæ, dictus *de Vergeijo.*
Petrus, qui fuit Epiſcopus Oxomenſis, dictus *de Hiſpania*, non habebat titulum, & erat abſens.
Hugo ſanctæ Mariæ in Porticu, dictus *de ſancto Martiale.*
Petrus ſanctæ Mariæ in via lata, dictus *de Vernhio.*
Petrus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, dictus *de Luna.*
Amedeus ſanctæ Mariæ novæ, dictus *de Salutiis.*
Galeotus ſancti Gregorii ad velum aureum, dictus *de Petra-Mala.*

Qui quidem Domini Cardinales præſentes die ſabbati XXVI. ejuſdem menſis modicum poſt horam veſperarum *conclave intraverunt.* In quo, die lunæ XXVIII. ipſius menſis, prædictum Dominum *Petrum ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconum Cardinalem* in ſummum Pontificem elegerunt, qui *Benedictus Papa XIII.* voluit nominari.

Et ſubſequenter die ſabbati *tertia menſis Octobris* prædictus Dominus *Benedictus* fuit per dictum Dominum Guidonem Epiſcopum Peneſtrinum *in Presbyterum ordinatus.*

Et poſtmodum die Dominica quæ fuit *XI. die menſis Octobris*, idem Dominus noſter in magna Capella *miſſam celebravit.* Intra cujus ſolemnia per dictum Dominum Johannem Epiſcopum Oſtienſem *conſecratus* extitit.

Et poſtea, dato prius in fine Miſſæ presbyterio conſueto, fuit per dictum Dominum Hugonem Sanctæ Mariæ in porticu in *Diaconum Cardinalem coronatus.*

Et deinde, more in talibus *fieri conſueto, per villam Avinionenſem equitavit.*

CEDULA CARDINALIUM
CONGREGATORUM IN CONCLAVI,
in quo Benedictus XIII. electus eſt.

ANno Domini M CCC XCIV. die *XVI. menſis Septembris*, felicis recordationis Dominus Clemens Papa hujus nominis VII. obiit Avinione, pontificatus ſui anno XVI. Cujus corpore tradito ſepulturæ, Domini Cardinales pro futuri electione Pontificis celebranda conclave intra palatium apoſtolicum intraverunt. Ibidem cupientes peſtiferum ſchisma, nunc proh dolor in Eccleſia Dei vigens, pro viribus abolere, & animarum ſaluti providere, quandam *cedulam confecerunt* & ordinaverunt. Cujus tenor ſequitur de verbo ad verbum.

NOS OMNES & ſinguli ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, congregati pro electione futura in conclavi, ante altare, in quo miſſa communis celebrari conſuevit, pro Dei ſervitio, unitate Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, ac ſalute animarum, fidelium omnium, promittimus, & juramus ad ſancta Dei Evangelia, corporaliter per nos tacta, quod abſque fraude, dolo, & machinatione quibuscunque, ad unionem Eccleſiæ & finem imponendum ſchismati, proh dolor in Eccleſia nunc vigenti, quantum in nobis erit, laborabimus fideliter & diligenter: Et per nos, quantum ad nos pertinet ſeu etiam pertinebit, dabimus paſtori noſtro & gregis dominici ac vicario Chriſti, Domino noſtro futuro, qui erit pro tempore, auxilium, conſilium & favorem: Nec ad impediendum vel differendum præmiſſa dabimus conſilium vel favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte. Et iſta omnia & ſingula, & alias etiam ultra præmiſſa omnes vias utiles & accommodas ad utilitatem Eccleſiæ & unionem prædictam ejusdem, ſanè & veraciter, ſine machinatione, ſeu excuſatione, vel dilatione quacunque, ſervabit & procurabit poſſetenus quilibet noſtrum, etiamſi aſſumptus fuerit ad apoſtolatum, etiam usque ad ceſſionem incluſive per ipſum de Papatu faciendam, ſi Dominis Cardinalibus, qui nunc ſunt, vel erunt in futurum, de iis qui ſunt nunc vel majori parti eorundem hoc pro bono Eccleſiæ & unitatis prædictæ videatur expedire.

Et ego *Guido Epiſcopus Peneſtrinus* ſupra ſcripta juravi & promiſi, & manu mea me hic ſubſcripſi.

Et ego *Johannes Epiſcopus Tuſculanus* præmiſſa promiſi & juravi & manu mea me ſubſcripſi.

Et ego *Nicolaus Epiſcopus Albanenſis* præmiſſa promiſi & juravi & manu mea propria me ſubſcripſi.

Ego *Leonardus* tituli ſancti Sixti *Presbyter Cardinalis* præmiſſa promiſi, & manu propria me ſubſcripſi.

Ego *Bertrandus* tituli ſanctæ Potentianæ *Presbyter Cardinalis* præmiſſa promiſi & juravi, & manu mea me ſubſcripſi.

Ego *Thomas* tituli ſanctæ Praxedis *Cardinalis* præmiſſa promiſi & juravi & manu propria hic me ſubſcripſi.

Ego *Johannes* tituli Cyriaci in Thermis *Presbyter Cardinalis* præmiſſa ſupraſcripta promiſi & juravi, & manu mea me ſubſcripſi.

„ Ego *Johannes de Murolio* tituli ſancti Vitalis *Presbyter Cardinalis*
” ſupra ſcripta promiſi & juravi, & manu mea me ſubſcripſi.
„ Ego *Petrus* tituli ſanctæ Suſannæ *Presbyter Cardinalis* præmiſſa
promiſi & juravi, & manu propria me ſubſcripſi.
” Ego *Johannes* tituli ſanctæ Anaſtaſiæ *Presbyter Cardinalis* juravi &
„ promiſi ſupra ſcripta, & manu propria me ſubſcripſi.
” Ego *Martinus* tituli ſancti Laurentii in Lucina *Presbyter Cardinalis*,
ſupra ſcripta promiſi & juravi ac manu propria me ſubſcripſi.
„ Ego *Johannes* tituli ſanctorum Johannis & Pauli *Presbyter Cardinalis*, promiſi & juravi ſupra ſcripta, & manu propria me ſubſcripſi.
” Ego *Petrus* tituli ſancti Petri ad vincula *Presbyter Cardinalis* ſupra
„ ſcripta promiſi & juravi & manu propria me ſubſcripſi.
” Ego *Guillelmus* tituli ſanctæ Cæciliæ *Presbyter Cardinalis* ſupra ſcripta promiſi & juravi, & manu propria ſubſcripſi.
„ Et ego *Petrus* tituli ſanctæ Mariæ in via lata *Diaconus Cardinalis* ſupra ſcripta juravi & manu propria ſubſcripſi.
” Et ego *Petrus* ſanctæ Mariæ in Coſmedin *Diaconus Cardinalis* juravi & ſubſcripſi manu propria.
„ Et ego *Amedeus* ſanctæ Mariæ *Diaconus Cardinalis* juravi & manu propria ſubſcripſi.
„ Et ego *Galeotus* ſancti Georgii ad velum aureum *Diaconus Cardinalis*, qui prædictam cedulam propria manu ſcripſi & me ſubſcripſi.
” *Florentinus*, *de Agrifolio*, & *de ſancto Martiale* ſe non ſubſcripſerunt.
„
” Poſt præmiſſa, Domini Cardinales elegerunt in ſummum Pontificem R. Patrem Dominum *Petrum de Luna Cardinalem Diaconum*.
„ Et demum *anno* Domini M CCC XCV. *die prima menſis Julii*
” in Villa nova omnes Domini Cardinales prædicti, uno excepto, ſcilicet Pampilonenſi, in præſentia Dominorum Ducum Bituricenſis, Burgundiæ & Aurelianenſis, reputarunt *viam ceſſionis* Domini Papæ & ſui adverſarii *meliorem, breviorem, faciliorem, pro unione aſſequenda* & magis ſedativam conſcientiarum.
„ Ex prædicta autem *cedula* & deliberatione Dominorum Cardinalium prætactorum orta fuerunt *multa dubia*.

Hæc fide Baluzii ex tabulis antiquis *de Electione Petri de Luna*. Iſtorum *dubiorum* præcipua abſq; dubio fuerunt illa, quæ à *Theoderico Vrie* longa ſerie ſunt deſcripta *libro quinto* integro, *f.* 133. *& ſeqq.* Eædem quippe conditiones, Gregorio XII. Pontifici Italo recens electo præſcriptæ, vanæ in utroq; fuerunt, & in longiſſimas lites abierunt, neque *Savonenſi colloquio*, neque *Concilio Piſano* terminandæ, ſed in acerba *Concilii Conſtantienſis* remedia ſervatæ.

Quod adeo novus hic Pontifex Avinionenſis *Benedictus XIII.* tam ſancte ad quærendam pacem eſſet obligatus, celebris Galliæ Theologus, *Clemangius* noſter, *literis ad recens creatum hunc Papam Avenionenſem* datis animum ei addere, & ad deſideratam *tranquillitatem, morumq; depravatorum emendationem* calcaria addere laboravit. In cujus mox *Clemangius novũ hunc Papam Benedictum*

mox curiam Avinionenſem ab ipſo hoc Pontifice pellectus, *Secretarii* munere ad tempus eſt defunctus: Donec Benedicti hujus fulmina, in Galliæ Regem vibrata, calamo noſtri Clemangii imputata, Clemangio pericula crearent maxima. Quæ & curiam Benedicti & functionem aulicam deſerere, ſeſe à dura ſuſpicione excommunicationis Papalis ſcriptæ purgare, & locum ab inſidiis tutum quærere compellerent.

Ad reformationẽ hortatus eſt. Clemangius Papæ Secretarius factus. Exul ex aula papali.

Hac itaque epiſtola, adulationis experte, candoris indice, Benedicti XIII. novi Pontificis affectum ſibi vel inſcius comparaſſe videtur Clemangius, ut inter ſuos miniſtros in aulam eum pertraheret Benedictus. Sed & cum fortuna anſa grandis fuerit infortunii. Uti integritatis hoc perſæpe eſt præmium, cum ſuâ primum placuerit modeſtiâ, tanto graviores tandem dare pœnas.

Quemadmodum autem elegantia orationis & pectoris ſinceritas Clemangium Benedicto commendarunt, ita definiri non poteſt, an *hoc* Benedictus occuluerit, uti erat callidiſſimus, *conſilium*, qui *officio aulico* Clemangio oblato *os ei obturaret*, ut & de unione paranda & *moribus Eccleſiæ reformandis taceret*. Quamvis enim hoc quæſiverit, non ſane hoc à Clemangio impetravit. Memorabile omnino, quod *Leonardus Aretinus*, Clemangii coætaneus, *Innocentii & Gregorii XII. Secretarius*, ſcribit de *Johanne Dominici*: Hunc virum doctum & eloquentem in Italia unionem primum ardenter urſiſſe, mox vero à Pontifice lauto Epiſcopatus bolo injecto non ſolum ad ſilentium perductum, ſed & unionem ac pacem publicam pari affectu oppugnare cœpiſſe.

Elegans hæc querela *Leonardi* meretur ex *MSCto vetuſtiſſimo Auguſtæ Wolffenbuttelenſis* hic repeti. *Leonardus Roberto Ruffo: Per binas jam literas à me petis, quid de Johanne Dominici exiſtimandum ſit, variumque de eo apud vos ſermonem eſſe ſignificas. Quid autem ego ad te reſcribam de re difficili protinus & ardua? Nihil enim difficilius, quam mentem hominis intueri. Itaque nil dicam ipſe de me: Sed qualis ſit opinio noſtrorum hominum de illo, oſtendam. Præſtantiſſimum eſſe virum, & ſcientia eloquentiaque eminere, nemo inficiatur. Querela tamen eſt adverſus eum, quod cum ipſe inprimis autor ſuaſorque unionis fuiſſet, ac ceteros omnes ardentiſſime commoverit, tamen poſtquam epiſcopatus illi à Pontifice datus eſt, quaſi medicata offa præcluſis faucibus, nihil poſthac pro unione ſed multa adverſus eam videtur ſuaſiſſe. Atqui nemo, qui primo illum audiſſet, exiſtimavit, munus Pontificis ab illo non rejici. Accepit tamen ut deprehenditur non ingrate, ac majora ſperare illum ajunt, prodita cauſa, quam prius tam acriter perurgebat. Nos autem ut de mentis illius arcano nihil ſcimus, ſic ea quæ agit moliturque, non probamus. Affirmamusque primo ejus ardori & ſtudio hæc poſteriora videri contraria, parumque ſibi ipſi illum conſtare. Quod utinam ſapientia quadam majori faciat, ac non ambitione. Ego quidem hunc hominem ut ſcis amo propter excellentiam virtutis. Atque eo magis doleo, ipſum in hanc adverſam opinionem hominum incidiſſe. Nemo eſt omnium, qui peccare ignorantia illum putet, ſed cupiditate animi transverſum agi.*

Alia

Digitized by Google

Alia ſane mens noſtro fuiſſe apparet *Clemangio*, cui collata curiæ Papalis munera os obſtruere manusque reprimere non valuerunt, ut pium priſtinum *in morum emendationem* affectum illis extingui ſineret. Id quod ex ſequentibus epiſtolis abunde conſtabit. Niſi quis forte hoc urſerit, quod Curialis factus, Benedicto devinctus, ejus partes ſemper tuitus, & ſi quid ab ipſis etiam Gallis aut Concilio contra Benedictum tentaretur, conſtanter eum deinceps defenderit. Quod gratitudinis forte potius officium, quàm corrupti donis animi indicium putabimus: Etſi affectio in perſonam ſæpe occulti aliquid trahat vitii, quod modicum in homine merito ab homine diſſimulandum. Inſcriptio epiſtolæ in *MSCto* quoque *Wolffenbüttelenſi* hæc eſt: *Ad Dominum Benedictum, ad Romani Pontificatus apicem recenter aſſumptum, de ſchismatis extirpatione & paſtorali vigilantia admonitio.* En ergo *Clemangii* manum atque frontem.

Clemangius partes Benedicti occulte ſemper ſectatus.

Benedicto XIII. Clemangius.

Temeritatis notam declinat à ſe Clemangius, qui ad Papã ſcribat.

GRandis, *Pater beatisſime*, & forſitan multorum exiſtimatione, non abhorrens à temeritate videbitur *audacia*, quod ego humilis & pauperculus homuncio tuæ eximiæ dignitati, tuæque præſtantisſimæ ſanctitati, ſcribere aggredior. Sic *lucifuga noctua* in ſolis jubar intuitum dirigit, ſua protinus exigua luce illius immenſo fulgore excœcanda. Sic *Pigmeus* in Athlantem ſublimia ſydera vertice pulſantem, *lapis* in magnum montem, *mus* in Elephantem, *hyſſopus* humilis in cedrum aſſurgit. Et, ſi Poëticas fabulas inſerere licet, ſic inefficaci alarum remigio Dædali Icarus in cœlum nititur, & Phaëton ineptus auriga currum Phœbi patris igneum conſcendere non timet. Iſte præceps in Erydanum dejectus, ille ſuo in mare lapſu, *vitreo* [ut ait Horatius] *daturus Nomina ponto*. Sic certant cygnis ululæ, ſic cum Orpheo Tytirus cithara contendit. Sic denique Troilus cum Achille infœlix atque impar congreditur, Dares cum Entello, Antheus cum Hercule.

Commendatio Benedicti XIII.

Verum, *pater Benedicte*, ſicut & *nomine* diceris, & *re*, ut mea fert opinio, tua inſignis & præclarisſima *virtus*, mihi atque plærisque intra hæc infœlicia tempora, omnium vitiorum fœcundisſima, mirabilis, ingens tuus ac ſinceris-

ſimus *affectus*, quo ad pacem & ſalutem publicam tranquillamque Apoſtolicæ naviculæ ſtationem inardeſcis, cui nauclerus es & rector, de excelſo, niſi fallor, immiſſus: Tua præterea in omni laudum genere *fama* celeberrima, latius per orbis ambitum diſſeminata: Tuæ denique innatæ *benignitatis* præſtans *humanitas* ac *manſvetudo*, qua te in commune univerſis, tam puſillis quam majorib᾽ *facilem*, *affabilem*, *familiarem* præbes: Mihi hunc auſum tibi ſcribendi præbuerunt, imo vero id à me quodammodo reluctante extorſerunt. Si quid itaq; per me in hoc erratum erit, illis imputabis.

Sed *quibus de rebus* tuam ſanctitatem alloqui ordiar? Si te *laudibus ornare* tentem, & in medio conatu ſuccumbam, tibi *aſſentari* voluiſſe fortasſis arguar. Quod nec alteri me feciſſe memini, nec à te utique ducere velim initium. Hoc in primis ne forte aut metuas aut expectes, nequicquam me facturum polliceor: Qui *peſtem* hanc *capitalisſimam*, Reſpublicas enormiter enervantem, ante omnia à puero ſemper exhorrui. Surgent proh dolor ſatis alii, & multo plures quàm opus eſſet, qui dicendæ veritatis expertes, *cæcaque beneficiorum ambitione* ardentisſimi, tuis ſtudebunt auribus ſubdole atque fallaciter *aſſentari*,

Adulationis maculam à ſe amolitur Clemangius.

tari, ne me, illius *artis gnatonicæ* imperitum, meas oporteat in ea re partes immiſcere.

Veritatē ſcripturꝰ Clemāgius.

Utinam vel pauci ſuperſint, qui *veritatem, quæ odium parit*, multitudinique hodie hominum inimicam, ſed tuo tamen animo amicam, ut arbitror, tibi dicant. De quorum me ſorte ac numero, & nunc, & ſi quando poſthac aliud quidpiam ſcribere contigerit, pro mea virili aperte fore profiteor.

De officio Pontificis dicturus.

Non igitur à te beneficia poſtulatum venio, nec de meo, ſed de *tuo profectu* tecum loqui geſtio. *Tuum* autem merito dixerim *profectum* eum, qui toti Catholicæ Eccleſiæ communis eſt, cui regendæ & adminiſtrandæ Deo authore præes. Sicut enim Eccleſia tibi deſponſata eſt, ſic virtute connubii inter vos initi, communia debent eſſe inter vos omnia. Ut nihil tuum dicas quod non illius ſit: Nihil etiam ſui in illa, quod non æque tuum ſit.

Multis modis, *Pater beatiſſime*, is qui antea eras, eſſe deſiſti, &, ſicut de Saule rege facto dicitur, *in virum alterum mutatus es. Petrus* eras, jam *Benedictus es*, Petrique ſucceſſor. Sponſi paranymphus ac miniſter eras, ecce jam habes ſponſam. *Et qui habet ſponſam, ſponſus eſt*, inquit Baptiſta. *Homo* particularis eras, homo nunc *communis* es.

De dignitate Papali & muneris celſitudine.

Ne Platonicis idæis in te locum eſſe putes: Ovis eras, ecce *paſtor* jam es, imo Princeps paſtorum. Remigis officium in navi gerebas, *gubernator* & ſupremus nauclerus eſſe cœpiſti: Qui *non* unius tuæ perſonæ, vel *rerum privatarum, ſed totius navis Eccleſiaſticæ*, & omnium quæ in ea vectantur, *curam habere* debes.

Præclari characteres Pontificis.

Si quæ ergo *privata* tibi erant, (de *votis* loquor & *affectibus*) ea profecto exuere te convenit. Ne quid, quod *bono publico* poſſit aliquatenus obſiſtere, in te reſideat. *Privati* ſolent quippe *affectus* bonis plurimum derogare communibus. Dum *cum publico* plærique *detrimento* ſuæ quærunt *rei familiari conſulere*. Quod etſi in privatis quibuſque pernitioſum eſt, in *principe* tamen exitioſiſſimum, qui debet *tutor* & *patronus* eſſe *Reipublicæ*.

Affectuū privatorū expers ſit Pontifex. Privatæ rei ſtudiū eſt publicæ rei damnum.

Ergo memor tuæ ſortis, & gradus & vocationis, *communes* in tuo animo fige *affectus*, ſtudia, vota, deſideria communia. Quid? In te communia ſunt omnia, qui, ut communis eſſes, tuus eſſe deſiiſti, & meus factus es. Quomodo non meus es, qui *pater meus* es, qui *Paſtor meus* es, qui denique, ut audenter dicam, *ſervus meus* es?

Si hæc falſa eſſe contendis, te ipſum quàm me prius argue falſitatis.

Annon *pater meus* eſt, qui me filium vocat? Si tamen vere vocat. Annon *Paſtor meus* eſt, ſi de Chriſti grege ſum, qui totius gregis Chriſti ſe Paſtorem profitetur.

Pontifex eſt pater, paſtor,

Annon *ſervus meus* eſt, ſi ſervus Dei ſum, qui ſervum ſervorum Dei ſe appellare gloriatur.

ſervus.

Si itaque *pater meus* es, vel potius, ſi *pater noſter* es, *paternum* in nos *affectum* oſtende, filios ama, filios erudi, filios manſvetudine corripe, & in pace educa. Hæc enim ſunt vera principia ad patris officia.

Paternus affectus.

Si *paſtor noſter* es, ſuper gregem vigila, illis paſtoribus aſſimilatus, quibus propterea in ortu Salvatoris Angelus apparuit, quia cuſtodiebant vigilias noctis ſuper gregem ſuum. *Paſtoris* erga nos *animum* indue, & non tanquam ovis te ipſum, ſed tanquam bonus paſtor, tuas oves paſcas. Graviter namque apud *Prophetam Ezechielem mali paſtores* à Domino redarguuntur, *qui ſe ipſos non oves paſcunt.*

Paſtoris animus.

Si autem quæris, *Quomodo paſcas?* Paſce *verbo*, paſce *doctrina*, paſce ducatu & *exemplo*, paſce temporali *ſubſidio*. Paſce, bonos fovendo, malos & diſcolos corrigendo: Paſce, canes habendo, & feras arcendo: Paſce poſtremo, ſepta diligenter cuſtodiendo, ne aliquo impiorum impetu rumpantur, & ſi forte rupta ſint, cito reficiantur, ne fracto ovili, prædones irruant, lupi devorent, atque diſpergant.

Paſtoris officia.

Quod ſi *ſervus* noſter es, *ut te eſſe fateris*, vide, quam minime tuus ſis, qui *totius pene mundi ſervus* eſſe cœpiſti. Servus enim non ſui juris eſt, ſed alieni juris & arbitrii: Et quanto plurium eſt ſervitio addictus, tanto oportet ut *minus ſit ſuus.*

Pontifex ſervus cōmunis.

Atten-

Difficillima funct. Papalis.

Attende itaque & tecum conſidera, quam *duram* atque difficilem ſis *provinciam* ſortitus, qui *omnium Chriſti fidelium ſervus* effectus es. Quam parum tibi vacationis, licentiæ, ac libertatis ſit, quam multum oneris ac ſollicitudinis impoſitum, qui *mundo ſervire* ſuſcepiſti, univerſam Eccleſiam regere, uti animarum ſalutem, & de univerſo Chriſti grege, tuo miniſterio commiſſo, rationem reddere. Cui plus committitur, plus ab eo quæritur. Et ubi creſcit adminiſtratio, *rationes* etiam *miniſterii* creſcere neceſſe eſt.

Onera Eccleſiæ impoſita.

Jura Eccleſiæ ſubtracta.

Tanto quippe plurium ratio, per Dominum, cujus vicarius es, bonorumque diſpenſator, à te exigenda, quanto tu & tui anteceſſores, ultra *onera* a Domino & Eccleſia pridem impoſita, *ampliora, noſtris cervicibus impoſuiſtis.* Qui, vacuatis Præſulatuum aliarumque dignitatum Eccleſiaſticarum electionibus, ſublato præterea à patronis omnibus jure collationum, diſpenſationem omnium graduum totius Eccleſiæ *ad veſtrum revocaſtis arbitrium.* Utrum ſalubriter, *pro nobis*, ipſi videritis. Utrum *non utiliter* pro Eccleſia, non eſt epiſtolaris anguſtiæ diſcutere.

Virtutes Pontificis.

Eſto ergo *fidelis* ſervus, *prudens*, *diligens*, *humilis*, *obediens.* Creditam tibi diſpenſationem attente recogita: Voluntatem Domini tui meditare: Præcepta exequere: Flagella pertimeſce, Ut a Domino tandem audire poſſis: *Euge ſerve bone & fidelis, qui ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.*

Servitus Pontificis ſplendidiſſima.

Non eſt tua iſta *ſervitus* vilis alicujus aut abjecti circa nos miniſterii, ut inde erubeſcere debeas: *Honoris* potius & *dignitatis* eſt & *regalis ſacerdotii*, ut verbo ſcripturæ utar. Quam ſi recte ad creditarum tibi ovium ſalutem adminiſtraveris; nullum prorſus terrenum imperium iſti *egregiæ ſervituti* æquabitur.

In maxima pompa ſervitus viliſſima. Præeſſe, nō prodeſſe.

Si vero illam *ad proprium quæſtum*, ad *pompam*, vel ad *faſtum*, quod procul a te abſtore crediderim, detorſeris, *dominarique & præeſſe* quam *prodeſſe* malueris: Tunc profecto veriſſime imo viliſſime *ſervus* eris. *Non* quidem, ut in titulo præfers, *ſervorum Dei*, quibus *imperare* non *ſervire* contendes: Sed cupiditatis, avaritiæ, ſuperbiæ, libidinis dominandi, ancillarum diaboli, & in ſumma, tot *dominorum* quot *vitiorum.* Nam teſte Domino, *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Et rurſum primus tuæ cathedræ ſeſſor ait: *A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.*

Servitus cupiditatum.

Dominandi libido abſit a Pōtifice.

Si autem ſcire vis, quantum à tuo pectore aliena debeat eſſe *libido dominandi*, eodem primo paſtore docente clariſſime cognoſces, qui ad te atque ad paſtores alios ita loquitur: *Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes, non coacte, ſed ſpontanee, ſecundum Deum: Neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie; neque ut dominantes in clero, ſed forma facti gregis, ex animo.* Ubi paſtoralis officii regulam, quam ab optimo ſuo præceptore didicerat, paucis verbis eleganter depingit. Cum & inprimis *cupiditatem*, velut *omnium malorum radicem*, maxime à paſtoribus extirpandam cenſuit, & *ſuperbam* clero, cui præſunt, *dominandi libidinem* ſuſtulit, & plebis, per lumen boni operis ac doctrinæ exemplar ac formam eſſe admonuit. Et nil ficte aut ſerviliter, aut ex triſtitia vel metu, ſed omnia vere, ſyncere, voluntarie, & ex animo facienda demonſtravit.

Onerosa & periculoſa dignit. Papalis.

Hæc autem idcirco à me dicta ſunt, ut intelligas, ſicut ſatis, non dubito, intelligis, etſi *honor* tibi *eminentiſſimus* acceſſerit, *plus* tamen *oneris quam honoris*, plus laboris atque periculi, quam dignitatis aut faſtigii tibi adjectum.

Sed libet ex hac generali commonitione, ad aliqua pauca, magis *in ſpecie*, quæ pro tempore & rerum qualitate ſcribere inſtitui, deſcendere.

Ruina Eccleſiæ ante Concil. Conſt. Publ. Eccleſ. diſſidia ante Conciliū Conſt. per Benedictū XIII. debebant cōponi.

Vides, *Pater beatiſſime*, non dico *Eccleſiæ* ſtatum, ſed *lapſum*, ſed *ruinam*, & lamentabilem deſolationem, quæ *ſchiſmate* horribiliſſimo, & omnium quæ fuerunt ſchiſmatum peſtilentiſſimo, *anno jam decimo ſexto*, cum tanta, quanta omnes cernimus, *ſpiritualium temporaliumque bonorum jactura*, conteritur. Huic *plagæ* ante omnia te mederi oportet: In hujus curam & ſanationem labores tuos, tuas vigilias, tuos

tuos omnes conatus & ſtudia conferre. Parum prodeſſe poſſunt alii labores, niſi unus iſte præceſſerit. Quid prodeſt ægrotum bene paſcere, qui, quo magis paſcitur, eo magis læditur? Non eget infirmus alimento, ſed medicamento: Non dape, ſed ope, non documento ſed adjumento.

Porro ſi contumaces & indiſciplinatos filios paſtorali volueris ſeveritate cœrcere, nec libere audebis, nec commode poteris. Rebelles adverſum te faciet matris infirmitas. Non audient, non obedient, imperium contemnent, jugum excutient. Fruſtra, *languente capite letaliter vulnerato*, membris aliis, illo omiſſo, cura adhibetur. Nauſeam patiente ſtomacho, moxque injectos omnes cibos emittente, fruſtra alios artus, illo neglecto, regere laborabis, aut alimenti ingeſtione ſuſtentare. Hoc vulnus tuæ chariſſimæ ſponſæ tamdiu *neglectum*, tanto intervallo temporis *incuratum*, te medicatorem expectat & curatorem. Ad hoc te debes exiſtimare à Deo vocatum, à ſpiritu ſancto electum, imo vero in lucem editum. Tibi à Deo ſervata eſt illa gloria, honor iſte, laus iſta clariſſima atque perpetua.

Diſſidia longa ante Conc. Conſt.

Exurge ergo Benedicte Dei, ad opus tuum, & ad operationem tuam. Affer optatam mundo *pacis* benedictionem: *Maledictam* de Eccleſia expelle *diſcordiam*, morbum ſana, vulnus alliga, peſtem virulentiſſimi *ſchiſmatis* elimina. Feſtina, noli tardare. *Satis eſt ab aliis tardatum.* Ne dederis ſomnum oculis tuis, nec palpebris tuis dormitationem, nec requiem temporibus tuis, donec invenias pacem Domino, & tabernaculo Dei Jacob. Quale gaudium tibi eſſe poterit, dum tuam cernes dilectiſſimam ſponſam, tanto languore preſſam, tanti mali acerbiſſimi mole afflictam?

Calcaria Benedicto XIII. data ad revocandā pacem.

Sicut *bona* illius, ut ſupra dixi, tibi *communia* ſunt, ſic *ejus quoque mala tua debes putare.* Imo *tuo* magis quam ſuo ipſa *morbo* laborat. Tu caput illius es, vicem Chriſti in terris obtinens. Et quo alio ipſa quam capitis *vulnere* urgetur? *Capitis* ſui crudeli diviſione graviſſime torquetur atque cruciatur. Et quamvis ad partes alias vis doloris attingat, *fons* tamen *doloris totius ex capite profluit.* Quo tam graviter ægrotante, ſingula neceſſe eſt membra morbo laborare. *Tuum* itaque *vulnus*, ſi ſanum ſapis, *ſana.* Neque enim cum tam dira plaga ſanus aliquis te ſanum dixerit.

Mollis deſcript. curia Ro. reformādæ.

Capitis medela potior.

Quid autem in hac re tibi inculcanda pluribus me neceſſe eſt verbis tecum agere, qui alieno in re ipſa ſtimulo non eges, ſed tibi ipſi (ut audio) ſatis ſtimuli es, volucrique curſu tuum incitatorem ſpontanea voluntate præcurris. O te hac ſanctiſſima voluntate feliciſſimum, ſi illam vigilanter exequi maturabis, atque ad celerem exitum (quantum quidem in te ſitum erit) perduxeris. Quod duce atque adjutrice gratia cœleſti te facturum confido.

Quamquam *tam in ſalutari opere explendo non* tibi *defuturi* ſunt *adverſarii*, quos tibi antiqui hoſtis malignitas excitabit, qui ſuum de Eccleſiæ agro, vipereum ſemen auferri permoleſte feret. Surgent plerique *diffidentiæ* filii, *detractionis* alumni, *diſcordiæ* incenſores, *pacis* hoſtes, & ſuæ adverſum te iniquitatis venena diffundent, qui jam tuis præclariſſimis cœptis obſiſtere tentant.

Salutare negotium multos habet adverſarios.

Sed non eſt, quod inde terrearis, aut tepeſcas, vel aliqua rerum difficultate frangaris. Tibi potius per hæc materia dabitur, qua acrius atque ardentius de virtute in virtutem aſſidue progrediaris. Nil tibi in hoc novum accidit, nihil mirum, nihil inſolitum. *Quæ unquam virtus æmulis caruit? aut liventis invidiæ faculas effugit?* In illam univerſi obtrectatores dentes ſuos exacuunt. Malevoli quique & pervicaces ſuum virus evomunt, eamque ſemper velut inimicam inſectantur. Inter has ſpinas, cruentis undique aculeis pungentes, creſcit, exurgit, eminet, & tanto clarius eniteſcit, quanto per aſperiora atque difficiliora erumpit.

Virtus adverſitate non frangitur.

Aſſiſtet tibi, noli timere, magiſter tuus cæleſtis, Chriſtus, cujus & vicem tenes, & cauſam agitabis, qui ipſam cauſam

Bonos auſus ſecundat Deus.

Digitized by Google

cauſam ſuam minime deſeret, ſed jugiter fovebit, diriget & provehet, qui te opere juvabit, præſidio proteget, & ab inſidiis adverſantium, ſuo fido ducatu, greſſus tuos eruet.

Viri boni ſalutaria inſtituta adjuvãt.

Sunt item multi *bonæ voluntatis homines*, & propterea *pacis amici*: Quomodo cœleſte oraculum eſt: *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis*: Qui tibi adjutores erunt, ſeque felices ac beatos putabunt, & in hoc ſe natos gloriabuntur, ſi in hujus rei ſaluberrimæ agitatione aliquo tibi utili miniſterio poſſint famulari. Quorum, ut exiſtimo, operam non aſpernabere.

Egregiæ laudes Petri de Aliaco, Cardinalis poſtremo Cameracenſis.

En habes inter viros egregios *virum literis eruditiſſimum, fide, prudentia, probitate, commendatiſſimum*, & Zelo unitatis Eccleſiaſticæ ardentiſſimum. *PETRUM, Cancellarium Eccleſiæ Pariſienſis, & Regiæ Francorum Eleemoſynæ miniſtrum*: Virum utique, ut breviter dicam, te tuisque moribus digniſſimum: *Cujus ipſa quoque inſignis virtus multa eſt improborum æmulatione ſæpe laceſſita, & quem plane alterum lumen noſtri ævi dicere non dubitaverim*, quicquid de ejus nomine decerpere maledica perverſorum lingua ſtuduerit. Hunc in *pacis conſiliis* adhibe participem, in laboribus conſortem, in negotiis omnibus adjutorem. Hunc dilige, cole, amplectere. Huic quaſi alteri tibi omnia committe. Et proculdubio non falleris, nec te talem magiſtrum elegiſſe pigebit.

Petrus de Aliaco ſuos habuit æmulos.

Conſilia pacis ac reformationis Petri de Aliaco. Conf. in Part. VI.

Hæc pauca, Pater beatiſſime, licet inculta, ad tuam Beatitudinem ſcribere voluntas fuit, quæ ſi minus honoris ac reverentiæ, quam par fuerat, habere videbuntur, tua mihi ſanctitas ignoſcet, qui *veritati puraq; fidelitati magis quam blanditiis ſtudui*. Vale, Pater beatiſſime, tuisque, ut felici auſpicio cœpiſti, viam laudibus per *egregia ac memorabilia facta* magis ac magis aperi. *Datum Pariſiis.*

Sinceritas Clemangiana.

CAP. III.

De publicis & impenſis CLEMANGII *deſideriis*, Generale Concilium Conſtantienſe *rite inſtruendi, ac absque affectuum intemperie gubernandi, ad pacem publicam in Eccleſia conſequendam &* morum reformationem *obtinendam.*

QUod jurato promiſerant *Petrus de Luna ſ. Benedictus XIII.* in Gallia, & *Gregorius XII. in Italia*, ſe *ceſſuros Papatu ſponte*, ut diſſidia feralia tollerentur, indeque *morum depravatorum emendatio* ſequeretur, id ſe præſtiturum ſimulaverat uterque. Imo & tertius *Johannes XXIII.* ejus artis conſcius, id polliceri non dubitavit, de eventu parum ſollicitus.

Verum inter *Benedictum* & *Gregorium* tentatæ conciliationes irritæ prorſus & inanes in definito *colloquio Savonenſi*. Artes utriusque non diſſimulavit *Theodericus Vrie in hiſt. Concil. Conſt. libro V. f. 134. ſeqq.* Promptior ad unionem ac pacem viſus *Benedictus* in Gallia, quam *Gregorius* in Italia. Niſi ille callidior *artem occultare* didiciſſe videbitur *rectius* quam Gregorius, illo ſimplicior atq; apertior.

Hoc certum eſt, *Gregorio*, Colloquium Savonenſe declinanti, atque ita unionem deſerenti, culpam omnem fuiſſe imputatam. Negari enim nequit, ab aulicis ſuis miniſtris vacillantem ejus in hoc negotio animum fuiſſe agnitum, nec ab omnibus probatum. *Theo-*

Digitized by Google

tuos omnes conatus & ſtudia conferre. Parum prodeſſe poſſunt alii labores, niſi unus iſte præceſſerit. Quid prodeſt ægrotum bene paſcere, qui, quo magis paſcitur, eo magis læditur? Non eget infirmus alimento, ſed medicamento: Non dape, ſed ope, non documento ſed adjumento.

Porro ſi contumaces & indiſciplinatos filios paſtorali volueris ſeveritate coercere, nec libere audebis, nec commode poteris. Rebelles adverſum te faciet matris infirmitas. Non audient, non obedient, imperium contemnent, jugum excutient. Fruſtra, *languente capite letaliter vulnerato*, membris aliis, illo omiſſo, cura adhibetur. Nauſeam patiente ſtomacho, moxque injectos omnes cibos emittente, fruſtra alios artus, illo neglecto, regere laborabis, aut alimenti ingeſtione ſuſtentare. Hoc vulnus tuæ chariſſimæ ſponſæ tamdiu *neglectum*, tanto intervallo temporis *incuratum*, te medicatorem expectat & curatorem. Ad hoc te debes exiſtimare à Deo vocatum, à ſpiritu ſancto electum, imo vero in lucem editum. Tibi à Deo ſervata eſt illa gloria, honor iſte, laus iſta clariſſima atque perpetua.

Diſſidia longa ante Conc. Conſt.

Exurge ergo Benedicte Dei, ad opus tuum, & ad operationem tuam. Affer optatam mundo *pacis* benedictionem: *Maledictam* de Eccleſia expelle *diſcordiam*, morbum ſana, vulnus alliga, peſtem virulentiſſimi *ſchiſmatis* elimina. Feſtina, noli tardare. *Satis eſt ab aliis tardatum.* Ne dederis ſomnum oculis tuis, nec palpebris tuis dormitationem, nec requiem temporibus tuis, donec invenias pacem Domino, & tabernaculo Dei Jacob. Quale gaudium tibi eſſe poterit, dum tuam cernes dilectiſſimam ſponſam, tanto languore preſſam, tanti mali acerbiſſimi mole afflictam?

Calcaria Benedicto XIII. data ad revocandã pacem.

Sicut *bona* illius, ut ſupra dixi, tibi *communia* ſunt, ſic *ejus quoque mala tua debes putare.* Imo *tuo* magis quam ſuo ipſa *morbo* laborat. Tu caput illius es, vicem Chriſti in terris obtinens. Et quo alio ipſa quam capitis *vulnere* urgetur? *Capitis* ſui crudeli diviſione graviſſime torquetur atque cruciatur. Et quamvis ad partes alias vis doloris attingat, *fons* tamen *doloris totius ex capite profluit.* Quo tam graviter ægrotante, ſingula neceſſe eſt membra morbo laborare. *Tuum* itaque *vulnus*, ſi ſanum ſapis, *ſana.* Neque enim cum tam dira plaga ſanus aliquis te ſanum dixerit.

Mollis deſcript. curia Ro. reformãde.

Capitis medela potior.

Quid autem in hac re tibi inculcanda pluribus me neceſſe eſt verbis tecum agere, qui alieno in re ipſa ſtimulo non eges, ſed tibi ipſi (ut audio) ſatis ſtimuli es, volucrique curſu tuum incitatorem ſpontanea voluntate præcurris. O te hac ſanctiſſima voluntate feliciſſimum, ſi illam vigilanter exequi maturabis, atque ad celerem exitum (quantum quidem in te ſitum erit) perduxeris. Quod duce atque adjutrice gratia cœleſti te facturum confido.

Quamquam *tam in ſalutari opere explendo non* tibi *defuturi* ſunt *adverſarii*, quos tibi antiqui hoſtis malignitas excitabit, qui ſuum de Eccleſiæ agro, vipereum ſemen auferri permoleſte feret. Surgent plerique *diffidentia* filii, *detractionis* alumni, *diſcordia* incenſores, *pacis* hoſtes, & ſuæ adverſum te iniquitatis venena diffundent, qui jam tuis præclariſſimis cœptis obſiſtere tentant.

Salutare negotium multos habet adverſarios.

Sed non eſt, quod inde terrearis, aut tepeſcas, vel aliqua rerum difficultate frangaris. Tibi potius per hæc materia dabitur, qua acrius atque ardentius de virtute in virtutem aſſidue progrediaris. Nil tibi in hoc novum accidit, nihil mirum, nihil inſolitum. *Quæ unquam virtus æmulis caruit?* aut *liventis invidiæ faculas effugit?* In illam univerſi obtrectatores dentes ſuos exacuunt. Malevoli quique & pervicaces ſuum virus evomunt, eamque ſemper velut inimicam inſectantur. Inter has ſpinas, cruentis undique aculeis pungentes, creſcit, exurgit, eminet, & tanto clarius eniteſcit, quanto per aſperiora atque difficiliora erumpit.

Virtus adverſitate non frangitur.

Aſſiſtet tibi, noli timere, magiſter tuus cæleſtis, Chriſtus, cujus & vicem tenes, & cauſam agitabis, qui ipſam cauſam

Bonos auſus ſecundat Deus.

Digitized by Google

cauſam ſuam minime deſeret, ſed jugiter fovebit, diriget & provehet, qui te opere juvabit, præſidio proteget, & ab inſidiis adverſantium, ſuo fido ducatu, greſſus tuos eruet.

Viri boni ſalutaria inſtituta adjuvât.

Sunt item multi *bonæ voluntatis homines*, & propterea *pacis amici*: Quomodo cœleſte oraculum eſt: *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis*: Qui tibi adjutores erunt, ſeque felices ac beatos putabunt, & in hoc ſe natos gloriabuntur, ſi in hujus rei ſaluberrimæ agitatione aliquo tibi utili miniſterio poſſint famulari. Quorum, ut exiſtimo, operam non aſpernabere.

Egregiæ laudes Petri de Aliaco, Cardinalis poſtremo Cameracenſis.

En habes inter viros egregios *virum literis eruditiſſimum, fide, prudentia, probitate, commendatiſſimum*, & Zelo unitatis Eccleſiaſticæ ardentiſſimum. *PETRUM*, *Cancellarium Eccleſiæ Pariſienſis*, *& Regiæ Francorum Eleemoſynæ miniſtrum*: Virum utique, ut breviter dicam, te tuisque moribus digniſſimum: *Cujus ipſa quoque inſignis virtus multa eſt improborum æmulatione ſæpe laceſſita, & quem plane alterum lumen noſtri ævi dicere non dubitaverim*, quicquid de ejus nomine decerpere maledica perverſorum lingua ſtuduerit.

Petrus de Aliaco ſuos habuit æmulos.

Conſilia pacis ac reformationis Petri de Aliaco. Conf. in Part. VI.

Hunc in *pacis conſiliis* adhibe participem, in laboribus conſortem, in negotiis omnibus adjutorem. Hunc dilige, cole, amplectere. Huic quaſi alteri tibi omnia committe. Et proculdubio non falleris, nec te talem magiſtrum elegiſſe pigebit.

Sinceritas Clemangiana.

Hæc pauca, Pater beatiſſime, licet inculta, ad tuam Beatitudinem ſcribere voluntas fuit, quæ ſi minus honoris ac reverentiæ, quam par fuerat, habere videbuntur, tua mihi ſanctitas ignoſcet, qui *veritati puraq; fidelitati magis quàm blanditiis ſtudui.* Vale, Pater beatiſſime, tuisque, ut felici auſpicio cœpiſti, viam laudibus per *egregia ac memorabilia facta* magis ac magis aperi. *Datum Pariſiis.*

CAP. III.

De publicis & impenſis CLEMANGII *deſideriis*, Generale Concilium Conſtantienſe *rite inſtruendi, ac absque affectuum intemperie gubernandi, ad pacem publicam in Eccleſia conſequendam &* morum reformationem *obtinendam.*

QUod jurato promiſerant *Petrus de Luna ſ. Benedictus XIII.* in Gallia, & *Gregorius XII. in Italia*, ſe *ceſſuros Papatu ſponte*, ut diſſidia feralia tollerentur, indeque *morum depravatorum emendatio* ſequeretur, id ſe præſtiturum ſimulaverat uterque. Imo & tertius *Johannes XXIII.* ejus artis conſcius, id polliceri non dubitavit, de eventu parum ſollicitus.

Verùm inter *Benedictum* & *Gregorium* tentatæ conciliationes irritæ prorſus & inanes in definito *colloquio Savonenſi*. Artes utriusque non diſſimulavit *Theodericus Vrie in hiſt. Concil. Conſt. libro V. f. 134. ſeqq.* Promptior ad unionem ac pacem viſus *Benedictus* in Gallia, quam *Gregorius* in Italia. Niſi ille callidior *artem occultare* didiciſſe videbitur *rectius* quam Gregorius, illo ſimplicior atq; apertior.

Hoc certum eſt, *Gregorio*, Colloquium Savonenſe declinanti, atque ita unionem deſerenti, culpam omnem fuiſſe imputatam. Negari enim nequit, ab aulicis ſuis miniſtris vacillantem ejus in hoc negotio animum fuiſſe agnitum, nec ab omnibus probatum. *Theodoricum*

tuos omnes conatus & ſtudia conferre. Parum prodeſſe poſſunt alii labores, niſi unus iſte præceſſerit. Quid prodeſt ægrotum bene paſcere, qui, quo magis paſcitur, eo magis læditur? Non eget infirmus alimento, ſed medicamento: Non dape, ſed ope, non documento ſed adjumento.

Porro ſi contumaces & indiſciplinatos filios paſtorali volueris ſeveritate cœrcere, nec libere audebis, nec commode poteris. Rebelles adverſum te faciet matris infirmitas. Non audient, non obedient, imperium contemnent, jugum excutient. Fruſtra, *languente capite letaliter vulnerato*, membris aliis, illo omiſſo, cura adhibetur. Nauſeam patiente ſtomacho, moxque injectos omnes cibos emittente, fruſtra alios artus, illo neglecto, regere laborabis, aut alimenti ingeſtione ſuſtentare. Hoc vulnus tuæ chariſſimæ ſponſæ tamdiu *neglectum*, tanto intervallo temporis *incuratum*, te medicatorem expectat & curatorem. Ad hoc te debes exiſtimare à Deo vocatum, à ſpiritu ſancto electum, imo vero in lucem editum. Tibi à Deo ſervata eſt illa gloria, honor iſte, laus iſta clariſſima atque perpetua.

Diſſidia longa ante Conc. Conſt.

Exurge ergo Benedicte Dei, ad opus tuum, & ad operationem tuam. Affer optatam mundo *pacis* benedictionem: *Maledictam* de Eccleſia expelle *diſcordiam*, morbum ſana, vulnus alliga, peſtem virulentiſſimi *ſchiſmatis* elimina. Feſtina, noli tardare. *Satis eſt ab aliis tardatum.* Ne dederis ſomnum oculis tuis, nec palpebris tuis dormitationem, nec requiem temporibus tuis, donec invenias pacem Domino, & tabernaculo Dei Jacob. Quale gaudium tibi eſſe poterit, dum tuam cernes dilectiſſimam ſponſam, tanto languore preſſam, tanti mali acerbiſſimi mole afflictam?

Calcaria Benedicto XIII. data ad revocandā pacem.

Sicut *bona* illius, ut ſupra dixi, tibi *communia* ſunt, ſic *ejus quoque mala tua debes putare.* Imo *tuo* magis quam ſuo ipſa *morbo* laborat. Tu caput illius es, vicem Chriſti in terris obtinens. Et quo alio ipſa quam capitis *vulnere* urgetur? *Capitis* ſui crudeli diviſione graviſſime torquetur atque cruciatur. Et quamvis ad partes alias vis doloris attingat, *fons* tamen *doloris totius ex capite profluit.* Quo tam graviter ægrotante, ſingula neceſſe eſt membra morbo laborare. *Tuum* itaque *vulnus*, ſi ſanum ſapis, *ſana.* Neque enim cum tam dira plaga ſanus aliquis te ſanum dixerit.

Mollis deſcript. curia Ro. reformāde.

Capitis medela potior.

Quid autem in hac re tibi inculcanda pluribus me neceſſe eſt verbis tecum agere, qui alieno in re ipſa ſtimulo non eges, ſed tibi ipſi (ut audio) ſatis ſtimuli es, volucrique curſu tuum incitatorem ſpontanea voluntate præcurris. O te hac ſanctiſſima voluntate feliciſſimum, ſi illam vigilanter exequi maturabis, atque ad celerem exitum (quantum quidem in te ſitum erit) perduxeris. Quod duce atque adjutrice gratia cœleſti te facturum confido.

Quamquam *tam in ſalutari opere explendo non* tibi *defuturi* ſunt *adverſarii*, quos tibi antiqui hoſtis malignitas excitabit, qui ſuum de Eccleſiæ agro, vipereum ſemen auferri permoleſte feret. Surgent plerique *diffidentia* filii, *detractionis* alumni, *diſcordia* incenſores, *pacis* hoſtes, & ſuæ adverſum te iniquitatis venena diffundent, qui jam tuis præclariſſimis cœptis obſiſtere tentant.

Salutare negotium multos habet adverſarios.

Sed non eſt, quod inde terrearis, aut tepeſcas, vel aliqua rerum difficultate frangaris. Tibi potius per hæc materia dabitur, qua acrius atque ardentius de virtute in virtutem aſſidue progrediaris. Nil tibi in hoc novum accidit, nihil mirum, nihil inſolitum. *Quæ unquam virtus æmulis caruit?* aut *liventis invidiæ faculas effugit?* In illam univerſi obtrectatores dentes ſuos exacuunt. Malevoli quique & pervicaces ſuum virus evomunt, eamque ſemper velut inimicam inſectantur. Inter has ſpinas, cruentis undique aculeis pungentes, creſcit, exurgit, eminet, & tanto clarius eniteſcit, quanto per aſperiora atque difficiliora erumpit.

Virtus adverſitate non frangitur.

Aſſiſtet tibi, noli timere, magiſter tuus cæleſtis, Chriſtus, cujus & vicem tenes, & cauſam agitabis, qui ipſam

Bonos ausus ſecundat Deus.

cauſam

cauſam ſuam minime deſeret, ſed jugiter fovebit, diriget & provehet, qui te opere juvabit, præſidio proteget, & ab inſidiis adverſantium, ſuo fido ducatu, greſſus tuos eruet.

Viri boni ſalutaria inſtituta adjuvãt.

Sunt item multi *bonæ voluntatis homines*, & propterea *pacis amici*: Quomodo cœleſte oraculum eſt: *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis*: Qui tibi adjutores erunt, ſeque felices ac beatos putabunt, & in hoc ſe natos gloriabuntur, ſi in hujus rei ſaluberrimæ agitatione aliquo tibi utili miniſterio poſſint famulari. Quorum, ut exiſtimo, operam non aſpernabere.

Egregiæ laudes Petri de Alliaco, Cardinalis poſtremo Cameracenſis.

En habes inter viros egregios *virum literis eruditiſſimum, fide, prudentia, probitate, commendatiſſimum*, & Zelo unitatis Eccleſiaſticæ ardentiſſimum. *PETRUM, Cancellarium Eccleſiæ Pariſienſis, & Regiæ Francorum Eleemoſynæ miniſtrum*: Virum utique, ut breviter dicam, te tuisque moribus digniſſimum: *Cujus ipſa quoque inſignis virtus multa eſt improborum æmulatione ſæpe laceſſita, & quem plane alterum lumen noſtri ævi dicere non dubitaverim*, quicquid de ejus nomine decerpere maledica perverſorum lingua ſtuduerit.

Petrus de Alliaco ſuos habuit æmulos.

Hunc in *pacis conſiliis* adhibe participem, in laboribus conſortem, in negotiis omnibus adjutorem. Hunc dilige, cole, amplectere. Huic quaſi alteri tibi omnia committe. Et proculdubio non falleris, nec te talem magiſtrum elegiſſe pigebit.

Conſilia pacis ac reformationis Petri de Alliaco. Conf. in Part. VI.

Hæc pauca, Pater beatiſſime, licet inculta, ad tuam Beatitudinem ſcribere voluntas fuit, quæ ſi minus honoris ac reverentiæ, quam par fuerat, habere videbuntur, tua mihi ſanctitas ignoſcet, qui *veritati puræq; fidelitati magis quam blanditiis ſtudui.* Vale, Pater beatiſſime, tuisque, ut felici auſpicio cœpiſti, viam laudibus per *egregia ac memorabilia facta* magis ac magis aperi. *Datum Pariſiis.*

Sinceritas Clemangiana.

CAP. III.

De publicis & impenſis CLEMANGII *deſideriis*, Generale Concilium Conſtantienſe *rite inſtruendi, ac abſque affectuum intemperie gubernandi, ad pacem publicam in Eccleſia conſequendam & morum reformationem obtinendam.*

QUod jurato promiſerant *Petrus de Luna ſ. Benedictus XIII.* in Gallia, & *Gregorius XII. in Italia, ſe ceſſuros Papatu ſponte*, ut diſſidia feralia tollerentur, indeque *morum depravatorum emendatio* ſequeretur, id ſe præſtiturum ſimulaverat uterque. Imo & tertius *Johannes XXIII.* ejus artis conſcius, id polliceri non dubitavit, de eventu parum ſollicitus.

Verùm inter *Benedictum* & *Gregorium* tentatæ conciliationes irritæ prorſus & inanes in definito *colloquio Savonenſi*. Artes utriusque non diſſimulavit *Theodericus Vrie in hiſt. Concil. Conſt. libro V. f. 134. ſeqq.* Promptior ad unionem ac pacem viſus *Benedictus* in Gallia, quam *Gregorius* in Italia. Niſi ille callidior *artem occultare* didiciſſe videbitur *rectius* quam Gregorius, illo ſimplicior atq; apertior.

Hoc certum eſt, *Gregorio*, Colloquium Savonenſe declinanti, atque ita unionem deſerenti, culpam omnem fuiſſe imputatam. Negari enim nequit, ab aulicis ſuis miniſtris vacillantem ejus in hoc negotio animum fuiſſe agnitum, nec ab omnibus probatum. *Theodoricum*

miſſum, in *MSCto Wolffenbuttelenſi* quoque exhibitum, hac deteſtatur formula: *Quod ad* Concilium *generale, non carnales homines, ſed ſpirituales mitti deberent, nec quærentes quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti. Tales enim à ſancto & moventur & diriguntur & facile exaudiuntur.* En ergo Clemangii pectus.

NICOLAO DE BEJA CLEMANGIUS.

CUpio tibi aliquid ſcribere. Id enim magnopere a me exegiſti. Ego autem tuis votis annuens id me facturum pollicitus ſum. Sed qua de re potiſſimum ſcribam, mens in ambiguo eſt. Non quidem ex rerum inopia, quæ tantæ ſe cogitanti afferunt, ut non penuria me egenum, ſed copia quid magis amplectar incertum faciat.

Sunt *bella civilia* noſtrorum Principum, utinam non regno huic ſicut cæteris exitialia.

Sunt armatorum publica & impunita *latrocinia*, qualia me in nullis umquam Hiſtoricis legiſſe memini.

Concilium Conſtantienſe. Eſt *Synodi univerſalis ſuper Eccleſiaſtica* ut ajunt *pace* congregatio.

Satis autem jam pridem de *civilibus armis*, ad te atque alios nonnullos perſcripſi, illa quæ quotidie evenire cernimus, jam tamen animo præſagiente conjectans. Sed utinam mens mea ſuo potius eſſet ludificata vano augurio, quam certiori commendata præſagio! Verum ſicut res eunt, atque ire cœperunt, deteriora longe quam dudum modo conjicio, certamque & celerem regni vaſtitatem peccatis ejus exigentibus impendere arbitror. Caveant illi, qui in prælia partes acuunt, ne in publica quam accerſunt clade privatam inveniant.

De *rapinis* vero latrunculorum, arma non ad hoſtium, ſed ad civium oppreſſionem duntaxat ferentium, etiam ſæpe alias conqueſtus ſum. Sed ideo nunc conqueri omitto, quia nullam omnino ſpem, niſi deſuper affuturam video, quin potius omnium maleficiorum liberiorem licentiam graſſaturam autumo.

Quid igitur in tantis adverſitatibus, & jam præſentibus, & jam inſtantibus, *nos Eccleſiaſticos homines* facere convenit, niſi ſcuto *patientiæ* inexpugnabili nos inſtruere, ad armaque militiæ noſtræ, quæ ſunt *orationes* & lacrymæ, maxima animi contritione perfugere. Quæ *arma noſtra*, juxta Apoſtolum, *non ſunt carnalia, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum*: Hoc eſt, quod tam *valida atque efficacia* debent eſſe apud Deum, ut poſſint ab illo impetrare bellorum compreſſionem, & mundo pacis deſideratiſſimæ reſtitutionem: Quod ille per deſtructionem munitionum deſignare voluit. *Officium cleri in calamitatibus publicis.*

Sed quomodo *aliena* digne deflebit mala, qui *propria* tam inveterata, tam gravia & acerba non deflet? Quomodo *aliis* opem feret, qui *ſibimet* auxiliari & per infirmitatem nequit & per incuriam negligit?

Ut igitur morbus totius mundi generalis & graviſſimus, levamen facilius inveniat, à *graviſſimo vetuſtiſſimoque Eccleſiæ vulnere* incipiendum videtur. Maxima igitur inſtantia, cura ardentiſſima, nunc tota *Eccleſia* incumbere deberet *ad ſui morbi in Synodo iſta* curationem. *Eccleſiæ vulnera prius curanda.*

Nomine autem *Eccleſiæ*, non ſolum *Epiſcopos*, ac *Presbyteros*, cæterosque *Eccleſiæ miniſtros* intelligo: Sed omnes *Reges* ac *Principes* Catholicos, *omnes* qui ſenſu, ſcientia, gradu, conſilio, potentia & auctoritate aliqua præeminent: Imo generaliter *omnes fideles*, ut quemque vel devotio vel religio vel probitas, vel Zelus vel charitas aliqua commendat. Neque enim *majorum preces* magis ſunt ſemper apud Deum efficaces, a quo præcipue eſt hujus diri vul-

neris

neris quærenda atque expectanda curatio. Ut qui propter noſtra graviſſima peccata nos tam graviter vulneravit, per ſuam clementem miſericordiam & nominis ſui gloriam, nos tandem pia dignatione reſpiciat, nos adjuvet, ſalvet, & liberet.

Absq; divino auxilio omnis Ecleſ. emendatio fruſtranea.

Satis enim longo experimento didicimus, quantum absque illius adjutorio, humana conſilia, humanæ cogitationes, induſtriæque poſſint. Convenimus, modos pacis quæſivimus, vias aperuimus, ſubtili diſputatione multa tractavimus, tot labores & remedia noſtro judicio fructuoſa tentavimus. Et quid omnibus his ad morbi medelam profuimus? Cum ex cunctis noſtris laboribus perplexior morbus atque implicatior indies emerſerit.

Concilio Conſtant. melior præſcripta regula.

Aſſeſſores Conc. Cōſtantienſ. quales eſſe debuerint.

Proinde ſi volumus efficaciter ad hujus peſtis abductionem laborare, alio decet nos ordine, *in hoc Concilio*, quam in aliis eſt hactenus actum, procedere. Non etiam ſunt ad hoc opus mittendi, qui magis per ſuas *cupiditates* rem turbarent, quam aliquo pacis ſtudio adjuvarent. Sed homines *ab ambitione* maxime *alieni*, & Zelo Dei atque Unionis ex ſinceriſſima *charitate* affecti. Qui *non blanda aſſentatione propter quæſtum Pontifices palparent*, non *partium* foverent *ſtudia*, ſed concordiæ ſalutaris amarent fœdera, *ſuorum* etiam *obliti commodorum*, ſolam Eccleſiæ utilitatem cogitarent.

Ambitio & aſſentatio inter Aſſeſſores Concilii Conſt. regnaverūt.

Quis enim ſperet, unitatem ſpiritus in vinculo pacis, inter tantas *ambitiones*, & peſtiferas *aſſentationes*, poſſe recuperari? Non ſolet his artibus ſpiritus ſanctus, pacis auctor & conciliator, invitari, ſed magis profecto expelli & effugari. Ad illos venit pax cum Sancto ſpiritu, qui illam concordi quærunt charitate. Unde de Apoſtolis dicitur, quando venit ad eos Spiritus ſanctus: *Et invenit eos concordes charitate.*

Charitas

Quamvis enim *in ſententiis* poſſint eſſe plærique diſcordes, in *charitate* tamen debent eſſe univerſi *concordes*, id eſt, univerſi ex charitate ad concordiam niti. Qui enim *ex ſincera charitate* concordiam quærunt, non inflata & pertinaci animoſitate ſuas ſententias defendunt, non ſe aliis in ſenſu aut ſapientia præferunt, nec ſua lucra, ſuam gloriam, ambitioſe quærunt. *Hi conciliis merito intereſſe deberent.* De *charitate* quippe ſcriptum eſt: *Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, ſed omnia ſuffert.* Tales ſpiritus Sanctus viſitat, talibus aſſiſtit, tales illuſtrat. Unde poſt verba ſupra memorata: *Et invenit eos in charitate*, continuo ſequitur: *Et illuſtravit eos inundans divinitas deitatis.* Divinitus autem illuſtrati quid rectum ſit, quid verum, quid ſequendum, quid fugiendum in negotiis vident. Quod alii pulvere ſuæ cupiditatis excœcati ſæpius videre nequeunt. Propterea talium ſententiis & ſaluberrime acquieſcitur, & pernicioſe reſiſtitur. Quibus reſiſtere, quid aliud eſt, quam Spiritui Sancto, qui eorum ore loquitur, reſiſtere. Talibus enim illa vox Chriſti ſicut & Apoſtolis dirigitur: *Non enim vos eſtis, qui loquimini: Sed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

Cōcordia in Concilio quæſita principium.

Devotio in Deum futuris Concilii Conſt. mēbris commendata.

Ut autem qui *concilio ſunt interfuturi*, vera poſſent ad unionem charitate tendere, ſumma ſe deberent cura diſponere, conterendo, confitendo, & à peccatorum inquinamentis *conſcientias emundando*, ne fœdum aliquod aut malevolum in eorum cordibus inveniat, quo merito offenſus ab eis avertatur. *Spiritus enim diſciplinæ fictum effugiet: Mundus enim & incoinquinatus*; ut *lib. Sap.* de eo ſcriptum legimus.

Miſſa & processiones in Cōcilio nihil juvāt absque cordis puritate.

Quare mundum & bene purgatum requirit hoſpitium. Nonne autem fictus eſt, qui ſe mundum, juſtum, pacis amatorem, foris ſimulat, intus autem ſordidus eſt, perverſus, iniquus, mendacii ac diſcordiæ ſeminator. Si maxima pœnitentiæ diligentia ſe purificare laborat, qui ad Chriſti eſt communionem acceſſurus, quamobrem non æquali cura cor diluere ſtudeat, qui Spiritum Sanctum cordis domicilio ſuſcepturus eſt? Quid Miſſæ, quid publicæ proceſſiones, niſi ad illius ſuſceptionem ſint cordium habitacula præparata? Quid eſt aliud gratiam Spiritus Sancti

invo-

Digitized by Google

Preces publicæ & multæ cantiones in Concil. inutiles absque conſcientiæ munditia.

invocare polluta & indigna conſcientia, niſi illam voce petere, moribus excludere? Non voces canoras exaudit vel attendit Deus, ſed mentes decoras, non harmoniæ ſvavitatem, ſed conſcientiæ puritatem.

Pœnitentia totius populi Chriſtiani optimus ad Conciliũ apparatus. Devota jejunia proceſſionibus publicis meliora.

Nec ſolùm ad hanc feliciſſimam unionem poſtulandam, riteque a Deo impetrandam, debent ſe illi hoc modo præparare *ſoli, qui in concilio futuri ſunt*, ſed *ubique* catholicum *populum* debent ad ſimiliter agendum prælati compellere. Et inſuper Sanctorum Patrum more ad jejunia & abſtinentias & alias afflictiones excitare, & poſt hoc ſolemnes proceſſiones ad cœleſtem iram placandam miſericordiamque implorandam inducere. Quibus fidelium congregationibus, in ſingulis civitatibus & oppidis, concilium conſummaretur.

Regum ac Principũ in Conc. præſentia neceſſar. Pompam magnatũ in Concil. Conſt. diſſvaſit Clemangius.

Reges ac *Principes* æquum puto adeſſe, non quidem in regio faſtu, verum in ſimplici, atra & lugubri veſte. Sicut de rege Ninivæ legimus, quod ad divinam placandam iram, quæ civitatis everſionem propter illius peccata minitabatur, ſurrexerit de ſolio & abjecerit veſtimentum & cum aliis plebeis indutus ſit ſacco. Quæ humiliatio tantum apud Deum valuit, ut denunciatum intra quadraginta dies urbis excidium averteret.

Principũ preces penetrantiores.

Principes ſiquidem, quanto propter auctoritatem, pompam, & faſtum, dignitatibus ineſſe ſolitum, majora & plura committunt, tanto illos in publicis cladibus, quæ ſæpe propter illorum peccata mundo inferuntur, maxime *humiliare* convenit. Quorum etiam *deprecationes*, ſi ex humili & contrito ſpiritu proveniant, DEUS magis attendit & magis ponderat. Quia ſicut *perſona publica* ſunt, ita *publica* quodammodo habent *vota* & *preces publicas*. Et propterea *illorum preces*, ſi dignæ ſunt exauditione, *facile & cito Deus exaudit*. Sicut rogante David lues dira, quæ propter populi numerationem ipſum populum vaſtabat, illico conquievit.

Hæc ad te *de Synodi celebratione* calamo & cogitationi occurrentia ſcripſi, nihil aliud præ manibus habens, quod utilius hoc tempore ſcribendum cenſerem. Quæ dictu & ſcriptu parum utilia ſunt, niſi facto & opere exequamur. Nempe ſolia verba & literæ ſunt, fructus autem in exercitatione eſt.

CAP. IV.

De calidis CLEMANGII *lacrymis, quibus ipſum* Conſtantienſe Concilium *devote obſecrat, injectis Synodo variis impedimentis ab inſtituto bono ne abſtrahi ſe ſinant; additis ad perſeverantiam impenſis precibus.*

SIc poſt multas Pontificum artes eluſas *inchoatum* tandem *Conſtantienſe Concilium*, tribus *Pontificibus*, ſi non reluctantibus, *ægre* tamen *ferentibus*. Quippe qui clare præviderent, de ſingulis actum fore. Qui minus in his ſibi perſvaſerat, Papalem ſuam autoritatem ſibi iri ſubtractum, Concilii decreto, *Johannes XXIII.* dubiam primus experiri fortunam debebat. SIGISMUNDO CÆSARI & *Principibus* atque *Magnatibus* negotium Eccleſiæ ſalutariter conſulendi erat relictum, quod Pontificum quisque deſeruerat aut frigidisſime tractabat.

Cum in fuga ſalutem quæſiviſſet *Johannes*, alter abſens Papa *Gregorius*, precibus & decretis ad deponendam ſponte infulam di-

gnitatemque Papalem per Concilium invitatus. Quod ſolenniter per Commiſſarium in Concilio præſtitit.

Ad tertium *Benedictum* ſede movendum, cum omnia conferrent conſilia, omnes admoverent machinas, Imperator Sigismundus & reliqui Reges atque Principes nodos deprehendere viſi ſunt Gordios. Donec & hos animo imperterrito ſcinderet Sigiſmundus, in graviſſimo hoc prælio victorioſiſſimus.

Protrahebatur interea Concilium in multos annos, *differebatur quotidie longius præcipuum in Concilio Reformationis Eccleſiaſticæ negotium* : Quod autoritate exuti iſti Pontifices per cuniculos varios ſubruere atque evertere contenderent Concilium. Illorum enim artibus effectum, ut non ſine armis inſidiæ, Johannis præſertim, reprimi, ac integritas Concilii conſervari poſſet, quod dira prælia cum Friderico Auſtriæ Duce ſub Concilio geſta teſtantur. A Benedicti partibus abſtrahi non poterant Reges Hiſpaniæ, cum multis viris magnis in Gallia & Hiſpania. Neque inſidiarum Concilio poſitarum finis futurus, niſi Sigiſmundus Imperator ipſe in Galliam & Hiſpaniam ſe contuliſſet, ac ſacro ſuo ore pectora Regum ſacratiſſima emolliviſſet, atque in Concilii conſenſum pertraxiſſet.

Quod igitur ingentes illi fluctus in vicino Conſtantiæ mari Potamico, tempeſtate per Johannem XXIII & aſſeclas excitata, imo & turbine in Hiſpania per Benedictum aucto, Conſtantienſe Concilium inundare atque abſorbere velut diluvio viderentur, ut ſpes fructus, pacis ac reformationis, elui è Concilio dilato ac disjecto præſentiſſimum eſſet periculum, teſte *Theoderico Vrie*, *lib.* 7. Non deſtiterunt viri boni animum addere Concilio, ne adverſitatibus illis ſe frangi, & ſalutare Reformationis Eccleſiaſticæ propoſitum manibus ſuis excuti ſinerent.

Externis his impedimentis ac reformationis in Concilio quæſitæ remoris interna atque *inteſtina concilii* accedebant ſi non bella *disſidia* tamen. Quod enim *Imperator* cum *Principibus* primum *Reformationem* urgerent, dein ad novum Pontificem eligendum pergendum eſſe affirmarent: Magna pars male ſibi conſcia in clero vehementer huic ſaluberrimo ordini adverſata, non reformationem prius ullo modo admiſſura, quam novus eſſet Pontifex creatus, lites & rixas moverunt inter clamores & ſtrepitum. Non præteriit noſter *Vrie* in *Hiſt. Conc. Conſt. lib.* 7. *c.* 8. *f.* 194. venenum hoc inteſtinis Concilii mediis malis artibus infuſum. *Satan*, inquit, *veriſſime in congregatione Conſtantienſi cognoſcitur gverras & rixas concitare, ne inter ſe concordare valeant, ad quos* ſanctæ reformationis onus & opus *ſpectare videtur. Sunt enim alterius contra alterum clamores, jurgia, contumeliæ, & hujusmodi, quæ ſine diabolico inſtinctu eſſe nequaquam poſſent. Per quæ tantum* REFORMATIONIS NEGOTIUM IN CAPITE ET IN MEMBRIS SUMMOPERE RETARDATUR.

His obſtaculis, quo minus ſalutaris Concilii finis obtineretur, removendis omnem operam adhibuerunt, ut potuerunt, cum

Sigis-

Sigiſmundo & Magnatibus, viri quique cordati, etiam extra Concilium degentes. In his & *Clemangius* extitit. Qui ad perficienda ardua cœpta Concilio calcaria ſubdebat, ſequenti ad Synodum hanc univerſalem, Conſtantiæ congregatam, perſcripta epiſtola. Cujus inſcriptio in MSCto Wolfenbuttelenſi hæc eſt: *Ad Concilium Generale, Conſtantiæ celebratum Epiſtola Exhortatoria, pro Eccleſiaſtica unitate laborandum.*

Teneriorem ſimul affectum in Benedictum Papam haud obſcure prodidit Clemangius, etſi palam negare videretur. Quandoquidem Concilii Conſtancienſis decretum: Ex tribus illis remotis Pontificibus non eſſe quenquam ad Pontificatum iterum eligendum: Clemangio admodum inviſum, reprehenſionem ejus non effugit. Speraſſe namque videtur, Benedictum, ſuum antea herum, ſibique ſemper carisſimum, cum duobus ceteris ſede motum, iri repetitum ac reſtitutum. Quod pio dandum affectui. Sed en os ardens Clemangii calamumque calentem.

Concilio Generali Conſtantiæ celebrato Clemangius.

NIſi me, *Patres in Chriſto Venerandisſimi*, ardor maximus *unitatis Eccleſiaſticæ*, meis jamdudum præcordiis altius infixus, continuisque animum meum fodiens ſtimulis, & *extrema* quædam, ut ita dicam, *necesſitas*, ad ſcribendum *veſtris clarisſimis paternitatibus*, impellerent: Nequaquam meæ parvitatis humilitas tale quicquam aggredi præſumeret. Sed *nihil eſt quod amor non vincat.* De quo vere dictum eſt:

Clemãgii Zelus pro Concilii Conſtantienſis ſalute.

Omnia vincit amor.

Nihil quod non amor audeat. De quo alius dixit:

Audacem faciebat amor.

Nihil quod non Zelus ardentior, intima corrodens viſcera, *extorqueat.* De quo ſcriptum eſt: *Zelus domus tuæ comedit me.* Et iterum: *Tabeſcere me fecit Zelus meus.*

Audaciã deprecatur Clemangius quod Concilio Conſtantienſi regulas videatur præſcribere.

Parcetis itaque, *patres clementisſimi*, meæ ignorantiæ meæque audaciæ, quod ad *cœtum veſtrum gloriosisſimum & ſapientisſimum* mea inſulſa non pertimui mittere ſcripta. Quanquam abſit ut ad docendas *Veſtras perſpicacisſimas intelligentias* talia dirigam, quas & cœleſtis, ut pie credendum eſt, unctio, & doctrinæ uberioris fœcundiſſima notitia, de omnibus excellentisſime inſtruunt. Ad pauca quædam, quæ animo *de pace eccleſiæ* cogitanti pro præſenti rerum ſtatui occurrerunt, ad remque pertinere viſa ſunt, ſolertiis ſpiritualibus inſinuanda, per illasque dijudicanda, (ſi tamen non auribus veſtris indigna ſunt,) illa tantum transmitto. *Spiritualis* enim, ut ait Apoſtolus, *omnia judicat, & ipſe a nemine judicatur.* Ubi autem ſpiritum, qui omnia ſcrutatur, etiam profunda DEI, virosque ſpirituales invenire poterimus, ſi in *Veſtra ſancta congregatione*, ſpiritu ſancto coadunata, inventi non fuerint?

Ne autem longius plus juſto ſumam exordium, paucis quod dicere inſtitui explicare conabor.

Difficile Concilii Cõſt. negotium, diſſidiorum in Eccleſia cõpoſitio.

Neminem imprimis opinor mirari oportere, ſi grave atque tædioſum eſt plærisque Veſtrum, quod *unitatis Eccleſiaſticæ* negotium, *ſchiſmatisque* inveteratiſſimi conſtantem *extirpationem*, cujus gratia conveniſtis, maturius expedire non poteſtis. Veſtrum tamen erit, viri optimi, his in rebus induere fortitudinem & conſtantiam, ut nulla vos terreat adverſitas, nulla frangat deſperatio, turbet difficultas, vincat labor, ſuperet tædium, metus ſuccumbere

Ad conſtantiã in bono capto Concil. hortatur Clemang.

bere faciat. Nulla denique tempora, morarumque diſpendia, veſtras à tam *glorioſo cœpto* longanimitates ante rei ſuſceptæ perfectionem quomodolibet avertant.

Succeſſus Concilii Conſt. à Deo expectandus. Non artes humanæ difficultatib' publicis mederi poterant.

Radix autem *ſpei Veſtræ* non in Vobis ſita eſſe debet, ſed in divinæ pietatis ac opis ſuffragio. Quæ vulnerat & medetur, percutit & ſanat, non in humano ſubſidio vel conſilio, non etiam in ingenioſa ſubtilitate, ſcientiarum fœcunditate, argumentorum callididate, verborum compoſitione, lingvarum volubilitate, contentionum certamine, ſed in cœleſtis auxilii clementiſſima miſeratione, quæ ſuam Eccleſiam non derelinquet, neque obliviſcetur in finem.

Lites, doli, fraudes bonū propoſitū Cōcilii valde turbarunt.

Tentavit jam multis artibus, multis inſidiis ac machinamentis, antiquus ille Zizaniorum ſeminator, *concordiæque & pacis hoſtis*, quemadmodum audio, & ſatis credo, inter Vos ſuum virus peſtiferum infundere, Veſtrumque *ſanctum propoſitum*, plurimis *dolis ac fraudulentiis eludere:* ſuum de agro dominico vipereum ſemen eradicari permoleſte ferens: Nunc quidem *a principali vos abducendo materia*, ad aliasque jurgioſas & certaminibus plenas attrahendo, nunc difficultates alias, variis ex cauſis ac motibus erumpentes, ingerendo. Et ſatis eſt veriſimile, illum *fraudis ac nequitiæ artificem* non adhuc quieturum, ſed aliis inſuper *aſtutiis ac calliditatibus*, quantumcumque ſibi fas fuerit, rem perturbaturum. Sed Veſtrum eſt, in omnibus his *obſtaculis ac difficultatibus*, illius Veſtra ſapientia vincere malitiam, Apoſtolumque audire monentem: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum:* Summaque cura ac ſollicitudine ad id operam dare, ne *Veſter celeberrimus conventus, pacis reformandæ gratia congregatus*, ſine concordiæ adepto fructu diſcedat. Quod ſi factum fuerit, nec impoſterum de illa ſperare licebit. Speſque ſimul cum cura excidet unicuique videndæ unionis.

Admonētur Concilii Conſt. patres ad cōſtantiā.

Ergo, *patres optimi*, patres ſancti, patres incliti, *conſtantes* eſtote, & videbitis auxilium Domini ſuper Vos. O pii Paſtores Eccleſiæ, principes populorum, columnæ & baſes ſolidæ tabernaculi, dulces olivæ, pacis nunciæ, orbis ſalus, mundi lumina, domus DEI fulcimentum, quos in unum DEUS Abraham congregavit ad illuminandum hos, qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, & ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Doceant Vos in agendis futuris præterita exempla, rerum experientia eventu comprobata. Qua nullum poteſt eſſe evidentius argumentum. Si itaque boni & fervidi *Eccleſiaſticæ reconciliationis* æmulatores eſtis, ſicut, non dubito, eſtis, nihil Vos ab illa quærenda & quovis modo aſſequenda retardare debet atque avertere. Sed rejectis quibuscunque aliis rebus intercurrentibus, ad illam velut ſignum ſagittæ ſemper oculos mentis veſtræ intentos habere debetis. Omnes aliæ Vobis ſunt curæ, quæ illi rei poſſunt obſtare, repellendæ, quæque ab amplexu quietæ contemplationis ſpiritualique exercitio Magdalenæ avellunt, & nimis cum Martha de temporalibus rebus ſollicitos faciunt.

Excitantur Conciliares exemplo viatoris boni.

Proponite quæſo Vobis, *Patres chariſſimi*, in Veſtro ad hanc metam progreſſu *exemplum* diligentis ac *boni viatoris*, qui expoſito ſibi loco vel termino ad quem eundum erit, ſi per expeditam non poteſt viam ad illam venire, per aſpera quæque itinera illuc tendere ſtudet, montes, rupes, rapidos amnes, invias ſolitudines exuperat, & per quælibet obſtantia ad deſtinatum ſibi locum erumpit. Non unicam habet pater Iſaac cœleſtis benedictionem, qua ſuæ poſſit eccleſiæ ſubvenire. Multas proculdubio habet cœleſtis Medicus ille artes & ſanandi vias, quas diligenter quærentibus concedit, pieque pulſantibus aperit. Si res Vobis in aliqua tentata via ex ſententia non ſuccedunt, nec res ipſas Veſtris conſiliis ac voluntatibus accommodare poteſtis, Veſtros potius ad alias animos aptate. *Si non poteſt fieri quod vis, id velis quod poſſis*, ait quidam.

Conſilia patrum in

Non in rebus arduis ac difficilibus imutabilia debent eſſe conſilia, ſed pro rerum

Digitized by Google

Concilio Conſt. varianda pro rerum & temporum circumſtantiis.

rerum temporumque varietate varia atque mutabilia eſſe. In morbis enim Politiarum, pro rerum & temporum varietate neceſſe eſt curam adhibere, ſicut in morbis corporum. Inde eſt illud quod Philoſophi dicunt, *regulas bene gerendæ reipublicæ, non Lacedæmonias ſed Lesbias*, id eſt, *non ferreas*, ſed *plumbeas* eſſe oportere, ut huc atque illuc, prout rerum qualitas exigit, flecti ac torqueri valeant. Ad quod etiam virtus reſpicit, quam Græci vocant ἐπιείκειαν, in qua totius juſtitiæ vis ſumma conſiſtit.

Calcar ad disſidia Pontificũ componenda.

Ponite ante oculos veſtros, Patres egregii, vobiscum ſedulo verſate, quantum apud Deum meritum, qualem apud mundum honorem, qualem laudem, qualem gloriam, qualem apud poſteros æternæ famæ memoriam critis adepti, ſi ramos virentis olivæ, pacis indices, ſchiſmatis peſtilentiſſimi ſiccato diluvio, ad arcam Teſtamenti & ſanctificationis, quæ ſanctæ eccleſiæ typus eſt, cum columba reportaveritis. Nec conſiderare ex adverſa parte omittite, quale erit, quam Vobis turpe, quam Eccleſiæ exitiale, quamque funeſtum, ſi inter tam *multos pacis modos*, qui me fugiunt, non ſolum ſine ſolida pace diſceſſeritis, ſed pace ipſa rurſus excluſa, per *novam electionem*, ſicut jam antea vidimus, novum ſchiſma conflaveritis. Quod à Veſtris & mentibus & conſiliis & voluntatibus, piiſſima DEI clementia, noſtris tandem malis propitiata, dignetur avertere.

Novã Põtificis electionem in Concilio Conſt. diſſuaſit Clemangius.

Unum eſt quod plærique vulgo jactant per vos fuiſſe conſtitutum, ſed non facile adducor ut credam, Vos videlicet decreviſſe, ut *nemo illorum qui de Pontificatu contenderunt in ſummum poſſit eligi Pontificem.* Numquid, *Patres*, exploratum habetis, ſuper quem ſors ſpiritus ſancti ferenda ſit? Aut numquid æquum eſt, ipſi Spiritui Sancto, qui ſacris electionibus pie invocatus adeſſe conſvevit, menteſque eligentium prævenire ac dirigere, Vos legem ponere, terminum ſtatuere, limitem præfinire, ut non de perſona qua voluerit, aut quæ ſibi placuerit, electoribus adſpiret? De quo ſcriptum eſt: *Spiritus ubi vult ſpirat.* Quid eſt, humano arbitrio velle in electionibus ſpiritum arctare, niſi ipſum inde excludere? Porro ſi certa & irrefragabilis eſt Apoſtolica ſententia: *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas:* Audite rurſum, quid ad Vos idem loquitur Apoſtolus: *Vos in libertate vocati eſtis fratres; Videte tamdem, ne libertatem in occaſionem detis carnis*, hoc eſt, carnalium affectionum. Dicite quæſo, nonne poteſt caſus accidere, qui forte jam in manibus eſt, ut niſi unum ex illis eligendo concordiam habere nequeatis? Quo in caſu, facile eſt unicuique videre, quid utilius ſit, illumne eligere an ſine pace diſcedere.

Decretũ Concilii Conſt. Neminem ex tribus illis Pontificibus remotis iterũ eſſe Papã eligendũ, improbat Clemangius.

Teſtor autem coram DEO, & tremendo judicio ejus, non hæc in favorem cujuscunque perſonæ, ſed in langventis eccleſiæ miſerationem me dicere, quæ raptim ſatis & properanter effudi. Quare obſecro, ut minori rerum digeſtioni ſermoniſque decori, Veſtræ dignentur paternitates ignoſcere, & ſinceram mentis intentionem magis quam verba delibrare.

CAP. V.

De graviſſimis CLEMANGII *monitis, legitimum ac decentem ſanciendi, decernendi ac definiendi, conſtitutionesque in Eccleſia formandi modum in Conſtantienſi Concilio eſſe obſervandum, neque citra autoritatem Scripturæ S. & abſque ratione quidquam Eccleſiæ præſcribendum. Reformationem inprimis Eccleſiæ univerſalem ante novi Pontificis electionem præcedere debere.*

INtegritas *Clemangii*, eminus, in Gallia, facta & fata Conſtantienſis Concilii obſervantis, non admiſit eum quieſcere ac tacere, cum animad-

nimadverteret, nonnulla iri decretum, quæ vel cum Scriptura S. vel ratione haud convenirent.

Quapropter illorum criſtas tangit, qui ſibi perſvaderent, fas eſſe quidvis in Concilio decernere, Eccleſiæ injungere, ſive cum Scriptura S. cogrueret, & primæ Eccleſiæ praxi, rationeque niteretur ſolida, ſive minus.

Qua occaſione *Scripturæ S. autoritatem* atque *prærogativam* egregie vindicat: Docetque *ſuperiorem eſſe Scripturam S. Eccleſiâ.* Dubia ſive ex Auguſtino ſive aliunde objecta docte & nervoſe ſolvit. Eccleſiam in terris in definiendis ſtatutis, in judiciis ferendis, uti & in moribus ſuis, non omni carere labe vel infallibilem eſſe.

Sic *decretorum Concilii Conſtantienſis autoritatem* examinat. Temeritatem definiendi improbat in illis, qui verum ordinem ſervari nollent. Imprimis *ambitionem aſſeſſorum* reprehendit.

Inter omnia conſtantiſſime urget, nihil prius neque antiquius in Concilio Conſtantienſi Aſſeſſoribus eſſe debere, quam *Eccleſiæ mores depravatiſſimos emendare.* Neque fas eſſe ad novi Pontificis electionem in Concilio procedere, quam deſideratiſſima prius *Eccleſiæ reformatio* ſuſcepta & confecta eſſet. Sentiebat enim ſatis abundeque Vir perſpicaciſſimus, pleroſque in clero maxime ſuperiori illius temporis, nihil magis reformidare, adeoque nihil ſollicitius declinare, quam ſui Eccleſiæque totius reformationem. Indeque omnibus viribus eo contendere in Concilio, ut hoc argumento præcipuo diſſimulato vel dilato, ad novi Pontificis electionem procederetur. Huc omnes artes, omnes machinæ compoſitæ.

SIGISMUNDI IMPERATORIS primus atque *præcipuus* hic fuerat *ſcopus* colligendi orbis Chriſtiani antiſtites Conſtantiam, *ut mores Eccleſiæ corruptiſſimos emendaret.* Teſtis locupletiſſimus noſter *Urie*, qui millies hoc monuit ac poſteritati commendavit. *Gebhardus Dacherus*, ſupra in *Præfatione hujus Partis II.* eandem *Sigismundi Cæſaris* curam, ſollicitudinem, ac emendandæ in Concilio Eccleſiæ flagrantisſimum deſiderium, ingenue profeſſus eſt. Verùm religioſisſimus *Imperator* religionis finem obtinere per religioſos haud ſuſtinuit.

Conqueſti de hac arte, qua optimam *Cæſaris Chriſtianisſimi* intentionem eluſiſſet clerus, omnes boni, viri omnium ſtatuum ſinceri atque prudentes. Monere interim abſque mora & abſq; tædio placuit, publice privatimque, viris cordatis tum Patres Concilii, tum alios quosvis, hoc opus ſibi commendatisſimum haberent, & *emendationem* ne abjicerent. *Petrum de Aliaco, Cardinalem*, hoc illo tempore ſerio agentem, audiemus infra. Clemangius hic audiendus. En ergo *ex MSCto Wolffenbuttelenſi* geminam Clemangii epiſtolam, quarum hæc inſcriptio: *Collatio per ſcriptum habita ſuper materia concilii Generalis cum quodam Scholaſtico Pariſienſi.*

CLE-

CLEMANGIUS
ad Pariſienſem Profeſſorem
De Generalis Concilii Conſtantienſis decretis.

Autoritas Eccleſiæ nõ nimis eſt extollẽda.

LIcet *eccleſiæ militantis authoritas* ſit maxima, quæ, fundata ſupra firmam petram, convelli non poteſt, & adverſus quam portæ inferi prævalere nunquam poterunt: *Non illi tamen nos oportet*, ut videtur, *triumphantis eccleſiæ titulos aſcribere*, ut *infallibilis* ſit aut *impeccabilis*: *Quæ ſæpe*, ut noſti, *& fallit & fallitur*; Non dico in his, quæ *fidei* ſunt, cum Chriſtus ad mortem properans, de illa ad Petrum dixit: *Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: Sed in aliis, quæ vel *facti* ſunt, vel *morum*, vel *judiciorum*, in quibus *propter circumſtantiarum infinitam varietatem ac multidinem* perdifficile eſt optimi ſemper medium attingere.

Eccleſ. in terris non eſt infallibilis.

Eccleſia ſæpe & fallit & fallitur, in factis moribus & judiciis.

Si igitur aut *moralia* ſint, aut *judicialia* iſta *concilii acta*, cum *in talibus falli poſſit eccleſia*, non abſurdum videtur fuiſſe, ſi *ad argumentum majoris firmitatis* aliqua ſimilium *exempla*, vel de ſcripturis canonicis proferrentur.

Concilii Conſt. decreta, vel moralia l. judicialia, rationibus probanda fuerant.

Si autem omnia *acta concilii* fidei definitiones ſunt: Cum nonnulli, ut fama vulgavit, multa ex adverſo producant ſanctorum patrum ac ſynodorum decreta: Vide quale fuerat, pendente adhuc ſchiſmate, in tantarum rerum opinionumque varietate, doctiſſimorumque hominum controverſia, *tot fidei conſtituere articulos*, ubi non ſolum conveniens, ſed neceſſarium mihi fuiſſe videtur, alias ſaltem *conſtitutiones* vel *determinationes*, *quæ ab aliis in contrarium adduci* dicuntur, in partem veritatis & fidei interpretari oportuiſſe, & non iſtis eſſe contrarias oſtendi debuiſſe: Ne alias in materia fidei ipſa erraſſe videretur eccleſia, contraria determinando.

Concilii Conſt. decreta non faciũt fidei articulos.

Quod enim dicis: Patrum decreta rationi non inniti ſolere: Certe cum tua venia, *ſi fidei negotium eſt*, vel materia contentioſa, *rationibus maxime ex ſcriptura ductis*, vel ex ſanctorum patrum definitionibus, inniti conſveverunt: A quorum veſtigiis, niſi legitima graviſſimaque ratione adducti, non ſolent diſcedere. Quamobrem, ſi contraria eos contingat ſtatuere, explicare non omittunt, ne gratis & voluntarie in rebus arduiſſimis locuti videantur, Sanctorumque Patrum decreta ſine cauſa mutaſſe.

In negotio fidei non absq; ratione quid ſtatuendũ in Cõcilio.

Sed jam venio ad verbum *Auguſtini* quod commemoraſti, quo *eccleſiaſtica authoritas* videtur maxime extolli atque fulciri. *Evangelio*, inquit ille, *non crederem, niſi me authoritas eccleſiæ compelleret.* Mirum ſane prima ſpecie videtur, quod *authoritas* peregrinantis in terra *eccleſiæ authoritati* videtur *evangelii anteponi*: Cum in multis illa falli poſſit, illud omnino & nequaquam poſſit, & cum ipſius eccleſiæ authoritas, quantum ad ipſius radicem & fundamentum, ex Evangelio maxime conſtet: Imo ipſius inſtitutio, poteſtas, ædificatio, non aliunde tam expreſſe & certitudinaliter, quam ex ipſo habeantur evangelio.

De autoritate Eccleſiæ ſententia Auguſtini exponitur.

Eccleſiæ autoritas nõ eſt major autoritate ſcripturæ.

Non certius autem videre poſſumus de *eccleſia* atque *evangelio*, *quod altero excellentioris ſit authoritatis*, quam ſi demus, fieri poſſe, ut aliquid evangelio contrarium conſtituat eccleſia. Quod utique ſcio fieri non poſſe, ſed fingamus, gratia melius enucleandæ veritatis, fieri poſſe: Putas ne, in caſu illo Auguſtinum *pro eccleſiaſtico ſtatuto fidem fuiſſe evangelii rejecturum?* Equidem non facile crediderim, doctorem illum acutiſſimum atque excellentiſſimum hoc fuiſſe facturum, aut per illa hoc verba ſenſiſſe, præſertim cum de fide evangelii Paulus dicat: *Si quis etiam angelus de cœlo aliud vobis evangelizaverit,*

Eccleſiaſticũ ſtatutũ fidem Evãgelii tollere nõ debet.

zaverit, *anathema ſit*: *Aliud*, inquam, id eſt, contrarium. Scripta quippe ſunt ab Auguſtino verba illa, niſi me fallit memoria, in libro cujus titulus eſt, *Contra epiſtolam fundamenti Manichaeorum.* Manichæi autem, contra quos ibi agit, ſacras ſcripturas pro arbitrio ſuo, non pro eccleſiæ catholicæ ordinanatione, vel acceptandas ducebant, vel repudiandas. Vetus pro majore parte teſtamentum non admittebant, evangelio credi volebant, epiſtolas Pauli multis adjectis & detractis à falſariis quibusdam corruptas dicebant. Multaque ſimilia deliramenta ſine ratione, ſed ſola voluntatis ſuæ perverſitate, de ſcripturis confingebant. Ut igitur doceret Auguſtinus, non ex voluntatis arbitrio, ſed ex Eccleſiaſtica inſtitutione, canonicas ſcripturas recipi oportere, illa verba, mihi videtur, quantum recolere datum, poſuiſſe: *Evangelio non crederem, niſi me authoritas eccleſiæ compelleret*, hoc eſt, evangelio tanquam ſcripturæ canonicæ non crederem, vel *Evangelium Canonicam eſſe ſcripturam non crederem, niſi eccleſiæ authoritas ad hoc me compelleret, quæ illud intra corpus canonis habendum cenſuit, cui ſoli eſt illa authoritas attributa, ut poſſit ſcripturas canonicas facere*, & cui à quolibet fideli in hoc credi debet atque obediri. Scripta ſunt à pleriſque ſub aliquorum apoſtolorum aliorumque fidelium nominibus multa evangelia, de quibus etiam meminit Lucas in prologo ſui evangelii: Sed tum propter authorum incertitudinem, tum quia non uſquequaque vera erat illorum narratio, non immerito inter *apocrypha* per eccleſiam deputata ſunt, & à canonica catholicaque authoritate prorſus excluſa.

Canō ſcriptura ex Eccleſiaſtica inſtitutione.

Deinde quod poſtea addis, *certiorem eſſe habitum fidei quam rationis*, & ſi non evidentiorem, fateor *apud fideles veros* verum eſſe, quod dicis, captivantes (ut inquit Apoſtolus) omnem intellectum in obſequium Chriſti ac ſuæ fidei. Qui profecto prius diſcederent à ratione quam à fidei authoritate, ſi utraque invicem concordare non poſſet. Sed *non omnia quæ eccleſia conſtituit, fidei ſunt*, & plerumque etiam cum fidei ſunt, à ratione non diſcrepant.

Fides certior ratione apud veros fideles.

Illud quoque quod ex *Lactantio* adducis: Ea, *quæ divinæ authoritatis ſunt, cum ratione probante tradi non oportuiſſe*, ne per inductam rationem minueretur dicentis authoritas, ſimilem habet reſponſionem. *Non enim tanquam fidei articuli ſunt amplectenda quæ Eccleſia ſancta determinat, utpote quæ aliquoties determinavit, quod in fidei materia non eſſet conveniens.*

Nō omnes Eccleſiæ cōſtitutiones ſunt fidei.

Denique non ignotum tibi eſt, tum Chriſtum legiſerum noſtrum, tum ejus apoſtolos, in ſuæ legis ac fidei traditione ſæpe *tale genus probationis*, quale dicebam, ex ſacris veteris teſtamenti dictis patrum & prophetarum, in dictorum ſuorum confirmationem adhibuiſſe. Quo nullum nobis ad imitationem certius poſſumus exemplum proponere: Cum omnis illius actio & vita, noſtra certiſſima atque infallibilis ſit inſtructio.

Chriſtus & Apoſtoli ſua dogmata probarunt ex V.T.

Nec illud præterea te fugit, quod credo ex fonte illo imitationis Chriſti derivatum, quod noſtri *ſcholaſtici Theologi*, etiam ad illa quæ fidei ſunt *rationes* & *naturales* & *morales* quotidie adducunt, vel propter illos qui non fundatiſſimæ ſunt fidei, ſed ductu rationis in principio ad illam indigent attrahi, vel ne naturæ rationique contraria videatur fides imperare, ac per hoc ab illa, velut à re irrationabili atque inepta, puſilli plerique ac ſenſibus dediti, ad intelligibilia ac ſpiritualia non facile valentes aſſurgere, refugiant.

Scholaſtici etiam dogmatū fidei dant rationes.

Vides in Joannis evangelio ad ſermonem mulieris Samaritanæ plurimos ex civitate Samariæ ad Chriſtum veniſſe in eumque credidiſſe, qui poſthac in fide firmati dicunt illi: *Jam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audivimus & ſcimus, quod hic eſt vere ſalvator mundi.* Figurat autem, ut ajunt doctores, mulier iſta Samaritana *rationem* vel ſimilitudinem naturalem. *Samaria* quippe *conjuncta domino* interpretatur. Per naturalem vero rationem anima incipit domino per fidem conjungi. Quæ *ratio* rudes & novellos primum ad fidem ducit atque allicit. Cum

Rationibus mens hominis primum invitatur ad fidem.

Cum in ſacramentis fidei imbuti fuerint pleneque edocti, non jam *propter illam* credunt, nec illius ductu indigent, ſed illam potius tanquam viæ periti, nec ducem ulterius requirentes, repudiant. Sicque ſuæ fidei non evacuatur meritum, cui jam non humana ratio præbet experimentum.

Decreta concilii Conſt. probanda erant rationibus, tum propter objectiones, tum propter infirmos.

Non fuiſſet autem tam neceſſarium, *acta concilii* vel *per authoritatem ſcripturarum præcedentiumque conciliorum corroborari*, vel *eorum ſaltem rationem reddi*, ſi non aliqua in contrarium per doctos homines dicerentur *opponi*: Vel ſi omnes illi, quos reſpiciunt, aut ad quos ventura ſunt, ita eſſent humana ac divina ſapientia præditi, ſicut illi qui ea ediderunt. Sed cum iſta reſpiciant univerſam eccleſiam, & multa alia ſtatuta nonnullis iſtorum quorundam forte opinione videantur adverſari, credo conſultiſſimum fuiſſe, ſi rationes fuiſſent *doctorum adjectæ*, ut omni poſcenti ſuper illis rationem in promptu reddita fuiſſet, juxta doctrinam Petri apoſtoli, qui vult *nos ſemper paratos eſſe ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea quæ in nobis eſt fide.* Non rectum eſſe arbitrabatur princeps ille apoſtolici ordinis, *nos in eorum quæ fidei ſunt tractatione aut determinatione, abſque ratione & pro arbitrio loqui*, qui omnibus fidei noſtræ rationem deſiderantibus jubet eſſe paratam. *Non ſibi debent ſolis ſapere qui in ſynodo univerſali eccleſiam repræſentant, ſed ipſi toti eccleſiæ.*

Non pro arbitrio res fidei ſtatuenda in Concilio.

Temeritas conciliarium eſt, pro beneplacito cuncta definire.

Non debent inſuper, ut videtur, *qui concilium agunt*, pro fiducia ac libertate agendi quæcunque libuerit, nimis illi initi exiſtimationi: *Generale concilium ſumus, fidenter agamus, errare non poſſumus.*

Decretū Concilii Piſani falſum.

Sanxerunt ac definierunt qui *Piſano* interfuerunt *concilio*, atque ita promulgari fecerunt, per novam electionem, ad quorundam *ambitioſorum* inſtantiam præpropere factam, ſchiſma ſeſe ex eccleſia ſuſtuliſſe, pacemque reddidiſſe. Et quis in tota eccleſia tam cæcus fuit, qui non viderit, quantum & ipſoſmet & univerſam eccleſiam illa opinio fefellit?

Ad novi Pontificis electionē in Concilio Conſt. non fuerat ante procedendum, quā Eccleſia fuiſſet reformata.

Nihil procul dubio deterius, nihil eccleſiæ funeſtius agi poteſt, quam priuſquam omnia bene pacata pro ſecuroque pacis tractatu compoſita & concordata, ad novam procedere electionem. Quæ res & ſchiſma à principio fecit, & ſanctam dei eccleſiam incredibiliter attrivit. Quod quamdiu *beneficiorum aviditate* fiet, nunquam ſumus certam atque indubitatam eccleſiæ viſuri unionem. Et nihil, profecto eſt quod magis metuam, quam ne *in concilio iſto ambitioſi* ſua importunitate id fieri evincant, qui moleſtius ferunt, beneficia, quæ ambiunt, diutius vacare, quam ſanctam Romanam eccleſiam per hoc ſacrilegum ſchiſma funditus deperire.

Eccleſia Ro. collationem omnium in Eccleſia dignitatum male ſibi arrogavit.

Ambitio fons omnis mali in Eccleſia.

Mea autem fert opinio, *ſi eccleſia illa collationem omnium graduum eccleſiæ univerſalis nunquam ſibi arrogaſſet*, vel hoc ſchiſma nunquam in illa exortum, vel non tanto tempore perduraſſe. Sed ollam non ceſſat *Hieremias* ſuccenſam videre, quia *ardens* non ceſſat *ambitio* ad illius ſuccenſionem ignem pariter ac ligna ſubminiſtrare.

Nicolaus Clemāgiꝰ ſalubr. & ſecure rebꝰ eccleſiæ conſulere cupit.

Iſta volui tecum conferendo paulo latius explicare: Quia meam non ſatis potueras mentem per literas breves & curſorias perſpicere. Deum autem teſtem invoco non in calumniam aut ſugillationem alicujus hæc me dixiſſe, ſed pia & fideli æmulatione, qua *ſalubriter & ſecure rebus eccleſiæ cupio eſſe conſultum.* Vale.

Ad eundem Scholaſticum ſuper eadem Concilii Conſt. materia largior atque uberior collatio.

BEne admones de *generalibus patrum ſynodis* ſobrie loqui, conſultius eſſe exiſtimans frenos ori ponere, quam de illis temerario judicio quicquam definire. Scio me à te & à quovis alio, non modo de temeritate, verum etiam de inſania ac dementia jure optimo argui poſſe, ſi de

Digitized by Google

Actorum Conc. Cõſt. cenſor eſſe noluit aut judex Clemãgi9

actis generalis ſynodi vellem *definitor* aut *judex* fieri. Quis enim ego ſum, qui ſenſu tam parvus, doctrina minor, gradu atque authoritate minimus, de ſapientum eruditisſimorumque virorum ſententiis *cenſor* velim ac *judex* eſſe. Avertat à me altiſſimus tantam præſumtionem, tantamque dementiam. Non recte, amice chariſſime, mea verba accipis, meamque mentem tenes, ſi in his, quæ ad te noviſſime, gratia tecum habendæ collationis, à teque percipiendæ inſtructionis perſcripſi, *definitorie* me loqui velle credidiſti. Nam quia ſuper tuis prioribus literis aliqua apud me erant orta *dubia*, illa pro planiori intelligentia tecum quodammodo diſputando, ad tuaque aliqua reſpondendo, explicare volui, partim *ratiocinatione*, partim *catholicarum ſcripturarum authoritate* in contrarium adducta comminuere, quo ſic diſcuſſa obſcuritatis ambage ſplendor veritatis perſpicue magis eluceſceret, quæ per objecta plerumque nubila ſolet clarior erumpere. Ut nunqam falli poſſit illa ſententia, de ipſa in ſacris literis ſcripta: *Super omnia vincit veritas.* Denique non ob aliam cauſam in ſcholis atque gymnaſiiis telis ſolet argumentorum acrius oppugnari, niſi ut hoſtili exercitu per illam fuſo ac ſuperato, vis ejus certiſſima & prorſus invicta evidentius innoteſcat.

Dubia de Cõc. Conſt. decretis quibusdã Clemãgio ſubnata.

Veritas vincit omnia.

Vides, quantâ in illis ſcriptis diligentia quantoque ſtudio laboraverim nihil ex meo ſenſu vel judicio dicere, ſed ferè ad omnia *ſcripturæ teſtimonium* adhibere. Ut nihil poſſit à me profectum vel ſomniatum credi. Si quid ergo *ex ſcripturis* aut *ſanctorum dictis* objeci, quod forte *ſcrupulum* injiciat, vel *difficultatem* pariat, numquid propterea rem definire voluiſſe exiſtimandus ſum? Cum etiam illa quæ protuli teſtimonia tam certa atque irrefragibilia eſſent, ut rem ipſam definire viderentur, nullatenus *mihi* attribuenda eſſet illa definitio. *Non peto, per te vel quemcumque alium fidem aliquam meis dari ſcriptis, niſi quantum vel inconcuſſa ſunt authoritate firmata, vel ſolida ratione roborata.* Alioquin niſi his fuerint firmamentis innixa, quis ego ſum cui credi debeat? Ubi autem tali vallata ſunt munimine, non *mihi* in illis credi oportet, ſed *veritati* ſummæ, à qua verum eſt omne quod verum eſt. Ambroſio enim teſte, *omne verum, à quocunque dicatur, à ſpiritu ſancto* dicitur. Cui Ambroſianæ ſententiæ *Auguſtini* etiam verba conſonant, qui in *epiſtola ad Paſcentium* ita ſcribit: *Neque in nobisipſis, vel per nosipſos veraces ſumus, cum verum loquimur, ſed cum ille in ſervis ſuis loquitur qui ſolus eſt verax.*

Scrupulũ movere nõ eſt rem definire.

Non credendum ſcriptis, niſi ratione nixis.

Non ſcriptori ſed veritati credendũ.

At non ſatis, inquis, *generalem ſynodum* revereri videor. Nonne *contra fidei & ſcripturæ ſacræ certisſimam veritatem quotidie diſputamus, quæſtiones movemus, dubia proponimus*, ut per eorum explanationem *veritas illarum certius appareat?* Imò vero pro illarum honore non puto commodius poſſe certari, quàm ſi ad certitudinis enucleationem opponendo, quærendo, exponendo atque reſpondendo uberius diſceptetur, ut ſi quid forte obſcurum aut reconditum erat, per diſcuſſionem in apertum exurgat. Abſit ut aliquid ſiniſtri de omnibus ſane ſynodis aut ſentire velim aut dicere. Nec idcirco calumniari debeo, *minus ſincere de illis ſentire*, quod aliqua ad meæ ignorantiæ eruditionem circa illas *exquiro*, mihique *ediſſeri poſtulo*: Ut de illis poſſim non ſolum *ſanè & fideliter ſentire*, ſed etiam pro captu ingenioli *vere ſapienterque loqui. Licet enim tenuiter doctus ſim, veritatis tamen inveſtigandæ avidisſimus ſum.* Ex hoc autem *ardore & deſiderio indagandæ percipiendæque veritatis*, illa proceſſit epiſtola, quam ad te nuper miſeram, literas meas ſuperiores explicatitius evolvens, quarum non ſatis pro brevitate curſuque rapido mihi videbaris ex voto meo ſenſum aſſecutus, nonnulla præterea *nova dubia* interſerens, *quæ de aliqua re diu cogitanda ſolent largius ac multiplicius emergere.* Horum *dubiorum* tu *aliqua* in tuis ad illam epiſtolam reſponſoriis literis evacuare conatus es.

Nõ eſt irreverẽtia Concilii Generalis, ſi quid ei opponatur.

Diſputationes Synodis univerſalib9 oppoſita nõ reprehẽdenda.

Sed adhuc aliqui mihi reſtant circa illa dubietatis *ſcrupuli*, quos tuæ amantiſſimæ dilectioni patefacere inſtitui; qua

Digitized by Google

quæ obſecro meam velit ignorantiam in tantorum dubiorum inquiſitione libentiùs ſupportare. Scio tibi alias non deeſſe occupationes, nec tempora tibi tam libera quam mihi fluere, quam ob cauſam vereor ultra quam æquum eſſet, tibi oneri videri. Sed nolo propter mea ſcripta te à legitimis aliis curis, quæ ex gradu & officio tibi incumbunt, revocari aut impediri, vel propter mea acceſſoria tua principalia omitti negotia. Satis habeo, ſi quando ab aliis vacabis occupationibus, teque animi ad hoc voluptas excitaverit, aliquid vel breviter reſcribas.

Univerſalia cõcilia ejusdẽ & æqualis authoritatis non ſunt.

Per te igitur informari cupio, *utrum* credere nos oporteat, *univerſalia concilia ejusdem vel æqualis* eſſe *authoritatis?* Et ſi ita eſt, quare de ſolis quatuor dixit Gregorius: Illa ſe venerari & ſuſpicere quaſi quatuor evangelia, aut totidem paradiſi flumina. Si enim *indiſcreta authoritatis univerſa* credidit, quam ob cauſam ſola illa quatuor pro cultu venerationis nominatim expreſſit, dubiam de aliis ſuſpicionem in animis hominum relinquens?

Generale conciliũ falli non poſſe in factis aut judiciis.

Iterum per te doceri cupio, *utrum* catholica putes veritate *tenendam*, tam *in his quæ ſunt facti*, vel *morum*, vel *judiciorum, generale nunquam falli poſſe concilium*, quam *in fide errare non poſſe* fideliter creditur?

Regula JCtorũ Eccleſiam ſæpe fallere & falli.

Si autem ita ſentis, quæro: Quorſum illa ſpectet trita vulgo apud juriſtas ſententia, quam pro regula habent: Quod *ſæpe eccleſia militans & fallit & fallitur*: Quomodoque intelligenda ſit: & quæ ſit inter militantem & triumphantem quantum ad illud diſtantia, ſi utraque *quantum ad omnia infallibilis* eſt?

Fallibilitas Eccleſiæ in factis aut judiciis probatur.

Porrò eccleſia *in concilio* congregata nonne viatrix & peregrina eſt? Si autem viatrix & peregrina, in ſtatu merendi aut demerendi eſſe videtur. Quod autem tale eſt, & *poteſt recte agere*, atque ita mereri, & videtur *etiam poſſe deficere*, ſi poteſt demereri. Neque enim rationem meriti aut demeriti videtur habere operatio, cui nec libertas nec facultas adeſt aliter agendi. Sane quod eccleſia *in fide* deficere non poſſit, certum atque expreſſum habemus Chriſti teſtimonium: *Petre rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Quod autem in aliis non poſſit, non tale me vidiſſe memini documentum. Si quid tale noſti, oro me edoceas.

Argumẽtũ pro infallibilitate Cõciliorum ſolutum.

Nam id quidem quod ex evangelio commemoraſti, *non multum convincere* videtur: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Et primo quidem non neceſſe eſt, ut falli non poſſint, in quorum medio Chriſtus verſatur. De ipſo namque Chriſto ad quoſdam phariſæorum Joannes Baptiſta dicit: *Medius veſtrum ſtetit.* Nec proinde oportebat ut falli non poſſent. Nonne in medio inſuper erat perfidiſſimorum Judæorum, cum crucifigeretur, & conſpueretur & blaſphemaretur? Et quis illos inſanus dixerit tunc falli non potuiſſe?

Præterea dic, ſi placet, de qua credis aſſiſtentia *illud verbum Chriſti* debere intelligi? Si de *aſſiſtentia per præſentiam divinitatis*, qua ubique eſt, nihil ad rem pertinet. Sic quippe & nunquam peccari & nuſquam poſſet, ſi ubicunque ille adeſſet, peccare aut falli non liceret.

Nõ omnes in Cõcilio congregati ſunt in gratia apud Deũ.

Si de *aſſiſtentia per gratiam*, vide quemadmodum conſequens eſſe oporteat, quoties duo vel tres pro conferendo adinvicem *de pace Eccleſiæ*, vel aliquo alio fructu, conveniunt, divinam illis gratiam protinus infundi, cum forte multa ante peccaverint, de quibus nec compuncti ſunt, nec confeſſi. Multi ſiquidem fideli zelo de pace eccleſiæ conveniunt & tractant, aliquibus tamen magnis peccatis, quæ cum gratia minime ſtant, implicati. Vel igitur ſolo colloquio de aliquo pio opere illa deleri oportet, vel non neceſſe eſt illis gratiam conferri.

Gratia Dei nõ facit impeccabiles.

Sed demus ut ſingulis taliter congregatis cœleſtis confeſtim aſſit gratia, *nunquid illos collata gratia impeccabiles facit*, ut à recto non poſſint tramite deflecti, à gratiaque excidere, vel *ignorantia* aliqua, vel *excæcante judicium paſſione* præpediti? Movet gratia ad bene agen-

Gratia Dei movet ad bonum non cogit.

agendum & *excitat*, *non* autem *cogit* aut neceſſitatem aliquam immittit, ut aliter fieri non poſſit.

Si vero de *aſſiſtentia per directionem*, vel *internam de agendis inſtructionem* illa cenſes *verba Chriſti intelligenda*, illa *ſanctis viris* adeſſe ſolet, qui ſpiritus ſancti gratia ſunt repleti, abundeque perfuſi. Talibus nempe à Deo promittitur illud Pſalmi: *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac quam gradieris, &c.* Talibus præterea, qui *religioſe vivendo pieque operando* meruerunt ſpiritum ſanctum habitatorem habere, de quo dicitur: *Ipſe docebit vos omnem veritatem:* Et rurſum: *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia. Soli* autem *tales* cenſendi ſunt *ſpirituales*, dicente Apoſtolo: *Vos autem non eſtis in carne ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus DEI habitat in vobis.*

Quinã in Concilio dicendi in nomine Chriſti cõgregati.

Deinde ad veram illius ſententiæ Chriſti quam poſuiſti intelligentiam, conſiderandum videtur, qui exiſtimandi *in nomine Chriſti congregati*? Et tu quidem breviter dixiſti, illos exiſtimari debere in vero Chriſti nomine congregatos, *qui totis pacem laboribus quærunt Eccleſiæ reddere.* Verum nomen Chriſti, ut noſti, Jeſus eſt, quod vocatum eſt ab angelo priusquam in utero conciperetur. Chriſtus namque à chriſmate, hoc eſt, ab unctione, velut rex, dictus eſt, quia unxit eum Deus oleo lætitiæ præ cunctis conſortibus ſuis. Propter quam cauſam etiam *Cyrus* Rex Perſarum *Chriſtus* à domino legitur appellatus. *Saul* quoque quamvis reprobus, *Chriſtus domini* à David dictus eſt. *Jeſus* autem ipſo angelo interpretante, *Salvator* dicitur, cauſa interpretationis adjecta: Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Vide igitur ne rectius ſit atque ad ſanctorum dicta conſonantius, illos in vero Chriſti nomine dicere congregatos, *qui pro vera atque æterna ſalute, vel ſui vel aliquorum proximorum ſuorum, vel totius eccleſiæ congregati ſunt*, ſive hoc per pacis ſive per alterius boni ſalutaris inquiſitionem vel adeptionem futurum ſit. Sic enim fideliſſimi divinorum eloquiorum tractatores illos exponunt *in nomine Jeſu petere, qui ad ſalutem pertinentia petunt.*

Res ſalutis Cõcilio quærẽdæ.

Nam illa quidem tua *expoſitio* nimis *anguſta* eſt, nec ſatis late patet, & præmiſſiæ ſanctorum expoſitioni non omnino concordare videtur. Anguſta primo, quia *unicum pacis bonum* comprehendit: Deinde non ſanctorum dictis plene conſona, quoniam *pax*, de qua ſola loquitur, non neceſſario ad æternam pertinet ſalutem, ſed de mediocribus bonis eſt, quibus & bene uti poſſumus, & perverſe abuti. Qua profecto ſi eccleſia non eſſet abuſa, non ei per illum ſublata fuiſſet, de quo propheta ait: *Diviſi ſunt ab ira vultus ejus:* Et iterum: *Zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Sed quia *ſolent longa pax ac proſperitas temporalis luxum & diſſolutionem morumque corruptionem inducere*, & recte poterat de pace ſua eccleſia dicere: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima:* Ideo ſublata eſt *mala pax*, id eſt, quæ *malorum* fuerat *occaſio.* Ut per afflictionem diſcordiæ humiliata, ac per hoc cum Deo reconciliata, veram *pacem juſtitiæ atque bonæ conſcientiæ*, quæ ſalutare utique bonum eſt, Deoque gratiſſimum, rurſus ab ipſo devote quæreret adipiſcique contenderet. *Arma* quippe *juſticiæ*, ſecundum Apoſtolum, non ſolum ſunt nobis à dextris, verum etiam à ſiniſtris. Imo frequentius accidit, ut quos proſpera largius conceſſa à Deo averterunt; adverſa ſalubriter immiſſa ad eum revocent.

Pax externa non neceſſario ad ſalutẽ ſpectat.

Eccleſia pace externâ abuſa.

Pax mores Eccleſiæ facile diſſolvit.

Pax conſcientiæ præferenda paci externæ.

Nec ſolum per adverſa temporalia Deus nos erudit atque ad ſe revocat, ſed per illa etiam quæ ſunt ab illo tanquam mala prohibita. Quamvis enim malum ſit *ſchiſma*, mala *diſcordia*, quæ tanto in ſacris literis ſtudio vetantur ac deteſtantur: Quia tamen per contraria curam eſſe oportet, illis plerumque per hæc mederi ſolet Deus, quos pax ad lubrica proclivis, aut noxia in malo concordia, *in moribus ægrotare* fecit. Cum autem ſic ex malis Deus bona elicit, illisque ad bona utitur, rationem magis videntur boni quam mali habere, & expedientis quam impedientis. Ex fine enim in quem diriguntur, metienda ſunt.

Diſcordia & diſſidia Eccleſiæ ad morum emẽdationẽ ſunt incitamẽta.

Quare

Schiſma Pontificū anteConc. Cōſt. anſa reformationis.

Quare enim dicere non audeamus, *eccleſiæ profuiſſe hoc ſchiſma oriri*, cum de malo deteriori propter eccleſiæ utilitatem dicat Apoſtolus: *Oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, in nobis manifeſti fiant.*

De illis itaque bonis eſt *pax temporalis eccleſiæ*, quæ ſecundum traditionem beati Auguſtini, cunctanter & trepide, & cum adjecta conditione à Deo poſcenda ſunt, videlicet ſi noſtræ ſaluti, ad quam omnia vota noſtra referenda ſunt, ita expediat. Quod utique ipſe ſalvator novit, nos autem ignoramus, ideoque illius arbitrio cuncta committere debemus. Nam juxta apoſtolicam ſententiam, *Quid oremus ſicut oportet*, id eſt, ſicut noſtræ ſaluti expedit, *neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis*, id eſt, ſalutaria ac ſpiritualia poſtulare nos facit. Quia de illo dicitur: *Suggeret ipſe vobis omnia.*

Pax Eccleſiæ temporalis nō tanto ſtudio quærēda quāta pax animæ, morumq́; emēdatio.

Si igitur *pro temporali tantum pace eccleſiæ recuperanda* aliqui in unum congregentur, non continuo ſecundum prædicta neceſſe eſt credere, illos in Chriſti nomine eſſe congregatos. Primo, quia *ignorant, an ad ſalutem ipſius eccleſiæ ita expediat*, quam veriſimiliter à tumore *ſuperbiæ*, ardore *cupiditatis*, funiculis *vanitatis*, veneno *ſimoniæ*, aliiſque *malis moribus*, ex temporali affluentia prodire ſolitis, per hanc ſanare diviſionem Chriſtus inſtituit. Qui non ſineret mala evenire, niſi ex illis diſpoſuiſſet bona elicere. *Quibus malis* ipſam eccleſiam, licet per *hoc ſchiſma* graviter & diu afflictam, nondum tamen proh dolor liberatam aut ſanatam videmus.

Non præcipuus Cōc. ſcopus ſit ſchiſmatis compoſitio, ſed morū correctio.

Quid enim aliud ſunt *temporales afflictiones*, quibus eccleſia premitur, niſi amaræ potiones, atque medicinæ, quibus temporalis *cupiditas, ſuperbia* vel *laſcivia* quaſi quædam ægrotatio comprimatur: Sicut per Hieremiam dominus ait: *Cibabo te abſinthio, & potum dabo tibi aquam fellis.*

Pontificū diſſidia grandiū in Eccleſia vitiorum remedia.

Denique quia plerique *carnales* propterea pacem illam temporalem optant, ut in ocio & tranquilla quiete, nullo interpellante turbine adverſitatis, ſuis poſſint voluptatibus liberius inſervire. Et quis illos in nomine Chriſti dixerit congregatos, qui *hac mente unitatem quærunt eccleſiæ?* Hi autem carnales filii eccleſiæ non ſolum ſpiritualia nec curant, nec ſentiunt, ſed etiam perſequuntur eos, qui ſunt ſecundum ſpiritum, ſicut à tempore Abel juſti, quem Cain carnalis occidit, ſemper factum eſt, & uſque in finem ſeculi ſemper futurum. Hi ſunt qui pro temporalibus tantum commodis ad eccleſiam convolant, qui ad ſecularium formam vivunt, *ambiunt, cupiunt, rapiunt, præeſſe gaudent, non prodeſſe*, ſubditos opprimunt atque ſpoliant, prælationis honore gloriantur, pompis, faſtu, luxu lætantur, qui quæſtum pietatem æſtimant, pro temporaliumque incremento quomodolibet acquirendo cuncta & facere & pati ſunt parati: Qui volentes ſancte, juſte, innocenter, vivere, cum cachinnis irrident, hypocritas appellant crucifixique comeſſores: Qui denique non alios literatos in eccleſia utiles arbitrantur, niſi qui quæſtuoſas ſunt ſcientias aſſequuti, quique temporalia didicerunt tractare, & quomodolibet tueri atque ampliare. Talibus autem ita hodie eccleſia plena eſt, ut vix in ſingulis capitulis aut collegiis alios invenire contingat.

Quod pleriq́; paci

Eccleſiæ externam aut Pontificū unionē optaverint voluptatis ſtudio, vel ambitione.

Eccleſiaſticorum mores tēpore Conc. Conſt.

Cum igitur non alii in eccleſiis ſapientes hodie æſtimentur, niſi hi temporales, ad illorumque arbitrium ac diſpoſitionem univerſa agantur, ſi qui ad curiam Romanam, vel ad ſecularium principum curias, vel *ad concilium mittendi* ſint, aut iſti ultro tanquam prudentiores ab aliis mittuntur, aut *ſpe majoris promotionis*, ad quam ardentius inhiant, per favores & interceſſiones maxima importunitate *ſe mitti laborant.*

Ad Conc. Conſt. ablegatorū affectꝰ & deſideria.

Quid autem hujusmodi temporales, niſi temporalia norunt quærere? niſi temporalem quæſtum fructumque cogitare? An tales putandi ſunt pro *eccleſiæ reformatione in moribus & diſciplina & vita honeſtate* operam daturi, qui ſuam maximam calamitatem hoc eſſe deputant, qui ſibi omne quod libuerit volunt etiam impune licere, qui idcirco à ſuis ſuperioribus per Romanæ ſedis præſulem magna pecuniarum largitione

Cur Eccleſiæ reformatio in Cōc. Conſt. impetrari non potuerit.

ne eximi quæſierunt, ut ſuo poſſint incaſtigati vivere arbitrio? Quomodo hos credemus pro *vera & ſpirituali pace eccleſiæ* niti debere, quam nec ſapiunt, nec intelligunt? *Animalis homo*, ut ait Apoſtolus, *non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Stultitia enim eſt illi & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinantur.* Hæc autem pax vera & perfecta & *ſpiritualis*, ſine præambula juſticia & gratia Dei in vanum quæritur & expectatur, cúm de *juſtitia* dictum ſit: *Juſticia & pax oſculatæ ſunt*: & iterum: *Orietur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis.* Ubi ſemper paci juſtitia præmittitur. Denique Apoſtolus ait: *Juſtificati ex fide pacem habeamus.* De *gratia* autem videmus apud eundem Apoſtolum, cum in omni epiſtolari ſalutatione illis, ad quos ſcribit, *gratiam & pacem* optet, gratiam paci ſemper anteponi. *Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro & domino Jeſu Chriſto.*

Gratia Dei ingẽti Eccleſiæ reformatione revocanda.

Quis autem niſi à ſpiritu dei & ſapientia prorſus alienus ſperare debeat, *in tanta vitiorum voragine*, quantam videmus, duo iſta niſi *per ingentem & ſtudioſiſſimum eccleſiæ reformationem* recuperari poſſe?

Reformãdi ſũt mores eccleſiaſtici ãte, quã diſſidia Pontificum cõpenãtur.

Liquet ergo aperte, ante veram ſolidamque pacem eccleſiæ, *reformationem morum eccleſiaſticorum præmitti oportere.* Alioquin quomodo Deus, propter noſtra graviſſima ſcelera tam graviter contra nos offenſus, nobis in iniquitatibus magis perdurantibus reconciliabitur, niſi *per vitæ noſtræ emendationem* ipſas noſtras iniquitates relinquamus? Ait enim ad eccleſiam dominus per Hieremiam: *Lava à malitia cor tuum Hieruſalem, ut ſalva fias. Uſque quo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Nam temporales quidem homines, qui *pacem temporalem abſque prævia ſpirituali in eccleſia* ponere contendunt, quid aliud videntur facere, quam *ſine poſito ædificare fundamento?* Hos cum objurgatione gravique execratione dominus per Ezechielem prophetam arguit: *Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident, qui deceperunt populum meum dicentes pax, pax, & non eſt pax.* Quid eſt ſequi ſpiritum ſuum & nihil videre, niſi humana carnalique ſapientia abſque ſpiritus ſancti gratia pacem in eccleſia velle ponere, cum ipſa ad Deum oret eccleſia, *Fiat pax in virtute tua.* Et quid eſt dicere pax, pax, cum non ſit pax; niſi *pacem* tantum conſiderare temporalem, *ſpiritualem* vero *negligere*, ſine qua nec iſta temporalis certa ac vera haberi poteſt?

Abſq; prævia Reformatione Eccleſiæ unione reliquũ Concilii ſtudiũ irritum.

In Concil. Piſano Reformatio Eccleſiæ impedita.

Quæ alia res *in Piſana congregatione* eccleſiam Dei populumque decepit, & clamare fecit, pax, pax, cum nulla eſſet pax, niſi quia carnales & cupidi homines, qui ubique ex refrigerio charitatis ſuperabundant, *beneficiorum ardore accenſi*, prorſusq; excœcati, *eccleſiaſticam reformationem, quam boni & plerique fideles ante omnia fieri volebant*, impedierunt, ad novamq; mox electionem proceſſerunt. Qua facta, & promotionibus nactis quas concupierant, *pacem* eſſe clamarunt, ſolutoque conventu, cum illa, *quam quæſierant pace*, hoc eſt *promotione*, reverſi ſunt.

Irritus conventus Concilii Piſani.

Concilii Piſani Patres decepit Eccleſiam deceperunt.

Scire ex te magnopere cupio, utrumne illos putes fuiſſe deceptos, eccleſiamque decepiſſe, cum ipſi catholicæ eccleſiæ ſe pacem dediſſe retulerunt? An potius ab omni deceptione tam activa quam paſſiva liberos?

Concilium poteſt falli

Et ſi quidem deceptos & decepiſſe confiteris, cum *illi* in concilio prævaluerint, *illorumque* opinio fuerit concilii definitio, vides profecto conſequens eſſe, *concilium falli potuiſſe.*

Si autem ab omni deceptione illos cenſes in omnibus actis immunes fuiſſe, dic quæſo rationes, quibus ad ita ſentiendum inducaris. Ego enim meæ ignorantiæ in hac re & aliis conſcius, nec illas excogitare valeo, nec videre.

Ambitio regnavit in Concilio Piſano.

Si reſpondes in literis tuis: Quod ſi aliquos forte *ambitio* more humanæ fragilitatis cœcaverit, ille tamen qui præſidet ſpiritus, ad finem ducit ſalutarem. Quare ergo ad certam & ſalutarem non perduxit tunc ſpiritus unionem? Quare *ambitioſos vincere* permiſit eccleſiamque deludere dicendo, pax, pax, cum manifeſtius apparuerit illam non fuiſſe?

Illis adeſt ſpiritus, illos dirigit, at-

que

que ad invicem ducit ſalubriter, finemque bonum concedit, qui dignum in ſe hoſpitium illi paraverunt, ſeque ejus aſpiratione & viſitatione, quantum in eis erat, dignos fecerunt. Nihil autem tam charitati adverſum quam *cupiditas.* Quæ charitas, teſte apoſtolo, non eſt ambitioſa, utpote quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Qui præterea non modo nihil probare, ſed nec patienter audire poſſunt, quod ſuæ voluntati contrarium ſit. Si quis etiam apud illos de ſpiritus dulcedine quicquam dixerit, velut inſulſum atque inſipidum cum ſubſannatione excipiunt, cum ſibilis exufflant, cum clamore & contentione rejiciunt. *Hypocrita in Concilio.* Qui ficto denique fallacique corde ad ſacra Dei negotia accedentes, dicunt, ſe quæ Dei ſunt quærere, quæ pacis & ædificationis ſectari, cum revera non quæ Dei ſunt ſed quæ ſua ſunt quærant. Audet Paulus in epiſtola ad Philippenſes de Chriſtianis fratribus ſui temporis, imò de propriis comitibus loquens, dicere, *omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti.* Quod ſi de illis ait temporibus, quibus Chriſtianæ religionis recens adhuc creditur zelus magis incaluiſſe, *cur de terrena fece noſtrorum temporum non idem nobis liceret dicere?* Talibus autem fictis & ſolum quæ ſua ſunt quærentibus non adeſſe ſolet ſpiritus ſanctus, ſed illos velut inimicos effugit. Quia ſcribitur: *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu.* Ubi non alium puto intellectum debere nos accipere quàm illum, qui inter ejus dona numeratur, qui hominem de illorum facit ſorte, de quibus dicitur: *Erunt omnes docibiles Dei.* Ut ſcilicet ad illa quæ Dei ſunt audienda, diſcenda, & amplectenda, libenter cor inclinet, nec tam velit per *tumorem arrogantiæ ſcientiæque oſtentationem* aliorum doctor videri, quàm per *humilitatem & ſobriam de ſe æſtimationem*, erga illos, quos ſe meliores, ſacramentorumque cœleſtium peritiores exiſtimat, diſcipuli vicem tenere. *Arrogantia & ſcientiæ oſtentatio ex concilio abſint.* Ideoque non dictus eſt ſpiritus ſanctus *doctrinæ*, ſed ſpiritus ſanctus *diſciplinæ*, quia non tam *doctorem* quàm *docibilem* reddit hominem. *Docibilem* inquam, quantum ad ipſum pertinet ſpiritum, qui interius docet de omnibus, & quantum ad ſpirituales viros, qui ſecundum apoſtolum omnia judicant, & ipſi à nemine judicantur. Nam ad ſimpliciores quidem inſtruendos illos doctores eſſe vult quos repleverit. Et licet ex igne cœleſtis zeli illos velit conſtanter & ardenter docere, propter quod in linguis igneis apparuit, *humiliter* tamen & *modeſte* ſuam vult doctrinam effundi. *Modeſtia opus in Concilio.* *Modeſtia*, inquit, *veſtra nota ſit omnibus hominibus.* Et alibi, *Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite in ſpiritu lenitatis, non tumide*, non arroganter, non clamoſe nec contentioſe, non vincendi aut apparendi, vel ſcientiam ſuam oſtendendi gratia. Ab illis itaque cogitationibus ſe aufert ſpiritus, quæ ſunt ſine intellectu. Ait enim dominus per prophetam: *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum, & trementem ſermones meos?*

Quod ſi non niſi ſuper iſtis dominica atteſtatione quieſcit, & *ſecundum mores hodiernos pauci admodum tales in conciliis ſunt*, carnalium autem & temporalium, & *ambitioſorum*, & *contentioſorum*, & illa quæ inflat ſcientia tumentium, *turba* ſolet adeſſe *copioſa*: *Pauci olim in Conciliis qui non ambitioſi, contentioſi, arrogantes.* Vide quemadmodum neceſſe ſit credere, ipſum ſemper in conciliis vincere ſpiritum, conſultantiumque mentes, ſibi ſemper reſiſtentes obicemque ponentes, ad illa quæ *ſaniora* ſunt atque *ſalutariora* perducere: præſertim cum à majori numero concordium ſententiarium concilii ſoleant decreta procedere.

Iſta non dico aſtruendo, ſed inquirendo potius, ut per te certior fiam, quomodo putes, *ſpiritum ſanctum in concilio præſidere*, atque *ad ea, quæ ſalutis ſunt, hominum* minime ſpiritualium mentes inflectere ac traducere.

Attende igitur, quam neceſſe ſit *probos ac juſtos* viros, & ſpiritus ſancti non cupiditatis igne ferventes, *ad concilia deſtinari*, qui non quærunt quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, qui de congre- *Viri probi ac juſti ad concilia de-*

Digitized by Google

ſtinandi qui nō quæ ſua ſunt quærant ſed Eccleſiæ. gregatis in nomine ſuo dixit: *In medio illorum ſum*, & per Prophetam dicit: *Oculi domini ſuper juſtos*, piamque ſpiritus ſancti ſui ſuggeſtionem, de qua ait: *Et ſuggeret vobis omnia.*

Veterum præparatio ad Cōcilium. Solebant *antiqui patres*, *concilium celebraturi*, jejuniorum abſtinentia, orandi inſtantia, lachrimarum inundantia, maxima cordis contritione, atque contribulati ſpiritus humiliatione, in timore, ſpiritus ſancti aſſiſtentiam ſuffragiumque implorare, ſumma ſolicitudine ac vigilantia cordium ſuorum latebras emundantes, ut nihil illic tanto hoſpite reſideret indignum, quo offenſus inde averteretur. Propterea illis aſſiſtebat, illos dirigebat atque exaudiebat, & in cordibus ac labiis eorum gratiam ſuam diffundebat, ut non tam illi quam ſpiritus loqueretur in eis.

Conciliū poteſt falli, ex defectu præparationis. Quid autem neceſſaria erat tanta *præparationis diligentia*, ſi exploratum habebant, ſe non poſſe falli aut deficere in his, propter quæ erant congregati? aut ex defectu præambulæ diſpoſitionis à ſuo non poſſe fraudari deſiderio? Legimus ſæpe in ſcriptura, *propter unius* aut *paucorum culpam*, magnum innocentum hominum deoque amicorum fuſum exercitum, nec illos adjutos aut exauditos, qui ad bellum contra Dei hoſtes ſincera mente proceſſerunt. An non ſola ovis morbida univerſum aliquando gregem inficit?

Unius nutu totūCōciliū poteſt falli. Cum itaque *ex unius voce ac ſententia tota ſæpe congregata pendeat multitudo*, cur non ſicut ille in judicio falli poteſt, ita ipſam totam fallere multitudinem: Maxime ſi ex humana *præſumptione* aut alia iniquitate *falli digna* ſit?

Nonne per omnia recta agere, & *nunquam falli* & deficere, *ſolius Dei* eſt? Sciant gentes quoniam homines ſunt, non Dii, non angeli confirmati, non ſancti. Si autem homines ſunt, fragiles ſunt, peccabiles ſunt, mendaces ſunt. Omnis enim homo mendax. Variis propterea *paſſionibus* atq; *ignorantiis*, *quæ ſæpe judicium excæcant*, obnoxii ſunt, & tanto quidem peccabiliores quanto à *peccato* atque *ignorantia* vano ſe voluerint tumore eximere.

Affectꝰ & ignorātia judicium excæcant.

Quod ſi dixeris, non ex humana infirmitate ſed ex *virtute ſpiritus ſancti* eſſe, quod concilium falli non poſſit. *Quis poteſt certam habere notitiam, quod majori parti concilii, quam præponderare oportet, ſpiritus ſanctus aſſit?* Quis audeat judicare, ſe dignum eſſe, cui gratia ſancti ſpiritus aſſiſtat, cum nemo ſciat utrum amore vel odio dignus ſit? Apoſtolus enim dicit, *nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum, ſed neque me ipſum judico, qui autem me judicat, dominus eſt*, cui ſcilicet ſoli nota eſt mentium puritas, cum præterea tam paucos cernamus ad vota dicenda contritos atque confeſſos accedere. *Major pars concludens in Cōcilio nō ſemper ſpiritu regitur.*

Dices forte, eſſe veriſimile, gratiam ſpiritus ſancti ſemper *aliquibus* vel *paucis* in concilio adeſſe, quorum ignita atque efficaci perſvaſione ad illa quæ ſalutis ſunt cæteros attrahat, dans voci tanquam voci ſuæ vocem virtutis, qua in animos audientium potentius influant. Quoniam, ut ait Salomon, *verba ſapientum ſunt quaſi ſtimuli & quaſi clavi in altum defixi.* Poſſunt tales, ſi qui ibi ſunt, illos *monere*, quorum Deus corda tetigerit, quique ex debita diſpoſitione & ſpiritus ſancti præventione ad ſpiritualia ſunt capienda idonei. Alioquin ſi *multitudo* propter peccatum atque indiſpoſitionem *digna eſt decipi*, paucos ad ſe illi flectunt viri ſpirituales, nec qui poſſint adverſus alios contentioſa & clamoroſa multitudine inſtructos prævalere. Nonne in concilio Achab Propheta domini Micheas affuit, qui ea quæ ſuggerebat ſpiritus ſanctus intrepide dixit, nec tamen regi aut cæteris malis Prophetis, ex ſenſu ac ſpiritu ſuo loquentibus aliquid perſvaſit, quoniam *digni erant decipi.* Quemadmodum ad ſpiritum mendacem, qui ad illos decipiendos mitti petierat, prædixerat Dominus, *decipies & prævalebis.* *Pauci in Concilio ſinceri reliquis cedere coguntur.*

Quis autem poſſit certo ſcire, an *major pars concilii* ſit *digna decipi*, ex qua pendet definitio. De templo ſuo quid loquatur dominus contra illos, qui ſibi falſo promittebant, quod propter eorum iniquitatem Deus illud non deſereret, *Major pars cōcilii ſæpe inſincera.*

Digitized by Google

reret, apud Jeremiam lege. *Nolite confidere*, inquit, *in verbis mendacii, dicentes, templum domini eſt. Quoniam ſi bene direxeritis vias veſtras & ſtudia veſtra, ſi feceritis judicium & juſtitiam*, & cætera multa quæ illic ſequuntur, *habitabo vobiscum loco iſto.* Deinde cum plurima illorum peccata annumeraſſet, adjecit atque ait: *Ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua invocatum eſt nomen meum in oculis veſtris. Ite in Sylo ubi habitavit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei. Et nunc quia feciſtis omnia opera hæc, & non audiſtis me, faciam domui huic in qua vos habetis fiduciam, ſicut feci Sylo, & projiciam vos à facie mea.* Et converſo ad Prophetam ſermone ſequitur: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas laudem & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Ubi licet aperte intueri, quam modicum apud contumaces Deique contemptores, & apud Deum pro illis ſancti juſtique proficiunt. Quid autem eſt templum domini, niſi Eccleſia Dei? Quamvis ad judæos iſta ſint dicta ad literam, & pro illis ſcripta, tamen ſecundum traditionem Apoſtolicam, in figura dicta ſunt illis, quæ figura Eccleſiam Chriſti moresque ejus videtur reſpicere.

Sed adhuc forte dices, *falli non poſſe promiſſa domini*, quibus cum eccleſia ſua usque ad conſummationem ſeculi ſe futurum ſpopondit. Fateor ſanè, certum eſſe, *illa* falli non poſſe. Sed ubi & *cum quibus* per gratiam *in eccleſia* ſit, *ſoli ſua ſit*, non noſtrum, ſed illius eſt noſſe. *Novit dominus qui ſunt ejus*, inquit apoſtolus. Nos autem quomodo noſſe poſſumus? In ſola poteſt muliercula per gratiam manere eccleſia, ſicut in ſola virgine tempore paſſionis manſiſſe creditur.

Quinā in Concilio à Deo regātur, ſoli ſua ſit, Deo conſtat.

Numquid ergo erit majoris authoritatis aut prærogativæ *concilium epiſcoporum hujus temporis*, & propter illorum juſtitiam quorundam etiam cum illis doctorum hominum, quam congregatio fuit apoſtolorum, qui tamen *omnes* declinaverunt & relicto *Chriſto* fugierunt.

Concil. Conſt. non melio collegio diſcipulorū Chriſti, qui à Chriſto fugerūt?

Numquid præterea majoris erit prærogativæ, quam univerſa *militans eccleſia*, in qua dixit Auguſtinus non impleri poſſe quod ait apoſtolus, *ut exhibeat ſibi glorioſam eccleſiam non habentem maculam aut rugam*, ſed tantum in cœleſti Hieruſalem, ubi verum erit quod ſcriptum eſt: *Sine macula ſunt ante thronum Dei.*

Eccleſia & Conciliū non ſine labe.

Quid aliud credere poſſumus cauſæ eſſe, quare illa *quatuor concilia*, quæ tanta præ cæteris excellentia commendat Gregorius, ſcilicet *Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum primum* & *Chalcedonenſe*, ſingulari ſint inter alia veneratione *ſacroſancta habita*, niſi quia ex ſanctis erant hominibus collecta? Proptereaque in illis & per illos ſuas mirificavit Deus voluntates, ſicut per ſanctum prophetam dixit: *Sanctis qui ſunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.* Spiritus enim ubertate ditati pinguedineque ſaginati nihil petierunt aut conſtituerunt, niſi quod vellet Deus, & ideo non ſunt fraudati à deſiderio ſuo. Tales congregat ſpiritus ſanctus, talibus adeſt, in medio talium verſatur & volitat, & deliciæ ſibi magnæ ſunt cum talibus eſſe filiis hominum. Secus autem de illis, de quibus uno interjecto verſiculo ſubjungitur: *Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus.* Quæ autem ſint conventicula, quæ ſe congregaturum negat, neſcio, niſi ea dicantur, quæ ad tractandum de temporalibus vel carnalibus congregata ſunt. *Sanguis* quippe & *carnalia* ſignificat, ut *Libera me de ſanguinibus Deus*: & *temporalia* interdum, ut in Eccleſiaſtico, *Panis egentium vita illorum, qui hunc defraudat, vir ſanguinum eſt.*

Primorū quatuor Cōciliorū œcumenicorū autoritas.

Quid autem aliud quam *carnales* ſunt, qui concilii negotia & iracunde, & clamoroſe, cum jurgio & amaritudine tractant, ſecundum illud apoſtolicum: *Cum ſint inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis?* Si autem carnales, quomodo ſpirituales? Cum caro concupiſcat adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. Præterea ſi carnales, quomodo rerum ſpiritualium idonei judices? Cum de illis patenter dicat Apoſtolus: *Spiritus omnia judicat, & ipſe*

Carnales in Cōcilio, contentioſi.

Digitized by Google

ipſe à nemine judicatur. Denique ſpiritualibus viris apoſtolus idem prædicat: *Inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Suavis quippe atque benignus eſt ſpiritus ſapientiæ, non aſper, mordax, clamoſus atque contumelioſus.

Fata Concilii Piſani A. 1409. Romani, 1412. Conſtat. 1415.

Duo jam ante pauca tempora ſuper ſchiſmatis abolitione facta ſunt *concilia*, & in ambobus à votis & ſpe excidimus, utinam in *tertio* iſto voti compotes ſimus.

Miſerum Concilium Romanum à Johan. e XXIII. congregatum.

In *ſecundo* autem illorum *conciliorum* audiſſe te arbitror quid contigerit. Scis enim. Convocaverat *ante annos fermè quatuor concilium Romana eccleſia*, maxima quorundam compulſus inſtantia, *BALTHASAR* ille perfidiſſimus, nuper Petri ſede, quam turpiſſime fœdabat, ejectus. In quo, *paucisſimis concurrentibus extraneis*, ex aliquibus qui affuerant Italicis, *ſesſiones aliquot* tenuit, in *rebus ſupervacuis* nihilque ad utilitatem eccleſiæ pertinentibus tempus terendo conſumptas.

In Concil. Rom. bubo comparuit.

Cumque ante *primam concilii congresſionem* pro invocatione ſancti ſpiritus ſolito fuiſſet de more *miſſa celebrata*, ubi concilium conſedit, ipſeque *BALTHASAR* in parata ſibi cathedra ſublimior præſedit, ecce *dirus & feralis bubo*, funeris aut alterius, ut ajunt, calamitatis ſemper nuncius, è latebris ſuis erumpens, *cum ſua illa horrifica voce* continuo advolat, ſuper trabemque templi mediam *oculis in Balthaſarem* directo intuitu *conjectis* aſtitit. Cœperunt univerſi *mirari*, quod nocturna avis & lucifuga diurna luce in turbæ medium advolaſſet, *malumque omen* ex prodigio non immerito auſpicabantur. *En*, inquiebant ſuppreſſa voce alter ad alterum, *in ſpecie bubonis ſpiritus ſanctus adeſt.* Cumque cæteri & *ſe mutuo & Balthaſarem ſpectantes, vix riſum tenerent, Balthaſar ipſe*, in quem ſolum ille fixa acie oculos intenderat, *rubore ſuffuſus ſudare*, anguſtiari, atque intra ſemetipſum vehementer æſtuare cœpit. Tandemque non inveniens, qua alia poſſet ratione huic tantæ ſuæ confuſioni conſulere, *ſoluto concilio ſurgens abceſſit.*

In ſpecie bubonis ſpirit9 S. adeſſe in Conc. Ro. creditus.

Sequuta eſt deinde *altera ſeſſio*, in qua rurſum more ſimili, licet minime vocatus, *bubo* adeſſe non omiſit, *verſo ſemper in Balthaſarem intuitu.* Quem ille rediiſſe conſpiciens, majori quam prius verecundia merito *conturbatus* eſt. Nec illius ultra ferre prævalens conſpectum, *fuſtibus illum terrificisque clamoribus abigi præcepit.* Sed ille nec vocum inquietudine, nec aliis tremefactus moleſtiis *effugere voluit*, donec fuſtium crebris ictibus acerrime pulſatus, in conſpectu omnium *exanimis decidit.*

Bubo ex Concilio Ro. expelli non potuit.

Hæc ex quodam fideli amico didici, qui illis diebus recto gradu *Roma* veniebat, ſuper quibus cum propter rei inſuetudinem hæſitare cœpiſſem, per me vehementius adjuratus, veriſſima ſe retuliſſe confirmavit. Addebat autem, *omnes*, qui aderant, *in magnum contemptum atque irriſionem concilii* ex hac re adductos, paulatim *toto dilapſo concilio*, nihil illic prorſus actum eſſe fructuoſum.

Concilium Ro. absq; fructu ſolutum.

Perſpice igitur quantæ videntur poſſe *occaſiones deceptionis* aut fallaciæ, aut fruſtrandi irridendique concilii incidere, ſive *ex capitis ineptitudine*, ut in illo concilio de quo modo loquebar, ſive *ex indignitate majoris partis* congregatorum, quæ ad gratiam ſancti ſpiritus percipiendam non eſt rite parata, quæ non niſi puras gaudet mentes inviſere. Unde ſanctus David rogando dicturus, *Spiritum rectum innova in viſceribus meis*, qui ſcilicet recte me agere doceat, & falli non ſinat, non immerito præmiſit, *Cor mundum crea in me Deus*, tanquam certiſſime cognoſcens, ſe non niſi corde mundato rectitudinem ſpiritus, qua illum in agendis, ne falleretur, dirigeret, poſſe conſequi.

Multæ cauſæ, quib9 concilium univerſale poſſit in errorem deduci.

Poſſunt inſuper aliæ cauſæ deceptionis & fallaciæ in concilio contingere, ſive in aliquibus ex nimia præſumptione vel æſtimatione ſuæ ſapientiæ, per quam ſe putant ſatis eccleſiæ poſſe ſubvenire: De illa autem ſapientia ſcriptum eſt: *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*, illorum ſcilicet, qui contra apoſtolicam admonitionem prudentes ſunt apud ſemetipſos & plus ſapiunt quam oportet; Sive poſtremo ex negligentia intuen-

tuendi ſcripturas divinas, ſanctorumque patrum, in quibus ſacrarum ſpiritualiumque rerum & petendarum & impetrandarum forma oportunius tradita invenitur.

Quæ ſi ita ſunt, vel eſſe poſſunt, nihil enim affirmo, ſicut temerarium videris arbitrari, *generalem* dicere *Synodum fallere, errare, aut falli poſſe*, ita tuum eſt conſiderare, ne forte non omnino à temeritate alienum ſit, nunquam illam poſſe deficere, velle pertinaci defenſione aſtruere, niſi aut firmiſſima authoritate, aut certiſſima ratione ita eſſe convinceretur.

Quod etiamſi certo & evidenti eſſet documento monſtratum, non adhuc tamen utile crediderim, *illos qui ad ſynodum ipſam conveniunt*, iſti inniti æſtimationi: Ne forte ſub umbra atque occaſione talis *confidentiæ*, aliqua vel ex humana præſumptione, quæ inde poſſit apud multos contingere, nimis leviter ſibi agenda ſuſciperent, vel minori conſideratione digeſta ſtatuerent. *Optimus* nempe *cuſtos diſciplinæ* totiusque rectitudinis *timor* eſt, ad quem penè tota ſcriptura mira ſolicitudine unumquemque hortatur. *Noli altum ſapere, ſed time*, inquit Apoſtolus. Et alibi legitur, *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus.* Denique Job ſanctiſſimus ait: *Verebar omnia opera mea*, quare merito *rectus* fuiſſe ac *timens Deum* deſcribitur. Timor ſiquidem ſapientes facit, atque ideo non ex facili fallibiles. *Initium* enim *ſapientiæ timor domini.* Timor juſtos facit, dicente ſcriptura: *Qui ſine timore eſt non poterit juſtificari.* Qui autem juſti ſunt, exaudiri merentur, nec repulſam in votis ſuis ſuſtinere: Quoniam ſcriptum eſt: *Deſiderium ſuum juſtis dabitur.* Et in Pſalmis cum dictum eſſet, *Oculi domini ſuper juſtos*, ſtatim adjunctum eſt, *Et aures ejus ad preces eorum.*

Aſſeſſores Concilii ne ſuæ nimium fidant ſapientiæ. Timore & magna cautione opus in Concilio.

Timor poſtremo ſanctos facit. Unde eſt illud Apoſtolicum: *Perficientes ſanctificationem in timore Dei.* In talibus autem, ut ſupra dictum eſt, voluntates ſuas ſpiritus ſanctus mirificat.

Iſti ſunt æſtus & *ſcrupuli dubitationum*, qui in re, de qua invicem conferre cœpimus, adhuc apud me remanſerunt, forſitan plures ac majores poſſent aliis doctoribus occurrere. Super his autem, dum tibi per ocium licebit [nolo enim alias quicquam à te exigere] ad meam poteris inſtructionem, animique ſerenationem, quid ſentiendum exiſtimes, aperire. Forſitan mihi & aliis non tanta in materiis iſtis occurrerent *dubia*, ſi *in conciliorum definitionibus*, vel ex ſcriptura divina vel aliunde rationes atque *probationes* eſſent *adjectæ*. Quoniam, ut ſapientiſſime inquit Hilarius noſter, *intelligentia doctorum ex cauſis eſt aſſumenda*, quod à principio dixi mihi videri rectius fuiſſe.

Scrupuli de Concilii Conſt. decretis.

Concilii ſtatutis rationes erant addendæ.

Ex his igitur atque aliis, quæ tibi forte cogitanti melius occurrent, vides, ut puto, quam congruum fuiſſet, ut non dicam neceſſarium, *legitimis* aliquibus *documentis* tantas *confirmandas fuiſſe novas editiones*, quarum omnium non alia affertur probatio, niſi quod per generalem ſunt ſynodum conſtitutæ, quæ falli aut errare non poteſt. Quod an ad perfectam illarum intelligentiam ſufficiat tu videris. Ubi præſertim tanta ex ſcripturis obſtare videntur, quæ etſi non apud doctiſſimos, apud ſimplices tamen & minus doctos magnam poſſunt ambiguitatis vel ſcandali præbere materiam. Tibi vero non ignotum eſt, quanta cura cavendum eſſe moneat Chriſtus, quantaque Paulus, ne parvulis in Chriſtum credentibus occaſio præſtetur ſcandali.

Bene igitur fecerit tua charitas, ſi huic ignorantiæ meæ, pro ſibi à deo conceſſa doctrina mederi ſtuduerit. Nihil autem in his & in aliis ſcriptis aſtruere intendo, niſi quod catholicæ veritati ſit conſonum. Si quid autem minus certum, non aſſerendo ſed dubitando, vel argumentando propoſui, quo de certitudine plenius poſſim informari, non puto quod ad temeritatem debeat mihi imputari. Alioquin temerarium eſſet, intellecta velle à ſapientioribus diſcere. Quamvis etiam profecto paratus ſim, ſi ea quæ me movent dubia explicando aliquid in radice veritatis minus fundatum, aut fideli admonitu illud eradere, aut ad lineā rectitudinis lima exactiori emendare. Vale.

VITA
NICOLAI DE CLEMANGIIS
Theologi & oratoris Galli
Concilii Conſtantienſis tempore Clariſſimi.

Patria ILluſtre *decus Galliæ* ſua extitit ætate *Clemangius*. Cujus ſuæ *patriæ* gloriam atque incolumitatem omni ſectatus eſt ſtudio, dum fuit. (*a*) In vico *Clemange*, provinciæ *Catalaunenſis*, *Familia* in Campania, ex parente *Nicolao* (*b*) vitam traxit, ingenii bonitatem ex Deo, fortunam ex virtute. Claram ex *cognatis* habuit familiam, qui *avunculum* nactus *Petrum Clemangium*, inclytum civitatis Catalaunienſis medicum. (*c*) *Fratrem* vidit *Stephanum*, Collegii Navarrenſis Lutetiis Proviſorem. Tenuioris quidem fortunæ parente uſum meminit *Lydius*, (*d*) quod pro fraterculo ſuo & ſororis germanæ filio, (*e*) literis operam daturis & ad Academias adſpirantibus, apud magnates interceſſerit, à quibus foverentur. Quanquam verò emerſiſſe in familia plures, & ad doctrinæ quoddam faſtigium conſcendiſſe eventus oſtenderit, ut virtus priorem fortunæ iniquitatem ſuperaret: Ex ſola tamen iſthac interceſſione pro Studioſis ex ſua familia oriundis hic fortunæ defectus non videtur ſufficienter colligi. Favor ſiquidem Patronorum literatis optimum debet præſtare præſidium, omnemque opulentiam longo poſt ſe relinquit intervallo. Sollicitum certe parentem, ſi non divitem, de filiorum conſtat honeſta educatione & fortuna, quibus ſtudia literarum commendaret.

Ingenium Præclarum Clemangii noſtri *ingenium* arguit, quod *duodecimo ætatis anno* Studiorum gratia *Pariſios* fuerit miſſus, & in cele- *Educatio* bre *Collegium Navarrenſe* receptus, in quo ut eruditus, honoribusque affectus, ita & magnam vitæ ac ætatis partem in eo conſumſit. Quam fortunam ipſe Clemangius noſter ex Collegio iſthoc tandem in aulam Pontificis Benedicti XIII. Avinionem accitus, & ex ea iterum elapſus, celebrare non intermiſit. (f)

In

(*a*) Vid. nobilis *Epiſtola Clemangii ad Academiam Pariſienſem*, qua ſe à ſuſpicione literarum, Excommunicationis ſulmen vibrantium, in curia Benedicti Avinioni adverſus Galliam patriam ſuam ſcriptarum, egregie purgat.

(*b*) Notante *Henrico Warthon*, in *Appendice ad Hiſtor. Liter. Gvilielmi Cave*, *f. 92. edit. Lond.*

(*c*) Quem peſte in civitate Catalaunenſi extinctum, in epiſtolis deplorat noſter.

(*d*) In vita Clemangii, præfixa operibus ejus.

(*e*) V. Epiſtolam ad *Petrum de Cancella Regium Confeſſorem*, olim in Academia Pariſienſi in munere Profeſſorio Collegam.

(*f*) In *Epiſtola ad Collegium hoc Pariſienſe* poſt multos annos ita ſcripſit: *Vobiſcum à puero vixi, majoremque mea ætatis portionem peregi. Quos, etiamſi apud alienos accuſarer, mea vitæ, mea converſationis, meorum morum ac ſtudiorum poſſem certiſſimos teſtes magis quam cæteros mortales adhibere. Nam quando*

pri-

Studium Academicum.

In laudato Collegio *doctores* habuiſſe fertur Viros clariſſimos *Petrum Nongentinum*, *Gerardum Machetum*, Theologum & Canonicum, poſtea Caſtrenſem Epiſcopum, & celeberrimum *Johannem Gerſonem.* (g) Ad quos abſens poſtremo frequentes dedit literas, res arduas regni & Eccleſiæ concernentes.

Literæ elegantiores.

Elegantioribus literis totum ſe conſecraverat, quas egregium ut omnis vitæ ita & ſtudii ſui Theologici præſidium fore meminerat. Qui etiam ex eloquentiæ & poëſeos ſtudiis aulica nactus eſt munia.

Gradus honoris

Doctoris Theologiæ titulo eum inſignitum memorant hodie plures, (h) forte abſque teſtibus. Niſi *Magiſtri* character hoc velit, quo omnino inſignitus: Quem ſive ad philoſophiæ ſtudia reſtringas, ſive ad Theologiæ profeſſionem ex ſtylo antiquo extendas licet. In antiquiſſimo *MSCto Wolfenbuttelenſi*, in fronte operis, Epiſtolas ejus complexi, expreſſe ſcribitur: *Epiſtolæ Magiſtri Nicolai de clamenges*, *&c.*

Rector Academiæ Pariſienſis.

Anno circiter 1393 ab *Academia Pariſienſi Rector* creatus, & ſcribendis epiſtolis publicis adhibitus. Quo ipſo anno, non privato, ut apparet, ſed publico nomine, ex publico officii charactere, ad *Carolum VI. Galliæ Regem* devotiſſimam ſed & graviſſimam ſcripſit epiſtolam, qua in illa communi & undique graſſante Eccleſiæ corruptione invitaret Regem ad reformationem morum ſuſcipiendam. Quas literas, ſupra *Capite I.* ex *MSCto Wolfenbuttelenſi* exhibuimus, Clemangiani Zeli argumentum, & fatorum illius temporis publicorum indicem apertum.

Celebritas ex ſcriptis

Mox Anno ſequenti 1394. cum Avinioni Clementi Pontifici defuncto *Petrus de Luna Benedictus XIII.* ſurrogatus eſſet, ad recentem hunc Pontificem ſummum Avinionenſem literas præclaras dedit, quibus & hoc Eccleſiæ caput ad ſeriam Eccleſiæ curam excitaret. Dignas lectu, conſiliorum de pace Eccleſiæ ſubinde poſtea agitatorum anſam, itidem ex *MSCto Wolffenbuttelenſi* ſupra *Cap. II.* recenſuimus.

Eodem hoc tempore, à ſchiſmate Papali Eccleſiam peſſundante, A. 1378. orto, tribus luſtris elapſis, dignitate atque autoritate in Aca-

primum ad urbem illam præclariſſimam ac ad illud veſtrum inclytum perveni ſtudium, Alter ab undecimo nondum me ceperat annus. Me tenellum mater illa, Pariſienſis univerſitas, gremio excepit, ſinu fovit, ulnis geſtavit, ſuaviſſimis denique aluit uberibus. Præterea prima me docuit elementa, me ad honorem illum, quem ampliſſimum habet, invitum & renitentem extulit. Me denique ex illo tempore usq, ad hanc prope ætatem doctrina ſimul ac moribus erudiit. Et ſi parum exinde cepi fructus aut eruditionis, mea fuit culpa negligentiæ, aut tarditas fortasſis intelligentiæ. Illud autem quantulumcunque eſt, ſi quid tamen eſt, quod in veſtro didici conſortio, in veſtris potiſſimum Eccleſiaque negotiis ac ſervitiis recte quidem hactenus impenſum eſt. Extant apud vos mei illius obſequii crebra monumenta, &c. Ex Manuſcripto Wolfenbuttelenſi.

(g) *Lydius* & *Warthon* in vita Clemangii.

(h) *Eubulus Cordatus*, quisquis demum ille, in editione operis Clemangiani, de Corrupto Eccleſiæ ſtatu, A. 1519. cumque ſecuti hodie plerique.

Digitized by Google

demia Pariſienſi pollens, ponderoſisſimum atque memorabile opus de *Corrupto Eccleſiæ ſtatu*, vel *Ruina Eccleſiæ*, edidiſſe videtur. *(i)*

Orator & Poëta. *Commercium literarum cum doctis.* *Epiſtolarũ elegantia.*

Florere ex eo ita *Pariſiis* cœpit, ut ex editis variis ingenii & eloquentiæ monumentis *Oratorem* & *Poëtam* excellentem agnoſcerent atque admirarentur viri illuſtres. Quæ fama invitavit viros quosque eruditos, ſummos quoque Eccleſiæ Antiſtites, ad *commercium literarum* cum illo inſtituendum. Quippe cujus literæ non tantum *elegantia* orationis ſingulari niterent, ſed & magnam *ingenii vim*, multam *doctrinam* referrent, præterea incomparabili *modeſtiâ* eſſent conditæ. Mira ſvavitate excipere ſolitus eſt ſuæ artis ac in dicendo ſcribendoque raræ peritiæ encomia, quibus ab aliis ornatus. Pythagoræ genium nactus, non orator nec Poëta, ſed artis dicendi ſtudioſus dici voluit. Breve & elegans præclaræ illius modeſtiæ argumentum, & ſtudii ejus oratorii, quoad initia & profectus, concinnam ideam exhibet epiſtola ipſius humanisſima ad *Cardinalem* doctisſimum *Galeotum de Petra Mala*. (*k*)

Sic

[*i*] Hoc fere anno prodiiſſe hoc nobile Clemangianum opus, ipſe videtur ſubinnuere Clemangius laudati operis capite 41. V. infra *Tomi hujus I. Part. III.* Ut diſſimulandus veniat illorum calculus, qui circiter A. 1414. ſcriptum notant, ut *Wartbon* & alii. Niſi ab autore forte vel aliis in gratiam Concilii Conſtantienſis tunc iterum deſcriptum aut denuo editum quis dixerit. Propius accedere videtur *Eubulus* ille *Cordatus*, qui A. 1519. primus hoc opus edidit, qui in Præfatione ſcriptum monet *ſub Clemente VII.* quem tamen jam defunctum deſcribit Clemangius *capite* 41.

[*k*] Inter alia ſcribit: *Unde, inquis, tibi eloquentia, cum illius apud vos* (Gallos) *nulli ſint magiſtri? Primum reſpondeo, non tantam mihi eſſe, de qua mirari te oporteret, ſi illam eſſem absque præceptore conſecutus. Deinde nequaquam conceſſerim, nullos omnino me magiſtros in illa percipienda habuiſſe. Multos ſane habui: Studium, uſum, exercitium, aſſiduam attentamque lectionem autorum eloquentium, cum aliqua forte ingenii aptitudine. Quos idoneos indiſcenda eloquentia eſſe magiſtros Auguſtinus in 4. libro de Doctrina Chriſtiana te docebit, dicens: Ad comparandam eloquentiam magis prodeſſe, ſi quis eloquentes audiat, vel diligenter legat, quam ſi circa artis præcepta ſe occupet. Ad quæ etiam viri eloquentisſimi dum orant & ſcribunt, raro & minime attendunt: Et ſi curioſius ad illa attenderent, minus ſæpe efficaciter id quod volunt perſuaderent. Summa enim ars eſt in perſuadendo artem occultare, quæ quanto plus apparuerit, tanto plus de vi atque efficacia perſuadendi detrahit. A natura ſiquidem & affectu motuq; animi magis quam à curioſo artificio, videri oportet orationem proficiſci. Quia curioſius elaborata magis ſolent artem & curioſitatem oſtentare, quam rem ſenſibus audientium inprimere. Quanquam abſit ut negare velim, eſſe optimum, artem ipſam artisque præcepta cognoſcere: Quæ me quoque apud Ciceronem & Quintilianum legiſſe confiteor magnaq; ex parte comprehendiſſe. Sed id certisſime veriſimeque adſtruere audeo, legendis Tullianis orationibus, quam legenda ipſius arte, longe plus me in eloquentia profeciſſe. Quod ceteris puto ſimiliter accidere. Nec illud poſtremo negare volo, extra illos quos dixi magiſtros, humanos non usque quaque defuiſſe præceptores, cum quibus legendo & conferendo multa utilia didici, quæ ſolus forſitan non intellexisſem. Et ſi enim in ceteris fere omnibus jucundum & delectabile eſt habere conſortem, in literarum tamen ſtudiis perjucundisſimum. Facilius invenitur quod pleriq; quærunt, & certius vident plures oculi, quam unus oculus. Quis niſi inſipiens ita præſumat de ſua intelligentia, ut etiam alicujus minima liberalium diſciplinarum ſe credat perfecte poſſe comprehende-*

Digitized by Google

Sic apud Magnates atque illuſtrisſimos viros ob ſtyli & genii amœnitatem cum carisſimus exiſteret, oratoris nomine clarus, *à Pontifice Avinionenſi*, *Benedicto XIII.* ope laudati *Cardinalis Galeoti de Petra Mala*, in aulam Papalem Avinionenſem eſt accitus, *à ſecretis Pontifici* futurus. Certe aulicis omnibus jamdudum innotuerat, qui cum præcipuis Cardinalibus & Secretariis Pontificis familiare commercium literarum dudum nactus erat. A primo acquiſiti culminis Papalis die ipſe *Benedictus* hunc abunde ex literis cognoverat. *Invitatus Papa Avionem vocatus.*

Ceterum *invitus* fere & multis precibus Curialium victus, *aulicum* hoc *munus ſubiit*, cujus mores aliàs ab aulicorum conſvetudinibus atque regulis longisſime differrent. (*l*) *Secretarius Papæ.*

Dum

hendere per ſe notitiam? Acceſſerunt ad hoc, ut dixi, ſtudium, exercitium, pronitas quædam ingenii, & mira ſupra modum delectatio, quæ meum vehementius animum ad illa ſtudia impellebat, imò rapiebat, atque ab aliis multis ſtudiis non tam placitis abducebat: Quæ inſuper in ſuſcepto opere vel ſtudio unumquemque hominem maxime retinet & cogit perſiſtere. Ut autem à clarisſimo Poeta eſt præclare dictum, Labor omnia vincit improbus. Et iterum teſte Saluſtio: Ubi intenderis ingenium, valet. Ex MSCto Wolffenbutt.

(*l*) Quibus machinis Avenionem ad negotia curialia fuerit pertractus, ipſe depinxit in *epiſtola ad Johannem Præpoſitum Inſulenſem*, à quo Pariſios iterum erat invitatus, cum Papalem curiam jam deſeruiſſet. *Quod ſemel*, inquit, *ſervitii jugo colla ſuppoſui, non mea, deo teſte, factum eſt voluntate, ſed illius potisſimum domini, cujus ſervitium ſubii, petitione, nonnullorumque amicorum vehementiori inſtantia imo impulſu, me miſerum, me infelicem, me non vita nec luce dignum, conteſtantium, ſi tantum pergerem honorem ultro oblatum recuſare, tantique pontificis oblata, me ultro ad ſe adſciſcentis, adſpernari. Opponebam, non ex animi ſuperbia, ſed ex imperfecti mei cognitione, propter quæ tali viderer officio minime aptus, fallique meritoque timerem & illum, qui id ingerebat, & illos qui ad ſuſcipiendum incitabant, animi libertatem, curiarum inſuetudinem, morum diſſonantiam, corpuſculi fragilitatem, laboris impatientiam, niſi cum ex animi voto ac voluptate proveniret, ſtyli denique mei à ſtylo curiæ diſcrepantiam, quem nec mutare liceret, nec certe liberet. Reſponſum eſt per ſingula. Libertatem primum mihi non perituram, ſed tantam affuturam, quanta unquam fuiſſet. Curiam illam magna honeſtate atque gravitate pollere. Mores ante experientiam non judicari aut damnari oportere: Sæpe quæ ignota diſpliceant, cognita placere. Corpus quamvis tenue imponendis ſibi oneribus abunde ſuffecturum, neque ultra vires aut beneplacitum labores ſubeundos. Quod utique promiſſum ſatis apud me inviolatum ſervatum eſt. Vix enim aliud inveni oneris impoſitum, niſi facta prius interrogatione, utrum illud vellem ſuſcipere aut poſſem explere. Quantum verò ad ſtilum attinuit, reſponſum eſt, meum placere pergratumque eſſe. Quid multa? Sancti in me Pontificis eximia benevolentia, illorum præterea, qui ejus nomine hanc mecum rem tractabant, mira inſtantia, amicorum denique meorum ſumma impresſione tandem victus ſuccubui, cervicemque, eatenus jugi neſciam, jugo ſubdidi, qui magnorum antea principum, quod te nequaquam latet, famulatus ac ſervitia contemſeram. Sed ſi ſerviendum fuerat, cui honeſtius ſervire potui quam ſummo pontifici & ſanctæ Eccleſiæ, extrema odii conturbatione deſolatisſimæ? Re enim vera, etſi illam non volo curiam à vitiis abſolvere, major tamen illic morum modeſtia, honeſtatis ſpecies, geſtuum gravitas, quam in ſecularium Principum curiis eſſe deprehendi, ubi omnia nimis hodie confuſa ſunt. Accedebat adhæc fortis ſimilitudo atque paritas, qua me virum Eccleſiaſticum magis cum Eccleſiaſticis congruere exiſtimabam. Pares namque cum*

paribus

Cardinalibus cariſſimus. Dum venit tandem in aulam Pontificiam Avinionem, relicto ſuo Profeſſorio in Academia Pariſienſi munere, longe cariſſimus ejus extitit adventus, *Cardinali* inprimis *Galeoto de Petra Mala*, ceterisque aulicis. Prædicat hanc Cardinalis in ſe gratiam, pro ſuo reciproco in eum affectu, decentiſſimâ oratione, in epiſtola ad *Gontherum Colli, Galliæ Regis Secretarium*, Avinioni ſcripta, qua hujus Cardinalis, calculo Viennæ extincti, obitum amare deplorat. *(m)*

In magna apud Pontificem gratia. Abſtractus hoc pacto ab Academia, & in curiam Papalem pellectus, fidus heri ſui miniſter, prolixo *in Benedictum* propendit *affectu.* Quippe quod *Benedicto cariſſimus* eſſet Clemangius. Singularem Pontificis in ſe gratiam frequenter celebravit apud amicos per literas. *Quanto me Pontifex ille amore dilexerit,* ſcribit ad Johannem Præpoſitum Inſulenſem, *quam benigne, quam ſvaviter, quam indulgenter tractaverit, quanta in me viſcera caritatis in quadam infirmitate mea graviſſima* (cum peſte correptus graviter decumberet Avinioni Clemangius) *effuderit, longum eſſet dicere, nec nunc neceſſarium.*

Fuit ergo Avinioni *Secretarius aulæ Pontificiæ.* Et illo quidem tempore, quo adhuc *Benedictus* à Gallis agnoſceretur *Pontifex*, coleretur atque prædicaretur. *Illo fui tempore Secretarius* (inquit in Epiſtola ad Jacobum de Noviano) *quo libere atque impune, nullo adhuc vetante edicto, id eſſe licebat, quo tota inſuper Gallicana domus velut Papam venerabatur Benedictum.*

In

paribus veteri proverbio maxime conveniunt. Non autem me fefellit exiſtimatio. Ex MSCto Wolffenbuttelenſi.

(m) *Mallem tibi latiora*, inquit, *ſcribere, ſed nunc triſtia cogor. Quidni triſtia afferam, qui mortem nuncio, mortemque clariſſimi Viri & optimi Galeoti de Petra Mala, Sacroſanctæ nuper Ro. Eccleſiæ Diaconi Cardinalis. Qui quamvis in præcipui honoris arduo culmine poſitus, mihi tamen pia dignatione amiciſſimus erat. Teſtes hujus rei ſunt ſvaviſſimæ literæ, quas antequam facie me notum haberet, ad me miſit. Quas ipſe non modo vidiſti, verùm etiam earum cultu elegantiaque delectatus mihi extorſiſti, & quæ melliflua adeo benevolentiæ familiaritatisq; dulcedine toto ſuo ubique tenore redundant, ut nunquam me à quovis amico literas amicabiliores accepiſſe recorder. Teſtes ſunt ejusdem & aliæ poſterius miſſæ, quas neſcio an te vidiſſe contigerit. Ubi autem me ad curiam profectum videre datum eſt, quo vultu, qua lætitia, quibus oculis & complexu, qua denique humanitate & comitate me exceperit, verba mihi deſunt, ſi coner dicere. Conceptum diu deſiderium mei adſpectus non ſatis contuendo explere poterat. Nec ſuis fides in dubie abfuit pollicitis, imo ingentiora promiſſis, non curiali mecum more agens, exhibuit. Ad ſummum me Pontificem perduxit, multoque & maximo affectu commendavit. Sodalibus inſuper ſuis Cardinalibus cum excedente merita laude præſentavit. Si quid mihi in curia agendum eſſet, meum ſe futurum patronum, adjutorem, interceſſorem, procuratorem, ſpopondit, & profecto effecit. Quid dulcia & familiariſſima me commemorare oportet colloquia, demonſtratam Bibliothecam, libros omnes, qui multi erant & ſingulariter electi, perliberaliter oblatos. Denique quod antea literis petierat, voce rurſus atque obſervatione repetiit, ut ipſum vellem amicum habere in amicorumque numerum admittere. Vide ergo, quo dolore affici, qua animi triſtitia angi debeo, tali viro, tali patrono, tali poſtremo amico orbatus, &c.* Ex MSCto Wolffenbutt.

Digitized by Google

In hoc ſuo officio integritatem ac fidem ſuam probavit. Neque verò *negotia ſecretiora*, quæ curiæ Pontificiæ arcana tangerent, hujus fidei commiſſa, quod Gallus eſſet. Teſtis hujus rei Clemangius, in epiſtola ad Academiam Pariſienſem. *Ita fui ſecretarius*, inquit, *ut à majoribus eſſem ſecretis ſequeſtratus.* *Negotia officii.*

Variam mox expertus *fortunam in curia Papali* Clemangius. Optimum Patronum, *Cardinalem Galeotum de Petra Mala*, mors ipſi ſubtrahebat, præcipuam fortunæ partem. *Fortuna in curia Papali.*

Peſte, per totum annum Avinioni graſſante, pene extinctus, niſi *Dei* gratiâ, quam ante omnia celebrat, *Pontificis* ſingulari cura, & *Medici* Pontificis opera, mortis faucibus eſſet ereptus. (*n*) *Peſte correptus.*

Sed & *mores* atque *ingenia aulicorum* ſenſim perdidicit. Quare ab iſthoc vitæ genere abhorrere tandem cœpit, *aulæ Papalis pertæſus.* Simulare namque & diſſimulare, cum aliorum detrimento ſuum venari commodum, ex aliorum ignominia ſuam aucupari gloriam, integritas ejus non permiſit. Unde eſt, quod *curiam* ſæpe appellet *labyrinthum.* (*o*) *Mores aulicorũ vidit. Aulica vita pertæſus.*

Tametſi igitur benignisſime ab ipſo Pontifice Benedicto tractaretur, *vitæ* nihilominus *aulicæ tædium* ipſum cepit. Adeo ut annis pluribus animo ſemper volveret officii aulici mutationem, abitumque honeſtum ex Papali curia meditaretur. *Spe* nihilominus publicæ deſideratisſimæque *Eccleſiaſticæ emendationis*, & disſidii Ponticum componendi, *longo adhuc tempore in Benedicti curia eſt retentus.* *Abitum ex aula diu meditatus.*

Sincerus in patriam, Galliam, ipſumque Regem, *affectus* Clemangii, quem illibatum ſemper ſervavit, pertentatus in Papali Curia plus ſimplici vice. Qui magno animo illas inſidias vicit. Grande periculum ſuo impendere capiti animadvertebat, quando ad decretum quoddam Papale contra Parlamentum Regium conſcribendum à Cardinalibus invitaretur, & tantum non minis compellendus videretur. Quod onus non abſque magna moleſtia & cum Cardinalibus contentione declinare valuit. Abjecit tamen animoſe, quod nec precibus neque minis ſibi imponi paſſus eſt. (*p*) *Sincerus in patriam affectus.*

(*n*) Poſt Deum, ineffabilem Pontificis in ſe, ægrum, affectum præclare commendat in *epiſtola ad Gontherum Colli, Galliæ Regis ſecretarium.* Quippe quod raro exemplo Papa *Medicum* ſuum illi dederit, *Franciſcum*, ex inſularum Balearum maxima, Majorca, oriundum.

[*o*] In epiſtola ad Joh. Præpoſitum Inſulenſem ita hac de re ſcribit: *Labyrinthum dico curias ſectari, aulisque Principum atque ſervitiis implicari. A quibus meum ſcis abhorrere ſemperque abhorruiſſe ingenium, & è quibus velut è labyrintho vix exitum invenire licet.* Ex MSCto Wolffenbutt.

(*p*) Conqueſtus, vel de ſuperato potius iſthoc gravi periculo vehementer gaviſus, dum illud in epiſtola ad Academiam Pariſienſem notavit. *Mandaverunt*, inquit, *mihi vivò organo duo ex Cardinalibus, Pontificis ut ajebant nomine, ut in quadam controverſia, quæ diu fuit in regio Parlamenti prætorio ventilata, in favorem illius literas conficerem, qui in dicto fuerat prætorio condemnatus. Cæpi multa onus refugiendo obtendere, quod Francus eram & regni indigena, quod regem*

Difficilius negotium in Avinionenſi curia fuit, quando de *fulminibus excommunicationis contra omnes Gallos* aut totum regnum conſilia cœpta. Præſente quidem adhuc in Benedicti curia Clemangio hæc agitata, verum Clemangius ad illa plane non adhibitus, utpote ſecretiora, quæ prodi ab aliis Gallis periculum erat. (*q*)

Ex curia Papali emigravit.

Novus his acceſſit caſus anceps, dum Rex Galliæ gravisſimo decreto univerſos Gallos obſtrinxit, à Benedicto Pontifice abſtinere, cui obedientiam, Pontifici aliàs præſtandam, denegarent. Qua demum tempeſtate, quem biennio jam meditatus erat, *abitum ex aula Papali maturavit*, officium cum urbe relinquens. (*r*) Amor patriæ & devotio erga Regem Clemangium curiæ Papali valedicere ſuaſerunt.

Januam concesſit.

Ad *Januenſes* igitur primò Avinione conceſſit. Ubi vix trimeſtri ſpatio ſubſtiterat, quanda fama ad ipſum perlata, Benedictum fulmine Excommunicationis totam Galliam feriiſſe. Quo nuntio ſic exterritus, ut tota vita nunquam majori ſtupore perculſus attonitus ſteterit, fulmen fulminisque fabricatores execratus. (*s*) Quod factum A. circiter 1408. proxime ante Concilium Piſanum, quo herus Clemangii Benedictus, cum altero Pontifice Italo Gregorio XII. autoritate Papali privati, tertio Pontifice Alexandro V. conſtituto.

Januam reliquit.

Poſtquam igitur Rex fulmina iſta Benedicti novis ſuis & regni decretis eluſiſſet, decretorum Regiorum obſervantisſimus Clemangius, urbem *Januam reliquit*, & intimius *in Patriam* Galliam ſe recepit, ſe Benedictum non ſectari, teſtaturus.

Lingonã ſe cõtulit.

Lingonam ſic conceſſit, ubi Eccleſiaſtico *Canonicus* frueretur beneficio, in *Theſaurariâ* Eccleſiæ illius dignitate. Exceptus à Capitulo

gem vel regiam curiam offendere non vellem. Cumque alter Cardinalium ad opus ſuſcipiendum pertinaciter me urgeret, nequaquam me facturum planisſime reſpondi. Cum adhuc ille addidiſſet, per Papam id mihi præcipiendum: Si, inquam, ille præcipiat, ſcio quid acturus ſum, ſuo utique potius renunciabo ſervitio, quam mandatum exequar. In hoc verbo illi abierunt. Ex MSCto Wolff.

(q) In epiſtola ad Academiam Pariſienſem ita de ſecretiſſimo iſthoc Pontificis negotio diſſerit: *Si à multis & magnis ſecretis tum ego tum Gallici arcebamur, quis ad illud arctisſimum nos admiſſos eſſe crederet, quod intra ſecretas cellulas, ne aliqua poſſet ratione ad nos uſque pervenire, inter paucisſimos arbitros ſecreti illius participes agitabatur, non ſine maxima ut puto formidine, ne foras efferretur. Quid quod domeſtici & compatriotæ aderant Secretarii, quibus talia committebantur. Quid etiam quod Itali aderant, quibus, ſi externis eſſent committenda, longe potius committerentur, quam Gallis, contra quos fiebant. Sane potius crediderim à rubro mari aut extremis Indiæ finibus petendum fuiſſe ſecretarium, ſi de alia propinquiori natione inveniri non poſſet, quam talia in Gallos edicta Gallo alicui Secretario mandarentur.* Ex MSCto Wolffenb.

(r) In Epiſtola ad Johannem Præpoſitum Inſulenſem, *Quanquam*, inquit, *tanta in me eſſet indulgentia pii Paſtoris, ſubierat tamen jam animum ſatietas curiæ, ſerviendique tædio affici cœperam, quando me inde ſæva tempeſtas abripuit.* Ex MSCto Wolffenb.

(s) Teſtatur hoc multis in epiſtola ad Jacobum de Noviano.

Digitized by Google

pitulo benevole ac peramanter, & ad beneficii poſſeſſionem admiſſus. (*t*) *Canonicus Lingonenſis factus.*

Invitatus mox ab amicis Gallis, qui *Pariſios* reverteretur, Secretarii munere in curia Regia functurus, conſtanter declinavit, cùm aulicæ vitæ tædio, tum quietis amore, *Lingonenſi ſua ſorte contentus.* (*u*)

Librorum apparatu, quo Avinioni abundaverat, Lingonæ deſtitutus, in Scripturæ S. lectione additis Patrum ſcriptis quibusdam, acquievit. *Scripturæ S. lectioni incubuit.*

Sed nec defuit mox ingens tempeſtas, quæ jactatura & tantum non abſorptura Clemangium videretur. In ſuſpicionem ab *æmulis* ſuis atque *obtrectatoribus* raptus eſt, quaſi paulo ante, quam Lingonam conceſſiſſet, *ferales illas Benedicti literas excommunicatorias*, quibus ſacra toti Galliæ interdicta, Avinioni *conſcripſiſſet.* Quæ fama tantum in Gallia odium, tantum periculum illi conciliavit, ut *latibulum* eſſet quærendum. *Purgavit* autem *ſe variis literis* ab hoc crimine, ſeque innocentiſſimum demonſtravit, qui curiam Benedicti dudum jam deſeruiſſet antequam furiales illæ literæ publicatæ, quas, dum cognoſſet Januæ, exhorruiſſet, quique omnem ſemper erga totam Galliam affectum & obſervantiam demonſtraſſet. Quo ſpectant *literæ ad Academiam Pariſienſem*, in quo Collegio diu olim vixerat, *ad Reginaldum de Fontanis*, *Jacobum de Noviano*, *Gontherum Colli*, & alios. *Obtrectatores expertus.*

Nihilominus probare nunquam voluit hoc *Gallorum conſilium*, quo obedientiam Pontifici ſubtrahendam duxerant, quin magno ſemper animo, omni metu abjecto, impugnavit. Id quod luculenter teſtantur *literæ, ad ipſum Gallorum Regem Carolum VI. ſcriptæ*, quibus magno ſtudio Regi disſvadet illam à Benedicto ſeceſſionem, quæ & regno & Eccleſiæ ſit futura pernicioſa. Similiter ipſi *Benedicto* per literas *ſolatia dedit* in illo ſtatu, illud de ſubtrahenda Benedicto obedientia Gallorum decretum palam averſatus. Eandem variis expoſuit animi ſui ſollicitudinem, exprobravitque factum Gallorum magnatibus, ipſique Gerſono. *Nonnulla Gallorum conſilia improbavit.*

Tutum proinde *locum* quærens, *ubi ab inſidiis remotior* quieſceret, donec fluctus compoſiti, & tempeſtas diſparuiſſet, in *Vallis profundæ monaſterium* apud Carthuſianos primùm divertit. (*x*) *Latebras quæſivit. Apud Carthuſianos delituit.*

Mox ad *Fontem in Boſco* ſeceſſit. Quod ſuum *latibulum*, ex quo varias ad viros illuſtres & doctos dedit literas, ab ingenti fructu commendare ſolitus eſt. (*y*) *Angellus novus.*

(*t*) Illam Capituli Lingonenſis benevolentiam celebrat in Epiſtola ad Johannem Præpoſitum Inſulenſem.

(*u*) Quam αὐτάρκειαν eleganter ſignificat per literas Johanni de Monſterolio.

(*x*) Quod Clemangius ipſe notavit in epiſtola ad Reginaldum de Fontanis.

(*y*) Elegans hujus eremi ſui eremique illius fructus encomium reliquit in epiſtola ad Profeſſorem Pariſienſem, tempore Concilii Conſtantienſis ſcripta. *Oppreſſus*, inquit, *ante aliquot annos æmulorum inſultatione, me tunc graviſſime perſe-*

In eremo literarum commercium continuavit.

In hoc angello diu delituit *cum libello*, commercio literario cum viris doctis haud interrupto, ſed alacriter & ardenter continuato. Unde plurimas easque elegantisſimas habemus epiſtolas, dulces amœni illius latibuli Clemangiani reliquias. Hæſiſſe ibi videtur octo ad minimum annis, usque ad Concilii Conſtantienſis tempora.

Publica illo tempore Eccleſiæ fata.

In hoc angello obſervavit *Concilii Piſani fata* A. 1409. *Concilii Romani ludibria* A. 1412. *Concilii* denique *Conſtantienſis initia* & ſucceſſum A. 1414.

Pro Conſtantienſi Concilio ſollicitus.

Non deſtitit viros ſummos ad Conſtantienſe Concilium properantes monere, & ad officium faciendum invitare. Quas epiſtolas memorabiles *ex MSCto Wolfenbuttelenſi* ſupra exhibuimus.

A Pontifice in aulā retrahendus.

Neque Benedicti XIII. in Clemangium affectus, vel plurium annorum intervallo, vel abſentia Clemangii longâ extinctus. Quapropter cum ſeptem annis à curia Papali abfuiſſet, & in iſthoc angulo in otio literario quieviſſet, de Clemangio in curiam ſuam revocando ſollicitus eſſe cœpit. Quandoquidem tunc in Concilii Conſtantienſis exordio bonis oratoribus atque Secretariis opus habere videretur. Invitatus igitur Clemangius, qui ex ſuo angello in curiam Benedicti reverteretur.

Officium aulicum priſtinum recuſavit.

Verùm lubrica hæc etſi impenſa Benedicti deſideria humaniſſime ac prudentisſime à ſe declinavit: Sibi gratulatus, quod ſalvus ſemel è curia Papali evaſiſſet, & *in iſto tuguriolo* literis quiete vacare poſſet. (z)

Ex ſpe-

quentium, ex urbe illa fui excedere compulſus. Elongavi itaque fugiens, & manſi in ſolitudine, expectans illic eum qui ſalvum me faceret à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate, & vidi iniquitatem & contradictionem in civitate. Quod quidem, quantum re ipſa experiri potui, mihi in commodum ceſſit, à Dominoque factum eſſe exiſtimo. Primum quia me & conſcientiam meam peccatis onuſtam quietius atque opportunius aliquantula compunctione ad Deum recollegi. Deinde, quia poſt longam lectionem ſecularis eloquentiæ gentiliumque ſcriptorum, in quibus non parva tempora occupavi, tandem iſtic ad ſacri Canonis inveſtigationem ſacrorumque doctorum myſtice ac ſalutariter illum exponentium, magna me aviditate contuli, quæ nunc pœne ſola de gratia Chriſti me lectio delectat, in qua etſi parum ingenio parum ſtudio proficere potui, plus tamen ut opinor profeci, quam tota anteacta ætate in ſtudio Pariſienſi. Adde, quod ſtylo ſeceſſum requirenti ſolitudinemque deſideranti, melius, liberius, uberius, operam dedi. Illum poſtremo non arbitror fructum meæ fugæ ac ſolitudinis contemnendum, quod ab intuitu acerbisſimorum malorum, quæ noſtra viderunt, & nunc vident tempora, a furore belli civilis, à fornace denique incendii horum certaminum peſtiferorum, huic tandem infelici patriæ exitialium, in ſolitario iſto loco deliteſcens abfui. Quibus plerique ne implicarentur, Hieroſolymam petierunt, alii ſanctam Catharinam, montemque Sinai, nonnulli in Hiſpanias ad ſanctum Jacobum peregrino ſunt itinere profecti. Nec defuerunt qui his impellentibus cauſis, multis jam annis orbem luſtrant. Ut nemini debeat mirum videri, ſi quietis ac pacis amore à turbinum me ſtrepitu longiuſcule ſubtraxi. Vale. Datum Apud Fontem in Boſco.
Ex MSCto Wolf.

(*) Meretur hæc epiſtola Clemangii ad Nicolaum de Beja legi,

Ex ſpecu tandem in lucem *ad Canonicatum Lingonenſem rediit*, periculis ſuperatis. Beneficio iſthoc priſtino contentus, cum brevis videretur vitæ reſtare terminus. *Qui*, (uti mox Lingonâ ad Joannem Muretum, olim Avinioni in curia Clemangio familiarem, Pariſiis tunc agentem, perſcribebat) *multiplicationem titulorum Eccleſiaſticorum non concupiſceret*, ne, quo minus ipſi reſtaret viæ, plus viatici quæſiſſe merito argueretur. *Ex Eremo Lingonâ rediit.*

Abdicaſſe tamen tandem ſcribitur Canonicatum & dignitatem Theſaurariam Lingonenſem, *Bajocenſis* Eccleſiæ Canonicatum, *Cantoriſque* adeo in Capitulo titulum amplexus. Quando à multis ſcriptoribus antiquis (*aa*) ac recentioribus *Archi-Diaconus Bajocenſis* appellatur, errore hoc fieri pronunciant alii. (*bb*) Niſi forte in eadem Bajocenſi Eccleſia Capitulove à Cantoris ad Archi-Diaconatus characterem aſcenderit. Quod non impedit. *Canonicus* certe ad finem vitæ manſiſſe apparet. *Canonicus Bajocenſis tandem factus.*

Qui per vitam ſuam miras in orbe & Eccleſia mutationes, & inſolitos tumultus viderat, in his turbinibus ad gravem penetravit *ſenectutem*. Quot verò vitæ annos curſu ſuo abſolverit, incertum. Quod Concilii Conſtantienſis ætatem ſuperaverit, vel ex eo patet, quod ſub Concilio non pauca ſcripſerit ad illud pertinentia. Quo tempore adhuc in angello ſuo hærebat, ex quo poſtea evaſit, alia beneficia Eccleſiaſtica conſecutus. An autem Baſileenſis Concilii A. 1431. initia, vel finem, annumque fere illius ſeculi quadrageſimum attigerit, ut ſunt qui putant, (*cc*) valde adhuc dubium, neque ſit veroſimile. Colligunt, qui hoc notant, ex *epiſtola ad* Pariſienſem Scholaſticum, ſupra cap. V. exhibita, qua ſe duorum Conciliorum fata vidiſſe Eccleſiæ parum proficua, teſtatur, tertiique Concilii tunc præſentis aliam fortunam ſe non expectare. Putantque prima illa Concilia inania Piſanum fuiſſe & Conſtantienſe, tertiumque tunc præſens fuiſſe Baſileenſe. Verùm aliter ſe rem habere attente epiſtolam perlegenti conſtabit. Duo priora quæ notat Concilia fuerunt Piſanum A. 1409. & Romanum A. 1412. Tertiumque tunc cum ſcriberet præſens, erat Conſtantienſe A. 1415. Nulla igitur hic mentio Baſileenſis. *Senectutem attigit.*

Ætate gravem jam fuiſſe *Concilii Conſtantienſis tempore*, ex ſuperioribus ejus rebus geſtis videtur elucere. Academiæ Pariſienſis Rector jam claruit A. 1393. Ad minimum igitur annos tunc habuerit triginta vel quadraginta. Qui & iiſdem annis graviſſimas ad Regem Galliæ & Pontificem de arduis negotiis daret literas. Quæ res ex ætate & experientia judicii maturitatem poſtulat atque gravitatem. Etſi verò in *epiſtola ad Regem* in principio ſe *natu juniorem* vocet, fieri tamen hoc ex devotione, conſiderato arduo quod ſuſceperat literis tractandum negotio, haud dubium, virilem ſane ac maſculum ſtylus nunciat calamum. His ergo annis acceſſerunt viginti

(*aa*) Trithemio & aliis.
(*bb*) Warthonus, in Append. ad Hiſt. Liter. Cave.
(*cc*) Flacius, Lydius, Warthonus.

& plures usque ad Conſtantienſe Concilium. Hoc igitur florente, ſexaginta & plurium jam fuerit annorum. Quis autem fuerit vitæ terminus,incertum.

Obiit Pariſiis. Sepultus in templo Academico. Epitaphium.

Pariſiis eum *obiiſſe* colligitur ex ſepultura ac monumento. In *Navarrenſis* quippe *Collegii ſacello*, ſub lampade,quæ de tholo ædis penderet, coram magno altari ſepultus fertur,hoc *Epitaphio* ſepulchro inſcripto:

Belga fui, Catalaunus eram, Clemangius ortu:
Hic humus oſſa tenet, ſpiritus aſtra petit.

Oratorem fuiſſe & *Poëtam* excellentem, æterna ejus *monumenta literaria* teſtantur. *Ingenio* fuiſſe acri, ſubacto *judicio*, *prudentia* rara, *ſtudio* ferreo atque infracto, conſtat. Humanus admodum, ſed & gravis, jocos interdum ferens atque miſcens, ſed parcius, ut dignitatem retinerent. Gratus atque acceptus Pontifici, Cardinalibus, viriſq; illuſtribus permultis. Arcta amicitia conjunctus Gerſoni Academiæ Pariſienſis Cancellario, Petro de Alliaco Cardinali Cameracenſi, Vincentio Ferrerio, magno oratori, in Concilio Conſtantienſi eminentibus. Opera,quæ ſuperſunt, *literarum culturam* illa ætate rariſſimam referentia, *animi* excellunt *præſentia.* Qui tam ingenue, cordate, & animoſe perſtrinxerit publica *Eccleſiæ & reipublicæ vitia*, ut parem ſuo ſeculo vix haberet. *Integritatem morum* tantopere in omnibus literis atque ſcriptis urſit, ut ordinarium fere hoc eſſet atque ſaluberrimum ſcriptorum ejus condimentum. Hinc Zelo correptus, *antiſtitum Eccleſiæ corruptiſſimos illo tempore mores*, *ſimoniam* præſertim, Eccleſiæ ſaluti exitioſam, & infandum *faſtum*, damnavit. *Vir ſincera animi pietate præditus*, inquit Warthon, *ac ſtylo ſupra ſeculi ſui ſortem eleganti uſus, intrepidus principum malorum cenſor & objurgator. Qui Pontificum ſchismata, ambitionem & vitia, Eccleſiaſticorum ſordes & avaritiam, Monachorum ignaviam, luxuriam & libidinem, omnium denique ordinum mores ſolutos acri calamo flagellat.* Quod igitur magnam vitæ partem legendis ſcribendisque libris conſumſiſſet, ingenio magis quàm vitæ atque fortunæ ſerviens, ſub finem vitæ ſub incudem pleraque ab eo revocata atque recenſita, ſed & conjunctiſſimo amico *Regio Secretario Gonthero Colli* ad deſcribendum ſeu edendum publicandumque oblata eſſe, memorat *Lydius.*

Deſcripta ejus opuſcula varias ab obitu regiones easque remotiſſimas inviſerunt, doctis cariſſima. Unde *MSCtorum* varii *codices* in Gallia, Italia, Anglia, Germaniaque noſtra, *theſauri* inſtar in Bibliothecis publicis aſſervantur.

Ut alios mittamus in aliis regnis obvios, noſtroſque jam limites obſervemus, in *Sereniſſimorum Ducum Brunſvico Lunæburgenſium Bibliotheca VVolffenbuttelenſi Auguſta* præclarum & elegantem *Codicem MSCtum Epiſtolarum Clemangii* aſſervari, ex præſenti opuſculo abunde patet, quippe quo nunc ſumus uſi. Quo de in præfatione fuſius diſſeruimus.

In noſtra hujus *Academiæ Juliæ Bibliotheca*, multis MSctis inſtructa

Digitized by Google

ſtructa, *geminum codicem MSCtum operis Clemangiani de Ruina Eccleſiæ* ſpectari, ex ſequenti conſtabit *tertia* hujus operis *parte.* Non eſt dubium, quin paſſim adhuc lateant monumenta quædam ejus hactenus incognita nec prodita, illius temporis in republica & Eccleſia ſtatum egregie illuſtratura. Quæ ſenſim memoriæ hominum ſubducta plane tandem perire, verendum.

Ejus vero ſuo illo ſeculo autoritatis fuerunt illius monumenta, ut inventa *typographia* luci ſtatim quædam darentur. *Viennæ A.* 1481. prodiit opuſculum ejus *de lapſu & reparatione juſtitiæ.* Ibidemque *A.* 1482. lucem vidit *diſſertatio* ejus *de Concilio Generali.* Superiori ſeculo, *A.* 1519. editum opus ejus *de corrupto Eccleſiæ ſtatu.* Recuſa mox ſuperiora Clemangiana additis novis, in Germania, & Gallia. Donec à variis paſſim viris doctis è tenebris quædam Clemangiana eruerentur, atque orbi noſtro communicarentur. Donec *Johannes Lydius*, *Germanus*, *Francofurtenſis*, & *Epiſtolas Clemangii* ex MSC. proderet, & reliqua *edita* hactenus *ſcripta* conjunctim cum prioribus reſuſcitaret, A. 1613.

Ceterum, quando ex tenebris emerſiſſe jam videbuntur Clemangiana, tribus fere ſeculis elapſis, non tamen hoc peregrinum dictu putabunt viri docti, quando audient, edita hactenus Clemangiana, in ipſa luce, pluribus jam ſeculis aucta, non in umbra ſed tenebris fere adhuc verſari. *Non edita* propemodum dicenda pleraque *Clemangiana* in hunc uſque diem, ſed poſthac demum à Viris harum rerum peritis, *ex MSCtis edenda.* Quod ne quis miretur, dicam clarius. Adeo *corrupta* pleraque *Clemangiana edita*, ut faciem vix Clemangii referant. Inclementer actum cum Clemangio dicent, qui Clemangium cum Clemangio contulerint. Per exempla eundum.

Epiſtolarum Clemangianarum opus à Lydio editum, Clemangium vix agnoſcit, ſi cum aliis *MSctis Codicibus*, Epiſtolas ejus complexis, componatur. Præclarum & elegantem *codicem MSctum Wolfenbuttelenſem Epiſtolarum Clemangianarum*, *A.* 1480. ab *Eucbario Troſtber Præbendario Eccleſiæ Majoris Argentinenſis* magno ſtudio ſcriptum, quando cum Lydiana editione contulimus, vah, quantam deprehendimus diſcrepantiam. Ex *Theodori Cantberi Ultrajectenſis* Bibliotheca *Lydius* MSctum nactus, unde editionem ſuam paravit.

Quod igitur *MSta Clemangianarum epiſtolarum* toto ſæpe cœlo differant, uti collatio *Lydianæ editionis* cum *MSto VVolfenbuttelenſi* teſtata, merito quæſitum, quibus potisſimum fides habenda. Non negandum, hæſitaſſe nos nonnihil, & in utramque partem rem diu excuſſiſſe. Donec *MSctum Wolfenbuttelenſe*, Cantheriano vel Lydiano præferendum eſſe, varia arguerent argumenta. Sane *Lydianus* codex, prout editus, tantopere ſæpe vitiatus, ut nullum gignat ſenſum. *Wolfenbuttelenſis* rem omnem clarisſime ubique exponit: Lacunas Lydianas abunde & rectiſſime ſupplet. Dein aliam melioremque vel centies ſuppeditat orationis ſeriem,

Cleman-

Clemangiano genio magis conformem. Præcipuum momentum differentiæ eſt, quod in Lydiano longisſimæ ſæpe periodi, & paragraphi totas quoque paginas implentes occurrant, quæ in Wolfenbuttelenſi non comparent. Ita quidem, ut in Wolfenbuttelenſi oratio melius fluat, longiſſimis illis additamentis abſentibus, quam in Lydiano illis interjectis. Quæ res quæſtionem peperit, unde illæ mutationes grandes ſubnatæ, an à *Clemangio* ipſo, an vero *editoribus primis ſecundisque*, vel vivente vel defuncto Clemangio? Videri quidem poterat mutatio iſthæc ab ipſo Clemangio profecta, qui, cum in eremo aut angello ſuo pluſcula ſua ſcripta recenſeret, vel addiderit vel abſciderit ad epiſtolis ſuis olim datis nonnulla, vel & ante obitum, ut refert Lydius, omnia denuo perluſtraverit, adeoque tunc ſua quædam manu reformaverit. Ut ſunt ingenia, quibus nihil quod ſcripſerunt, unquam placet, ſed limam ſemper adhibent novam, ἀκριβείᾳ tantum non ſuperſtitioſi. Qualis genius & in Philippo Melanchthone ſuperiori ſeculo notatus. Verum, plane non veroſimile fuit viſum, tam grandem difformitatem epiſtolarum ſuarum ipſum Clemangium procreaturum, qui nova illa ingenti reformatione priores ad Reges atq; Principes datas damnare atq; abjicere, ac pro non datis declarare voluerit. Quin igitur in *Scribas* atq; *editores* res devolvenda. Si ante obitum ſuum ſua ſcripta poſt obitum denuo edenda, hoc eſt deſcribenda, commendavit *Gonthero Colli*, *Secretario Regio*, veteri & intimo amico Pariſiis agenti, in *hunc* prima cadet *mutationis ſuſpicio*. Qui pro ſuo judicio interpolaverit ſingulas pœne, & nonnullas adeo, ut vix Clemangianam formam retinerent. Si verò nec *Colli* pro fide in Clemangium hoc præſtiterit, in *alium* quendam res redibit, qui ederet vel juſſu Gontheri Colli, vel ſuo poſtea arbitratu. Quandoquidem illo tempore, abſente typographia, à variis doctis literaria monumenta deſcribebantur. Quo pacto *duæ* vel *plures* poſtmodum ab obitu Clemangii *Epiſtolarum Clemangianarum editiones* extiterint. Quarum una antiquior, ſincerior, haud interpolata, altera, vel plures, mutationem expertæ. Numerus ſane epiſtolarum diverſisſimus in MSctis diverſis, diverſitatem editionum antiquarum, à deſcribentibus profectarum, arguit. Lydianus codex pauciores, Wolfenbuttelenſis plures habet. Viciſſim in Wolfenbuttelenſi nonnullæ non viſuntur, quæ in Lydiano lectæ.

Quod ſi igitur conjecturæ locus fuerit aliquis dandus, veroſimile nobis videtur, *Codicem MSCtum VVolfenbutelenſem*, primum ac genuinum, infucatum referre Clemangii ſtylum. Quapropter ex *hoc MSCto pulcherrimo* ſuperiores epiſtolas depromſimus, Lydiana editione collata quidem diligentisſime, ſed relicta merito atq; ſepoſita. Cui conferre lubet noſtras has cum Lydianis, differentiam inſignem deprehendet, ſed & fatebitur, noſtras etſi breviores, nec interpolatas, ſvavius fluere. Neque nobis grave erit, totum *opus epiſtolarum Clemangianarum*, *novum* plane atque Lydiano diſſimillimum, in gratiam orbis eruditi doctæque poſteritatis, ex hoc *MSCto VVolfenbuttelenſi* aliquando communicare. Interea quibus inſpicere dabitur *Codices MSCtos* in *Gallia* & *Anglia*

Anglia, quam formam, an Lydianam an noſtram habeant, obſervabunt.

Sed & aliud monumentum Clemangianum hic commemorandum, nempe: *De corrupto Eccleſiæ ſtatu.* Editum hoc jam à variis, ſed ex uno ſemper exemplari, eoque corruptisſimo, ſuperiori ſeculo, A. 1519. edito. *Lydius* quoque eadem formâ fideliter retinuit. Aſt *Mſctum* iſtud, ex quo primum edi contigit in ſuperioris ſeculi principio, tantopere maculatum ac deformatum, ut Clemangius abhorreret ſi videret. *Duo Mſcti Codices* hujus opuſculi præclarisſimi in *Academiæ noſtræ Juliæ Bibliotheca* reconditi longe meliorem formam referunt, *genuinumque Clemangium* nobis reddunt. Sic vivat impoſterum Clemangius, ex latebris ſuis in lucem revocatus atque reſuſcitatus.

Quemadmodum igitur *Theodericum Vrie noſtrum* diximus, labore multo ex ruderibus ſepulcri erutum atque reſuſcitatum, ita non minori jure Clemangium *noſtrum* appellabimus, quem *genuinum*, ſi non in angello ſuo apud Fontem in Boſco, in *Auguſtisſima* tamen *Bibliotheca Auguſta Wolffenbuttelenſi* latitantem, juſſu atque autoritate *Serenisſimi Ducis* RUDOLPHI AUGUSTI, *Principis literatisſimi*, in lucem producere par fuit & antiqua virtute dignum. Servent poſteri *Clemangium*, & *Clemangii conſiliis* publicam rem ſervari animadvertent! Cui merito ex MScto Wolf. hoc damus monumentum, quod inter alia dederat ſuo Jacobo de Noviano, Viro doctiſſimo:

QUis te laude prior, meritis præſtantior, alta
  Celſior in ſpecula numinis ac ſuperum?
Neſcio digna tuis meritis quæ verba licebit
  Promere. Nam te res vocibus anteferunt.
Ingenii lumen quis laudibus efferat aptis?
  Candidius nullum circulus orbis habet.
Quis tantas animo vigili comprenderat artes?
  Quis memori melius mente tenebat eas?
Te nullæ rerum penitus latuere latebræ:
  Natura & ſtudiis ceſſerat ipſa tuis.
Abdita ſcrutari noras, & pandere clauſa:
  Ipſa acies penetrans pervia quæque dabat.
Quid loquar eloquium clarum, dulce atque diſertum,
  In quo vix aliquem liquerat ille parem.
Quid referam moresque graves, moresque modeſtos?
  Quid pia, caſta, Deo corda dicata canam?
Cetera virtutum quid proſequar agmina longe
  Nobile quæ pectus incoluere ſuum.

Digitized by Google

Hermannus von der Hardt/

Lectori S.

EN apertum atque *ſincerum infucatumque pectus Clemangii*, cui ut Eccleſiæ ita & Conſtantienſis concilii ſalus curæ cordique fuit. De cujus *candore* nemini niſi *Spondano*, inclementi Clemangiani genii judici, dubium ſuboriri queat, qui ægerrime fert, quod Clemangius de Concilio Romano, 1412 à Johanne XXIII. ægre cogi cœpto, tam candide commemorarit, quod ex aliis fide dignis acceperat. Quod ſcil. illud vix inchoatum, cum ludibrio omnium præſentium, nec ſine pudore Johannis XXIII. mirabili fato ſubito ſit diſſipatum. Uti ſupra *Capite V.* plenius indicavit Clemangius. Concilium illud à Johanne celebratum non negat Spondanus, ſed ſpectaculum non admittit, quod ægro in Johannem XXIII. affectui tribuit.

Verum Johannis XXIII. id genus erat vitæ, quod in proxime ſecuto Conſtantienſi Concilio publicam mereretur notam, exilium, & carcerem. Cujus rei cum aliis omnibus illius ætatis ſcriptoribus, ipſisque publicis Concilii actis, luculentiſſimus teſtis *Theodericus a Niem*, in *vita* hujus *Johannis XXIII.* quam *Tomo II.* ex MSCtis exhibebimus. Idemque jam nunciavit *Theodoricus Vrie*. Quid mirum ergo, eum, cui vitæ honeſtas tædium, conſcientiæ puritas opprobrium, ſubito bubonis conſpectu territum, & confuſum, ut pudor ex conſcientiæ terrore ortus vix cœptam congregationem diſſolveret? Affectus potius *Spondani* nimius in Johannem, affectui in Clemangium dicam ſcripſerit. Ut ſolet affectio animi judicium faſcinare. Sane integritas deſiderii Clemangiani pro reformatione totius Eccleſiæ ex toto ejus vitæ ſcribendique genere abunde liquet.

Vitam proinde *Clemangii*, quam apud neminem deprehenderemus plenius conſcriptam, omni ſtudio concinnavimus. Quod lectori non ingratum fore confidimus. Quippe quod non ſolum jucundum ſit, fata fortunamque doctorum virorum noſſe, ſed & ſingularem fructum polliceatur. Cum *vitæ clarorum virorum* ſint luculentæ virtutum imagines, quarum intuitu felicius ad æmulationem excitamur, quam moleſtis præceptis.

Digitized by Google

Pia hæc
Emendationis vota
concepta
a
NICOLAO DE CLEMANGIIS
Theologo & Oratore Gallo
Ab anno M CCC XCIII
Ad annum M CCCC XV
medium Concilii Conſtantienſis fermentum
WENCESLAO, RUPERTO
&
SIGISMUNDO
IMPERATORIBUS.
Deſcripta
A. M CCCC LXXX
ab
EUCHARIO TROSTHER
Eccleſiæ Argentinenſis Præbendario
Regnante
FRIDERICO III. IMPERATORE.
Luci reddita
Ex vetuſto & genuino MSCto Wolfenbuttelenſi
Helmſtadii in Academia Julia
A. M DC XCVI.
Menſe Majo
Imperante
LEOPOLDO
CÆSARE AUGUSTO
VIRTUTIS LITERARIÆ
ÆQUE AC BELLICÆ
STATORE AUGUSTISSIMO.

Et
fauſto quidem omine
candidum pectus
Clemangii
Priſcæ virtutis præclarum monumentum
lucem vidit
DIE XVI. MAJI
Candidiſſimo
ac
Fauſtiſſimo
NATALI
SEPTVAGESIMO
SERENISSIMI PRINCIPIS
RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.
DUCIS
Literatorum Mæcenatis
Auguſti,
Operis hujus novi
Magni Concilii Conſtantienſis
Hiſtoriam complexi
Conditoris Celſiſſimi,
Cujus gratiâ
Clemangius vitam
Orbis Clemangium
Candor lucem
Literæ decorem
Impetrarunt.
ÆTERNUM VIVAT, QUI VITAM CONCILIAVIT
CANDORI ET STUDIIS, CONCILIOQUE SACRO!

Digitized by Google

TOMI I. PARS III.

NICOLAI DE CLEMANGIIS

Theologi & Oratoris Galli

Qui ſub Concilio Conſtantienſi claruit,

memorabile opuſculum

DE
RUINA ECCLESIÆ
CIRCA TEMPORA
CONCILII CONSTANTIENSIS.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

Ex vetuſtiſſimis MSCtis BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS

recenſitum

ab

HERMANNO von der Hardt / Oſnabrugenſi,

Acad. Helmſtad. Profeſſore.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

Digitized by Google

Autor Paralipomenon
Abbatis Urſpergenſis.

***

Anno Domini
M CCCC XVII.
Temporibus
SIGISMUNDI IMPERATORIS
&
Concilii Conſtantienſis
claruit
NICOLAUS CLEMANGIS
Archidiaconus Bajocenſis
Doctor Theologiæ Pariſienſis
Qui
De Corrupto Eccleſiæ ſtatu
ſcripſit
Quibus rationibus
Res Eccleſiaſtica creverit
&
Decreverit pietas.

Digitized by Google



Lectori S. D.
HERMANNUS von der Hardt.

C*LEMANGIUM de Concilio Conſtantienſi admodum ſollicitum* vidimus. Sed necdum deſerere virtus tanti viri admittit. Literis publicis ad Carolum VI. Galliæ Regem & Benedictum XIII. Pontificem Avinionenſem, *miſeram Eccleſiæ faciem* graphice depingere, pietas ſuaſit. Ad *remedia* capeſſenda ſumma illa regni & Eccleſiæ capita excitare, zelus imperavit. *Emendationem morum in Eccleſiaſtico ſtatu* impenſe urgere, devotio mandavit. Dein Concilio Conſtantienſi ingruente, illuc convolantibus *ſaluberrima conſilia* ſuggerere, religio juſſit. Ipſum porrò cum ſolenniſſime eſſet Conſtantiæ coactum Concilium, inque pleno exiſteret fermento, Aſſeſſores illuſtriſſimos hortari, *decretaque publica Conciliaria moderari* ac temperare monitis, publicæ ſalutis amor urſit. Quin imò ſalubres ſcrupulos Concilio injicere, animi præſentia docuit. Quæ cuncta ex ſuperiori opuſculo abunde conſtant.

His Clemangianis adjicere nunc porro animus erat *Epiſtolam*, (quid ſi Clemangii?) *nomine Chriſti ad Conſtantienſe Concilium ſcriptam*, acria ad dignam Eccleſiæ reformationem calcaria, validaque à negligentia in arduo hoc ſaluberrimoque negotio retinacula. Cujus *Epiſtolæ MSCtum exemplar* in *Eccleſiæ Brunſvicenſis Andreanæ Bibliotheca* ſuperiori adhuc ſeculo comparuiſſe teſtatur *Flacius*, oculatus abſque dubio teſtis, in *Catalogo teſtium Veritatis libr.* 19. *& Johann. Wolfius, Lectionum memorabilium Tom. I. f.* 764. *Extat*, inquiunt, *in BIBLIOTHECA S. ANDREÆ BRUNSVIGÆ epiſtola, Chriſti nomine*

ne ad Concilium Conſtantienſe ſecundo Concilii anno ſcripta. Cujus ſumma & verba hac ferme ſunt: Quod Concilium promittens reformationem Eccleſiæ, nec tamen reformans Papam & curiam, ſimile ſit fabulæ Æſopicæ, cum parturiunt montes & naſcitur ridiculus mus. Quare reformationem à Papa aliisque ſummi ordinis ſpiritualibus inchoandam eſſe.

Graviſſimæ hujus ac memorabilis epiſtolæ, ſive Clemangianæ, ſive Alliacenæ, ſive alterius, viſendæ deſiderium, *Sereniſſimum Brunſvicenſium Ducem* RUDOLPHUM AUGUSTUM, his monumentis aſſervandis occupatiſſimum, movit, ut in ſua iſthac urbe *BRUNSVIGA*, in laudatæ *Eccleſiæ Andreanæ Bibliotheca*, vel ruderibus ejus, perquiri juberet, numquid ſupereſſet. Quod ex clementiſſimo mandato *Sereniſſimi Ducis* omni diligentia præſtitum. Plus ſimplici vice omnes MSCtorum atque impreſſorum antiquorum Voluminum reliquias ſigillatim excuſſi, ut vix folium manibus excidere poſſet, præſente atque adjuvante *Venerando Eccleſiæ illius Paſtore*, Dn. WEISSIO, Viro doctiſſimo, amico integerrimo. *Reliquias*, inquam, *Bibliothecæ Andreanæ*. Magnam enim & præclaram olim fuiſſe Bibliothecam, permagno MSCtorum numero conſpicuam, ex Eccleſiæ illius monumentis documentisve, nec non Bibliothecæ dote annua inſigni, luculenter conſtat. *Membranaceorum MSCtorum* vix ullæ reliquiæ. *Chartaceorum* aliquis adhuc numerus viſitur.

Ad *Concilii Conſtantienſis hiſtoriam* pertinentia *Volumina plurima* ibi aſſervata olim fuiſſe, non ſolum *Inſignia* eruditorum virorum, qui illo tempore vixerunt, libris adhuc nonnullis inſcripta teſtantur, ſed & ex *Actis Concilii Conſtantienſis atque Baſileenſis* reſiduæ chartæ nonnullæ, magno cum gaudio exceptæ, nunciant. O miſera rei literariæ fata in publicis olim motionibus. Triſtem fortunam literarum in bellis, nedum incendiis. Ut taceam injuriam, ab illiteratorum manibus illatam, quas membranæ pretium & pulchritudo magis quam inſcriptarum rerum religio traxit!

Sic ergo in illo curato ſuperſtitis literariæ farraginis excuſſæ ſcrutamine *non comparuit* laudata à Flacio *epiſtola* publica. Vidiſſe Flacium & legiſſe, *argumentum ejus* ab ipſo formatum ſubindicat. Sed abiit jam, evaſit, erupit, exceſſit. Tametſi verò *Flacius*, convaſandis MSCtis optimis eſſet clariſſimus: Ex cujus Bibliotheca plurima MSCta in Academiæ noſtræ Helmſtadienſis Bibliothecam, Sereniſſimi Ducis Julii glorioſiſſimæ memoriæ gratiâ, commigrarunt, nec pauca in Auguſta Wolffenbüttelenſi ſuperſunt: Ex quorum Flacianorum MSCtorum numero volumen eſt MSCrum Epiſtolarum Clemangianarum, ſupra abunde commendatum, manu Flacii poſſeſſoris inſcriptâ: Hanc tamen *epiſtolam ex Andreana Brunſvicenſi Bibliotheca* à Flacio non eſſe impetratam, ſed ab illo quidem relictam, ex eo patet, quod *in ea exiſtere* publice aſſeverarit. Cujuscunque tandem culpâ, *diſparuit* ſane.

Qua-

Digitized by Google

Quapropter *Flaciano* illo *Epiſtolæ argumento* contenti, ne omnino nihil ejus ſupereſſe conqueramur: Ad *Clemangium* noſtrum jam revertimur, qui defectum iſtum ſuis monumentis pari gravitate venerandis compenſet. Corripuerat & hic Concilium Conſtantienſe, pro ardente pectoris ſui ſpiritu, quod in tractando præcipuo Emendationis Eccleſiaſticæ negotio ab ardore videretur remittere, vel aliis non neceſſariis rebus abſtrahi ſe ſineret.

Quod proinde *morbus Eccleſiæ*, qui eam exhauſerat, enervaverat, proſtraverat, & tantum non extinxerat, plenius atque penitius eſſet cognoſcendus, ut totius Chriſtiani orbis *remedium* & auxilium parari ac ferri poſſet *in univerſali omnium congregatione Conſtantienſi*: Opus erat maxime radicati illius ac diuturni ſed & *immedicabilis* fere *morbi ſacri publica deſcriptione.*

Dedit & hanc præſenti opuſculo CLEMANGIUS noſter, *Academiæ Pariſienſis Profeſſor ac Rector*, Anno circiter 1394. Clemente VII. Avinioni defuncto, & Benedicto XIII. ſ. Petro de Luna ad Papalem dignitatem evecto. Adeoque aliquot annis ante Concilium Conſtantienſe. Quo ſcripto abſque dubio Principum & Magnatum oculi aperti atque illuſtrati, ut Eccleſiæ morbum clarius viderent, & de remediis Piſanis atque Conſtantienſibus magis eſſent ſolliciti. Etſi ſint, qui in principio Conſtantienſis Concilii A. 1414. ſcriptum librum velint. Quod exacte definire parum refert.

In exordio ſuperioris ſeculi A. 1519. typographiæ artem primùm eſt expertum hoc opuſculum Clemangianum, hoc in fronte gerens ſymbolum: *Nicolaus Clemangis Archidiaconus Bajocenſis, Doctor S. Theologiæ Pariſienſis, de corrupto Eccleſiæ ſtatu. A. Moventius lectori: Docebit hic te liber, quibus rationibus res Eccleſiaſtica creverit & decreverit pietas. Flebis lector, niſi ſaxeus es, imò potius, (quando nihil flendo proficitur) Deum Opt. Max. precaberis, ut ſuam à nobis iram avertat, cæcas nimirum mentes & pectora cæca.* Edidit libellum, qui præfationem præmiſit, *Eubulus Cordatus*, ſive ſub illo nomine *Euricius Cordus*, vir celebris, lateret, ſive *Ulricus Huttenus*, literatiſſimus Eques Francus, ſive alius.

Calci operis adjecit primus editor ex vetuſto quodam codice deſcriptos rithmos, quibus Romanæ curiæ *Simonia* præcipue taxata, quos genio Clemangii reſpondere, operique de corrupto Eccleſiæ ſtatu concinere judicavit. De quibus *parte octava hujus Tomi agemus*.

Prima iſthæc *Clemangiani libelli editio* tam *corrupta*, ut nihil ſupra. Nullus ſæpe ſenſus, & ſi quis ſit, contortus fere, nec menti autoris ſatis reſpondens. Et nihilominus tum *Lydius* in ſuo Clemangianorum opere, tum *Johannes à Fuchte*, hujus Academiæ olim Profeſſor Theologus, ex prima illa vitioſiſſima editione repetierunt.

Ceterùm, uti viris illis habenda gratia, quod dare voluerint quod inveniſſent, ita poſterorum eſt defectus reſarcire, *melioribus MSCtis* oblatis. Quod igitur ea nobis obtigerit fortuna, ut non ſolùm *Epiſtolarum Clemangianarum Codicem MSCtum genuinum* adipiſceremur, ſed & *hujus* quoque *Clemangiani opuſculi præſtantiſſimos codices*

MSCtos nanciſceremur, è re literaria totiusque poſteritatis fore fuit viſum, *genuinum* & hic ſiſtere *Clemangium*, MSCti antiqui non unius ope.

Quod ergo ad noſtros jam attinet *Codices MSCtos*, in quibus *verus Clemangius* latuit, in lucem à nobis pro Viri meritis adductis, habentur *illi* gemini in *Academiæ noſtræ Juliæ Helmſtadienſis Bibliotheca publica.*

Hi *duo codices MSCti*, diverſa manu exarati, exacte fere inter ſe conveniunt, ſingulari ſtudio conſcripti. Singulare verò eſt, quod in utroque hæc ſit inſcriptio: *Opuſculum de Ruina ſuper Eccleſiam futura, tempore ſchismatis editum, ſub quadam meditatione per Magiſtrum Johannem Gerſon ſuper ſtatu Eccleſiarum.* Clauditurq; utrumque MSCtum: *Hic finis opuſculi de Ruina Eccleſiæ.*

Unde primùm *novus* operis panditur *titulus, de ruina Eccleſiæ.* Ut adeo impreſſus & hodie cognitus ſit titulus: *De corrupto Eccleſiæ ſtatu*, ſcriptus vero & hactenus incognitus, *de Ruina Eccleſiæ. Trithemius* ſub priori charactere Opus quoddam Clemangii notaverat, unde reliqui hauſiſſe videntur, ſive Trithemius rei ſcriptæ titulum ipſe dederit ſive invenerit. Olim namque multis libris nulli certi dati tituli, ſed ab amanuenſibus aut viris doctis demum attributi. Tametſi igitur re non differant hæ inſcriptiones, retinere tamen maluimus eam, quam in MSCtis deprehendimus, de *Ruina Eccleſiæ*, ob venerationem MSCtis debitam.

Deinde *autor operis* videtur definiri *Gerſon*, infinitis opuſculis aliàs Clariſſimus. Nihilominus, quod ambiguitate non careat hæc inſcriptio, quæ potius occaſionem hujus ſcripti ſubindicet, nempe quod Gerſon ſimile fere jam ante edidiſſet, cujus veſtigia in hoc libello lecta: Non Gerſoni dare, ſed *Clemangio* reddere libuit, tametſi in titulo non eſſet commemoratus, quippe cui non ſolùm omnis ætas tribuiſſet, ſed & ex ſtylo dignoſci poſſet & genio.

Quod vero ad *opus ipſum* tandem ſpectat, longe alia *capitum* eſt *diſtinctio in MSCtis* quàm in impreſſis. Exhibuimus igitur, quam in MSCtis reperimus.

Capitum quoque alia nonnunquam *argumenta* in MSCtis. Et hæc ex MSCtis religioſe deprompſimus.

Oratio tandem in editis lacera ſæpe, & deformi hiatu manca atque mutila, dein vitiata centies. *In MSCtis* ſuæ integritati reſtituta.

Ex MSCtis igitur *verum* atque *politum Clemangianum calamum* mutuavimus. Ut hoc pacto orbis eruditi deſideriis ſatisfaceremus, *genuino* Clemangio luce digniſſimo ab oblivione liberato, ab interitu ſervato, doctæque poſteritati commendato.

IN-

INDEX CAPITUM
operis Clemangiani.

PRæfatio.

CAPUT I.

Cauſa primitivæ fundationis & dotationis Eccleſiarum & monaſteriorum.

Cap. II.

De inſolentia, orta ex affluentia rerum temporalium in Eccleſia.

Cap. III.

De tribus vitiis, ex quibus cætera mala orta ſunt in Eccleſia.

Cap. IV.

De exorbitantiis, per Summos Pontifices in Eccleſia introductis.

Cap. V.

De abolitione electionum & reſervatione beneficiorum.

Cap. VI.

De Camera Apoſtolica.

Cap. VII.

De Expectativis, & qualitate currentium ad curiam Romanam.

Cap. VIII.

De vacantiis, & aliis vectigalibus Eccleſiam opprimentibus.

Cap. IX.

De Inſtitutione Collectorum, & malis per eos illatis.

Cap. X.

De litigiis Curiæ Romanæ.

Cap. XI.

De regulis & Conſtitutionibus Cancellariæ.

Cap. XII.

De proſperitate curiæ Romanæ.

Cap. XIII.

De ſtatu & introductione Cardinalium.

Cap. XIV.

De multitudine beneficiorum Cardinalium & eorum incompatibilitate.

Cap. XV.

De contractibus Simoniacis Cardinalium.

Cap. XVI.

De ſtatu beneficiorum Cardinalium.

Cap. XVII.

De omiſſione multiplicium vitiorum Cardinalium.

Cap. XIIX.

De promotionibus, ad inſtantiam Principum per Papam ſolitis fieri.

Cap. XIX.

Quod congregatio pecuniæ ſit præcipua cura prædictorum Cardinalium.

Cap. XX.

De vitiis Prælatorum.

Cap. XXI.

De promotoribus jurisdictionis Epiſcoporum, & eorum abuſibus.

Cap. XXII.

De exactionibus pro Concubinis tolerandis.

Cap. XXIII.

De collatione Simoniaca ſacrorum ordinum.

Cap.

Digitized by Google

Cap. XXIV.
De indignis & indigne promotis ad ſacerdotium.
Cap. XXV.
De perpetua abſentia Prælatorum ab Eccleſiis ſuis.
Cap. XXVI.
De Prælatis in Curiis Principum reſidentibus.
Cap. XXVII.
Quod tales Prælati mercenarii dicendi ſint.
Cap. XXIIX.
Quod utilior ſit talium Prælatorum abſentia à ſuis Eccleſiis quam præſentia.
Cap. XXIX.
De Capitulis & Canonicis.
Cap. XXX.
De pace & fraternitate Canonicorum.
Cap. XXXI.
De cauſa exemptionum pro correctione vitanda.
Cap. XXXII.
De vita & moribus Monachorum ſuæ profeſſioni repugnantibus.
Cap. XXXIII.
De Mendicantibus & de eorum vana jactatione & gloria.
Cap. XXXIV.
Quæſtio de Perfectione Mendicantium.
Cap. XXXV.
Quod humilitas ſit fundamentum perfectionis.
Cap. XXXVI.
De impudica vita & converſatione monialium.
Cap. XXXVII.
Comparatio morum modernorum cum moribus priſcorum patrum.
Cap. XXXIIX.
Converſio autoris ad Deum.
Cap. XXXIX.
Excuſatio autoris ſuper generali deſolatione Eccleſiæ, occaſione Eccleſiaſtico rum.
Cap. XL.
Quare de bonis viris autor ſileat.
Cap. XLI.
Quod ſtatus Eccleſiaſticus merito patiatur.
Cap. XLII.
Quod Eccleſiaſticus ſtatus propter ſuperbiam tendat ad ruinam.
Cap. XLIII.
Quod Eccleſia prius humilianda ſit quàm erigenda.
Cap. XLIV.
Quod Schisma fuerit initium deſolationis Eccleſiæ.
Cap. XLV.
Si Eccleſia florere & fructificare habeat, quod neceſſaria ſit in omni ſtatu Eccleſiæ morum reformatio.
Devota oratio autoris pro ſalutari fructu reformationis conſequendæ.

NICO-

Digitized by Google

NICOLAI DE CLEMANGIIS
Theologi & Oratoris Galli, Qui ſub Concilio Conſtantienſi claruit,
De Ruina Eccleſiæ circa tempora Concilii Conſtantienſis.
Ex MSCtis Academiæ Helmſtad.

PRÆFATIO.

CUm heſterna die *ſacrorum eloquiorum codicem* arripuiſſem, &, quæ primum obvia fuit, *primam Petri epiſtolam* legere cœpiſſem, incidi in ea verba, quibus Apoſtolus ait: *Tempus eſt, ut incipiat judicium a domo DEI.* Quæ non, ſicut partes ceteras epiſtolæ, in transcurſu pervolavi, ſed, lectionis impetu aliquantulum remorato, concuſſam, *horrore* quodam quaſi repente *ſuborto*, mentem meam in his hærere coëgi, atque in ſe verba illa altius tenaciusque defigere.

Calamitas Eccleſiæ ante Concilium Conſtantienſe.

Occurrerunt illico animo ſatis horenti & perturbato preſſuræ ac *calamitates*, quas nunc Eccleſia perfert, quascunq; majores multò, niſi falſum mens conjicit, paſſura eſt.

Cauſa malorū iſtiꝰ ætatis.

Occurrerunt & pariter *cauſæ tantorum malorum* juſtiſſimæ. Nam cum *Eccleſiæ* ipſius *miniſtros*, quorum dos & poſſeſſio Chriſtus eſſe debet, ab omni contagione terrenæ cupiditatis excuſſos eſſe oporteat: Cum *pudicos* eſſe conveniat, & ab omni inquinamento carniſque petulantia alienos, qui cœleſtia ſacramenta preciumque duriſſimum redemptionis humanæ tractant, conficiunt, aliisque conferunt: Cum *pii* eſſe debeant, qui piiſſimum judicem vicaria ſorte repræſentant: Cum *juſti*, qui juſtisſimum, *humiles*, qui humillimum, *concordes* & pacifici, qui pacis & concordiæ inter Deum & homines eſſe debent conciliatores ac mediatores: Poſtremò cum eos deceat *omni luce virtutum* clareſcere, qui in ſpecula poſiti, forma & *exemplar vivendi* ceteris eſſe debent: Sed pro his atque aliis, quibus adornari deberent virtutibus, *omnium colluvione vitiorum* contaminati ſunt: Quid tandem mirum, ſi illis multa adverſa eveniunt, aut ſi averſus ab eis Deus, ſuorum immanitate facinorum, dicat per verba Pſalmi: *Odivi Eccleſiam malignantium.*

Eccleſiaſtici ſint caſti, pii, juſti, humiles, concordes, exemplum virtutum. Sunt depravati. Quare plectūtur.

Vitia cleri. Cupiditas Eccleſiaſticorum.

Atque ut pauca de *vitiis ipſorum*, quibus ab irato Deo jure affligi meruerunt, enumerando perſtringam: Primum *à cupiditate*, quæ omniū fomes ac *radix eſt malorum*, initium ſumamus.

CAPUT I.
Cauſa primitivæ fundationis & dotationis Eccleſiarum & monaſteriorum.

Priſci Eccleſiæ miniſtri virtuoſi,

NEmo eſt, ut opinor, qui non ſatis audierit, & mente teneat, quantum *priſci Eccleſiæ miniſtri*, viri utique probata *virtute* clariſſimi, omniumque temporum laude meritò celebrandi, terrenam opulentiam contempſerint: Quam nulla cura vel labore temporalia commoda quæſierint: ſolis *victu & veſtitu*, eisque pertenuibus abunde *contenti*. *Habentes*, inquit Apoſtolus, *victum & veſtitum, his contenti ſumus.*

paucis contenti,

Quam *liberaliter* rem familiarem, ſi aliunde uberior obvenerat, ad inediam

liberales,

CAPUT II.

De inſolentia, orta ex affluentia rerum temporalium in Eccleſia.

Ex opibus luxus & inſolentia.

UBi vero, ut fieri aſſolet, paulatim ex divitiis rerumque ſecularium affluentia, *luxus* & *inſolentia* in Eccleſiam ſubiere, tepeſcere ſenſim cœpit *religio*, *virtus* hebeſcere, ſolvi *diſciplina*, *charitas* minui, tolli *humilitas*, *paupertas* opprobrium eſſe ſimulque *parſimonia*.

Luxus præſidiũ avaritiæ.

Sed ut pompis & luxui res ſubeſſet, *avaritia* crebeſcere. Quæ non ſuis diu contenta finibus, *aliena* non modo ambire, ſed *rapere* & invadere moliretur, inferiores opprimere, & tam jure quam injuria ſpoliare.

Avaritia peſtis Eccleſiæ.

Et quoniam latiſſimum hunc campum ingreſſi ſumus, licet de *execrabili hac peſte*, quæ *Eccleſiam* jam adeo conſumpſit, ut pauca reſtent conſumenda, paulo latius eloqui. Ordiri autem rectiſſimè à prophetico poſſumus oraculo, & cum ſancto Propheta Hieremia de *miniſtris noſtris* veriſſime hodie dicere, *à minimo uſque ad maximum omnes avaritiæ ſtudent, & à Propheta uſque ad ſacerdotem, cuncti faciunt dolum.*

Quid enim ſatis dicere de eorum *avaritia inexplebili* poſſumus, quæ laicorum omnium negotiatorum cupiditatem ſuperare videtur, imo quæ ſecularibus vniverſis, ſeu principes ſeu plebei ſint, omnis injuſticiæ, doli, fraudis & rapinæ provocatio eſt & incitamentum. Dum ſimplices oviculæ *paſtorum* ſuorum *exempla* imitantes, quæ eos agere videant ſibi licere arbitrantur.

Paſtores exempla gregum.

Sed nos iſtius peſtis nephariæ *ab ipſo ſummo vertice uſque ad pedes* originem & proceſſum videamus. Poſtquam, ſicut jam dicere cœperam, *ex rerum opulentia*, *ſtudium temporalium* mentes ſervorum Domini occupare cœpit, Deo ſimul & Mammonæ, duobus Dominis tam adverſariis, non potuerunt pariter deſervire. Fuit itaque neceſſarium, ut, quantum diligentiæ in unius ſervitium impenderent, tantum alteri ſubtraherent. Quanto vero amplius animum ad *temporalium lucra* adjecerant, tanto magis illa ſitire, tanto amplius immergi in illis, ſicque à cœleſti amore longius averti cœperunt. Hanc enim *divitiarum naturam* novimus, ut quo uberius habentur, eo abundantius animum ad ſui ſemper incrementum majori accendere ſoleant concupiſcentia.

Studium opum in toto olim clero.

Divitiarum indoles.

Ita igitur factum eſt, ut *paulatim* extincto in cordibus eorum ſpiritu, frigeſcente caritate, tepente devotione, Deo denique oblito, *ſolis terrenis fructibus capeſſendis* inhiarent, ſola in dignitatibus beneficiisque aliis *emolumenta* penſarent.

Devotio opum mole extincta.

Nulla prorſus *hodierna die* in aſſumendis *paſtoralibus ſarcinis*, in *curaque animarum* ſubeunda, de ſervitio divino, de ſalute ſubditorum aut ædificatione, mentio habetur. De *proventuum ubertate* tantummodo & quantitate quæritur.

Prima paſtorum cura de proventibus.

Nec verò tantopere quæritur, quanti ſit *præſenti* homini & in Eccleſia rite ſervienti *valor beneficii*, quam quid ſuo poſſeſſori, longius otia agenti & perpetuo fortaſſis abſuturo, *annuo proventu* reddere valeat.

Quis enim beneficium *non poſtulans? Neque* enim cuiquam, quantumlibet merito, *abſque poſtulatione* inſtanti & importuna *tribuitur.*

Munera petuntur non offeruntur.

Quis enim talis petitor, qui ſanctos veneraretur, in *Eccleſia per eum requiſita* inveſtigavit, quæ illic ſanctorum dotes, quæ capſæ, quæ reliquiæ habeantur? Quis *de qualitate plebis*, cui præeſſe expetit, *de moribus aut vitiis* interrogat? Quis *monaſterium* cupiens, de regulæ in illo obſervatione, de tenore religionis, cultu cæremoniarum, ſubditorum diſciplina, percunctatur? Quis humerorum ſuorum *vires* librat, an ſufferendo oneri, cui ſe ſuppone-

Eccleſiaſticorum cura, ovium vellera non vita.

Digitized by Google

re quærit, ſufficiat? Quis ſua aut ſubditorum *pericula* conſiderat? Quis eis prædicat aut evangelizat? Quis *viam*, per quam *ad ſalutem* perveniant, *facto* aut *verbo* demonſtrat? Imò verò, quis hodiè Prælatorum non, quacunque via poteſt, ſuos undique ſubditos ſpoliat? Quis eorum miſeretur inopiæ, paupertati condolet, ſubvenit indigentiæ? Imo quis indigentiam ipſorum non jure & injuria amplificat?

Et, ut ita rem ſe habere, *à ſupremo Eccleſiæ vertice usque ad membra humilima*, doceamus; Primum de ipſo *capite*, à quo cetera pendent, ſi placet, inſpiciamus. *Pontificū olim conditio ante Concil. Conſt.*

Cap. III.

De tribus vitiis, ex quibus cetera mala orta ſunt in Eccleſia.

Fundus & grado malorum in Eccleſia. POſtquam ergo affluente rerum mundanarum exuberantia, & *majorum virtutibus poſthabitis*, immenſa *avaritia*, cum cæca *ambitione*, *virorum Eccleſiaſticorum* invaſit animos; Quod ad hoc conſequens fuerat, & *faſtu* elationis atque *dominationis* extolli cœperunt, & *luxu* effeminato reſolvi.

Tribus itaque dominis exactoribus, utique infeſtiſſimis, fuit ſatisfaciendum: *Luxus.* *Luxui*, qui delitias vini, ſomni, epularum, muſicorum, ludorum effœminatorum, lenonum, ſcortorumque expoſcebat: *Faſtus.* *Faſtui*, qui domos excelſas, caſtella, turres, palatia, lautam & abundantiſſimam ſupellectilem veſtium cariſſimarum, equorum, familiarum, pompaticam requirebat oſtentationē: Et ſuæ *cupiditati*, quæ ingentes ad hoc theſauros ſtudioſiꝰ condebat, ut ad præmiſſa explenda ſuppeterent, aut ſi ſatis aliunde explicata eſſent, ad paſcendum ſaltem, ex figuræ numiſmatis inani aſpectu, oculorum delectationem. *Cupiditas.* Quorum procul dubio dominorum inſatiabilium ad exequenda mandata deſideriaque perficienda, *aurea*, ut in fabulis eſt, Saturni *ſæcula*, ſi orbi hac tempeſtate recurrerent, vix ſufficere poſſe viderentur.

Quoniam ergo ad ea agenda, quæ hæ *tres rapaces harpijæ* exquirebant, nullus, quantumlibet *opimus* & reditibus ampliſſimus *præſulatus* ſufficere poſſe compertus eſt, *ſubſidia* aliunde, quibus eis ſatisfieret, excogitata ſunt. *Nova ſubſidia.*

Cap. IV.

De exorbitantiis, per ſummos Pontifices in Eccleſia introductis.

Summorum Pontificum dominādi libido. SUmmi enim *Pontifices*, ut tandem ad eos veniam, qui quanto primatu & *auctoritate* ſe videbant ceteris præſtare, tanto in hujus primatus & ſupremæ poteſtatis argumentum, plerumque ſe ſuper alios *libidine dominandi* extulerunt: Cernentes, *emolumenta* Romani epiſcopatus, Petrique *patrimonium*, ſuper regna quæque *ampliſſimum*, licet eorum ignavia ſatis jam attenuatum, ad *ſtatus eminentiam*, quam *ultra imperatores* & reges, omniumque gentium, in excelſum extollere ſtatuerunt, nullo modo ſuffectura: In *aliena ovilia*, fœtu, lana & lacte copioſa, incurrerunt.

Caput V.

De abolitione electionum, & reſervatione beneficiorum.

Omni-

Miniſteria ſacra non electione ſed venditione conſtituta.

Omnium quippe *Eccleſiarum vacantium*, quacunque per orbem terrarum Chriſtiana religio protenditur, omnium præſulatuum, aliarumque dignitatum, *electione* fieri ſolitarum, *jura* & *collationes* ſibi attribuerunt, *electiones* ipſas, à ſanctis olim patribus cum tanta vigilantia & utilitate inſtitutas, caſſas atque *irritas eſſe* decernentes. Ut vel ſic ſua ulterius *explere* poſſent *marſupia*, ex omnique provincia, Chriſtiano nomini dedicata, *molem auri atque argenti* infinitam, ad ſuæ opus *cameræ*, ſedula negotiatione congregare.

Cap. VI.

De Camera Apoſtolica.

Camera Romana vis ante Cōc. Conſt.

Quæ *camera* quanti conſtiterit, quantum univerſas Eccleſias, *regna* pariter & provincias *exhauſerit*, & *incurabile* eſt & prorſus incredibile.

Sed forte *Romanæ ſedis antiſtites*, creationem Pontificum, collationemque ſuperiorum graduum Eccleſiæ, idcirco *abolitis electionibus* ad ſuum revocarunt arbitrium, ut, ſua proviſione, ſalubrius conſuleretur Eccleſiis, *rectores*que in illis, tum *vita* laudabiliores, tum *doctrina* præſtantiores, inſtituerentur. Erat, cur hac de cauſa quis factum crederet, niſi res ipſa ex adverſo reclamans, apertius doceret, poſteaquam hæc facta ſunt, *ignaros inutilesq́ homines*, dummodo *pecunioſos*, ad gradus ſublimiores Eccleſiæ *patrocinio Simonis* evectos. Qui ſuſcepta creditaque ovilia qualiter adminiſtrent, poſterius dicam.

Ignari ad ſacra evecti, munerum beneficio.

Cap. VII.

De exſpectativis, & qualitate currentium ad curiam Romanam.

Eccleſiarum patroni jure ſuo olim exuti & privati per ſummos Pontifices.

Sed de *ſummis Pontificibus* inchoatus ſermo prius mihi abſolvendus eſt, qui ut regifico luxu, ſuum, quemadmodum in votis habebant, ſupra omnes mortalium magnificentias, ſtatum exaltarent, non ſolum ea egerunt, quæ de electionibus audiſtis, verum ut *aurei rivuli*, omni ex parte derivati, ſuam uberius curiam irrigarent, omnibus diœceſanis & *patronis præſentandi facultatem conferendique libertatem*, quoquo ve alio modo de ſuis beneficiis diſponendi, *ademerunt*, interdicentes illis ſub pœna anathematis, ne *auſu temerario* (ſic enim illorum loquitur tritum jam frequentiori uſu reſcriptum) in quovis beneficio ſibi ſubjecto aliquem inſtituere præſumerent, quamdiu quis occurreret ex illis, quos *ſua auctoritate* beneficia illa exſpectare conceſſerant, qui illud adipiſci vellet.

Quantus verò, Deus optime, *exſpectantium* numerus, ex illo tempore, & *inæqualium* undique affluxit, atque ubi præſto fuit! Non tantum *à ſtudiis* aut ſchola, ſed *ab aratro* etiam & ſervilibus artibus, ad parochias regendas, ceteraque beneficia, paſſim proficiſcebantur. Qui paulo plus Latinæ linguæ quàm Arabicæ intelligerent. Imò qui & *nihil legere*, & quod referre pudor, alpha vix noſſent à betha diſcernere. Ac *morum* in illis *compoſitio*, hanc forte *ignorantiam excuſabat*. Imò ſi parum docti, negligentius aut intelligentius morati: utpote qui *abſque literis* in otio educati, nihil niſi impudicitias, ludos, commeſſationes, jurgia, vaniloquia, conſectentur. Inde omnibus in locis tot *Sacerdotes improbi* & *miſeri* atque *ignari*, qui ruinæ & ſcandalo ſua turpi converſatione ſubditis ſunt.

Inter exſpectantes munera ſacra, olim erāt ignariſſimi.

Contulit tamen & pulchelli.

Sacerdotum inſcitia ante Conc. Conſt.

Inde in ore vulgi tantus *ſacerdotum contemptus*, tanta vilipenſio. Inde totius *ordinis Eccleſiaſtici dedecus*, ignominia,

Digitized by Google

nia, opprobrium, & nimis erubeſcenda, ſi erubeſcere ſcirent, confuſio. Sed *frons* multorum attrita *erubeſcere non novit.* Quia, ſicut eſt apud Prophetam, *ſua confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt.* Olim ſummo in honore apud ſeculares ſacerdotium erat, & nihil venerabilius *presbyterali ordine:* Nunc verò nihil abjectius aut deſpicabilius.

CAPUT VIII.
De Vacantiis & aliis Vectigalibus Eccleſiam opprimentibus.

Camera apoſtolica olim charibdis.

Proventꝰ primi anni ad cameram Romanã ab omnibꝰ Eccleſiaſticis olim deferendi.

Exactiones graves.

ADjecerunt autem *ſummi Pontificis* perſonis Eccleſiarum & Eccleſiis ipſis, ultra præmiſſa onera, *vectigalia* alia, ad illam ſuam *cameram*, imò potius *charibdim*, fulciendam. Statuerunt namque, ut, quoties aliquem *virum Eccleſiaſticum*, quacunque foret dignitate vel conditione, *ex iſta luce migrare* contingeret, aut ſuum cum altero quovis qualecunque beneficium permutare, toties omnes *proventus primi anni ſecuturi*, certam ubiq; ad ſummam ſuo arbitratu *taxatos*, ſua memorata *camera* acciperet. Quod ſi illam fortaſſis *ſummam* annua fructuum collectio, aut ex diminutione fructuum, aut alia calamitate, conficere non poſſet, *triennali* vel quandoque *quadriennali fructuum exactione* ad ſummam ipſam pertingi voluerunt.

Decimæ.

Angariæ.

Viſitationes Eccleſiarum neglectæ.

Tributa, Eccleſiæ miniſtris impoſita.

Quid *prælatorum ſpolia*, quid creberrimas *decimas*, omnibus Eccleſiaſticis indictas, quid *angarias* alias commemorem? Quid *conceſſas* principibus ſuper clero univerſo *à Papa* & Pontificibus *exactiones*, cum ſeculari in illos ſolvendi coercitione? Quid retentas procurationes, & *ſine ulla viſitatione* ab ipſis Epiſcopis & Archidiaconis ubique ſubtractas? Qui neſcio, an majorem plagam Eccleſia ſuſtineat. Quantæ enim perniciei eſt, Eccleſiarum *viſitationes* rectorumque *reformationes* penitus *ſuppreſſiſſe* atque exſtinxiſſe, & de politiæ Eccleſiaſticæ deſtructione quæſtum atque emolumenta percipere? Quid infinita alia quotidiana *onera tributorum*, ab infortunatisſimis *Eccleſiarum miniſtris* exacta, quæ longum eſſet exequi particulatim, referam?

CAPUT IX.
De inſtitutione Collectorum, & malis per eos illatis.

Collectores redituum Pontificalium ante Concil. Conſt.

Autoritas excommunicandi data collectoribus.

AD hæc autem omnia exigenda, & ad illam, ſeu *cameram* ſeu potius *charibdim* dixerim, tranſportanda, ſuos per omnes provincias *collectores* inſtituerunt, illos videlicet, quos ſcirent in extorquendo argento, vel induſtria, vel diligentia, vel naturæ acerbitate *acriores*, & qui nulli omnino parcerent, nullum eximerent, ſed vel ex ſilice aurum elicerent. Quibus & *autoritatem* annuerunt, quoſcunque etiam prælatos *anathemate feriendi*, extraque cõmunionem fidelium exturbandi, niſi intra præfinitos dies de poſtulata pecunia ſatisfacere curaſſent.

Preſſæ Eccleſiæ.

importabile jugũ.

Quanta autem *hi collectores* mala egerint, quantum *pauperes Eccleſias ac perſonas oppreſſerint*; Ne nunquam ex loco iſto pateat exitus, utilius eſt præterire. Hinc illæ tot *querimonia* infelicium Eccleſiæ miniſtrorum, quas audivimus & crevimus, ſub *importabili jugo* ingemiſcentium, imo fame pereuntium. Hinc illæ *ſuſpenſiones à divinis*, illæ à templi liminibus *interdictiones*, illa *anathemata* graviſſima toties exaggerata. Quæ non niſi rariſſimo uſu &

ſu &

Digitized by Google

ſu & pro horrendo ſcelere à patribus infligi ſolebant. Quum per ea homo à fidelium contubernio ſegregatus, in poteſtatem Satanæ redigatur. Sed hodiernis diebus adeo invaluerunt, ut paſſim pro leviſſimo quoque delicto, ſæpè etiam pro nullo, inferantur, ſicque in nullum timorem, ſed in extremum pervenerunt conteptum.

Excommunicationum frequentia ante Concil. Conſt.

Hinc præterea illæ tantæ *Eccleſiarum ruina*, illa tot *monaſteriorum excidia*, illæ *ſacrarum ædium* tot in locis ſolo æquatarum *dejectiones*, dum ea, quæ in illis inſtaurandis ac reficiendis impendi ſolebant, in his tot *vectigalibus* exſolvendis impenduntur. Quin etiam, ut compertum eſt ex illis, quibus res accidit, ſacroſanctæ reliquiæ plærisque in Eccleſiis, *pro* horum *redditione tributorum*, cruces, calices, feretra, aliaque precioſa ornamenta, venierunt.

Templorũ ruina.

Quis neſcit, tot *abbatibus*, totque aliis *prælatis*, cum deceſſiſſent *cameræ præ inopia obnoxii*, *negata funeralia*, negata *exequiarum ſolennia*, negatam *humationem*, niſi forte in agris aut hortulis aut prophanis aliis ſedibus clanculo tumulati ſint.

Et mortui a camera Romana plexi.

Coguntur, ut videmus, *ſacerdotes* præ anguſtia rei familiaris, ſuas villas, ſua loca, ſua beneficia deſerere, &, *famelici* paſſim victum quæritare, laicisque hominibus in *prophanis officiis* miniſtrare. Tulerunt aliquamdiu hæc onera pingues adhuc & uberes Eccleſiæ: Sed jam verè omnibus *longo emungendi uſu* exhauſtis, ultra portare nequeunt.

Longus emungendi uſus.

Cap. X.

De litigiis curiæ Romanæ.

In Romana curia olim venalia omnia.

PRæterea, multa enim me præterire neceſſe eſt, ſi ex hac velim *abyſſo* emergere, quot in *Romana curiâ* (*ſic namque illam vocabant, quamvis longè à Roma diſtaret*) fraudes erant, quot doli, quot calumniæ, quot per illos litium in centores pecuniâ corruptos, contra innocentum jura, inſidiæ, quot *venalia* illic judicia; Quantum ibi *aurum* valeret ad divertendum juſtitiam: Quàm raro pauper optatum de lite referret, ſimodo adverſarium opulentum nactus eſſet: Cum tamen *pauci* admodum, quocunq; niterentur titulo, *absque lite & adverſario beneficium obtinerent.*

Cap. XI.

De regulis & Conſtitutionibus Cancellariæ.

Regulæ Cancellariæ Romanæ depicta.

NAm quid hæ tot *novæ regulæ* & conſtitutiones, *per unumquemque Pontificem editæ*, ultraque antiqua jura & paternas ſanctiones obſervari juſſæ, niſi quidam *captioſi laquei* ſunt, atque *uberrima litium materia*, quibus illi *cavilloſi curiales* ſophiſticique jurium perverſores, ad exuſcitationem infinitarum litium contra jus & veritatem *mille nocendi artibus* abutuntur, ut vix aliquis inveniatur, etiamſi titulum ſole lucidiorem demonſtraret, qui abſque controverſia beneficium tulerit.

Captioſi laquei.

Cap. XII.

De proſperitate Curiæ Romanæ.

In litibus olim curia Ro. felicitas.

ITa namque florere & *felicem* eſſe ſuam illam affirmant *curiam*, ſimultis undique cauſis, *litibus*, querelis, & concertationibus, clamore inſaniſſimo perſultet: Contra verò inutilem, deſertam, *inopem*, *ſi litibus ſit vacua*, ſi pace

3

Digitized by Google

pace gaudeat, ſi ſuis poſſeſſoribus ſua pacifice jura permittantur. Nihil itaque hodie vel *parum intereſt, quo pacto beneficium quis habeat*; Utrumne vero oſtio verus *paſtor* introeat, an doloſè aliunde vel *latro* irrumpat.

Quod ſi explorator aliquis intelligens liquido poſſet diſcrimine utrorumque internoſcere numerum, non eſt apud me dubium, plures nunc *latrones in Eccleſia* repertum iri, quam veros paſtores. Ut jam vera ſit Chriſti ſententia, qua ait ad negotiatores de domo ſua ejectos: *Domus mea domus orationis eſt, vos autem eam feciſtis ſpeluncam latronum.*

Latrones in Eccleſia

CAPUT XIII.

De ſtatu & introductione Cardinalium.

JAm verò *Cardinalium*, qui Papæ aſſident, ſpiritus, verba tumentia, geſtus inſolentes: ut ſi artifex quilibet vellet ſuperbiæ ſimulacrum effingere, nulla congruentius ratione id facere poſſet, quâm *Cardinalis effigiem* oculis intuentium objectando.

Cardinalis effigies.

Ex ſortis tamen infimæ clericatu in hanc elationem cum ſedis apoſtolicæ pompatus incremento pervenerunt. Quippe quibus id *olim* erat negotii, ut efferendis mortuis ſepulturæque mandandis inſervirent. Nunc verò phylacteria ſua in tantum dilatavērunt, ut non modo *Epiſcopos*, quos *Epiſcopellos* ſolent paſſim vocare, ſed patriarchas, primates, ſed archipræſules velut infra ſe poſitos deſpiciant, imo ſe jam ab illis ſupplicibus propemodum adorari ſententient, quin etiam reges ipſos æquiparare contendant.

Antiquũ Cardinal. officium.

Epiſcopelli qui?

Splendor Cardinalium.

Sed hac eorum omiſſa *vanitate*, quis immenſam & *inexcuſabilem* voraginem ſuæ *concupiſcentiæ* verbis æquare valeat? Nulla prorſus ad hoc verba ſufficiunt, nullum ingenium, nulla facundia.

Vanitas. Cupiditas.

Quia ergo de re iſta plenè diſſerere non meæ facultatis eſt, pauca ſolum ſummatim attingam ex acervo grandiſſimo excerpta.

CAPUT XIV.

De multitudine beneficiorum Cardinalium, & eorum incompatibilitate.

ATque in primis, quantæ illud *aviditatis* eſt, quod tantam *multitudinem beneficiorum invicem repugnantium* tenent? Quod *Monachi* ſimul & *Canonici* ſunt, *regulares* & *ſeculares*? Quod ſub eodem habitu, omnium religionum, ordinum, profeſſionum, jura, gradus & officia, beneficiaque poſſident? Non quidem *duo* vel *tria*, *decem* vel *viginti*, ſed *centena* & *ducentena*, & interdum uſque ad *quadringenta*, vel *quingenta*, aut his amplius: Nec parva, vel tenuia, ſed *omnium pinguiſſima* & optima.

Beneficia repugnantia.

Quingenta un' Cardinalis tenet officia.

Quibus ſi contenti eſſent, poſtquam ad *ſummam* illam *numeroſam* perventum eſſet, nec ultra quærerent, proſperè cum *pauperibus clericis*, qui *reliquias* eorum exſpectant, ageretur. Sed quemcunq; ad numerum aut ſummam venerint, ad ampliorem feſtinant.

Inſatiabilis beneficiorum cupiditas.

Novas indies *gratias*, novas *conceſſiones* petunt. Quas cum ſenſerint ad finem properare, in integrum reformari, aut denuo in majus augeri, ſine ulla ceſſatione expoſcunt.

Beneficia renovanda.

Sic omnia *vacantia*, quæ alicujus ſunt momenti, amplectuntur, omnia auferunt. Nihil omnino, ſaltem quod fructuoſum ſit, vel pauculum nimis, aliis percipiendum relinquitur. Nec tamen *ſitis* illa *undâ* tanta *beneficiorum* extingvitur, ſed vehementius ardet, & a-

Sitis auri inexplebilis.

Digitized by Google

& arentes animi fauces magis ſemper accendit: *Non* modo ullis fructibus omnium Eccleſiarum toto orbe conſtructarum, ſed neque tota auri mole, quam Tagus ſuis arenis ſecum vehit, quamque Pactolus volvit, *explebilis.*

CAPUT XV.

De Contractibus Simoniacis Cardinalium.

Venduntur honores Eccleſiaſtici.

CErnentes igitur *inopes alii* & calamitoſi *Eccleſiaſtici*, nihil ſe poſſe conſequi, ſed omni prorſus ſpe alicujus boni, niſi his autoribus, deſtitutos, non habentes quid faciant, aut quo ſe vertant, ad hos ipſos ſe conferunt, & aut cum *Simoniaca* pravitate *beneficia* ab iis *mercantur*, aut *penſione annua*, quod æque Simoniacum eſt, ab illis redimunt, aut veſtigiis eorum advoluti, in eorum familiam admitti poſtulant. Ut vel longo famulatu, ſæpe etiam ignominioſe, *aliquem ſibi in Eccleſia titulum* pariant.

Eruditio & boni mores parum ſibi juvant.

Nam quid hodierna die eſt, quod ſibi aliquis de *probis moribus*, vel *eruditione*, quo promoveri valeat, blandiatur? Non jam his artibus, ut quondam apud *majores* fieri ſolitum eſſe accepimus, ad *honores Eccleſiæ* aſcenditur: Sed illis, quas modò retuli, quaſque de ſecularium poteſtatum famulatu & importunis petitionibus paulo poſt relaturus ſum.

CAPUT XVI.

De ſtatu beneficiorum Cardinalium.

Officiorũ cura nulla.

IN *monaſteriis* autem & locis aliis, in quibus beneficia *Cardinales* occupant, quomodo Deo ſerviatur, quomodo domus & ædificia labentia reparentur, res ipſa loquitur. Omnia illic *corruunt*, omnia *labuntur*, omnia pereunt. Ideo ut ſæpe oporteat omnem ab eis adminiſtrationem per laicam manum ſubtrahi, donec reparationes ibi neceſſariæ quæ nunquam alias fierent, expletæ ſint.

Diſciplina neglecta. Burſa onuſta.

Quomodo ibi vivatur, qualis *diſciplina* aut *regula* obſervetur, nihil ad eos attinet, dummodo ſuorum procuratorum ſolertiâ *burſa* ſua *nummis multis onuſta* redeat.

Ruina Eccleſiæ ante Concil. Conſt. ex quibus.

Sed jam diutius quàm oportuerit, *leviora* rerum mediocrium *detrimenta* querimur: *Ruinam* potius *univerſalis Eccleſiæ*, ex dira *ambitione* horum proborum virorum profectam, queramur.

Schiſma Eccleſiæ ante Conc. Conſtan. à Cardinalibus profectum.

Quis enim neſciat feram truculentiſſimam, omnia exterminantem, conſumentem, profligantem, *ſectionis* ſcilicet *ſchiſmaticæ* horrendam *peſtem*, per nequitiam Cardinalium in Eccleſiæ gremium injectam, fotam, auctam, propagatam, tamdiu inveteratam. Quæ quanta cum pernicie *per tres fermè & viginti annos* Eccleſiam omnibus viribus, omni laude, omni honore nudaverit, quantum eam in profundum omnium miſeriarum malorumque demerſerit, vix Tullius, ſi reviviſceret, ſatis eloqui poſſet.

CAPUT XVII.

De omiſſione multiplicium vitiorum Cardinalium.

Simonia.

TRanſeo *Simoniacas* apud Papam *interceſſiones*, tranſeo *patrocinia venalia*, tranſeo *corruptiones* propter promotiones turpiſſimas & damnatiſſimas.

Digitized by Google

Quæ omnes fere iſtis auctoribus & ſvaſoribus fiebant.

Stipendia aulica. Tranſeo mercedes & *ſtipendia temporalium dominorum*, quæ cum maximo Eccleſiæ diſpendio capiebant, ut in eorum negotiis adjutores & curatores & *conſiliarii* forent: Magis illis procul dubio quam Eccleſiæ conſulentes: Imo, dum eis placerent, Eccleſiæ incommoda minimè curantes.

Libido. Nec enumerare volo eorum adulteria; ſtupra, fornicationes, quibus Romanam curiam etiam nunc inceſtant: Nec referre obſcæniſſimam illorum *familiæ* vitam, à dominorum tamen moribus nullatenus abſonam.

Sed nec illud etiam refero, quod *uſuras* & commercia publicè exercent, quod mercatoribus ac numulariis ſuas pro lucro mutuant pecunias. Qua ex cauſa *numularios ſupremæ tabulæ* non incongruenter *Cyrillus* appellat. *Uſura.*

Hæc omnia aliaque permulta, etiam *graviora*, quæ longa nimium narratione oneroſam redderent orationem, prætereo. *Numularii ſupremæ tabulæ.*

CAPUT XVIII.

De Promotionibus ad inſtantiam Pricipum per Papam ſolitis fieri.

SEd me præterire non decet, priusquam de hac *curia* egrediar, quantam & quam abominabilem fornicationem *Papa* & hi ſui *fratres*, cum ſeculi principibus inierint. Namque, ut ſua *dominia*, imò verius ut ſuam *tyrannidem*, omnibus nec injuria ſupra modum inviſam, inconcuſſa ſtabilitate confirmare poſſent, ſicque tutò *quodcunque libitum eſſet peragere*: Temporalium *principatuum*, ad quorum ſe imitationem componere atque conformare in animum induxerant, *captare amicitias*, favoresque conquirere, quacunque poſſent induſtriâ, ſtuduerunt: Nunc multa *beneficiorum* his, pro quibus exegiſſent, *largitione*, nunc *xeniis* & *donis*, nunc *promiſſis* uberrimis, ſæpè aſſentationibus & gnathonicæ doctrinæ verſutiis, fraudulentiis. *Dominiū conſervādi artes, in aula Ro. Principū favor omni modo captatus.*

Itaque ne longum faciam, adeo ſe & Eccleſiam univerſalem eorum arbitrio ſubjecerunt atque dediderunt, ut vix aliquam *parvulam præbendam*, niſi eorum mandato vel conſenſu, in provinciis eorum tribuere auſi eſſent. Si *Epiſcopus* aliquis obierat, ſi *decanus* vel *præpoſitus*, vel alia quælibet perſona Eccleſiaſtica: Quis, in demortui locum ſurrogari appetens, *non prius ad Regem* quam *ad Papam* ibat: Imò verò quis ita inſanus, ut abſque regiis literis ad Papam poſtulaturus accederet? *Principes incauti Eccleſiam totam arbitrio Ro. curiæ tradiderunt. AdPapam prius quā adPrincipes itum, dum officium petitū.*

Mirabile dicturus ſum, & quanquam vix credibile, verum tamen. Si quis Papæ neceſſarius, propinquus, familiaris, aut quilibet alio titulo dilectiſſimus, pro ſua apud eum promotione inſtitiſſet, *regales* ante omnia ab ipſomet Pontifice jubebatur *literas* quærere. Alioquin ſe fruſtra niti, omniaque tentamenta in vacuum abitura, quantumcunque ad gratiam illi faciendam Papæ eſſet proclivis animus. Quam verò importunè, quam imperioſe, quam manu, ita dicam, enſifera, terreni ipſi domini, *per ſuos ſollicitati*, Papam per ſuas quotidianas literas urgebant, nequaquam credibile foret, niſi res uſu aſſiduo promulgata certitudinem faceret. Plus enim præceptoriis & comminatoriis ſcriptis res agebatur, quam commendatoriis vel precatoriis. Quibus ſi detrectaſſent pontifices obtemperare, & alteri, quam pro quo petebatur, contuliſſent, certum erat illum non recipi. Sic itaque omnes vacantes præſulatus, omnia beneficia fructuoſa, ſecularis illa familia, omnium rerum Eccleſiæ miniſteriorumque ignara, vi atque importunitate extorquebat. *Artificium curiæ Ro.*

Nulli *eruditi viri*, [de *literarum ſacrarum eruditione* loquor] nulli probi, juſti, virtuoſi, qui curiarum limina rari terunt, ad ſuprema dignitatum faſtigia *Eruditio ſpreta.*

Digitized by Google

faſtigia veniebant: Sed *ambitioſi* quique, ſed *adulatores*, ſed *hiſtrionici*, ſed omnibus vitiis imbuti, quales in aulis principum frequentes conſpicimus.

Nam quotusquiſque hodie eſt ad pontificale culmen evectus, qui ſacras vel perfunctoriè literas legerit, audierit, didicerit, imo qui ſacrum codicem niſi tegumentotenus unquam attigerit, cum tamen jurejurando iilas in ſua inſtitutione ſe noſſe confirment? Aut pontificia tenent homines ignari & illiterati: aut, ſi qui literati ſunt, hi ſolummodo temporalia imperialium legum præcepta, ſacerdotibus interdicta, *lucroſasque ſcientias*, ſecuti ſunt: Nihil omnino de lege divina vel ſpirituali eruditione, qua plebs ad ſalutem erudienda eſt, ſentientes.

Caput XIX.

Quod congregatio pecuniæ ſit præcipua cura prædictorum Prælatorum.

Lucrum crumenarum.

IGitur juxta morem ſuarum profesſionum, ſummo undique ſtudio ad *lucrum* inhiant, non quidem *animarum*, ſed *crumenarum* potius. Quæſtum ubique explorant, quæſtum flagrant, quæſtum pietatem putant. Nihil omnino agunt, niſi quod *ad colligendam* quacunque ex occaſione *pecuniam* ſuffragari poſſe crediderint. Pro ipſa altercantur, certant, jurgantur, litigant, multò *æquanimius* laturi jacturam decem millium animarum, quàm decem vel duodecim ſolidorum.

Animarum nulla cura.

Sed me jure reprehendo, qui *æquanimius* dixi: Cum nullo animi motu vel turbatione, animarum diſpendia, de quibus non modo nulla apud eos cura, ſed neque cogitatio eſt, excipiant, damna verò ſuæ rei familiaris, etiam levia, furiata prope mente ſuſtineant.

Probi & ſinceri Epiſcopi contempti.

Denique, ſiquis fortaſſis *paſtor* ſurrexerit, qui non hoc more incedat, aut qui pecuniam contemnat, aut avaritiam damnet, qui denique non omni via, ſeu juſta, ſeu iniqua, aurum à ſuis ſubditis extorqueat, aut ſalutari exhortatione vel prædicatione animas lucrifacere ſtudeat, & plus in lege Domini quàm in legibus hominum meditetur: Ex templo in morſus ipſius omnium dentes acuentur. Illum prorſus ineptum, nec dignum ſacerdotio clamitabunt: Quippe qui legum humanarum neſcius, jura ſua defendere non idoneus ſit, ſuos ſubditos regere, mulctare & coërcere per canonicas cenſuras non noverit, nihilque aliud didicerit, niſi inerti otio aut ſermocinationi incumbere. Quæ officia *mendicantium* palam eſſe aſtruunt, nulla temporali cura vel adminiſtratione, quæ utiliori occupatione ſuos animos teneat, fungentium.

Sacræ ſcripturæ ſtudia olim riſui habita Epiſcopis.

Jam itaque *ſacrorum eloquiorum ſtudia* cum ſuis profeſſoribus *in riſum atque ludibrium* omnibus *verſa* ſunt, & præſertim, quod magis prodigioſum eſt, *Pontificibus*, qui ſuas traditiones divinis longè mandatis anteponunt. Jam illud egregium & præclariſſimum *prædicandi officium*, ſolis quondam paſtoribus attributum, eisque maximè debitum, ita apud eos viluit, ut nihil magis indignum, aut magis ſuæ dignitati erubeſcendum exiſtiment.

Caput XX.

De vitiis Prælatorum.

SEd ecce, dum adverto, proprios *curiæ Romanæ* limites egrediens, ad ea, quæ unà cum ipſis aliis etiam prælatis *communia* ſunt, *vitia* delapſus ſum, quæ tamen magis in particulari, quia locus incidit, ſuccinctâ relatione pertractare volo.

Principio nulli debet alienum vel

Digitized by Google

Auri cupiditas in prælatis ex auro impenſo pro officiis. *Muſca macie confecta mordent aſperius.*

mirum videri, ſi *corradendis* omni ex parte *pecuniis* noſtris *prælati* ſummopere invigilent: Si macri, tenues, atque inaniti, ſucco, lana & lacte ſuarum ovium ſe incraſſare ſtudent, quibus *paſtores fieri tam caro conſtitit. Muſca* enim, ut in proverbio eſt, *macie confecta aſperius mordent.* Cuncta quoque *animantia eſurie inanita avidius in prædam feruntur.* Quamvis enim ante ſuſceptam curam paſtoriam locupletiſſimi eſſent: Neque enim ad hoc indigentes ſolent admitti: Tamen ex miniſterio ſibi collato ſuos ſaltem maxima ex parte evacuari loculos oportuit. Quare eos non immeritò ſummo iterum labore replere inſiſtunt, exemploque ſapientis agricolæ cum cremento, & grandi fervore icta ſemina colligere. Ut igitur recuperare imminutam ſubſtantiam ſeduloque ampliare poſſint, more vigilantiſſimi negociatoris univerſas merces ſuas omnibus qui eis indigent, diligenter *venales exponunt.*

Modi acquirendi.

Si quis apud eos clericus pro furto, pro homicidio, pro raptu aut ſacrilegio, aut alio quovis enormi crimine in carcerem conjectus ſit, triſtisque panis & aquæ edulio adjectus, tamdiu pœnæ ſubjacebit, & tanquam reus ſua commiſſa luet, donec pro modo ſui ſenſus aut ſuorum quæſitam à ſe pecuniam perſolverit. Ubi verò id egerit, liber & velut innocens abire ſinetur. Omnis noxa, omnis error, omnia *maleficia*, etiamſi capitalia ſint, *per pecuniam laxantur* ac delentur.

Juriſdictio tyrannica in Eccleſia.

Nam quid loquar de *exercitio ſuæ juriſdictionis*, quæ ita violenter & *tyrannicè* regitur, ut magis hodie homines eligant tyrannorum immaniſſimorum quam Eccleſiæ ſubire judicia.

CAPUT XXI.

De promotoribus juriſdictionis Epiſcoporum, & eorum abuſibus.

Exploratores criminum dicti Promotores. *Artes plebem emulgendi ante Concil. Conſt.*

Dici non poteſt quanta mala ubique faciant illi ſcelerati *exploratores criminum*, quos *Promotores* appellant. Simplices & pauperculos agreſtes, vitam ſatis innocuam in ſuis tuguriis agentes, & fraudis urbanæ neſcios, in jus ſæpe pro nihilo vocant. Cauſas & crimina contra eos ſedulo confingunt, vexant, terrent, minantur, ſicque eos per talia ſecum componere & paciſci cogunt. Quod ſi facere renuerint, crebris eos citationibus, quotidieque repetitis, ſupra modum infeſtant.

Excommunicationes inſontis plebis.

Quod ſi ſemel qualibet occaſione præpediti comparere deſierint, cenſura illico *anathematis*, ut rebelles & contumaces feriuntur. Si vero ad diem venire, quoties vocati erunt, perſeveraverint, eorum audientias apud judicum tribunalia impedient, moraſque & ſubterfugia dilationum & interlocutionum captabunt, quæ perfacile in foris eccleſiaſticis obtinentur, quo vel ſic longo tœdio longaque ſui temporis jactura fatigati, ſuper futuram vexationem atque impenſam pecuniæ, pactione redimere cogantur. Ita ſit pro levi, vel nullo, delicto, vel pro exiguo debito, infinitarum cumulus expenſarum.

CAPUT XXII.

De exactionibus pro concubinis tolerandis.

Concubinæ publicæ.

Jam illud, obſecro, quale eſt, quod *pleriſque in diœceſibus*, rectores parochiarum, ex certo & conducto cum ſuis prælatis pretio, paſſim & publicè *Concubinas* tenent? Quòd *ſubditorum exceſſus & vitia*, omniaque officia, quæ judiciis præeſſe ſunt ſolita, publicè *venundant*? Sed adhuc levia ſunt hæc.

CAPUT

CAPUT XXIII.

De collatione Simoniaca ſacrorum ordinum.

Officia ſacra vendita. ILlud vero quomodo ferendum, quod *nullus ad clericatum*, vel ad ſacrum ordinē, vel ad quemcunq; gradum Eccleſiaſticum, *niſi mercede accedit?*

Quod *nulli*, ſacramentalem gratiam requirenti, *manus imponunt, niſi qui certum antea precium dederit?* *Nummus confeſſionarius.* Quod omnes *confeſſiones*, *abſolutiones*, diſpenſationes *venales* faciunt?

Quod ſi aliqua beneficia ſuæ ſint diſpoſitioni devoluta, *pro quæſtu* ea conferunt, vel ſuis ea *ſpuriis* aut *hiſtrionibus* donant. *Quæſtus ſacer.* Aut, ſi quis forſan eis illud Evangelicum objecerit: *Gratis accepiſtis, gratis date*: Non deeſt quod illico reſpondeant: *Se minimè gratis accepiſſe, quare nequaquam aſtringi* ex verbo illo, *ut gratis tribuant*: *Simoniæ color.* Illos denique ſolos antiſtites, ſi qui tamen iſtiuſmodi ſunt, illa ſententia ligari, qui paſtorale officium abſque ullo rei ſuæ diſpendio ſortiti ſunt.

CAPUT XXIV.

De indignis & indigne promotis ad ſacerdotium.

Gratia emta. NOn eſt igitur, quod quisquam, niſi à vero valde devius, *gratiam* putet ab eis tribui. Quomodo enim gratis data? Niſi falſo putabimus, magnum illum peſtiferum dira maledictione à Petro reprehenſum, qui donum Dei pecunia poſſideri exiſtimaverat.

Indignorū presbyterorum origo. Ex iſto autem fonte profluit illa copioſa *vilium* atque *indigniſſimorum presbyterorum* multitudo. Ut enim ex ſuis ordinibus majora lucra percipiant, omnes quotquot advenerint, *nullo* aut *parvo* admodum *diſcrimine*, ad eos quos petierint *titulos* admittunt. *Tituli ſacri venditi.* Niſi forte qui adeo egeſtate premuntur, ut ſolvendo non ſint. Nulla de *vita anteacta* percunctatio eſt, nulla de eorum *moribus* vel fama quæſtio.

De *literis* verò & *doctrina*, quid loqui attinet? *Barbaries cleri ante Concil. Conſt.* Cum omnes fere *presbyteros ſine aliquo captu*, aut rerum aut vocabulorum, moroſè ſyllabatimque vix legere videamus. Quem ergo fructum, quam exauditionem, ex ſuis orationibus ſive ſibi, ſive & aliis impetrabunt, quibus *barbarum eſt, quod orant?* Quomodo per ſuas preces Dominum alienis propiciabunt, quem ſibiipſi ſuâ *ignorantia* & ſuæ *fœditate vitæ* per ſuum miniſterium infenſum faciunt?

Sacerdotium otii præſidium. Si quis hodie deſidioſus eſt, ſi quis à labore abhorrens, ſi quis in ocio luxuriari volens, ad *Sacerdotium* convolat. Quo ſimul ac perventum eſt, fornices & cauponulas ſeduli frequentant, potando, commeſſando, pranſitando, cœnitando, teſſeris & pila ludendo, tempora tota conſumunt. Crapulati verò & inebriati, pugnant, clamant, tumultuantur, nomen Dei & Sanctorum ſuorum polluti ſſimis labiis execrantur. Sicque tandem compoſiti, ex meretricum ſuarum complexibus ad divinum altare veniunt.

CAP. XXV.

De perpetua abſentia Prælatorum ab Eccleſiis ſuis.

SEd redeo ad noſtros *Epiſcopos*, qui in omni lubricitate ab ineunte adoleſcentia educati, tales peſtes, ut dixerim, miniſtros in Eccleſiam inducunt. Inter quorum geſta memorabilia illud à me prætermitti non debet,

Epiſcopi Eccleſias non viſitarunt. bet, quod multi ex eis qui paſtorali apice potiuntur, perq; annoſa tempora potiti ſunt, *nunquam* civitates ſuas intraverunt, *ſuas Eccleſias viderunt*, ſua loca vel *diœceſes viſitaverunt*, nunquam pecorum ſuorum vultus agnoverunt, vocem audierunt, vulnera ſenſerunt, niſi ea forte vulnera, quæ ipſi ſuis uberibus *Mercenarii in Eccleſia.* ſpoliis per *alienos mercenarios* eis intulerunt. *Alienos* dixi, quia & ipſimet mercenarii ſunt, qui non gregis ſui cuſtodiam, ſalutem, profectum quærunt, ſed ſolum temporalis mercedis retributionem.

Itaque ipſi non ſunt niſi inani tantum nomine. Quia res per nomen ſignata procul abeſt. Nomen etenim *Epiſcopi ſpeculator* ſonat, vel *Superintendens.* *Superintendentes.* *Speculatorem*, inquit Propheta, *poſui te domui Iſrael.* Hi vero ſuper ovium profectu nihil prorſus intendunt, nihil ſpeculantur, nihil proſpiciunt, ſui corporis curam agunt, ſeſe & non oves paſcunt, non magnopere penſantes, quis ovibus caſus accidat, utrum morbo, vel jejunio conſumptæ pereant, dum ſibi vel ex earum morte aliquid capeſſant.

Cap. XXVI.

De Prælatis in Curiis Principum reſidentibus.

Epiſcopi, Principum conſiliarii. At enim, dicet forſan aliquis: Jure eis ignoſcendum eſt, ſi *raro ſuas diœceſes adeant*, aut ſuas tardius reviſant plebeculas: Quoniam *pro conſilio à principibus accerſiti* magna regni negotia tractant, innixamque ſuis humeris rempublicam regunt, tutantur, & ſuſtinent, alioquin graviſſimè collapſuram. Quod utique laudabilius videtur eſſe, quàm ſuæ privatæ rei conſulere.

Primum illud nequaquam eis dederim, quod ipſi ultro à principibus tanquam *conſiliarii* evocentur. Quin *Conſiliarii character emptus.* imo magnis ſumptibus, amicorumque interceſſionibus hoc impetrant, *non* quidem zelo aliquo vel *cura Reipublicæ*, cujus nulla apud eos caritas eſt, ſed *propter ſtipendia* & larga munera, quæ exinde eis proveniunt, ut alieno ſumptu viventes ſuarum proventus Eccleſiarum in æraria recondant.

Deinde qualem *Reipublicæ* langventi, imo extinctæ & jam prope ſepultæ, *utilitatem* afferunt? Utinam nullum nocumentum & *perniciem* afferrent.

Numquid ea re quæſo proſunt, quod *Epiſcoporum conſilia.* omnium *tributorum onera*, quibus hodierna tempeſtate populus urgetur, ſuis calliditatibus & ſuggeſtionibus reperiunt, & reperta intumant, & tam in longum perducta. Unde & jam pridem uſus in regno iſto inolevit, quod aliqui *Epiſcopi* talium *exactionibus præſunt*, de cauſis quoque & querelis eorum decernunt.

Nam idcirco proſunt, quod ad concionem vocati, & ſuam juſſi dicere ſen- *Conſiliorum regula.* tentiam, magis ea quæ *principi* ſciunt *placitura* quam *reipublicæ profutura* perſvadent? Quod ſæpe *largitione*, ſæpe *Fontes conſiliorum.* *gratia*, ſæpe *odio*, ſæpe etiam *timore* ducti, non juſta, vera, ſincera, ſed perverſa atq; noxia, fallacibus adoperta blandiciis dominorum auribus ſuggerunt.

Porro an ea re adjuvant rempublicam, quod rectoribus illorum, qui eam adminiſtrant, *amorem rei privatæ* ſuper amorem communis inculcant? Quod enim ipſi faciunt, conſequens eſt, ut conſulti alios etiam facere hortentur, ne turpi inter ſe pugna verba eorum atque acta diſſideant.

Denique quis ex illis pauperum defenſator eſt, quis afflictorum conſola- *Immiſericordes.* tor, quis oppreſſorum ſublevator, quis pro pupillo patronus, quis pro inope vidua contra calumniatorem protector? Imo vero, quis magis *à compaſſione* atque *miſeratione* quorumlibet miſerabilium *alienus*? Pulchre de eis *Eſaias* & vere loquitur ſub imagine principum Synagogæ, quorum iſti etſi ſucceſſores tempore in flagitiis, jure tamen ſorte in gravitate præceſſores dici poſ-

Digitized by Google

ti poſſunt. *Principes*, inquit, *tui infideles, ſocii furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non judicant; & cauſa viduæ non ingreditur ad eos.*

CAPUT XXVII.

Quod tales Prælati mercenarii dicendi ſint.

Reditus gemini ex Eccleſia & aula. Mercenarii Eccleſiaſtici.

Mirum autem, quid illud ſibi vult, quod cum vere quilibet Pontifex ab Eccleſiâ, cui præſidet, ſex vel ſeptem, aut decem millia aureorum annuatim accipiat, à rege verò pro ſtipendiis *mille* ad ſummam *aureos*: Suæ tamen *Eccleſiæ*, & o-vilis ſibi crediti, *curam* pro regio famulatu *derelinquit*? Nonne ſaltem ut *mercenarius* danti majorem mercedem ſervire debebat?

Prætexto egregius duplicium ſtipendiorum ex aula & Eccleſia.

Sed illorum ad hæc *reſponſio* in promptu eſt. Licèt enim amplius ſit, quod Eccleſia tribuit, quàm quod Princeps, attamen munus illud majori adjunctum *ſummam cumulatiorem* conſtituit, duoq; bona potiora ſunt uno. Denique *fructus*, qui *à rege* præbentur, niſi regio lateri aſſiſtant, ſciunt ſibi non datum iri: At illos, qui *ex epiſcopatibus* veniunt, longè etiam poſitis & ab omni ſervitio immunibus nihilominus tribui. Quid quod ſuam *promotionem*, rege inſtante factam, *regi* ipſi, & *non Deo*, nec Eccleſiæ imputant. Quapropter ut *grati homines*, illius, per quem gratiam adepti ſunt, nequaquam immemores, ei meritò libentius ſecundum viciſſitudinem obſequi, quàm illis, deferunt.

Mitra præſidiũ.

Quid? quod regibus ſervire, & non Deo, nec Eccleſiæ didicerunt. Quid? quod non *intentione* alicujus officii in Eccleſia exercendi, ſed *quietis aut inertiæ*, in rerum abundantia conſectandæ, *mitram* quæſierunt. Quid? quod propter aſſueta diſpendia, multa aperta in minimo, multa etiam aperta, *aulica importunitate* aſſequi ſperant, quæ in ſuis Eccleſiis ſervientes non aſſequerentur.

Facinus antiquũ.

At ſaltem, inquies, ſuis illic *Eccleſiis*, ne graventur, aut opprimantur, *ſubveniunt*. Imò *ſuas* & *alienas* ipſi *opprimunt*, dum pro arbitrio ſæcularium poteſtatum *tributa* ſuper eas annuunt. Si enim ab optimatibus, quorum negotia agitant, conſiliaque frequentant, Eccleſiis plus juſto favere arguantur: Quoties de re ad Eccleſiam pertinente agi contigerit, gravius adverſus illam quam aliquis ſecularium, inſultant.

Mala Eccleſiæ ab Eccleſiaſticis.

Rara his caliginoſis temporibus, contra eccleſiam oppreſſio, rara invaſio, rara afflictio, quæ non à ſuis filiis originem trahat.

CAPUT XXVIII.

Quod utilior ſit talium Prælatorum abſentia à ſuis Eccleſiis quàm præſentia.

Sed quid eorum tanto tempore à ſuis ſedibus *abſentiam* accuſamus? cum *per ſuam* ſi illic adeſſent *præſentiam* veriſimilius *obeſſe*, quàm prodeſſe poſſent. Quidnam enim ore illi proſunt, qui toto elabente anno ſuam *bis aut ter intrant Eccleſiam*, qui totos in *aucupio & venatu*, in *ludis & palæſtra* dies agunt, qui in *conviviis* accuratiſſimis, in plauſibus & *choreis*, cum puellis, & effœminati inſomnes tranſigunt noctes, qui ſuo turpi exemplo gregem per devia quæque abductum in præcipitium trahunt, qui imberbes adhuc adoleſcentuli, vix tum ferulam egreſſi, ad paſtorale convolant magiſterium, & tantundem de illo, quantum de nautico ſciunt officio? Difficile itaque ſatis eſt ſtatuere, qui eorum magis incommodent ſuo gregi: Hi, qui deſerto eo, lupiſque expoſito, cum ſcurris & paraſitis in aula verſantur: An hi potius, qui coram poſiti, eum per rapinam vexant, per incuriam negligunt, per errorem ductum præcipitant.

Epiſcoporum laudes ante Concil. Conſt.

Ab Eccleſia abſentes Epiſcopi. Præſentes.

Quam-

Sales Clemangii in Epiſcopos ſui temporis ſparſi. Quamvis enim jam *mercenarios* utroſque jure optimo appellaverim, pro re tamen nimis parum dixi. *Lupi* ambo accommodatius dicendi ſunt. Utrique enim quod lupi eſt, agunt, vorant, diſpergunt, lacerant, diripiunt. Hi quidem *per ſeipſos*, illi verò *pro ſeipſis* per alienos.

Sentio me diutius quam initio putaveram his *noſtrorum angelorum* [ita enim ſacræ literæ *præſules* appellant] *præclaris miniſteriis* immoratum. *Appoſitè.* Sed tantæ rerum multitudini, quam breviori compendio percurrere mihi commode non licuit, ignoſci oportet. *Reliqua*, ſi per ſingula referrentur, ſunt *multa*, ſed ea paucis generatim expediam.

Caput XXIX.
De Capitulis & Canonicis.

Quid enim de *Capitulis* & *Canonicis* longum me trahere ſermonem neceſſe eſt, cum uno ſtatim verbo dicere liceat, *ſimiles Epiſcoporum* pro ſuo modo *Canonicos* eſſe, indoctos, Simoniacos, cupidos, ambitioſos, æmulos, obtrectatores, ſuæ vitæ negligentes, alienæ curioſos ſcrutatores ac reprehenſores: *Longa encomia Canonicorum ante Concil. Conſt.* Adhuc autem ebrioſos, incontinentiſſimos, utpote qui paſſim & inverecunde prolem ex meritrice ſuſceptam & ſcorta vice conjugum domi tenent: Vaniloquos, præterea garrulos, tempus in fabulis & nugis terentes, quia *nihil utile noverunt* aut ſerium in quo occupentur. Et propterea in re ſua, ſeu per fas ſeu nefas agenda, in cura ventris & gulæ, in carnis voluptatibus hauriendis, ſuæ vitæ felicitatem, ut porci Epicurei, conſtituunt.

Caput XXX.
De pace & fraternitate Canonicorum.

Quam verò pacem inter ſe habeant, aut quam *fraternitatem*, declarant ſectæ & ſeditiones, *Diſſidia.* omnibus modo in Eccleſiis per *infernales furias* excitatæ, ut jam illa infernalis hydra ſchiſmatica in Eccleſiæ vertice iisdem ab *Eumenidibus* ſtabilita, nimia fœcunditate germinans, omnia fere collegia ſuo vipereo ſemine infecerit.

Cap. XXXI.
De cauſa exemptionum pro correptione vitanda.

Et hos ergo *Canonicos* aliquis vocabit, qui ſic *ab omni canone*, hoc eſt, ab omni regula *abalienati* ſunt, qui ut licenter & impune omnia, quæ ferret animus, flagitia, admittere poſſint, *Canonicorum derivatio.* ab omni ſe caſtigatione & diſciplina ſuorum prælatorum, *maxima* ubique *redemptione* exemerunt. Fraudant itaque ſe mutuo, fraudant ſubditos. Ut, ſicut Paulus loquitur, *Jam inter diſpenſatores Eccleſiarum merito quæratur, ut fidelis quis inveniatur.* Quas omnes fraudes & rapinas cum fecerint, non eſt, qui eos puniat. *Ad papam* enim, quem ſolum judicem plerique eorum ſe habere jactant, *quis circumvento pauperi acceſſus eſt?*

Caput XXXII.

Digitized by Google

CAPUT XXXII.

De vita & moribus Monachorum profeſſioni illorum repugnantibus.

DE *Monachis* autem & *Monaſteriis* late patet ad loquendum materia, niſi jam me dudum tæderet in tot tantarumque abominationum enumeratione demorari. Ne tamen ſicco, ut ajunt, pede intacti abeant, paululum aliquid dicere de his neceſſe eſt.

Quid autem *commendabile* de ipſis dicere poſſumus, qui quanto magis inter ceteros Eccleſiæ filios ex votis ſuæ religionis perfecti eſſe debebant, quanto magis abſtracti à cura ſecularium, quibus abrenunciaverunt, in ſola cœleſtium contemplatione ſuſpenſi, & quanto magis continentes, magis obedientes, minus vagabundi, & à clauſtrorum ſeptis rarius egredientes in publicum, tanto *ab his omnibus rebus* licet eos videre magis *alienos*, magis videlicet *tenaces*, magis *avaros*, magis ſeculari rei (verſis retrorſum animis) immixtos, magis inſuper lubricos, indiſciplinatos, diſſolutos, inquietos, magis per loca publica & inhoneſta (ſi modò frena laxentur) diſcurſantes. Ita ut nihil illis æque odioſum ſit, quemadmodum cella & clauſtrum, lectio & oratio, regula & religio. Quocirca Monachi quidem ſunt exteriori habitu, ſed vita, ſed operibus, ſed internæ conſcientiæ ſpurcitia, à perfectione, quam habitus ille demonſtrat, longiſſimè disjuncti.

Egregia laus Monachorum ante Concil. Conſt.

Fallit autem illos nimium ſua opinio. Nam quantò ſua profeſſione rejecta terrenis magis adipiſcendis inhiant, tantò pauciora habent, tantòque dotes & reditus ipſorum magis ſemper in nihilum fluunt. Ecce, omnium cœnobiorum uberrimos olim fructus ita hodie attenuatos cernimus, ut unde centum homines vivere ſolebant, vix decem nunc egerrimè vivant. Videmus omnia labi, omniaque ſolo æquari, non ſuppetente copiâ, qua ſaltem antiqua ædificia à ruinæ defendantur injuria. Quod quidem meritò illis evenit.

Monaſteria quare exhauſta.

Quamdiu enim *juſtè*, *ſobriè*, *caſtè*, *Innocenter* vivendo ſecundum regulæ ſuæ inſtituta, regnum cœlorum & non hæc temporalia quærere ſtuduerunt, tamdiu eis omnia illa ſatis ſuperque fuerunt adjecta. *Primum*, inquit Salvator, *quærite regnum DEI, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Ubi verò à *vitâ innocentiâ*, & à quærendo regno Dei, per nepharia opera deſtiterunt, rectè ab eis illa ſubducta ſunt, quæ veris juſtitiæ cultoribus regnique quæſitoribus fuerant promiſſa. *Regnum*, inquit hiſtoricus, *facile iisdem artibus retinetur, quibus initio partum eſt. Verum ubi pro labore deſidia, pro continentia & æqualitate libido atque ſuperbia invaſere, fortuna ſimul cum moribus immutatur.* Et quod de *regno* dictum audis, de *opibus* & *honoribus* ceterisque fugacibus bonis dictum intellige.

Unde opes accrevere in Monaſteriis.

Opes quare imminuta in Monaſteriis.

Regula conſervandi boni.

CAPUT XXXIII.

De Mendicantibus & de eorum vana jactatione & gloria.

VEnio nunc ad *Mendicantes*, qui ex profeſſione *arctiſſimæ paupertatis* veros ſe Chriſti diſcipulos veroſque imitatores eſſe jactant atque *gloriantur*. Quippe qui conſiderantes (ut ipſi ajunt) illud Evangelicum: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & ſequere me.* Et idem illud: *Niſi quis renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus:* Omnium poſſeſſionum ſuarum rerumque temporalium ſpreta ſollicitudine, onereque graviſſimo: Qui *eruditi* præterea *in divinis literis*, quibus penè ſoli hodie inſudant, pabulum verbi Dei, quo populi reficiantur, aſſidua prædi-

Monachorum mendicantium gloriola.

catione miniſtrant, viam eis ſalutis æternæ, quam nemo alius docet, aperiunt; Juſtorum digna præmia, impiorumque ſupplicia demonſtrant: Sicq; animas ab interitu ſempiterno per veram pœnitentiam revocatas, ad Deum converti faciunt. Denique ſoli ipſi (*ut aſſerunt*) ceterorum omnium Eccleſiæ miniſtrorum ſegniter dormitantium officia peragunt, miniſteria exercent, eorum delicta, ignorantias & negligentias ſupplent.

Cap. XXXIV.

Quæſtio de Perfectione Mendicantium.

Vana perfectionis jactantia in Monachis mendicantibus.

SEd libet ab eis quærere: Si hunc *gradum ſupremæ perfectionis* Chriſtoq; propinquiſſimæ attigerunt, quid eſt, quòd ſuis eam verbis ita magnificant, quod *inſolenter* adeò inde ſe *jactant*, quod *univerſis* propterea inani gloriatione *ſe præferunt*, imò quod alios omnes ſui ſtatus comparatione ab omni perfectione evacuant?

Decebat enim, ut alieno ore, & non proprio ſuo, illa æтherea & *angelica in terris perfectio* laudaretur, ſi modò ſolidam laudem, non vanam, ſuſpectam, & odioſam cupiebant. Nonne eſt hæc perfectorum vera juſtitia, ut *nunquam arbitrentur ſe perfectos*: Imò verò quo juſtiores fuerint, eò magis in *humilitate* de ſe ſentientes longius ſe à juſtitia abeſſe æſtiment. Ne, dum de eo, quod habere ſe præſumunt, inaniter ſuper ſe efferuntur, & id ipſum quod habebant (ſi quid tamen virtutis habebant) evaneſcat.

Caput XXXV.

Quod humilitas ſit fundamentum perfectionis.

NOnne *humilis* publicanus, ſua Deo peccata confeſſus, juſtificatus à templo redire meruit, & quam orabat veniam, impetrare? *Superbè* autem Phariſæus ſua merita prædicans, & pauperculum illum deſpiciens, reprobus abſceſſit & inexauditus. Quoniam *Deus ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam.* Videtur autem hæc parabola contra hos *quæſtuarios verbi Dei adulatores* congruentiſſimè inducta. Quia ſicut Synagoga ſuos Phariſæos habuit, adverſus quos in Evangelio acerrimè Chriſtus ſemper invehit, ita nimirum hi *novi & ſubintroducti Apoſtoli*, *Eccleſiæ Phariſæi* cenſendi ſunt, quibus omnia à Chriſto de Phariſæis dicta, & fortè alia plurima, neſcio an deteriora, conveniunt.

Quæſtuarii verbi Dei adulatores.

Phariſæi Eccleſiæ.

De quorum *ſacrilega impietate*, quia non multa breviandi ſtudium dicere concedit, paucas Chriſti ſaltem ſententias, per quas ab eorum *inſidioſa verſutia* nos cavere admonet, audiamus. Ait itaque de eis Salvator, ipſorum *fontem* patefaciens *nequitiæ*: *Attendite à fermento Phariſæorum*, quod eſt hypocriſis. Et rurſum: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Annon *lupi rapaces* ſunt, velamina ovium geſtantes, qui omnia quæ hujus mundi ſunt, *verbo* ſuo ſe deſeruiſſe aſſeverant, *facto* autem ipſa temporalia incredibili ardore concupiſcentiæ, infinitis inſidiis, undique exquirunt?

Annon *lupi rapaces* ſunt, oviculарum vellere amicti, qui vitæ auſteritatem, caſtitatem, humilitatem, ſanctam ſimplicitatem exteriori ſpecie *ſimulant*, intus vero exquiſitiſſimis deliciis, & variarum *copia voluptatum* ultra omnem mundanorum luxuriam exuberant?

Simulatio pietatis.

Annon *lupi rapaces* ſunt, ſub ovili imagine latitantes, qui more ſacerdotum Belis in ſuis penetralibus oblata devorant, mero ſe ac lautis epulis *cum non ſuis uxoribus*, licet ſæpè cum ſuis parvulis, avidè ſatiantes, cunctaque libidi-

voluptuarii.

libidinibus, quarum torrentur ardore, polluentes? Annon *lupi rapaces* ſunt, foris ovem mentientes, qui ea, *quæ facienda dictant, non faciunt*, & cum aliis prædicaverint, ſua prædicatione reprobi efficiuntur? Annon *lupi rapaces* ſunt, ovium ſimilitudinem falſo prætendentes, qui, cum angeli lucis primo aſpectu appareant, non Satanæ, tamen, ut Pauli verba ſunt, non Chriſto Domino, ſed *ſuo ventri ſerviunt*, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium.

Dictis facta contraria.

Sed audi adhuc quid de *illis* ad propoſitum *Salvator* loquitur. *Væ vobis, ô Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quid mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis, intus autem pleni eſtis rapinâ & immunditia. Qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitiâ.* Quid de eis verius dici, quid aptius, quid lucidius poteſt, quam quod cœleſti ore dictum audis?

Sed & *Paulus* gentium doctor, prænoſcens in ſpiritu *talium* circa extrema tempora *ſubverſorum* ingreſſum, & Eccleſiam per eos multa tandem vulnera ſenſuram, ad Timotheum ſuum ſcribens, illos ſummo ſtudio declinandos hortatur. Nam poſtquam dixerat: *hoc autem ſcito, quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi*, & multa quæ his addit ab *his ſeductoribus* non abhorrentia, Tandem quod eis proprium ſubtexuit: *Habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, & hos devita. Ex his enim ſunt qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Rurſus quoque idem Apoſtolus ad eundem ſuum diſcipulum loquens: *Spiritus*, inquit, *manifeſtè dicit, quod in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam.* Quæ nemo ambigere debet de his *novis Phariſæis* eſſe ſcripta. Multa quoque alia de iſtorum *Pſeudoprophetarum* opertâ iniquitate, quâ domum Dei perfodiunt & polluunt, ſacra in pluribus locis ſcriptura commemorat.

Novi Phariſæi.

Satis eorum perfidiam, quantum ad noſtram pertinet brevitatem, detegere videmur. De qua, ſi quem juvat ampliora agnoſcere, *Cyrillum* videat, & illic mira de eis inveniet, ad fidelium inſtructionem, longè antequam orirentur, Spiritu Sancto revelante prædicta. Quanquam nec aliqui *alii ſcriptores* etiam defuerunt, qui de his *ſubdolis illuſoribus* multa valde utilia & præclara poſt eorum introitum, ad Eccleſiæ præmonitionem & præmunitionem, prodiderunt.

Cap. XXXVI.

De impudica vita & converſatione Monialium.

Reſtant nunc ſolæ *Moniales*, ut noſtram narrationem, quemadmodum polliciti ſumus, *à ſummo capite uſque ad extrema veſtigia*, nullo prætermiſſo gradu, deducamus.

De *his* autem plura dicere, etſi plura, quæ dici poſſent, ſuppetebant, *verecundia prohibet*: Ne non de cœtu virginum Deo dicatarum, ſed magis de *lupanaribus*, de *dolis* & *precatia meretricum*, de ſtupris & inceſtuoſis operibus, pudendum ſermonem prolixè trahamus.

Monialium elogia.

Nam quid, obſecro, aliud ſunt hoc tempore *puellarum monaſteria*, niſi quædam, non dico Dei ſanctuaria, ſed *Veneris* execranda *proſtibula*, ſed laſcivorum & *impudicorum juvenum* ad libidines explendas *receptacula*. Ut idem hodie ſit puellam velare, quod ad publicè ſcortandum exponere.

Monialium clauſtra Veneris olim proſtibula.

Digitized by Google

Hæc ſunt quæ de *noſtro Franciæ Clero* referenda viſa ſunt. Quamvis multa ſciens præterii, & ſilentio ſuppreſſi, quæ ſi per ſingula amplecti vellem, in immenſum res progrederetur, nec modum habitura eſſet oratio. Quæ cum ita ſint, nemini debet mirum videri, ſi Eccleſia ex talibus aggregata, multis moleſtiarum aculeis, multisque adverſis turbinibus quatitur. Mirum potius & ſtupendum videri deberet, ſi tot vitiis atque impuritatibus ſerviens, à flagellis immunis ageret.

Cap. XXXVII.

Comparatio morum modernorum cum moribus priſcorum patrum.

Diſciplina prima Eccleſiæ. NUnc & confer hanc vitam, hos mores, hæc regimina, cum *primæva patrum diſciplina*, cum majorum caritate, continentia, ſobrietate, diſcreta ſeveritate: Videbis, niſi talpâ cæcior es, tantam inter ea diſtantiam, quantum inter lutum & aurum.

Corruptio recentiorum temporum. Jam ſiquidem *his diebus noſtris*, in quos fines ſæculorum devenerunt, ab aureo capite illius prægrandis ſtatuæ, quam vidit in figura Nabuchodonoſor, *paulatim ſemper in deteriora* per argentum, æs & ferrum, prolabendo, ad partem pedum luteam ac fictilem pervenimus.

Cap. XXXVIII.

Converſio autoris ad Deum.

Ingens morum depravatio in Eccleſia. ITane Deus optime, vineam tuam electiſſimam, quam tua olim dextera ipſe plantaſti, cui ſepem & robuſtam maceriam ad ferarum malignarum coercendam incurſionem circumdediſti, itane, inquam, deſtructâ ſepe, dirupta maceriâ, deſertam ac degenerem effectam? Itane vepribus & ſpinis completam? Itane pro uvis dulcibus, quas ex ea præſtolabaris, labruſcis ſterilibus onuſtam, ut vix per eam tranſiens eandem eſſe recognoſcas, quam tanto olim ſtudio, tanta cura & cultu nobilitaveras? Ecce jam univerſæ feræ eam diripiunt, omnia agri pecora conculcant. Hinc aper de ſylva exterminat, inde fera ſingularis univerſa impetu vaſtans ac perſtringens, egregia quæque depaſcitur.

Averte, obſecramus, Domine, iram tuam & virgam furoris tui à vinea tua, & de cœlo ſancto tuo miſerentibus oculis ſuper eam reſpice. Et ſi non propter nos qui indigni ſumus, ſaltem propter nomen tuum ineffabili clementia glorioſum. Scimus, noſtris impietatibus hæc & majora deberi ſupplicia. Scimus, peccata noſtra ſuper arenam multa, ſuper omnem acerbitatem gravitatemque graviſſima. Sed etiam ſcimus è regione, tuam immenſam miſericordiam omnia hominum peccata, non modo quo perpetrata ſunt ſeu quo poſſunt in mentem cadere, ſumma incertitudine, ſupergredi. Scimus, tuam benigniſſimam pietatem, nunquam ignoſcendo defeſſam, tuum ſemper antevenire judicium, imo ſuper tua opera univerſa præſtare. Scimus, te parentem eſſe, nos, quantumlibet degeneres, attamen filios. Pro magno autem peccato filii, ſatis eſt patri parum ſupplicii.

Publica confeſſio. Sed ſcio quid obſiſtat, quo minus noſtri miſerearis & ignoſcas, id ipſum volens & appetens: Quia nequaquam reſipiſcimus ab erratis: Quia ad te ingemiſcentes reverti nolumus. Quod utique per ſervos tuos Prophetas, tuæ in nos vindictæ prænuncios, tanta cum diligentia nos admonens, legem hanc nobis, quorum miſereri debes, per eos inſinuaris, Sed nos, qui ad tua mandata durâ ſumus cervice, & indomabili corde, te ad veniam vocantem non audi-

audimus, te excitantem contemnimus, te ſvadentem aſpernamur, te promtum atque voluntarium ad præterita omnia (ſi modo præteritorum pœniteret) condonanda per nova & pejora facinora quotidie provocamus. Proinde ad voces noſtras obſurdeſcis, tuamque manum adhuc extentam à noſtra percuſſione non revocas, ſed novis potius contumaciis nova indeſinenter flagella cumulas.

Cap. XXXIX.

Excuſatio autoris ſuper generali deſolatione Eccleſiæ occaſione Eccleſiaſticorum.

NOlo autem, ut quis exiſtimet, per ea, quæ Eccleſiaſticorum virorum præmiſſa ſunt, me *omnes prorſus Eccleſiaſticos* nullo excepto comprehendere velle. Scio illum non mentitum eſſe, nec mentiri poſſe qui dixit: *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Nec ſum neſcius, in ſingulis quibusque ſtatibus *aliquos*, & forte plurimos, bonos, juſtos, innocentes eſſe, ab illisque maleficiis, quæ ſupra memorata ſunt, ſeparatos. Sed tanta eſt *improborum* in ſingulis profeſſionibus *exuberantia*, ut vix *inter mille unus* reperiatur, qui id, quod ſua profeſſio exigit, *ſinceriter* faciat.

Pauci boni.

Quin etiam, ſi ſimplex aliquis, ſi caſtus, frugalis, in Collegio aliquo vel Conventu latam & lubricam perditorum viam non ſectetur, *fabula* & ridiculum ceteris efficitur, *inſolensque* & *ſingularis*, *inſanus*, aut *hypocrita*, continuò appellatur. Unde & multi, qui ad bonam frugem devenirent, ſi cum modeſtis & bonis degerent, hac ratione obſtricti per malorum conſortia ad malum trahuntur, dum talia inter ſuos contubernales nomina ſubire verentur. Inde eſt illud Pſalmi utique veriſſimum; *cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris.*

Boni ridentur.

Caput XL.

Quare de bonis viris Autor ſileat.

QUamobrem nemo admiretur, ſi *rari* hoc tempore *ſinceritate aut innocentia fulti in Eccleſia* ſint, tot ſceleratis in omni loco ad mala impellentibus, & per mille inſidias ſollicitantibus. Itaque propter multitudinem nequitiæ, ita prævalentem, de *bonis* ſiletur, qui aliis compoſiti parvo nimis in numero atque momento ſunt.

Rari ſinceri jam olim.

Et dum ſermo de *politia Eccleſiæ*, aut de membris ejus incidit, tanta turba prævaricatorum *totam* Eccleſiam in crimen adducit, eo loquendi more, quo plerisque in locis ſcriptura utitur. In Geneſi namque legitur: *Omnis caro corruperat viam ſuam:* Et tamen eo tempore, quo propter peccata hominum cataclyſmus erupit, Noe vir juſtus coram Domino repertus eſt, & propterea cum ſuis in arca ſalvatus. Rurſus in libro Pſalmorum ſcriptum eſt: *Omnis homo mendax, omnes declinaverunt, non eſt qui faciat bonum:* Et tamen idem ipſe, qui hæc dixit, Domini de ſe teſtimonium habet: *Quod inveniſſet eum DOMINUS virum ſecundum cor ſuum.*

Caput XLI.

Quod ſtatus Eccleſiaſticus merito patiatur.

IGitur cum ad hunc modum *Magiſtratus Eccleſiarum* cetera officia ſe habeant, quis dubitet, niſi Dei animadverſione, mala eis, quæ patiuntur, acci-

cidere? Res mira, ut ſupra diximus, & inſolita videri deberet, ſi quid eis proſperum accideret. Nonne per totam divinorum voluminum ſeriem *bona* nobis hoc pacto à Deo *promittuntur*, *ſi legem* ipſius *ſervemus*, mandata *teneamus*, in præceptis ambulemus, fœdus nobiſcum ab eo initum non irritum faciamus? Quod ſi nefariis operibus teſtamentum ejus prophanemus, pactum & legem irritemus, juſſa, traditiones poſtponamus: Qua fronte bona ab eo petere aut ſperare præſumemus? Neceſſe eſt ſortem alterutram ſubeamus: *Aut* proſperorum præmia, ſi mandatis obedierimus, *aut* pollicita ſupplicia, ſi transgreſſores ſumus. Quia nunquam mentiri novit, qui pro operum qualitate, utraque tribuenda ſpopondit.

Bona promiſſa ſunt ſi legem conditionata.

Quid *ſynagogam*, quæ typus Eccleſiæ fuit, ſecundum quod Paulus dicit, *omnia illis in figura contigiſſe*, quid eam, inquam, proſtravit, deſerique à Deo & tot cladibus opprimi, niſi ejuſdem *malitia*, fecit? Si igitur, juxta parabolam *Ezechielis* de duabus ſororibus, Oliba, ſoror junior, Ollæ ſorori majori ſimilia geſſit, imo eam flagitiis & fornicationibus amplius inſaniendo ſuperavit, quomodo ſibi credet impune cedere?

Comparatio Eccleſiæ & Synagogæ Judaicæ.

Expergiſcere tandem aliquando ex longiori tuo ſomno, ô infelix ſoror ſynagogæ. Expergiſcere, inquam, aliquando, & tuæ *ebrietati*, diu ſatis (ut ita dicam) edomitæ, modum impone, Prophetamque iſtum & ceteros vide, lege, intellige, ſi tamen non uſquequaque tua ebrietas prophetæ teſtimonio cor abſorbuit. Si ergo ulla in te ſani cordis ſcintilla ſupereſt, Prophetarum dicta ſedulo revolve, tuumque illic ſtatum & tuam *confuſionem*, non utique dormitantem, ſed è vicino impendentem, conſidera: Videbis quis te *exitus* expectet, quamque malè & periculoſè in his ſordibus tam diu jaceas. Quod ſi Prophetas non audis, nec de te dum tot mala nunciant locutos arbitraris, ipſam te fallis, & perículoſo nimium errore deciperis. De te enim illi locuti ſunt, & quæ minantur onera, ſuper te, niſi deſipis, relapſura debes agnoſcere.

Seria admonitio ad emendationem Eccleſiæ.

Sed fac eorum vaticinia aliò ſpectare, quid de tua prophetia, de *Joannis* ſcilicet Apocalypſi cenſes? An non illam ſaltem ad te aliqua ex parte pertinere putas? Non pudorem ita cum ſenſu perdidiſti, ut hæc neges. Illam ergo intuere, & lege *damnationem magnæ meretricis*, ſuper aquas multas ſedentis, illicque tua facta præclara contemplare, & tuos futuros caſus.

Cap. XLII.

Quod Eccleſiaſticus ſtatus propter ſuperbiam tendat ad ruinam.

Porrò cum omnia Imperia & Regna gentium, quantumcumque potentia, magna vel ditia, ob ſuas injuſtitias & ſuperbias deleta audias, everſa videas atque peſſundata; tu, quæ ſolidam *humilitatem*, ſuper quam fundata eras, nullos impetus turbinum metuentem, tam longe abjeciſti, tuumque cornu tam in altum extuliſti: Quomodo exciſo atque avulſo tuo humili fundamento, tantam *ſuperbiæ* molem, quam deſuper extendiſti, non ruituram putabis? Cœpit jam dudum tua *ſuperbia*, nequaquam ſe ferens, ruere, ſed lentè quidem & pedetentim. Et propterea à plurimis ruina illa non eſt percepta. Nunc verò in modum torrentis tota in præceps ageris.

Ruina Eccleſiæ ex Eccleſiaſticorum ſuperbia.

Et ex illo præſertim tempore, quo *abominandum hoc ſchiſma* te invaſit. Quod profectò ad comprimendas tuas nequitias intolerabiles, & inſanias falſas, *divina* ſuper te *iracundia* venire permiſit. Quo vel ſic regnum tuum, Deo grave, gentibus odioſum, juxta Evangelicam veritatem in ſeipſo diviſum, deſolaretur, fractumq; & diſſipatum concideret. Non

Schiſma Eccleſiaſticorum ante Concil. Conſt.

Digitized by Google

Non quidem quod *fides* Eccleſiæ, in hoc mundano conflictu militantis, prorſus periclitari debeat, quæ fundata ſupra firmam petram ſtabilis & inconcuſſa manſura eſt: Sed loquor de temporali potentatu, de *gloria & deliciis*, quibus uſque ad nauſeam & oblivionem ſui ipſa Eccleſia inebriata eſt. De quibus in condemnatione meretricis vindicibus Angelis præcipitur: *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum.*

Disſidia Eccleſiæ

Nam ut ea, quæ longinqua ſunt, de *Græcorum* à nobis *disſidio*, propter *noſtrorum ſuperbiam & avaritiam* orto, de contractis limitibus Catholicæ religionis per totam pene orbis terrarum vaſtitatem olim porrecto: Ut hæc, inquam, & alia nonnulla *vulnera*, pridem *Eccleſiæ* infligi cœpta, non repetam: Nonne ſaltem *ruina* illa, qua *urbem Romam*, ſedem ac caput Eccleſiæ, ſic ruere & collabi videmus, *Eccleſiæ* ipſius & totius ejus imperii *deſolationem* propinquare nunciat? Sicut deſtructionem Hieruſalem ſecuta de proximo eſt Judæorum & Synagogæ diſperſio. Quomodo enim diu ſtabit aut vigebit, quæ, ſua deſtructa ſtatione & capite perdito, vaga & inſtabilis per orbem diſcurrit, & quaſi jam peregrina aut hoſpes in mundo de uno loco ad alium migrare cogitur.

Urbis Romanæ ruina ante Concil. Conſt.

Sedis Romanæ Avinionem translata fortuna.

Ex illo plane *ſuam cladem* imminere prænoſſe debuit, ex quo, *propter ſuas fornicationis odibiles*, Romuli urbe relicta, *Avinionem* confugit. Ubi quanto liberius, tanto apertius & impudentius vias ſuæ *Simoniæ* & proſtitutiones expoſuit, *peregrinosque & perverſos mores*, calamitatum inductores, in noſtram *Galliam* invexit, rectisque uſque ad illa tempora moribus frugalibus, diſciplina inſtante, nunc verò luxu prodigioſo uſque adeo ſolutam, ut merito ambigere poſſis, utrum res ipſa audita mirabilior ſit, an viſa miſerabilior.

Galliæ infelicitas ante Concil. Conſt.

Romana Eccleſiæ fata ante Concil. Conſt.

Verum, forſan alias de *Gallia*, nunc de *Eccleſia* loquamur, quæ maligno neſcio quo fato loca, quibus inſederit, ſuo fermento inficere conſvevit, caſus perniciei ac ruinæ illis eſſe. Quanquam non gratis, aut abſque ultione. Vicem enim ei debitam *Italia* reddidit, quæ nudam & ſuo patrimonio paulo minus *ſpoliatam ſuis ſedibus ejecit*. Mala vero, ipſa *Gallia*, inops per eam facta, reddere incipit. Ut impleatur illud Prophetæ præſagium: *Confunderis ab Ægypto, ſicut confuſa es ab Aſſur.* Et illud; *Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.*

Poſtquam enim, importabili *ſarcina peccatorum* exigente, *furiale malum ſchismatis* irrepſit in Eccleſiam: Ut omittam, quæ per *alterum*, tunc apud alios de Papatu contendentem, geſta ſunt, potius hæc ſcribenda illis relinquam, qui cum eo converſati certiùs mores ejus, atque ſuorum enarrare poſſunt: Quid *Clemente* noſtro, dum advixit, miſerabilius? Qui ita *ſe ſervum ſervorum Gallicis principibus* addiceret, ut vix minas & contumelias, quæ illi quotidiè ab aulicis inſerebantur, deceret in viliſſimum mancipium dici. Cedebat ille furori, cedebat tempori, cedebat flagitantium importunitati, fingebat, diſſimulabat, largiter promittebat, diem ex die ducebat, his beneficia dabat, illis verba: Omnibus, quos aut ars aſſentatoria aut ludicra in curiis acceptos fecerat, ſummoperè placere ſtudebat, eosque beneficiis promereri, quo talium patrocinio, dominorum gratiam & favorem aſſequeretur.

Urbanus VI.

Clement VII.

Spontanea Clementis ſervitus in Gallia.

His itaque, & juvenibus nitidis & elegantibus, quorum maximè conſortio gaudebat, ſingulos ferè *vacantes Epiſcopatus* ceterasq; præcipuas dignitates impendebat. Denique, ut *Principum* benevolentiam facilius aſſequeretur, aſſecutam foveret, ſotamque conſervaret, conſervatam amplificaret, plurima ultrò *donaria* atque *xenia* illis dabat: Quaſcunque *ſuper clero exactiones* petere voluiſſent, annuebat, ultrò ſæpius etiam ingerebat. Sic omnem clerum, *ſecularium magiſtratuum* diſpoſitioni ita ſubjiciebat, ut *Papa* magis *quilibet eorum*, quàm ipſe putaretur. In hac triſtiſſima *ſervitute*, non dico *præſidentia*, tria, & ſupra, temporum luſtra, cum incredibili Eccleſiæ attritione conſumpſerunt.

Largitiones Clementis Papæ.

Cap.

Caput XLIII.

Quod Eccleſia prius humilianda ſit, quàm erigenda.

Adverſitates Eccleſiæ, juſtæ.

Quia enim Eccleſia ſeipſam *humiliare*, vel tot flagellis attrita, contempſit, rectè ab illo, qui plus æquo exaltata humiliat, eliſaque & humiliata erigit, priùs humilianda erat, ut in gratiam, à quâ exciderat, rediret, poſtea conſulenda, erigenda atque ſublevanda: Priùs deſolanda priùs percutienda, poſtea ſananda.

Emendatio Eccleſiæ à Deo expectanda.

Nam quod ad *redintegrandam* ipſam *Eccleſiam*, funeſto *hoc ſchiſmate dilaceratam*, attinet, fruſtra aliquid *per nos* effici ſperamus. Non hoc humanis operibus, non ulla arte magiſtra agendum eſt. Altiorem planè manum res iſta depoſcit. Et neceſſe eſt, ſi unquam uniri debeat, idem ipſe medicus ſit, qui vulnus intulit: Quia & tàm acerbum tamque immedicabile vulnus eſt, ut nulla opera altera curari valeat.

Labores pro reformatione irriti.

Multa ſuper hac re tractata ſunt, multa agitata, multa conſcripta, multa conſulta, multæ legationes ſuſceptæ. Verùm quò plura miſcuimus, & moliti ſumus, eò res aſſiduè multiplicatior atque turbatior evaſit, Deo labores noſtros irridente, imò jugiter irritante, qui *noſtrâ* ſine ejus adjumento *ſolertiâ* illud ipſius opus explere credidimus. Adde, quod indigni ſumus, & pacem ab eo impetrare, & pacem habere. Quia *non eſt pax impiis, dicit Dominus Deus.* Qui rurſum per Prophetam ait: *Erit opus juſtitiæ pax.* Denique nato in carne Domino Angelorum exercitus *pacem* ſuo prædulci carmine in terra denuncians, ſolis eam *hominibus bonæ voluntatis* futuram nunciavit.

Diſſidia Eccleſiæ ante Concil. Conſt. ex juſto Dei judicio orta.

Quod autem à Domino hæc *peſtis ſchiſmatica* proceſſerit, ex quibusdam in *Zacharia* ſcriptis licet apertè colligere. Legimus ſiquidem in illo Propheta, qui multa de futuris temporibus, & noviſſimis Eccleſiæ tribulationibus, ſub prophetico velamine prætexuit, quod *Deus*, ſummus paſtor, omniumque aliorùm caput & regula, *duabus virgis* paſcat gregem ſuum, quæ ſunt *decus & funiculus*. Quia *decoris moribus & fraterna caritate* præditi eſſe debent, qui volunt in Eccleſia populis præeſſe. *Caritatis* enim, quæ eſt vinculum perfectionis; *funiculus* triplex eſt, qui difficilè rumpitur, quia *in Deum & proximum & ſeipſum* tendit. Verum ſi anima paſtoris, divinis minimè juſſis obtemperans, ſua, & non quæ Dei ſunt quæſierit, & turpi in Deum operatione variaverit, contrahitur anima ejus ſuper eos, præcidensque virgas ſuas ab eis ſubtrahit, *pro decore* ignominiam & *dedecus*, pro nectente autem funiculo, ſchismata, contentiones, & virulenta dimittens diſſidia. Et hoc pacto irritum facit fœdus ſuum, cum Paſtoribus pariter & ovibus percuſſum, germanitatemque inter eos diſſociat. Quia plerumque *pro culpa ſuperiorum* ipſi etiam *ſubditi puniuntur*. Sicut propter reatum David in populi numeratione, populus plaga peſtilentiæ peſſima percuſſus legitur.

Morum decor. *Caritatis vinculum.*

Decoris exilium.

Conſtat autem, primam virgam, quæ *decus* vocatur, propter *vitia paſtorum* jam ante annos multos ab Eccleſia præciſam ac ſublatam, eo videlicet tempore, quo *probroſos illos mores*, de quibus antea memini, induerunt. Ex illo ſiquidem fluere, infirmari, langueſcere, *retro ſublapſa referri* cœpit Eccleſia. Quippè quæ vernanti exuta decore, pallidam & obſcuratam, in terramque dejectam faciem gerebat. Poſtquam vero ejusmodi languor, nulla fomenti opitulatione medicatus, ſed diuturna incuriâ neglectus, adeò per moram temporis invaluit, adeoque membra univerſa pererrando totum corpus occupavit, ſicque obſeſſum tenuit, ut jam vix ultra ſibi invicem membra ipſa cohærere poſſent: Et verum eſſet illud Propheticum; *A planta pedis usque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas;* Sublata eſt virga ſecunda, *funiculus*, qui invicem membra ejus colligabat. Nunc *rupto pacis vinculo* nefandum *ſchiſma* horrendumque prorſus diſſociat.

Pacis fuga.

Caput

CAPUT XLIV.

Quod ſchiſma fuerit initium deſolationis Eccleſiæ.

Putant quippe nonnulli, qui multa de hoc *ſchiſmate*, & futura Eccleſiæ per ipſum deſolatione, divino ut creditur inſtinctu, jamdudum prælocuti ſunt, teterrimam *Eccleſiæ* totius ex eo conculcationem, incredibilemque vaſtitatem, per *terreni* violentiam *imperii*, *cujus multa ſibi jura occupavit*, orituram: Quo terrenis tandem exuta copiis, quæ *aliena* glutierat, malè trita evomat, *filiosque fornicationum*, quos tamen Principum importunitate, tam improbiſſimo mercatu, plurimos genuit, morte, fuga, exilio, fame & captivitate oppreſſos lugeat. Quæ fortaſſis perſecutio maturius quam plerique putant, cervicibus eorum incubitura eſt. Magna enim ejus fundamenta, niſi valdè obcœcati ſumus, jam jacta videmus, quæ quotidie magis ac magis à terra ſurgere, & in apertam jam lucem erumpere, nemo eſt, ſi modo ſenſum habet, qui non valeat advertere.

Eccleſia jura imperii invaſit.

CAPUT XLV.

Quod propter abominationem tantam malis Eccleſia obruenda ſit.

Et profectò *juſtiſſimo Dei judicio* tanta malorum inundatione obruenda & conquaſſanda eſt, quæ in tantam omnium *abominationum inſaniam* excrevit, ut nulla alia via caſtigari, aut ad priorem innocentiam redigi poſſe videatur. Præceſſerunt infinita ſigna, admonitiones, comminationes, increpationes, clades, verbera, flagella, quæ ipſam ad ſanam mentem, ne inſtantia talia pateretur, revocarent. Sed nihil eſt omnibus hic actum, imo in caſſum omnia conſumpta. *Fruſtra* (inquit Propheta) *conflavit conflator: Malitia eorum non ſunt conſumpta.* Fronte enim contra Deum obſervata, omnia contempſerunt, & velut equus effrenis poſt ſuas concupiſcentias rapidiori ſemper impetu concurrerunt.

Auguria malorum.

CAPUT XLVI.

Si Eccleſia florere & fructificare habeat quod neceſſaria ſit in omni ſtatu Eccleſiæ morum reformatio.

Quis igitur tibi, ô CHRISTE, *modus* reſtat, ſi tuam Eccleſiam à tanta *ſorde* ſcoriæ, in quam argentum ejus & aurum verſa ſunt, emundare diſponis, niſi ut totam ſcoriam ipſam, nulla conflatili arte aut purgatorio igne in aurum atque argentum reparandam, ab Eccleſiæ fornace projicias, & puro illic nitore rutilantia metalla iterum inducas. Et ſi tuam præterea vineam, labruſcis ſentuoſiſque virgultis palmites ſuffocantibus obſeptam, in fructiferam vis naturam reducere, quis dexterior modus id agendi, quam inutiles ſtirpes, eam ſterilem efficientes, quæ falcibus amputatæ repullulant, & à radicibus evellere, vineamque ipſam aliis agricolis locatam, novis rurſum ac feracibus palmitibus inſerere. *Neque* enim, te ipſo teſte, *aut de ſpinis poſſunt uvæ colligi, aut de tribulis ficus. Sed & arborem, nullum fructum ferentem, excidendam, ipſe ſanxiſti, & igne cremandam.*

Magna olim opus Eccleſiæ reformatione.

Fallitur igitur, quiſquis labores & dolores Eccleſiæ hujus malis, quæ jam patimur, finiri exiſtimat. Hæc non niſi exigua ſunt *dolorum initia*, & ſuavia quæ-

quædam eorum, quæ ſuperſtant, *præludia.*

Sed tempus erat, ut portum, ingruente jam tempeſtate, peteremus, noſtræque in his periculis ſaluti conſuleremus, ne tanta procellarum vis, quæ laceram Petri naviculam validiori turbinis impulſu, quam ullo alias tempore, concuſſura eſt, in mediis nos fluctibus cum his, qui merito *naufragio perituri* ſunt, abſorbeat.

CONCLUSIO OPERIS,
nempe
DEVOTA ORATIO
CLEMANGII
Pro ſalutari *fructu reformationis* conſequendæ.

UNum in fine opuſculi, quod jam longius tenditur, te, benigniſſime Ieſu, ſupplices exoramus, ut quæcunq; tua *ſuper Eccleſiam futura* ſunt *judicia* (magna enim absque dubio futura ſunt) non ea in ſeveritate ultionis ſecundum ejus peccata exerceas, neque ſecundum ipſius iniquitates immenſam iram mercedes ei retribuas, ſed juxta inenarrabilem tuæ clementiæ lenitatem, & in pœnarum exactione, quam non meretur pietatem largiri digneris. Sicque ea quæ noxia ſunt, aut ſupervacua, reſcinde, ne pauca, quæ non uſquequaque inutilia ſunt, cum his etiam pariter exſcindas. Ita igitur preme, ne prorſus opprimas: Ita attere, ne prorſus obteras: Ita caſtiga, ne prorſus extingvas. Sed ſaltem, ne Sodomæ & Gomorræ ſimilis ſit, ſemen ei aliquod relinque, memor tui ſacratisſimi verbi, quo te cum illa futurum promiſiſti omnibus diebus usque ad conſummationem ſeculi.

Bene-

Benevolo Lectori
S. D.
HERMANNUS von der Hardt.

EX ſuperioribus opuſculis *apertum Clemangii pectus* & ingentem pro Eccleſiæ incolumitate ſollicitudinem abunde cognoſcimus.

Patet autem, quàm urgentia *Concilii Conſtantienſis* fuerint *principia* atque calcaria. Quam *corrupta* Eccleſiæ *capita*, cum membris, ut *totum corpus ægrum* decumberet, non niſi penetranti *emendationis ſpiritu* ſervandum. Addi alia potuiſſent Clemangiana illis haud diſſimilia: Verùm ſuperiora abunde ſufficere putavimus.

Clemangiana verò hæc cum *Vrianis* tam ſuaviter conſpirant, ut fundum omnis in Eccleſia tunc graſſantis mali, *Eccleſiaſticorum corruptionem*, uno quaſi digitô demonſtrarint. Sic una utrique frons, infucata, candida atque ſerena, qui ſimulandi artis expertes, malorum fontes animoſe detegerent, intimeque inſpicerent.

Os idem utrique, apertum, qui ingenue quid in Eccleſia deſiderarent, profiterentur. Una ambobus manus, qui medelam ſacram, in Conſtantienſi Concilio admovendam, Sigiſmundo Imperatori, aliisq; Regibus atque Principibus intrepide offerrent.

De cetero, uti ingenio non ceſſerit Theodericus Vrie Nicolao Clemangio, ita elegantiæ laudem Nicolao lubens concedit Theodericus. Clemangius interim Vrianos nævos ſuis coloribus facilè diſpunxerit. Quod eſt animis amice conſpirantium jus, ut ſua quisque peculiaria dona in communem vertat uſum, & ſuos mutuo diſſimulent defectus.

Neque horum vinculum ſolvit diſpar in Pontifices illo tempore diſſidentes affectus. Quandoquidem Vrie cum Germanis Gregorii XII. partes tenacius ſectatus, Clemangius cum Gallis Benedicto XIII. addictior. Quæ animi motio non in noſtra ſæpe eſt poteſtate, ſed ab occulto interdùm pendet principio. Beneficia ſane ſic occupare mentem affectumque queunt, ut indelebile amoris ſigillum pectori calamoque occulte impreſſum relinquant.

 Arduum

Arduum hoc
Opus
De Ruina Eccleſiæ
conſcriptum
à
NICOLAO de CLEMANGIIS
Theologo & Oratore Gallo
circa Ann. M. CCCC.
IMPERATORE WENCESLAO.
Deſcriptum
tempore Concilii Conſtantienſis
CÆSARE SIGISMUNDO.
Denuo aliquoties deſcriptum
Eodem ſeculo XV.
Impreſſum
Ann. M. D. XIX.
CAROLO V. CÆSARE.
Redintegratum ex MSCtis
Helmſtadii in Academia Julia Ann. M. DC XCVI.
Menſe Junio
Imperante
CÆSARE LEOPOLDO
ANTIQVÆ GERMANORUM
VIRTUTIS VINDICE
POTENTISSIMO.

Digitized by Google

TOMI I. PARS IV.

JOHANNIS GERSONIS

Academiæ Pariſienſis Cancellarii,

Regii in Conſtantienſi Concilio Legati

Præclarum opuſculum,

In Concilio Conſtantienſi ſcriptum & ſolenniter oblatum,

DE SIMONIA

IN CONSTANTIENSI CONCILIO ABOLENDA.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG. DUCIS &c.

Ex MSCto BIBLIOTHECÆ INCLYTÆ REIPUBLICÆ NORIBERGENSIS

recenſitum

ab

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Juliæ Profeſſore.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

Digitized by Google

THUANUS
Hiſt. lib. 137.

* * *

JOHANNES GERSON
Cancellarius Pariſienſis
& famoſiſſimus ſua ætate Theologus
Caroli VI. temporibus
REGIUS AD CONCILIUM CONSTANTIENSE
ORATOR
autoritate ſua & doctrinæ opinione
pervicit,
ut multa in eo
SALUTARIA AC MEMORABILIA
inſererentur.
Indeq;
Re bene ad Dei gloriam & decus regni geſtâ
reverſus
DOCTORIS CHRISTIANISSIMI
non ſolum apud nos [Gallos]
ſed & inter exteras nationes ſummo conſenſu
nomen meruit.

Digitized by Google



Chriſtiano Lectori
S. D.
HERMANNUS von der Hardt.

NOn ægrius Eccleſia laboraſſe creditur, quam *circa Concilii Conſtantienſis tempora*. Quod fœda & communis *morum depravatio* Concilii ſolenniſſimi remedium poſtularet. Cujus miſeriæ publicæ oculatos teſtes, *Theodericum Vrie*, & *Nicolaum de Clemangiis* vidimus, plures dein contemplaturi.

Ceterum in illa ſcelerum publicorum inundatione, *officiorum Eccleſiaſticorum artificioſa venundatio*, omnem virtutem, eruditionem, candorem, ſtudium, ac fidem penitus ſubmerſerat, & tantum non plane extinxerat. Hinc ruditas in clero, fraudes, doli, inſidiæ in officiorum ſacrorum Candidatis. Utpote quibus conſtaret, non virtute, ſed auri vi ac pondere, rem eſſe conficiendam.

In officio torpor, neglectus, ac contemptus ſacrorum, voluptatis ſtudium: Diligentia tædioſa, ardor inviſus, zelus moleſtus: Otium dulcius, indulgentia commodior. Ut quam ipſi non ſectarentur virtutem, aliis ſi non inviderent, non concederent tamen, certe ad illam non invitarent, quanto minus pertrahere ſtuderent.

Nec mirum, cum pro epiſcopali benedictione atque inauguratione hæc reſonarit oratio: *Gratis non accepi, quod magna pecunia epiſcopatum emi, neque gratis dabo. Ut effuſarum impie refuſionem recipiam expenſarum. Ordinare te nolo in ſacerdotem, niſi aureum dones. Sacramentum ordinis mihi comparavi, dum Epiſcopus fierem, & illud*

ejusdem ordinis ſignum ſacrum tibi vendo. Prece & pretio mihi procuravi, rogatu atque munere tibi vendo. Si tantum non dederis, ſacerdos non eris. Cujus egregiæ conſecrationis characteres dilucide pinxit *Theodericus Vrie, Hiſt. Conc. Conſt. lib.* 4. *diſt.* 7. *fol.* 93. *& lib.* 3. *diſt.* 2. *&* 4. *fol.* 61. *ſeqq.*

Quod ſacrorum venalium forum advexit ſimul in Eccleſiam varias ſordes, avaritiæ, luxuriæ, faſtus. Unde & æmulationes, ſimultates, contentiones, longæque inſidiæ, non multis annis imo vix cum vita terminandæ lites. Unde ſumptuum intempeſtivæ profuſiones, corruptioni ſacratæ largitiones, exhauſti privatorum & mediocriter æratorum loculi. Hoc plebis Chriſtianæ præſidium, exitium dixerim. *Sola ducti ambitione ſe Prælatos oſtenderunt, ut præeſſent, non prodeſſent: Ut marſupia implerent, animarum ſpreta ſalute; Ut viverent, ut vellent, non ut deberent: Ut libita proſequerentur, non licita: Omnibus ſcilicet inferioribus ſcandalum & ſpecula malorum, & totius Chriſtianæ religionis macula exiſtentes.* Hæc ſeculi illius facies pulchella, à *Theoderico Vrie, Hiſt. Conc. Conſt. lib.* 2. *diſt.* 8. *fol.* 50. ſcite delineata. *Bonifacii IX.* inſatiabilis auri cupiditas, haud longe ante Concilii Piſani ac Conſtantienſis tempora, adeo non urbes, non vicos, non pagos, ſed loculos quosque reconditiſſimos privatiſſimosque angellos ubique pervaſerat, ut toto orbe inviſum eſſet & falſitatis argueretur nomen Bonifacii, veriusque *maleficius* audiret. *Illius ætate, qua regnabat*, inquit Vrie f. 48. *floruit avaritia, ſuccrevit ſimonia, & cetera mala.*

Theodoricus à Niem, hujus Pontificis Secretarius, in *Labyrintho*, c. 39. *Bonifacius Papa pulchræ*, inquit, *ſtaturæ, ſed vitioſi ſubjecti. Neque enim unquam in ſede Apoſtolica legitur præſediſſe, qui adeo publice & inverecunde Simoniæ vitium præſumeret exercere, ſcandalizando indifferenter, propter pecuniæ quæſtum valde multos Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, & aliorum ſtatuum Eccleſiaſticos prælatos ordinando, nec non clericos & ſacerdotes, omnia vitioſe faciendo, qui etiam fratres ſuos Marchiones & Duces ac Comites fecit, eos ultra modum ditando ac etiam exaltando.*

Luculentiſſime obſcuriſſimam hanc & ſordidiſſimam Bonifacii *artem* Simoniacam, qua totam Eccleſiam fœdabat, deſcripſit idem *Theodoricus à Niem in Hiſtoria Schiſmatis ſui temporis.* Cujus paucula verba ex *MScto Gothano* notaſſe juverit. *Reperit* (Bonifacius IX.) *plures bonos & legales Cardinales de ſuo Collegio, qui Simoniæ vitium deteſtabantur omnino. Quorum præ timore, dum viverent, quaſi per ſeptem annos, non audebat ſimoniam publice committere. Attamen per aliquos mediatores, potisſime in prælatorum promotionibus, tunc clanculo exercebat eandem, intercedentibus pactis clandeſtinis de promotionibus per ipſum faciendis, dum tamen hujusmodi promovendi ſibi aliquas florenorum ſummulas exhiberent. Et ſi illi, à quibus poſtulabat, pecunias illas ei non dederunt in prompto, diverſas confinxit & allegavit in ſecreto Conſiſtorio coram dictis Cardinalibus cauſas, quarum prætextu iſtorum promovendorum plus debito*

nego-

Digitized by Google

negotia protelabat, ſeu totaliter impedivit. Sic etiam dictis Cardinalibus ſuis ſæpius illudendo. Prædictis autem Cardinalibus pro majori parte ſucceſſive defunctis, quos ipſe Simoniam odio habere cognovit, exhilaratus eſt nimium, quia tunc libertatem habebat, ipſas ſimonias, ſicut & placuit, etiam publice exercendi. Sed demum, videlicet circa decimum annum ſui regiminis, ut cautius ageret in hac parte, palliaretque dictam ſimoniam quam exerceret, quodam neceſſitatis colore primos fructus unius anni omnium Eccleſiarum cathedralium, abbatiarum, vacantium, ſuæ Cameræ reſervavit. Itaque quicunque ex eo in Archi-Epiſcopum, Epiſcopum aut Abbatem per eum promoveri voluit, illum ante omnia oportuit ſolvere primos fructus Eccleſiæ ſeu monaſterii, cui præfici volebat, etiamſi nunquam poſſeſſionem Eccleſiæ ejusdem vel monaſterii conſequi poſſet. De quo ipſe Bonifacius penitus non curabat, imo ſæpius dicebat; Utinam non adipiſcatur poſſeſſionem ejusdem Eccleſiæ vel Monaſterii, ad quam vel ad quod eum promovi. Ut iterum de alio, quem præficeret illi Eccleſiæ vel monaſterio, ſicque recentes pecunias extorqueret. Dicti autem primi fructus per ipſum æſtimati fuerunt ad triplum illius Eccleſiæ vel monaſterii, ad quod vel quam promovebatur prælatus, quam in literis Cameræ apoſtolicæ pro conſveto ſervitio ſolvendo taxati fuerunt. Et quia non ſemper omnes promovendi ad hujusmodi Eccleſias vel monaſteria venerunt ad curiam ejus ſufficienter pecunia fulciti aut cum ſacco paravati, uſura in ipſius curia tempore regiminis Bonifacii in tantum invaluit, ut amplius non reputaretur peccatum fænerare in eadem. Imo ipſæ uſuræ exigebantur quandoque pænoſe à debentibus coram judicibus officialibus dicti Bonifacii. Et tunc illud prophetæ: Et non deficit uſura & dolus in plateis eorum, verificabatur ibidem. Sicque exigebatur pecunia Simoniace pro aliqua gratia ab ipſo Pontifice obtenta ex ſtipulatu promiſſa. Et ut nihil de contingentibus ipſe Pontifex omitteret, multas uniones Eccleſiarum parochialium & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum ſimonia intercedente fecit &c. Quas ſimilesque centenas *artes* alias Bonifacii, *aurum emulgendi*, ex *Theoderico à Niem*, ipſo hujus Pontificis ſecretario, infra plenius audiemus ac mirabimur.

Tertium interim teſtem, ejusdem ævi, hic advocabimus Bonifacianarum peſſimarum artium, irreligioſa ſacrorum venundatione exercitarum, *Gobelinum Perſonam*, qui prolixiſsime ſordidum iſtud Bonifacii forum deſcripſit, quod ſua ætate ſuis vidit oculis & horruit. Hic in *Coſmodromio*, Tomo I. Rerum Germanicarum Illuſtris Meibomii, *cap. 84. f. 316. Anno*, inquit, *Pontificatus Bonifacii primo, multi pauperes clerici curiam Romanam pro gratiis obtinendis ſatagebant viſitare. Et cum examinabantur, modus examinandi inauditus tunc ortus exitus ſiniſtri earundem gratiarum certum præbebat indicium. Nam miniſtri examinatorum, ipſis Dominis ſuis non inſciis, ab examinandis pecuniam exegerant. Cum igitur diſtributio gratiarum poſtea facta eſt, omnibus impetrantibus gratias in rotulis pauperes clerici poſtpoſiti ſunt, & gratiæ eorum*

pæne inutiles efficiebantur. Annis enim ſecundo & tertio ipſe ſignavit multas rotulas ſub data anni primi, acſi cum aliis rotulis in principio anni primi porrectæ fuiſſent. Nec erat diſcretio, quis rotulas illas emitteret, vel qui continerentur in illis. Et iſti omnes gratiis pauperum in primo anno obtentis præjudicabant. Deinde ſucceſſu temporis quaſi omnes ſupplicationes ſibi porrectas ſub gratiis ſpecialibus quotidie ſignavit. Poſtea multi obtinuerunt duas, tres vel quatuor gratias ſpeciales ſub data familiarium Papæ. Deinde multi obtinuerunt gratias cum clauſula Anteferri. Quæ non ſolum præjudicabant gratiis pauperum generalibus, ſed etiam gratiis ſpecialibus. Poſtea vacantibus beneficiis, quæ hujusmodi gratias habentes acceptabant, alii impetrabant eadem ſub data diei obitus, & datas expectatoris quascunque excluſerunt. Multi etiam impetrabant gratias, in quibus Papa ſcripſit, motu proprio ſe illas conceſſiſſe, quamvis Papa perſonas illas, quibus hujusmodi gratias conceſſit, minime novit. Et ſic quilibet excogitavit ſibi modum, quo poſſet alium excludere: Nec dubium erat de ſignatura obtinenda, aut literarum expeditione facienda, ſi impetrans non defecit in pecunia expendenda. Ex prædictis inexplicabiles lites ortæ ſunt, & ſuccedentibus diverſis Papæ declarationibus, vix aliquis in beneficio, per gratiam ſedis Apoſtolicæ tunc obtento ſibi ſecurus videbatur, &c.

Longiſſimo *artium Bonifacianarum* catalogo pertexto, hoc tandem *Gobelinus Perſona* Bonifacio ponit monumentum: *Sicut hic Bonifacius ſuper omnes Romanos Pontifices, prædeceſſores ſuos, terreni principatus poteſtatem rigidius in Romanos oſtendit, ita auctoritatis Apoſtolicæ plenitudinem, latius quam iidem prædeceſſores in Imperii Romani extremos fines usque diſtendit: Non ut aurum, quo Petrus claudum ſanans caruit, ſe cumulare monſtraret, ſed ut dum vices illius geſſit in terris, cui nemo dicere poteſt, cur id facis? auri ſitim auro extingui non poſſe, non ſolum verbo, verùm etiam exemplo confirmaret.*

Quibus ad ſcrinia Principum urbiumque magnarum ſecreta tabulasque antiquas reconditas aditus conceſſus, hujus generis *bullarum Bonifacianarum*, auro parando ſacrarum reliquias offendent plurimas. Quod nullus indulgendo, concedendo, conſtituendo, immutando, revocando, redintegrando, rurſusque inflectendo ac roborando, jura ac beneficia, frequentior extiterit, ne ullus auri venandi modus maneret intactus. Ex *Archivo inclytæ urbis Brunsvigæ* SERENISSIMUS PRINCEPS RUDOLPHUS AUGUSTUS, BRUNSVICENSIUM DUX, *herus meus clementiſſimus*, plura ejus generis *Bonifaciana diplomata*, Anno Papatus ejus ſecundo, ſexto, decimo, Brunſvicenſibus data, ac ſigillo conſveto plumbeo onerata, cum aliis gratioſiſſime exhibuit. Quorum nonnulla curioſo lectori hic ſtatim exhiberemus, niſi vereremur, ne hæc præfatiuncula limites præfaminis brevi libello præludentis longe excederet. Differemus igitur, donec *Theodericum à Niem* Hiſtoriam illius temporis adeoque & Bonifacianam pertexentem

xentem, ex MSCtis advehemus, cui hæc atque ſimilia *rariora illius ætatis ſymbola* adjungemus.

Bonifacii hujus mores deponi per ſucceſſores non poterant, auri Bonifaciani fulgore oculos ſucceſſorum perſtringente, qui non niſi in Bonifacio bonum & pulchrum nitidumque ſpectabant. *Johannes* itaque XXIII. hæc onera, à Bonifacio Eccleſiis impoſita, levare religioni ſibi ducebat, non onera ab aliis in ſe devoluturus, niſi aurea, atque illa licet graviſſima. Ita quidem, ut mitior adhuc & bonus viſus *Bonifacius Johanni* mox ſecuto *comparatus*. Ille rivos auri hauſturus, hic fluvios abſorpturus, fontibus etiam primis exſiccatis. Nunquam eo usque ars Simoniaca creviſſe viſa, quam hujus ope atque inſtituto. Quod ergo hic gravi & compreſſa utraque manu totius orbis Chriſtiani loculos inſtar ſpongiæ premere videretur, miro artificio ſtudium diſſimulans, communis orbem clamor replevit, ut Conſtantiam confluerent univerſi, vel manus prementis atque ſuccum ſangvinemque exprimentis levaturi atque declinaturi, vel fauces obſtructuri.

Didicerat *Dominus Johannes* hanc lucroſam ſcientiam ex Bonifacio, cujus Cubicularius, egregie hanc aurum emulgendi, aut, uti illo ſeculo lepide loquebantur in Ro. curia, *pecuniam exburſandi* artem exercuerat, Bonifacio eo nomine percharus. A quo præmii pro præſtita fideliter hac opera numero Cardinalitiam dignitatem impetravit. Occupato tandem per inſidias papatu aurique machinis, abyſſum aperuit infinita auri mole non replendam. Huc omnes nervos cum intendiſſet, *Conſtantienſe Concilium* hos brachiorum nervos vel frangere vel defatigare, ſpiritusque nimios mitigare atque minuere allaborabat. Quod factum, illo dignitate Papali exuto, inque carcerem tandem conjecto. Quorum omnium teſtes irrefragabiles tum *publica* ſunt *Concilii Conſtantienſis Acta*, tum *Theodericus Vrie*, *Theodericus à Niem*, aliique illius temporis ſcriptores univerſi.

Sic erant illo tempore Archi-Simoniaci *Bonifacius* IX & *Johannes* XXIII. qui auro æſtimarent religionem omnem. Quod itaque ad perquirendas auri venas cuniculi varii parati, & his ita Eccleſia & Reipublicæ ſalus ſubruta, ut prorſus ruitura utraque videretur, niſi *Generalis Concilii Conſtantienſis* ope hi cuniculi obſtruerentur, ac ruina præſentiſſima averteretur: Hæc *Simoniæ artificia* in Concilio publice ſpectata, ponderata, ac, ni omnibus eſſet pereundum Eccleſiis, ſolenniſſime damnata. Juverunt in *concilio* præſentes boni Cardinales, Epiſcopi ac Prælati quique cum Sigismundo ceterisque regibus ac principibus. Conſilia frequentia inivērunt, rem arduam, profundiſſimas quæ egerat radices, curate excuſſerunt, & quî malum tollendum ſedulo expenderunt.

Ex his in celebri iſthoc Concilio *de abolenda* pernitioſiſſima *Simoniæ labe* ceptis conſiliis, curis, votis, machinis, natum præſens *Johannis Gerſonii* breve ſed nobile opuſculum, *De ſimonia in Conſtantienſi Concilio tollenda*, ac non in cineribus ſed apertis flammis,

mis, quæ totum Chriſtianum jam invaſerant orbem, extingvenda.

Ex pluribus ejusdem argumenti eodem tempore natis ſcriptis placuit hoc *Gerſonianum*, non ſolùm propter *autoritatem* Viri, tum in univerſa Eccleſia tum ipſo Concilio maximam, qui dandis conſiliis plurimùm ubique valeret, verùm etiam ob *conciſam brevitatem*, conſulendique modeſtiam ac maturitatem, indeque argumentorum vim ac admirabile pondus.

Non autem ex impresſis Gerſonianis operibus hoc præclarum opuſculum repetivimus, ſed ex ANTIQUO MSCto, in INCLYTÆ REIPUBLICÆ NORIBERGENSIS BIBLIOTHECA aſſervato. Cujus copia facta DUCI SERENISSIMO RUDOLPHO AUGUSTO à *Generoſisſimo ac Perilluſtri Viro*, *Domino* CAROLO WELSERO, *ordinis ſacri Noribergenſis Ephoro Excellentisſimo ac Protoſcholarcha Magnifico*, elegantisſimâ eruditione ac propenſisſimo in literatos affectu eminente.

Quocum ſvavi harmonia conſpiravit *Maxime Reverendus Theologus Noribergenſis, Dominus* CONRADUS FEURLINUS, *ſacri miniſterii Antiſtes Venerandus, Reipublicæ Bibliothecarius ſolertisſimus.* Singularis in Serenisſimum Ducem affectus hos movit, ut aliquot *codices MSCtos*, ad Husſi & Conſtantienſis Concilii negotia ſpectantes, ex *publica Reipublicæ inclytæ Bibliotheca* liberali manu communicarent: Plura antiqua monumenta, & in his credo deſideratisſimam *Wallenrodianam Concilii Conſtantienſis hiſtoriam*, ex illuſtris & de republica quoq; literaria longe meritisſimi *Pirckheimeri Bibliotheca*, benigne exhibituri, niſi hæc, patriâ urbe dudum relictâ, in *Angliam* navigaſſet, ſumptibus Comitis Arundelienſis redempta, & eò transvecta. Quod olim *Noribergenſis Reipublicæ* nunc *Angliæ* illuſtre ornamentum *Londini in Collegio Greshamenſi*, pone illud Conclave, in quo Societas regia ſolet congregari, cum voluptate ſpectavit *Vir Reverendus ac Clarisſimus Dn.* JOHANNES CONRADUS FEURLEIN, *in patria Norimberga in æde Parochiali Sebaldina Eccleſiaſticus orator felicisſimus*, cujus amicitiæ pignora jucundisſima quotidie veneror.

Ceterum tanto promptius Gerſonianum hocce opuſculum *ex MSCto Noribergenſi* depromſimus, quanto corruptius illud in impresſis codicibus deprehenſum, ex *MSCto hoc* elegantisſime appoſitisſimeque reſtituendum. Ea ſiquidem differentia eſt utriusque, ut haud exigua parte amplior ſit libellus in MSCto, quàm in impresſis codicibus. Ut lacunæ impreſſorum non felicius ac decentius quam ex laudato MSCto ſuppleantur. Addita quædam appendicis loco in MSCto, ex *Gerſonis tractatu de oratione & ejus valore* hauſta, jure miſimus.

In *Capita* diſtingvere, *argumentis* ac *marginalibus indicibus* ornare, fas eſſe credidimus. Quod lectoris commodis conſulere regula noſtra ſit perpetua.

JOHAN-

Digitized by Google

JOHANNIS GERSONIS
Academiæ Pariſienſis Cancellarii

NOBILIS TRACTATUS

DE SIMONIA
In Generali Concilio Conſtantienſi damnata.

EX MSCTO NORIMBERGENSI.

CAPUT I.
Quæ ſit Simonia.

SImoniaca labes, contra jus divinum, vel *de Simoniaca ſpecie ſuſpectum*, eſt conferenti beneficium Eccleſiaſticum, etiamſi ſit Papa, *exigere vel extorquere à beneficiando promptam pecuniam*, ſub titulo primorum fructuum, ac impedire profeſſionem & officiationem ejus, quouſque ſolverit illam pecuniam.

Sacrorū officiorum venundatio.

Deducemus *concluſionem* hanc, primo ex ſeptem ſuppoſitionibus. Subinde ſeptem conſiderationes vel doctrinas adhibebimus.

CAPUT II.
De legitimis ac illegitimis functionum Eccleſiaſticarum & ſalariorum generibus.

PRIMA SUPPOSITIO.
Officium ſacrum & ſalarium optime ſimul conſiſtere.

SUpponitur primo, quod in beneficio quocunq; Eccleſiaſtico, præſertim Canonico, aut habente curam animarum, ſint hæc duo: ſcilicet *Beneficium & officium*.

Canonici officium, ſtare continuo in horis Canonicis latinis, ceſſantibus impedimentis rationabilibus, & intendere deinde maxime operibus, ſecundum qualitatem ſui ſtatus. *Curati* officium eſt, horas ſolvere, ſecundum Eccleſiæ ſuæ inſtitutionem, prædicare, confeſſiones audire, ſacramenta miniſtrare, & cum omni diligentia oves ſuas reſpicere, & eas exemplo & verbo continuo inſtruere.

Beneficium autem, ſicut dici ſolet & verum eſt, datur propter officium.

Unde ad jus & *obligationem officiandi*, competit *jus beneficium recipiendi*, ſicut infra docebitur ex omni jure. Propterea non debet obligare quis ad officiandum, propter traditionem ordinis ſacri, vel aliàs, niſi beneficium, id eſt jus recipiendi cum effectu, realiter, non nominaliter tantùm, ſuſtentationem vitæ, ſimul annectat.

SECUNDA SUPPOSITIO.

Actualem officii Eccleſiaſtici adminiſtrationem differre ab officio civili ratione finis.

Officium Eccleſiaſticum ſumitur tripliciter.

SEcundo ſupponitur, quod *officium Eccleſiaſticum* quandoque ſumatur *pro jure officiandi*, quandoque *pro obligatione ad officiandum*, quandoque vero *pro ipſo actu officiandi.*

Eſt *actus* autem hujusmodi *officiandi* ſic deſcriptibilis: Quod ſit *exercitium aliquod, impenſum ad utilitatem alterius, vel aliorum, pro aſſecutione felicitatis aternæ & damnationis evitatione.*

Officium Eccleſiaſticum & civile differunt.

Unde per hanc ultimam clauſulam *differt officium Eccleſiaſticum ab officio temporali vel civili*, videlicet *ratione finis* proximi ſeu principaliter intenti. Quoniam *finis proximus officii civilis* eſt felicitas ſeu tranquillitas politica vitæ præſentis. *Officium* autē *Eccleſiaſticum habet finem altiorem*, videlicet principaliter in honorem Dei, in pſalmodiis, hymnis & canticis cæterisque annexis, ad ſalutem animarum.

TERTIA SUPPOSITIO.

Officium Eccleſiaſticum eſſe negotium ſpirituale.

Jus ad officium ſacrum eſt negotium ſpirituale.

TErtio ſupponitur, quod hæc *tria* ſint *pure ſpiritualia:* Scilicet, *jus ad officium*, quod datur *a ſuperiore vocante* vel *eligente.* Quia nemo ſibi aſſumit honorem, ſecundum Apoſtolum, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aron.

Obligatio ad officiū ſacrum eſt res ſpiritualis.

Similiter *obligatio ad officiandum*, quæ conſurgit *ex conſenſu ſuſcipientis* honorem iſtum.

Actus ſacra adminiſtrandi eſt actus ſpiritualis.

Similiter *actus officiandi* & realiter cum effectu percipiendi fructus. Qui *actus ſpiritualis* eſt ratione finis vel objecti, &, ut frequenter, ratione ipſiusmet obſequii, ſicut ſunt pſallere, cantare miſſam, Evangelium aut epiſtolam, vel lectiones legere, baptizare, prædicare, ordinare, celebrare miſſam, utpote abſolvere, miniſtrare in divinis vel annexis, ut vinum vel aquam in ampullas &c. ad altare vel Eccleſiam ſternere, & de ſimilibus.

QUARTA SUPPOSITIO.

Beneficium deberi pro officio Eccleſiaſtico.

Salarium pro officio Eccleſiaſtico eſt juris divini.

QVarto ſupponitur beneficium tanquam ſufficienter & expreſſe determinatum, *de jure divino*, tanquam per Chriſtum & per Apoſtolum, quoad *officium eccleſiaſticum* ſic trifarie ſumptum, pro *jure*, pro *obligatione*, & pro ipſo *opere* ſpectantibusque ad illud.

Unde *beneficium pro ipſo jure* ſic poteſt deſcribi: *Beneficium eſt jus recipiendi ſuſtentationem vita temporalis, condecentem ratione ſui ſpiritualis officii.*

Obligatio autem *ad beneficium* præſtandum conſurgit *ex obligatione*, quæ eſt *ad officiandum.* Unde illi, qui pure ſponte miniſtrant ſpiritualia, non ſemper obligantur illis quibus fit hæc miniſtratio, cum habeant curatos vel prælatos, ad hoc ipſum eis miniſtrandum obligatos. Alioquin duplici contritione vel onere premerentur.

Ceterum *actus beneficii* actui officii vel *exercitio correſpondet.*

Et hoc utique *de jure divino* & inſeparabili. Sicut dicit Apoſtolus ex radice multiplici ſumpta: Nunc à lege ſcripturæ, nunc à lege naturæ. Unde ſic ait prius: *Quis militat ſuis ſtipendiis propriis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid ſecundum hominem hoc, an & lex hoc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi: Non alligabis os bovis triturantis. Numquid debobus cura eſt Deo? An propter nos hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt: Quoniam debet in ſpe, qui arat, arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos*

vobis

vobis ſpiritualia ſeminamus, non magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus. Si alii poteſtatis participes ſunt, quare non potius nos? Sed non uſi ſumus poteſtate hac, ſed omnia ſuſtinemus, ne offendiculum demus Evangelio Chriſti. Neſcitis, quod qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edant, & qui altari deſerviunt, cum altari participent? Ita & Dominus ordinavit his qui Evangelium enunciant, de Evangelio vivere. Hæc Apoſtolus, imo per Apoſtolum Dominus.

Quinta Suppositio.
Eſſe Simoniam, jure divino.

QVinto ſupponitur, quod in his, quæ ſunt *Simoniaca*, *de jure divino*, & non ſolum quia prohibita lege humana, (ut ita loquimur more Juriſtarum, licet improprie multum) *Papa poteſt committere Simoniam*, qui *divinæ legi ſubjicitur*, *ſicut alius*: Et *dum transgreditur illam, gravius peccat, quanto major habetur.*

Papa poteſt committere Simoniā.

Conſtat autem *prohibitum* eſſe *jure divino*, ut illud, quod eſt vere ſpirituale, cum ſuis attinentiis, non committatur emi vel vendi: Sicut de *Gehaſi* & de *Simone Mago* Scriptura ſacra palam tradit, & ſicut Chriſtus, ad diſcipulos loquens, determinat: *Gratis accepiſtis, gratis date. Mat.* 10. In eodem capitulo determinat quæ dicta ſunt de jure beneficii reſpectu officii, dum ait: *Dignus eſt operarius lucro ſuo.* Et *Luc.* 10. ait: *Dignus eſt mercenarius mercede ſua.*

Sexta Suppositio.
Et Papæ deberi beneficium pro officio ſuo Eccleſiaſtico.

SExto ſupponitur, quod licet *officio Papali*, ratione *juris*, & *obligationis*, & *operis* ſpiritualis, competat *beneficium* trifarie proportionabiliter acceptum: Nihilominus ipſe *Papa non poſſit*, *quibuscunque modis voluerit*, *beneficium illud exigere vel extorquere.* Sed juxta legem divinam quod juſtum eſt, juſte exequatur, & ab omni ſpecie mala, ſicut jubet Apoſtolus, ſemet abſtineat.

Septima Suppositio.
Nec officium nec beneficium Eccleſiaſticum poſſe vendi.

SEptimo ſupponitur, illud injuſtum eſſe, & tale quale nemo ſibi fieri vellet, quod de beneficio, jure debito ipſi Petro vel Paulo, ipſe det pecuniam, priusquam beneficio utatur, ne forte *uſurarius* ſit.

Sic autem eſt in caſu *concluſionis*, cujus veritas ex his *ſuppoſitionibus* ſimul combinatis videtur eſſe ſufficienter oſtenſa. Cujus deductionis applicationem omittimus, quia virtualiter & reſolutive ſtat in hoc: Quod *jus ſuſcipiendi temporalia*, quantumcunque temporale videatur, ſit pure ſpirituale, ratione finis & objecti. Propterea *beneficium Eccleſiaſticum non magis poteſt vendi*, quam *officium*, cui neceſſario annexum eſt. Quale tamen *officium non eſſe vendibile* nemo neſcit.

Caput III.

OBJECTIONES
Pro Papæ immunitate à Simonia in recipiendis primis fructibus & annatis.

Prima Objectio
ab exemplo Sacerdotum V.T. quibus decimæ à Levitis datæ.

PRimo opponitur ex radice multiplici: Quod ſicut ex antiqua lege *decimæ decimarum debebantur ſummo ſacerdoti* à Levitis, *Num. XVIII.* & *Deuter. XVI.* Sic non minus in lege nova debeatur hæc *decimatio* vel ſufficiens recompenſatio *facienda* per inferiores *ipſi Papæ*, niſi aliàs ſufficienter eſſet ei proviſum.

Hæc autem *recompenſatio* videtur eſſe rationabilis: Ut *fructus primi anni* à quolibet beneficiato perſolvantur. Quoniam in hoc *Papa ſervit Eccleſiæ*, & ita *propter hoc officium* in promovendo homines, ipſi debetur *pro ſuſtentatione decentis ſtatus ſui*. Ad hoc tam *perſonæ* quam *beneficia poſſunt onerari.*

Secunda Objectio
ab exemplo Canonicorum, qui pecuniam prænumeratam accipiunt.

SEcundo, *non minus* videtur *Papam* poſſe recipere vel petere pecuniam à beneficiato, etiam priusquam ſit in poſſeſſione, *quàm Canonici* Eccleſiæ cathedralis. Qui tamen *Canonici* de conſuetudine recipiunt tam pecunias numeratas quam obligationem, ante poſſeſſionis adeptionem.

Tertia Objectio
ab exemplo Prælatorum.

TErtio, *non minus* rationabiliter imo rationabilius *poteſt Papa recipere primas annatas* beneficiationis, *quam* recipiunt *prælati* inferiores, vel *Eccleſiæ cathedrales*, vel aliquæ *religiones*. Quod tamen ita fieri frequentius invenitur.

Quarta Objectio
à variis penſionum annuarum exemplis.

QVarto, Beneficia multa traduntur, ad firmam ſeu *penſionem annuam*, vel in titulo, & recipitur quandoque pars penſionis, vel compenſio, priusquam ſit de reditibus aliquid acceptum.

Quinta Objectio
à probabiliter bona conſuetudine longa Eccleſiæ.

QVinto: Quia non eſt probabile quod *per tot tempora* toleraſſet Eccleſia *in promoventibus & promotis* talem *exactionem pecuniarum*, ſi fuiſſet *Simoniaca*, de jure divino. Quia non ſolum qui *faciunt* mala, ſed qui *conſentiunt* facientibus, ſecundum Apoſtolum digni ſunt morte.

Sexta Objectio
ab indignorum Eccleſiaſticorum multitudine alias incredibili.

SExto videtur ex his ſequi, quod *horribilis res* fuiſſet hactenus *in Eccleſia Dei*, propter defectum tituli, ſive juris in beneficiis, & conſequenter in defectu adminiſtrationis ſacramentorum per populos, propter defectum vel ſuſpenſionem Eccleſiaſticæ poteſtatis in miniſtris.

Septima Objectio.
à defectu remedii jam reliqui.

SEptimo: Qualiter provideretur ſic promotis à Papa, vel altero, promittente, vel ſimoniam committente?

Digitized by Google

Caput IV.
RESPONSIONES ad ſuperiores objectiones.

Solutio primi dubii, petiti â decimis Levitarum V. T.

Reſpondendo talibus objectis, dicimus primò, quod inferant & concludant aliquas veritates ceteris paribus. Ut, quod *officio Papæ debeatur beneficium* ſufficiens & condecens: Et, quod ab *inferioribus ipſi debeatur ſubſidium*: Et, quod illud ſubſidium poſſit vel potuerit, debitis circumſtantiis obſervatis, accipi, ſuper fructibus inferiorum beneficiorum, ubi non eſt aliter facta Papæ ſufficiens proviſio. Sicut prima ratio ſatis hoc concludit, tam *ex jure divino* quam *naturali*, præſuppoſito dominio. Sed quod fiat *exactio* vel extorſio, ſicut concluſio argumenti loquitur, ratio non concludit.

Beneficiũ pro officio Papæ debetur. Papa ab inferioribus poteſt petere ſubſidiũ. Non extorqueat beneficiũ.

Secunda Responsio, *quoad exemplum Canonicorum.*

Secunda reſponſio ad ſecundam rationem, quæ videtur *de Canonicis* concludere. Reſponſio: Quod *lata* ſit *differentia*. Quoniam tales pecuniæ non debent exigi à canonicis pro beneficiis & officio, & antequam fructus perceperunt, in primo introitu aut in primo anno, ſed longe poſt, & pro communibus oneribus ſupportandis, in quibus canonicus fuit particeps quoad emolumenta canonica. Sicut pro fabrica, ſeu pauperibus pro pane, pro pueris de choro, pro clientibus, pro ornamentis & ſimilibus. Sicut & ceteri confratres faciunt.

Canonici quo jure præoccupent beneficia.

Non negamus tamen, quod apud aliquos *modus exigendi* non ſit usquequaq; purus & decens, licet non ſimoniacus. Et heu hodie in multis locis militantes Eccleſiæ, ſive beneficia earum, duplici pœna mulctantur. Nam apud Collatores exactionati ſunt, & apud confratres & ſocios denuo exactionantur. Et quis non videat hanc iniquitatem? Ideo poteſt dici ad argumentum, quod *doloſitas vulpis per lupi rapacitatem non excuſetur*. Non enim ſequitur: Superior me male agit, ideo ego ab illo excuſari poſſum. Non omne enim, quod coloratam habet rationem veri, verum eſt. Aliàs vitium ſæpe virtus eſſet.

Abuſus Canonicorum.

Tertia Responsio, *ad exemplum Prælatorum.*

Tertia ratio denique concludit conformiter ad primam. Deberet ergo eſſe ſimul conformitas *de non exigendo* fructus ante perceptionem illorum: Sicut nec exigi deberent ab illis, de quibus eſt argumentum. Nec ſequitur: Inferiores prælati, aut Eccleſiæ cathedrales ſeu collegiatæ, agunt non facienda, ergo Papæ hoc liceat. Ideo adhuc in recte agentibus non ſequeretur omnimode. Vide etiam in ſecunda reſponſione.

Quod autem *non recte agant cathedrales*, oſtendunt fructus operum eorum. Hujusmodi enim *ſolutiones in introitu beneficiorum* talium excluſerunt pauperes & doctos viros atque timoratos. Pauperes, quia non habent, docti & timorati, quia ſentiunt periculum ſimoniæ in talibus latere, abſtinent ſe ab introitu talium beneficiorum. Ideo replentur Eccleſiæ malis, ſcurris, divitibus, qui non curant ſalutem animæ, ſed ſolum ut ditentur & in honore habeantur. Sed quis fructus eorum, niſi *omnis diſciplinæ ſcholaſticæ dejectio*, & Eccleſiarum depauperatio, et ut multa paucis perſtringam, omnis honeſtatis & puritatis abolitio. Qui hoc non videt, numquid cœcus eſt cœcitate malitiæ?

Quarta Solutio,
quoad penſionum annuarum exempla.

Turpis quæſtus ſpecies. *Vitia cleri.*

DEinde poſſumus de quarta ſicut de ſecunda ratione dicere & ſimiliter de ſequentibus quoad hoc: Quod valde multa, proh dolor! fiant & facta ſint *habentia malam ſpeciem turpis quæſtus*, & in multis *ſimoniacam* pravitatem. Sicut & alia *vitia regnare* videmus paſſim apud homines, & multo plus *apud clericos*. Intime intravit Eccleſiam multitudo malorum & indignorum, ut boni, licet ſint pauciſſimi, quodammodo neſciantur. Receſſit enim à clero omnis lex, omnis veritas, omnis verecundia, ita ut hæc audeant, quæ etiam latrones & ſimiles horrent. Iſti tamen fœdera inter ſe illæſa ſervant, pacem, quam ſpondent, tenent, promiſſa implent. Illi verò nec fœdera nec fidem, nec pacem venerantur: Sed quicquid libet, licet. Propterea dicit lex antiqua: Non inſequeris multitudinem ad faciendum mala. Hoc eſt enim argumentum multorum: Hoc mihi eſt licitum, quia major pars hominum aut majores faciunt. Quoniam oppoſitum conſequentis frequenter & quaſi ſemper ſtat cum antecedente.

Quinti Dubii Solutio,
De longa Eccleſiæ conſvetudine.

Boni, conſcientioſi & eruditi, ſimoniam ſemper improbarunt. *Concilium Conſt. Simoniam publice damnavit in Pontifice Johanne XXIII.*

PEr hoc reſpondetur ad quintam rationem, addendo, quod apud *bonos & conſcientioſos* & *eruditos*, quos non excœcavit malitia, vel ſuperbiæ, vel adulationis, vel avaritiæ, talis *ſimoniaca peſtis* reprobata eſt per prædicationes & doctrinas, verbis & ſcriptis. Et *noviſſime per HOC SACRUM CONCILIUM CONSTANTIENSE* judiciali ſeveritate damnata fuit *in capite*.

Ad Sextum Dubium Reſponſio,
de periculo, nullum Eccleſiaſticum à Simonia poſſe excuſari.

AD ſextam denique per præmiſſa patet reſponſio aliqualis, addendo, quod aliqui, etſi non omnes, non potuerint habere verum titulum in ſuis beneficiis & verum ordinem, ſicut conſtat: Et hoc propter excuſationes aliquas probabiles apud aliquos tam prælatos quam ſubditos. Subditos enim excuſare potuit ignorantia juris & facti. In quibus vero Papa & ſupremus Dominus, Chriſtus, ſupplevit & ſupplet in talibus defectum prælatorum, ſtante bona fide ſubditorum. Velut tempore legis antiquæ multi boni ſub malis Pontificibus & Regibus legem inviolate ad complementum, nempe Chriſtum, produxerunt. Non minus hoc fiet, haud dubium, usque ad conſummationem ſeculi, & melius quam tunc, juxta ſponſionem Domini: Ego vobiscum ſum usque ad conſummationem ſeculi, ſcilicet cum bonis.

Septima Reſponſio Ad Dubium,
de defectu Remedii.

De redimenda vexa in clero. *Redemtio vexationis, à Simonia poteſt quodammodo excuſare.*

RUrſus promotos per *Simoniacam* hanc *exactionem* potuit fortaſſe excuſare reſpectus *redemptionis propriæ vexationis*. Dico, *fortaſſe*. Timendum eſt enim, majorem partem illum reſpectum non habuiſſe, ut claret, ſed pauciſſimos, ex ſpiritu ſancto vocatos. Quemadmodum in ſimili theologi dicunt, quod, ſi ſacerdos nollet baptizare puerum, poſitum in articulo mortis, niſi pecuniâ præaccepta, nec appareat alius potens vel ſciens baptizare, propter defectum aquæ vel inunctionis, parentes poſſint dare pecuniam: Non quidem intentione emendi baptiſmum, ſed *redimendi vexationem* ſuam & puero providendi: Nec per hoc dicendi ſint conſentire peccato ſimoniæ hujusmodi curati. Sicut in materia de uſuris, poteſt aliquid accipi per uſuram in caſibus certis, quamvis alteri nullo modo liceat dare.

Unde

Redemptio vexationis ubi habeat locum in ſacris.

Unde *redemptio vexationis* videtur habere locum, non quidem in acquirendo jus novum, ad officium vel beneficium hujusmodi ſpirituale, præſertim apud conferentes, ſed videtur habere locum, *dum tolli quæritur impedimentum quod opponitur*, ne quis jure ſuo, vel re ſua pacifice potiatur vel utatur.

Sic fortaſſis *excuſabiles* eſſent *ſubditi* reſpectu curatorum vel prælatorum, dum compelluntur pecuniam ante tradere, quam res ſpirituales, eis debite uti permittantur aut eis conferantur. Sicut in exemplo priori de baptiſmo parvulorum, de ſepulturis, de miniſtratione corporis Chriſti, de abſolutione ſacramentali, de collatione ordinum minorum & ſimilium. Non autem illorum, Eccleſias cathedralium aut Collegiatarum intrantium. Nam hoc obſtat, quod ſunt pro futuro manus tenentes cum aliis hanc prævaricationem, ſi non animo, tamen exteriori coexiſtentia. Nec prædicti leves eſſe debent, nec affectate aut negligenter allegantes redemptionem vexationis. Sed oportet, cetera ſint paria, videlicet recta ſit intentio, quod fecerit omnem diligentiam, ad evitandam ſpeciem mali.

CAPUT V.

De Variis Simoniæ conditionibus, gradibus, & effectibus, nec non remediis.

PRIMA CONSIDERATIO.

De Papæ Simonia.

Simonia per ſe non eſt hæreſis. Papa per Simoniã non deſinit eſſe Papa. Simoniacus ex depravato affectu. Simoniacus ex depravato intellectu. Simoniacus omnis de fide ſuſpectus. Papa poſitivis ſuis legibus de Simonia non obligatur.

S*imoniaca labes* ſicut *per ſe non eſt hæreſis*, ſic non aufert à papa neceſſario ſuam poteſtatem vel Eccleſiaſticæ poteſtatis plenitudinem, imo nec executionem.

Prima pars ideo manifeſta eſt, quia ſtat, aliquem eſſe *Simoniacum* ex ſola *depravatione affectus*, per avaritiam, remanente judicio recto intellectus, quod ſic agere peccatum ſit. Non eſt autem hæreſis, quia fit ſine *depravatione intellectus*, per errorem in his, quæ recta fides tradit. Nihilominus præſumptione juris, vel operis, *ſimoniacus omnis haberi poteſt in fide ſuſpectus*.

Patet altera pars: Quoniam *poſitivis legibus ſuis non eſt papa ſubjectus*, ut tales ſunt. Quod autem *Simoniacus* ſuſpendatur ab omni exercitio, tanquam *excommunicatus* ipſo facto, poſitivum eſt, quod non ligat papam, cum par in parem non habeat imperium. Cum præterea ſit hoc modo ſolutus legibus, intellige pure poſitivis pœnalibus, ut ſupra jus hoc modo ſumptum. Sic intelligenda eſt diſtinctio Juriſtarum, dum dicunt, aliquid eſſe ſimoniacum, *quia prohibitum eſt*, in illo caſu non poſſe papam committere ſimoniam. Sed quid dicetur ad illud dictum ſanctorum doctorum: *Patere legem, quam tu ipſe tuleris*. Numquid ſequeretur, Papam ſingula acta Simoniaca agere, qui filios fecit Simoniacos, ipſum non? Qualis hæc dementia ſit, videat quis velit. Plane *nulla* eſt *ſimonia, niſi quia prohibita jure divino*, ubi ſcilicet convenit *contractus* iſte rerum ſpiritualium pro re commenſurabili numiſmate, *do ſi des*, vel *do ut des*.

Simonia jure divino prohibita.

Do ut des.

Nihilominus apponitur aliquibus contractibus, non de ſe ſimoniacis, *pœna* ſimoniæ. Ubi neceſſarium eſt, quod hoc ideo dicatur *ſimoniacum*, *quia lege humana prohibitum*. Sicut aliquis punitur tanquam hæreticus, præſumptione juris poſitivi vel operis, qui veraciter eſt Catholicus, & rectus Chriſtianus. Simpliciter autem nihil fit de novo ſimoniacum, quod ante non fuit, niſi per metonymiam dictum, ſive quod pœna Simoniæ adhibeatur. Ideo diſtinctio Juriſtarum vana, *quia prohibita*, occaſionem præbens ad faciendum quæque enormia ipſis ſummis Pontificibus & ceteris prælatis.

Con-

Digitized by Google

Consideratio Secunda.

De Promotis à Papa per Simoniam.

SImoniaca labes in Papa, conferendo prælaturam vel beneficium, *non tollit* neceſſario *jus ad beneficium*, neque poteſtatis Eccleſiaſticæ ſuſpendit executionem.

Hæc conſideratio ſequitur ex antecedente. Quoniam poteſt papa velle taliter promotum non incurrere ſententias juris poſitivi, ubi etiam veram ſimoniam committeret, conſentiendo ſimoniacæ promotioni ſuæ, quamvis apud Deum non evaderet omnem pœnam.

Patet aliunde conſideratio, juxta ea quæ dicta ſunt circa ſextam objectionem, de *redemptione vexationis*, vel etiam ubi bona fides & ſemiplena in promoto eſſet ipſamque ſalvaret, remota omni vexatione iniqua aut affectata, aliis dignioribus præjudicante. Nulla enim res abſque circumſtantiarum ſuarum conſideratione & obſervantiis enuncianda eſt. Aliàs multa falſa vera apparerent, & è contra. In quibus Juriſtæ non modicum exorbitant & multi dicti Theologici & ſuperficiales, affectione ſeducti aut ignorantia.

De religioſa vel vexationis redemptione.

Consideratio Tertia.

De promotis à Prælatis per Simoniam.

SImoniaca labes periculoſior eſt, etſi non quoad Deum tamen quoad forum Eccleſiaſticum, *in promotis per prælatos* inferiores, *quam per papam*.

Hoc perſpicuum eſt in præcedenti conſideratione. Attento, quod omnis *ſimoniacus ipſo jure excommunicatus eſt*, cum reliquis pœnis, à quibus non abſolvitur per ordinarium, quemadmodum de papa tactum.

Consideratio Quarta.

De mala Simoniæ ſpecie quoque cavenda.

SImoniaca labes, quamvis poſſet excuſari, vel non inveniri circa receptionem pecuniarum, vel eorum, quæ ſunt numiſmate menſurabilia, quemadmodum ſunt obſequia vel favores & obligatoriæ promiſſiones circa ſpiritualium adminiſtrationem in literis teſtimonialibus conferendis, & ſimilibus: Nihilominus expedit ut in his obſervetur, quod apoſtolica regula jubet, quantum fieri poteſt: *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.*

Poſſet de prima parte deductio fieri per plurima, circa diverſos ordines & ſtatus, circa religioſos conventus & ſeculares eccleſias, circa prælatos & officiarios ſuos, circa curatos & eorum vicarios & ſubditos. Fiunt itaque plurima per tales hujuſmodi quæ rectam habere poſſunt intentionem, licet *modus faciendi* ſcandalizet. Ut quod videtur fieri pactio de temporalibus, vel negatio ſpiritualium, ſeu dilata propter temporalia ſpiritualium collatio, exercitium vel frequentatio, ut in miſſis dicendis, ut in horis lucroſis non aliàs frequentandis.

Caveatur igitur hæc *multiplex mali ſpecies* per *boni ſpeciem* oppoſitam, quantum fieri dabitur. Quia non eſt noſtrum poſſe ſcandalis omnibus acceptis occurrere: Solum caveatur *affectata ignorantia*, vel *paſſio ſeducens*.

Consideratio Quinta.

De Simoniæ correctione per mentis atque intentionis emendationem.

SImoniaca labes commodius evitari poteſt per *rectificationem intentionis*. Deſiderando ſcilicet ſive accipiendo temporalia, non ut ſunt pretium ſpiritualium, vel cupiditatis nutrimentum, ſed neceſſariæ ſuſtentationis corporalis adjumentum. Sic itaque ſalvabitur, illic non eſſe *commutationem*

tionem ſimoniacam, ubi cum hoc concurrit, *do ſi des*, vel *do ut des*.

Quin hæ dictiones conditionales & cauſales, *ſi*, & *propter*, & ſimiles, ideo non notabunt cauſam principalem, ſeu conſecutivam, ſed minus principalem ſeu motivam, ſeu adminiculativam ſeu meritoriam. Ut ibi: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes propter retributionem.* Quæ utique retributio referebatur ad Deum per prophetam, ſicut finis ſub fine. Ubi autem unum propter aliud, ſicut dicit philoſophus, utrobique unum. Veruntamen, ut ſæpe eſt præmiſſum, hæc & hujusmodi relatio debet ſtare cum veritate non ficta, nec colorata, ne incidat in manum Dei viventis. Quia nullum doloſum dimittitur impunitum.

Consideratio Sexta.

De remedio in Concilio Conſtantienſi quæſito pro abſolvendis Simoniacis dudum factis.

Simoniaca labes poteſt quoad *præterita* ſuſcipere proviſionem & *medelam* per *HOC SACRUM CONCILIUM*, propter ſerenationem conſcientiarum & animarum ſalutem. Taliter ut aboleantur *edicto generali* quælibet pœnæ vel ſententiæ juris poſitivi contra ſimoniacos editæ, cum habilitatibus ad beneficia jam obtenta: Dando licentiam inſuper *pro præterito*, ut quilibet poſſit eligere confeſſorem idoneum, qui eũ ſuper ſcrupulis & dubiis in foro conſcientiæ abſolvat.

Medela Simoniacorum larga. Videtur fortaſſe hæc *proviſio nimis lata* vel *laxa*, juxta ſeveritatem eccleſiaſticæ diſciplinæ. Sed habeatur reſpectus ad immenſitatem miſericordiæ Dei & humanam fragilitatem, quæ mallet ſæpe ſaluti propriæ quam beneficio vel ſtatui renunciare.

Tolerabilis apparet iſta *proviſio.* Aut ſi de neceſſitate puniendi ſunt aliqui, *nimis notorie ſcandaloſi*: Nihilominus de ſalute communitatis atq; plurimorum & hæc intelligenda ſunt omnia, *ſalva reſtitutione debita.* Nam ſi quis ſimoniace beneficium obtinuit, & juſtiorem habentem titulum repulerit aut impediverit, aut quacunque iniqua occaſione viam repellendi dederit, quis ipſum rehabilitare aut abſolvere poterit, *niſi reſtitutionem fecerit*? juxta illud S. Auguſtini: *Peccatum non dimittitur niſi reſtituatur oblatum.* Et per conſequens minus poteſt ſecum diſpenſare. Cum omnis diſpenſatio juſtam & legitimam debeat habere cauſam. Aliàs coram Deo non excuſat, licet plerumque apud homines. *Tolerabilis. Reſtitutio præcedat Simoniaci abſolutionem.*

Consideratio Septima.

De præſervatione in Concilio Conſtantienſi quæſita contra Simoniam.

Simoniaca labes poterit *pro futuro præſervationem* habere. Cogitetur per Hoc Sacrum Concilium, ne paſſim & licenter, ut hactenus, introeat conſvetudo; Leges datas vel jam inſtitutas renovando, mutando vel interpretando, circa collationem omnium ſpiritualium, tam à capite quàm à membris, cum moderamine, quod nec fiat *ſtrictior prohibitio* temporalium, quam oportet, in capite vel in membro, ſicut factum eſſe pluries exiſtimant in quibusdam: Nec rurſus permittatur talis *laxatio*, quæ vel veram ſimoniam, vel ſcandaloſam ſimoniæ ſpeciem introducat. Hæc autem particulariter commiſſa ſunt. *Leges renovandæ, mutandæ. Temporalia non nimis ſtricte prohibenda Eccleſiaſticis. Nec nimis laxanda.*

Ceterum *generale concilium* in quâ poteſtate poſſit leges hujusmodi præſcribere, præſertim ſummo Pontifici ſine læſione plenitudinis ſuæ poteſtatis, utilis eſt petitio: De qua, ſi annuerit DEUS, aliàs & alibi videbitur, concordando *plenitudinem poteſtatis papalis*, cum ipſa *plenitudine poteſtatis ſacri concilii.* *De autoritate Concilii generalis in præſcribendis ipſi Pontifici legibus.*

Caput VI.
De commoda Simoniæ & ſimoniacorum reformatione.

AD rationabilem *contra Simoniam* & *Simoniacos reformationem* offeruntur propoſitiones ſequentes. Quarum declaratio tam ſcriptis jam editis quam viva voce poterit apparere.

Quis Simoniacus in foro conſcientia.

I. *Finis principaliter intentus*, recipiendi temporalia pro miniſtratione ſpiritualium, reddit hominem proprie *ſimoniacum in foro conſcientiæ*, & quo ad Deum. Et ſi hanc *intentionem* apertis ad extra monſtret indiciis, cenſendus eſt *in Eccleſiaſtico foro ſimoniacus*, vel de ſimonia vehementer ſuſpectus.

In foro Eccleſiaſtico.

Simoniaci aliud genus.

II. Finis principaliter intentus accipiendi temporalia pro adminiſtratione ſpiritualium, tanquam ibi ſit *adæquatio vera pretii ad pretium*, ſicut eſt in commutatione temporalium ad invicem, reddit hominem proprie *ſimoniacum.*

Quis ſimoniacus ſit hæreticus.

III. Finis principaliter intentus, ut prius, reddit hominem *hæreticum.* Niſi faciat hoc *ex depravato intellectus judicio*, quaſi tale aliquid poſſit de facto, aut debeat de jure fieri, & hoc, *ſi pertinacia non comitetur.*

Salarium ſit ſecundarius ſcopus Eccleſiaſtici.

IV. Obligatus miniſtrare ſpiritualia, ſicut ſunt ſacramenta & beneficia Eccleſiaſtica, poteſt rationabiliter & licite habere *reſpectum ad temporale commodum*, mercedem & præmium, quamvis minus principale & *ſecundarium*, remotâ ſollicitudine aut occaſione doloſa aut ſimilis conditionis malæ ſpeciei.

Eccleſiaſtici quodnam jus in recipiendis temporalibus.

V. Obligatus miniſtrare ſpiritualia, & miniſtrans ea, habet *verum jus & poteſtatem recipiendi temporalia*, abſque hoc, quod mendicet ea, vel ſollicitet inverecunde. Et ſub *hac intentione*, licet *minus principali*, poteſt vel potuit obligare ſe ad miniſtrandum ſpiritualia, & *pro mercede* vel *ſtipendio*, vel *cibo* & *ſuſtentatione* recipere temporalia. Sicut exemplificari poſſet in omni ſtatu Eccleſiaſticorum, tam ſecularium, quam religioſorum, à majoribus ad infimos, remotis omni dolo & fraude ſiniſtraque intentione.

Legitimi ſalarii deſiderium non facit Simoniacum.

VI. Obligatus miniſtrare ſpiritualia, & miniſtrans ea ſub ſpe vel expectatione vel intentione, ut recipiat temporalia, *pro ſuſtentatione miniſterii* & *mercede vel cibo operarii*, non ideo convincitur ſimoniacus, ſicut nec ille, qui dat temporalia ſub ſpe recipiendi ſpiritualia. Imo ſtaret, quod peccaret non tradendo ea, ſicut, in caſu, miniſtrans *peccare poſſet abjiciendo* vel reprobando talia dona, ſeu potius mercedem & *ſtipendia*, ſervatis tamen conditionibus & limitationibus ſupradictis.

Ordinarium ſtipendium non rejiciendum.

Pro aliquibus miniſterii quomodo clerus poſſit accipere munera.

VII. Eccleſiaſticus miniſtrans, ex debito ſuæ prælationis vel officii, baptiſma, confirmationem, euchariſtiam, confeſſiones, ordines, extremam unctionem, & ſepulturam, & ita de reliquis ſpiritualibus, non ideo convincitur ſimoniacus, ſi *ante* vel *poſt* miniſtrationem recipiat temporalia ab illis, quibus miniſtrat ſpiritualia, ſcilicet *ſponte ſibi data*, non extorta per pactum vel aliàs.

Diſtributa munera poteſt etiam Eccleſiaſtico admittere.

VIII. Eccleſiaſticus officians ex debito beneficii ſui, ſicut frequentando horas canonicas, aut exequias mortuorum, non ideo convincitur ſimoniacus, ſi recipiat aut recipere intendat *diſtributiones temporales, aſſignatas* illis, qui talibus aſſiſtunt officiis: Etiam dum aliquando ſub hac intentione mercedis vadit ad aliquod officium Eccleſiaſticum, aliter pro nunc non iturus. Exempli gratia, ſi cuilibet etiam religioſo, qui intereſſet magnæ miſſæ *in Eccleſia Conſtantienſi*, quotidie tribueretur unus florenus, conſtat, quod multi intereſſent, qui modo non interſunt, nec alias intereſſent, nec ideo ſimoniaci eſſent judicandi, ſervatis conditionibus ſæpe dictis.

IX. Ec-

Digitized by Google

Conferens officium Eccleſiaſt. certa poteſt accipere munera.

IX. Eccleſiaſticus *Prælatus* aut *alius*, *conferens beneficia Eccleſiaſtica*, non ideo convincitur ſimoniacus, ſi recipiat à beneficiatis aliqua temporalia ſub conditionibus dictis.

Simonia nimium reſtricta non tollitur.

X. *Extirpatio ſimoniacæ pravitatis* non ita debet procurari, ut ducantur homines in majora pericula & ſcandala *per nimiam ſimoniæ reſtrictionem*, ubi non eſt, vel non poteſt eſſe ſimoniacus, *ſi habeatur intentionis vera directio.* Nec ita, ut Eccleſiæ vel Eccleſiaſticorum dotatio, debita jure divino, evacuetur vel fraudetur ſub hoc *reformationis prætextu* veluti dæmonio meridiano.

Dos Eccleſiæ aut Eccleſiaſticorum non minuenda ſimoniæ reformandæ prætextu.

XI. *Extirpatio ſimoniæ primo facienda eſt cordibus hominum*, oſtendendo qualiter in corde vel intentione ſimoniaca pravitas committatur, & qualis debeat haberi *cordis intentio*, dum in miniſtratione ſpiritualium fit temporalium receptio.

Ex cordibus ſimonia primum extirpanda.

XII. *Extirpatio ſimoniæ* ab Eccleſia ſancta Dei *in capite & in membris* ſalubrius facienda eſt, *inducendo homines ad timorem Dei*, & ad cuſtodiam mandatorum ſuorum ſecundum legem Evangelicam, quàm per ſolam *jurium pœnalium conſtitutionem.* Quorum multiplicatio forſitan magis eſſet reſtringenda, quam augenda. Multi enim reputant vel puniunt tanquam ſimoniaca, quæ ſimoniæ rationem proprie non includunt, & ita faciunt viam Domini arctam magis, quam oportet. Sicut multi Theologi & devotarii, habentes conſcientias nimis ſtrictas præter rationem.

Timor Dei optimum Simoniæ remedium.

Simoniaca interdum plectuntur quæ Simoniaca non ſunt.

XIII. Inter omnes modos jam dictos melior eſſet, *ut tantum digni ad Eccleſiaſtica beneficia promoverentur*, electi ex multis in moribus & ſcientia, & ſufficienti ætate, ut per antiqua Patrum decreta eſt ſtatutum. Illi enim habentes Deum præ oculis, non ſe ſubmitterent periculis Simoniæ. Sic nec modo tales faciunt. Et cum *omnes quaſi Eccleſiæ ſint maculatæ iniquis ſtatutis & conſuetudinibus Simoniacis*, aut ſpeciem Simoniæ prætendentibus: Conſtat modo quaſi nullum timoratum in eis inveniri. Sed replentur ſcurris, indoctis & deteſtabilibus perſonis, legem Dei & illam venerantes animo deſpicientibus, imo perſequentibus & repellentibus. Et *niſi fiet purgatio talium ab Eccleſia, non erit ſpes reformationis unquam.* Ut eſt videre in ægritudine, niſi morbus expellatur, non eſt ſpes ſanitatis ejus.

Digni ad officia ſacra promovendi.

Caput VII.

Succincta repetitio doctrinæ ſuperioris de Simonia.

Quatuor fines temporalia pro ſpiritualibus accipiendi.

Ponitur ad *declarationem præmiſſorum* pro nunc, aliàs poſita hæc *unica diſtinctio.* Reſolvendo *materiam de ſimonia* poſſumus invenire *diſtinctionem quadruplicem* de intuitu vel reſpectu *commodi temporalis pro ſpirituali.*

Ut pretium emtionis.

Poteſt enim *intuitus* ferri *ad temporale commodum*, primo tanquam ad *pretium rei ſpiritualis*: Quaſi ſit adæquatio valoris unius rei ad alteram, ſicut eſt in emtione & venditione civilibus.

Ut finis primarius.

Poteſt ſecundo ferri intuitus ad commodum temporale *tanquam ad motivum principale* dandi ſpiritualia, vel ad finem ultimum, in quo conſiſtit intuitus ſpiritualia conferentis.

Ut finis ſecundarius.

Poteſt tertio ferri intuitus commodi temporalis *ad motivum minus principale*, vel ad finem ſubordinatum ſub ultimo fine.

Ut ſuſtentationis neceſſarium præſidium.

Poteſt quarto ferri intuitus commodi temporalis *tanquam ad rem debitam jure divino pro ſuſtentatione* illius, qui ſpiritualia ſubminiſtrat, juxta doctrinam Chriſti & Apoſtoli, quod *dignus eſt operarius mercede ſua.*

Duo primi ſcopi ſimoniaci.

Tunc ad propoſitum dicimus pro *reſponſione ſuccincta & ſolida*, quod *primus* intuitus & *ſecundus* ſint *vere ſimoniaci*, de jure divino & humano. Et, ſi concurrat error intellectus, quod ſcilicet talia poſſint fieri, ſicut in primo dicitur, vel quod licite faciant, ſicut

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Corruptũ judicium in ſimonia cum pertinacia, facit hæreſin.

ſicut ponitur in utroque modo, tunc incurritur *hæreſin* proprie dictam, & habendi ſunt *tales ſimoniaci veri hæretici* & proprie dicti, *ſi ſint pertinaces.*

Duo poſtremi ſcopi non pariunt Simoniam.

Dicimus conſequenter, quod ſi feratur intuitus *tertio* vel *quarto* modis ille poteſt eſſe licitus, cum ſuis moderationibus, ut in propoſitionibus ac conſiderationibus dictum eſt, imo laudabilis & meritorius ac debitus. Hoc tamen attento, ut obſervetur illud Apoſtoli: *Ab omni ſpecie mali abſtinete vos.* Hoc eſt, adminiſtratio ſpiritualium facta ſub altero tali intuitu, non appareat fieri ex modo ſuo, ſed ex intuitu primo vel ſecundo. Ut, ſi non exerceantur ſpiritualia, ſi non primo dentur temporalia, aut ſi non turpiter exigantur, & cum ſcandalo, & avaritiæ nota. In quibus caſibus poſſent haberi *ſuſpecti de ſimoniaca pravitate* ſic agentes, & hoc *præſumptione juris vel facti*, & poſſent in hoc caſu ipſi, tanquam *tales judicantes*, evocari, Chriſti conſilio.

Species mali cavenda.

INDEX

INDEX CAPITUM OPERIS GERSONIANI.

Caput I.

Quæ ſit Simonia.

Cap. II.

De legitimis ac illegitimis functionum Eccleſiaſticarum & ſalariorum generibus.

Suppoſitio I.

Officium ſacrum & ſalarium optime ſimul conſiſtere.

Supp. II.

Actualem officii ſacri adminiſtrationem differre ab officio civili, ratione finis.

Supp. III.

Officium Eccleſiaſticum eſſe negotium ſpirituale.

Supp. IV.

Beneficium deberi pro officio Eccleſiaſtico.

Supp. V.

Eſſe ſimoniam, jure divino.

Supp. VI.

Et Papæ deberi beneficium pro officio ſuo Eccleſiaſtico.

Supp. VII.

Nec officium nec beneficium Eccleſiaſticum poſſe vendi.

Cap. III.

Objectiones, pro Papæ immunitate à Simonia in recipiendis primis fructibus & annatis.

Objectio I.

Ab exemplo Sacerdotum V. T. quibus decimæ decimarum à Levitis datæ.

Obj. II.

Ab exemplo Canonicorum, qui pecuniam prænumeratam accipiant.

Obj. III.

Ab exemplo Prælatorum.

Obj. IV.

A variis penſionum annuarum exemplis.

Obj. V.

A probabiliter bona longa Eccleſiæ conſvetudine.

Obj. VI.

Ab indignorum Eccleſiaſticorum incredibili aliàs multitudine.

Obj. VII.

A defectu remedii jam reliqui.

Cap. IV.

Reſponſiones ad objectiones ſuperiores.

Solutio Primi dubii, petiti à decimis Levitarum V. T.

Reſp. II.

Ad exemplum Canonicorum.

Reſp. III.

Ad exemplum Prælatorum.

Digitized by Google

Reſp. IV.
Ad penſionum annuarum exempla.
Reſp. V.
Ad longam Eccleſiæ conſvetudinem.
Reſp. VI.
Ad periculum, nullum Eccleſiaſticum à Simonia poſſe excuſari.
Reſp. VII.
Ad querelam de defectu remedii.

Cap. V.
De variis Simoniæ conditionibus, gradibus, effectibus, nec non remediis.

Conſideratio I.
De papæ Simonia.
Conſ. II.
De promotis à Papa per Simoniam.
Conſ. III.
De promotis à Prælatis per Simoniam.
Conſ. IV.
De mala quoque Simoniæ ſpecie cavenda.
Conſ. V.
De Simoniæ correctione, per mentis atque intentionis emendationem.
Conſ. VI.
De remedio *in Concilio Conſtantienſi* quæſito, pro abſolvendis ſimoniacis dudum factis.
Conſ. VII.
De præſervatione contra Simoniam, *in Concilio Conſtantienſi* quæſita.

Cap. VI.
De commoda Simoniæ & Simoniacorum reformatione.

Cap. VII.
Succincta repetitio doctrinæ ſuperioris de Simonia.

VITA

Digitized by Google

VITA
JOHANNIS GERSONIS,
Academiæ Pariſienſis Cancellarii, Regii in Conſtantienſi Concilio Legati.

QUi ex virtute literaria ac religionis zelo parem cum Rege ſuo *Chriſtianisſimi* characterem eſt indeptus, immortale poſteris & raræ eruditionis & ardentis pietatis reliquit exemplum.

Gallia ortum dedit, Gallia virtutem docuit, Gallia honores conciliavit, ſed & Gallia eum dignitate tandem omni iterum exuit, nec vitam longiorem conceſſura, niſi divina manus caviſſet.

Natus Gerſon in *Campania* (*a*), in vico cognomine (*b*), diœceſeos Remenſis, parentibus uſus *Arnulpho Charlierio Gerſono* ac *Eliſabetha* (*c*). Cui igitur ex patre *Johannis Charlierii* aut *Carlerii* nomen erat, ex patria quoque cognomen *Gerſonis* tandem impetravit. Ex quo *nomine* ſolatium ſæpe quæſivit, poſtquam variis vitæ turbinibus jactatus, ſibi in hac vita commorandi ſpatium nullum datum, ſed *peregrini* ſe uti jure meminit, alludens ad nomen in gente Judaica celebre, *Gerſom* aut *Gerſon*, *Exod.* 2, 22. *Num.* 3, 17. Ita opuſculum ſuum, quod inſcripſit *Teſtamentum peregrini*, ſic eſt orſus: *Patria.* *Parentes.* *Nomen.*

Gratia cui nomen confert inſigne *Johannes*,
Advena cognomen *Gerſon* habere dedit.

Et in epiſtola ad fratrem, data Conſtantiæ 1416. Cal. Jan.

Gratia nomen ei, cognomen & *advena* fecit.

Videtur autem in Academia Pariſienſi hic ejus character primum invaluiſſe, ſive à Profeſſorum arbitrio ſive Commilitonum conſvetudine. Illis quippe ſeculis character ex patria derivatus proprium familiæ nomen, ſi quod etiam eſſet, in doctorum cœtu plerumque extingvebat. Ita *Johannes de Gerſon*, aut abſolute *Gerſon*, toto jam fertur orbe.

Familiam ſi non invenit in parentibus claram, literis inſignem, ipſe tandem ſua virtute reddidit ſpectabilem, indeptus quoque in fratribus fortunam literis aptam.

Parens

(*a*) Quod in *Epitaphio Gerſonis* ab obitu ejus notatum his verbis:
Hunc Campanus ager Gallus dat.

(*b*) Hoc memorant Scriptores plerique. Quod ſi verum, parens ejus etiam in illo oppido fuerit natus, cui Gerſon noſter idem nomen tribuit, Patri, inquit, *Gerſon origo fuit.*

(*c*) Parentes hos ſuos ipſe notavit Gerſon, ita canens:
Noſtri ſint generis quæ monumenta, vides.
Arnulpho Charlier, cui nupſit *Eliſabeth* olim,
Gerſon origo fuit, *advena* voce ſonans.

(*d*) Nu-

Digitized by Google

Fratres. Parens quippe (*d*), amore optimarum literarum ac religionis ſtudio, quatuor filios ſtudiis ſacris mancipavit, qui celebre indepti nomen. Ut & virtus filiorum familiæ dignitatem vel pararet vel auge-

(*d*) Numeroſa prole beatus pater, *quinque* vidit *filios*, & *ſeptem filias*. Ex quibus filiis *Petrus* minorennis diem obiit, & *una* duntaxat *filia* viro nupta. Ceteri filii atque filiæ, religioſæ vitæ atque ordinibus ſacris ſanctoque cœlibatui ſeſe dediderunt. In quibus culmen dignitatis & religionis famam ampliſſimam attigit primogenitus, noſter *Johannes Gerſon*.

Totam hanc familiam metro Noſter complexus eſt ſequenti:

Dotavit Deus hos [Arnulphum & Eliſabetham] biſſena prole: Puellæ
Septenæ numero, quinque fuere mares.
Primus theologus, monachi tres, mortuus alter
Infans, & nupſit filia ſola viro.
Fratrem *Petre* rapit te mors, & te ſoror *Agnes*,
Infantes. Vivit purus uterque Deo.
Ægra *Sabina* ſoror vivens mala ſuſtinuiſti
Jugiter, hinc moriens reddita dona capis.
Chara ſoror *Raulina* vale, quæ commeruiſti
Conſors eſſe Jesu, cujus eras famula.
Hoſpita pauperibus & myſtica Martha fuiſti:
Te vocat inde Jesus: Tu benedicta veni.
Tempora compleſti conſummatus cito multa,
Frater, cordis amor, tu *NICOLAE*, mei.
Cœlos credo equidem tu Cœleſtinus adiſti:
Cœlica ſemper amans, dum *peregrinus* eras.

Fratris ſui *Nicolai*, *ordinis Cœleſtinorum Monachi*, aſperrimam in Cœnobio ſuo conditionem, qui à ceteris Monachis ſociis duriſſime haberetur, ut lacrymis conſumendus videretur, præ impenſo amore erga illum fraterno, ægerrimo tulit animo. Indeque literis molliſſimis, precibus & interceſſionibus urgentiſſimis, Cœnobii patres exoravit, qui hujus ſui Nicolai de Gerſon miſererentur, ne moli ſuccumberet. Humaniſſimis quoque literulis animum ipſi huic fratri addidit, qui animum non deſponderet, ſed patienter inter quotidiana ſtudia ferret ſevera jejunia, vigilias pene immodicas, cantus & longæ orationis vocalis permoleſta exercitia, corpus vehementer exhaurientia, lecti duritiem, & ſimilia. In memoriam inter alia illi revocavit matris pia vota & continuas fere lacrymas de eo, antequam eſſet conceptus & dum educatus, prorſus ad exemplum Hannæ, Samuelem à Deo exorantis, Deoque conſecrantis. Obitum hujus ſui Germani fratris inſigni epigrammate, germano ſuo *Johanni*, *Monacho* S. Remigii Remenſis, inſcripto, ornavit, ex quo & ſpiritus noſtri Gerſonis, & præclara fratrum horum ſororumque concordia elucet. Inter alia eleganter ſcribit:

Monice, cur quereris fratrem tibi morte periſſe?
An tua ſit prudens iſta querela vide.
Spiritus aſtra petit, linquens miſerabile corpus,
Carcere ceu tetro carne ſolutus abit.
Cujus erat regimen, grandis labor, aſper, amarus,
Blanditiis fallens, excrucians ſtimulis.
Aſſiduus conflictus ineſt, victoria rara:
Audi, quod lingvam nemo domare poteſt.

Quid

Digitized by Google

augeret. Primogenitus, noſter *Johannes Gerſon*, Theologus ac Profeſſor Academiæ factus. Alter noſtri *Gerſonis* frater, *Johannes de Gerſon, ordinis Cæleſtinorum Monachus*, Lugduni *Prior* inclaruit, tertius fuit *Nicolaus* ejuſdem ordinis, quartus itidem monachus. *Fratres Gerſonis Monachi docti.*

Quid faciant aures, oculi? Quid membra pudoris?
Quidve manus, gula, cor? Vis quid ad ora petit?
Bruta ſub imperium videas deſcendere freni:
Nauta gubernandi dirigit arte rates.
Et rigida cervice caro ſua frena remordens
Se rapit, & Dominum dejicit excutiens.
Opprime mille modis, ſurget tamen usque rebellis,
Nemoque perfecte ſuppeditabit eam.
Intro ſemper ineſt membrorum dira tyrannis,
Fomentum ſceleris, omnis origo mali.
Allicit illecebris, acres exaggerat iras,
Miſcet triſtitias, gaudia, ſpemque, metum.
Plurima lis, pax nulla diu, ſecuraque nunquam.
I nunc & tale plangito mancipium.
Mancipium, quod obeſt animæ, quod ſarcina dura,
Quam crebro ſtimulis exagitare ſtudet.
Congaude potius prægrandi faſce levato
Spiritui fratris, Monice, ſi ſapias.
Dices: Quis novit, quod ſpiritus alta petivit,
Vel baratri, procul hoc! corruit in puteum?
Aut medio poſitum num purgatorius ignis
Exurat, ſcoriam purificans ſcelerum?
Certum te faciat vitæ reſpectus honeſtæ:
Inde ſalutis ſpem concipe, te recreans.
Collige vel firmum ſolamen in hac ratione,
Lucenti ſpeculo quam docet alma fides.
Omnis in hac vita peregrinans tendit ad illam
Cœleſtis patriæ perpetuam requiem.
Scis, quam gaudendum, quanto plauſu jubilandum,
Tali dum requie perfruitur moriens.
Si purgandus adhuc retinetur, lætificeris,
Præmia cœlorum quod ſibi certa manent.
Nil ultra peccare poteſt, nullo diſcrimine vitam
Perdere cœleſtem, fine ſuo ſtabilis.
Judicio domini juſto ſi ſorte, quod abſit,
Perditus eſt, cur fles? Fletus inaniter eſt.
Cor tenerum forſan, pietas, naturave pungit:
Rumpi conſvetæ fœdus amicitiæ:
Bos & jumentum juga ſe ſocialia plangunt
Perdere, nonne magis eſt ſocialis homo?
Te minus hinc miror *Raulinam* flere *ſororem*,
Aſſiduis quæ te fovit in obſequiis.
Ejice triſtitiam ſeculi, cauſat quia mortem:
Pro ſolo ſapiens crimine vita gemit.
Aſpera ſit ſors, ſit vel proſpera, nil nocet ulli
Si per peccatum deſit abuſus ei.

Adde,

Digitized by Google

Nativitas fatalis. Ceterum ſub ſudo Campaniæ cœlo ortus Noſter Anno 1363. 14. Dec. (*e*) die *Nicaſii*, quo etiam ſtatim baptiſmatis lavacro tinctus (*f*). Lucem vidit illo tempore, quo tenebræ in Eccleſia ingruerent, eam mox obrututuræ: Ut his tenebris ſuos objiceret radios, easque ſua luce diſpungeret. Quod & reapſe præſtitit. Incidit ſane in tempo-

Adde, voluntati tua ſit conformis oportet
Divinæ. Quid aget murmur in oppoſitum?
En bona mors *fratris*, carnalia vincla reſolvens,
Quo caperet cœlum liber & emeritus.
Fraternalis amor dedit hanc mortem, quia peſte
Dum fovet infectos, contagione perit.
Hac de valle Deus eduxit eum properanter,
Ulterius ne fraus hoſtica deciperet.
At variis noſtra verſatur vita periclis,
Omne repletur iter retibus & laqueis.
Tendimus ad patriam ſuſpiramusque gementes,
Quam *Raulina* ſoror, quam *Nicolaus* habet.
Hactenus hæc volui tibi, *frater*, ſcribere, quo mens
Fortis & æqua ſuam noſtra petet patriam.
Illic cernere nos, dare vivas reddere voces,
Fas erit, & quicquid cor petit, illud habet.
Oremus tandem pro defunctis, ut & ipſi
Sint memores noſtri, cum bene fiet eis.

(*e*) In *Teſtamento peregrini*, edito in ſenectute opuſculo, annos natus 65, A. 1428. *natalem* ſuum his circumſcripſit cancellis:
Scire velit ſi poſteritas quo tempore natus,
Quoque renatus ſit, calculus iſte docet:
Mille, quater centum, viginti quatuor annos,
Quatuor adjiciens, dinumera Domini.
Sitque *Decembris* lux menſis *bisſeptima*, ſextus
Et ſexagenus inchoat annus ei.

(*f*) Hunc diem Nicaſii, quo natus ac renatus Gerſon, concinno carmine, Gerardo Delphini Confeſſori inſcripto celebravit ipſe, dulci Baptiſmatis memoriâ pellectus:
Pars animæ Gerarde meæ doctiſſime ſalve:
Finis & initii do monumenta mei.
Fauſta dies rutilat tibi conſecrata Nicaſi,
Et tibi virgo ſoror martyr & Eutropia.
Luce ſub hac mundo natum me, denuo natum
Fons ſacer ex utero protulit Eccleſiæ.
Annus erat domini *milleſimus*, adde *trecentos*
Sexaginta tres, tunc data vita triplex.
Ira vita prior fuit, iram *gratia* demſit,
Vivificans animam conſocianſq; Deo.
Tertia vita licet eſt in ſpe, vita perennis:
Æterna vita gratia principium eſt.
Vita peregrinis, uſu rationis ab orto,
Quarta ſubeſt *operum*, quæ vehit ad patriam.
Hæc operum vita non permanet absque ſecunda:
Gratia vivificat, nutrit & auget opus.

Quatuor

tempora luctuoſiſſima, quæ Eccleſiæ exitium minarentur ex Pontificum litibus & extrema morum corruptione, ut & patriæ, Galliæ univerſæ, ex bellis civilibus ac inteſtinis. Quo anno Gerſon natus, eodem Avinioni Pontifex *Urbanus V.* creatus. Sic orbem ſalutavit Gerſon quindecim annis ante ferale Pontificum Gallorum atque Italorum ſchiſma, A. 1378. ortum, non niſi in Concilio Conſtantienſi ope quoque Gerſonis terminandum.

Infantiam ſub hoc Urbano V. tranſegit Gerſon, quippe qui octo annis & aliquot menſibus Eccleſiaſticum imperium tenuit. Lenta tunc diſſidiorum Pontificalium ſemina, *Gerſono* adhuc *puero*, ſparſa, quando Urbanus ille, Avinionenſis Pontifex, ſeditionibus in Italia peſſulum ſuâ obditurus præſentiâ, in Italiam ex Gallia ſe contulit, inde tamen, rebus ut putabat bene compoſitis, in Galliam mox reverſus. Similiter Brigitta inclaruit, *Gerſono minorenne*, cujus, licet à morte canonizatæ, jactatas revelationes in Concilio Conſtantienſi haud obſcure oppugnavit.

Fata Eccleſiæ in pueritia Gerſonis, ejus fortuna prælu-dentia.

Annum agens *nonum*, A. 1371. novum Pontificem *Gregorium XI.* Avinioni creatum fuiſſe audivit. Quo tempore grandes Eccleſiæ mutationes, Gerſono adulto mox negotium creaturæ, ingruerunt. Sedes enim Papalis ex Gallia abitum parare cœpit, vix illuc reditura abſque tumultu, aut certe non ſine turbis poſthac in Gallia conſpicienda. Quæ *puer* non animadvertit ex illa ſedis mutatione pericula, vix annos juveniles ſupergreſſus cum dolore ſenſit.

Anno fere *ætatis decimotertio*, A. 1376. publicos accepit rumores de ſubito & occulto Pontificis Avinionenſis ex Gallia abitu, quando præter ſpem atque opinionem Gallorum, Galliâ relictâ in Italiam hic commeavit, ſua præſentia Italorum motus compoſiturus, JCti Baldi præcipue conſilio, inſtigante quoque Epiſcopo quodam, qui oblique Pontificem corripuiſſe viſus, quod Eccleſiam Ro. deſeruiſſet, nec non inſtinctu feminarum religioſarum Brigittæ ac Catharinæ de Senis, revelationem venditantium.

Decimum quartum ætatis annum cum ageret Gerſon, A. 1377. Gregorio XI. ex Gallia abſente & Romæ jam conſidente, *ad Pariſienſem Academiam à parentibus ablegatus eſt*, philoſophiæ primum factus Studioſus, aut Artiſtarum ſocius in Collegio Navarrenſi, ut ait Warthon. Sic promptum atque alacre *Gerſonis ingenium* educationem parentum reddidit feliciorem atque faciliorem, ut ad *Academica ſtudia* mature properare poſſet.

Ad Academiam Pariſienſem commeavit. Philoſophiæ Studioſus.

Vix *Pariſiis* albo Academico fuit inſcriptus, quando *Avinionenſem* illum *Pontificem*, ex Gallia in Italiam pridem delapſum,

Quatuor hinc vitas totidem dicas & amores:
Vita quadruplex eſt, ergo quadruplus amor.
Omnes ille meos, qui vivificavit, amores
Vendicat, ille habeat, continuetque precor,
Gratus ego primos ſemper complectar amores,
Qui ſi defuerint, quid niſi mors ſupereſt?

Digitized by Google

Triſtia Eccleſiæ fata primis annis Academicis.

Romæ obiiſſe accepit A. 1376. Qui annus triſtisſimis in Eccleſia & republica motibus anſam dedit, quibus componendis Gerſonis tandem conſilia admota. Ex Profeſſorum Pariſienſium aliorumque doctorum virorum diſcurſibus ac ſcriptis *auguria miſeriæ publicæ imminentis* intellexit omnino Noſter. Maxime, cum ad Pariſienſes fama perferret artes armorumque præſidia, quibus *Bartholomæus Archi-Epiſcopus Barenſis Romæ Pontifex* creatus, *Urbanus VI.* dictus. Qui rumor ut *Pariſienſium Academiam* Gallorumque curiam vehementer commovit, ita & *Gerſonem Studioſum* attendere juſſit. Acceſſere mox eodem anno nova Pontificalis ſedis fata, cum alter in Gallia quoque *novus* iterum *Pontifex Avinionenſis*, Cardinalis *Robertus Gebennenſis*, crearetur, *Clemens VII.* appellatus. Cujus in vicinia Pontificis facta atque fata obſervavit *juvenis* noſter *Gerſon*, in Pariſienſi Academia literis incumbens. Attentionemque Gerſonis præcipue pararunt Theologorum in Academia iſthac mox edita de hoc ſchiſmate ſcripta publica, *Petri* inprimis *de Alliaco*, Doctoris Theologiæ, & *Henrici de Haſſia*, Theologiæ Licentiati & Academiæ Vice-Cancellarii, Profeſſorum Pariſienſium celebrium. Quorum ille, cum ab exordio naſcentis Pontificum illorum diſſenſionis, Academia Pariſienſis, ſolenni habita deliberatione, communi ſententia Concilium generale convocandum ſtatuiſſet, hanc Academiæ concluſionem coram Ludovico Duce Andegavenſi, in Francia tunc regente, publice propoſuit A. 1381. Eandemque laudatus *Henricus de Haſſia*, Pariſiis tunc adhuc degens, ſcriptis confirmavit. Ignorare non poterat Gerſon ardua hæc *Academiæ conſilia*, publicis Profeſſorum libris patefacta, qui *quinquennio* in Academia jam vixerat, *octodecim* jam *annos natus.*

Theologica ſtudia excoluit.

Profecit, quando Anno ſequenti 1382. cum *ſexennium* fere *ſtudiis humanioribus* impendiſſet, philoſophiæ præmia nactus, ad Theologica ſtudia ſe totum compoſuit.

Nicol. de Clemangis Gerſonis ſodalis.

Inter Commilitones ſuos *Nicolaum de Clemangiis* in Academia tunc habuit Pariſienſi, elegantiorum literarum Studioſum feliciſſimum, diligentiâ ac fortuna *Gerſonis æmulum*, poſtea per omnem vitam cariſſimum & literarum commercio conjunctiſſimum.

Gerſon Collegia habuit philoſophica.

Quod ſi Clemangius tunc *Gerſonis doctrinâ* uſus, uti ſunt qui memorant, quod colligi quoque poſſe videtur ex Epiſtolis Clemangii ad Gerſonem poſtea datis, in quibus *Gerſonem* appellat ſuum *Præceptorem dilectum*: Præiviſſe Clemangio Gerſonem in honoribus impetrandis ſit veroſimile. Etſi paſſibus haud longis. Sane quando *Gerſon* Profeſſoris Theologi munere functus A. 1392. *Clemangius* munere ambulatorio Academiæ Rector anno ſtatim ſequenti A. 1393. fuit creatus, ut dignitatis Academicæ pares tandem gradus nacti ſint dicendi.

Theologos audivit clariſſimos.

Petrum de Aliaco, Ægidium Campanenſem, celeberrimos Theologos Profeſſores integro Gerſon audivit decennio.

His annis, publicis exercitiis Academicis ita jam inclareſcere cœpit, ut *orationes publicas* latinas haberet in Conſenſu Profeſſorum coram tota A-

ta Academia frequentes. Quales ſuperſunt A. 1388. ab illo ſolenniter dictæ, cum *annum ageret vigeſimum quintum.* Quæ uti ingenii præſtantiam arguunt, inſignem quoque humaniorum literarum culturam nunciant. Præter ſacra dicta non inſcite applicata, ſelectis Ovidii, Virgilii, Terentii, Horatii, Senecæ utriusque, Perſii, Ciceronis, aliorumque ſententiis, elegantiam orationibus ſingularem conciliare, pondusque haud vulgare addere didicerat. *Orationes in Academia habuit elegantes.*

Vidit A. 1689. in Academia *Cancellarium* creari *Petrum de Alliaco*, Doctorem ac Profeſſorem Theologiæ clarisſimum, præceptorem ſuum, ſucceſſoremque in hoc officio conſtitui *Johannis de Calore*, *Cancellarii* antea *Academiæ* iſtius, cujus *Vice-Cancellarius* fuerat *Henricus de Haſſia*, Pariſienſis adhuc Theologus. Spectavit hæc Gerſon, neſcius, idem grave munus intra octennium, abeunte ex Academia hoc Cancellario, ſibi ſuisque humeris iri impoſitum. *Celebritates Academicas attente obſervavit.*

Affulſit quadriennio abhinc, A. 1392. *Gerſono nondum triginta annos nato*, fortuna ſerenior, quando *Theologiæ Profeſſorem* ſe conſtitutum, altioribus ſtudiis adſtrictum ſed & difficilioribus laboribus deſtinatum animadverteret. Quo tempore, ſi non maturius, *Doctoris Theologiæ* characterem quoque indeptus. *Prof. Theologiæ factus & Doctor.*

Expertus *in principio* ſtatim *bujus ſui muneris* initia conſiliorum publicorum in Gallia ceptorum, de diſſidiis Pontificum componendis, quæ in Concilio Conſtantienſi finem tandem ſortita. Quandoquidem duo religioſi Carthuſiani Romam petentes, *Bonifacium IX.* exhortati ad pacem parandam, literas ab eo impetrarunt ad Regem Galliæ Carolum VI. quibus exoraretur ad pacis Eccleſiaſticæ ſtudium ſuſcipiendum liteſque componendas. Quod *Clementi Avinionenſi Pontifici* adeo moleſtum fuit, ut Carthuſiani hi à Clemente fuiſſent capti & plexi, niſi Rex eos ſervaſſet. Compulſus interim hoc pacto Clemens ad Regem ſuos quoque mittere legatos, perque eos offerre ſchiſmatis tollendi ſtudium, fictum licet atque ſimulatum. In regno mox publica ſcripta hoc de ſcopo edita, & orationes multæ hoc negotium concernentes habitæ. Quin & in templis ſacra huc compoſita. Vidit hæc Gerſon, ex animo gaviſus. *Fata Eccleſiæ expertus difficilia in principio ſtatim ſuæ profesſionis Theologicæ.*

Mox A. 1393. *Petrum de Luna* Cardinalem, à Clemente ablegatum, proximo anno futurum Pontificem, Pariſiis conſpexit & audivit. *Pariſienſis* igitur *Academia*, cujus tunc Rector *Clemangius*, Cancellarius *Petrus de Alliaco*, & inter plures Theologos noſter *Gerſon*, legatione ad Regem miſſa *unionem Eccleſiæ*, ſic dictam, commendarunt: Epiſtolâ à Rectore Clemangio eleganti ſcripta, & Regi, cui prælecta, percharâ, quam ſupra Parte II. fol. 4. exhibuimus. Huic fini publicæ mox proceſſiones *Pariſiis* inſtitutæ: Colloquia inter Petrum de Luna Legatum Papalem & *Univerſitatem* frequentia habita, quæ in acerbiora etiam utrinque deſinerent verba. Quam *viam ceſſionis* optimam ad tranquillitatem Eccleſiaſticam obtinendam judicaverant *Academici*, eam conſtanter urgebat *Academia Pariſienſis.* Neque *Petrus de Alliaco*, Cancellarius, neque *Ægidius Campanenſis*, Doctores Theo-

logi, Gerſonis Collegæ, à Clemente invitati, quibuscum hac de re Avinioni conſuleret, advenere, injuriam ſibi à Papa inferendam veriti. Clemens indignisſime ferens hanc *Academiæ* ſententiam affectionemq; ſibi adverſantem, deſertis conſultationibus cum Academia ineundis ad magnates ſe contulit, auro eos ſi non ore ad obſequium ſuum pertracturus, *Academiæque Pariſienſi* omnia pericula atque incommoda publice ac palam minitatus. Avertiſſetque fere animum Regis ab Academia, niſi hæc bonæ cauſæ memor, fuiſſet aperte coram Senatu Regio obteſtata, niſi res ſuccederet exoptata, ſe Academicas functiones omnes Eccleſiaſticaque ſua munera depoſituros: Dediſſentq; mox penetrantes & graves literas ad ipſum Clementem, ad vota eum vel pellecturi vel compulſuri. Ita Gerſon, cum ceteris Profeſſoribus, tantisper docere deſiit, donec vota Academiæ à Rege implerentur.

Communia Academiæ pericula ſubiit.

Cum hæc in Gallia agerentur, & *Academia Pariſienſis* maximo ardore cum Clemente contenderet *de tranquillitate Eccleſiæ*, vix ægritudinem triduo perſentiſcens, apoplexia extinctus eſt *Clemens* Avinioni, A. 1394. Menſe Septembri. Atque ita cum ceteris Academicis Profeſſoribus & Gerſon noſter magnorum motuum Eccleſiacorum non finem, ſed exordia, vel primum impetum perſenſerat, frequentisſimis Academicis conſultationibus præſens, ſuamque ſymbolam addens, communia pericula ſubiturus.

Crevere cum annis Gerſonis *labores* ac *honores*, ſed & *pericula*. Quod enim vix ceptum erat, difficile & intricatum cum Pontificibus negotium, Gerſonis humeris tandem incubuit pene totum, quod ad Conſtantienſis tandem Concilii definitionem deferre cogebatur vel ſolus vel præcipuus. Tertio igitur Profeſſionis ſuæ Theologicæ anno, 1394. defuncto Clemente, Academiæ Pariſienſis ſollicitudo aucta, quæ literis Regem obſecraret, qui novi Pontificis electionem impediret, donec ſtatutum eſſet, quo ad tranquillitatem Eccleſiæ perveniri poſſet, quodque *via ceſſionis* aptisſima exiſteret. Impetravitque à Rege libertatem ad reliquas Academias hac de re ſcribendi & eas in conſortium trahendi. Scripſit etiam Rex ex voto Academiæ ad Cardinales Avinionenſes. Qui literas regias acceptas non quidem ſolvendas ac legendas rati, electioni tamen inſtanti præmiſerunt *conventionis formulam*, quod quisquis eligeretur Papa, paratus ſemper foret cedere Papatui, quoties tranquillitas id poſtulare videretur Eccleſiæ. Ex quo ſtatim *Petrus de Luna* electus Papa. Qui pro ſua calliditate literis datis & per legatos pollicitus Regi indefeſſum deſideratæ tranquillitatis Eccleſiaſticæ ſtudium, quibuscunque vellet modis. Quod Regi & *Pariſienſi Academiæ* placuit, qui confiderent, ſincero hæc dicta animo. Unde *Academia* ad novum hunc Pontificem Avinionenſem ſuos miſit legatos literis inſtructos, quibus admoneretur ſui officii. Quibus ex voto callidus reſpondit ac annuit Benedictus. Adeo, ut paulo poſt Rex *Petrum de Alliaco*, ſuum Eleemoſynarium ac Confeſſionarium, Academiæque Profeſſorem ac Cancellarium, ſeorſim ablegaret ad Bene-

Longis Academiæ Conſiliis de motibꝰ Eccleſiæ componendis interfuit.

Digitized by Google

Benedictum. Cui, quod Academiæ reſponderat Benedictus, itidem ſignificavit, ſe facillimum futurum in pace promovenda. Fraudem licet ſubolfacerent in regno plures. Multis dein ſolenniſſimisque congregationibus & Primatum regni & Theologorum, Rex continuavit hæc conſilia, *viamque ceſſionis* urſit: Legationibus etiam variis ad Benedictum continuatis.

Donec A. ſequente 1395. tot legationibus atque obteſtationibus Regis & *Academiæ* ad indignationem commotus, pro autoritate ſua pugnare inciperet Benedictus. Rege non minus atque Academia propoſitum perſequentibus. Ita ut *Academia* appellationem interponeret à Benedicto ad futurum univerſalem Papam. Quam appellationem Benedictus mox *Bulla* oppoſita in fumum redigere conatus. Has Eccleſiæ tempeſtates, jam præſentes, Gerſon non ſine animi dolore motuq; ſenſit, illis mox vehementius quaſſandus.

Certaminis Academiæ cũ Papa Benedicto particeps fuit.

Poſtpoſitis ac contemtis Benedicti minis, illius machinis anno proximo 1396. *Pariſienſis Academia* novam appellationem objecit. Quam Benedictus *Excommunicatione* ſtatim frangere laboravit. Neque *Academia Pariſienſis* ſuum propoſitum proſequi deſtitit, magna facta congregatione Eccleſiæ apud Maturinum Pariſiis, *viam ceſſionis* confirmans. Quem modum tranquillitatem revocandi XVII. Cardinales Avinionenſes ſuo calculo probarunt.

Onera Academiæ non fugit.

Mox à Rege & *Academia* legati ad vicinos Reges atque Principes ablegati in Hiſpaniam, Germaniam, Hungariam. In quibus *Wenceslaus* Bohemiæ Rex ac Imperator, à Benedicto corruptus, Academiæ Pariſienſis legatos audire noluit, *Sigismundus* Hungariæ Rex Academiæ conſilia probavit & legatos audivit, quocum conſenſerunt Archi-Epiſcopus Trevirenſis, Colonienſis, Duces Bavariæ & Auſtriæ, reliquique Principes. Acceſſerunt his & Navarræ ac Arragoniæ reges. Hi omnes *viam ceſſionis*, à Pariſienſi Academia propoſitam, optimam ſtatuerunt, ſoli Angli remedium melius in *Concilii generalis* ope quærendum judicarunt.

His *Academiæ curis difficillimisque negotiis* cum eſſet cum Petro de Alliaco, Cancellario, ceterisque Theologis, *implicatus Gerſon*, fidus ac ſedulus illorum Collega: Ex iſthoc Collegio vocatus Anno 1395. *Petrus de Alliaco*, Epiſcopus Anicienſis, mox A. 1396. Cameracenſis factus, qui magno his rebus fuerat præſidio.

Fido Collega Petro de Alliaco orbatus.

Poſtquam igitur Petrus de Alliaco Academiam & Profeſſionem reliquerat, ac Cancellarii Academici reliquaque aulica munera cum Epiſcopatu Anicienſi ac Camerarenſi permutarat, *Gerſon* dignitatem iſthanc ampliſſimam obtinuit, A. 1396. Ducis Burgundiæ gratiâ, *Cancellarius Academiæ Pariſienſis* declaratus, *annum fere ætatis trigeſimum tertium* agens, in flore ingenii ac fortunæ.

Cancellarius Academiæ factus.

Functionibus aulicis in curia Regia admovendus erat prius Gerſon, ipſo fatente. Verùm, cum animadvertiſſet jam tum, quibus periculis hoc vitæ genus implicitum, & quod ſuus genius illi operoſo vivendi generi diſpar ac diſſimilis eſſet, meditationi magis aptus:

Aulicas functiones declinavit.

Omni

Omni modo aulicis muneribus etſi locupletioribus ſe ſubduxit, *Academicum* hoc *Cancellariæ officium* præ illis amplexus.

Muneribus Academicis recte functus.

Quo, præter *Profeſſorium munus*, illuſtri *Cancellarii Academiæ officio* atque inſigni ornatus, Academiæ commoda, Eccleſiæ tranquillitatem, Galliæ gloriam, ſtudiorum dignitatem, omni induſtria ac labore promovit Gerſon. Qui non inanem ſe impendiſſe ſtudiis operam animadverteret, calcaria ſibi ex honorum dignitate addita ſenſit ad veritatem clarius illuſtrandam ac impenſius promovendam. Uti multa præclara ingenia ex pretii atque dignæ æſtimationis defectu, vel torpeſcunt ac ſitu quaſi obſita inepta redduntur, vel tædio enervantur atque extingvuntur.

Magnæ autoritatis fuit.

Functus ſane Gerſon ſplendidiſſimo hoc Academiæ omnium celeberrimæ officio eâ fide, gravitate, prudentia, alacritate, atque animoſitate, ut totius Eccleſiæ vacillantis atque ad interitum vergentis ſalutem unus fere poſtea ſuſtinere, ſervare, aut reddere videretur. Hujus certe conſiliis precipue deinceps factum, quicquid fere per viginti annos ad Concilii Conſtantienſis finem usque in infanda morum corruptione & miſerabili Pontificum diſſenſione remedii in Gallorum curia & Pariſienſi Academia porro quæſitum vel admotum.

Corruptiſſimam Eccleſiæ faciem deprehēdit.

Arduum hoc Cancellarii cum ſubiret munus, in Gallia Pontifex Avinionenſis Benedictus XIII. *Petrus de Luna* triennio jam Eccleſiæ habenas callide gubernaverat: Italus Pontifex *Bonifacius IX.* octennio & ultra, peſſimas *Simoniæ artes* in Eccleſia exercuerat. Sub horum regimine non quaſſata ſed diſtracta Eccleſia opem ab Imperatore Romanorum Wenceslao expetebat atque expectabat. Verum hic ſuâ majeſtate Cæſarea, quæ in componendis Eccleſiaſticorum atque ſummorum Pontificum diſſidiis, Eccleſiæque tranquillitate paranda, ex antiquisſimis temporibus pro uno ultimoque remedio habita, uti neſcivit: Etiamſi à Principibus Romani Imperii exteriſque vehementer urgeretur ac tantum non compelleretur. Quapropter non ſolùm *Germani*, hujus neglecti juris auguſtiſſimi pertæſi, Wenceslao poſtea ſede moto alium Imperatorem Rupertum tandem elegerunt, ſed & *exteri* interea, *Galli* inprimis, ad Carolum VI. Gallorum Regem conſtanter confugerunt, qui infandis malis Eccleſiæ publicis, ut cœperat, mederetur. Sic res propemodum omnis, & in curiam Regis & in *Academiam Pariſienſem* continuo rediit. Hujus præcipue fuit, morbum Eccleſiæ penitius ſemper contueri, clarius depingere, deplorare, tractare, eidemque aptam medelam parare atque decenter conferre. *Clemangius*, *Gerſonis Collega*, integro jam triennio, Academiæ conſilio atque juſſu Regem Galliæ A. 1393. & novum Pontificem Avinionenſem A. 1394. publicis literis horratus fuerat, qui corruptioni Eccleſiæ motibusque publicis Pontificum metam ponerent.

Ita Pariſienſis Academia telam erat orſa: Hanc pertexere ſumme erat neceſſarium. *Cancellarius* itaque factus *Gerſon*, molem pœne omnem ſuſtinere debuit. Maxime, cum *Petrus de Alliacò* ſalutis publi-

publicæ cupidiſſimus, qui negotium à Rege & Academia jam cœptum, ſerio curaverat, Epiſcopus Cameracenſis factus, ex Academia emigraſſet, & *Nicolaus de Clemangiis*, aptiſſimum elegantiſſimumque rei illius tractandæ inſtrumentum, ex Academia in curiam Pontificis Avinionenſis eſſet pellectus. Sive id fato quodam contigerit, utrumq; rebus difficillimis componendis commodiſſimum inſtrumentum, vix inchoatis ſubtrahi, & ex Academia avocari, ſive calliditati Benedicti XIII. novi Pontificis ſit hoc acceptum ferendum. Qui, cum abunde cognoviſſet, in ipſa ſui electione, & proxime ſecuta Regis Gallorum legatione, ceſſionem à papatu à curia Regis & *Academia Pariſienſi* ſibi commendatam, cumque paulo poſt peculiarem Regis legatum *Petrum de Alliaco*, Theologum, Academiæ Pariſienſis Profeſſorem, Cancellarium, ac Regis Eleemoſynarium & Confeſſionarium, Avinioni hoc agentem audiviſſet, facile intellexerit, hunc *Petrum Alliacenſem* à Rege & Academia eſſe abſtrahendum. Quod commodiori via non futurum, quàm lautiori *Epiſcopatus* munere oblato. Simili ratione atque conſilio *Clemangius*, acer emendationis propugnator, in partes Benedicti pertrahendus viſus, lauto officio *Secretarii* in curia Papali oblato. Quanquam certum ſit, Benedictum in utroque egregie falſum. Quandoquidem neuter à moribus priſtinis prorſus unquam receſſiſſe deprehenſus, quorum quisque pleraque Academiæ conſilia, nonnullis exceptis, probaret: Etiamſi affectus in Benedictum nunquam non in utroque propenderet.

Collegas duos, difficillimi laboris ſocios, ex Academia avocatos dolet.

His magnorum negotiorum ſociis fidisque comitibus præſentibus privatus *Gerſon*, caput rei porro pertractandæ, omnes intendit nervos, ut & *Profeſſoris* & *Cancellarii* ſatisfaceret officio.

Quod ergo in deſideratæ pacis Eccleſiaſticæ vel unionis tela texenda pergerent Galli cum vicinis regibus, *Academia Pariſienſis* ſua ſemper junxit conſilia Gerſono Cancellario. Donec A. 1398. obedientiam Pontifici Benedicto ſubtrahendam eſſe decerneretur, usque dum ceſſionis viam hic amplecteretur. Quod *ſubtractionis decretum* cum per vota collecta formaretur, Gerſon præſens non fuit. Formatum tamen aut concluſum impugnare pertinaciter noluit. Uti ipſe poſtea in epiſtola ad Ducem Aurelianenſem anno 1403. ingenue eſt faſſus.

Decretũ Galliæ contra Papam Gerſono inviſum.

Per Pariſienſem Theologum *Ægidium Campanenſem*, Gerſonis Collegam, ſolenniter publicatum, Cardinalibus Benedicti laudatis communicatum, & ab illis probatum, ut & à vicinis Principibus exceptum. Offenſus Benedictus non ſolùm per ſubtractionem Regis & regni, ſed & ipſorum Cardinalium, hos capere conſtituerat. Verum inſidiis animadverſis è manibus Benedicti elapſi Cardinales, ſub umbra Regis acquieverunt, à Benedicto remoti. Populus Avinionenſis his motibus viſis Cardinalium veſtigia legens, triennio obſedit in arce Benedictum, miſſis à Rege militibus. Usque dum obſidione ſoluta pacis ſtudium promitteret.

Præviſi decreti difficilem eventum expertus.

Digitized by Google

Adverſitates multa in Cancellariatu officio.

Ita quinquennio in tam illuſtri Cancellarii munere, præter conſpicuum characterem nil invenerat illo tempore aliud quàm labores, invidiam, cruces, tenuiſſimum vitæ præſidium, non luxui nec pompæ inſerviturum, ſed vix vitæ frugaliſſime conſervandæ ſuffecturum. Ut in tanto nominis ſplendore externo quàm egena fuerit res domi ex pertenui præmio, mittamus: Senſerat certe ſtatim in hoc munere curarum, tædiorum, periculorum, adverſitatum, criminationum, inſidiarum, illam molem, quæ parum abfuiſſet animum ſi non fregiſſet, concuſſiſſet tamen ac debilitaſſet, ni fortiter agendum meminiſſet. Sane cogitatio ſæpius ſubiit, in tantis, non ſolùm ex officio, ſed & vel maxime ex obtrectatorum atque malevolorum calliditate, moleſtiis, muneri huic vel oneri Cancellariatus valedicere, ſive id vitio ipſi verteretur grandi, ſive admirarentur alii.

Officio Cancellariatus valedicere voluit.

Brugas abiit. Cauſas mutati officii dedit.

Quod conſilium eousque animum circa annum 1400. occupaverat, ut relicta Lutetia & Academia, *Brugas* ſe conferret, tranquillius & minus periculoſum vitæ genus quæſiturus. Simul *cauſas* prægnantes, quare ſplendidum *Cancellariæ Pariſienſis officium deſerere* animus eſſet, conſignare non intermiſerat. (g)

Execu-

(g) *Iſta eſt pars,* inquit, *anguſtiarum ac calamitatum in officio Cancellariæ Pariſienſis, quorum conſideratione & ſanctiſſimorum Deum timentium conſiliis, cedere ſimpliciter & gratis, fixus inſtitui. Cogor pluribus dominis, magnis valde, qui adverſiſſimi ſunt, complacere vel obſequi. Nomina non explico, illa ſcientibus.* [Dux Aurelianenſis, Regis Caroli VI. frater, & Dux Burgundiæ.] *Parco videtur inſania, hanc perplexitatem, cum fas eſſet, non fugere. Siquidem indignatio Principis, mors. Et nemo poteſt duobus dominis ſervire. Cogor amicis favere, qui tamen eruere me non ſufficiunt nec mea à factioſis & fortiſſimis hominibus, qui omnia calumniantur quæ ago, imò & verba mea tota adverſus me execrantur. Hæc idcirco perſecutio plus perſonalis eſt quàm altera. Quo caſu licet & expedit ſecedere, & vincere in bono malum. Ne obnitendo fruſtra ego ruinæ magna cum amicis involvar. Hoc docere poſſunt ea, quæ noviter contigerunt. Chriſti ſimiliter & Pauli exempla atque documenta id ſuadent. Nam hoc caſu paſtorum fugere non fugere eſt. Cogor importuniſſimis imò nimis gravibus obniti vel peccare: melius autem eſt incidere in Dei manus quàm hominum, cum poſſunt declinari: Ne amans periculum pereat in illo. Cogor ad liberationem aliorum, vel pro conſvetudine temporis, ignaros ſcientiæ & pernitioſos moribus promovere, & quandoque ſufficientioribus præponere. Cum tamen dicat ſapiens: Noli velle fieri judex, niſi virtute valeas perrumpere iniquitates. Cogor importuniſſimis hominibus & diverſorum morum à meis reſpondere & obſequi, eis conjungi familiaritate, aut incivilis judicabor, & ero proximus periculo, quia gaudere oportet cum gaudentibus. Cogor aſſidue rumores audire, qui illic continuo perſtrepunt, quibus animæ quies omnis eripitur, & in multiloquiis hujuſmodi peccatum non deeſſe, ac ſpiritualiter congregata per hoc dilabi ſtatim, cognitum eſt. Cogor laborare pro curioſis ſermonibus, quibus abſque ædificationis fructu maxima temporis pars abſumitur. Et mihi convenit illud: Stulto labore conſumeris. Cogor rurſus curiæ fluctibus etſi non ſemper immergi, vel ingratus judicabor. A quibus ut emigrarem ſola fuit hæc occaſio Cancellariam poſtulandi. Et contulit hoc Deus: Aliter tamen quam ſperabam. Cur non igitur habito fine*

ceſſat

Digitized by Google

Executus etiam conſtanter hoc conſilium fuiſſet Gerſon, niſi Ducis Burgundiæ, à quo fortunam erat nactus, voluntate atque juſſu fuiſſet retractus ac retentus. Cui ægre obſecutus, onus impoſitum animo præſenti porro ſuſtinuit, dum Collegio interfuit. Haud raro tamen conſilii recordatio animum ab æmulis laceſſitum iterum vellicavit, ſeque à Duce Burgundiæ retentum doluit. (*b*) *A Duce Burgundiæ ad Academiã & Cancellariatum retractus.*

ceſſat motus? Cogor inter hac & ſimilia, miſſas & orationes omittere, vel irrecollectus dicere. In quibus tamen fructus eſt uberior, ſi bene fiant, quam in gradnum tali quali diſtributione. Ubi tam parvus, utinam non ſæpe pernitioſus, Eccleſiæ fructus. Mores intima cernentibus linquo. Ubi locum habet illud Apoſtoli: Nemini cito manus impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis. Cogor etiam in temporali vita quaſi mendicare & deſpectus vivere: Cum mediocritas aurea, non amara paupertas, ſit tutiſſima, ſecundum exigentiam ſtatus: Cum alibi (Brugis) *abundanter habeam, & menagium jam providerim, quod cum detrimento magno oporteret relinquendo diſſipare, & cum grammaticulis & pueris vivere. Cogor pro vivendo Decanatum tenere, ubi proficere verbis & exemplis ſum adſtrictus. Et tamen ſi non reſideam in Cancellaria,* [*ſciunt omnes eſſe juramentum*] *quale murmur, quale detrimentum? & qualiter jure vocabor monſtrum biceps? ambitionis inſuper, imo dejerationis exemplum putabor. Cogor liti pro adjuncto beneficio vel cedere cum irriſione & damno, vel cum fortiſſimo & inſuperabili hoſte in æternum dimicare. Quod à moribus meis abhorret maxime, & inſonat illud auribus meis: Cur non magis injuriam patimini? Cogor ad præbendam noviter anhelare, me quoque & amicos meos huic novæ curæ ſubjicere. Ubi quanta ſpes proviſionis ſit, mores hodierni docere facile poſſunt. Et profecto hoc quærere non obligor, nec ex altera parte improviſus ſtipendiis propriis laborare, neq; hunc* (Brugas) *deſerere locum, ubi abſq; honore ſaltem periculoſo vacare mihimet poſſum, & hæc omnia quæ præmittuntur & ſequuntur ſcandala declinare. Quod ſi ſcandala poſt hanc reſignationem, ut amici minantur, contingant, profecto & venient eadem vel majora, ſi non diviſio ulla. Malo in alio, ſub alio, & pro alio, quàm in me & ſub me fieri. Et notetur illud Saluſtii: Fruſtra niti, & fatigando non niſi odium quærere, extremæ dementiæ eſt. Cogor multitudinem inſequi ad agendum, quod non placet aut licet, vel ut hoſtis ac ſuſpectus ambitione haberi. Nec hoc diſſimulare aut fugere ſeu tacere ſufficit, niſi patenter clamavero. Cum tamen ſcriptum ſit: Non inſequeris multitudinem ad faciendum malum. Cogor pernitioſa dogmata, qualia jam ſeminata ſunt ab aliquibus, vel tacere contra conſcientiam, vel cum ſummo mei imo veritatis periculo illa per revocationes corrigere, & non potius confirmare faventes dicentibus: Permiſerint. Ubi autem malitia prævalet, habitandum non eſſe ſvadet Plato. Et illic Ezechielis & Jeremiæ de gemendo valet conſilium. Cogor linguas omnes malevolas tanquam ſignum ad ſagittam perpeti, quæ tamen intolerabiliter ſæviunt & penetrant. Sciunt experti, quantum denique non in verbis ſolùm ſed in vita, propter cohærentiam quandam hic innominatam ſit diſcrimen, agnoſcunt. Quo pacto denique redimendum tempus ſit vident. Quoniam dies mali ſunt, imo ſuper modum periculoſiſſimi, & ſeditionum ſeminibus undique repleti. Arx Sion occupata ſit in laqueum ipſi Hieruſalem. Felix porro, è tali naufragio non ſine beneficio ſi vel nudus enataverit, &c.*

(*b*) *Si abſque ulla fictione cum laboribus plurimis & expenſis*, ſcribit, *olim jam conatus ſum debiles humeros meos, & fragilitatis ſuæ conſcios ſubducere oneri tanto Cancellariæ Pariſienſis, & in alium gradum* (Brugis) *transferre: Nihilominus inegreſſibili quodam labyrintho circumactus, quaſi poſuerim pedes meos in rete, & in maculis*

Nova pericula Gerſonis ex publicis Academiæ negotiis.

Retracto Pariſios Gerſono in *Academiam Pariſienſem*, Profeſſores diſſentire de *ſubtractione Benedicto facta* cœperunt, aliis eam tenendam ac tuendam ratis, aliis eam abolendam ac Benedictum reſtituendum opinantibus. Quæ ſane res & Gerſono Cancellario negotium haud leve faceſſivit. Maxime, cum ipſe Gerſon ejus eſſet ſententiæ: Poſtquam Benedictus *viam ceſſionis*, ceteraque media *pro pace ac reformatione Eccleſiæ*, admiſiſſe diceretur, decretum iſtud ſubtractionis eſſe abolendum, reſtituendumque Benedictum. Id quod, (ut *ad Ducem Aurelianenſem* mox ſcripſit,) *cum odiis & diſcriminibus non modicis* factum.

Legatus ad Pontificem Benedictum XIII.

Quæ ſane cauſa fuit, cur eo tempore, anno 1403. duro ad Benedictum legationis onere premeretur. Quippe quod *non tam miſſus quam coactus legatus* (ut ipſe de ſe memorat in epiſtola ad Ducem Aurelianenſem) nomine Academiæ Pariſienſis de ſuperiori iſthoc unionis negotio cum Benedicto agere juſſus eſſet. Quod onus cum detrectare non poſſet, Academiæ obligatus, primum *Taraſcone*, deinde eodem hoc anno *Maſſiliæ* coram Benedicto, præſente Duce Aurelianenſi, longos ſermones habuit, quibus ad unionem *viamq; ceſſionis* Benedictum pertraheret. Quæ Gerſonis legatio uti per ſe tædioſiſſima atq; periculoſiſſima, ita & eo nomine permoleſta facta, quod exiſterent malevoli, Gerſonis æmuli, qui orationes ejus perſtringerent contumelioſe. Quibus occultis ſuſurris atque contumeliis obviam ivit epiſtolâ ad Petrum de Alliaco, Epiſcopum Cameracenſem. Qua ſeſe decenter purgat, & æmulorum fraudes ac in pervertendis verbis inſidias notat. *Experior*, inquit, *veram eſſe Comici ſententiam: Nihil eſſe, quin male narrando poſſit deteriorari. Hanc ego eſſe unam ex maximis difficultatibus æſtimo, quæ reddunt officium prædicationis oneroſiſſimum. Quas difficultates atque diſcrimina Gregorius & Chryſoſtomus, quilibet in ſuo Paſtorali & Auguſtinus l. 4. de Doctr. Chriſtiana, copioſiſſime enarraverunt. Fit enim plerumque (loquor centies expertus) ut præſentes in ſermone aliquo non ſolum depravent bene dicta, ſed ea, quæ nullo modo dicta ſunt conſtanter affirment pro prolatis. Stultorum quidem infinitus eſt numerus, eſt tamen ſapientis aſſertio: Stultus non capit verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ verſantur in corde ſuo. Verum quoque eſt dictum Apuleji: Multos eſſe, qui ſolis auribus corporis philoſophentur, intellectum verò vel nullum habeant, vel illum varient pro varietate paſſio-*

Legationis illius moleſtia.

Novas contumeliarum inſidias expertus.

---

aulis ejus ambulem: Confuſus ſum ab expectatione, ſentioque illud Terentianum: Quod non licet hominem ſæpe eſſe ut vult. Mandatus ſum quippe ab illo, cui poſt Deum me & omnes operas meas debeo; [Dominum meum, Dominum Burgundum loquor] Cujus utinam aliud circa me & pro me modeſtius, humilius, ſalubriusque conſilium extitiſſet. Ignoſcat Deus id ipſum conſulentibus. Ibam obediens. Sed impedivit iter meum, qui olim aſinæ Bileam obſtitit, & interim ab executione officii Cancellariæ, me ſpontaneum illud etiam prorſus deſerere paratum, tamen illud pro obedientia exequi volentem, ſuſpendit.

Digitized by Google

paſſionum & affectionum, quemadmodum in ſonitu campanarum ſumimus argumentum, &c.

Ceterum hæc fata Benedictum tandem compulerunt, ut anno 1404. animum applicaret ad rem cum Romano Pontifice Bonifacio tractandam, diſſidiaq; componenda. Quod lætum Academiæ Pariſienſi nuntium, Gerſono quoq; animum reddidit. *Bonifacius* verò hoc nuntio audito perterritus ſubito expiravit, ac *Innocentio VII.* mox locum dedit.

Rex & *Pariſienſis Academia* ad novum illum Innocentium æque ac Benedictum proximis his annis legatos ſæpius miſerunt, ad unionem utrumque invitaturos. Inter hæc anno 1406. multis colloquiis habitis, in publico concilio Gallico, præſente Rege, Benedicti partes (forte affectu beneficiis ſuperioribus moto) tueri viſus Petrus de Alliaco Epiſcopus Cameracenſis: Academiæ Pariſienſis Profeſſoribus Concilii Generalis autoritatem ſupra Papam urgentibus, Conciliique talis neceſſitatem probantibus ad reformandam Eccleſiam in capite & in membris.

Electo A. 1406. novo Romæ Pontifice *Gregorio XII.* à Rege & *Academia Pariſienſi* priſtinum quærendæ pacis ſtudium ardentiſſime continuatum, Legatione ſpectabili ad Benedictum & Gregorium inſtructa. In qua & *Petrus de Alliaco*, Epiſcopus Cameracenſis, & noſter *Gerſon*, Theologus & Cancellarius Pariſienſis, comparuerunt. Hi duos contendentes Pontifices excitarunt *ad Savonenſe* mutuum *colloquium*, anno 1407. indictum. Sed irrito eventu. *Denuo ablegatus ad Papam.*

Quare Galli, ſe cum tota Eccleſia falſos à Benedicto agnoſcentes, quam tantisper, ſub ſpe boni, Benedicto reddiderant obedientiam, hoc an. iterum ſubtraxerunt. Atq; ita *Neutralitatis decretum*, (Nec Benedicto nec Gregorio, in his eorum colluſionibus Gallos nomen daturos,) vicinis Regibus ac Principibus, Rex Galliæ denunciavit, 12. Jan. A. 1407. idque ſe ſolenniſſime publicaturum indicavit, ſervandum donec unus aliquis Papa eligeretur. Quæ publicatio mox ſecuta.

A. 1408. In Concilio Provinciali Rhemenſi à feſto Paſchatos comparens Gerſon *Reformationem omnium ſtatuum Eccleſiaſticorum* magno affectu longaq; oratione commendavit, & Concilii Generalis opem imploravit. In eodem quoq; Concilio Gallico præclarum edidit tractatum ejusdem argumenti *De Viſitatione Prælatorum* vel *Cura Curatorum*, officii ſacri eos ſerio admonens. *Orator in Concilio Rhemenſi.*

Cardinales mox ex utraq; parte *Piſas* confluxerunt, in Concilio Generali ibi celebrando reformationem orſuri ac longas lites terminaturi. Quo cum tenderent Anglorum legati, Pariſios delati, Academia Pariſienſis *Gerſono* Cancellario ſuo *officium dedit*, coram Anglicis his legatis, ad Concilium Piſanum euntibus, de tam grandi negotio *disſerendi*. Qui præclaram habuit *orationem*, Concilii neceſſitatem atque dignitatem demonſtrans, in quo duobus illis Pontificibus remotis tertius eligeretur. *Orator apud Legatos Anglos.*

Sic factum tandem, ut in *Generali* iſthoc *Piſano Concilio* Anno 1409. rejectis Benedicto & Gregorio, *Alexander V.*

 ſubſti-

Digitized by Google

ſubſtitueretur, per eundem expectatâ reformatione univerſali Eccleſiæ in capite & in membris. Et hæc longa periodus eſt triſtium fatorum, quæ cum ceteris Theologis Pariſienſibus *Gerſon* Academiæ Cancellarius moderari debuit per duodecim annos.

Incidit præterea in hoc tempus, in Annum 1407. flebilis caſus, miſerabilis *cædes* Ludovici *Ducis Aurelianenſis*, à Johanne *Duce Burgundiæ* perpetrata. Hanc inaudito exemplo legitimam & juſtam demonſtrare conatus Doctor *Johannes Parvi*, *Theologus Pariſienſis* celebris, doctrinâ ac eloquentiâ clariſſimus.

Nova Gerſonis pericula ex cauſa Johannis parvi.

Quæ res occaſio maximarum atq; intricatiſſimarum fuit litium, Gerſonoque eas poſtremo creavit moleſtias, quas, cum animo magno pro veritate multis annis ſuſtinuiſſet, vix perpetuo exilio declinare potuit, uti ſequentia docebunt fata.

Geminis proinde ancipitibus negotiis publicis, Eccleſiæ tranquillitatem per diſſidentes Pontifices turbatam, & Ducis Aurelianenſis cædem vindicandam concernentibus, implicitus Gerſon, nodos ubique ſenſit tantum non inſolubiles. Quamvis enim Anno 1409. in Concilio Piſano, duo Pontifices *Benedictus* & *Gregorius* remoti, *Alexandro V.* ſubſtituto: Illi tamen tenaciter Papalem ſuam autoritatem tueri allaborarunt, tribus Pontificibus rem ſacram vellicantibus. Acceſſit mox obitus hujus *Alexandri V.* quem magno Eccleſiæ infortunio atque damno excepit *Johannes XXIII.* Anno 1410. Quod autem hic Galliæ mox aurum peteret, avaritiæ vorago inexplebilis, *Academia Pariſienſis* Pontificis Collectores repudiare Regi ſvaſit, ac urgentibus cauſis ad Concilium Generale appellandum duxit, quod intra quatuor annos celebrandum eſſe definitum erat in Concilio ſuperiori Piſano, ad reformationem Eccleſiæ univerſalem.

Conſilia Gerſonis de Eccleſia Reformatione & Concilio.

Qua occaſione *Gerſon* memorabile hoc anno opuſculum edidit *De modo pacificandi reformandi ac uniendi Eccleſiam*, Petro de Alliaco Epiſcopo tunc Cameracenſi inſcriptum. Quo miſerabilem Eccleſiæ ſtatum ſui temporis egregie depinxit, ac per *Romanorum Imperatorem*, quem, cum Imperium Rege careret, *Sigiſmundum* optabat, Concilium Generale convocandum eſſe oſtendit, in quo corruptio infanda Eccleſiaſticorum emendaretur.

Multis proinde ultro citroque miſſis legatis effectum, ut Johannes Papa A. 1411. Concilium ad Reformationem Eccleſiæ convocandum ſimularet. Quod magnum Gallis & Academiæ Pariſienſi peperit gaudium.

Sed fucato Concilio Romæ A. 1412. coacto, aſt ſine fructu & cum riſu mox ſoluto, (*i*) *Imperator Romanorum Sigiſmundus* A. 1413. ad aliud ſolidius atque fructuoſius Generale Concilium congregandum omnia adhibuit conſilia.

Ceterum hic annus, qui ex novo Generali Concilio per Sigiſmun-

(*i*) V. *Clemang.* ſupra, Part. II. f. 67. conf. *Theod. à Niem.* Hiſt. Joh. XXIII. Tom. I. Rer. Germ. Illuſtris Meibomii, fol. 19. f. Ex quo *Palatius*, in Monarchia Eccleſiaſtica Tom. III. f. 452.

Digitized by Google

mundum convocando Gallis & Pariſienſi Academiæ, ipſique Gerſono magnam ſpem impenſumque gaudium afferre videretur, domi ingentes præmiſit calamitates. Quandoquidem enim à cæde Ludovici Ducis Aurelianenſis, Burgundiæ Dux, Johannes, cædis autor, cives Pariſienſes in ſuas pertraxerat partes: Seditio gravis Pariſiis hoc anno exorta, quæ Gerſonem, Theologum ſpectabilem, tumultuanti populo obviam euntem, ad necem vel carcerem rapuiſſet, ni fuga ſalute quæſitâ manibus plebis elapſus eſſet, prædæ expoſitis rebus privatis omnibus, tota ſupellectili domeſtica diſſipatâ, qui interea inter ſuperiores fornices ædis S. Mariæ per aliquot dies deliteſceret.

Seditio Pariſienſis Gerſonem preſſit.

His quoque fluctibus compoſitis, *Johannis Parvi* pridem defuncti *opuſcula*, quibus cædem Ducis *Aurelianenſis* à Duce Burgundiæ perpetratam, juſteque quemvis Principem tyrannum à quolibet ſubdito interficiendum defenderat, in Gallia difficiles crearunt lites. Quæ Regem & Academiam exeunte hoc anno *Concilium Nationale Gallicanum* convocare compellerent. In quo Concilio in Gerſonem noſtrum præcipua cura devoluta, qui os calamumque adhibere & intricatiſſimam cauſam publice agere ac ad finem perducere teneretur. Ex libris proinde *Doctoris Johannis Parvi*, quos *Juſtificationis* nomine *pro Burgundi facinore* ediderat, argumentum vel articulos formatos, in Concilio iſthoc Gallico publice propoſuit. Quod tantopere Aſſeſſoribus placuit, ut tota natio Gallica ſolennes ei gratias ageret pro hoc onere ſuſcepto, publicoque diplomate communem hanc ſuam cauſam eſſe teſtaretur, Gerſonemque ab omnibus periculis ac injuriis inde in eum redundaturis vindicandum ſub ſigillo polliceretur. Multis proinde ſeſſionibus diu multumq; re expenſa, communi conſenſu tandem A. 1414. *Johannis Parvi ſententia* damnata, Gerſonis præcipue calcaribus aut verbis ſcriptisque urgentibus.

Moleſtiſſimum ac intricatiſſimum regni negotium, de cæde Ducis Aurelianenſis, à Gerſono feliciter tractatū in Concilio Gallico.

Poſtquam hoc ſaxum non ſine periculo volverat, nec ſine contradictione vicerat quod juſtum, ſub finem Anni illius 1414. *Concilium Generale*, diu & à Gerſono deſideratum, *Conſtantiæ* tandem inchoatum. Hi nunc montes ſupererant, qui non ſine ſudore à Gerſono ſuperandi. Reſtabant labores difficillimi, in conſpectu totius orbis à Gerſono *in Concilio Conſtantienſi* conficiendi.

Conciliū Generale diu à Gerſono deſideratum.

Solenni comitatu ſtipatus, autoritate Regia, *Legatus ad Conſtantienſe Concilium commigravit*, A. 1415. *quinquagenario major*, ex doctrinæ præſtantia & religionis zelo famam illuſtrem nactus, quæ in Concilio autoritatem maximam illi conciliaret, & plerisque decretis pondus adderet graviſſimum.

Legatus regius ad Concilium Conſtant.

Brigittæ canoniſationem, ex viſionibus venditatis in *Concilio Conſtantienſi* quæſitam, *de Probandis ſpiritibus* opuſculo docto manifeſte ſatis impugnavit A. 1415. licet impedire nequiverit.

Brigittæ Canoniſationem impugnavit.

Huſſi & Hieronymi Pragenſis rogum, in Concilio Conſtantienſi multis longisq; motibus atque concertationibus paratum, quod promoverit, ſuppliciumq; eorum probaverit, religionis avitæ amor efficit.

Huſſi incendium promovit.

cit. Hinc ortæ orationes ejus in Wiclefum & Huſſum, ejusq̃ue dogmata, maxime in communionem laicorum ſub utraque ſpecie.

Concilii integritatem defendit. Quando ex Concilio *Johannes* XXIII. *Pontifex ſede motus* aufugerat, Concilii ſollicitudinem pro congregatione iſthac ſervanda, defendenda, atque continuanda, fortiter tuitus eſt.

Autoritatē Concilii ſupra Papā urſit. Neque deſtitit calcaria addere Concilio, quod *Concilii autoritatem ſupra Papam* aſſereret, publice denunciaret, atque omnibus viribus defenderet. Id quod eo ſucceſſu factum eſt, ut decretis hoc definiretur ſolenniſſimis, plus ſimplici vice repetitis. Quo fine varia & præclara in Concilio edidit ſcripta. Veluti, *De Poteſtate Eccleſiaſtica*, A. 1417. d. 6. Febr. Sermonem A. 1415. 21. Julii habuit ſolenniter, pro itinere Sigismundi Regis Romanorum in Hiſpaniam, quo complexus memorabiles *regulas, Concilii dignitatem atque autoritatem attingentes.* Simile editum hic opuſculum *De Auferibitate Papæ ab Eccleſia.*

Tres Papas ſede movere ſtuaſit. *Tranquillitatem Eccleſiæ*, per tres diſſidentes Pontifices diſturbatam, in Concilio hoc œcumenico revocatam atque redintegratam optabat ſerio. Quapropter *viam ceſſionis*, quam in Gallia ante multos jam urſerat annos, ſtrenue inculcabat atque commendabat. Qui modus etſi per tres illos Pontifices, *Johannem XXIII. Gregorium XII. & Benedictum XIII.* arte atque marte oppugnaretur, vicit tamen, & cunctas horum machinas expugnavit, tribus illis ſede motis. Juvit hanc rem in Concilio Gerſon non duntaxat conſiliis, ſed & plurimis ſcriptis.

Reformationem univerſalē Eccleſiæ optavit. *Reformationem Eccleſiæ univerſalis*, in Concilio hoc Conſtantienſi præcipue ſuſcipiendam, tam enixe publicis privatisque orationibus & ſcriptis commendavit, exoptavit, poſtulavit, ut præ cupidine hujus *Emendationis Eccleſiaſticæ* vitam ſe profuſurum haud occulte indicaret.

Impeditā reformationem doluit. Senſit tamen, quàm difficile hoc eſſet negotium, cui *clerus* dives & potens, numero exercitum validiſſimum ſuperans, arma fulgidiſſima opponeret, inſidiasq; ſtrueret haud eludendas. Quare impenſe doluit, hanc rem tam frigide, callide tamen tractari, totumq; orbem ſpe ſua excidere ac falli.

Ambiguā reformationis facta in Concilio vidit. Præcipue, cum quæſtio eſſet ponderoſiſſima, *an prius deſideratiſſima eſſet Eccleſiæ reformatio inſtituenda atque conficienda, quam novus eligeretur Pontifex*: An verò prius Papa aliquis comparandus, qui Reformationem iſthanc dirigeret. Illud voluit cum aliis bonis & cordatis ipſoque Imperatore Sigismundo. Qui probe intelligerent, irritam fore omnem reformationem, niſi ante novi Papæ electionem abſolveretur.

Dilatam reformationem ægre tulit. Id quod eventus etiam docuit. Cum enim, *articulis Reformationis* vix delineatis, ad electionem novi Papæ in Concilio procederetur, *Martinus V.* autoritate Papali priſtina munitus, inſtitutum hoc ſaluberrimum à toto orbe expetitum ipſumq; Concilium ſubito abrupit, laudatam atque optatam *reformationem Eccleſiæ* in aliud idque proximum Concilium *differens.* Conqueſtus de eo millies Gerſon integerrimus, preces ſuas, vota ſua, monita ſua, ſcripta ſua, obteſtationes

nes ſuas, quæ pro iſthac neceſſaria Emendatione publica in Concilio ſolenniſſimo continuo effuderat, irrita eſſe atque fruſtranea.

Sed & alterum negotium, ex Gallia in Concilium Conſtantiam advectum, *Johannis Parvi*, *Pariſienſis Theologi* doctrinam, in Reges atque Principes injuriam, cumque legibus divinis ac humanis pugnantem, concernens, magno ſtudio, ut olim, multis libris atque orationibus, in variis Conſeſſibus tractavit. Quæ damnata ſolenniter erat in Concilio Gallicano Nationali, eam & in hoc Univerſali reprobatam optabat. *Perplexū negotium de immunitate Principū, in Concilio a Gerſono tractatū.*

Verùm hac parte admodum infelix Gerſon. Qui pro Regum atque Principum majeſtate ac vita in Concilio pugnabat, qui illos, etiam tyrannos, à ſubdito aut vaſallo quovis occidendos eſſe, pernegabat, qui divinas humanasque leges colebat atque defendebat, cædes tales execratus, juſtiſſimam ſuam cauſam deſertam prope experiri oportuit. Burgundorum enim artes, ad cædem Ducis Aurelianenſis, à Duce Burgundiæ perpetratam, defendendam compoſitæ, ſpem Gerſonis ipſamque juſtitiam mire turbarunt. Nam prolixis ſcriptis diu multumque in Concilio hac de re pugnatum, tot viris claris prope eam impugnantibus ac propugnantibus. Ut difficile perquam eſſet rem prorſus ex voto compoſitam indipiſci. Teſtantur hoc *Acta publica Conſtantienſia, ad hanc cauſam Johannis Parvi pertinentia*, quæ pluribus conſtant Tomis, in *AUGUSTA WOLFENBUTTELENSI BIBLIOTHECA* curate aſſervata, ſuoque tempore noſtris *his Concilii Conſtantienſis rebus* volente Deo ſubnectenda. *Veritatem per inſidias obrutam doluit.*

Matthæi Grabon, ordinis Prædicatorum Theologi, conventus Wimarienſis provinciæ Saxoniæ, Merſburgenſis Diœceſeos, in Concilio Conſtantienſi oblatum de *vera Religione ac Perfectione* libellum, non ſolum Petrus de Alliaco, Cardinalis Cameracenſis, ſcripto in Concilio reprobavit tanquam igne dignum, ſed & Gerſon noſter peculiari mox libello refutavit, tredecim doctorum, ex diverſis Academiis in Concilio præſentium Theologorum, calculum conſecutus; cum Antonius Cardinalis Veronenſis judicialiter hanc cauſam tractaret. Unde ad recantationem atque abjurationem ſuæ doctrinæ & ſcripti ſolennem perductus in Concilio *Grabon*. *Matthæum Grabon, Dominicanum, ad palinodiam vocavit.*

Celebrabatur etiam iſta ætate *ſecta* alia *Flagellantium*, quam *Theodoricus Vrie* in *hiſtoria Concilii Conſt. lib.* 4. *diſt.* 13. *ſ.* 127. fuſe deſcripſit. Aſſeclas habuit ſecta viros multos doctiſſimos, nec infimæ ſortis. In his erat *Vincentius*, *Ordinis Prædicatorum Theologus* celebris, multis egregiis pro Eccleſiæ commodo factis inclytus. Hunc molliſſimis atque perhumanis literis Gerſon invitavit ad Concilium Conſtantienſe, cujus præſentia multis rebus foret perutilis, diſſimulata Flagellantium opinione. Propoſuit Gerſon publice in Concilio A. 1417. 18. Julii. quid cum hac ſecta faciendum, ac quomodo in viam reducenda. Ubi non ſine admiratione in Gerſoniano ſcripto animi moderationem, judicandi modeſtiam lenitatemq; obſervare licet. *Flagellantium ſectā in viam reducere ſtuduit.*

Finito Concilio ſpontaneum exilium ſubiit.

Rupto mox per Martinum V. Concilio Conſtantienſi A. 1418. ſuæ pietatis, ſui ardoris, ſui pro juſtitia zeli præmia conſecutus eſt pientisſimus Gerſon perpetuum *exilium.* Quod enim Johannis Parvi doctrinam, *Principes ac Reges tyrannos impune à quovis interficiendos eſſe*, animoſe tum in Gallia tum in Concilio generali Conſtantiæ oppugnaſſet, iram Burgundiæ Ducis cædis illius auctoris tantam in ſe concitaverat, ut à Concilio Conſtantienſi confecto, inſidiis ſibi à Burgundo undique poſitis animadverſis, in Galliam ad munus Academicum & Cancellarii functionem redire prudentia prohiberet.

In Germaniam fugit. In Bavaria egit.

Quare Concilio finito prope *ſexagenarius* ſponte exul *in Germaniam* confugit vir meritisſimus, anno integro fere per varios anfractus occulte repens. Primum in montana *Bavariæ* ſecesſit. Ubi in oppido *Rathemberg* A. 1418. inſignem conſcripſit librum *De Conſolatione Theologiæ*, exemplo Boëtii proſa ligataque oratione exaratum, ſuperiorum in Concilio Conſtantienſi farorum præſentiumque ac imminentium periculorum memor, animi ſui roborandi, ſolatioque divino fulciendi cauſa. Finxitque colloquium in hoc libello inter ſe vere *peregrinum* & exulem, & fratrem ſuum, Cœleſtinorum Monachorum Lugduni in Gallia Priorem, ad quem tandem ex Germania ſe recepit.

Adjecit & novum *Dialogum Apologeticum*, de moleſtisſimo negotio Johannis Parvi, in Conſtantienſi Concilio tractato. Quo & ſuam conſcientiam palam purgaret, ſeque pro veritate pugnaſſe intrepide moneret, adverſariorum artibus notatis.

A Duce Auſtriæ benigne exceptus.

Poſt in hoc *exilio* clementisſime exceptus à *Duce Auſtriæ*, *Viennæque* Academiæ Profeſſoribus junctus, beneficiisque ornatus. In cujus Ducis honorem ac laudem hoc carmen pepigit:

Mors miſeranda nimis te Francia diva fatigat,
    Plus quam cujusvis vox reſonare queat.
Olim proſcriptos pro libertate tuenda
    Proque fide paſſos mos relevare tuus.
Senſiſti, Thoma, propriis dum truſit ab oris
    Anglia te ſanctum, ſenſit & Eccleſia.
Heu pietas, heu priſca fides! Coguntur alumni
    Francigenæ mortes exiliumque pati.
Summe Deus, pro lege tua, quam ſub decachordo
    Mentibus impreſſam ſcribis & in tabulis,
O quot theologi, quot Pontifices periere,
    Carcere quos clauſos dira necat rabies!
Effugit altera pars, alienis incola terris,
    Tutior *exilio*, ſed ſpoliata bonis.
Inter quos unus, qui *Cancellarius* almi
    Pariſiis ſtudii eſt, *cedit*, & advena fit.
Auſtria tu felix, felix ſtudioſa *Vienna*,
    Dux quibus eſt talis traditus in regimen.

Zelo

Digitized by Google

Zelo quæ fidei fervens, ob eam *fugitivo*
Huic, miſerans, *offert ultro refrigerium*:
Aſſignatque locum cum libertate, ſuique
Patribus egregii commoda *collegii.*
Sis magis JESU merces, pro cujus honore
Doctorem recipit diſcipulumque tuum.
Gloria, laus & honor, Dux inclyte, te reſonabunt,
Dum pietas terras ſancta fidesque colent.

Tandem A. 1419. *Lugdunum Gallorum* (*k*), ad Archi-Epiſcopum ſibi faventem, fratremque, Cœleſtinorum Priorem (*l*), ſe recepit, apud quos in angello cum libello ſenex Chriſtianiſſimus per decennium ad vitæ finem deliteſceret. Non ita tamen hæſit Lugduni, ut omnium conſpectum fugeret. Quin ſedatis paululum fluctibus Pariſienſibus, *ad illuſtres aliosque viros doctos frequentes literas dedit*, à publicis interim muneribus prorſus abſtinens. (*m*) Multis præſer- ***Lugdunum Gallorum elegit aſylum ultimum.***

(*k*) De hac *Lugdunenſi eremo Gerſonis* Noſtri ſcripſit frater ejus, Prior Cœnobii Cœleſtinorum Lugduni A. 1423. menſe Martii, cum ultra triennium ibi egiſſet Cancellarius: *Adverſus peſtiferas hæreſes quantos latratus more fidelisſimi & vigilantisſimi canis ediderit, vel hæc ſola res indicium eſt, quod veritatis tuendæ cauſa, domo, patria, civitate, cognatis, amicis, dignitatibus rebusque propriis privatus eſt, & ex illis propulſus, ac innumeris inſidiis expetitus. Propterea refugium aliquod ad tempus coaptavit in hac præclara Lugdunenſi civitate. In qua jam fere per quadriennium demoratus eſt, vitam quietisſimam ducens & tam ſolitariam, ut unum ex eremicolis crederes, niſi quod deſerti receſſus nondum petiit, ſed habitat in medio populi ſui, mirantibus multis & inquirentibus: Quid hic agit tam ſolitarius? Cur ad publicum non procedit? Cur non it ſedatum hominum jurgia, quæ tam acriter ubique debacchantur. Ad quid perditio hæc?*

(*l*) In quod dulce *fratrum conſortium* luſit his verſiculis Noſter:

Se, Lugdune, tua fratres ſolantur in urbe,
Dum de quolibet eſt ſermo frequens in eis.
Junior, & Senior: Hic Cœleſtinus, & iſte
Theologus. Plaudens Junior hæc loquitur:
Jun. Ecce bonum fratres & jucundum ſimul eſſe,
Idem quos uterus parque dies peperit.
Sen. Fraternalis amor cor noſtrum nectet in unum,
Firmet & hoc unum gratia Chriſte tua.
Jun. Carne quidem frater, meritis pater atq; magiſter,
Sunt data quæ nobis otia grata vides.
Sen. Otia poſt diros conflictus atque procellas
Dat Deus, atque locat littore nos placido.
Jun. En fas eſt, vivas *pariter* dare, reddere voces:
Fert mens de ſtudiis quærere multa tuis.
Sen. Quare vices reddam. Lenit faſtidia ſermo:
Eſt ſua ſolamen garrula vox ſenibus. &c.

(*m*) *Ne putes*, inquit Frater ejus, Cœleſtinorum Prior Lugduni, in epiſtola ad Oſwaldum, *ipſum ita parietibus anguſtæ cellæ coarctari, ut foras egredi non liceat. Extendit ſæpius dum licet affectiones in omnes fines terræ & in mari longe. Et*

Digitized by Google

ſertim lacrymis deploravit his annis miſeram Academiæ Pariſienſis in ſeditione civili deſolationem, necatis viris doctis aut carceri incluſis. (*n*)

Negotioſum Gerſonis otium in exilio. Non otio hic litavit, (*o*) ſed ab ordinaria profeſſione aut functione liber, atque à publicis illis curis immunis, colloquiis frequentibus doctorum, libris ſacris variisque ſcriptis antiquis ac recentibus legendis atque publice cenſendis, operam dedit.

Conſilia dedit. In variis ancipitibus atque intricatis caſibus rogatus ſalubria *conſilia dedit*, variis vitæ negotiis & ambiguis fatis abunde exercitatus. Ut *de Eccleſiaſticorum cœlibatu*: *De moderanda Carthuſiana ſeveritate*, & ſimilibus.

Scripſit Lugduni libros. Libris Theologicis ſcribendis, quibus vel *Scripturam explicaret*, vel certa doctrinæ momenta illuſtraret, tempus reliquum impen-

Et peragratis tantis regionibus ac conſpectis oculo rationis variis hominum ſtatibus, nunc proſperis nunc adverſis, coaptat animum unicuique prout exiguitas valet, omnibus omnia factus, modo per gratiarum actiones illis applaudendo, modo piis orationibus illos adjuvando, hos exhortando, illis compatiendo.

(*n*) Depinxit has Noſtri Gerſonis in iſto exilio lacrymas, ob publícam Academiæ & urbis Pariſiorum calamitatem Lugduni profuſas, Frater ejus, qui eas vidit: *Non crederes, quantis lacrymarum profluviis, ab intimo cordis prorumpentibus, defleat miſerabilem cladem, nunquam dignis planctibus adæquandam, præclariſſimi Franciæ regni, quod inteſtinis & civilibus bellis dirumpitur atrociter & vaſtatur, & præda hoſtibus patet. Quod quidem invictiſſimum perduraſſet, ſi concordiæ fœdus in eo manſiſſet illibatum. Ibi proh dolor tumultuatur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem. Illic vulgus indoctum, varios rectores ſequens, miſeram in vertiginem rotatur aſſidue. Gemit inſuper amariſſime cum altero Jeremia, videns contritionem populi ſui, & laborem & contradictionem in regali Pariſienſi civitate, quæ nuper erat urbs perfecti decoris, gaudium univerſæ terræ. Talibus ſuſpiriis & ſingultibus tumidum cor exonerans, ſedet ſolitarius, & tacet, quoniam dies mali ſunt, & præſtolatur cum ſilentio ſalutare Dei, ſi forte ſit ſpes, ſi veniat tempus miſerendi ejus, & pulcra pax, longius effugata, redeat aliquando jucundior. Ob hoc juge ſacrificium noſtræ redemtionis in altari non ceſſat offerre, rogans in ſpiritu humilitatis & animo contrito, ut ſervis ſuis iterum propicietur Dominus, & populum ſuum continuis tribulationibus laborantem, benignus reſpirare concedat.*

(*o*) Negotioſum Gerſonis Cancellarii otium in iſto exilio Lugdunenſi quale fuerit per quadriennium, delineavit frater ejus Lugduni præſens, Cœleſtinorum Prior, A. 1423. *Sed quid agit, inquiunt? Multum omnino per omnem modum. Primo quidem intranti ad ſe in domum ſuam, præoccurrit illico lætà decoràque facie ſapientia, quam à juventute quæſivit ſibi ſponſam aſſumere. Ibi cum ea requieſcit & ſermocinatur tota die. Quæ ſi viderit eum vel ad modicum triſtem & anxium, non ceſſat blanditiis delinire, donec conſolatum relinquat. Non enim habet amaritudinem converſatio ejus, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium.* Et poſt multa: *Non igitur putes illum datam quietem male exequi, & mero otio tota die torpeſcere. Quandoquidem nec ipſius diei decurſus interdum ſufficit ad explenda, quæ ſalubriter ſuggerit animus. Etiam nocti ſæpius detrahendum eſt, & intempeſta noctis hora, nunc prima, nunc ſecunda, nunc tertia vigilia noctis, nonnunquam media nocte ſurgendum, ad confitendum nomini Domini.*

Digitized by Google

impendit. *Aſtrologiam judiciariam* peculiaribus libris, Delphino, unico Regis Galliæ filio inſcriptis, Lugduni A. 1419. docte impugnavit. Præcipue quod Delphinum à ſciolis talismodi Aſtrologis titillari, prædictionibusque variis pertentari atque vexari cognoviſſet. *Aſtrologiæ judiciariæ inimicus.*

Superſtitionum inimicus Gerſon & hoc genus Lugduni ſcriptis improbavit, quo *dies* certi, præſertim *Innocentum* dicti, *per totum annum infauſti habiti*, obſervati, atque à Calendariographis quoque ſignati. Inquiſivit ea occaſione in fontes mille ſuperſtitionum in Chriſtiana plebe reſiduarum. Notat inter alia *libros Romanciorum*, Gallice illo jam tempore conſcriptos, *quaſi poëticos, de geſtis militaribus, in quibus maxima pars fabuloſa, magis ad ingerendum quandam novitatem & admirationem, quam veritatis cognitionem.* *Superſtitionum hoſtis. Libros Romanciorum ſprevit.*

Artem magicam quoque, indeque ortas fraudes abominatus, docto libello omnis generis deceptiones religioſas confutavit, adjecto publico programmate, in Academia Pariſienſi A. 1418. d. 19. Sept. his etiam rebus oppoſito. *Artes magicas deteſtatus.*

Similis zelus Gerſonis, qui A. 1428. 8. Dec. Lugduni eum excitavit, ut Medici cujusdam Montispeſſulani hypotheſin ac morem *ſculpendi in numismate figuram leonis cum certis characteribus pro curatione renum &c.* peculiari libello refelleret.

Impugnavit tunc etiam *Jacobum Angeli Medicum Montispeſſulanenſem*, qui in negotiis ſuſcipiendis, itineribus faciendis, certos dies menſium infelices dixerat, eosque vitandos. Quod quolibet die, anno, & hora diei, bona & mala contingant, ad timorem Dei fidemque quosvis potius invitavit Gerſon.

Difficiles Eccleſiæ controverſias, quas ſuperiori vitæ tempore tractarat, uberius excuſſit atque curatius expendit.

Proximis ante mortem annis ac diebus divini amoris vim devotisſime meditatus, in Magnificat & Canticum Canticorum fuſe commentatus eſt. Quo de poſteriori hoc eſt judicium Sixti Senenſis in Biblioth. Sancta, lib. 4. *In Commentariis Gerſonis in Canticum Canticorum, in extrema ſenectute ſub finem vitæ editis, de quiquaginta proprietatibus divini amoris, toto pasſim Canticorum libro diſperſis, tanta diligentia diſſeruit, ut huic uni omnes divini amoris affectus innumerato fuiſſe videantur.* *Devotisſima meditationes ſenectutis.*

Uti animam Deo pie reddendam ſingulis meditabatur horis, ita & de rebus familiaribus externis, libellis præcipue, dein funeralibus adornandis, *teſtamentum condere* non intermiſit. *Teſtamentum condidit.*

Quod itaque in hoc ſuo exilio, vel ſenectutis feſſæ refugio, *apud Cæleſtinos* Lugduni tutum & tranquillum inveniſſet angulum, *Cæleſtinis*, inter quos duo quoque ejus fratres vixiſſent, gratiam relaturus, his Bibliotheculam ſuam in exilio reſiduam, in Cœnobio vel Collegio eorum *Avinioni* deponendam, *legavit*. Ita quidem, ne alienarentur libri hi, nec tamen ſepelirentur, ſed in peculiari armario ſpectandi ſiſterentur, uſibus communibus expoſiti. Conditum hoc

Digitized by Google

teſtamentum Lugduni A. 1428, *anno ætatis* ejus *ſexageſimo quinto*, menſe Novembri.

Singulare quoque eſt, quod Carthuſienſes enixe rogaverit, qui *ſuffragia* aut preces, quas *pro defuncto* eſſent dein oblaturi, *pro ſe vivo* adhuc, ſed mox abituro, *anticipando offerre* ne didignaretur. Hoc fine, ut per amicorum preces impetraret, & vivere & mori ſe in gratia Dei.

Impetravit etiam à capitulo Eccleſiæ S. Pauli Lugduni A. 1428. d. 21. Octob. *anniverſarium* panis & vini perpetuum, more ſolito annuatim per Capitulum in dicta Eccleſia faciendum, & celebrandum die 24. Dec. feſto S. Nicaſii Rhemenſis Archi-Epiſcopi, quo natus & baptizatus erat.

Dum reſtarent ultimi aliqui vitæ dies, teſtamentorum condendorum memor, devota ac egregia conſcripſit opuſcula *de Teſtamentis pie condendis*, proſa æque ac ligata oratione, *ſuæ* præcipue *vitæ terminum* inter lacrymas pingens ac amplectens. Ut ſine lacrymis lector vix intueri queat.

Ultimum ejus carmen apologeticum.

Nec deſtitit, ad extremum fere vitæ uſque halitum, *ſacra meditari* ac *ſcribere* utroque ſtilo. Ultimum *carmen*, quo dignam apologiam texeret ſuæ caſtiſſimæ poëſeos, *duodecim diebus ante obitum* cecinit, audirique, cum breve ſit, meretur:

Vidit livor edax ut mea carmina,
Deſpexit. Nitida veſte carent, ait,
Nec pulchris facies picta coloribus:
    Vox eſt rauca, ſonans parum.
Ornatus varios ſi meretricula,
Nil virtutis habens, nec ſolidum bonum,
Quærit, quis ſtupor eſt? Sat, ſibi ſi placet,
    Fallax, alliciens procos.
Fucatos oculos hæc ſtibio gerit,
Comit cæſariem, lubrica conſpici
Asſveſcit placitis, blanda, procax, vaga,
    Quos proſtituit enecat.
Aſt matrona gravis, caſta, pudicaque,
Cui nativus adeſt & color, & decus,
Ut proſit ſatagit, ſeria moribus,
    Sponſo quod placeat ſtudet.
Totam compoſuit cincta modeſtia,
Cultum net proprium, nent famulæ ſimul
Linum, laniciem: Non petit extera,
    Sollers artifica manu.
Non nequam, petulans, ſubdola, fractaque
Vox, ſed ſuave ſonat, cui rigidus tonus.
Vivax ex oculis cœlica lux micat,
    Sancta prole beatior.
Frugi menſa ſibi, ſplendida, ſobria,
In qua pſalterio rex David inſonat

Hymnos

Digitized by Google

Hymnos, imparibus quos numeris ligat,
Metris carmen amicius.
Carmen tale cano, ſit procul ethnica
Mendax Muſa, ſtrepat his, quibus eſt Venus
Aut Mars deliciæ, vanaque numina.
Noſter ſolus amor JESUS. JESUS.

Triduo quoque *ante obitum* abſolvit devotiſſimam in Canticum Canticorum commentationem, nempe 9. *Menſis Julii die ſabbati, Anno* 1429. ***Ultimum ſcriptum devotum.***

Proximo ante mortem die, hanc imminere cum perſentiſceret, puerulis in Eccleſiam adductis, pro ſe quotidie Deum orare juſſiſſe, qui ſalvum faceret Gerſonem, Wimphelingius memorat, qui ſub finem ſeculi Gerſoniani vixit, his verbis: *Retulerunt viri graves & fide digniſſimi, dominum Johannem Gerſon ante abitus ſui diem in ea urbe, in qua tum habitabat,* (Lugduni) *multos collegiſſe puerulos, quorum tanquam præceptor erat, quos quotidie ante ſummam miſſam in templum adduxit, clauſiſque undique oſtiis ipſum in medio eorum ſtantem juſſiſſe, ut verbis Gallicis poſt ſeſe in hunc loquerentur tenorem: Mon Dieu, mon createur, ayez pitié de voſtre pauvre ſerviteur Jean Gerſon,* h. e. *Deus meus, creator meus, miſerere miſeri tui famuli Johannis Gerſon.* ***Proximi ante obitum dici devotio.***

Obiit placidiſſime inter verba orationis religioſiſſimus Gerſon, *Lugduni* 12. *menſis Julii, A.* 1429. anno ætatis ſuæ LXVI. ***Obitus.***

Sepultus admodum honorifice *Lugduni* in Eccleſia S. Pauli. Quod ante obitum vivo jam polliciti Capitulares erant. ***Sepultura***

Epitaphium, in circumferentia tumuli & in tabula juxta ejus inſignia muro appenſa ſcriptum, hoc fuit: ***Monumentum.***

Magnum parva tenet virtutibus urna *Johannem*,
Præcelſum meritis, *Gerſon* cognómine dictum.
Pariſiis ſacræ Profeſſor Theologiæ
Claruit, Eccleſiæ qui Cancellarius. Anno
Milleno Domini centum quater atque vigeno
Nono; luce petit ſuperos Julii duodena.

Inſignia vel arma *Gerſonis* memorata, in templo Lugdunenſi juxta monumentum ſuſpenſa, non gentilitia fuere, à majoribus accepta, ſed adoptitia, quæ in Concilio Conſtantienſi A. 1415, exemplo aliorum invitatus, ſibi pro fortunæ ſuæ facie ipſe formarat, arte Chalcographi in antiqua Argentinenſi operum Gerſonis editione Anni 1494. delineata. *Gerſonem* ſeu *peregrinum* aut *advenam* ſe meminerat in hoc orbe, in quo hoſpes ſpectaret quid facerent alii, ſuamque perſonam virtutibus decoratam decenter ageret, mox brevem hanc migrationem, tanquam per ſomnium abſoluturus. Dei amorem ejusque devotum in pectore cultum, optimum in hoc itinere viaticum eſſe, in maximis quas expertus erat fortunæ tempeſtatibus curare didicerat. Hinc ipſi nata inſignia. In *ſcuto cor alatum & ignitum, cujus medio aureum T.* impreſſum, quo cor ſignatum, *in æthere ſapphirino* poſitum, ita, ut *ſol, luna & ſtellæ, cor* ***Inſignia.***

undique ambirent. Adjectus *viator*, qui *ſcutum ſiniſtra geſtaret*, brachio inclinatum, in cujus dextra *ſcipio*, ferrea cuſpide inferius munitus: Caput *pileo* tectum: Ab humero dextro verſus ſiniſtrum latus pendet *pera*, *pedesque calceati*, ſequente aut comitante *catello*. *Tobiam* uno nomine animo volvit Gerſon in itinere detentum, ab angelo ductum, & è variis periculis liberatum.

Scutum igitur voluit deſignare *cordis* in *fide*, ut in hac militia in præſenti vita ſibi *fidem* neceſſariam maxime ac gratam monſtraret, perpendens illud Jobi: Militia hominis eſt ſuper terram. *Cor alatum* amavit, quod cordis animique meditationes, cogitationes, affectusque in Deum & homines intenſiſſimi, præcipuum vitæ negotium eſſent. Maxime quod pro officio ſuo ſacro Theologico divina ubique meditatus, mente à terrenis avocata & ſurſum tanquam alis evecta. Unde cordis *ardor*, quod affectibus ardentiſſimis cor accenſum ſenſerit, mundi miſerias expertus, Deumque intuitus. Notanter verò cordi impreſſit *Tau*, collimans ad *ſignum*, quod Ezech. c. 9. illorum frontibus Hieroſolymis erat imprimendum, qui infandas populi Judaici abominationes deplorarent, publiceque emendari monerent. Horum ſane exemplo & Gerſon per omnem functionum ſuarum publicarum ambitum corruptionem Eccleſiæ palam nunciavit, deploravit, ac Reformationem Eccleſiæ in capite & in membris deſideravit. Cujus deſiderii ac voti teſtis immortalis eſt Concilium Conſtantienſe, in quo hanc Reformationem vehementiſſime urſit. *Æther ſapphirinus*, in quo hoc cor poſitum, cum ambientibus ſole luna & ſtellis, aureo colore radiantibus, refugium Gerſonis peregrinantis ultimum, cœleſtem nempe beatitudinem denunciare debuit, qui meditaretur ſemper, tanquam peregrinus aut advena, illud Pauli peregrini adhuc in terris: Noſtra converſatio in cœlis eſt. Quæ cœli meditatio, in cœleſtium quoque rerum aut ſacræ ſcripturæ continua meditatione atque varia explicatione erat poſita. Qui Interpretem Scripturæ pro ſua egiſſet profeſſione, ad varios uſus, allegorice, moraliter, anagogice applicando, ac ad modum fere ſolis & lunæ ſtellarumque aliarum clare ſiſtendo. (*p*) Peregrina-

(*p*) Complexus ipſe Gerſon hæc ſua inſignia metro, A. 1415. in Concilio Conſtantiæ, cum per 25. annos in Academia Pariſienſi varios honoris & adverſitatum gradus ſuſtinuiſſet.

Dic precor iſte quis eſt, qui carmina condidit iſta?
Gratia nomen ei, cognomen & *advena* fecit.
Eſſe *peregrinus* ſignis agnoſcitur aptis:
Caſſidolum dextro fartum dependet ab armo
Ad latus oppoſitum. Celſum caput *orbicularis*
Pileus obnubit, ſoles quo pellat & imbres
A vultu infeſtos. *Baculumque* teres regit artus,
Ferrea cui cuſpis. Munitur ſura *cothurno*.
Scutum leva gerit: Saphiro *cœlove ſereno*
Concolor. Hic auro *ſeptem* radiare *planetas*
Inſpiceres. Medio *cor pennatum* velut *igne*

Emicat.

grinationis ſuæ ubique memor. Quibus coloribus cum Gerſon ſe velut ad vivum delineaſſet, omnino hoc *ejus inſigne*, vel hæc *ejus imago* prope ſepulchrale monumentum publice conſpici Lugduni meruit.

Defuncto religioſiſſimo Gerſono, lacrymas fudere, qui vivum noverant & audiverant, raram ac reconditam ejus eruditionem admirati. Præclaras ejus virtutes decantarunt docti.

Memoria viri meritiſſimi in laude erit, dum orbis erit. Integritate vitæ, ſedulitate laboris, doctrinæ ſinceritate, ingenii promptitudine, judicii rectitudine, ſcribendi facilitate, ſuæ ætatis viros doctiſſimos quosque longe ſuperavit.

Monumenta, quæ reliquit, *literaria*, & numero permulta, & rerum tractatarum argumentorumve pondere graviſſima, oſſibus licet ejus dudum exeſis & in pulverem redactis, vitam viri ſervant immortalem. Plura ſcripſit, quæ ipſo adhuc vivo, plura, ipſo defuncto quæ periere. Nullam ex ſcriptis gloriam aucupatus, quin, ut primò ſcripſit, officiorum tenore urgente, pleraque vel interire ſtatim ſivit, vel & præ modeſtia optavit (*q*), ætate & experientia meliora ſemper edoctus, veterum ſcripta ſuis præferens. Servata interim ab amicis (*r*) plurima, quæ vel publico Academiæ aut Re- *Monumenta literaria.*

Emicat. Et mox *Thau* rutilo ſibi ſignat in auro,
Ægide protectus hac hoſtica tela retundit.
Nec caret *angelico duce*: Sed caro viſibus obſtat.
Sedulus hunc *catulus* ut Tobiam comitatur.
Gerſon origo fuit. Dat *Cancellarius* almo
Luſtris quinque gradus ſtudio tibi Pariſiorum.

(*q*) *Mallem*, ſcribit, *vel, quod nullus ambigit, malle deberem, ſtudioſos viros dare ſe totos probatiſſimis præcedentium doctorum libris intelligendis, quam ipſos ſterili ruditate opuſculorum meorum tempus atterere. Neque enim famam meam more hominum loco prorſus inquietiſſimo jactare ſic debeo: Neque opuſcula mea ita velut proprios filios diligere, quemadmodum de Poëtis loquitur Ariſtoteles, quin æquo animo patiar nihilum gloriæ meæ pro nihilo rejici, ubi gloria Dei vera & ſolida parcius augeretur. Augeretur autem parcius, ſi poſtpoſitis doctrinis ſalubrioribus mea inutiliores occuparent aliorum ingenia.*

(*r*) Editorum à Gerſono opuſculorum quorundam cauſas ipſe detexit, *Sentio*, inquiens, *quid mihi*, qui ſcripta mea extincta optem, ut antiquioribus ac melioribus detur locus, *poſſit opponere zelus vel fraternus vel lividus. Cur ſcil. ego vel aliquid ſcribo vel ſcripta non protinus lacero? Vel ſi ita ſcribere & ſervare propria utilitas expoſcit, ſicut expoſcit; Cur ea ne foras prodeant, non intus occludo? Hoc ideò plane, quia contra domeſticos talium rerum fures non fuit aliqua mihi ſatis fortis ſera. Quoniam me prohibente clam fere omnia diriperentur incorrecta etiam & ſparſa per minutas, qualia ego ipſe vix relegens intelligerem, vel in unum compingerem. Quo magis ignoſci peto & obteſtor, ſi talia ab alienis incondite corrupteque habeantur, qualia utinam [quia neque copia penes autorem eſt, nec emendandi licentia] flamma vorax abſumſiſſet, aut minutatim lacerata irent in oblivionis æternæ ſepulcrum. Accedit adhac ſedulitas tum amicorum, tum quandoque æmulorum, flagitans per ſe & alios, usque ad moleſtum faſtidium, ea quæ liberet amplius incluſa ſervari, digeri quoque, tum demum ea ſic vel corrigere publicanda vel*

abolenda

gis nomine in Gallia vel Conſtantienſi Concilio ediderat, vel ſenex Lugduni à curis liber conſignaverat.

Docendi genius. Eam in ſcribendo dicendoque regulam ubique ſectatus, ut *veritatem* quam *clarisſime* exponeret. Intricatum quærendi & res ſacras deſcribendi modum, illa etiam ætate in ſcholis receptiſſimum, ab aliquibus ſuperiorum ſeculorum doctoribus derivatum, fugit. Non neceſſariis ambagibus nunquam delectatus. Quare, pro ingenuitate pectoris ſui, Theologiæ in Academia Candidatos ore calamoque ſæpius hortatus eſt, abſtinerent à ſupervacuis Eccleſiæ haud profuturis ſtudiis ac quæſtionibus, ſobrie ſacris literis operam darent, Eccleſiæ commoda magis ſpectando, quàm vanam ingenii oſtentationem, qui nec ingenii vim æſtimaret tricas & ſub ſpecie ſubtilitatis inanes quæſtiunculas. De cetero ad ſolidam, gravem atque fructuoſam eruditionem, Eccleſiæ & reipublicæ profuturam, excitavit quoſcunque. (s)

Publico

abolenda damnare. Rurſum, quoniam ita ſe res habet, ut quorundam curioſitas adeo cupida ſit novorum, quamvis imparium valde veteribus, ut vel ex complacentia ſumendi nova, quemadmodum in cibo corporali evenit, vel ex inertia videndi vetera, proficiat eis lectio novellorum: Eligibilior utique erit profectus vel paucus in iſtis, quam nullus in illis. Tandem, quis neſciat, eſſe ſicut in faciebus ſic in animabus differentias innumeras? Et guſtum ſpiritualem ſicut & carnalem compertum eſt variari, ut quidem iſti ad nauſeam alteri ad ſalubrem nutritionem perveniat &c.

(s) Memorabiles hoc fine ſunt Gerſonis, Theologi Profeſſoris, monitiones, ſuæ Facultati propoſitæ: *In facultate Theologia videtur eſſe neceſſaria reformatio, ſuper ſequentibus inter cetera:* (1) *Ne tractentur ita communiter doctrinæ inutiles ſine fructu & ſoliditate. Quoniam per eas doctrinæ ad ſalutem neceſſariæ & utiles deſeruntur. Neſciunt neceſſaria, quia ſupervacua didicerunt, inquit Seneca.* (2) *Per eas non ſtudentes ſeducuntur, quia ſcil. putant, illos principaliter eſſe theologos, qui talibus ſe dent, ſpretis Bibliis & aliis doctoribus.* (3) *Per eas termini à patribus uſitati transmutantur, contra illud Auguſtini: Nobis ad certam regulam loqui fas eſt. Et non ſequitur velocior ſcientiæ alicujus corruptio, quam per hæc.* (4) *Per eas Theologi ab aliis Facultatibus irridentur. Nam ideo appellantur Phantaſtici, & dicuntur nihil ſcire de ſolida veritate, & moralibus, & Bibliis.* (5) *Per eas via errorum multiplices aperiuntur. Quia enim loquuntur & fingunt ſibi ad placitum terminos, quos alii doctores & magiſtri non intelligunt, nec intelligere curant, dicunt incredibilia & abſurdisſima, quæ ex ſuis abſurdis fictionibus dicunt ſequi.* (6) *Per ea Eccleſia & fides neque intus neque foris ædificatur. Conſtat, quod dent potius occaſiones credendi, quod Deus non ſit omnimode ſimplex aut unus, ſicut dicit Braduardi.* (7) *Per eas multi ex Theologis tam active quàm paſſive ſcandalizantur. Nam alii rudes vocantur ab aliis, & alii è contra curioſi aut phantaſtici. Tales nunc currunt propoſitiones ex talibus doctrinis: Infinitæ ſunt durationes in divinis, ſecundum prius & poſterius, quamvis æternæ: Et ita de menſura. Spiritus S. libere, contradictorie, contingenter producitur ex parte principii quo. In divinis eſt abſolute potentialitas ad non eſſe Spiritus S. Producere filium in divinis ut ſic nihil eſt. Spiritus S. prius eſt productus quam ſit ſumme perfectus. Pater & Spiritus S. non ſunt cognitio. Et Pater & Filius non ſunt amor. Filius in divinis poteſt alium filium producere, quia eſt eadem potentia cum patre. Ita de innumerabilibus aliis. Item à multis annis jam fit maxima controverſia in materia de communicatione idiomatum, quam antiqui ſic reſtringunt ut dicant: Nullum prædicatum communicari*

Digitized by Google

Publico quæ ſcriberet nomine, vel Academiæ vel Regis ac totius Galliæ, ſive in legationibus, ſive in Conciliis Nationalibus ac univerſalibus, tantâ *prudentiâ* inſtruxit, ut circumſpectius atque ſalubrius nihil illa ætate ſcribi poſſet. In *Conſiliis* ſuppeditandis, quæ Eccleſiæ & reipublicæ tranquillitati inſervirent, tam caute, tam moderate, tam humaniter, tam ſollicite, ſed & tam graviter ſe geſſit, ut ejus nutus haberentur pro regulis, ejus conſilia pro decretis, ejus dicta atque vota pro factis. Unde quoties ille auditus ejusque monita obſervata, feliciſſimus ſemper venit exitus. Conſiliorum ejus neglectum damna ſecuta infinita atque proxima, nulla interdum arte emendanda.

Conſiliorum Gerſonianorum indoles præclara.

Quam optandum verò, hæc ejus monumenta reliqua, illo ſeculo, haud longe ab ejus obitu inventâ arte typographica, ſtatim edita, curatius fuiſſent impreſſa ſicque integrius ad nos transmiſſa. Apparet enim, cum varie prius eſſent deſcripta, pro variorum deſcribentium ingenio ſæpe valde eſſe interpolata. *Fratris* quidem ſui, *Johannis de Gerſon*, *Cæleſtinorum Lugdunenſium Prioris*, curæ ante obitum commiſerat noſter, illa deſcribenda atque conſervanda. An autem ille alicubi pro ſuo arbitrio quædam mutaverit, an alii id & quo fine fecerint, incertum. Sane, ſi cum MSCtis ex illo ſeculo hodie adhuc ſuperſtitibus, conferantur illo ſeculo edita Gerſoniana, magna ſæpe obſervatur differentia. Ut optandum eſſet, MSCta Gerſoniana in orbe Chriſtiano reliqua ſolerti ſtudio conquiri, cum impreſſis conferri, emendari ac reſtitui. Certe longe melior atque nitidior ſæpe facies Gerſonianis futura, quam hodie conſpicitur. Quod vel ex uno exemplo, à nobis in hoc opere, de *Simonia*, exhibito, luculenter conſtabit.

De cetero, ut aliena *manu* ſuperioribus candidus addatur calculus, lubet *antiquam* ſubjungere *Gerſonis ideam* faciemq; venerabilem, poſt fata æternum duraturam. *Johannem de Gerſon, Pariſienſis quondam ſtudii Cancellariium, ſi quis Doctorem Chriſtianiſſimum vocet, is certe videbitur ejus merito ac dignitati non impertinens nomen indecentemve titulum attribuiſſe. Si enim autor Chriſtiani nominis Chriſtus finem &*

Antiqua & pulchra Gerſonis imago.

cari Deo, quod dicat imperfectionem. Alii ampliantes dicunt: Omne prædicatum univerſaliter communicari, usque adeo, ut Deus poſſit dici damnatus. &c. Item monendi viderentur Magiſtri noſtri, ſpecialiter illi, qui dederunt occaſionem, quatenus ſuos Baccalaureos & ſcholares monerent fugere aut dimittere vaniſſimas doctrinas, inutiles & ſteriles, nec approbando, nec moroſe aut curioſe reprobando. Sicut jam Deo propitio Sophismata ſunt expulſa à Theologia. Et ut materia ſecundi, tertii, & quarti Sententiarum magis tractarentur: (Quia vix legitur niſi primus:) Occupando tempus in præmiſſis doctrinis, & ſimiliter Bibliis. Et ut libri prædictarum doctrinarum non legerentur ad partem ſine licentia facultatis. Et pro honore Dei attendatur diligenter, quanta ſit neceſſitas pro inſtructione populorum & pro reſolutione materiarum moralium temporibus noſtris. Et tunc credendum eſt, quod in tanta anguſtia temporis, & inter tot animarum pericula, non multum placere poſſit ludere, ne dicam phantaſiari, circa ea quæ prorſus ſupervacua ſunt. Videbitur etiam, quod non ſit parvi ingenii aut rudis, tales materias elucidare & funditus perſcrutari, &c.

Digitized by Google

conſummationem legis ſuæ dilectionem conſtituit, ſi leve & ſacramentis paucis aſtrictum jugum poſteris ſuis impoſuit, ſi Phariſaicum illud paternarum traditionum onus à ſuorum humeris excuſſit: Quis obſecro inter doctores legis hujus Chriſtiani agnominationem juſtius ſortietur Johanne de Gerſon? Qui operoſa & pia induſtria per omnem ætatem in literis ſacris verſatus, omne ſtudium in id contulit, ei ſoli operam impendit, ut Chriſtianis, qui ſuccedentibus ſubinde multiplicatisque peccatis hominum, ac innumera vivendi varietate propoſita, inextricabili ferme conſcientiæ labyrinto circumerrare viderentur, & egrediendi ex hoc calle nutum faceret, & planam, ſecuram ac regiam dilectionis Chriſtianæ viam, quænam eſſet, luculentisſime demonſtraret. Plane, ſi quis forte dubitantior de hoc fuerit, huic nulla probatio certius perſuadebit, ut, quæ præmiſſa ſunt, credat, quam ſi ſæpe & attente leget, quæ plurima poſt ſe reliquit Cancellarius ingenii ac doctrinæ ſuæ monumenta. Inveniet etenim non hærentem in curioſis ambagibus, non in vana ſubtilium oſtentatione ſollicitum, neque affectatione exquiſitæ novitatis turgentem, ſed his inſiſtentem tantummodo, quæ cognitu neceſſaria, & opere ſalubria in priſcis doctoribus deprehendebat. Quæ profecto ad uſum noſtrorum temporum, & ad mores, in quibus Chriſtiana verſatur respublica, tam ſcite applicuit & accommodavit, ut nihil clarius, nihil certius homines noſtri legere posſint, per quod ab hac miſeria, perplexitate, tum in multis aliis, tum præſertim in varietate legum humanarum, quæ nunc obligantes, nunc abolitæ aſſeruntur, nonnunquam vertuntur in dubium, ſeſe tuto doceantur evolvere. Unde factum eſt, ut qui ſoli utilitati proximi ſcribendo ſtuderet, nulla affectione privata alicujus è doctoribus, qui eum præceſſerant, ſingulariter duceretur. Quamvis enim ex his, qui celebres erant, neminem ignoraverit, eorum tamen, quos non reſpuit Eccleſia, nec aliquem usquequaquam refutavit, nec cuiquam ſeſe ubilibet obnoxium conſtituit imitatorem, ſed veluti apis argumentoſa ſingulorum depaſtus dulcorem, quem ex eo potisſime ſapiebat, ſi quid naturalem aut divinam legem ſincerius redolebat, favum perſpicuum, ordinatisſimum ſvavisſimumque contexebat. Longe profecto alienus ab eorum ſenſu, qui doctorem favore probant, & quibus non tam perſpecta veritas, quam ejusdem profesſionis conjunctio ſectandi alicujus necesſitatem imponit. Nec quidem in Scholaſtica Theologia. In myſtica vero, quæ ita eſt Chriſtianorum, ut autore Dionyſio ſolis ſit Chriſtianis conceſſa, quantus fuerit Johannes de Gerſon, quam clarus, quam copioſus, quam juſte Chriſtiani agnomen promeruerit, ex ſcriptis ejus adverti maniſeſtisſime poteſt. Studioſe ſiquidem curavit, quemadmodum de ſe ipſo pluribus in locis teſtatur, Theologiam myſticam cum ſcholaſtica concordare. Vel, quod oſtenderet, ſcholaſticis doctrinis illam non eſſe adverſam, vel quod omnes, qui crudis ſolummodo ſpeculationibus Deum inveſtigant, ad experimentalem ejus guſtum invitaret, ad quem ſcilicet tanquam ad margaritam pretioſam, & futuræ beatitudinis prælibationem omnes Chriſtianæ perfectionis avidos anhelare docebat, eo certe efficacius, quo & ipſe non modo doctus verbo, ſed & uſu peritus in ea re fuerat.

Niſi

Niſi enim guſtaſſet, quam ſvavis eſt Dominus, nunquam tale aliquid, quod melius percipi quam dici poteſt, tam dilucide, tam ſignate tamque copioſe declarare potuiſſet. Nec mirum ſane. Nam ut de vita quoque ſua nonnihil afferatur, ab ineunte ætate per parentes ad Dei amorem allectus extitit, quos ipſos pietate in Deum non mediocri arſiſſe, indicio ſunt liberi fere omnes Deo dicati. Mox traditus bonis artibus in Pariſienſi Gymnaſio ita ſe exercuit, ut proficiente cum tempore peritia & integritate, omnium illic Theologiam profitentium tempore ſuo longe eminentisſimus haberetur & eſſet. Singularis profecto gloria, viciſſe Pariſienſes in eo, in quo ipſi cæteris ſtudiis omnibus præſtitiſſent. Verum multo laus amplior, & immenſum fere præconium ejus ab his conſurgit, quorum adhuc ne meminimus quidem. Quæ quia illuſtriorem dicendi ornatum depoſcunt, aliis & alio loco duximus reſervanda. Quis enim brevibus complecti poſſet accuratisſimam prudentiam, laborem fortisſimum, modeſtisſima conſilia, ferventisſimum zelum, quem indefeſſus adhibuit pro ſedando & uniendo illo turbulentisſimo ſchiſmate, quo ætas illa quatiebatur? Quis legationes ejus mira gravitate & peritia obitas ſatis digne commemorare poſſet, quas pro Francorum Rege, Eccleſia Gallicana, & univerſitate Pariſienſi, tum plerumque alias, tum præcipue apud celeberrimum illud Chriſtiani populi generale Concilium Conſtantienſe gnaviter adminiſtravit. Illic etenim diligentia incredibili, ſanisſima doctrina & vehementisſima vi dicendi, quibus Patres monuit, confirmavit, & quid facto opus eſſet, apertisſime monſtravit, tantum effecit pro communi pacis, quæ à tota Chriſtiana republica exulabat, reconciliatione, ut non minus neceſſarius fuiſſe videatur illi ſuæ calamitoſæ tempeſtati, quam olim glorioſisſimus doctor Auguſtinus, civitati ſuæ Pelagianorum hæreſi contaminatæ. Extant & tractatus & orationes ejus in eam rem plurimæ, quo minus neceſſe ſit adducere multa ad hæc comprobanda. Quare ſilentio prætereantur reliqua, ſi uno verbo perſvaſum fuerit, Johannem de Gerſon evidentisſimo intuitu veritatem perſpexiſſe, & non minori conſtantia ac fortitudine perſpecta tutatum fuisſe. Ad eam ſiquidem ſenſuum puritatem & ſimplificationem cordis devenerat, ut velut è ſereno pacatoque aëre deſpicere & contueri valeret omnia, quæ ſub ſe turbida pasſionis & ignorantiæ nube obducta in cæteris agebantur. Itaque expeditisſimus & reſolutisſimus erat in vero cognoſcendo. In defendendo autem quam firmus, quam imperterritus fuerit, vel hoc unum argumento nobis ſit, quod poſt gravisſimas altercationes, quibus contra impugnatores veritatum fidei, & præceptorum Dei coram ſacroſancto concilio certaverat, Principis etiam potentisſimi odium non veritus, velut alter Chryſoſtomus aut Athanaſius, ipſum tandem exilium moleſtisſimum perpeti non detrectarit. O virum vere Chriſtianum! O temporum noſtrorum perditisſimorum ſingulare ſidus! Tu eam, quam à ſe pellunt cæteri, veritatem etiam in exilio perquiris. Tu te ipſum injuria & contemtu mavis affici quam veritatem. Tu vere ſecundum nomen tuum laudem tibi paras.

Gerſon enim advenam ſignificat. Tu ipſius Chriſti, qui, ut veritati teſtimonium daret, nullum tormentorum genus expavit, cum re & facto fueris imitator, cur non merito tuo maximo ejus cognominationem adipiſcaris? Quamobrem honorentur doctores alii, quisque epitheto ſuo. Dicatur hic ſanctus, ille Seraphicus, magnus iſte, irrefragabilis alter: Subtilis, ſolennis, illuminatus, vel quicquid tale pro merito ſuo quisque vocitetur. Juſte quidem & bene. Sunt etenim. Liceat obſecro Johannem quoque de Gerſon non fraudari laude ſua. Liceat, Chriſtianus Doctor appelletur. Is, cujus primo doctrina ad Chriſti meras traditiones omnem noſtram aſſertionem contendit metiri. Cujus deinde ſtudium primariæ Chriſti operationi, propter quam in mundum venerat, teſtimonio ſcilicet veritatis, intenſiſſime fuit addictum. Cujus poſtremo vitæ concluſio tanta anagogicæ & verè Chriſtianæ contemplationis dulcedine & amore flagravit, ut velut cygnus modulato canticorum carmine mortem ſuſcipiens, in felicem familiam Chriſti, quem docuerat, pro quo certaverat, & quem totis viſceribus deſideraverat, non immerito in æterna beatitudine receptus eſſe credatur.

HER-

HERMANNUS von der Hardt.

Lectori S.

GERSONIS, VIRI ex priſco ævo ILLUSTRIS, faciem quod ſollicitius pinxerimus, & pectus quod apertius denudaverimus, factum deſiderio ſeculi illius plenius cognoſcendi. Sane Gerſon motuum maximorum in Eccleſia & Republica illa ætate & ſpectator extitit perpetuus, & curator fideliſſimus. Ut GERSONIS VITA & omnem iſthanc à capite ad calcem comprehendat ambiguam difficilemque Eccleſiæ fortunam, & remedia quævis, publicis illis malis oppoſita. Neque ſane, ſi ab Imperatore Sigismundo recedas, quisquam in Concilio Conſtantienſi & illuſtriora facinora edidit & ſalubriora conſilia ſuggeſſit, quam hic Cancellarius Gerſon. Ut merito anima Concilii illius univerſalis appelletur. Qua de cauſa plenam Concilii Conſtantienſis hiſtoriam, quoad fontes & finem eventumque, nemo ſibi paraverit, niſi qui cuncta GERSONIS monumenta probe & curate pervolverit. Optandumque eſſet, Chriſtianiſſimi hujus atque ingenioſiſſimi Gerſonis opera & emendatiora ex MSCtis ederentur aliquando, & ordini rebus atq; fatis temporumque intervallis magis congruo rectius accommodata. Interea Viri acutiſſimi atque apertiſſimi frontem, ex qua velut in compendio pectoris penetralia & temporis illius fata cognoſcantur, tenui penicillo delineaſſe ſuffecerit. Vale, optime Lector, ac virtutem Gerſonis ſerio æmulare, fataque Gerſonis patienter expecta.

Nervo-

Nervoſum
Hoc Opuſculum
De Simonia refrenanda
ſcriptum
ab
Illustri Gersone
Pariſienſi Cancellario
in Celeberrimo Concilio Conſtantienſi
A. M cccc XVI.
IMPERATORE SIGISMUNDO.
Editum
Coloniæ A. M. cccc. xxciv.
Argentinæ A. M. cccc xciv.
FRIDERICO & MAXIMILIANO
CÆSARIBUS.
Reſtauratum
ex antiquo MSCto Norimbergenſi
Helmſtadii in Academia Julia
A. M. dcxcvi
Menſe Junio
IMPERATORE
LEOPOLDO
Semper Auguſto
Priſcæ virtutis
Protectore Felicisſimo.
Cujus Auguſtiſſimum
Natalem LVII.
diem ix hujus menſis
lucidisſimum ſæpius
redire jubeat
Deus T. O. M.

Digitized by Google

TOMI I. PARS V.

CANCELLARII PARISIENSIS

JOHANNIS GERSONIS

Theologi Chriſtianiſſimi

ARDUUM OPUS

DE

MODIS UNIENDI AC REFORMANDI ECCLESIAM IN CONCILIO UNIVERSALI,

AD PETRUM de ALLIACO, Cardinalem Cameracenſem,
proxime ante Concilium Conſtantienſe ſcriptum,
Et pro Concilii Conſtantienſis norma atque regula dein habitum.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG. DUCIS &c.

Ex antiquo MSCto HELMSTADIENSI
recenſitum ab

HERMANNO von der Hardt/
Acad. Juliæ Profeſſore.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII,

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

JACOBUS WIMPHELINGIUS, Theologus,
In Præf. Tom. IV. Op. Gerſ. ed. Arg. 1502.

* * *

JOHANNIS GERSON
conſolatorii Chriſtianiſſimique Doctoris
lucubratiunculas
puras, ſolidas, veraces, devotas
& animi penetrativas eſſe,
nemo inficiabitur,
Qui obſervate & ſincere,
absque cœco & effeminato
alterius viæ aut diſciplinæ affectu
illas lectitaverit.
Inveniet enim,
pientiſſimum Virum ea
quæ ad charitatem Dei & proximi,
ad Eccleſiaſticam reformationem,
& ad animarum ſalutem
attinent
non ſolum ſuavi & non abjiciendo ſtylo
ſed etiam ferventi affectu
ſalubriter collegiſſe.

Digitized by Google



Chriſtiano Lectori
S. P. D.
HERMANNUS von der Hardt.

Q Uàm *corruptus Eccleſiæ* fuerit *ſtatus* proxime *ante Concilium Conſtantienſe*, ſuperiores viri clariſſimi, *Vrie*, *Clemangis*, *Gerſon*, oculati teſtes, abunde monuerunt. *Bonifacii IX. artes pecuniariæ* anſam quidem querelis & diſſidiis turbisque Eccleſiaſticis dederant præcipuam. Verùm, vel ſopitæ forſan, vel toleratæ, vel diſſimulatæ, ni *Johannes XXIII.* incautus ac imprudens, Bonifacium arte ſuperare contendiſſet, & dum ille ad eliciendum ſangvinem flagellis uſus, hic ſcorpiones ſubſtituendos judicaſſet. Sacra in hoc Johanne auri fames, Eccleſiæ ſangvine vix reſtingvenda, totum orbem Chriſtianum commoverat, ut compoſitis conſiliis vitam atque incolumitatem Eccleſiæ tueri conſtituerent. Quod non niſi illo capite ſublato futurum ſperabatur.

Palatius, in *Monarchia* ſua *Eccleſiaſtica*, noviſſime *Venetiis* edita, *Tom. III. f.* 447. non inſcito in hunc Johannem luſit emblemate, dum *vitulum aureum* ſummi ſacerdotis *Aaronis* ſtitit, haud longe à furno candente fumiganteque, quo vitulus iſte aureus, Moſis maximi Ducis autoritate atque juſſu conſumendus erat, ſcandalique aboliti cineres labenti fluvio inſpergendi, ut conſpectui hominum dedecus prorſus ſubduceretur. Neque explicare intermiſit *Palatius* hoc illius temporis ſpectaculum triſte atque ferale, his additis verbis: *Johannem* 22 (23.) *Antipapam, armis ma-*

gnum, in ſpiritualibus nullum, ut ait Sanctus Antoninus, in vitulo damus, quem coactus Aaron Hebræis erexit, ſub titulo: Hi ſunt Dii tui Iſraël. Exod. 32.

Ceterum, publicam hanc Eccleſiæ vel Judaicæ vel Chriſtianæ calamitatem, inaurato vitulo idolove omnium oculos percellentem, avertere, non erat unius atque alterius viri privati, vel optimi atque religioſiſſimi, Iſraëlitæ aut Chriſtiani, ſed Ducis ſupremi, *Moſis*, *Imperatorisve Romanorum* Auguſtiſſimi.

Auxerat olim in deſerto miſeriam gentis ſub auri fulgore, *MOSIS Ducis fortisſimi abſentia.* Ita ſane ſimile Eccleſiæ Chriſtianæ infortunium eveniſſe viſum, cum A. 1410. dicto Johanne Papa electo evectoque, & aurum pro vitulo inaurando abunde collecto, *Imperium Romanum* Duce ſummo vel *Imperatore careret.* Aberat ſane tantisper *SIGISMUNDUS*, mox Electorum votis ex Hungariæ montibus evocandus, ſummus populi Dux ac *IMPERATOR* conſtitutus.

Feſtivitas nihilominus ruffi vituli brevis erat, ex quo *MOSES* Dei juſſu nutuque de monte deſcenderat, populum vitulantem contemplatus. Totius namque Judaicæ gentis capitibus congregatis, publice hoc facinus fœdumque vituli inaurati cultum exprobravit autoribus. Idque pro zelo ſuo & divini cultus ſtudio mox in ſolenniſſima populi congregatione effecit, ut aureum hoc fulgidumq; totius gentis ſcandalum præcipitaretur, penitusque contritum aboleretur. Non diſpar *IMPERATORIS SIGISMUNDI*, pro ſuo in Deum & verum ejus cultum amore, facinus, memorabile ſane ac laudabile. Quamprimum enim Imperium obtinuit, ut aureum illud religionis monſtrum, Johannem XXIII. auro convaſando unice imminentem, cominus ſpectaret: Pro ſua majeſtate ſupremoque jure, mox univerſæ Eccleſiæ antiſtites, exemplo Moſis, Conſtantiam congregavit. In quo univerſali Chriſtiani orbis Concilio, vitulantes quosque, aut vituli inaurati cultu à Religione ſincera abſtractos, in ordinem primum redigeret, & in veræ pietatis ſtudio conſtantes eſſe juberet: Dein extemplo auro fulgentem Johannem XXIII. e conſpectu Chriſtianorum eliminaret. Fecit hoc *IMPERATOR* glorioſiſſimus pari cum *MOSE* conſilio, ardore, conſtantia, ſucceſſu, in publico orbis Chriſtiani cœtu Conſtantiæ congregato.

Quod autem *MOSES* deprehenderet, cum pompa ſuſcitatum vitulum ponderoſum non ſine magno labore, nec ſine ferro & igne, poſſe aboleri: Nullis pepercit laboribus, nec ferro nec igni, quibus comminuendus atq; comburendus eſſet. Nec *SIGISMUNDUS IMPERATOR* leve ſibi datum ſenſit negotium, Johannem hunc aureis artibus coloribusq; præfulgidum, ex oculis animisq; Chriſtianorum eximendi. Neq; enim vel in congregationem Chriſtianorum eum pertrahere primùm potuit, ob autoritatis & auri molem, qua niteretur. Multis tandem ſtudiis, plurimorum legatorum auxilio ſuaq;

celſis-

Digitized by Google

celſisſima manu Conſtantiam pertracti, ibique ſede celſa movendi, eam mox pertinaciam animique duritiem animadvertit, quæ violenta requireret media. Præterquam enim quod è manibus *Sigismundi* & *Concilii* elapſus eſſet, ob aureæ artis & ſpectatæ autoritatis molem, reniti vehementer cœpit, nullam admittens *Sigismundi* ac *ceterorum Principum* in Concilio congregatorum vel molliſſimam manum. Teneri noluit, quanto minus ex voto Concilii tractari, prenſari, loco priſtino excelſo moveri, quid dicam, deleri? Sic ferro & igne opus erat, quibus uteretur *SIGISMUNDUS IMPERATOR* cum Collegio, ad retinendum pondere ſuo manibus ſe ſubducentem Johannem, ad tractandum dedolandumve illum, quin & conterendum, omnique vi ac ſpecie privandum.

Quod igitur reluctans Johannes robur nactus eſſet à potenti & forti duce Friderico, cujus tutelæ ſe commiſiſſet, ſtricto ferro, quod Friderico non oſtendere ſed inferre oportuit, per *SIGISMUNDUM* coërcendus & in anguſtias redigendus fuit. Bello itaque graviſſimo, à *Sigismundo* cum Friderico Johannis protectore geſto, occupatis Friderici ditionibus, dirutis arcibus, flamma conſumptis palatiis, direptis opibus: In manus Sigismundi tandem rediit *vitulus Johanniticus*, carceribus incluſus, tanquam furno, Rhenique adeo fluctibus paſſim, cinerum vituli inaurati ſparſorum numero, commiſſus.

Sed nec prætereundus hic *fidus Moſis*, heròis fortiſſimi, & individuus in hoc admirabili negotio *comes*, *JOSUA*. Hic ſane, antequam Dei nutu Moſes ad populum properaſſet, inſpecturus corruptam Eccleſiæ ſub auri ſplendore faciem, Moſi mature nunciavit vitulantium Iſraëlitarum ſtrepitum inconditumque ſonum. Pari omnino ratione, priusquam *Sigiſmundus Imperator*, Eccleſiæ advocatus ac præſes celſiſſimus, ad viſitationem atque emendationem Eccleſiæ ſe componeret, corruptionis publicæ nuncium præ ceteris audivit *GERSONEM* Chriſtianiſſimum.

Hic enim, vacante Imperio A. 1410. Sigismundo nondum electo Imperatore aſt mox eligendo, publico ſcripto palam denunciavit, quam fœda ex deaurato vitulo Johanneo Eccleſiæ facies eſſet. Quod *Imperatoris Romani* eſſet advolare, ſuccurrere, mederi, totius Eccleſiæ cœtum convocando, vitulum deturbando, atque abolendo. Hic utique *Sigismundi Joſua*, totius hujus negotii, à Sigismundo cautiſſime tractandi atque poſtea animoſiſſime tractati, comes & adjutor fideliſſimus extitit. Donec Eccleſia ab iſto liberaretur atque purgaretur deaurato vitulo, Religionis avitæ dedecore publico. Eo certe anno, quo *Sigismundus* Imperator declaratus, qui emendandæ ac perpurgandæ Eccleſiæ manum potentiſſimam adhiberet, hic *Gerſon*, ejus temporis *Joſua*, memorabili iſthoc ſcripto *de Modis uniendi ac reformandi Eccleſiam in Concilio univerſali*, corruptiſſimam Eccleſiæ ſub Johannis XXIII. aurei vituli umbra conditionem deſcripſit.

Sed & aperto ore, ſepoſito omni metu, fronte ſerena, *Johannis XXIII. ex ſimonia pecuniarias artes* detexit. Indeque emendationis vel *reformationis in Concilio Generali ſtatim per Cæſarem ſuſcipiendæ regulas* ſuggeſſit, quæ totum negotium dein moderarentur.

Profecto quicquid in hoc libro Gerſon ſuppeditavit in perarduo negotio conſilii, à *SIGISMUNDO IMPERATORE* mox ad ungvem pœne ſervatum atque præſtitum eſt. Quod ſigillatim recenſere, atque Gerſonis monita cum Sigismundi in Concilio Conſtantienſi ſuſceptis negotiis conferre, locus hic non admittit. Quisque qui hoc *Gerſonianum opus*, proxime ante Conſtantienſe Concilium editum legerit, atque cum conſtitutionibus atque fatis Concilii laudati compoſuerit, intelliget, *curatam* hic datam à Gerſono *Concilii magni amusſim.* Neque quisquam tantæ fuerit autoritatis Conſiliarius in ullius Ducis curia, ut cuncta ejus monita tam curate obſerventur atque probentur, quantæ hic Cancellarius Pariſienſis fuiſſe deprehenditur in univerſali atque incomparabili Concilio Conſtantienſi apud Imperatorem reliquosq; Principes ac magnates fidei. Sane Gerſonis hoc opuſculum non ſolum inſtar canonis rerumque agendarum menſuræ habitum, ſed & maximarum controverſiarum in Concilio componendarum fundamentum reapſe extitit. Ut os quaſi formaret Aſſeſſorum Concilii illuſtriſſimorum.

Quapropter in hoc *Rerum Concilii Conſtantienſis Opere*, hoc Gerſonianum monumentum, Concilii ſplendidiſſimi normam atq; regulam, omittere nefas judicavit *Sereniſſimus Princeps RUDOLPHUS AUGUSTUS.*

Antiquæ verò *hiſtoriæ* dum velificandum, disſimulare acerbiorem etiam iſtius ætatis ſtilum ob graviora capitum delicta, noſtrum non fuit. Ex ſuo quæque lector æſtimabit ſeculo.

Profecto ſuperiora tempora minus *disſimulare* didiciſſe, noſtra & molliora, & cautiora atque callidiora evaſiſſe, oſtendent ſcripta utriusque ævi inter ſe collata. Illi non duntaxat ſcapham ſcapham dicebant, nullis parcentes vel ſummæ dignitatis viris, ſed & probroſis verbis atque imaginibus ſine metu publice deſcribebant, quos erant notaturi. Quod elegantioribus atque callidioribus noſtris temporibus grande foret nefas. Ita in ARCHIVO BLANKOBURGENSI, excedentis illius olim dicendi ſcribendique libertatis exempla ſuperſunt notabilia, quando Comitibus quibusdam ſuperiori adhuc ſeculo ſubditorum aliqui probroſas exhibuerunt valvisque urbis aut arcis affixerunt imagines, longa oratione nefanda adſcripta, nominibusque ſuis palam expreſſis.

Superiorum itaque temporum *os* apertum, & pro noſtra modeſtia nimis *hians*, in his ac ſimilibus ſpectare, non injucundum eſt. Neque fata dudum præterita nobis aliud quam *admirationem* relinquunt, quæ neminem noſtrum offendant, longiſſime à nobis remota. Dein pretium noſtræ ponunt oris caſtitati, ſeculique mollioris decori. Artes pares diſſimulari hodie ſollicitius quàm olim, ac novis pigmentis illini qui dixerit, viderit an capiat, ex colore fatorum publicorum calamum formari eruditorum.

Cete-

Digitized by Google

Ceterum quod impreſſum non vidimus unquam hoc Gerſonianum opus, ex nobili & curate exarato MSCto ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS depromſimus. Ne quid in pertexenda hiſtoria memorabilis Concilii cognitu neceſſarium prætermitteremus. Præcipue, qui non noſtro ore ſed manu calamoque illorum uteremur, qui nobilis pars Concilii ſolenniſſimi, rebus maximis in Eccleſia componendis ſacri, olim extitiſſent.

INDEX CAPITUM

OPERIS HUJUS GERSONIANI.

Caput I.

De publica Eccleſiæ miſeria circa tempora Concilii Conſtantienſis.

Cap. II.

De unitate Eccleſiæ: Deque Eccleſiæ diſtinctione in Catholicam & Romanam.

Cap. III.

De univerſalis Eccleſiæ unione conſervanda.

Cap. IV.

De imminente Concilio Generali, quod Conſtantiæ congregatum.

Cap. V.

De Pontificis Romani autoritate atque poteſtate.

Cap. VI.

De modis loco trium Pontificum malorum eligendi bonum in Concilio univerſali Conſtantienſi.

Cap. VII.

De membris Eccleſiæ univerſalis reduniendis.

Cap. VIII.

De jure univerſale Concilium convocandi.

Cap. IX.

De autoritate Concilii Univerſalis ſupra Papam.

Cap. X.

De Reformatione morum in Eccleſia per Concilium univerſale.

Cap. XI.

De magna difficultate illius Generalis Concilii convocandi per Cardinales.

Cap. XII.

De grandi Reformationis difficultate.

Cap. XIII.

Obſtacula concilii Generalis per Papam Johannem XXIII. convocandi.

Cap. XIV.

De ſumma Romanorum Imperatoris autoritate Concilium univerſale cogendi, cunctaque optime componendi.

Cap. XV.

De Epiſcoporum jure, poſt Imperatorem, Concilium generale congregandi.

Cap. XX.

Digitized by Google

Cap. XVI.
De Johanne XXIII. in Concilio Generali ſede movendo.
Cap. XVII.
De limitibus Reformationis in Concilio univerſali, quod erat Conſtantienſe.
Cap. XVIII.
Solvuntur dubia, à Johanne XXIII. Generali Concilio objecta.
Cap. XIX.
Concilium Generale novum, Conſtantienſe, aptius eſſe ad Reformationem quam Piſanum.
Cap. XX.
Confirmatur jus Imperatoris ac Principum in convocando Concilio univerſali & publica ſuſcipienda Eccleſiæ emendatione.
Cap. XXI.
Si Imperium Romanum vacet, cujus ſit jus convocandi concilium univerſale.
Cap. XXII.
Solvuntur dubia, quæ obſtarent, quo minus novus Imperator eligendus poſſet Concilium congregare.
Cap. XXIII.
Acris cenſura pecuniariarum Papæ conſtitutionum in genere.
Cap. XXIV.
Graves ſtricturæ in novas illo tempore Conſtitutiones pecuniarias Alexandri V. & Johannis XXIII.
Cap. XXV.
Corruptiſſimos Eccleſiaſticorum mores ex Eccleſia prorſus eſſe eliminandos.
Cap. XXVI.
Non eſſe eligendum novum Papam ex tribus remotis, nec ex Collegio Cardinalium, ante Concilium Conſtantienſe exiſtentium.
Cap. XXVII.
De Romani Imperii damnis ex corruptis Pontificibus.
Cap. XXVIII.
De titulo Papali, Servus Servorum Dei, magnaque dominandi libidine.
Cap. XXIX.
De ominoſo Papæ ſigillo, in quo duo capita, Pauli & Petri.
Cap. XXX.
Summa capita Reformationis, in Concilio Conſtantienſi ſuſcipiendæ.

CAN-

CANCELLARII PARISIENSIS
JOHANNIS GERSONIS
Sacræ Theologiæ Profeſſoris
OPUS ARDUUM
DE
MODIS UNIENDI AC REFORMANDI ECCLESIAM IN CONCILIO UNIVERSALI,
Scriptum *proxime ante Concilium Conſtantienſe*
Ad PETRUM de ALLIACO, Cardinalem Cameracenſem.
Ex MSCto HELMSTADIENSI.

CAPUT I.
De publica Eccleſiæ miſeria circa tempora Concilii Conſtantienſis.

DOlentes *querebamus te* de omnibus *alienis*, *flagitioſis* & *perverſis*, non in Chriſti fide, non in illa primitiva Apoſtolica Eccleſia inventis, imo nec apud illos ſacros Apoſtolicos & eorum Cardinales & Coepiſcopos, ut credo, imaginatis, quæ nunc moliuntur vineam Domini exterminare, domum Dei depaſcere, & *quæ jam noſtri hujus temporis Rectores Eccleſiaſtici amplectuntur* ut virtuoſa, *ſcribunt* ut juridica, *præcipiunt* ſervanda, *prædicant*, *in detrimentum totius Eccleſiæ*, & *in utilitatem privatam*, veneranda. Igitur zelus domus Dei comedit nos, licet ideo opprobria exprobrantium ceciderint ſuper nos. *Corruptio Eccleſiaſticorum circa tempora Conc. Conſtant.*

Veſtra igitur *Paternitas*, quam ferventem ad domum Dei, ad ſponſam Chriſti, ad *Eccleſiæ* Catholicæ *unionem*, amorem à retroactis temporibus habere conſpexi ſæpius, *à me*, *veſtro Capellano*, & immerito fratre & amico, tacta dolore cordis intrinſecus, voce queruloſa & dolenti quærebat: Ecce ſedet ſola civitas Eccleſiæ, quæ olim erat plena populo, unanimi conſenſu unita, ſed peccatis exigentibus noſtris temporibus periculoſe diviſa: Jam non eſt, qui conſoletur eam ex omnibus caris ejus: Jam *nullus* eſt, *qui* ad inſtar Chriſti & ſanctorum *pro republica laboret*: Qui pro ovibus laboribus periculis & morti ſe det: Qui fideles & ſimplices in fide corroboret, & confortet. Omnes *amici* ejus *ſpreverunt* eam, ſcilicet *Eccleſiam*, cum eis paupertatem prædicat, cum eis avaritiam interdicit, cum eis caſtitatem annunciat, & *facti* ſunt ei *inimici*. Jam proh dolor Tyrannorum pedibus ſubjicitur, ad tributa redigitur, propriis commodis innititur, & ſub *titulo* coloris *pacis* & *unionis*, *reſpublica Eccleſiaſtica proſternitur*, & in plures ſeditiones ſcinditur. *Petri de Alliaco & Gerſonis ſollicitudo pro emendanda Eccleſia.* *Calamitas Eccleſiæ priſtina.*

Sed jam dolenter quæritur: Num fidele *remedium* pro hac Chriſti unica ſponſa, unica matre noſtra inveniatur? Hoc exquiſivi à juventute mea, hoc expoſco, hoc deſidero, &, ut putas, non videbo. *Emendationis remedium difficile.*

Ergo dolenter quæro, quid *veſtræ paternitati* cordialius ac ardentius reſpondeam inpoſterum: Salva ſemper proteſtatione, quod ſi quid minus dixero juſtum, ſecundùm Chriſti fidem, & regulam Apoſtolorum, revocabo, ex corde compatiendo, & pro poſſe meæ imperitiæ, ac munitus armis juſtitiæ domui Dei, columbæ Dei, ſponſæ Dei, electæ Dei, noſtro pio & laudando deſiderio conſulendo. *Gerſonis ſtudium Eccleſiæ optime conſulendi.*

Digitized by Google

CAPUT II.
De Unitate Eccleſiæ, deq; Eccleſiæ diſtinctione in Catholicam & Romanam.

CONſtet in principio, quod loquitur Cyprianus: (*Decreti Part. 2. cauſ. 24. quæſt. 1. cap. 18.*) *Eccleſia una* eſt, quæ latius in multitudinem incremento fœcunditatis extenditur, *una* ejus *origo* eſt, unam domum novit, unius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit.

Sed quæritur: *Quæ* ſit illa *Eccleſia, quæ unam originem novit*, unam domum ſcit, unius cubiculi ſanctitatem cuſtodit? Revera illa, quæ temporalia ad inſtar Chriſti deſpicit, quæ originem fidei, & *fundamenta primitivæ Eccleſiæ cuſtodit*, quæ ſub uno Pontifice & Chriſti vicario dilatatur & vivit, quæ *ſanctitatem cum moribus probis* concordat & *unit*, quæ cum vitiis litigat, & ipſa deſtruit.

Unam Eccleſiam eſſe primitivæ conformem, ſanctam. Moribus probis præditam.

Inſtat tamen fervor ille veſter cœlicus, & quærit: Quomodo & qualiter hæc *unio* haberi poſſit?

Credite mihi, quod reſpublica Eccleſiæ *triplici unione* poſſit & debeat de neceſſitate gaudere. Prima eſt *imperioſa*, ſecunda eſt *jocundoſa*, tertia eſt *virtuoſa*. Prima conſervatur in *unius capitis principantis exiſtentia*; Secunda roboratur in *multorum membrorum benevolentia*; Tertia perpetuatur in *religionis obſervantia*.

Unio Eccleſiæ triplex.

Sed jam, *frater* cariſſime, cum ſint verba tua myſterio plena, digneris declarare ipſa.

Volo libenter facere, quod jubes, *Pater*. Sed pro omnium dicendorum corroboratione munio me hac ſuppoſitione: *Eccleſia Chriſti eſt inter omnes reſpublicas aut ſocietates, recte ordinatas à Chriſto, ſuperior, nobilior, atque diligibilior*. Patet: Quia aliæ ſunt cœtus multitudinis temporalis, iſta autem eſt *congregatio populi ſpiritualis*: Illæ ad tempus patent, iſta autem uſque ad finem nunquam deficiet: Illæ ſalvant corpora peritura, iſta autem animas in perpetuum duraturas.

Eccleſia reſpublica optima.

Proſequar allectus tuis verbis dulcibus iſtius *Eccleſiæ unionem*. Sed dic quæſo, *de qua Eccleſia* intelligis, cum ille Sanctus Athanaſius in Symbolo dixerit: Et *unam*, *ſanctam*, *Catholicam* & *Apoſtolicam Eccleſiam*. Si enim idem ſunt *Catholica & Apoſtolica Eccleſia*, ſuperfluum fuit replicare, quod per unum potuit explicare. Si vero idem non ſunt, dic quæſo, in quo differunt?

Symboli Athanaſiani verba de Eccleſia, explicata. Catholica & Apoſtolica Eccleſia quod differant.

Revera, ut bene noſcis, *Catholica, univerſalis Eccleſia, ex variis membris, unum corpus conſtituentibus, ſive ex Græcis, Latinis, & barbaris, in Chriſtum credentibus, ex hominibus & mulieribus, ex ruſticis & nobilibus, ex pauperibus & divitibus eſt conjuncta* & nominata. *Cujus corporis, univerſalis Eccleſiæ, caput Chriſtus ſolus eſt.* Cæteri vero, ut *Papa, Cardinales*, & *Prælati*, *Clerici*, *Reges* & *Principes* ac *plebeji*, ſunt *membra* inæqualiter diſpoſita.

Catholica Eccleſia quæ ſit? Chriſtus ſolus caput Eccleſiæ univerſalis. Papa, Principes, plebeji &c. membra Eccleſiæ univerſalis.

Nec iſtius Eccleſiæ Papa poteſt dici nec debet *caput*, ſed ſolum vicarius Chriſti, ejus vicem gerens in terris, dum tamen clavis non erret.

Papam nō eſſe caput Eccleſiæ univerſalis.

Et in hac Eccleſia & in ejus fide *omnis homo* poteſt ſalvari, etiamſi in toto mundo aliquis Papa non poſſet reperiri, & non inveniretur.

In Eccleſia univerſali ſalus ſine Papa.

Et cauſa eſt, quia *in hac ſolum Eccleſia eſt Chriſti fides* fundata, & *huic ſoli Eccleſiæ* eſt *poteſtas ligandi & ſolvendi tradita*. Quia dato, quod nullus Papa eſſet, adhuc aliquis fidelium, remedium ligandi & ſolvendi, veniret. In hac ſunt ſeptem *ſacramenta*: In hac eſt tota ſalus noſtra.

Fides & ſacramēta in Eccleſia univerſali ſine Papa.

Hæc Eccleſia de lege currenti *nunquam errare potuit*, nunquam deficere, nunquam ſchiſma paſſa eſt, nunquam hæreſi maculata eſt, nunquam falli aut fallere potuit, nunquam peccavit, (ut de omnibus patet *XXIV. q. 1. per totum.*)

Eccleſia univerſalis ab errore immunis.

In iſta etiam *omnes fideles*, in quantum fideles ſunt, *unum* ſunt in Chriſto, in cu-

Fideles unum eſſe in Eccleſia univerſali.

Digitized by Google

Eccl. Apoſtolicā eſſe particularem, Papalem & Romanā dictam. Papā caput Romanæ Eccleſiæ eſſe. Romanā Eccleſiam poſſe errare.

in cujus fide non eſt diſtantia Judæi, Græci, Domini & Servi.

Alia verò vocatur Eccleſia *Apoſtolica, particularis & privata*, in Catholica Eccleſia incluſa, ex Papa, Cardinalibus, Epiſcopis, Prælatis & viris Eccleſiaſticis compaginata. Et ſolet dici *Eccleſia Romana, cujus caput Papa* creditur, cæteri vero Eccleſiaſtici, tanquam membra inferiora & ſuperiora in eaincluduntur.

Et *hæc errare poteſt*, & potuit falli & fallere, ſchisma & hæreſin habere, etiam poteſt deficere.

Et hæc *longe minoris autoritatis videtur eſſe univerſali Eccleſia*, ut dicetur inferius. Et eſt quaſi *inſtrumentalis* & operativa clavium univerſalis Eccleſiæ, & *executiva* poteſtatis ligandi & ſolvendi ejusdem. Nec *de recta conſcientia* majorem habet vel habere poteſt *autoritatem*, & executionem poteſtatis, quam ſibi ab univerſali Eccleſia conceditur.

Univerſalem Eccleſiam majoris autoritatis quàm Romanā eſſe.

Differunt ergo hæ duæ Eccleſiæ ſicut genus & ſpecies, cum omnis Apoſtolica ſit catholica, & non viciſſim. Et ideo ſolebat loqui Apoſtolus in ſuis epiſtolis: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt Babylone*, & ſic de ſimilibus.

Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ diſcrimen.

Caput III.

De univerſalis Eccleſiæ conſervanda unione.

Sed inquit *veſtra* ſolers *paternitas*: *Pro cujus* igitur *Eccleſiæ unione* & redintegratione eſt *laborandum*, animas ponendum?

Pro univerſalis Eccleſiæ ſalute præcipue laborandum.

Revera *pro* illius *univerſalis Eccleſiæ ſalvatione*, & fidelium errantium, & membrorum deviantium, cauſa illius ſecundæ Eccleſiæ Apoſtolicæ, redintegratione, omnibus poſtpoſitis eſt laborandum. Quod extra *illam* non eſt ſalus. (*XXIIII. q. 1. can. 22.*)

Cujus ſit univerſalis Eccleſiæ unionem curare.

Sed quæritis: Quis primo *membra deviantia incipiet reducere*, & unionem procurare?

Revera, ubi *Papa* non eſſet ſuſpectus, & ubi non agitur de unione capitis, ad eum primo pertineret. Aliàs ad majorem partem, vel *totam congregationem Epiſcoporum & Prælatorum & Principum ſecularium* pertinere credo. Et quicquid illi egerint in hac cauſa, quaſi fides eſt tenendum.

Jus Principum in Eccleſiæ univerſalis cura.

Sed quod motiva multum innituntur veritati, jam quæritis: Quid habent *Principes ſeculares* facere *in Eccleſiæ reductione*, & membrorum unione?

Certe, ſi veritatem & pacem diligitis, ſi bonum commune reſpicitis, ſi corpus naturale perpenditis, ubi manus in auxilium venit totius corporis, & quodlibet membrum currit ad ſalvationem ejus: Ad Eccleſiæ congregationem, pacificationem, redintegrationem, quam pro communi utilitate debemus recipere, non ſolum *Principes ſeculares*, ſed *ruſtici* & laboratores, & quicunque, quantumcunq; etiam *minimi fideles*, debent occurrere, & morti, ſi oporteat, ſe exponere *pro totius gregis ſalvatione*, exemplo antiquorum, bonum commune zelantium, & morti pro eodem ſe exponentium. Ut patet legenti in *Valerii Maximi lib. 1. 2. 5. & 6to. & Tullium de officiis, quaſi per totum*: Et Chriſti exemplo. Qui, licet ſciret locum, ubi eum traditurus erat Judas, voluntarie ivit, morti ſe dedit, *ne tota gens periret*.

Subditorū, omniumq; fidelium jus in Eccleſiæ cura.

Et ſi ad iſta tenentur *ſeculares*, quanto magis *Prælati & Eccleſiaſtici Rectores*.

Eccleſiaſticorum jus.

Inſtat tamen prudentia veſtra: Quid oportet *pro univerſalis Eccleſiæ unione laborare*, ſi ipſa Eccleſia eſt & fuit ſemper indiviſa, unica, & nunquam paſſa ſchiſma?

Pater mi, ſi dignemini intueri, nec dico, *Eccleſiam univerſalem poſſe reuniri*, cum ipſa ſchiſmate non poſſit dividi, quia etiam in unico ſuppoſito poteſt ſalvari: Sed dico, quod *pro ejus unione ſit laborandum*, & pro ejusdem *membrorum concordia* & pacificatione. Quia cum & ipſa ſit in *charitate* fundata, & bonum commune vocata, & charitas

Membrorum Eccleſiæ univerſalis concordia conſervanda ac paranda.

non quærit, quæ ſua ſunt: Ideo in ipſa Eccleſia nonſolum nobis nati ſumus fideles, nec noſtra juſtitia & pax nos ſolum debent illuſtrare, ſed & fratres noſtros & alios Chriſtianos. Ideo dicit Propheta: *Propter fratres meos, & proximos meos loquebar pacem de te.*

Item. *Laborandum eſt pro univerſalis Eccleſiæ unione*, ſic ſolemus dicere; Quia *executio poteſtatis* & auctoritatis ejusdem, quæ eſt in Eccleſia Apoſtolica, impeditur valde propter *contendentes de papatu*, & propter *ſchiſmata*. Imo aliquando redditur dubia. Et quia *univerſalis Eccleſia* operatur ad modum theoricæ Magdalenæ, *Apoſtolica* vero ad modum practicæ Marthæ. Et *finis* intentus *communis* in arte, *eſt practica*. Imo ne finis *clavium univerſalis Eccleſiæ* impediatur, qui eſt autoritas ligandi & ſolvendi: A majori fit denominatio. Dicimus propterea, laborandum eſſe pro unione univerſalis Eccleſiæ.

Eccleſiæ Romanæ neglectus in univerſalis Eccleſiæ concordia ſervanda.

CAPUT IV.

De imminente Concilio Generali Conſtantienſi.

SEd jam, ubi multis præmiſſis, finis ſuppoſitionis advenit, accenſo ardore nimio utilitatis publicæ Eccleſiæ, *Veſtra magnifica paternitas* certificari affectat, addens: Ecce dies veniunt *generalis Concilii, de proximo celebrandi.* Cujus celebratio ad hoc tendit, ut fiat *capitis unius in Eccleſia* Apoſtolica ſeu *Romana* declaratio, ut fiat *membrorum una conſociatio*, ut fiat *morum proborum antiquorum reformatio.*

Scopus Concilii Generalis Conſtantienſis

Jam capitis unio videtur perire: Quia *tres ſe audent Papam vocare.* Jam membrorum eſt diviſio: Quia ſub quolibet *illorum trium* eſt membrorum obedientia & ſubjectio. Jam *bonorum morum* eſt *diſſipatio*, imo *oblivio*: Quia *Simonia, avaritia, beneficiorum venditio*, tyrannia & exactio regnat, quaſi de *conſuetudine* approbata in populo *Eccleſiaſtico.*

Tres Papæ Romani ante Conc. Conſt. Eccleſia diviſa. Mores corrupti.

Dolenter ergo quæro: *Utrum* inveniri poſſit *modus* in hoc *ſacro futuro generali concilio*, quo regnaret Rex & Papa in Eccleſia, qui ſolum eſſet *unus*, ne inveniretur alius, qui de ſe diceret: *Ego ſum Apollo, ego Cepha, ego Chriſti:* Qui ſapiens eſſet, qui faciat judicium & juſtitiam in terra, quibus diebus ſalvetur Eccleſia, & habitet confidenter.

An ſuperſit modus in Concilio Conſt. unũ Papam creandi.

Item de ſecundo quæro inſtanter: *Quis modus* reperiatur, *quo cœtus Chriſtianorum congregetur*, quo oves diſperſæ ſimul cubent, ſimul paſcant, & ſub uno Chriſti vicario vivant, & à guerris & tyrannidibus abſtineant?

De modo convocandi Concil. Generale.

Sed jam tertio, quod *principalius & magis neceſſarium eſt in univerſali Eccleſia*, quo deficiente omnia deficiunt, quo exiſtente Petri navicula non turbatur, non fluctuat, non perit: Quæro inſtanter, quibus *ſacris moribus* eſſet *Eccleſia decoranda*, quibus *regulis*, quibus *conſtitutionibus* ſacris, ac *legibus* eſſet fortificanda ac præmunienda, ne conſimilia ſchismata præterita inſurgerent in Dei Eccleſia? Ut ſic Eccleſia tota pulchra, & virtutibus ac ſacris legibus & regulis ornata eſſet, terribilis ut caſtrorum acies ordinata.

Præcipuũ Concilii Conſtantienſis momentum Reformatio Eccleſiæ.

Hæc igitur *tria*, quantum poteritis, Domino adjuvante, dignemini declarare, & veſtra in hac parte conſilia dare.

Libet, *Pater*, ſub compendioſo ſermone poſtulatis ſatisfacere.

CAPUT V.

De Pontificis Romani auctoritate atque poteſtate.

SEd jam primo de *unione capitis* volo præſupponere, & *poteſtatem*, *uſurpatam diu ab eodem capite, limitare.*

Quis unquam dubitare potuit, quin leges, quin decreta, quin quæque in qualibet politia juſte ordinata *propter conſervationem boni communis* principaliter ſint inſtituta & facta? Cujus *reipublicæ ſalvatio redundat in bonum cujusvis privata*

Boni legislatoris cõſervare bonum publicum.

Leges propter rempublicam facta. Reſpublica major legibus.

vata perſona ſecundario. Intentio igitur cujuslibet legiſlatoris eſt, *conſervatio* & ſalvatio *boni communis*. Quia ergo propter quod unumquodque tale eſt, illud magis: Si *leges & jura propter rempublicam ſunt facta*, magis eſt ipſa reſpublica, quam ſint aliqua jura.

Reipublicæ ſalus potior quam perſona privata.

Ex quo concludo, quod, ubi de pari concurrunt, *curatio reipublicæ* & *conſervatio alicujus* viventis *perſonæ privatæ*, ceſſet lex, ceſſet jus, quo tollitur ſalvatio boni communis, nec habeat virtutem pro tunc alicujus juris, legis aut conſuetudinis. In tantum, ut Dominum noſtrum mori expediret, ne tota gens periret, ut prædixi.

Leges Papales valere, quamdiu publica res per illas non patitur detrimentum.

Omnes ergo *conſtitutiones Apoſtolicæ*, ſive leges, *facta in favorem Papæ*, *Cardinalium* ſive prælatorum, intelliguntur & intelligi debent, ubi reſpublica Eccleſiaſtica directe vel indirecte, publice vel occulte, in parte vel in toto, detrimento aut diviſioni non videtur ſubeſſe.

Et ſic de *legibus imperialibus* & regalibus poſſumus intelligere.

Sed fortius quæritis; Numquid *quoad dominia* multum ſint differentia *ſecularis* dominatus, & *Eccleſiaſticus* principatus?

Utique. Quia ille temporalis, iſte ſpiritualis: Ille per ſucceſſionem, iſte à Deo per electionem: Ille ad defenſionem, iſte propter ordinem.

Papam aut Prælatum poſſe ſede moveri, ſi publica res requirat.

Si ergo propter ſalvationem unius regni, unius provinciæ, deponitur unus Rex, unus Princeps ſecularis, qui per ſucceſſionem perpetuam deſcendit: Multo magis unus *Papa*, unus *Prælatus eſt deponendus*, qui per electionem Cardinalium fuit inſtitutus. Cujus pater & avus forſan ventres implere non ſufficiebant fabis. Durum enim eſt dicere, quod *filius unius Veneti piſcatoris* papatum debeat tenere *cum detrimento totius reipublicæ Eccleſiaſticæ*, *cum injuria tantorum Regum*, *Principum & Prælatorum*, & quod ſit cauſa tantarum diſcordiarum & ſcandalorum, & quod absq; animarum grandi periculo non procedant, & quod propter unam electionem hæreditarie debeat ſanctuarium Dei poſſidere. Imo dixit Propheta: *Deleas illos, ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.* Sicut enim ſtipula citius deſinit, quam palea, ſic credo in corpore myſtico univerſalis Eccleſiæ membrum, quod amplius nocet, occaſionaliter ſive effectualiter, eſt citius dirimendum & amputandum.

Papam citius removendum quam prælatum alium.

Ergo *Papa malus* citius deponitur, quod eſt membrum validius, quam quicunque alius Prælatus, cum ipſe ſit in totam ſollicitudinem, cæteri verò Prælati ſint in partem. Et ſic de *prælatis* cæteris, majores & minores habentibus adminiſtrationes. Non enim, ſi pes dolet, cætera membra dolent, ſecus ſi caput doleat. Quod ſi per imaginationem amputari poſſet, homine manente, amputari citius deberet, ne totus homo perdatur.

Papæ delictum gravius, quã Prælati.

Sic, *ſi Papa peccat*, *totus cœtus Eccleſiaſticus convertitur ad peccandum.* Quia *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Sed ſi aliquis *Prælatorum* peccaverit, non propter hoc omnes alii peccant. Tamen Epiſcopi & cæteri Eccleſiaſtici, prælati ac clerici, ab omni ſpecie mala debent abſtinere.

Sed forte me voluiſti capere in ſermone, per varia ſcripta, allegando, quod tam ſancta tam alta ſit *poteſtas Papæ*, ut à nullo mortalium judicari valeat, nec deponi, niſi propter hæreſin incorrigibilem: Ad hæc allegas diſt. *XL. can.* 6.

Origo canonum antiquorum de poteſtate Papæ.

Sed perpende, mi frater, quanta *fraude*, quanta *aſtutia*, temporibus antiquis fuerint facta & ſcripta quamplurima *ad tenendam hanc dignitatem Papatus*: Quam Chriſtus nunquam conceſſit æternaliter, *niſi ad tempus illis, qui diligunt Deum in toto corde & veritate.* Quod dico pro tanto, quod ſi Petrus, cui principaliter datus eſt papatus, ante Chriſti paſſionem (*Matth. XVI.*) manſiſſet in negatione, qua Chriſtum negavit, & mortaliter peccavit, nec pœnituiſſet, certe poſt Chriſti reſurrectionem nec Spiritum Sanctum cum aliis accepiſſet, nec princeps Apoſtolorum extitiſſet, nec, paſce oves meas, ipſi à Domino dictum fuiſſet.

Revertor ergo ad propoſitum, & dico, quod tantam *fraudem* in *adminiſtratione*

Multos Papatum male adminiſtraſſe. Gerſon impugnat ſextum Decretalium & Clementinas. Imperatoris & Principum jura ſervanda inviolata.

tione hujus Papatus fecerint aliqui antiqui, qui cum multis viris peritis, imò in malitiis imbutis, Deum non habentes præ oculis, *multa jura ſibi uſurparunt*, & pro ſe fecerunt, & meliorem partem ſibi attribuerunt, & *de republica non curarunt.*

Et quis fecit illos libros, *ſextum*, & *Clementinas? Arrogantiam, ſuperbiam*, juris ordinariorum locorum uſurpationem, *Imperatorum Romanorum injurioſam detractionem*, & eorum aliorumque poteſtatis periculoſiſſimam ſuppreſſionem, & alia multa in ſpiritualis & ſecularis reipublicæ læſionem malitioſe & pertinaci ambitione fabricata, in omnibus & per omnia concludentes. Et male: Quia non minus *terreno Principi in his, quæ ad jura pertinent imperii*, quam ſpirituali, in his, quæ ad Deum ſpectant, *debetur obedientia.* Vult enim Deus, hominem homini ſubeſſe duplici ratione, carnali Domino, quia caro eſt, & ſpirituali, quia ſpiritus eſt. Igitur omnes *inobedientes Romano Imperatori*, & ejusdem imperio, quia ejus jura uſurpant, in ſtatu damnationis exiſtunt. Nihilominus & *Papa* voluerunt obſervari illos ſicut ſancta Dei Evangelia.

Ex decretis & Decretalib9 multa enata mala. Papam hominem, non ſanctum eſſe.

Et ſic de *multis* contentis in *decretis & decretalibus*, poſt *dotationem Conſtantini.* Quorum occaſione & multa ſuccreverunt, & ſuccreſcunt *ſchiſmata in utraque republica* memorata.

Ecce ponatur *Papa.* Eſt *homo* de homine, limus de limo, *peccator* & peccabilis, filius ante duos dies pauperis ruſtici: Erigitur in Papam: *Numquid* iſte absque aliqua pœnitentia peccatorum, absque confeſſione, absque cordis contritione *fit Angelus impeccabilis*, fit *ſanctus?* Quis eum ſanctum fecit? Non Spiritus S. Quia *dignitas non ſolet trahere Spiritum S.* ſed ſolum Dei gratia & charitas: Non *autoritas*, quæ *communicatur bonis & malis.*

Papā non eſſe angelum. Poteſt errare. Pontificū actiones.

Quia ergo Angelus Papa eſſe non poteſt, ergo Papa ut Papa eſt homo, & ut homo ſic eſt Papa, & ut Papa poteſt peccare, & ut homo poteſt errare.

Fuerunt enim *multi eorum*, ut legitur in chronicis, *non penitus ſpirituales*, ſed eorum actus civiles, contentioſi, & carnales ac temporales, ſequentes actus hominum, qui poſſunt mutuare, deponere, emere, vendere, percutere, occidere, mœchari, furari, rapere, prodere, decipere, falſum teſtimonium perhibere, detrahere, diffamare, in hæreſin cadere, cæteraque committere ſcelera, crimina & contentiones, quemadmodum etiam à non ſacerdotibus perpetrantur.

Prælatorum ac ſacerdotū actiones.

Et videmus ad oculum, quod modernorum *Prælatorum Eccleſiaſticorum* atq; ſacerdotum, ſaltem plurimorum, *actiones non ſint ſpirituales*, quin imo temporales & carnales. De quibus loquens Apoſtolus 1.*Cor.III.* inquit: *Cum regnet inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis.*

Papā non eſſe ſupra Evangelium. Papam Chriſti regulis eſſe ſubjectum.

Item *Papa non eſt ſupra Dei Evangelium.* Quod ſic ejus autoritas eſſet major autoritate Chriſti, nec tunc ejus poteſtas derivaretur à Chriſto. Subjicitur ergo *ut alter Chriſtianus* in omnibus præcepto & mandato Chriſti. Imo tanto magis ad ipſum ſervandum obligatur, quanto magis eſt in dignitate & perfectiori ſtatu conſtitutus.

Papā delinquentem poſſe corripi.

Cum ergo Chriſti præceptum dicat: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum, ſi te non audierit, adhibe duos teſtes, ſin autem, dic Eccleſiæ.* Cum ergo Papa ſit meus frater & proximus in natura & in Chriſti fide, eisdem ſacramentis regeneratus, eadem paſſione redemtus, *corripiendus eſt* juxta proceſſum præcepti Chriſti.

Non ergo illud *decretum* eſt tenendum, *quod Papa à nemine ſit judicandus.* Quia actiones voluntariæ, tranſeuntes in incommodum & injuriam alterius, refrenari debent. Et talium menſura eſt lex humana, & ad illum finem leges ipſæ per ora Principum divinitus prolatæ fuerunt.

Chriſtum, Petrum, & Apoſtolos alios fuiſſe ſub jurisdictione Principū.

Nec eſt Papa major *Chriſto*, vel *Petro*, cæterisque *Apoſtolis*, quos legimus ſæpius *ſubfuiſſe potentiæ coactivæ, jurisdictioni Principum* ſeculi, *realiter & perſonaliter*, aliosque homines, quibus ipſi legem veritatis prædicaverunt, aut per ſcripturam mandaverunt, idem facere & docuiſſe aut præcepiſſe, ſub pœna damnationis æternæ.

Chriſtum

Numquid *Chriſtus* coram præſide ſeu vicario

civile Imperiū non affectaſſe.

vicario Imperatoris, Pilato videlicet, conſtitutus ait: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, id eſt, regnare non veni regimine ſeu dominio temporali, quomodo regnat mundus & Reges. Et ſubdit illius probationem, dicens: *Si regnum meum eſſet de hoc mundo, miniſtri mei utiq; decertarent, ut non traderer Judæis.* Quaſi argueret ſic: Si veniſſem regnare in hunc mundum mundano regimine ſeu coactione, haberem miniſtros hujus regiminis decertores, ſcilicet transgresſorum coactores, quemadmodum cæteri Reges habent. Sed tales miniſtros non habeo, ut tu manifeſte videre potes. Quia omne regnum in hoc ſeculo, cujusquam coactivum, eſt humanum & corruptibile: Sed regnum Dei non eſt humanum neque corruptibile. Quare omnes, qui placent Deo, per multas tribulationes tranſierunt. Et hujus ſeculi principantibus à Deo permittitur, ut plurimum juſtos & bonorum operatores affligant, & ſic eos ad regni ſui præmium perducant.

Et legitur de *Chriſto*, quod cum cognoviſſet, quod venturi eſſent, ut ipſum raperent, & Regem facerent, fugerit in montem ipſe ſolus. Ex quo elicitur, Chriſtum non ſolum hujus ſeculi principatum, ſeu coactivum judicium in hoc ſeculo recuſaſſe, ſed propter hoc ſic agendi *Apoſtolis* ac *diſcipulis* ſuis ac ſucceſſoribus dediſſe exemplum, verbo & exemplo.

Chriſti exemplum Eccleſiaſticis datum.

Quis igitur Papa, ſi eſt maleficus & criminoſus, ſaltem notoriè, eximatur, quin propterea legislatoris coactivi judicio, exemplo ſui Domini, qui tamen non peccavit, nec peccare aut errare potuit, ſit ſubjiciendus, non video, nec ratio dictitat.

Papam etiam civilis magiſtratus cenſuram effugere non poſſe.

Præterea redeundo ad propoſitum, Vel *recepit papatum* propter *utilitatem privatam*, vel propter *utilitatem communem.*

Cedere Papatui debet Papa, boni publici cauſa.

Si propter *communem*, & utilitas communis requirit ejus *ceſſionem*: Non dico ſolum ceſſionem, ſed & *mortem*, pro ſalvatione boni communis: Debet recipere, Chriſti exemplo, qui ſolvit, quæ non rapuit, & vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.

Si vero propter *bonum privatum*: Quis ei talem dedit autoritatem? Non parentes ejus: Quia forte fuerunt mercatores, & non Papa. Non virtutes ejus, nec juſticia aut ſanctitas: Quia tales virtutes non quærunt quæ ſua ſunt. Quia *papatus non eſt ſanctitas, nec facit hominem ſanctum*, licet volentem diſponat ad ſanctitatem, ſicut faciunt cæteræ dignitates Eccleſiaſticæ. *Nec* etiam illa *ſedes papalis* facit hominem ſanctum. Quia *locus non ſanctificat* hominem, ſed homo locum. Nec *ornamenta papalia* eum ſanctum faciunt: Imò tanto magis eum vituperant, quanto ejus vita mala apud homines eſt magis nota. Illa enim ornamenta exteriora interiorum indumentorum ſunt ſigna, ſcilicet juſtitiæ & ſanctitatis ac veritatis. Et ſi dicatur: Illa ſedes aut ſanctum facit, aut ſanctum invenit: Intelligitur ita: *Deberet ſanctum invenire.*

Sedes Papalis non facit ſanctum.

Ridiculum enim eſt dicere: Quod *unus homo mortalis dicat ſe poteſtatem habere in cælo & in terra ligandi & ſolvendi à peccatis*: Et, quod ille ſit filius perditionis, *ſimoniacus, avarus, mendax, exactor, fornicator, ſuperbus, pompoſus*, & pejor quam diabolus. Et *ſi Petrus talis fuiſſet, nunquam ei claves Chriſtus contuliſſet.* Utique non. Igitur non poteſt nec debet humanum judicium præſumere, quod ſit *homo peccator, exiſtens in tali* & tanta *ſede.*

Pontifices mali.

Papa ſit bonus.

Quod ſi per mala opera declaraverit, quid de ipſo fiet aut erit, videamus communiter. Certum enim eſt, *nullam rempublicam ſine unitate Principis poſſe ſubſiſtere*, qui malos debeat coërcere, & bonos promovere. Juxta dictum Philoſophi: *Expediens regno fuit habere unum Principem, ne malefici turbarent civium pacem.* Intendere ergo debet quilibet Princeps, ut corda civium ſint tranquilla, & ut hoſtes vivant pacifice. Et cum *Papa* ſit *Princeps ſummus in Eccleſia Apoſtolica*: Ad hoc ergo debet intendere, ad hoc debet anhelare, ut *Eccleſia vivat pacifice*: Ut, ſicut una eſt Chriſti ſponſa, ita ſit unus ejus vicarius, unus ſit epiſcopatus, una ſit Eccleſia, una ſit obedientia, una fides, unum baptiſma. (cauſ. XXIIII. q. 1. Can. 18.)

Papa Eccleſiæ pacem procuret.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De modis loco trium malorum Pontificum unum bonum eligendi, in univerſali Concilio Conſtantienſi.

PAter mi, iterum multa & magna tangis, quæ vires meas excellunt. Reſpondebo tamen cum bona tua ſupportatione, ſicuti Dominus mihi miniſtrabit, qui per os Prophetæ locutus eſt: *Aperi os tuum, & ego implebo illud.* Et quia omnes præcedentes quæſtiones, proximeque præcedentes ad hoc tendunt, ut, ſi datum ſit divinitus, longe deſiderata & vera *unio in Eccleſia* ſubſequatur, ſeu ut fiat unius capitis in eadem diſpoſitio: Ea tripliciter induci poteſt. Maxime, ubi *duo* aut *tres* ſunt *contendentes de papatu*, ſicut nunc ſunt de facto.

Ad unionem parandam Papa vel cedat Papatu vel cedere compellatur.

Scilicet aut *per viam ceſſionis* & renunciationis, aut *per viam ejectionis* & privationis, aut *per viam coërcitionis*, violentiæ & invaſionis.

Propter *primum* igitur *modum* tales pono concluſiones, ſcilicet: Quacunque via poſſibili datâ, qua fiat unio illa, in promtu debet recipi à Chriſti vero vicario. Secunda eſt illa: Quandocunque de *unione Eccleſiæ* agitur, ſi *alia via clementior* non invenitur, Papa ſub pœna peccati mortalis ad illam tenetur.

Papatus propter bonum publicum.

Hæ duæ concluſiones patent per ſuperius dicta: Quia *papatus non eſt datus propter bonum privatum*, ſed *ſolum propter bonum commune*. Ad quod manu tenendum & redintegrandum, non dico ſolum eſſe *cedendum*, ſed ſi oporteat, *moriendum*, ut tetigi ſupra. Quid enim eſt, quod Principem melius prædicet quam quietus populus, concors ſenatus, & tota res publica honeſtate veſtita?

Unionis in papatu revocandæ regula, circa Concilii Conſt. tempora.

Cum igitur quæritur: *In futuro generali concilio* quæ via tenebitur, ut *pax Eccleſiæ* detur, & unum ovile & unus paſtor inveniatur? Revera ante omnia procedendum eſt *via juſtitiæ*, quæ dux reperietur. Sequitur *via recognitionis* & reconciliationis, & *via ceſſionis*.

Concilii Piſani decreta juſta.

Cum enim notorium ſit toti mundo, *generale concilium Piſanum ſanctum & juſtum* fuiſſe: Conſtat, quod abjectio & *privatio duorum* tunc & nunc de papatu contendentium ſancta fuerit, & ſic electiones papatus, de *Alexandro V.* & poſt *Johanne XXIII.* ſubſecutæ, juſtæ & honeſtæ ſint.

Aut pelliciendi aut pellendi tres Papæ.

Teneatur igitur modus, prout melius fieri poterit, ut *illi duo*, tanquam hæretici, privati, errores ſuos recognoſcant, & cum ſibi adhærentibus Eccleſiæ reconcilientur & reincorporentur. Et ſi illi iſto modo non poterunt trahi ad unitatem Eccleſiæ: Saltem tunc modis omnibus procuretur *via ceſſionis*, etiam fienda, ſi oporteat, à vero Chriſti vicario. De duobus enim malis minus malum eligitur, tanquam minus nocivum, grandi & communi urgente neceſſitate, vel utilitate depoſcente, ut in propoſito patet. Minus igitur malum eſt, *cedere papatui*, quam Eccleſiam tenere Apoſtolicam in ſchiſmate ſemper.

In Conſtantienſi Concilio hoc exacte obſervatum.

Trium illorũ Pontif. decreta dijudicabit Concil. Quid factũ mox Conſtantiæ.

Sed quid fiet *de geſtis & factis per illos tres* uſque ad illud tempus? Revera hoc determinabit *futurum concilium*. Videretur tamen mihi, ubi res, ſive officium aut beneficium, non eſſet duorum, ſed unius ſolum, quod tolerandum eſſet propter majus ſcandalum evitandum. Et ubicunque & quomodocunque poſſet dari pax & unio Eccleſiæ, fiendum eſſet *per concilium*, & ſemper per maxima procedendum. Et poſt *uſque ad quinque vel ſex annos* fieret *aliud generale concilium*, ubi de omnibus *plenior reformatio* favente Domino fieri poſſet.

Singulo quinquennio repetendum Concilium ad reformationem perficiendam.

In caſu verò, quo nullus iſtorum vellet in dicto concilio cedere, vel unus vellet ſed alter non, quid fiet?

Reve-

Revera in caſu iſto *nec volenti eſt favendum*, ut Papa maneat, niſi in hoc Eccleſia univerſalis concordaret, & ab aliis duobus tota recederet: *Nec nolenti eſt parendum.* Sed per concilium & Eccleſiam univerſalem ab eis tribus eſt recedendum, ſicut à deſtruentibus unitatem Eccleſiæ. Sicut enim prædixi, nullum jus credo habere aliquem mortalem, viventem in papatu, qui datus eſt à Chriſto univerſali Eccleſiæ in ſalutem multorum, ubi Eccleſia propter jura eorum præſumta diviſiones patitur & ſchiſmata. Imo dixi pro remedio Eccleſiæ, ne fiant ſchiſmata, quod quandocunque ſunt duo vel tres de papatu contendentes, vel duo aut tres pro papa ſe gerentes, cujus aut quorum veritas non eſt univerſali Eccleſiæ manifeſta aut approbata, nulli eorum ſit obediendum aliqualiter, ſed à quolibet ſit recedendum totaliter.

Tres de Papatu contendentes deſerendos eſſe, ſi cedere nolint.

Patet: Quia, ſi etiam unicus eſſet univerſalis & indubitatus Papa, tenetur per quamcunque viam pacem dare Eccleſiæ, etiam per viam ceſſionis, ut ſupra tactum eſt. Ergo ubi ſunt tres ſe pro Papa gerentes, *tenentur renunciare prætenſis juribus ſuis.* Quod ſicut una Eccleſia Chriſti ſponſa eſt nobis monſtrata & cognita, ita debet eſſe unus Epiſcopus ejus nobis revelatus & cognitus. Quomodo igitur nobis erit certus & cognitus Chriſti vicarius, ubi duo aut tres certant de vicariatu Chriſti ſanctiſſimo, *tanquam ſi litigarent de patrimonio proprio*, contra evangelium, ubi dicitur, quod facta contentione inter Apoſtolos, quis eorum major eſſet, dixerit Chriſtus: *Reges gentium dominantur eorum, & poſſunt litigare pro dominiis, vos autem non ſic, quod regnum veſtrum non eſt de hoc mundo, ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor.*

Non enim illos de terrenis debere contendere.

Secundo conſtat, quod Chriſtus non majorem poteſtatem dederit Petro, quã ipſemet exercuit in terris. Ergo ſolam illam habet Papa in adminiſtratione. *Quomodo* ergo *pro illo, quod non eſt ſuum, audebit litigare?*

Exemplo Chriſti.

Nec credendum eſt, quod ſi ſanctus Paulus dixiſſet Petro, tu non es Papa ſeu Romanus Epiſcopus, ſed Antiochenus antiſtes, ſed ego ſum Epiſcopus Romanus, quod cum eo, vel alio forte dicente ſimilia, ſuper papatu contendere voluiſſet. Imo dixiſſet: Proficiat tibi, procede, & regna in Dei nomine, ut affectas.

Exemplo Pauli.

Ergo fideles attendite, quod *obediendo talibus litigantibus*, & Eccleſiam dividentibus favendo, videmur graviſſime & mortaliter *peccare*, dividentibus inquam corpus Chriſti in malitiis ſuis & peccatis. Quia credo jam à multis temporibus ceſſaſſe ab iſtis ſuis *tyrannicis dominiis*, niſi eos veſtris obedientiis foviſſetis.

Papis contendentibus obedire, eſſe peccare.

Sed ſi iſti duo voluntarie aut tres *nolunt cedere*, reſtat ad *remedia fortiora* procedere. Scilicet, eos abjiciendo & à cõmunitate Eccleſiæ ſegregando, ac, ut prædixi, obedientias eis ſubtrahendo.

Remedia fortiora pacem parandi.

Quod ſi nec iſto modo poterit Eccleſia proficere, tunc *dolis, fraudibus, armis, violentia, potentia, promiſſionibus, donis & pecuniis*, tandem *carceribus, mortibus*, convenit ſanctiſſimam unionem Eccleſiæ & conjunctionem quomodolibet procurare. Juxta dictum *Tullii de officiis: Hoc ſpectant leges, hoc volunt, incolumem eſſe civium conjunctionem: Quam qui dirimunt, mortibus, exilio, vinculis & damnis coërceant ſecundum leges.* Et hæc de primo.

Concilii Conſtantienſis praxis.

CAPUT VII.

De membris Eccleſiæ univerſalis reduniendis.

SEd parum prodeſſet, *caput unum habere*, niſi & *membra* corpori viderentur ſubeſſe. Faciliter enim Eccleſia unum inveniet, qui dominium papatus aſſumet: Sed difficulter membra corporis Chriſti, tanto tempore diviſa, ad obedientiam capitis reducet.

Poſtulationi igitur tuæ rationabili condeſcendens, prænoto diviſionem *Tullii* 1. *libro de republica*: Quod *papatus* ſit *cœtus multitudinis, juris conſenſu & utili-*

Papatus in quacunq; republica. Membra Eccleſiæ cohæreāt.

utilitatis communione ſociatus. Et ſi talis eſt *papatus*, *in quacunque republica temporali*, multo magis *in republica* debet eſſe *ſpirituali*, ſcilicet *in* ipſa *Eccleſia* univerſali. Etenim in uno ſpiritu nos omnes in unum corpus baptizati ſumus., ſinguli autem, alter alterius membra, ait Paulus.

Tres Papæ contendentes reſpuendi.

Hæc *membra* tamen in hoc ſacro myſtico corpore diverſimode, ſuperius & inferius, ſunt poſita. Quæ omnia ſunt ad unitatem Eccleſiæ reducenda dupliciter: Vel *obediendo* vel *ſubtrahendo*. *Obediendo* inquam uni, vero, Chriſti, univerſali & indubitato vicario; *Subtrahendo* etiam *pari conſenſu* & *unanimi voluntate* generaliter obedientiam à duobus vel tribus de papatu contendentibus, & totam Eccleſiam ſcandalizantibus. Ad quam *ſubtractionem* tenentur uniformiter omnes Chriſtiani ſub pœna peccati mortalis, ut prædixi.

Eccleſiā univerſalem poſſe carere Papa. Fides & ſalus dantur ſine Papa.

Nam dato, quod *Eccleſia* univerſalis, cujus Chriſtus caput eſt, *nullum Papam haberet*, adhuc fidelis decedens in charitate, ſalvus fieret. Quia duobus vel pluribus de papatu contendentibus, quorum veritas ſingularis non eſt nota univerſali Eccleſiæ, iſtum vel illum pro Papa tenere, nec eſt articulus fidei, nec dependens ex eo, nec ad id credendum obligatur aliquis fidelis Chriſtianus. Quod patet, quia ipſe talis non eſt cum *una* ſancta Eccleſia catholica, ſed potius cum *diviſa* Eccleſia Apoſtolica.

Apoſtoli in ſymbolo non dixerunt: Credo ſanctū Papam. In Eccleſia Rom. vel Apoſtolica poſſe eſſe malos. In Eccl. univerſali nō niſi bonos dari.

Et ideo Apoſtoli ſymbolum componentes non dixerunt: *Credo ſanctum Papam*, vel Chriſti vicarium. Quia *fides univerſalis Chriſti non eſt in Papa*. Nam ſingularis perſona eſt, & deficere poteſt. Sed dixerunt: *Credo unam ſanctam Eccleſiam catholicam*. Et ut definirent, quid ſit Eccleſia, propter multos, qui dicunt, & dixerunt, quod mali, quantumcunq; etiam ſint in Eccleſia Apoſtolica, non tamen ſint in Eccleſia catholica, quæ eſt ſanctorum communio. Quia certum eſt, quod exiſtens in mortali peccato nec ſit in Eccleſia nec de Eccleſia, quæ eſt fundata in charitate.

Lites Paparū pro privato commodo. Fidē & ſalutem in Eccl. univerſali haberi etiam extra Eccl. Ro.

Quomodo ergo erunt *Papæ* in Eccleſia, qui *litigant propter privata commoda* pro papatu, & ſunt in mortali peccato? Talibus ergo litigantibus & corpus Chriſti dividentibus expedit obedientiam denegare. *Salvatur* enim *fidelis Chriſtianus in unitate ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, licet non teneat unitatem Eccleſiæ Apoſtolicæ*, ſuper qua & de qua litigant de papatu contendentes.

Caput VIII.

De jure Univerſale Concilium convocandi.

Concil. refert Eccl. univerſalem.

Et quia hanc *Eccleſiam univerſalem repræſentat generale concilium*, ideo *de unione* ejusdem *concilii* dicam, quæ ſentio.

Papā ceſſurum nō poſſe Concilium convocare nec præſidere nec definire.

Alias etiam dixi, quod, ubi agitur de *redintegratione univerſalis Eccleſiæ*, & cauſa Papæ agitur, ſcilicet vel ut *renunciet* papatui, vel quod *deponi debeat propter ſuum malum vivere*, & propter ſcandalum Eccleſiæ, *nullatenus ad eum*, etiamſi eſſet unicus, univerſalis & indubitatus, *pertineat generale concilium convocare*. Nec ad eum pertinet, ibidem tanquam *judicem præſidere*, aut aliqua concernentia ſtatum Eccleſiæ *definire*.

Sed Epiſcopos & Principes

Sed hoc principaliter pertinet ad *Epiſcopos, Cardinales, Patriarchas, Principes ſeculares, communitates* & *reliquos fideles*.

Conc. convocare debere. Ratio. Quod Papa in cauſa propria non queat eſſe judex.

Quia non *de æquitate* aliquis *infamis* poteſt & debet eſſe judex, potiſſime *in cauſa propria*, ubi propter utilitatem reipublicæ tenditur ad ceſſionem, & privationem utilitatis & honorum perſonæ privatæ.

Exemplo antiquorum.

Juxta igitur antiquorum exempla convocabunt ſe *Epiſcopi, Principes ſeculares, communitates, & Domini ac Viri Eccleſiaſtici*, in aliquo loco idoneo & ſecuro, & neceſſariis ad vitam abundantem, ad quem iſtos de papatu contendentes convocabunt.

Johannem XXIII. non debere convocare Concilium.

Quod ſi verus *Papa* ſecundum jus, ſcilicet dictus *Dominus Johannes*, convocet Concilium, & voluerit in eo præeſſe, quis erit auſus ejus voluntati reſiſtere? Quis audebit Eccleſiam promovere? Cum

Ratio. Quod Eccleſiæ commoda non ſit promoturus.

re? Cum jam *Romani Pontifices per reſervationes ſuas ſpeciales & generales Eccleſiam univerſalem ſpoliaverint*, monaſteria deſtruxerint, mille modos dandi beneficia & acquirendi pecunias adinvenerint. Propter quæ *lucra* vix aliquem invenies, qui unquam vellet papatui cedere, & Eccleſiæ univerſali pacem dare.

Prælati cũ Principib9 debent Papas contendentes ad Concil. citare.

Sed jam de *futuro concilio* ponatur, quod Papa diſſimulet hanc convocationem facere: Dico, quod ſub pœna peccati mortalis *Prælati* mundi *cum Principibus* eorum, quam cito poterunt, *debent* ipſum *convocare*, & aſſignare, & dictum Papam & contendentes ſecum ſuper papatu citare, qui ſi parere noluerint, eos abjicere & privare.

Conciliũ à Papa in loco non tuto inſtitutum repudiandum.

Sed quid ſi Papa Concilium convocet, ſed *in loco non tuto*? Dico, quod Chriſti fideles ad ipſum *non teneantur venire*, nec Papæ in iſto caſu obedire. Quod talis locus non tutus eſſet in detrimentum totius Eccleſiæ, quæ major eſt Papâ, & cui Eccleſiæ magis eſt obediendum.

Conciliũ ſub dominio Papa, ubi dicendi libertas negata, non eſſe admittendum.

Sed quid ſi locus eſt tutus, *habet tamen Papa ibi plenum dominium*, ubi quilibet loqui pro univerſali Eccleſia pertimeſcet, *timore*, qui poteſt cadere in conſtantem? Dico, quia Chriſti fideles non ſunt ſervi ſub lege, ſed liberi ſub gratia conſtituti, ideo *ad talem locum venire non tenentur*, nec ibidem cauſas univerſalis Eccleſiæ definire, propter ſuſpicionem, qua præſumitur, veritatem non habere locum in eodem loco, nec poſſe Eccleſiam univerſalem cum decremento poteſtatis Papæ promoveri.

Concilii convocatio diſtinguitur ratione finis.

Ut ergo tollatur omnis difficultas facti, ideo dixi & dico, quod, ubi agitur *de Papa depoſitione*, *de ipſius reprehenſione*, *de ſua poteſtatis limitatione*, nullatenus ad eum pertineat generale concilium convocare, ſed ad Prælatos, Cardinales & Epiſcopos & Dominos temporales. De quorum numero eligentur aliqui, qui prodeſſe poſſint & debeant in concilio generali. Ubi vero agitur *de alicujus regni aut provinciæ reformatione*, de hæreſium extirpatione, de fidei defenſione, tunc ad Papam cum ſuis Cardinalibus pertinet concilium convocare. (Et ſic intelligitur Diſt. 17. & ſimilia.)

Cap. IX.

De Autoritate Concilii univerſalis ſupra Papam.

Conciliũ ſupra Papam.

SEd numquid tale *concilium*, ubi Papa non præſidet, eſt *ſupra Papam*? Certe ſic. Superius in autoritate, ſuperius in dignitate, ſuperius in officio.

Conciliũ univerſale poſſe de Papa judicare.

Tali enim *concilio* ipſe *Papa in omnibus tenetur obedire*. Tale concilium poteſt poteſtatem Papæ limitare. Quia tali *concilio*, cum *repræſentet Eccleſiam univerſalem*, claves ligandi & ſolvendi ſunt conceſſæ. Tale *concilium jura Papalia poteſt tollere*. A tali concilio nullus poteſt appellare. Tale concilium poteſt Papam eligere, privare & deponere:

Poſſe leges novas condere, & antiquas abolere.

Tale concilium poteſt *jura nova* condere, & facta ac antiqua deſtruere. Talis etiam *concilii conſtitutiones*, ſtatuta & regulæ ſunt immutabiles & indiſpenſabiles, per quamcunque perſonam inferiorem Concilio.

Nec poteſt nec potuit aliquando Papa diſpenſare contra canones ſanctos in conciliis generalibus, niſi concilium ſpecialiter hoc illi commiſerit ex magna cauſa. Nec facta Concilii poteſt Papa immutare, imo nec interpretari, aut contra ea diſpenſare, cum ſint ſicut Evangelia Chriſti, quæ nullam recipiunt diſpenſationem, & ſuper quæ Papa nullam habet juriſdictionem.

Sic ergo *membrorum* erit *unitas* ſpiritus in vinculo pacis, ſic alter alterius onera portabimus, ſic ſpiritu vivemus, ſpiritu ambulabimus.

Digitized by Google

CAPUT X.

De Reformatione morum in Eccleſia per Concilium univerſale.

Corrupti mores in Eccleſiaſticis olim.

ULtra autem quæritur: Quid proficeret Eccleſiæ univerſali, ſi *unum caput*, ſeu *unum Papam* haberet, cui capiti omnes fideles utriusq; ſexus obedirent, ita ut jam eſſet unum ovile, unus paſtor: Et tamen ille paſtor cum ſuo ovili *avaritiæ* intenderet, *commeſſationi* vacaret, *ſimoniam* diligeret, *beneficia venderet, furta* reſervatione faceret, *omni die novas leges ac regulas pro habenda pecunia in camera concederet?* Ut non videatur Eccleſia fidelium, ſed etiam malignantium: Prætereundo antiquos terminos, leges & canones, quos ſtatuerunt patres noſtri ſancti & antiqui, & martyres, qui tot Eccleſias ædificarunt, tot bona pro Eccleſia acquiſiverunt, tot animas ad fidem Chriſti reduxerunt: Et notanter contra imperiales leges & conſtitutiones, ut ſupra tetigi, per ora Principum divinitus promulgatas, talia reprobantes. Oportet ergo, quod *unione virtuoſa* gaudeat Eccleſia.

Emendatio Eccleſiaſticorũ deſiderata.

Pater mi, quàm cordialiter conſidero zelum legis Dei vos habere, & affectuoſe velle videre univerſalem *Eccleſiam*, ſcilicet *in omni veritate*, in omni *juſtitia, fide, pietate*, & *in timore* & *amore Domini!* Et non ſine cauſa iſta videre in Eccleſia affectatis: Cum ſine *virtutibus* reſpublica aliqua unquam non potuerit ſubſiſtere.

Avaritia radix omnium malorum in Eccleſia.

Avaritia enim, ſecundum Saluſtium, *fidem, probitatem, cæteraſque bonas artes* in illa Romana communitate *ſubvertit*. Et primo *pecuniæ*, deinde *imperii cupido* crevit. Eaque *materies omnium malorum* fuere. Pro his Deos negligere, & omnia venalia habere edocuit, multos mortales falſos fieri ſubegit &c. Quid ergo prodeſt, habere rempublicam ſtantibus mœnibus & *ruentibus moribus*? dicebat Scipio Africanus.

Simoniacos ex Eccleſia ejiciendos.

Ergo quid prodeſt, in Eccleſia habere *Papam Simoniacum & avarum*, & quo cauſante venerabilia Dei templa pecuniis expugnentur, & eſſe ſine virtutibus, *& non reformare Eccleſiam in bonis moribus?* Revera ad nihilum valet.

Papam malum ſede movendum.

Et ideo dixi, quod *Papa* eſt *deponendus, propter malum vivere*, propter *publicum ſcandalum*, propter *hæreſin*, propter *quodcunque mortale peccatum*, quo ſcandalizatur univerſalis Eccleſia, ſicut eſt *fornicatio publica*, ſicut eſt *ſimonia*, ſive ſit quia prohibita, ſive è congruo, ſive per quamcunque aliam cauſam notoriam, Eccleſiæ ſcandaloſam. Quia ejus vita bona vel mala exemplar eſt omnibus aliis Prælatis & clericis.]

Eccleſiam à capite ad calcem eſſe reformandam.

Reſtat ergo, ut *primo reformetur Eccleſia in Papa, ſecundario in Cardinalibus, tertio in Prælatis aliis Eccleſiaſticis.*

In Concilio univerſali poteſtas Papa limitanda.

Concilium ergo *generale*, repræſentans univerſalem Eccleſiam, ſi affectat unionem integram videre, ſi affectat ſchismata reprimere, ſi vult ſchismatibus finem ſtatuere, ſi vult Eccleſiam exaltare; primo ante omnia ad inſtar ſanctorum Patrum, qui nos præceſſerunt, limitet ac terminet *poteſtatem coactivam & uſurpatam Papalem.*

Promptitudo Alexandri V. Piſis creati, per promiſſa ante Papatũ.

Et ut ſic fieret, fuit omnino *inclinatus* dictus Dominus *Alexander V. ante ejus papatum*, dum ageretur, ut dictum concilium celebraretur in Piſis. Qui etiam hoc dicebat, & etiam ſuper limitatione ſubſequenda multis argumentis Theologicis, Philoſophicis, Juridicis inſudabat. Qui *creatus in Papam* in lucem educere non curabat.

Non præſtitit Papa factus.

Jura aliorum invaſiſſe Pontifices.

Epiſcopi cum Papa in Eccleſia primitiva æqualis poteſtatis.

Quam quidem *coactivam poteſtatem* multi ſummi Pontifices per ſucceſſiones temporum & *contra Deum & juſtitiam* ſibi applicarunt, *privando inferiores Epiſcopos poteſtatibus* & autoritatibus, eis à Deo & Eccleſia conceſſis; *Qui in primitiva Eccleſia æqualis poteſtatis cum Papa erant*, quando non fuerunt papales beneficiorum reſervationes, non caſuum epiſcopalium inhibitiones, non indulgentiarum venditiones, non Cardinalium commendæ, & diſtinctiones beneficiorum, prioratuum & monaſteriorum. Tandem per tempora ſuc-

ceſſi-

Digitized by Google

Epiſcoporum autoritas per Papas fracta.

ceſſive creſcente *clericorum avaritia* & Papæ *ſimonia*, cupiditate & ambitione, poteſtas & *autoritas Epiſcoporum & Prælatorum inferiorum*, quaſi videtur exhauſta & totaliter diruta. Ita ut jam in Eccleſia non videantur eſſe niſi *ſimulacra depicta*, & quaſi fruſtra.

Epiſcopi poteſtate exuti.

Ad curiã Romanã omnia jura Epiſcoporum tracta.

Jam enim Papa Romanus reſervavit omnia beneficia Eccleſiaſtica: Jam advocavit omnes cauſas ad curiam ſuam. Jam voluit pœnitentiariam haberi ibidem, jam legitimationes clericorum, jam ordinationes ſacras quorumcunque ſine differentia vult fieri in ejus curia. Et illi qui in terra propria non poſſunt ordinari, in eadem curia ordinantur de facili.

Monaſteria unde exhauſta.

Jam *monaſteria* ordinũ quorumcunque, in quibus monachi vivebant in religione & multitudine, dantur in commendas dictis Cardinalibus. Qui vix habent in quolibet decimam partem monachorum, ibidem olim exiſtentium, aut paucos vel nullos omnino.

Cardinalium familia in curia Romana.

Unde videbis aliquos *nepotes* aut *conſangvineos* laicos *Cardinalium*, in ipſa Romana curia otioſe vacare, & niſi luxuriis & deliciis inhærere, atque tot veſtes pompatas & precioſas habere, quæ alicui magno Principi merito ſufficere poſſent.

Pauperes clerici in Curia Ro.

Et *pauperes religioſi*, de quorum fructibus talis pompa fit, in ipſa curia grandi ſemper rerum penuriâ laborant, nec aluntur pauperes de patrimonio Jeſu Chriſti, quod tam inutiliter per alios diſſipatur.

Concilii eſſe reformare Eccleſiam.

Reſtringere poteſtatem Papalem.

Ideo *ſacrum univerſale Concilium* reducat & *reformet Eccleſiam univerſalem*, in jure antiquo. Et abuſivam papalem *in Decreto* & *Decretalibus*, *Sexto* & *Clementinis*, nec non *Extravagantibus* Papalibus *prætenſam* limitet *poteſtatem*.

Poteſtas Petro data ſpiritualis: Non civilis.

Chriſtus enim nullam aliam poteſtatem Petro tribuit, quam ligandi & ſolvendi, ligandi per pœnitentias, & ſolvendi culpas. Non enim illi contulit, ut beneficia tribueret, ut regna, caſtra & civitates haberet, ut imperatores & reges privaret. Quod ſi taliter poteſtatem Chriſtus Petro contuliſſet, ubique ipſe Petrus aut Paulus, quod nefas eſt dicere, valde peccaſſent, aut erraſſent in eo, quod Neronem Imperatorem, quem ſciverunt eſſe peſſimum, & Chriſtianorum immaniſſimum perſecutorem, imperio non privarint.

Saul unctus à Samuele major Samuele.

Enimvero Saul à Domino in Regem eligitur, & à Samuele inungitur. Per hoc autem regnum Saulis à Propheta non dependet. Quia ſi à Propheta vel Sacerdote regnum dependeret, lex regis ab ipſo Propheta non à Domino prodiiſſet. Unde ab ipſo Domino dicitur ad Prophetam: *Conteſtare eis, & dic eis jus Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos.* Ex quo infertur, quod *Imperialis poteſtas non pendeat à Papa*, licet ut dignior & major antiſtes Papa Imperatorem inungat, prout decet.

Imperialẽ poteſtatẽ non pendere à Papa.

Imperatores olim non juraſſe Papis.

Imperatores olim Papis non indulſiſſe quæ ſumunt jura.

Et quis unquam legit, vel in veritate audivit, quod antiquis temporibus *Romanorum Reges* vel *Imperatores* conſveverint ante Papam juramentum præſtare? Potiſſime, antequam primus Otto Magni Auguſti ſemper alter, juramentum reperitur in Decretis præſtitiſſe, quod indultum à quoquam Papæ fuerit, ut reſervationes cathedralium & aliarum Eccleſiarum ac Monaſteriorum faceret? Ut propter pecunias, homines, Epiſcopos & prælatos excommunicaret, atque ab eorum dignitatibus deſtitueret, ſeu privaret, ac omni die feſtivo in valvis curiæ? Ut primos fructus in Camera ſoleret aggregare, & excomũnicatos emaciaret ac eos ſcandalizaret?

In Concilio univerſali ſtatus Papæ reducendus ad formã antiquã.

Omnia hæc & ſimilia terminet & limitet univerſalis Eccleſia in Generali Concilio, & *reformet communi jure & antiquo.* Et non priventur Epiſcopi & Prælati autoritatibus & privilegiis, ſibi à Deo & Conciliis generalibus conceſſis.

Reformandos Cardinales in Concilio.

Reformetur etiam Eccleſia quoad *Cardinales*, qui tot commendas habent ſine cauſa, deſtruentes tot Eccleſias & monaſteria.

Quibus deberet inhiberi, ne unquam monaſteriorum aut parochialium Eccleſiarum curam haberent.

Reditus Eccleſiæ quomodo

Numquid melius eſſet, ut reditus terrarum Eccleſiæ dividerentur æqualiter inter Papam, & collegium Cardinali-

 nali-

diſſertiendi, ſine detrimento Eccleſiæ.

nalium, & ceſſarent commendæ & *collationes infinitorum Eccleſiaſticorum titulorum*, quæ continue per Papam fiunt dictis Cardinalibus, quæ ſunt ignominia & confuſio totius Eccleſiæ.

Reformandos Prælatos in Concilio: Monachos, Preſbyteros.

Reformetur etiam *Eccleſia in Prælatis*, in *monachis* & *preſbyteris*.

In *Prælatis*, ut electi ad Eccleſias vitæ honeſtate, *literarum ſufficientia*, & perfecta ætate excellentes, per ordinarios & Archi-Epiſcopos confirmentur: In *monachis*, ut vivant in obſervantia regulari: In *preſbyteris*, ut non præficiantur Eccleſiis, niſi *virtutibus clari*, & *literarum ſufficientia* fuerint imbuti, docti & inſtructi. Et ut omnia *ſecundum ordinem* & *honeſte* fiant in eis, prout *antiqui*, cum magna editi maturitate *canones ſacri* dictant.

Libertates Monachorum abuſivæ tollendæ.

Reſcindantur etiam *abuſivæ libertates*, & *exemptiones*, conceſſæ illis quatuor ordinibus fratrum mendicantium, quibus nimium abutuntur. Quia ceſſante cauſa ceſſat effectus.

Moniales monachorum imperio eripiendas.

Et liberentur ab *ipſis* omnino omnia *monaſteria monialium*. Quia ipſi *fratres*, ſeu multi ex eis, in pleriſque provinciis valde *deturpant* ipſas *moniales*, *eis ſubjectas*. Unde ſcandalizantur ipſi ordines, & parentes atque propinqui dictarum monialium. Et alia multa ex hoc peccata & turpia ſubſequuntnr.

Moniales quibus commendandæ.

Subjiciantur dictæ *moniales* regiminibus *diœceſanis* locorum. Qui etiam eas poterunt in ipſarum juribus melius conſervare.

Monachorum numerus reſtringendus. Pauci eorum ad docendũ apti.

Nimis etiam *multiplicantur hi fratres*. Et quid opus eſt, ut in aliqua domo eorum fratrum, ſcilicet Coloniæ, vel in alia egregia civitate, continue reſideant LXX eorum, aut plures. Inter quos forſan *non ſunt quinque vel ſex ſufficientes ad proponendum verbum Dei populo*. Et tot pro una tota provincia ſufficere poſſent.

Sic igitur *iſtis tribus modis* fiet unum ovile & unus paſtor, ſic erit pax perpetua in Eccleſia. Sic dicebat ille Philoſophus antiquus: *Ego regnum vobis trado firmum &c.* Sic erit nobiſcum Chriſtus usque ad conſummationem ſeculi, ut ſuis promiſit electis.

Pro Eccleſia ſalute gnaviter decertandum.

Præterea ſicut Tulliana vox ait: *Caritates omnium patria una complexa eſt, pro qua quis bonus non dubitat etiam mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus?*

CAPUT XI.

De magna difficultate Concilii illius Generalis convocandi per Cardinales.

QUo uno præſuppoſito, mi Pater, quid tam profunde, quæ Dei & ſurſum ſunt, quæritis, in facto Eccleſiæ unionis? Concluſive videmini inducere, *hoc futurum Concilium fieri non poſſe*, primo *de facto*, ſecundo *de via juris*.

Cardinales obſtituros Concilio generali cõvocando.

Nam primo, præſuppoſito, quod ad Cardinales cum prælatis cæteris pertineat concilium convocare: Sequitur pro eo, quod cum *Cardinales* ſint de facto potentes in Dei Eccleſia, & divites, primum poſt Papam locum habentes, auctoritates & poteſtates, quas antea non habuerunt, nec legimus eis datas, uſurpantes, etiam *de facto* dicent & ſcribent: *Ad quid convocare concilium volumus? Nonne ad Papam unicum faciendum?* Certe *Papam* habemus, verum, benevolum, nobis propitium, & in beneficiis & commendis Eccleſiarum & monaſteriorum nobis dandis ſatis largifluum, amicum nobis & conſocium, & in petendis pro nobis & amicis noſtris atque aliis ſatis promtum. Ipſe enim, *tanquam expertus talia in priori ſtatu, novit figmenta noſtra*, & *ſcit noſtris deſideriis complacere*.

Quod ſub Johanne XXIII. Cardinales ex voto viverent.

Periculũ, quod ex Concilio Generali metuerint Cardinales ſuæ tranquillitati impendere.

Si ergo convocemus concilium, timemus *hujus noſtri boni Papæ depoſitionem*, & noſtræ poteſtatis reſtrictionem, & per conſequens alterius Papæ electionem: Qui forte nobis non tam bonum præbebit favorem: Seu diu verſaretur nobiſcum, antequam ita bene nos cognoſceret, nobisque applauderet ſicut iſte. Non ergo volumus dimittere certum pro incerto, & noſtra commoda præcipi-

cipitare: Quia prudens rerum exitus metitur.

Diſſenſus facilis inter eos, qui Concilium convocaturi.

Item *viâ juris*, ſicut videmini arguere. Cum ergo vos dicitis, hoc Concilium convocandum *ad Cardinales cum prælatis* cæteris pertinere, ponatur, quod *in convocatione* videantur *diſcordare:* Aut ergo *ad Cardinales* principaliter, aut *ad Prælatos* convocatio pertinebit.

Johannis XXIII. aſſeclas repugnaturos, ob finem planè non obtinendum in Concil.

Item ſi hujusmodi convocatio fiat per unam de tribus obedientiis, & non per aliam, ponatur, à fortiori, quod fiat per *obedientiam noſtram*, quæ majorem habet adhæſionem: Quæritur *ad qualem finem* fiet hujusmodi *convocatio?* Non ad Papam unicum & indubitatum ſiendum. Quia jam habemus unicum Papam, ſecundum determinationem concilii Piſani. Non ad illos duos deponendum, ſcilicet Angelum & Petrum: Quod jam ut hæretici manifeſti ſunt in concilio Piſano depoſiti. Non ad conſcientias ſervandum fidelium: Quia, quamdiu illi duo habebunt adhæſiones, tamdiu erunt conſcientiarum perplexitates. Non ad adhæſiones & obedientias illorum duorum reducendum: Quia hoc eſt nobis dubium ſatis notorium.

Multa dubia Concilio convocando objecta.

CAPUT XII.
De grandi Reformationis difficultate.

CUm ergo *finis* intentus hujus unionis ſit ſatis *dubius*, ſequitur, quod *media* ſint *dubia*, & incerta, ergo dimittenda.

Nullam videri ſpē reformationis Eccleſiæ, ad exemplū primitivæ Eccleſiæ ſupereſſe. Corruptionis Eccleſiaſticæ incrementa.

Maxime cum *non ſperetur de reformatione Eccleſiæ, in moribus & ſacris regulis, juxta primitivæ Eccleſiæ inſtituta: Creſcente* nunc, temporibus iſtis, ut cernimus, potiſſime *in Prælatis, Papa & Cardinalibus*, tanta *vanitate*, *ambitione* & *avaritia*. Ergo videtur, quod *convocatio* futuri concilii *non ſit neceſſaria*.

Item talis *convocatio* erit inutilis & *infructuoſa*. Quia ei non obediretur per illos de aliis obedientiis, qui dicunt, nos eſſe ſchiſmaticos & dividentes corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia. Non ergo per hujusmodi convocationem ſedabitur ſchiſma in Eccleſia Apoſtolica.

Reformationis momenta in Concilio Conſt.

Niſi velis dicere, quod ſaltem quoad noſtram obedientiam fiet *reformatio in moribus*, in *religione*, in *officiis curiæ*, in *beneficiis* & *officiis Eccleſiæ*, in gratuita majorum Prælatorum *promotione*, & inferiorum dignitatum & *beneficiorum collatione*, in *ſimoniæ exſtirpatione*, in devota *officii divini celebratione*, in verbi Dei *prædicatione*, in *pauperum* audientia & *exauditione*, nec non *eleemoſynarum* pia *largitione*, & in *conſiſtoriorum publicorum juſtitia* & *æquitate*, in *curia excedentium correctione*, & inutilium atque *rudium excluſione*, ac bonorum & *literatorum ſurrogatione*, in *virorum literatorum & virtuoſorum generali honoratione & promotione*, in *bonarum regularum Cancellariæ Apoſtolicæ inſtitutione*, & *exorbitantium à jure ſeu æquitate abrogatione*, in omnium *cauſarum* Romanæ curiæ, & maxime *pauperum* favorabili *expeditione*, & multorum aliorum notabilium *defectuum* eorundem *Curiæ & curialium reformatione*, *utilium* regularum ac *conſtitutionum* papalium *reſumtione*, & *vetuſtarum ceremoniarum* dictæ curiæ *renovatione*.

Conſignatam quoq; reformationem & juramentis firmatā, nihilominus irritam futuram. Quod eventus in Conſt. Concilio docuit.

Sed timeo, dato etiam, quod iſta *reformatio* fiat in ſcriptis, etiam certis *juramentis* & firmamentis ac pactis *adjectis*, quod poſt *per Papam* & *Cardinales*, ac cæteros ipſius curiæ officiales & Prælatos *non obſervarentur*, dicente *Franciſco Petrarcha* in libro ſine nomine: *Creſcentibus flagitiis hominum, crevit veri odium, & regnum blanditiis atque mendacio datum eſt.* Et quia *difficile eſt, conſueta relinquere.*

CAPUT XIII.
Obſtacula Concilii generalis per Papam Johannem XXIII. convocandi.

Item

Item dato, quod ad ſolum Papam nunc pertineat convocare generale concilium: Poteritne ipſe Papa dicere: Ad quid eſt neceſſaria iſta convocatio? Non ad hoc, ut fidei univerſalis fiat redintegratio, quæ ſemper una fuit, ſicut dixiſtis. Non ad hoc, ut negantium articulos fidei fiat exſtirpatio: Quia omnes nunc de tribus obedientiis dicunt, ſe firmiter tenere ac credere catholicæ fidei articulos, & omni die, corde ac animo dicere & credere ſymbolum fidei, ſcilicet: *Credo in Deum* &c. Etiam non ad hoc, ut de meo papatu fiat ceſſio: Quod ad hoc non teneor nec obligor, nec juravi nec promiſi cedere, nec intendi cedere, cum ſim verus ac unicus Chriſti vicarius & Eccleſiæ ſponſus. Nec ad hoc, ut meæ poteſtatis fiat reſtrictio & limitatio: Quia tunc, cum concilium ſic videretur contra mea jura facere, nolo illud meæ deſtructionis cauſam eſſe, maxime in juribus antiquis & conſvetudinibus, quæ ſemper mei prædeceſſores viſi ſunt habere. Item non habeo ſuperiorem in terra, qui mihi poſſit dicere, *cur hoc facis*? aut me de exceſſu aliquo condemnare. Et ita *nolo concilium convocare ad meum damnum*, aut meæ poteſtatis vel honoris decrementum.

Johannē XXIII. non probaturum Conciliū Conſtant.

Nec talis convocatio videtur neceſſaria eſſe. *Concilium Piſanum* aut fuit ſanctum juſtum & verum concilium ſecundum Patrum ſanctiones, aut non. Si non: Ergo ſuperfluum: Ergo quicquid in eo eſt factum, videtur juribus carere: Et per conſequens nec *Alexander* fuit Papa, nec illi duo contendentes ſunt privati, nec ideo erat ab eorum obedientia recedendum. Sed ſi fuit *verum concilium*, ſanctum & juſtum, ergo omnia in eo actitata fuerunt & ſunt juſta & ſancta: Et per conſequens cum illi duo de papatu contendentes ut hæretici fuerint condemnati, abjecti & privati, videtur, quod amplius de ipſorum jure non ſit diſputandum, nec de eis mentio facienda, ſed ſolum eorum privatio ulteriori executioni demandanda.

Conc. Piſani decreta contra Papas diſſidentes.

Si ergo hæc executio poteſt habere effectum in futuro concilio, ſumme neceſſaria eſt *concilii* ejusdem *convocatio.*

Hæc Piſani Concilii executio eſt facta in Concilio Conſt.

Sed qualiter habebit effectum, tot viſis *impedimentis* diverſarum adhæſionum, diverſarum voluntatum, variarum credulitatum? Quomodo compellentur, quomodo reducentur tot potentes Reges & Principes ſeculi, atque Eccleſiaſtici Prælati, adhuc eisdem *Angelo & Petro* hæreticis & ſchismaticis obedientes?

Impedimenta Concilio Conſt. objecta.

Timetur ergo, quod hæc *executio* privationis illorum duorum contendentium de papatu *difficulter* aut *numquam* poterit iſto modo, ſcilicet *per concilium*, pervenire ad effectum. Ergo *convocatio concilii* erit inutilis, infructuoſa, onerosa, & in nullo neceſſaria, ſi fieret *per Papam & ejus Cardinales & Prælatos* obedientes eis duntaxat.

Caput XIV.

De ſumma Romanorum Imperatoris *autoritate Concilium univerſale convocandi, cunctaque optime componendi.*

Sed quia res de facili redit ad ſuam naturam, dici poteſt, quousque non erit aliquis juſtus, ſtrenuus & catholicus IMPERATOR, vel REX ROMANORUM, qui *per potentiam coactivam*, una cum favorabili aſſiſtentia & *concordi voluntate Regum & Principum*, ac etiam *Eccleſiaſticorum Prælatorum*, nec non *communis populi Chriſtiani*, remedium, quoad executionem realem, contra eosdem *Angelum & Petrum*, nec non eis adhærentes faciendam, efficaciter apponat: (Ut ibi quæſtionem præhabitam veſtra prudentia ſubtiliter movit:) Veriſimiliter ſchiſmata ipſa, nedum perdurabunt, ſed & timendum eſt, quod vires aſſumant.

Sine auxilio l. ope Romanorum Imperatoris nulla Eccleſia ſperata tranquillitas.

Igitur

Vacabat Imperiū A. 1410. Religioſus Imperator expectatus.

Igitur ſummo opere *providendum eſt imperio de tali Principe, qui in ea parte cauſam Dei & fidei realiter proſequatur.*

Imperatores ſemper olim diſſidia Eccleſiæ compoſuiſſe.

Veteres quippe tradunt hiſtoriæ, quod *omnia ſchiſmata*, olim in Romana curia orta, *per Imperatores & Reges Romanos*, & eis volentibus atque executionem paratam exhibentibus, fuiſſe *deciſa*: Multa etiam *generalia concilia*, ſuper illis & aliis arduis negotiis univerſalis Eccleſiæ in diverſis partibus & diſtinctis temporibus *habita* ſive facta, ipſorum *Imperatorum ſeu Regum autoritate*, etiam quandoque intereſſentibus perſonaliter eisdem Imperatoribus & Regibus, convocata.

Concilia generalia convocaſſe.

Johannes XXIII. per Imperatorem, ope Concilii, ſede movendo.

Videtur autem, quod ſi *Papa*, de cujus facto agitur, ſit ſceleratus & incorrigibilis, quod *Rex Romanorum*, vel *Imperator Romanus*, tanquam *præcipuus Princeps & advocatus Eccleſiæ*, ſuper hoc habeat *remedium per convocationem concilii generalis* apponere. Sicut factum fuit autoritate ejusdem *Ottonis I. Augusti* de *Johanne Papa XII*, qui fuit unicus in papatu, ſed malignus atque incorrigibilis, & propterea in conventu Prælatorum & cleri Romani, *convocatorum per eundem Auguſtum*, Romæ fuit depoſitus, & ei *Leo Papa VIII* hujus nominis, vir utilis & vitæ irreprehenſibilis, ſurrogatus.

Quod Conſtantiæ factū.

Johannes XII. per Imperatorem Ottonem ope Concilii remotus.

Otto Imperator duos Papas contendentes cedere juſſit.

Quo defuncto, rurſus idem *Auguſtus*, cum poſtea *ſchiſma* ortum eſſet in eadem Romana Eccleſia, *ipſe* imperialiter de Germania proceſſit ad Italiam, & deinde Romam progrediens, *duos tunc de papatu* invicem *contendentes*, (quorum alter *Benedictus* vocabatur, & unus Capitolium, & alter eorum caſtrum S. Angeli, quod tunc Cancer Theodorici dicebatur, cum aſſiſtentia ſuorum amicorum occuparant, quamobrem in clero & populo flagitia perpetrata fuerunt,) in eisdem Capitolio & caſtro diu obſedit, & tandem *ad ceſſionem ipſorum utrumque coëgit*. Atque iterum *convocato concilio Prælatorum* in eadem urbe, in quo ipſo Benedicto declarato invaſore injuſto, alio contendente per eundem *Auguſtum* in ſede Apoſtolica collocato, dictus *Auguſtus* prædictum Benedictum ſecum captivum duxit ad Saxoniam, ubi in exilio decedens *in oppido Hamburg* Bremenſis diœceſeos ſepelitur. Et *alia* multa in talibus ſunt *exempla*, gratia brevitatis omiſſa.

Conciliū alterum convocavit.

Papā captivum duxit in Saxoniā, qui Hamburgi defunctus.

Ottonis Imperatoris jura in Conciliis cogendis & Papis removendis.

Nec eſt credendum, quod ille *Catholicus, magnificus & devotus Princeps*, qui ſemper ampliavit rempublicam, nec non in Italia & Germania atque diverſis aliis partibus multas dotavit Eccleſias, etiam quamplura monaſteria de novo fundavit, ſe de talibus impediviſſet, niſi *ſancte & licite ſic facere* potuiſſet.

Idem jus aliorum Imperatorum.

Igitur cur *ſimile* non poſſet fieri *per alium Imperatorem*, ſeu *Regem Romanum*, ſi tamen ei adeſſet ſufficiens poteſtas in executione, mihi non occurrit.

Objectio contra jus Imperatorum in coërcendis pravis Papis: Quaſi poteſtas civilis penderet a Papa.

Verum aliqui, *non recte intelligentes Scripturas*, forte dicerent, quod *utraque poteſtas* ſcilicet *ſpiritualis & ſecularis dependeat à Papa*, ſic *quod Rex vel Imperator ipſe non haberet contra Papam talia exercere*, juxta illud Evangelicum: *Ecce duo gladii*, & reſpondit Dominus: *Satis eſt*. Per hoc enim *gloriantur de* illis *duobus gladiis*, quod per hoc in Petrum & ejus ſucceſſores poteſtas venerit à Chriſto.

Solutum dubium a Poteſtatē Imperatoris eſſe à Deo.

Sed *errant* talia dicentes. Quia *utraque poteſtas immediate pendet à Chriſto*. Ut etiam patet in plerisque papalibus canonibus, epiſtolis & decretis.

Teſtibus decretis. Conſentientibus Patribus.

Unde ridiculum eſt, *contra veritatem* hoc aſſerere vel tenere, ut etiam clarum eſt per multorum dicta ſanctorum. Unde *Chryſoſtomus: Equidem, ſi humano volebat eos uti præſidio, nec centum ſufficerent gladii: Quod ſi nolebat eos uti humano ſubſidio, etiam duo ſupervacui ſunt*. Unde apparet verborum Chriſti ſenſum fuiſſe myſticum. Quod etiam ſignat manifeſte ipſius ſermo Matth. XXVI. ubi Chriſtus inquit Petro: *Converte gladium tuum in locum ſuum*, vel in vaginam. In quo deſignavit, ſe non præcepiſſe, munitionem fieri per Apoſtolos hujusmodi gladiorum, ſed myſtice fuiſſe locutum, ut præfertur. Unde *B. Ambroſius* exponit verba prædicta: *Sic duo gladii permittuntur, unus novi alter veteris Teſtamenti, quibus adverſus Diaboli munimur inſidias. Et dicitur: Satis eſt: Quia nihil deeſt ei, quem utriusque teſtamenti doctrina munierit.*

Unde quidam alter modernus ma-

gnus Theologus, loquens ſuper eiſdem verbis, ea ſic exponit: *Verum, quod ad uſurpandos principatus ſacerdotes anhelent. Unde toto exteriori conamine, licet indebite, fingunt peregrinas expoſitiones Scripturæ. Quæ ipſorum opinionem corruptam, & affectionem perverſam ſapere videantur, libenter recipiunt. Quod ſi tamen literaliter verba Chriſti ſumantur, eis nihil conferunt. Quia juxta Chriſti ſententiam, ipſe Principatum ſive officium ſecularis judicii Petro aut alteri Apoſtolo non commiſit. Sed bene Princeps ad conſilium ſacerdotum, ſecundum exigentiam facti emergentis, uti debet gladio, in movendo bellum, dubitans, utrum juſte ſecundum legem divinam hoc fiat, ne mortaliter peccet, ſicut in reliquis ſuis actibus monaſticis & civilibus, & præſertim, quibus dubitat per ignorantiam peccatum mortale incurrere. Non quidem, quod propterea Papæ, vel alteri ſacerdoti in tali officio ſubjiciatur.*

Conciliū per Johannem 23. ſine Imperatore convocandū, irritum futurum auguratꝰ Gerſon. Imperatoris Romanorū eſſe, Concilium univerſale convocare.

Ex ſupradictis luce clarius patet, quod ſi *generale concilium* per Dominum noſtrum Papam, aut Cardinales convocetur, aut teneatur, ſecluſis Domino *Rege Romano* & cæteris *Principibus ſecularibus*, nullum finem peroptatum unionis adducet, nec *ad morum ſanctorum reformationem* Eccleſiam diſponet.

Quibus bene digeſtis & attentis, *ſolum* mihi videtur ſingulare refugium ac unionis *remedium*, quod *Rex Romanorū*, qui pro tempore fuerit, abſque aliqua perſonarum acceptione *futurum concilium debeat convocare*, & ibidem *defenſor Eccleſiæ præſidere*, & modos ac vias invenire, quibus ſacrum ovile Domini valeat redintegrari.

Quod Sigiſmundꝰ mox præſtitit. Exemplo Henrici II & aliorum Imperatorū.

Ut etiam factum fuit tempore ſancti *Henrici II* & aliorum *multorum Imperatorum*, qui in diſturbio Eccleſiæ, *non parcentes* etiam, quanquam *vero Papæ*, propter publicam utilitatem, unionem Eccleſiæ procurarunt. Quæ quidem *reipublicæ utilitas* omni utilitati privatæ videtur præponderare.

Et quia potiſſime *in Apoſtolica Eccleſia*, non convenit habere niſi *unum Papam*, ut etiam multi volunt canones Papales: Ne principatus ſpiritualis pluralitate inordinata politiam in eiſdem ſpiritualibus ſolvat: Imo corrumpentes illam monarchiam ſpiritualem, per Paparum pluralitatem inſimul regnantium, ſicut communiter omnes *Epiſcopi, Presbyteri & clerici, templorum miniſtri*, communi nomine vocati, in committendo vel omittendo *peccantes*, de facto, in nocumentum & injuriam alterius, ſunt *ſuppoſiti vindictæ, ſeu juriſdictioni judicum ſecularium*, quorum eſt coactiva potentia puniendi legum humanarum transgreſſores, juxta Apoſtolum, *ad Rom. XIII. Omnis anima ſubjecta ſit poteſtatibus ſupereminentibus*, Regibus videlicet, Principibus & tribunis, ſecundum ſanctorum expoſitiones: Eſt enim *judex* quaſi *juſtum animatum: Igitur ſecundum humanas leges oportet habere judicem, habentem autoritatem judicandi de contentioſis hominum actibus*, exequendi judicata, & legis tranſgreſſorem *quemlibet* per coactivam arcendi potentiam. *Hic* enim *judex Dei miniſter* eſt, & *vindex in terra, ejus qui malum agit*, ut dixit Apoſtolus ubi ſupra. Eſt adeò miſſus ad hoc, ut dicitur *I. Pet. II.*

Clericos peccantes eſſe ſub juriſdictione judicum ſecularium.

Judicem eſſe oportere contendentium.

Et dixit Apoſtolus, *qui malum agit: Quicunque* ſcilicet *fuerit ille*, indifferenter hoc intelligens de omnibus. Unde *nec Papa* ipſemet, *Epiſcopus* aut *ſacerdos*, vel *clericus*, legis transgreſſor, divinæ ſeu humanæ, aut agens in alterius injuriam, *excipitur ab hac generali ſententia.*

Papam & reliquos clericos peccantes eſſe ſub magiſtratu civili.

Et debet *Papa*, ſeu alter *Epiſcopus*, *Clericus*, vel *Sacerdos*, tanto amplius, quanto gravius & indecentius peccat, plecti ſeu puniri, ut jugum ſciens & eligens, qui præcepta fugiendorum atque agendorum amplius noſcere debet. Quia turpius eſt peccatum debentis docere quam doceri.

Clericos gravius plectendos Quod gravius peccent.

Quia duo ſunt, quibus hic mundus regitur, ſcilicet ſacerdotium & regnum. *Sacerdos* orat, *Rex* imperat: *Sacerdos* debita dimittit, *Rex* errata punit: *Sacerdos* animas ligat & ſolvit, *Rex* corpora cruciat & occidit. Uterque divinæ legis executor, ſuum juſtitiæ debitum cuique tribuit. Quippe diviſum Imperium cum ſacerdote Cæſar habet. Cæſar terrena moderatur,

Regis & ſacerdotiū officia diverſa.

tur, & lutea figmenta judicat, hæc probans, illa conterens. Sane filios hominum decent arma & ſagittæ, filios Dei orationes, vota, & ſacrificia, ut carbones ſuccendantur ab eis. Dum *vita paſtorum* doctrina paſcualis eſt omnibus, & *rigor punientis* pax eſt populorum. Hoc *Gervaſius* in ſuo libro, quem intitulat *Otia Imperatorum*.

Imperatoris & Romani Pontificis munia.

Ex quibus elicitur, quod *Epiſcopus urbis Romæ* ſit Pontifex animarum poſt Chriſtum, & *Imperator Romanus* ſit *Dominus corporum poſt Deum*.

Jus Regis à Deo.

Quin imo per Deum ad ſubditos *jus Regis* inſtitutum eſt. Pilati nempe poteſtas in Chriſtum data deſurſum eſſe perhibetur. Sic ergo, *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. Quia Chriſtus mandat: Quæ ſunt Cæſaris, reddenda ſunt Cæſari, & quæ Dei, Deo.

Italos jura Imperii invaſiſſe olim.

Videant igitur ſibi *Florentini, Januenſes & Veneti*, nec non alii tyrannice *occupantes & conculcantes jura & honorem imperii*, qualiter de hoc in extremo judicio valeant reſpondere.

Caput XV.

De Epiſcoporum jure, poſt Imperatorem, Concilium Generale cogendi.

Etſi *Cardinales* bonum Papam, juſtum & ſanctum, ac eis propitium, videantur allegare: Tamen *propter utilitates eorum privatas non debet tota Chriſtianitas eſſe in errore*.

Non Cardinalibus ſed Concilio emendationem Eccleſiæ fuiſſe committendam.

Quocirca in facto *redintegrationis Eccleſiæ* non eſt ſtandum eorum diſpoſitioni aut gubernationi, ſed *concilio generali, totam Eccleſiam repraſentanti*.

Epiſcopos eſſe loco Apoſtolorum.

Et ſi veſtra Paternitas quærat, an *ad eos* in caſu præſenti pertineat *generalis Concilii convocatio* ſimpliciter, an ad Eccleſiaſticos prælatos, ſcilicet patriarchas, Archi-Epiſcopos & Epiſcopos ſingulariter: Secure dicerem: *Ubi gladius Imperialis ſe non interponeret*, ad Prælatos *primo*, & *ſecundario* ad Cardinales, promoventes negotium generalis concilii, hujuſmodi Concilii pertinet convocatio. Ubi autē diſcordia interveniret in concilii generalis convocatione, ad *prælatos* videtur *primo loco* pertinere, qui ſunt *Epiſcopi*. Ipſi enim ſunt *loco Apoſtolorum*, qui ſunt in Eccleſia Epiſcopi à fundamento primitivæ Eccleſiæ. *Cardinales* autem *erant Romæ presbyteri, ordinati ad ſepeliendum mortuos, & baptizandum noviter venientes ad fidem, & eis Eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrandum*.

Cardinaliū quondam olim officium.

Cum ergo *privilegium Epiſcoporum* non expiraverit, videtur, quod ordinatio Eccleſiæ & diſpoſitio *ad eos primo loco* pertineat. Sicut, ſi Petrus in trina negatione permanſiſſet, nec pœnituiſſet, nec ipſe Princeps Apoſtolorum extitiſſet, nec cū aliis Spiritum Sanctum accepiſſet, ſed cæteri Apoſtoli Eccleſiam diſpoſuiſſent & ordinaſſent. Sicut fecerunt, quando miſerunt Petrum & Johannem ad Samariam. Nec tunc Petrus ibi miſit, ſed miſſus eſt per alios Apoſtolos. Non tunc ipſi Apoſtoli erant Cardinales, ſed ſimiliter Coepiſcopi Petri. Ergo *minorem locum ſecundum Deum & inſtituta Eccleſiæ obtinent Cardinales, quam Epiſcopi*: Licet *uſurpative* oppoſitum pateat in eiſdem.

Epiſcopos majores eſſe Cardinalibus jure.

Caput XVI.

De Johanne XXIII. in Concilio Generali ſede movendo.

Duo ſcopi conc. Gen.

Sed jam, dum quæritur: Ad qualem *finem* hujuſmodi *generalis concilii* fiat convocatio? Reſpondetur, quod fieri debeat principaliter *propter duo*: Primo ut ſit *unio in capite*, ſecundo ut fiat *unio in moribus & ſacris ſtatutis primitivæ Eccleſiæ*, & decretorum ac cauſarum decretalium obſervatione.

tunc congregandi, & Conſtātiæ poſtea cōgregati.

Digitized by Google

Et ſi dicatur, quod *media* ſint *dubia*, ergo *incerta*, maxime, cum jam unicum Papam habeamus: Reſpondetur: Etſi unicum Papam habeamus de jure, illi autem duo, ſcilicet *Angelus* & *Petrus*, ſint *privati de jure*, *non* tamen ſunt *privati de facto*.

Aut ergo congregetur Eccleſia ad hoc, ut ſancita & actitata in *concilio Piſano* demandentur ulteriori & *reali executioni*, & illi duo *privati de jure* etiam *priventur de facto*: Aut ubi hoc remedium reperiri non poterit, quod eſt veroſimile reperiri non poſſe, propter adſtrictas obedientias eis ſubditas, ſeu potentes obedientes ipſis, qui ab eis deviare nolunt: Tunc, ſi illi duo privati & abjecti petant generale concilium, & promittant, ſe ibidem perſonaliter velle comparere, & ſuo juri de facto, quod habent, libere & pure renunciare, in caſu, quo Dominus noſter *Papa Johannes* etiam ſuo juri renunciare velit, tunc in iſto caſu, quid fiet dicam ſine præjudicio: Quod ipſe Dominus noſter *Papa*, ſi aliàs non poteſt conſuli Eccleſiæ, nec poteſt haberi alias unio in capite, non dico ſemel, ſed pluries, non dico unum papatum, ſed plures, ſi eſſent poſſibiles, *teneatur* in caſu iſto libenter & voluntarie *renunciare*, & papatui ſuo cedere, *ne reſpublica & tota Eccleſia propter unum hominem peccatorem ſine virtutibus & exemplis bonis, debeat perire*.

Conditio reſignationis Pontificū duorum, Benedicti & Gregorii, ſi & Joh. reſignet, in Concil. Conſt. ſancte obſervata.

Johannem XXIII. teneri renūciare Papatui. Ubi & factū mox in Concilio Conſt.

Quia, & ſi *virtuoſus* exiſteret, regulaſque Chriſti imitaretur, qui non venit facere voluntatem ſuam, ſed ejus, qui miſit eum, *voluntati totius Eccleſiæ* Chriſti ſponſæ *pareret, & papatui cederet*, ubi ipſa hoc peteret. Nam alias teneo & credo, quod *etiam* unicus & *indubitatus Papa* & univerſalis, ſi alias non poteſt conſuli Eccleſiæ, ad requiſitionem generalis Concilii *teneatur cedere*, atq; omnibus mandatis & præceptis Concilii generalis ſine contradictione parere. Cum *etiam Papa* in hoc caſu *membrum* ſit & non caput *univerſalis Eccleſiæ*. Cujus ſalvationem quodlibet membrum, usque etiam ad ſui interitum, debet exquirere.

Pietatem Papæ ſuadere, ut ſponte Papatui renunciet, ad nutum Eccleſiæ.

Papam eſſe membrum Eccleſiæ non caput.

Si Papa

Quod ſi hoc membrum, ſcilicet *Papa*, præcepto concilii, cujus juſſa & præcepta à Spiritu Sancto fiunt, ſecundum fidem noſtram, nollet forte parere; *Si non audierit*, *primo* ſecrete, *ſecundo* teſtibus adhibitis, *tertio* publice, *tunc ſit in Eccleſia ſicut ethnicus & publicanus*, juxta Chriſti præceptum, & ut *ſchiſmaticus* & *hæreticus* puniendus. Quia qui occaſionem damni dat, & damnum dediſſe videtur, eſt quam cito capiendus, & ab Eccleſia ut turpis ejus pars ejiciendus, aut *carceribus* in perpetuum includendus, aut morte exterminandus, juxta dictum Salvatoris: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit; expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*. Sicut fuit factum tempore *Clementis II.* per *Henricum II Imperatorem*.

Coc. audire nolit ſed refragetur, ejiciendum ac in carcerē conjiciendum eſſe.

Quod mox in Iohanne XXIII. contigit, qui in Concilio factā ceſſionem ſervare noluit, carceri incluſus.

Exemplo Clementis ab Henrico Imperatore captis.

Sed, ſi verus Papa in caſu præſenti nollet renunciare, & puniretur, ut dictum eſt: Numquid remanerent ideo illi duo jam privati & abjecti, vel alter eorum, Papa? Aut an quilibet eorum tenetur renunciare juri & autoritati, quam habent de facto? Præterea, ſi dicant, *ſe non teneri aliàs ad renunciandum*, *niſi verus Papa renunciaret*, ſed hoc verus Papa facere noluerit? Dico pro tunc, quod *ſacrum concilium renunciabit juri veri Papæ*, & ſuccedet in renunciatione pro vero Papa, & pro eodem promittet & ſe obligabit. Sicut in iſtis actibus legitimis ſolet *pater* facere *pro filio*; quem etiam in neceſſitate magna ſecundum leges humanas poteſt vendere. Cum ergo *Papa filius* ſit & *membrum univerſalis Eccleſiæ*, ut dixi, *univerſalis Eccleſia eum poteſt obligare*, & *pro eo cedere juri papatus*, & promittere, aut quæcunq; alia facere, & quocunque modo, quæ poſſent inveniri pro ejus ſalvatione. Ut factum fuit de tribus ſe pro Papa gerentibus, abjectis tempore *Henrici III. Imperatoris Romani*, & ejus mandato ſeu præcepto.

Concilium pro Papa invito renunciare poſſe Papatui.

Exemplo parentis pro filio.

Exemplo Henrici Imperatoris, qui tres Papas removit.

Ex quibus omnibus patet, quod ſi talis convocatio fiat univerſalis Eccleſiæ, & *Reges*, *Principes*, & *Prælati* fuerint *accincti armis Zeli Dei*, legis & juſtitiæ, in *uno propoſito*, & *una intentione*, *non* videbitur *fruſtra* eſſe.

Ex conſenſu Principū in convocando Conc. ſpem bonā eſſe.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XVII.

De limitibus Reformationis in Concilio univerſali, quod erat Conſtantienſe.

ET ſic conſequenter ad quartum reſpondetur, quod *non* erit *infructuoſa talis convocatio, ſi Regum & Principum* fuerit aut erit *una* ſancta *intentio*. Quia tunc alter alterius onera portabimus, tunc erit *ſancta ſocietas in vinculo pacis*, tunc ſpiritu vivemus, ſpiritu ambulabimus. Tunc talis univerſalis *Eccleſia* in allegatis per eos *reformabitur*, & merito dicetur: *Ecce, quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum.*

Poteſtatẽ diſpenſandi de Conc. decretis Papæ eſſe negandã.

Sed tunc caveat univerſalis Eccleſia ſuper omnia, ut *nunquam* ſub quovis colore *concedat* Papæ *poteſtatem diſpenſandi contra ſtatuta generalis Concilii*, aut ea interpretandi ſeu immutandi, propter varietates temporum, & novos ſupervenientes caſus, ſed quod ſolùm illa debeant immutari per aliud *concilium generale*, *fiendum de tempore in tempus propter reformationem Eccleſiæ.*

Quod ita factum in Conc. Coſt.

Concilium per intervalla brevis temporis ſemper eſſe continuandũ, pro Reformatione Eccleſiæ.

Luce enim clarius conſtat, quod pro majori parte facta & ordinata in quatuor generalibus conciliis principalibus, & aliis conciliis per temporum ſucceſſiones ſtatuta, *creſcente avaritia Pontificum, Cardinalium, & Prælatorum*, tam per Papæ *reſervationes*, quam per *iniquas Cameræ Apoſtolicæ conſtitutiones & Cancellariæ regulas, & formulas audientiæ cauſarum rotæ, & ambitioſas diſpenſationes, abſolutiones, indulgentias, confeſſionalia, officium pœnitentiariæ*, ſint fere immutata, annihilata, & quaſi in deriſum & *oblivionem* poſita.

Quot itidẽ in Conc. Conſt. ſic decretum.

Antiquas ſalubres primorum Conciliorum regulas à Papis eſſe abolitas.

Et aliquando fui illius *opinionis*, quod *ſacrum Concilium generale, quod repræſentat Eccleſiam univerſalem, non poſſit alicui perſonæ privatæ, quacunque præfulgeat dignitate, etiam ipſi Papæ, autoritatem & poteſtatem concedere diſpenſandi & immutandi aut aliàs interpretandi ſacri concilii ſtatuta.*

Concilium ne poſſe quidem autoritatem dare Papæ diſpenſandi de ſtatutis Concilii.

Quanquam prima facie contrarium videantur dicere *canonum jura*, tamen *probatio* patet. Nam cum univerſalis Eccleſia ſit poteſtas Papâ ſuperior, ut dictum eſt: Sequitur, quod tanta poteſtas univerſalis Concilii inferiori à Concilio non valeat communicari, cum ejusdem non ſit capax. Ideo tempore Apoſtolorum non ſolus Petrus regebat totam Eccleſiam, quamvis Papa eſſet, ſed ſolum primò *ut Epiſcopus rexit Antiochiæ*, poſt electus eſt Epiſcopus Romæ, dimiſſo regimine Antiochiæ. Quis enim poteſt conſiderare, quod tanta *autoritas & virtus capitis uni membrorum inferiori* valeat *communicari?* Sic enim aliquod corpus poſſet eſſe ſine capite, quod uteretur ratione, ſi omnia opera capitis unum membrorum inferiorum poſſet exercere. Et ſi hoc invenire in corpore naturali non valemus, quia unum opus ab uno optime perficitur, ut dicit Philoſophus, multo minus poſſe fieri in ſacramento, corpore myſtico, credere debemus. Et ideo dixit Apoſtolus: *Alios quidem* in hoc corpore *dedit Apoſtolos, alios Prophetas, alios Doctores.* Item *in ædificationem corporis Chriſti*, in unitatem fidei. Item ita, *ut quodlibet membrum* hujus ſanctiſſimi corporis *proprias habeat operationes*, ſecundum quod magis & minus participat virtutem & ſuperioritatem hujus ſacri corporis.

Ratio. Quod virtus capitis uni membrorum non poſſit communicari.

Concludo ergo, me aliquando hujus opinionis extitiſſe, quod, ſicut virtus quorumlibet corporis naturalis membrorum uni membrorum totius corporis non valet communicari, quia ſic fruſtra eſſent cætera membra, & corpus monſtrum videretur in natura, & membra ipſa viderentur carere vita: Ita in corpore myſtico univerſalis Eccleſiæ, cujus membrum, ut prædixi, dignius Papa videtur eſſe, *poteſtas & autoritas ipſius univerſalis Eccleſiæ* ſive generalis Concilii ipſam Eccleſiam repræſentantis, *nec Papæ*, nec alicui perſonæ privatæ, ut prædixi, *poſſit nec debeat communicari.* Quod eſſet includere contradictionem. Quod ſic Papa eſſet univerſalis Eccleſia: Et ſic eſſet corpus totum & membrum: Et ſic omnis Chriſtianus

Poteſtatem univerſalis Eccleſiæ Papæ non eſſe communicandam.

ſtianus eſſet in Papa, & Papa eſſet. Et multa alia exinde inconvenientia ſequerentur.

Papam uſurpare aliorum Epiſcoporum jura non debere.

Nec poteſt negari, quin *Papa* ſibi *uſurpando aliorum Epiſcoporum*, quos *fratres* appellat, *jurisdictionem* & honorem, præſertim ita generaliter, per hoc peccet mortaliter. Quia *contra legem naturalem* & ſacrum Evangelium facit, quibus præcipitur, *ne quisquam alteri faciat, quod ſibi non vult fieri.* Quia debitum & ſanctum eſt, *unicuique ſuum tribuere, & alterum non lædere* (XII.q.2.can.9.

Papa ſuas conſtitutiones ſervet.

Cum igitur Papa ſit conditor ſuarum conſtitutionum, illas non debet in aliorum diſpendium retorquere, ſed potius obſervare, juxta id: *Legem patere, quam tuleris.* Sic enim ipſi ratio dictitat.

Privilegia & jura Epiſcoporum eſſe, ut ſunt membra Eccleſiæ.

Et per has & alias rationes concludo, jura & privilegia Epiſcoporum, Patriarcharum & prælatorum quorumcunque, etiam minorum rectorum, exiſtentium ut membra in corpore univerſalis Eccleſiæ eſſe, cum proprias operationes non poſſent exercere. Et qui tollit ab entibus proprias operationes, certe ſecundum Philoſophum tollit ab eis proprias formas. Quid enim valet, quod unus ſit Epiſcopus, ſine officii ſui executione quod illi Chriſtus contulit? *Nec majorem poteſtatem Petro, quam alicui Epiſcoporum dedit*, ut legitur in Decreto. Quomodo ergo *Papa auſus eſt tollere, quod ſolus Chriſtus dignatus eſt concedere?*

Papa non licere jura Epiſcoporum tollere, ſibi vindicare, aut reſervare.

Sicut ergo contra ſtatuta Evangelica Chriſti non audet Papa ſe intromittere, ita *nec valet poteſtatem, collatam à Chriſto aliis Epiſcopis, ſibi applicare, nec reſervare.* Quod patet etiam. Nam dixit Apoſtolus: *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Uni ergo Epiſcoporum dedit Chriſtus, ut Petro verbi gratia, decem talenta, alteri Epiſcopo quinque, alteri unum, ut quilibet eorum ſicut fidelis ſervus & prudens lucretur, alius quinque, alius decem, alius unum, juxta diſpenſationē ſibi creditam.

Epiſcoporum munia diverſa.

Papa diſpenſator non dominus bonorum Eccleſiæ.

Sed cum *Papa* ſit unice *diſpenſator* bonorum Eccleſiæ Chriſti, & *non Dominus*, & ad reddendum rationem villicationis ſuæ teneatur, ſicut quilibet alius Prælatus de talentis ſibi creditis: Tenetur ſe non intromittere, & alia talenta aliis commiſſa dimittere, & *conſtitutiones* in camera ſua *pro habendis pecuniis* de proviſionibus Epiſcopatuum & Abbatiarum, quæ ad ipſum nullatenus pertinent, facere, & has maledictas & *rapaces reſervationes beneficiorum* ſtatuere, quæ in primitiva Eccleſia illo tempore, quo fuerunt ſancti Papæ, & quo ſunt fundatæ tot & tantæ Eccleſiæ, ac quo fuerunt tot Eccleſiarum dotationes, nunquam viſæ fuerunt, imo nec auditæ, niſi *poſtquam ſæviit ſummorum Pontificum, & ſuorum Cardinalium avaritia, cupiditas, & ambitio dominii & pecuniæ.* Quia tunc fecerunt & faciunt, juxta eorum voluntates, *leges & decreta de beneficiorum reſervationibus, de proviſionum beneficiorum & dignitatum ſolutionibus, & pecuniarum quantitatibus.* Ita ut jam non videatur *Romana curia* eſſe, niſi quoddam *forum publicum, ad quod quo quis plura portaverit, plura mercimonia habebit.*

Unde leges Papales de beneficiorum reſervatione? Romanam curiam publicum olim fuiſſe forum ante Conc. Conſt.

Et quia *nullus Prælatorum* illo tempore, quo reſervationes & beneficiorum taxationes ſunt factæ, reclamavit ſeu *contradixit*, aut *propter impotentiam*, aut *ignorantiam*, aut *utilitatem propriam*: Ideo jam quaſi *per centum annos*, quia tam diu jam duraverunt, dicunt Papa & Cardinales, prædictas reſervationes jam *in vim* ſanctiſſimi *juris & canonis* transmiſiſſe & præſcripſiſſe, nec poſſe generale Concilium eas immutare. Quod falſum eſt.

Prælatos nō contradixiſſe reſervationibus Papalibus. Præſcriptionem temporis in illis reſervationibus nullam eſſe.

Imò exſurgant *Prælati Eccleſiæ*, offerentes Deo ſacrificium juſtitiæ, & has rapinas, furta & latrocinia Romanæ curiæ dignentur penitus amovere. Quia non poſſunt in *detrimentum & damnum univerſalis Eccleſiæ* ſtare, aut præſcribi: Cum ſint *contra naturam propriam* corporis myſtici *Eccleſiæ*, ut prædixi, & *contra omnem ordinem juſtitiæ*, & decrementum omnium bonorum ſpiritualium Eccleſiæ.

Prælatorum eſſe has reſervationes abolere.

Nam *propter habendas* hujusmodi *pecunias beneficiorum*, in eadem curia *mille officiales* invenies, & forte *nullum* inter eos reperire poteris ibidem *ad conſervationem virtutum.*

De officialiū Ro. curiæ vitiis, ante Conc. Conſt.

Ibi fit omni die ſermo de caſtris, de terris

Quales o-

Digitized by Google

lim ſermones in curia Ro. ante Conc. Conſt.

terris, de civitatibus, de generibus armorum, de pecuniis. Seu *raro vel nunquam* ibidem fit *mentio de caſtitate, de eleemoſyna, de juſtitia, de fide*, aut *de ſanctis moribus*.

Corruptio curia Ro. ante Conc. Conſt.

Ita, ut quæ ſolebat eſſe *curia ſpiritualis*, jam facta ſit *mundialis*, diabolica, tyrannica, & *pejor in moribus*, etiam in factis civilibus, *quam alia curia ſecularis*. Et proinde omnia & plura alia mala, ſcilicet hæreſes, ſchismata, & ſcandala proceſſerunt, poſtquam has *rapaces reſervationes*, & *pecuniarias conſtitutiones* Papa cum ſuis Cardinalibus ſervari & habere voluerunt.

In Avinionenſi curia natas eſſe illas Conſtitutiones pecuniarias.

Hæ autem *taxationes Eccleſiarum* & monaſteriorum, *ſolutiones mediorum fructuum* cameræ Apoſtolicæ & collegio dictorum Cardinalium, & *medietates fructuum* inferiorum beneficiorum, *ſolutiones denariorum* in eadem curia pro literis Apoſtolicis habendis, etiam illarum taxationes, & *reſervationes Eccleſiarum* & monaſteriorum atque beneficiorum, *generales* vel *ſpeciales, in Avinionenſi curia*, ipſa illic remanente, pro majori parte initium habuerunt. Quia *non poterat quilibet Cardinalium illius temporis ſtatum tenere regalem, niſi talibus lucris*, undecunque venirent, quotidie fulciretur.

Ad conſervandū ſtatum Cardinalium.

Et iterum, poſtquam iſta nova talis qualis unio in *Piſis* facta proceſſit, aliquibus Cardinalibus Gallicis apud nos exiſtentibus, plures angariæ contra prælatos promovendos & reſervationes Papales prodierunt. In illis enim verſatur eorum *totum ſtudium lucri capiendi cauſa*, ut *nova* ſemper inveniant *gravamina* in ſubjectos, *nemini compatiendo*. Et qui eorum *in talibus novis adinventionibus eſt acutior, ille magis prudens & utilis* inter confratres *reputatur*. Et qui non credit, accedat ad eandem curiam cauſa impetrandi aliquam cathedralem Eccleſiam, vel aliquam dignitatem, & videbit ita eſſe, ut prædixi.

Poſt Concilium Piſanū auctæ artes Papales pecuniariæ.

Studium curiæ Ro. ſub Johanne XXIII. proxime ante Conc. Conſt.

CAPUT XVIII.

Solvuntur dubia, à Johanne XXIII. generali Concilio objecta.

CONſequenter ad illud, ſi Papa loquatur: Ad quid erit hæc convocatio, nonne ad fidem defendendam? Numquid ad poteſtatem meam reſtringendum, numquid ad papatui cedendum?

O Papa, ſi bene intelligis, quæ dixi, ſi Chriſtianus es, ſi toti reipublicæ, ſi univerſali Eccleſiæ compateris & condoles, ad omnia hæc facienda convocabitur Chriſtianorum concilium.

Conſcientiam Johannis XXIII. tangit Gerſon.

Si enim bonus es, ſi ſanctus, ut vocaris, exiſtis, ſi re & nomine ſanctitate polles, usque ad mortem debes certare pro juſtitia. Et quæ major poteſt eſſe juſtitia, quæ major poterit eſſe tua bona vita, tua ſanctitas & fama, quàm, ſi vides, quod propter tuum papatum, propter tuam poteſtatem latiſſimam perit & deſtruitur reſpublica univerſalis Eccleſiæ, fides diminuitur, pedibus Tyrannorum Eccleſia ſubjicitur, monaſteria deſtruuntur, conſcientiæ fidelium periclitantur, ut tunc absque mora & temporis dilatione & *papatui cedas, & poteſtatem tuam uſurpatam diminui* ſuſtineas?

Exemplū Apoſtolorum imitari jubet.

Nonne ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni erant pro nomine Jeſu contumeliam pati? Numquid tu major es autoritate Apoſtolis, numquid ſanctior illis, numquid potentior in ſpiritualibus illis? Certe non.

Noli ergo æmulari, ut maligneris. Noli dicere: *Ego habeo jus in papatu*. Noli ergo *ſub titulo juſtitiæ* corrumpere totum corpus Eccleſiæ. Nam bonus homo de theſauro ſuo profert bona.

Exemplū Chriſti objicit.

Si ergo *bonus es*, ut alter Chriſtus te in horto debes offerre Judæis, dicens: *Quem quæritis?* Jeſum Nazarenum, *me Papam, ut cedam? Ego ſum.* Si me quæritis, quærite, convertimini & venite.

Pœnam peccatis dignam nunciat.

Si autem *malus Papa es*, quid reſtat, niſi ut condemneris, & à communitate hominum ſegregeris, ſicut feritas & immanitas belluæ, ne *propter tua privata* com-

commoda corrumpatur per ſchismata tota reſpublica.

Concilium neceſſario convocandum.

Iſta ergo de cauſa *convocatio generalis concilii eſt neceſſaria*, imo propter tuam ceſſionem, vel alium modum quemcunque, quo detur pax Eccleſiæ, fides Chriſti exaltetur & roboretur, fidelium conſcientiæ pacificentur, *Chriſti ovile reformetur.*

Benedictũ & Gregorium credidiſſe quidem Chriſtum, ſed non in Chriſtum.

Et licet illi duo contendentes *Chriſtum credant, non* tamen *credunt in Chriſtum.* Quæ credulitas, ſecundum Auguſtinum, eſt, membris Chriſti incorporari, & eis uniri caritate. Quod tamen ſchismatici non faciunt, qui corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, lacerant, licet ipſi oppoſitum clament, & excœcati malitia, & indurati pertinacia, errantes ſicut ovis, quæ periit.

Admonetur Joh. 23. ad cedendum.

Dimitte ergo nonaginta novem oves, quas jam habes, in tua obedientia, & vade ad quærendum illam, quæ periit. Quam ſi tu inveneris, dicas: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat.* Tunc ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortûs tui. Tunc convertetur ad te multitudo maris, multitudo gentium veniet tibi. Ergo patet, quantum illius ſacri *concilii convocatio & executio* ſit neceſſaria.

Scrupulus ſuperioritatis Papæ, qui careat judice, exemptus.

Et ſi Papa dicat: *Se non habere ſuperiorem in terris, qui eum judicet:* (*di. XL. de* *can.* 6.) Certum, quod omnes *leges* factæ & decreta *ſint propter conſervationem reipublicæ*, ut prædixi. Unde illa jura, ſic loquentia, intelliguntur, quando malitia Papæ, aut *papatus* ipſius Papæ, *redundat in detrimentum* aut damnum totius *univerſalis Eccleſiæ*, & ubi *mala vita* ejusdem *Papæ* non eſt hominibus notoria.

Coditio natũ illud jus Papæ, ſi ſit bonus.

Quia tunc, ut dixi, *propter ſuum malum vivere* ſubjicitur præcepto correctionis fraternæ. Secus eſſet, ſi bene viveret, bene doceret, ut Papam decet. Quis enim ſanctum dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? Nam ſi malum futurum Papam illi ſancti, qui illud capitulum inſtituerunt, prævidiſſent, nequaquam de Papa talia dixiſſent: Cum *Paulus* propter culpam minimam *Petrum reprehenderit:* Qui tamen Princeps Apoſtolorum exſtitit, & *ſanctior & melior tunc, quam nunc ſunt noſtri Papæ.*

Caput XIX.

Concilium generale novum Conſtantienſe aptius ad reformationem, quam Piſanum.

Ad hoc conſequenter, quod dicitis: Si *concilium Piſanum* fuit ſanctum, & juſtum, ergo, quæcunque in eo agitata fuerunt, ſancta &c. Reſpondetur, quod dato, quod juſte, ſancte & licite, ſicut rei veritas ſe habet, concilium Piſanum celebratum fuerit, tamen *non ſic aliquid bonum & ſanctum eſſe poteſt, quin majus bonum inveniri poſſet*, ſanctius & melius, & omni bonitate perfectius, usque quo deveniamus ad primum bonum, quo melius, perfectius invenire nequimus. In cujus perfectioris boni præſentia ceſſat primi non æque perfecti juſtitia. Nam *de duobus bonis ſemper majus eſt eligendum.*

Bonum unum altero melius & majus.

Major ſpes de Conſtantienſi concilio quam Piſano.

Cum ergo hoc majus bonum inveniri valeat *in ſecundo Concilio*, quam *in primo Piſano:* Ubi, ſecundum opinionem multorum, omnia fuerunt quaſi primis motibus facta & agitata, ſpiritu vehementi, & non matura deliberatione, ut etiam concilium decebat, ordinata, nec completa: Maxime cum illud ſacrum concilium ad hoc principaliter fuerit congregatum, ut unus paſtor eſſet, & ovile unum, quod adhuc cernimus eſſe incompletum: Videtur ſane perfectius, melius, & ſanctius *futurum concilium* eſſe, quam primum.

Piſani Concilii imbecillitas.

Magna reformationis ſpes in Concilio Conſtantienſi.

In cujus celebratione, cooperante Domino, ut ſperatur, ceſſabit impetus primi concilii, *reſtaurabitur Eccleſia, reſervationes beneficiorum & dignitatum deficient, pecuniariæ conſtitutiones cameræ* prædictæ *deſtruentur, boni & literati promovebuntur, mali punientur* & repellentur, *ſimonia tacebit, eleemoſyna* in plateis clamabit, *juſtitia* unicuique quod ſuum

Ab Imperatore reformationis ordo expectatus in Concilio Conſtantienſi.

ſuum eſt, dabit, Chriſti patrimonium Eccleſia recuperabit, & *in omni virtute Eccleſia fundata* atque ſuper firmam petram juſtitiæ firma erit, nec non *ad reformandum* etiam & ad unionem reducendum per dictum *Romanum Imperium*, (*quo non vigente non floreſcebit Eccleſia*,) *ordo dabitur*, & ſic fides catholica contra infideles reſumet vires, & multi eorum convertentur.

Dato ergo, quod verus Papa *in concilio Piſano* creatus extiterit, non tamen propter ejus papatum Eccleſia univerſalis pacem habuit. *In ſecundo* ergo *concilio* ſperatur, quod ſicut erit unus paſtor, ſic unum ovile invenietur, & univerſalis Eccleſia in pace firmabitur.

Caput XX.

Confirmatur jus Imperatoris ac Principum in convocando Concilio univerſali, & publica emendatione.

Sed qualiter hoc concilium congregabitur, cum ſint voluntates diverſæ, obedientiæ differentes? Dico ergo, ſicut allegatis, ad *Imperatorem* ſeu *Romanorum Regem* temporibus præſentibus convocationem pertinere ſub pœna peccati mortalis & gehennæ perpetuæ.

Regum ac Principum jus.

Quo abſente, vel non exiſtente, dico, ad *Reges & Principes ſeculares*, utpote Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Apuliæ, Hiſpaniæ nec non Burgundiæ, & alios Reges catholicos, Bavariæ, Auſtriæ, nec non alios duces & ſeculi Principes, & ſic de aliis, hoc pertinere. Qui non ſine cauſa Dei gladium portant, ad faciendum vindictam in nationibus & increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant judicium conſcriptum. Quia gloria hæc eſt omnibus ſanctis Dei, quod leges poſitæ ſint propter malos. Unde Apoſtolus: *Juſto non eſt lex poſita, ſed plagiariis, homicidis.*

Si Principes hoc jus ſuum exerceant, eos gloriam Dei promovere.

Unde credendum eſt, quod, ſicut gloria eſt uni, cum alius amicus ſuus ab eo propulſat injuriam inimici, ita magna gloria Deo ſit, gaudium & lætitia, cum *Principes ſeculares*, per *potentiam coactivam*, dividentes ac lacerantes propter eorum commoda corpus univerſalis Eccleſiæ, ſponſæ Chriſti, quam ipſe proprio ſuo ſangvine redemit, & ſemetipſum pro ea tradidit, perſequuntur & puniunt, atque propter utilitatem, curationem & ſanationem totius univerſalis Eccleſiæ ad ovile ſn unum reducunt & reduci faciunt & procurant. Nam *in curatione univerſalis Eccleſiæ, & pace, tranquillitate totius reipublicæ*, ipſi *ſeculares Principes ſunt patres*, ſunt *medici*, ſunt *chirurgi*, *Dei executores ſummi*, quos Deus poſuit ad ſuas injurias vindicandas.

Officium Principum in emendatione Eccleſiæ.

Comparatur ſtudium Principum in terra ſancta occupanda

Et ſi ad paſſagium terreſtre, *ad liberationem regni Hieroſolymitani* è manibus infidelium, tam libenter, potiſſimum temporibus Conradi III. & Friderici I. Henrici VI. ejus filii, dicti Friderici II. Auguſtorum & Regum Siciliæ, atque Ducum Sveviæ, undique Reges, Principes, & Domini ſeculares, Epiſcopi, ſacerdotes ac clerici, contra Saracenos infideles & paganos non abſque graviſſimis corporum & rerum ſuarum periculis concurrerunt, fulti ſubſidiis multarum indulgentiarum, accincti armis bellicis diverſorum armorum, qui tamen detentores terræ ſanctæ non ſunt Chriſtiani, nec in fide Chriſti nati, imo ſunt ſpatiis terrarum ſatis diſtantes: Quanto magis ipſi Reges & Principes, etiam Eccleſiaſtici Prælati, & alii Chriſti fideles, *ad liberationem totius Chriſtianitatis*, *totius univerſalis Eccleſiæ*, ad redemtionem patrimonii crucifixi Chriſti Jeſu, *ad unionem Chriſtianorum*, tot guerris, tot ſchiſmatibus propter iſtos de papatu contendentes ſe deſtruentium & diſcordantium, deberent *ſe diſponere*: Et in omnibus ſumentes ſcutum fidei, quæ eſt fundata in unitate pacis, & ga-

& Eccleſia univerſali liberanda atque corrigenda.

Digitized by Google

leam ſalutis, & gladium ſpiritus, induentes loricam juſtitiæ, & calceati pedibus in præparatione Evangelii pacis, *quoscunque contendentes de papatu*, aut ſe Papas vocantes ſub quovis colore aut titulo, in decrementum & diviſionem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, *reprimere*, annullare: Et nullius roboris vel momenti *jura, quæ pro ſe allegarent*, quibus univerſalis Eccleſia non uniretur, deberent etiam *non acceptare, nec approbare:* Quinimo potius vel talibus *contendentibus obedientias denegare*, vel eos *via compulſionis* & violentia *ad viam pacis reducere*.

Contra universalis Eccleſiæ emendationem nulla jura valere.

Nam contra bonum & utilitatem ac *ſanationem univerſalis Eccleſiæ* nulla jura, nulla decreta, nullam alicujus juſtitiam ſecundum Deum & rectæ ſcientiæ dictamen poſſumus acceptare. Quinimo *expediat ſemper, ut unus moriatur, ne tota gens pereat:* Non, ut *moriatur* naturaliter vel æternaliter, ſed *civiliter, opus faciendo virtutis*, ut æternaliter vivat.

Sicut enim non habemus Chriſtum diviſum, quia unus eſt Chriſtus: Ita nullo modo poſſumus nec debemus aſſentire, quod *papatus* ſit *diviſus*, etiam quantumcunque aliquis videatur in ipſo papatu jus habere. Quia ipſo facto contra bonum univerſalis Eccleſiæ videtur facere, ſi non cedat, ut pax ipſa ſequatur.

Plures no oportere eſſe Papas.

Numquid omnium unus Chriſtus eſt? Ita certe. Sic Eccleſia una eſt, & Epiſcopus ejus unus eſt. Et ſcire debes, Epiſcopum eſſe in Eccleſia, & Eccleſiam eſſe in Epiſcopo. (*VII. q. 1. c. 7.*) Quomodo ergo Epiſcopus unus eſt, quando *de* hoc *Epiſcopali papatu tres* ſunt *contendentes*, & ſe Papam vocantes? Numquid tres viros habet Eccleſia & tres ſponſos? Numquid proſtitui aut adulterari poteſt Eccleſia? Revera non. Quia *unam domum novit, unius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit* ait *Cyprianus* (*XXIV. q. 1. 18.*) ut ſuperius eſt tactum.

Contendentes Papas non eſſe ferendos.

Ergo patet ex prædictis, quod *ad Imperatorem*, ſi eſt, qui *defenſor & advocatus Eccleſiæ univerſalis eſt*, & poſt ſecundariò *ad Reges*, & *Principes ſeculares* pertineat in caſu præſenti, & *conciliò intereſſe*, & *facta concilii executioni demandare*, & quoscunque de papatu contendentes, ibidem ad unionem integram faciendam cogere, aut alias vias invenire, quibus unus paſtor & unum ovile poſſint eſſe.

Imperatoris & Principum eſſe Concilio intereſſe & præeſſe, cunctaque componere.

Sicut in multis ſchiſmatibus, in Romana ſede ortis, factum videtur eſſe, quæ fuerunt forte XXIV. ut legitur in geſtis Romanorum Pontificum & Imperatorum. Quæ violentia, armis, bellis, Conciliis generalibus & compulſione terminatæ leguntur.

Exemplo veterum Conciliorum.

Et hoc fecerunt illi antiqui, devoti, & probi *Imperatores Romani*, potiſſimum *Germani*, & *alii Principes* ac Prælati, *non habentes reſpectum ad quodcunque jus*, quod pro ſe ipſo poſſet quis Papa allegare: Ut univerſalis Eccleſia propter privata commoda, & propter unum hominem, qui ſe vocat Papam, diviſionem non pateretur, nec in decremento ac ſchiſmate eſſet, ac ut *Imperator Romanus*, qui à Papa conſvevit intitulari filius ſpiritualis, tantus Princeps, in orbe terrarum eximius, unum verum Papam in patrem ſpiritualem efficaciter recognoſcere poſſet.

Imperatorum Germanorum egregia facinora in vindicanda Eccleſia.

CAPUT XXI.

Si Imperium Ro. vacet, cujus ſit jus convocandi Concilium univerſale.

SEd quia bonum univerſalis Eccleſiæ non ceſſatis profundius indagare, tale movetis quæſitum. Cum te, pater, audirem dicere, quod futuri concilii generalis convocatio ad ſolum ſpectet Imperatorem, ſeu Romanum Regem: Sed *cum ad præſens A.* 1410. *de facto vacet Imperium*, & *Imperii Electores* diverſis obediant, utpote quidam *Johanni*, quidam vero *Angelo Corario*, non

Vocabatur Imperii Electores diverſis Papis obediebant.

non videtur eſſe veroſimile, quod ad invicem poſſint ad electionem convenire. Et ſic, *ſi diu remaneat imperium abſque Rectore*, conſimiliter videtur, quod manebit Eccleſia ſine concilii convocatione. Quia diu durabunt hæc ſchiſmata in Dei Eccleſia.

Deficiente Imperatore, Regum ac Principum: jus in convocando Concil. Civium, ruſticorum, jus. Vetula jus.

Hujusmodi quæſito reſpondere valeo per ea, quæ ſcripſi ſuperius, ubi dixi, quod *ad Imperatorem* in caſu præſenti *convocatio concilii* videatur pertinere. Quod ſi non ſit, devolvitur hæc convocatio *ad Reges* & *Principes* primo, poſt *ad communitates, & alios Dominos ſeculi.* Quod ſi non eſſent, in caſu poſſibili, devolvetur *ad cives*, & *ruſticos* poſt, usque quo deveniretur *ad minimam vetulam.* Sicut enim univerſalis Eccleſia poteſt ſalvari in minima vetula, ſicut factum eſt tempore paſſionis Chriſti, quia eſt ſalva facta in virgine beata: Sic *ad ſalvationem univerſalis Eccleſiæ poſſet convocatio concilii fieri per minimam vetulam.*

Concilium Piſanum coactum per duos Cardinales.

Sicut enim ante concilium Piſanum propter pertinaciam & perjurium duorum, tunc & nunc contendentium de papatu, *convocatio concilii Piſani* juſte & debite facta *per duos Cardinales*, & ad eos ſecundum juſtitiam talis convocatio pertinuit, ſecundum omnes doctores ſcribentes in illa materia: Sic *propter defectum Imperatorum*, ad *Reges* primo & ad *communitates*, & poſt ad *Principes* & *Dominos ſeculi* pertinet convocatio inſtantis generalis concilii.

Et ſi dicatur: Quis eſſe debet principalior & primus, *qui præſidet*? Videtur, quod ſecundum ordinem deſcriptum in libris Pontificum Romanorum, & prout olim fieri conſvevit.

Nec deberet mirari aliquis Papa & alii Eccleſiaſtici Prælati, quod illa convocatio concilii generalis ſpectet ad Regem vel Imperatorem Romanum. Ad hoc enim, quod *Papa & alii Eccleſiaſtici Prælati Regem vel Imperatorem, ut præcipuum in terrenis caput, omni reverentia venerari teneantur*, nos inſtruunt Chriſti exempla, qui deſcriptioni Auguſtali matrem ſubjici voluit, qui ſtaterem Imperatori pro tributo ſolvit, & à Pontio Pilato imperiali Præſide judicari ſuſtinuit.

Imperatoris dignitas ſupra Eccleſiaſticos.

Imperatoris majeſtas eſt à Deo.

Nec gratis dictum eſt: *Honora Regem, Deum time.* Quis igitur ambigit, *imperium* ſive regnum *autoritate divina formatum?* Si tamen à *Chriſto petra*, ut *à fidei fundamento*, non ſeparatur.

Chriſtus petra eſt, fidei fundamentū.

Nam utriusque Deus autor eſt, ſcilicet ſacerdotii & regni, utriusque protector, utrumque ſuo privilegio inſignivit. Igitur etiam Epiſcopi & ſacerdotes juxta præceptum Domini reddant, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ Dei, Deo.

Regnū & ſacerdotium à Deo. Sacerdotes dent Cæſari, quæ ſunt Cæſaris.

Cap. XXII.

Solvuntur dubia, quæ obſtarent, quo minus novus Imperator eligendus poſſet Concilium congregare.

Dubium, an juramentum Papæ præſtandum à novo Cæſare.

AD illud vero, ubi magis videmini caſum arctare & dicere: Eſto, quod Electores conveniant, & eligant: A quo coronam recipiet novus electus? Si ab illo, cui obedit, ergo juramentum illi præſtabit ſolitum. Qualiter ergo hic *Rex novus* absque ſui Papæ licentia, & ipſo nolente, concilium convocabit? Aut qualiter, dato, quod convocet, Papam coget ad cedendum, ſi opus fuerit, aut compellet potentia coactiva, vel qualitercunque circa hoc providebit?

Hic reſpondetur dupliciter. *Primo* dico, quod coronam recipiet ab illo, cui obedit, *ſi velit*, cum ſolito juramento.

Juramentis à novo Cæſ. Papæ factis, Cæſarem non obligari, propter reformationem in capite & in membris.

Veruntamen *hæc juramenta*, & ſi mille forent, *propter reformationem Eccleſiæ in capite & in membris*, ipſum *Imperatorem non ligarent.* Quod patet reali experientia de multis, præſertim Eccleſiaſticis Prælatis, qui olim eisdem Ange-

Digitized by Google

Exemplo aliorum Prælatorum.

Angelo & Benedicto jurarunt, & tamen propter unionem, ad quam venerunt, ſunt abſoluti, nec peccaverunt, imo ſic faciendo & zelum Dei zelando meruerunt.

Juramenta Papæ præſtita quomodo intelligenda.

Intelliguntur ergo omnia juramenta, ipſi Papæ, vel cuiquam alteri perſonæ privatæ mortali præſtita per quamcunque perſonam, *ſalva ſemper utilitate*, curatione & ſanatione *totius corporis reipublicæ*, & præſertim univerſalis Eccleſiæ. Sicut ſi Rex iniquus in populum ſibi ſubditum vellet deſævire, non tenentur ejus ſubditi juramentum homagii & fidelitatis olim præſtitum ei in aliquo obſervare. Nam, ut prædixi, in curatione univerſalis Eccleſiæ, & cujuscunque reipublicæ ſubditi fiunt Domini, & judices Dominorum & ſuperiorum, proprias utilitates cum detrimento reipublicæ amantium.

Aliter, ſi hæc reſponſio minus bona videtur, dicitur. Cum dictum ſit, quod Imperator gerat Dei in hac parte gladium, & ideo debeat ipſum in ſceleratos quoslibet exercere, absque alicujus perſonæ ſeu perſonarum exceptione: Videtur dicendum, quod, ſtantibus duabus vel tribus obedientiis, ſi ipſe electus ad unionem Eccleſiæ tendat, ſi ipſam deſideret, ſi affectet; (Quam propterea affectionem & executionem realem poſſunt & debent ab eo ante electionem Electores imperii requirere, ſub certis juramentis & pactis, ſicut factum eſt in electionibus Petri de Luna, Innocentii VI & ejusdem Angeli:) Quod ideo ipſe à nullo illorum contendentium de Papatu teneatur nec debeat coronam imperii recipere, *nec aliqua juramenta alicui eorum præſtare*, ſed ſtatim absque mora, ſi aliàs non poteſt conſuli Eccleſiæ, *Eccleſiam convocare*, & contendentes ad cedendum compellere, & ſi rebelles

Novũ Imperatorẽ nulli Papæ debere jurare: Sed Conc. ſtatim convocare,

fuerint, armis invadere, vel verbis aut muneribus ſeu promiſſionibus eos capere, & diris carceribus mancipare, & qualicunque modo unionem Eccleſiæ potuerit procurare.

& cuncta arte ac marte componere.

Nam *talibus fides denegatur*, propter quos Eccleſia & totum corpus reipublicæ ſcinditur & turbatur, & utraque reſpublica, Eccleſiaſtica videlicet & terrena, miſere laceratur. Et ideo bene dixit ille: *Frangenti fidem fides frangatur eidem.* Sic factum eſt ſæpe in aliis ſchiſmatibus, ut ſcripſi. Quibus contendentibus de Papatu deletis, & membris primo Eccleſiæ univerſali incorporatis, hæc unio ſemper primo fieri debet. Sicut natura facit in membris, quæ primo compaginat, antequam caput formet. Conſequenter fiat *unio in capite* juſto, ſancto & virtuoſo, ut alter Judas Maccabæus zelum fidei Chriſtianæ zelante. A quo cum Dei timore, cum omni reverentia filiali recipiat miles Chriſti, & executor Imperialis coronam ſacram imperii cum juramentis & reverentiis ſolitis.

Frangenti fidem fides frangatur eidem.

Cæſar primo disſidentes removeat.

Eccleſiæ membra combinet.

Novum Papã bonũ eligat.

Ab hoc coronam admittat.

Et ſic multi Romani Principes, Reges videlicet & Imperatores, in ſimilibus ſedatis per eos & ipſorum autoritate ſchiſmatibus, tunc in eadem Eccleſia Romana exortis, in geſtis Romanorum Pontificum & Regum feciſſe leguntur.

Exemplo aliorum Imperatorum.

Sic ergo primo *electus in Romanum Regem* procuret *unionem in membris*, ſecundario *in capite*. Ut tunc coronam imperii absque læſa conſcientia ſecure recipere poſſit, & ſic totam Eccleſiam præſtare Domino redintegratam in vinculo unionis. Ut tunc, ubi abundavit peccatum, ibi juſtitia regnet, in multitudine proborum & juſtorum. Et tunc bene Pſalterium cum cithara concordabit.

Sic cuncta redintegratum Cæſarem.

Caput XXIII.

Acris cenſura pecuniariarum Papæ conſtitutionum circa tempora Concilii Conſt.

Conſequenter autem ad alia, ubi videmini innuere, quod *Papa reſervarit ſuæ diſpoſitioni omnes Cathedrales Eccleſias*, & *dignitates abbatiales*, nec non *omnes prioratus conventuales*, & majores poſt Pontificales in Cathedralibus,

Digitized by Google

Reſervationes Papales variæ.

bus, nec non omnes Principales dignitates in collegiatis Eccleſiis, ubicunque vacantes & vacaturas, *ne ordinarii poſſint quoquo modo de eis diſponere.* Et ideo videbamini quærere, utrum tales *reſervationes* ſecundum Deum & conſcientiam poſſint jure teneri, aut defendi? Et an illas dignitates capientes poſſint eis licite uti?

Papam non plus ordinare poſſe quā à Chriſto vel Eccleſia illi conceſſum.

Cui quæſtioni arduæ reſpondeo, unico medio jam quaſi ſuperius deſcripto, per totum: Quod *Papa non poſſit plura in Eccleſia ordinare* & ſtatuere, *quam ab ipſo Chriſto* primò, & poſt *ab ipſa univerſali Eccleſia eſt & fuerit ipſi conceſſum.*

Ius de terrenis diſponendi, Papæ non eſſe conceſſum à Chriſto. Nec Petrū tale jꝰ exercuiſſe.

Non enim legimus, *Chriſtum* illi contuliſſe poteſtatem, beneficia, dignitates, Epiſcopatus, villas, terras diſpenſandi aut diſtribuendi.

Pœnitentiam prædicandi & abſolvendi jus, Petro & aliis Epiſcopis datum.

Sed nec unquam legimus, *Petrum* hæc feciſſe. Sed ſolum hanc *poteſtatem* ei tribuit ſpecialem ſcriptam *Matth. XVI. quam etiam minimo mundi Epiſcopo conceſſit*, ſcilicet: *Quodcunque ligaveris ſuper terra, erit ligatum & in cœlis*, ſcilicet per pœnitentiam, & *quodcunque ſolveris* &c. per abſolutionem & indulgentiam, ſed clave non errante.

Veruntamen poſt, creſcente modernorum Imperatorum & Regum ac Chriſtianorum fidelium devotione, creverunt in diverſis mundi partibus Eccleſiæ, quæ diverſo indigebant regimine. Quocirca per univerſalem Eccleſiam in diverſis generalibus conciliis certæ poteſtates *diſpenſandi certa beneficia* ſunt Papæ collatæ, ac faciendi alia. *Reliqua* vero *beneficia diſpoſitioni ordinariorum* ſunt *commiſſa.*

Elegans ordo antiquus beneficia Eccleſiæ diſpenſandi.

Ut quod patriarchæ & Cardinales per Papam inſtituerentur, primates vero per Patriarchas, Archi-Epiſcopi per primates, Epiſcopi per Archi-Epiſcopos, Abbates vero & reliquæ dignitates per ordinarios. Ita per multa tempora, plus quam per mille & ducentos annos adſtitit Regina, Eccleſia, à dextris Chriſti in veſtitu deaurata, & circumdata varietate diverſorum graduum & ſtatuum in Eccleſia, ſic fuit diſpoſita, ſic ordinata, ut ſatis prolixe & clare in Decretis continetur.

Reſervationes beneficiorū ſenſim ortæ.

Creſcente vero poſtea, ut ſuperius pluries tactum eſt, *intolerabili pompa*, *avaritia* & *ambitione* in Papa & Cardinalibus, *inceperunt modicum beneficia reſervare.*

Epiſcopi juribꝰ ſuis per Papas privati.

Et quia *nullus* eorum malitiis, *propter defectum conciliorum*, *reſtitit*, ſucceſſive *omnia mundi beneficia reſervarunt*, rapina manifeſta, *Epiſcopos* & ordinarios ſuis poteſtatibus & autoritatibus & conſuetudinibus & *juribus* ſine cauſa *privando*: Immemores illius, quod *non debeat inde procedere injuriarum occaſio, unde jura naſcuntur.*

Ordo Eccleſiaſticus confuſus.

Et ſi ſua jura unicuique Epiſcopo non ſervantur, quid aliud eſt, quam ut *ordo Eccleſiaſticus confundatur?* Nec jura proclamat, nec dicit Papa: Nec honorem meum reputo, in quo fratres meos, ſcilicet Eccleſiaſticos Prælatos, honorem ſuum perdere cognoſco. Cur igitur modernis temporibus tam variè *Papa veteris ſermonis oblitus* quaſi omnia jura ſuorum fratrum ſibi uſurpare conatur, faciendo *mille regulas in* ſua *cancellaria ad habendum ſemper pecunias recentes & multas?*

Regulæ Cancellariæ Ro.

Juſtitiæ exilium.

Et quidem *remota juſtitia non ſunt regna niſi magna latrocinia.*

Bona Eccleſiæ cui uſui olim deſtinata.

Præterea bona temporalia per Conſtantinum & ejus ſucceſſores, Catholicos Imperatores & Reges Romanos, collata ſunt, ut Papa, Epiſcopi & Prælati de illis *ad certos pios uſus* in jure deſcriptos pro tempore diſpenſarent, & potiſſimum ex illis pauperes nutrirentur. Pro quibus faciendis licitum eſt etiam vaſa ſacra alienare. Et plus Epiſcopi & ſacerdotes ad illos debent intendere.

Ideo dico, quod ſecundum Deum & rectam conſcientiam, ex quo *Papa cum ſuis Cardinalibus transgrediuntur terminos rationis & juſtitiæ*, *quos ſtatuerunt patres noſtri*, *fingentes autoritates & poteſtates ſibi collatas fuiſſe à Chriſto*, quas nunquam legimus in Evangelio, excedentes etiam limites conciliorum generalium, & *uſurpantes ſibi tales poteſtates*, *quas per mille annos nunquam Papæ auſi ſunt facere* vel attentare, qui, vel ſaltem multi, fuerunt meliores, ſanctiores & digniores Pontificibus hujus temporis: Quod inquam

Reſervationes Papales deſcriptæ.

quam, *tales reſervationes* ſint *rapinæ manifeſtæ*, *violentiæ publicæ*, *jura papalia iniqua & abuſiva*, conſuetudines Diabolicæ ad omne malum inductivæ. Nec talium reſervationum eſt capax papalis autoritas, nec etiam poteſt exercere, niſi univerſalis Eccleſia ſic vellet diſponere.

Eccleſiaſtica beneficia à Papa accepta poſſe retineri.

Et ideo dico, eorum *promotiones & proviſiones* non tenere quoad Deum. Licet forte quoad militantem Eccleſiam videantur validæ eſſe: Et ideo Eccleſiaſtica, beneficia vel proviſiones acceptantes, tamen ſine dolo & fraude, atque ſine Simoniæ rabie, ſecundum Deum licite poſſint retinere. Excuſantur enim ignorantia invincibili, & ſimplicitate excuſabili. Licet ea ſimpliciter dimittere, & non illo modo per reſervationem acceptare, judicarem apud Deum tutius & perfectius eſſe.

Bonis paſtoribus Eccleſiam deſtitui propter illas conſtitutiones pecuniarias.

Ex iſtis conſtitutionibus innuere videmur, quod propter eas *Eccleſiæ* & monaſteria *bonis Paſtoribus defraudentur*, *propter forum & mercimonia* in talibus ejuſdem *Romanæ curiæ*. Nec amplius, ut dicitur, electi audiuntur cum ſuo jure, qui non habuerunt, unde ſolverent: Vel ſi habeant, ſed alter ſuperveniens plus offerat Papæ & Cardinalibus, ut promoveatur ad Epiſcopatum vel abbatiam, de qua, ſeu quo petitur confirmatio aut proviſio fieri pro electo.

Caput XXIV.

Graves ſtricturæ in noviſſimas illo tempore Conſtitutiones pecuniarias Alexandri V. & Johannis XXIII.

Subſequenter autem venio ad illas *novellas conſtitutiones Alexandri & Johannis* prædictorum, quibus cavetur, quod promotus ad aliquam Eccleſiam cathedralem, vel aliquod monaſterium &c. & quod impetrans beneficium reſervatum à Papa &c.

Peſtiferæ conſtitutiones Johannis XXIII. proxime ante Concilium Conſt.

Huic quæſtioni, Pater reverende, cum non ſint de jure, ſed de facto hæ *peſtiferæ conſtitutiones*, ſatisfacere nequeo ad præſens, cum ſint ſuper *violentia manifeſta*, *Simonia publica*, *rapacitate lupina*, & ovium Chriſti diſperſione fabricatæ, quæque ad aliud non ſunt, niſi *ut eorum conditores furentur*, *mactent & perdant*, ipſi videlicet *Papa & Cardinales*.

Imperatorem non teneri ulli ex tribus illis Papis nomen ſuum dare.

Quocirca, ut futurus *Rex* vel *Imperator Romanus*, Domino concedente, adhæreat dictis *Angelo* & *Petro*, & tali lupo rapaci, & tali raptori tyranno, qui non regnat in Eccleſia, nec principatur propter bonum commune, ſed ſolum propter bonum privatum, & ejus principatus eſt manifeſta tyrannis, quod ſana conſcientia compellat, ſeu compelli faciat, aut audeat compellere, non video.

Malis Pontificibus non eſſe obediendum.

Quia, licèt dicat Apoſtolus: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita debet eſſe*: Veruntamen in his, quæ non vergunt in blaſphemiam creatoris, ſeu injuriam fidei & noſtri Redemtoris. Sed non poteſt major eſſe creatoris blaſphemia, quam ut *Eccleſiam* ſuam, Chriſti ſponſam ſpecioſam, ſuam filiam electam, quam pretioſo ſuo ſangvine, cum tot injuriis, alapis, verberibus crudeliſſimis, & tandem patibulo crucis, gratis ex ſola ſua miſericordia redemit, mercimoniis, & *in foro publico, homicidis*, *adulteris*, *raptoribus & malignis*, *venalem* indifferenter noſtri ſuperiores *exponant*, *proſtituant*, *& tanquam meretricem pro quæſtu tradant*: Non advertentes, quod *magis oporteat regulare concupiſcentias*, *quam ſcribas*, ut dicit Philoſophus, *II. Politicorum*.

Eccleſia fata ante Concilium Conſt.

Artes ſacra Johannis XXIII.

Quippe Judas ſemel pro XXX denariis Chriſtum vendidit, *iſti* autem *omni die centies Chriſtum & Eccleſiam vendunt*, non ſolum pro XXX denariis, ſed *pro mille* & *pro centum*. Et aliquando *uni vendunt*, & poſtquam pecunias habent ab eo, iterum *ab eo* tollunt, & *alteri pro pecunia exponunt*.

Sic ergo concludo, quod ſuperioribus ſit obediendum in licitis & honeſtis,

Digitized by Google

ſtis. Non autem compelli debemus ad eorum obedientias, ubi opera eorum ſunt notorie prava, & totam Eccleſiam ſcandalizantia, ubi eſt patrimonii Chriſti manifeſta diſſipatio, & injurioſa diſpenſatio, ubi *paſtores* ſunt *tonſores*, ubi *non* ſunt *agni*, *ſed lupi*, ubi *non* ſunt *diſpenſatores* myſteriorum Chriſti, ſed *diſſipatores*, ubi non ſunt *ſobrii* ſed *ebrii*, ubi non ſunt *Prælati*, ponentes animas ſuas pro ovibus ſuis, ſed *Pilati*, ſatisfacientes aliorum cupiditatibus & deſideriis, & ubi non mittunt retia ſua in *capturam animarum*, ſed *pecuniarum*. Omnis enim eorum cura circa *acquiſitionem pecuniarum* eſt. Et breviter, ubi non *Chriſti*, ſed mores gerunt *AntiChriſti*.

Eccleſiaſticorũ deſcriptio, quales circa tempora Conc. Conſt. in Eccleſia eminuerint.

Res pecuniaria præcipua olim cleri cura.

Et ideo Chriſtus dixit, talibus non obediendum. *In noviſſimis enim temporibus multi venient in nomine meo dicentes: Ecce hic Chriſtus, Ecce illic Chriſtus.* Sicut modo dicitur: Ecce hic eſt verus Papa, ecce iſte alius eſt verus Papa. *Nolite credere eis*, ait Chriſtus. Imò, ſi nos debemus ſubtrahere ab omni fratre ambulante inordinate, quanto magis à ſuperiori perverſo & iniquo, ex cujus exemplo tota corrumpitur reſpublica, & ſancta mater Eccleſia deturpatur.

Simonia Johannis XXIII.

Sic ergo *hæ novellæ conſtitutiones* etiam ſunt *publica Simonia*, & notoria violentia, ex quibus ſcandalizatur tota Eccleſia.

Similis in Eccleſia nunquam audita.

Quis unquam audivit vel legit, olim per Petrum aut ejus ſucceſſores in papatu intra mille annos & ultra fuiſſe talia attentata? Quæ ſi quandoq; tunc facta fuiſſent & cognita, nemo ad fidem catholicam propterea, niſi omnino reprobus (ut ſic etiam illis lucrari potuiſſet, prout *Simon magus*, tentando Petrum, per pecunias ſe obtenturum credidit,) converti veriſimiliter potuiſſet.

Simoniaci ſub Joh. 23.

Quapropter recipientes & procurantes taliter Eccleſias & beneficia, & pro eis ſolventes *juxta tenorem hujusmodi conſtitutionum*, ſcienter & animo deliberato *ſimoniam committunt*, & mortaliter peccant, & renunciare ipſis Eccleſiis, beneficiis, officiis ſic obtentis omnino tenentur, & inhabiles ſunt ad alia beneficia obtinenda, cum ſuper hujuſmodi Simonia Papa non poſſit diſpenſare in Dei Eccleſia.

Gehaſita.

Nam ſi *Gehaſi* propter unam miſeram tunicam ſibi collatam, quam tamen non poſtulavit, lepram incurrit & vindictam Dei ſenſit: Quanto magis vindicandi ſunt ementes & vendentes Dei & Chriſti ſanctuaria, & beneficia ſacra, quæ de jure divino vendi aut emi non poſſunt, ſuper quo jure divino Papa nullam poteſtatem videtur habere.

Et ideo corollarie infero, quod ſi aliquod beneficium, aut abbatialis dignitas vacaret, quod, ſeu quæ *in curia Romana* eſſet reſervatum vel reſervata, & de ipſo vel ipſa tam ordinarius quam Apoſtolicus providerent, veruntamen *ordinarius* providerit gratis juſto, literato & virtuoſo: Apoſtolicus autem ſecundum tenorem illarum conſtitutionum, quæ hæreſin aliqualiter videntur ſapere, provideret uni, alteri: Certe ſecundum Deum collatio ordinarii tenebit, & *ſecundum rectam conſcientiam*, quia gratis accepit, & gratis dedit, *ſecundum* etiam *leges & decreta*, quia collatio talis beneficii ſibi à primitiva & ſancta univerſali Eccleſia fuit conceſſa, licet Papa eum tali collatione per neſandas reſervationes privaverit ſine cauſa. Quam privationem & reſervationes Papa non potuit facere, ut prædixi, cum non poſſit contra ſtatuta generalium Conciliorum primitivæ Eccleſiæ univerſalis aliquid ſtatuere vel ordinare, ut ſuperius dixi. Et ideo ſecundum *jura* & *rectam conſcientiam* in caſu illo tenet ordinarii collatio: Quia Papæ reſervatio eſt manifeſta violentia & rapina. Licet de facto forſan fiat oppoſitum.

Epiſcopos ſuis juribus poſſe uti, invitis Papis.

Et ideo, quia jam Prælati noſtri temporis ſunt canes muti, non valentes latrare, hæ *peſtiferæ conſtitutiones* & *reſervationes* juris & legis nituntur occupare locum, in tantum, ut horribile ſit dicere, *quot mala per hujusmodi reſervationes fiant*: Cum illi, qui ſunt *familiares Cardinalium*, aliquando *homicidæ*, *illiterati*, ſeu irregulares, *coqui*, *ſtabularii*, *mulaterii*, per hujusmodi regulas cancellariæ poſſint in Eccleſiis cathedralibus habere dignitates, canonicatus;

Prælatis tacentibus reſervationes auctæ.

Quibus beneficia ſacra olim tributa.

nicatus: Sed illi, qui ſunt Magiſtri in artibus vel medicinis, Baccalaurii in jure canonico, vel civili, nequaquam poſſint tali gratia gaudere.

Literati & virtuoſi a beneficiis ſacris olim excluſi.

Ex quo patet evidenter, quomodo per hujuſmodi reſervationes *virtuoſi & literati excludantur, ribaldi* vero, *illiterati* ac *diſcoli* & malefactores promoveantur.

Et quia omne, quod non eſt ex fide & charitate, peccatum eſt, propterea omnes recipientes promotiones, prætextu hujuſmodi reſervationum, ſunt in ſtatu damnationis & filii mortis, niſi velint pœnitere & beneficia ſic adepta ſimpliciter relinquere, quia non intrant per oſtium ſed veniunt aliunde. Et ideo dixit Chriſtus de iſtis omnibus: *Jam omnes, quotquot veniunt, fures ſunt & latrones, quia aſcendunt aliunde, quam per portam fidei & charitatis*, ac inſtitutiones Chriſti & primitivæ Eccleſiæ, & ſanctorum ſtatutorum, canonum & *conſtitutionum ſanctorum Patrum*. De quibus, ut videtur, modicum aut nihil jam in Eccleſia Romana tenetur. Ita ut jam *liber decretorum & decretales*, cum tanta ſollicitudine ab antiquis compilata, ſpernantur, & quaſi pro cifra in Eccleſia Romana, imò pro deriſu & contemtu habeantur, propter hujuſmodi reſervationes Diabolicas.

Fures & latrones in Eccleſia.

Implorat Gerſon auxilium divinum.

Exſurge igitur, o Deus, in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum tuorum! Exurge, o Deus, in præcepto, quod in primitiva & ſancta Eccleſia tua mandaſti, & ſynagoga populorum Chriſtianorum circumdabit te! Conſumatur nequitia peccatorum, & malorum Pontificum & Cardinalium! Erige juſtum & ſanctum Papam, qui Eccleſiam *in moribus & virtutibus, antiquisq; conſuetudinibus* dirigat & conſervet.

Caput XXV.

Corruptisſimos Eccleſiaſticorum mores ex Eccleſia prorſus eſſe eliminandos.

Sed ponatur, ut dicitis, quod *Papa* cum ſuis Cardinalibus *omni die jugiter parturiat injuſtitiam*, concipiat dolorem, ſcilicet peccati, pariat iniquitatem, non curet de mandatis generalis Concilii, ſed velit perſeverare in malitia peccati, & *Simoniæ* per maxime, quid erit faciendum?

Comparantur Eccleſiaſtici ante Conciliū Conſt. cū ſacerdotibus Belis.

Certe, Pater mi, quod dicitis, ultimo faciendum. Sicut enim illi *ſacerdotes Bel*, qui devorabant ſacrificia Bel poſita, & mentiebantur, dicentes populo, die altero, quod Bel devoraſſet illa ſacrificia, propter quod libenter Bel populus ſacrificabat: Dum tamen fuit repertum, quod fuerit fallacia & deceptio maxima, de mandato Regis Babiloniæ omnes pariter ſunt miſſi in lacum leonum & devorati, nullus ex eis ſuper terram remanſit: Etiam *hi ſuperiores presbyteri*, *mentientes Deo & hominibus*, cum quibuſdam *indulgentiis* & benedictionibus & *diſpenſationibus*, prædicantes multa, quæ non ſunt, & dicentes bonum malum, & malum bonum. Qui, niſi *totaliter eradicentur*, ita, ut *plantatio Bonifaciana*, quam non plantavit cœleſtis agricola, *extirpetur*, & à communitate hominum ſegregetur in perpetuum, ita ut apud poſteros unam eorum oblivionem accipiant, *timeo, quod nunquam Eccleſia Dei reformetur in capite & in membris*. Imo Simonia non damnabitur, reſervationes & diſpenſationes fient ampliores, pecuniæ magis extorquebuntur, Prælatorum poteſtas & reditus diminuentur, & omnia bona mundi Papa & ejus Cardinales ſibi applicabunt.

Bonifacii IX. pravos mores ex Eccleſia exterminandos.

Reformationis deſideratæ ſpes dubia.

Non erit *Apoſtolica ſed apoſtatica*, non divina ſed maligna, in qua non eſt ſedendum, ſed longe ab ea fugiendum, juxta dictum Prophetæ: *Non ſedi cum conſilio vanitatis, & cum iniqua agentibus non introibo, odivi Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.* Quia omnis bonus Chriſtianus dicit, quod ſequitur: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum, Domine.*

Apoſtaticam Eccleſiā deſerendā, qualis ante Conc. Conſt.

Et iſti recte *impii* vocantur, cum quibus pereunt, qui eis obediunt, juxta illud:

Digitized by Google

illud: *Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam, in quorum manibus ſunt, dextra eorum repleta eſt muneribus.*

CAPUT XXVI.

Non eſſe eligendum novum Papam ex tribus remotis, nec ex Collegio Cardinalium, ante concilium Conſtantienſe exiſtentium.

ET quod quæritis, cum omnibus modis hoc generale concilium fieri debeat, *an de collegio* eorundem vel *extra illud* ſit aſſumendus, qui erit *eligendus in Papam?* Et in caſu, quod *iſti tres* cedant, an expediat, quod *eorum* aliquis eligatur? Videtur mihi, quod *nullus eorum*, *nec* etiam *aliquis de collegio eorundem Cardinalium* in Papam ſit aſſumendus.

Nova cōfuſio, ſi ex tribus Papis remotis unus iterum eligeretur.

Nam ſi aliquis eorum aſſumeretur in Papam, ſemper *perplexitas conſcientiarum remaneret* in illis, qui alteri parti obedierunt. Nec forſan primo crederent, eum Papam eſſe. Iterum illi, qui eidem antea obedierunt, poſſent aliis improperare, & dicere: Ecce verum Papam nos ſemper habuimus. Nam ſi talis non fuiſſet, nequaquam electus noviter extitiſſet.

Cardinalis in Papam electus non deſinet priſtinam exercere ſimoniam qua aſſuetus.

Nec etiam *de collegio Cardinalium* eſt aſſumendus. Primo, ne videantur eligentes ipſam unionem procuraſſe *propter utilitatem propriam*, quod quilibet ſperaret, ſe debere in Chriſti vicarium aſſumi. Tum etiam, ne majores errores & ſcandala videantur poſſe in Dei Eccleſia ponere in futurum. Nam, cum *difficile* ſit *conſveta relinquere*, ſi aliquis iſtorum aſſumeretur, *qui noverunt & continue practicarunt Simonias*, *beneficiorum venditiones*, *pecuniarum extorſiones*, & tot beneficia & monaſteria in commendas habuerunt, eorum ſingulariter ſinguli: Poſſit talis, qui aſſumeretur, iſta non agere aut practicare?

NovūPapam ex diverſis ordine regnis petendum.

Ideo, ut omnis ſuſpicio tollatur, erit neceſſe, *per generale concilium* provideri, *in quantum erit poſſibile*, ne unquam de Collegio Cardinalium aliquis aſſumatur: Sed ut è *diverſis regnis & provinciis* ordinate, & juxta ordinationem regnorum ſemper aſſumatur in *Papam*, *qui melior*, *literatior*, *in moribus gravior & ſanctior in illa provincia* ſeu regno reperiretur, non obſtantibus juribus in contrarium editis.

Electionē Papæ in iſthoc Concilio non ſolis Cardinalibus ſed optimis quibusque competere.

Quia *eligere Papam in hoc inſtanti concilio pertinebit ad perfectiores & magis expertos*, *præclaros*, *qui erunt in ipſa congregatione.*

Quia dicit Philoſophus: *Eligere recte, ſcientium opus eſt*, veluti Geometram Geometrarum, & gubernatorem gubernatorum: Qui ſint in electione conſtantes & concordes, nec inter ſe ſint in electione diviſi, ad evitandum alias novi ſchiſmatis periculum, & eſſet error noviſſimus pejor priore, quæ *diſſenſio* præcipue præcavenda eſt. Unde dicit Philoſophus, *ſicut in bellis penetrationes aperturarum etiam valde parvarum diſtrahunt acies*, *ita videtur omnis diverſitas facere diſſidionem.*

Optimus quisq; in Papam eligendus.

Et eligant talem, de quo Chriſtus dicere poſſet: *Inveni David ſervum meum*, *oleo ſancto meo unxi eum*, *nihil proficiet inimicus in eo*, & filius iniquitatis non apponet nocere ei, & conſcindam à facie ipſius inimicos ejus, & odientes eum in fugam convertam.

CAPUT XXVII.

De Romani Imperii damnis ex corruptis Pontificibus.

ET quia Principem perfectam oportet habere moralem virtutem: Inde *ſi bonum Papam haberet Eccleſia*, revera *terras Eccleſiæ recuperaret*. Imo ipſi tyranni, ſubditi rationi, & in quibus non eſt extincta συντήρησις, dum viderent,

Bonus Papa ſuas ditiones recuperaret.

rent, *Papam religionem & ſanctitatem diligere*, nequaquam contra Eccleſiam inſurgerent, nequaquam terras Eccleſiæ reciperent, imo illas, quas haberent, veriſimiliter redderent Eccleſiæ.

Mali Papæ ditiones jure diſtracta.

Nunc autem, cujus terras recipiunt? Adverſus quem pugnant? Certe contra *inimicum fidei Chriſti*, contra *facientem opera magis Diaboli, quam Dei.* Et ideo non miremini, nec eos Tyrannos nominetis, quod occupent terras Eccleſiæ, & perſequantur injuſtum. Quia executores ſunt Dei ad faciendum vindictam in nationibus, & judicium conſcriptum.

Qua occaſione diſtrahi cœperint.

Quamdiu enim Papa in bonitate vixit, & in religione ſtetit, nequaquam terras Eccleſiæ perdidit. Sed cum cœpit *ad ſe, & pro ſe, ſuisq; nepotibus & conſanguineis rapere*, trahere & ducere omnia, in duas partes abſtracta ſunt bona Eccleſiæ. Dilacerata fuit reſpublica, quæ una fuerat. Et tunc cœpit perire ſalus, decusque reipublicæ Romanæ.

Ex quibus patet, quod *Papa, ejus Cardinales*, & quidam Pontifices, *rempublicam Romani Imperii miris modis invaſerint.*

Imperium Romanũ per Papas debilitatum.

Et *tractu temporis Papa Imperium à Roma ſecluſit*, ita, ut in Imperio nihil juris aut poteſtatis reliquerit. Unde ſubſequenter etiam *alia membra & jura ejusdem Imperii* in eadem Italia paulatim *abſtracta* fuerunt. Sicut tyranni eorum terras, villas & caſtra receperunt. Quia facti ſunt opprobrium vicinis ſuis, ſubſannatio & illuſio his, qui in circuitu eorum ſunt, maxime apud illos, qui ſunt *in Italia* & prope urbem Romanam, qui melius noverunt eorum malitias, & nefanda facta, quam *ultramontani*, apud quos non eſt eorum perverſitas adhuc plene detecta.

Exile Eccleſiaſticorum pretium apud magnates unde?

Et ideo jam temporibus iſtis Reges, Principes, & Domini ſeculares modicam reverentiam habent ad Eccleſiam. Et completur dictum *Malachiæ* Prophetæ dicentis, II. Cap. *Vos ſacerdotes*, ait Deus, *irritum feciſtis pactum meum, ſcandalizaſtis plurimos in lege, receſſiſtis de via Domini, propter hoc dedi vos contemtibiles & humiles in omnibus populis.* Et Jer. XIII. *Væ paſtoribus, qui paſcunt populum meum, vos diſperſiſtis gregem meum, & non viſitaſtis eum, ecce ego viſitabo ſuper vos malitiam ſtudiorum veſtrorum.*

Jam enim viſitatur *malitia prælatorum*, jam dantur contemtui & abominationi. Et jam inſtant tempora periculoſa. Ad tantum enim abominatio eorum devenit, ut plerique Reges & Principes ſeculares conferant beneficia vel conferri faciant, clericos ad carceres ponant, eos cenſura ſeculari judicent, jura Eccleſiaſtica parvi pendant, cenſuras Eccleſiæ non curent, Eccleſiam in bonis ſuis, in quantum poſſunt & valent, deprædentur, & annullent.

Tyrannos apud Papam majoris fieri, quam bonos Principes.

Et quod mirabilius eſt, hi, qui ſunt *majores Tyranni*, & qui magis Eccleſiam impugnant & deprædantur, ac hæreſes fovent, & male vivunt, cum preces ſuas pro aliquo caſtro obtinendo, vel pro aliquo beneficio habendo, vel pro aliquo Epiſcopatu obtinendo, pro ſuis *apud Papam* & Cardinales effundunt, ſeu ipſis Papæ & Cardinalibus ſcribunt, eorum *citius* preces *exaudiuntur* & expediuntur, & ad majores honores & divitias, quam cæteri *fideles ſeculi Principes*, ſublimantur.

Quod non capit Chriſtus, rapit fiſcus.

Ita, ut jam Hieroſolyma mater noſtra, quæ ſolebat eſſe libera, ſerviat cum filiis ſuis, & impendat Tyrannis & malignis tributa & obſequia. *Quod* quidem *non recipit Chriſtus, ſuſcipit fiſcus.* Jam ſolet Regibus & Principibus ſervire, quæ ſolebat Imperatorum & Regum cervicibus imperare.

Quibus detur aurum Papale.

Et quicquid poteſt Papa *per tales Simonias* exquirere, *peſſimis viris*, ſc. Dei & ſanctorum ſuorum æmulis, *ſtipendiariis* potiſſimum *Italicis*, pro conſervando Eccleſiæ Romanæ temporali dominio elargitur. Quod facit *ſervili timore*, quo timet magis perdere homines, quam Deum, quo magis timet illos, qui ſolum corpus poſſunt occidere, quam eum, qui corpus & animam poteſt mittere in gehennam. Et quia Deum non invocaverunt, nec cognoverunt, & illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor: Ideo contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt, nec eſt timor Dei ante oculos eorum.

Timor Papæ.

Noſtri enim *temporis Papa* cum ſuis Cardi-

Johannis XXIII. modus beneficia ſacra diſpēſandi, adulando,

Cardinalibus, *ſpreto timore Dei & amore*, potius volent Principibus, Regibus & aliis potentibus complacere in beneficiis, in Epiſcopatibus, & in ſuis ſupplicationibus, quantumcunque ſint injuſtæ, quàm velint Deo complacere, quàm velint ſequi regulas juſtitiæ, quàm velint executioni demandare ſancta ſtatuta primitivæ Eccleſiæ. Ideo Deus omnipotens judex juſtus noſter arcum contra tales vibrabit, oſſaque eorum diſſipabit, qui hominibus placent & non Deo. Confundentur, quoniam Deus ſprevit eos.

Caput XXVIII.

De titulo Papali, Servus Servorum Dei, magnaque dominandi libidine.

Quomodo enim *ſervus ſervorum Dei* eſt *Papa* in terris, qui Principibus & Regibus vult citius *complacere & tyrannis*, quam Deo & ejus ſanctis & Angelis? Cum tamen dicat Apoſtolus: *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.*

Titulus papalis, ſervo ſervoru Dei, notatus.

Iterum ex parte alia, quomodo in bullis ſuis Papa videtur dicere veritatem, cum in prima linea bullarum & literarum ſuarum videtur inferre falſum dicendo: *Johannes Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei.* Nam ſi ſervus ſervorum Dei eſſet, utique pauperibus & Dei ſervis obediret ac ſerviret, vel per ſe vel alios, aut ſaltem operibus miſericordiæ eis provideret.

Eleemoſinae olim parcio diſpenſatae in curia Ro.

[illegible] Johannes 23.

Sed *ubi eſt charitas in* Papa? Vix poteris pauperem petentem eleemoſynam ad pœnitentiã ſuam, vel ſervum Dei coram ipſo aliquando videre, qui aliquam eleemoſynam vel charitatem in ejus palatio reciperet, vel aliquam conſolationem ſeu audientiam Papalem ſe ſperaret habere. Bene videbis *purpuratos, bene veſtitos, ſacmannos, tyrannos & ſoldatos* ad eum intrare: Sed nequaquam pauperes, male indutos, & virtuoſos, literatos, ac conſcientioſos ad eum ingreſſum habere, niſi caſu, vel raro.

Quid fuerit Papatus ante Conc. Conſt.

Et unde hoc? Quia jam non eſt *papatus* Deo militans, ſed *negotiis ſecularibus ſe implicans.* Imò jam non eſt ſervus ſervorum Dei, ſed verius, ſi vellet, *Johannes Epiſcopus Dominus Dominorum.* Quia præſumit dicere, eſſe *tantam ſuam poteſtatem, quantam Chriſtus habuit, ſecundum quod Deus, & ſecundum quod homo.* Nam Chriſtus ſecundum quod Deus, habuit poteſtatem *in cœlo*, quam ſemper habuit ut filius Dei: Habet etiam poteſtatem *in terra*, ſecundum quod homo. Et ideo dixit: *Data eſt mihi poteſtas in cœlo & in terra*, in cœlo per glorificationem, in terra per redemtionem.

Arrogantia Papae Johan. 23.

Poteſtatē Chriſti in cœlo Papa non eſſe datam.

Verum *poteſtas* ipſi *Papæ non eſt attributa*, ut fuit *Chriſti*, ſecundum quod *filius Dei.* Quia illa eſt impoſſibilis illi committi: Cum nulla creatura aliam poſſit beatificare, nec gratiam aut gloriam ipſi præbere.

Poteſtatē Chriſti in terra Papæ non eſſe datam.

Nec poteſtas ut *hominis Chriſti ei eſt attributa.* Quia nulla creatura redemtionem naturæ humanæ potuit peragere ſecundum Anshelmum.

Poteſtas Papæ, ſpiritualium denunciatoria.

Ergo ipſi *Papæ non eſt attributa poteſtas illa, quam ipſi Papæ credunt, in cœlo & in terra.* Sed ſolum eſt ei data *poteſtas ſpiritualium denunciatoria* ac *abſolutoria. Denunciatoria.* Nam quem abſolvit, oſtendit eſſe abſolutum in Eccleſia: Quem ligat, in Eccleſia militante oſtendit eſſe ligatum. Et iſta eſt ſententia omnium doctorum Theologorum. Quod patet. Nam *Papa non remittit peccata, ſed ſolus Deus* eſt ille, qui delet iniquitates. Sed bene abſolvit, h.e. *abſolutum oſtendit.* Sicut Lazarus primo fuit à morte per Chriſtum reſuſcitatus, & poſtea per diſcipulos ſolutus. Ideo Chriſtus dixit illis leproſis: *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus.* Nam quos ipſi *abſolutos oſtendunt*, militans Eccleſia pro abſolutis recipit. Secus autem de Eccleſia triumphante, quando clavis Papæ errat.

Papa non remittit peccata ſed Deus.

Sed ponamus, quod Papa non *curet* de iſta expoſitione, quæ tamen veriſ-

Eminentiſſima Papæ poteſtas.

Mentiri Papam in titulo.

ſima eſt, & rationis ſecutiva: Sed dicat: Certe *poteſtatem habeo in cœlo & in terra*, in *purgatorio*, in *paradyſo*, & de plenitudine poteſtatis meæ poſſum facere, quod mihi libet, & nullus debet eſſe, qui dicat: Cur hoc facis? Revera tunc *Papa non deberet mentiri in literis ſuis*, dicendo: *ſervus ſervorum Dei*, ſed, *Dominus Dominorum mundi.*

Gregorii M. humilitas in papatu ſuo.

Ipſe tamen *Gregorius* ſanctus & *Magnus*, *qui primo ſic ſcripſit*, vere ſic potuit ſcribere, quia ſervus ſervorum erat, omni die pauperes & ſamelicos reficiebat, nomina pauperum totius provinciæ in ſcriptis habebat, & opera Chriſti indeſinenter agebat, beneficia Chriſti virtuoſis conferebat, & re pauper erat, Evangelia etiam Chriſti clero & populo exponebat, libros plurimos pro corroboratione & augmento catholicæ fidei ſedulo conſcribebat, ſanctos Epiſcopos ad magnam Britanniam, quæ nunc vocatur Anglia, & alia diverſa loca mundi, pro converſione infidelium dirigebat, *Imperatores ſui temporis reverebatur & honorabat*, & ſua oratione ad Dominum Romanum populum à peſte ingvinaria liberabat, & alia multa pia opera usque ad ejus vitæ terminum exercebat. Hic exemplo præcognoſcens, ſe receptum iri in Papam, ſugit, & in latibulo ſtetit per triennium, antequam divinitus, quod ibi lateret, populus cognoſcebat.

Gregorium M. neminem velle ſequi.

Sed *non ſic fit hodie.* Imo quilibet, quantumcunque etiam impotens ad regendum papatum, ſi vacaret, ex eisdem Cardinalibus ad illum ſtatum eligi vellet.

Caput XXIX.

De ominoſo Papæ ſigillo, in quo duo capita, Pauli & Petri.

Pauli & Petri capita in ſigillo Papæ.

Item aliud notandum, & quaſi *miraculoſe appoſitum* videbis in literis Apoſtolicis. Sunt enim ibi *duo capita.* Et *primum* eſt *Pauli*, qui tamen nunquam ſuit Papa, nec Epiſcopus, ipſo dicente: Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus. *Secundum* vero eſt *Petri*, qui fuit Papa & Apoſtolus.

Scientiã in Papa magis requiri quã potentiã.

Doctrina à Christo ſæpi⁹ commendatã Petro.

Poteſtatẽ ſemel.

Ad denotandum, quod tam neceſſaria ſit clavis *ſcientiæ*, & magis quam *potentiæ.* Cum Chriſtus *illam* ſæpius replicaverit Apoſtolis, dicens: *Ite per mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et iterum: *Ecce ego mitto vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini.* Et iterum: *Qui docuerit ſic homines, minimus vocabitur, ſed qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur.* Et iterum: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris &c.* Et tantum ſemel Chriſtus dixit Petro: *Quodcunque ligaveris &c.*

Sub conditione amoris Petro datum à Chriſto munus.

Verum eſt tamen, quod poſt reſurrectionem ei dixit ter. Bis tantum: *Paſce agnos meos*, & tertio, *paſce oves meas.* Et ſubconditione tamen dixit: *Simon diligis me?* Cui reſpondit Petrus: *Tu ſcis Domine, quod amem te.* Et Chriſtus dixit: *Si ergo diligis me, paſce oves meas.* Cum ergo probatio dilectionis exhibitio ſit operis, videtur, quod *qui non diligit Chriſtum, oves Chriſti paſcere non valeat.* Sed cum dilectio Chriſti per opera manifeſtetur, neſcio, quomodo paſcat oves Chriſti, aut quomodo habeat claves Chriſti, qui *opera facit notoria Diaboli*, dicente Hieronymo. (Di. XL. can. 1. 2.) Quod illi, ſcilicet Petro, conceſſum eſt *propter auctum lucem* i. e. propter bonam & ſanctam vitã ſuam, qui toti mundo lucebat. Quia de ipſo legitur: *In plateis ponebantur infirmi in lectulis, ut veniente Petro ſaltem umbra illius umbraret quemque illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* Scilicet ſigna auxilio Dei facere ad illos ſolùm pertinet, *quos ſancta converſationis ſplendor illuſtrat.*

Canon in Decretis de Petro explicatus.

Splendor ſanctæ converſationis quis ſit?

Splendor autem *ſanctæ converſationis non eſt in dignitatibus*, potentiis, & honoribus. Quia multos potentes, multos divites videmus male converſari & peſſimos eſſe. Nam *tales dignitatem communi-*

municantur bonis & malis. Sed ſolum *ſplendor ſanctæ converſationis conſiſtit in virtutibus* & in moribus ſanctis, dicente Chriſto Apoſtolis: *Vos eſtis lux mundi, & ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.*

Gloſſa ordinaria canonis ſuperioris correcta.

Gloſſa ergo *decreti*, quæ aliter ibi exponit, eſt *mendoſa, falſa & hæretica.*

Papæ genuina munia.

Sicut ergo *ad Papam pertinet præcipere, corrigere, ſacramenta miniſtrare*, ita primo & principalius ad eum pertinet, *prædicare verbum Dei*, ut alter ſanctus Gregorius *populo exponere, fidem Chriſti defenſare, hæreticos impugnare, & ad omne bonum opus intendere.*

Papa ſtudii Theologici imperitus.

Sed quomodo *clave potentiæ* poterit ille ligare, & ſolvere, *qui nunquam ſtudio ſacræ Theologiæ vel ſcientiæ divinæ voluit intendere*, nec unquam novit prædicare verbum Dei. Quomodo inter lepram & lepram hic poterit diſcernere? Certe nequaquam. Ergo oportet, ut primò *clave ſcientiæ* vigeat, & poſt *clave potentiæ* floreat.

Arma non ſunt Papæ.

Quod etiam patet ex alio. *Non enim Chriſtus elegit potentem in armis, ut eſſet Papa* in Eccleſia ad hoc, ut defenderet temporalia. Quia Chriſtus non intendebat facere Eccleſiam temporalem, ſed perpetuam & ſpiritualem. *Non fecit papam bonum reparatorem, agricolam*, aut *bonorum temporalium defenſorem*: Quia

Exemplo Chriſti.

regnum ejus non erat de hoc mundo, ut ſuperius tactum eſt: Nec venerat ad ſanandum languores corporum, ſed animarum: Non venerat reparare caſtra materialia aut lapidea, ſed templa Dei, quæ ipſe ad ſuam imaginem formaverat, ſpiritualia & in æternum duratura, ipſo dicente: *Ad hoc enim ſum natus, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati*; Et, *Non veni vocare juſtos ſed peccatores ad pœnitentiam*: Et, *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt, domus Iſrael.*

Petrus inermis factus Apoſtolus.

Nam ſi defendere armis Eccleſiam ſanctam, quam ipſe fundavit, voluiſſet, nequaquam *Petrum Piſcatorem* in Principem Apoſtolorum elegiſſet, ſed *fortiorem militem aut ſoldatum*, quem reperire potuiſſet, principem Eccleſiæ conſtituiſſet. Tamen nequaquam hoc voluit facere. Imò Petrum dum vocaret & Andream fratrem ejus, dixit: *Venite poſt me, faciam vos piſcatores hominum.* Non enim dixit: *Faciam, vos fieri invaſores & interfectores ac ſpoliatores hominum.* Et iterum ei dixit Chriſtus: *Paſce oves meas*, & non dixit: *Coërce, corripe, degrada, interfice, deprædare, dilacera, diſperge oves meas.*

Petrus non ad arma vocatus.

Apoſtoli non vocati ad temporalium curam.

Etiam, ſi bonum *reparatorem temporalium* habere voluiſſet, meliorem *ruſticum*, qui melius ſciviſſet in agris excolendis, in vineis plantandis, aut *domificatorem*, qui melius domos erigere, caſtra fundare, muros facere potuiſſet, forſan elegiſſet.

Papa ſit ſumme literatus.

Nec mirum, quod *in Papa requiratur, ut ſit ſumme literatus.* Nam ſi ad *Imperatorem Romanum*, ad inſtructionem catholicæ fidei laborantem pertineat, ut ſummatim noverit, quid in catholicis approbet aut confirmet, & plura, nec non in hæreticis, quid reprobet, puniat, aut exſtirpet: Multo fortius hæc requiruntur in *Papa.*

Virtute & ſcientia Eccleſia gubernanda.

Quia Chriſtus *Eccleſiam* ſuam ſanctam *duobus generibus hominum duxit committendam*, gubernandam & regendam, ſcilicet *ſanctis & virtuoſis, prudentibus & literatis.* Quod notatur per hoc, quod primo *Apoſtolos*, qui primi fuerunt poſt eum patres, *decoravit ſanctitate & charitate*, dum Spiritum ſanctum in eos inflavit, & dixit: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis &c.* Sed quia Apoſtoli non debebant ſibi ipſis vivere, ſed totum mundum ad fidem Chriſti reducere, quod facere non poterant ſola devotione & ſanctitate, cum ipſi deberent pro injuſtitia agonizare & usque ad mortem ſtare pro veritate: Ideo in *die Pentecoſtes factus eſt repente de cœlo ſonus, ſeditq; ſuper ſingulos Apoſtolorum Spiritus S. & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ; & loquebantur variis linguis, prout Spiritus S. dabat eloqui illis*: Et tunc fuerunt illuminati & pleni ſcientia ad defenſionem fidei.

Papæ genuina officia.

Et ideo hanc *clavem ſcientiæ*, ut dixi, debet habere *Papa* cum clave potentiæ de neceſſitate, ut *ſciat omni poſcenti ipſum de fide rationem reddere*, & *doceat in fide virtutem*, & *in virtute abſtinentiam, &*

in abſtinentia pietatem, timorem Domini, ſecundum Apoſtolum, & *prædicet verbum Dei oportune & importune, obſecret & arguat, ac increpet in omni patientia & doctrina.* Aliàs vere ſi cœcus cœco ducatum præſtabit, ambo in foveam cadunt.

Prælatos ignorantes eſſe pura entia ſine ſcientia.

Et ideo credo, quod, ex quo venerunt *Prælati ignorantes*, qui non ſunt niſi quaſi *pura entia, ſine virtutibus & ſcientia*, ad regendum Dei Eccleſiam: Tunc primo invaluerint hæreſes & ſchiſmata, & Dei Eccleſia in omnibus ordinationibus ſuis & religione ſit & fuerit confuſa & diviſa. Et ita dixit Eſaias Propheta: *Propterea ductus eſt captivus populus meus, quia non habuit ſcientiam, nobiles ejus interierunt fame, populus ejus ſiti exaruit.* Et ideò ait ſapiens: *Os prudentis quæritur in Eccleſia.* Et in Daniele ſcribitur: *Qui docti fuerint, fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, &, qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ æternæ perpetuitatis.*

Damna ex illis nata.

Caput XXX.

Summa capita Reformationis, in Concilio Conſtantienſi ſuſcipiendæ.

Conc. convocandū per Principes.

EX quibus omnibus luce clarius conſtat, quæ ſuperius diximus, quod *futurum Concilium* omnimode debeat congregari & ordinari per Principes, ſive ſeculares, ſive Eccleſiaſticos Prælatos.

Eccleſiæ membra reunienda.

Et ante omnia fiat reincorporatio & reintegratio membrorum univerſalis Eccleſiæ.

Unum bonū Papā eligendū.

Et ſecundario fiat *unus paſtor*, univerſalis & indubitatus, ab omnibus approbatus & certus, *vitæ laudabilis, honeſtæque converſationis*, modo quo dixi.

Poteſtatē Papalem reſtringendam.

Poſtea fiat ejuſdem paſtoris ſuæ *poteſtatis*, quæ nimia eſt, & multum diminuit & privavit jura aliorum Prælatorum, quædam *limitatio & moderatio.*

Primæ Eccl. conſuetudines bonas revocandas.

Quarto autem *jurium antiquorum*, & decretorum ac conſuetudinum antiquarum *primitivæ Eccleſiæ* fiat *reformatio & innovatio.*

Papam & Cardinales legibus obligandos.

Quinto fiant *ſtatuta* talia & *ordinationes* tam *circa Papam* quam ejus *Cardinales*, ut amplius in poſterum non valeant ſchiſmata eſſe, nec aſſurgere.

Eccleſias Cardinalibus ſubtrahendas.

Sexto provideatur monaſteriis & Eccleſiis, ac beneficiis curatis: Ut *nullatenus dentur in commendam aliquibus Cardinalibus*, ſeu aliquibus Prælatis, niſi adeò eſſent pauperes, ut in eiſdem perſonaliter reſiderent, ſicut curati rectores.

Pecuniarias Papæ conſtitutiones abolendas.

Septimo deſtruantur *abuſiones*, imo *violentiæ, manifeſtæ rapinæ & extorſiones cameræ Apoſtolicæ*, & ejus *peſtiferæ conſtitutiones, cenſuræ & excommunicationes ac privationes.*

Eccleſias ſingulas reſtituendas.

Octavo revocentur commendæ, incorporationes & uniones Eccleſiarum, cæteraque tempore ſchiſmatis facta contra Deum & conſcientiam, & monaſteriorum erectiones in Eccleſias parochiales, ac rapacitas duorum ſeu trium beneficiorum incompatibilium, ſub prætextu diſpenſationum.

Grado Academicos eſſe moderandos.

Et provideatur *univerſitatibus* Studiorum, ne de facili in eis promoveantur Doctores & Magiſtri.

Gloriam Dei & pacem Eccl. ab omnibus eſſe promovendā.

Et omnibus aliis talis diligentia adhibeatur, ut Deus glorificetur, Eccleſia univerſalis ſancta pacificetur, & totus mundus ac Chriſtianitas ſalvetur, ad honorem & laudem ejus, qui cum Patre & Spiritu S. regnat & vivit benedictus in ſeculorum ſecula. Amen.

COM-

COMMENTATIUNCULA
De Emendationis Eccleſiaſticæ, à *Getſono* deſideratæ, publicis olim fatis in GERMANIA ſub *Sigiſmundo, Alberto, Friderico III. & Maximiliano,* Imperatoribus.

CAPUT I.

De Conſiliis Gerſonianis, in GERMANOS *transferendam eſſe Emendationis Eccleſiaſticæ operam, & per* ROMANORUM IMPERATOREM *conficiendam.*

Gerſonis, *Academiæ Pariſienſis Cancellarii,* impenſum *pro emendanda Eccleſia ſtudium* , non duntaxat ex toto vitæ ejus ambitu , ſupra *Parte IV.* deſcripto , abunde conſtat, ſed & ex *præſenti* ejus memorabili *monumento* , *proxime ante Conſtantienſe Concilium edito*, clare elucet.

Neque verò privatum hunc fuiſſe affectum crediderit, qui meminerit , & *Regis* & *totius Galliæ eundem* fuiſſe *animum.* Quod deſiderium nec *Galliæ* duntaxat limitibus tunc circumſcriptum , ſed *per univerſam* quoque *Germaniam* & *vicina regna* diffuſum.

Cujus *publici deſiderii* pertinacia & *conſtantia* , ſex quidem & pluribus Conciliis magnis pro univerſalibus habitis *exercita*, nulla adverſitate frangi aut debilitari potuit. Nec enim *Piſanum* A. 1409. ſatisfecit , nec *Romanum* reſpondit A. 1412. Nec *Conſtantienſe* plane effecit A. 1415. Nec *Papienſe* & *Senenſe* implevit A. 1423. nec *Baſileenſe* prorſus abſolvit A. 1431.

Sane, ex quo *Bonifacius IX.* in Italia & *Benedictus XIII.* in Gallia agentes, proxime ante Concilii Piſani fata, convaſando auro nimium quantum eſſent intenti , cum detrimento virtutis ac religionis in ordine Eccleſiaſtico & civili , judice *Gerſono, ſup. c. 25. fol.* 130. *Galli* præ ceteris, *publice* de hac Eccleſiæ calamitate *conqueſti.* Quod vel ex ſcriptis ſuperioribus, *Nicolai Clemangii*, & noſtri *Gerſonis*, utriusque Galli , ſatis abundeque patet.

Hinc maturo conſilio Rex Galliæ, cum Benedicto obediendum amplius eſſe pernegaſſet , *Arreſtum* ſeu Decretum *Curiæ Parlamenti Pariſienſis* A. 1406. d. 11. Sept. publicari juſſit , *De Annatis non amplius ſolvendis.*

Grave hoc edictum CAROLUS VI. *Francorum Rex*, ſolenniſſime oppoſuit *Benedicti Papæ XIII.* in Gallia agentis duriſſimis *annatarum exactionibus* , quibus exemplo Bonifacii IX. in Italia tunc dominantis , & hic Galliam preſſit. *Exactiones Papales in Gallia.*

Rex primùm memorat, *Prælatos regni* & Delphinatus , ut & *Academiæ Pariſienſis*, graviter *conqueſtos* apud Se in Curia Regia fuiſſe de *duris* & *iniquis exactionibus* , ut & *oneribus graviſſimis* , Eccleſiis Gallicis *à Benedicto XIII* & *anteceſſoribus Pontificibus* injuſtiſſime impoſitis. Quibus ſic eſſent *onerata*, ut *exhauſta* jacerent, niſi reme- *Querela Gallorum de exactionum papalium onere.*

medi-

Digitized by Google

medium Rex adhiberet. In *detrimentum* etiam *reipublicæ* & irreparabile damnum regni *exportari* illas *opes*.

Preces Gallorum pro levandis illis oneribus. Rogaviſſe igitur Regni primates, *exactiones* illas *Pontificis* & *Eccleſiarum onera* ab Eccleſiis Rex amoliretur. Ut officium ſuum facere poſſent Eccleſiarum miniſtri, opibus omnibus non exuti, & templa conſervarentur aut reſuſcitarentur.

Conſultatio Regis hac de re frequens. Commendatum igitur fertur hoc negotium à Rege *Conſilio* ejus *magno*. Inter quos illa de re conſultum: Iſtaque *Deliberatio* ad Regem delata.

Verùm *Prælatis* & *Academiæ* viſum, largiori opus eſſe declaratione. Exhibita igitur à Sanctiori Senatu hoc fine Regi & Parlamento *Deliberationis*, ſuper illa re inſtitutæ, *declaratio*.

Conſtituti proinde in Curia Pariſienſi *Procuratores*, tum generalis, tum patrui Regis, Ducis Bituricenſis, tum univerſitas Pariſienſis, cauſam ſuam agens.

Statuum Galliæ decretum, de Eccleſia liberanda & libertati aſſerenda per Regẽ. Benedicti exactiones damnatæ. Ab his decretum: Uti *Deus omnia pondere, numero & menſura* moderetur, ſingulas creaturas conſervans: Ita & *in regimine* quolibet *proportionem decentem ubique eſſe obſervandam*, ne aliquibus abundantibus, alii neceſſariis deſtituantur. *Benedictum* verò *Pontificem neque modum, neque pondus, neque menſuram in Eccleſia & membris ejus obſervare.* Quippe qui *jugo & ſervitute dura* illos premat, *à* nonnullis *defunctorum ſucceſſoribus ſpolia* auferat, ab aliis prælaturarum & beneficiorum Eccleſiaſticorum *vacantias* extorqueat, *annatas* expetat & percipiat, *indebitos fructus* poſtulet, aliis *iniquis exactionibus* Eccleſiaſticos infeſtet, *contra jura Chriſtianorum ac Ethnicorum*, inter quos clerus ab omni ſervitute immunis ſemper extiterit.

Papã miniſtrũ non dominum eſſe Eccleſ. Principem ſecularem tyrannum auditurum & ſuæ reipublicæ hoſtem, qui *annatas* extorquere tentaret. Multo minus *Benedictum Pontificem* tolerandum, qui, *miniſter, non dominus Eccleſiæ*, primarum annatarum fructus ſibi tyrannice vindicaret.

Samuelis ſinceritatem à Benedicto fuiſſe alienam. *Benedictum* illum *parvi pendere Samuelis ſinceritatem*, ſic populum alloquentis: *Pronunciate de me coram Domino & coram uncto ejus, num qvem alicujus vel aſinum rapuerim, num quempiam calumniatus ſim, num quemquam oppreſſerim, num à quoquam munus acceperim: Reſtituam.* Cui reſponſum: *Non es calumniatus neque oppresſiſti nos, neque accepiſti aliquid de manu cujuspiam.* Hoc Samuelis exemplum fuiſſe *Benedicto* imitandum, qui ſuis contentus ab *exactione tyrannica* abſtinere debuiſſet.

Modeſtiã Pauli à Benedicto exulaſſe. Exemplum etiam *Pauli* ab eo fuiſſe obſervandum, qui in Actis dicit: *Argentum & aurum nullius concupivi, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.*

Auguria Apoſtolorũ ac Prophetarum de antiſti- Apoſtolum verò notanter futura *Eccleſiæ fata* prædixiſſe, quando ſcripſerit: *Scio, poſt diſceſſum meum ſubrepturos vobis lupos rapaces, gregi non parcentes. Ezechielem* idem prænunciaſſe: *Facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meæ devorantur, cum non ſit paſtor. Neque enim quærunt paſtores gregem meum;*

Sed

Sed paſcunt paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcunt.

Eccleſiaſticos malos pœnas daturos.

Cui malo junctum à Deo remedium: *Propterea ceſſare eos faciam, ut ultra non paſcant gregem meum, & liberabo gregem meum ab ore eorum, ut ab eis non amplius devoretur.*

Benedictū ob avaras exactiones plectendū, obedientia illi ſubtracta.

Hanc prophetiam quadrare in *Benedictum Pontificem*, confuſa & *inordinata cupiditate* debachantem. *Nullam ei deberi obedientiam*, qui contra jus divinum & humanum pecunias ad Eccleſiæ interitum extorqueat.

Regem obligatum eſſe ad vindicādam Eccleſiæ libertatem.

Imitandum eſſe *Regi Franciæ* exemplum *Regis Joas*, qui *pecuniam, qua abuterentur ſacerdotes* tunc præſentes, *illis eripuerit, & ad templi ædificium adhibuerit.* Quod factum Joas ſummopere in ſcriptura laudetur. Quod igitur *Jojada ſacerdos* Regi Joas ſuaſerit, idem agere *Doctores* præſentes ac Regi ſuadere. Incumbere itaque Regi, omni jure adſtipulante, idem exequi. Vi juramenti, quo Rex in coronatione ſe obligaſſet, eum teneri, prælatis & Eccleſiis ſuis privilegia & juſtitiam conſervare, & contra oppreſſores defendere. Maxime, cum per *injuſtas illas exactiones* fundatores beneficiorum ſua fraudentur intentione.

Juſte negari Benedicto obedientiam.

Clamantium: Sic Papæ non obediri: Vanas voces eſſe contemnendas. Cum errent hi falſi rumoris autores. *Non perſequi*, *qui malum jam factum puniat*, aut *ne fiat probibeat*: Sed amoris hoc eſſe indicium.

Juſte negatā obedientiam eſſe edicto regio publicandā.

Monuiſſe igitur memoratur *Academia Pariſienſis* Regem ſuum, qui ſeverè ediceret, *Benedicto* non obſequendum, *neque exactiones illas ei præſtandas: Pecuniam à collectoribus & ſubcollectoribus corraſam & extortam, arreſto retinendam.* Patrimonium Eccleſiarum, *per Principes ſeculares fundatum*, pro autoritate non occupandum, neque dotem illam invadendam eſſe.

Exactiones papales abolēdas. Conſtantini inſtituto illas repugnare.

Licet enim *Conſtantinus* Eccleſiæ Romanæ ſedis præeminentiam, quam expetierant Conſtantinopolitana & Alexandrina & aliæ, conceſſerit, & ut Eccleſiaſticis officiis ſuis commode præeſſent, de vitæ neceſſariis illis proſpexerit: *Non* tamen *exactiones Eccleſiæ* imponi permiſiſſe, nulla præſertim neceſſitate urgente.

Subſidiū charitativum Papæ precibus nō eſſe negandum. Illius limites.

Quod ſi *Eccleſiæ Romanæ* patrimonium ſit direptum, ut eo uti non poſſit, *rogandas* eſſe ceteras Eccleſias, quæ *ſubſidium charitativum* ferant.

Grandis Benedicti exceſſus.

Atque hoc Eccleſiæ Romanæ concedi poſſe ac debere, *concilio annuente*, *moderamine accedente*, *juſta de cauſa*, *abſque præjudicio*, culpa non præcedente, durante neceſſitate, *conſentientibus principibus*, patronis & aliis prælatis, *non cum gravamine perpetuo & indiſtincto ceterarum Eccleſiarum.* Sicuti *Benedictus*, *Phariſæorum more*, qui decimas indifferenter de plantulis, herbis, baccis, & omnis generis fructibus extorquerent, cum gravi compulſione, ſubſidiis & exactionibus inſolitis, *contra Eccleſiarum libertatem*, extorquere ſit auſus.

Conſenſit Rex cum Statibus Galliæ, de

Sic excitatus tandem Rex refertur neceſſitate, populi clamore, regni ruina, exemplis Theodoſii, Honorii, Conſtantini, Caroli Ma-

gni,

Eccleſ. liberanda.

gni, qui *corruptionibus Eccleſiarum animoſe iverint obviam.* Hoc ſubſidium, Eccleſiæ à Rege præſtandum, eſſe: *Benedicto in his exceſſibus non obedire.* Quod abſque peccato futurum.

Nova ſtatuũ preces, Exactiones papales prohibendas eſſe.

Sic rogatus iterum Rex, qui interdictis ſuis inhiberet *Benedicti curatores, ne quis exigeret* in regno Galliæ & Delphinatu *pecunias:* Dein *ut orraſæ* per illos arreſto *retinerentur.*

Etſiverò *Benedictus* excepiſſet: Fas non eſſe, contra ſe ſic à Gallis procedi, cum in illorum conſeſſu ſuum non habeat procuratorem: Reſponſum ab *Univerſitate Pariſienſi:* Nihil hanc Benedicti exceptionem valere. Quandoquidem ordinarium proceſſum Academia non intenderit, ſed ſibi à curia Pariſienſi opem ferri rogaverit. *Benedictum* ab illis non agnoſci, *neque poteſtatem Papalem perſonæ eſſe ſed Eccleſiæ.* Debuiſſe *Benedictum* facere, quod Eccleſiæ antiſtitem deceat, non *in Eccleſiæ præjudicium;* Apoſtolo monente: *Templum Dei eſtis vos, & Spiritus Sanctus habitat in vobis: Si quis illud violaverit, diſperdet illum Dominus.* Et porro: *Non glorietur quis in hominibus: Omnia enim veſtra ſunt ſive Cephas, ſive Paulus, ſive Apollo.* Pecunias per Benedictum exactas, non ad Eccleſiæ uſum, ſed perniciem ceſſiſſe.

Benedicti proteſtatio refutata. Poteſtas papalis non perſonæ ſed Eccleſiæ.

Quare *Pariſienſis univerſitas* Regem obſecraſſe dicitur, qui *peſtilentiſſimos hos mores Pontificis* penitus aboleret, abſque mora. Cum jus gentium jubeat gladium manibus hoſtis & interfectoris extorquere & vim vi repellere.

Repetita precu Academiæ Pariſienſis, de corruptione Eccl. per Regẽ abſtergẽda. Decretũ Regis tandẽ publicatum.

Sic poſt longam & maturam *deliberationem concluſum in ſenatu* nunciat hoc edicto Rex, quod *Benedictus Papa*, & officiales vel curatores ejus, *abſtinere* debeant in regno Franciæ & Delphinatu ab *exactionibus annatarum, primorum fructuum, emolumentorum, prælaturarum, & aliorum beneficiorum quorumcunque vacantium, ſeu quæ vacaverint, aut vacatura ſint.* Deſiſtere etiam jubentur Cardinales & Camerarius Collegii à perceptione ejus partis, quam in vacationibus prælaturarum pro primis annatis vel aliàs ante præſens arreſtum perceperant.

Præterea, quæ jam *collecta* & exacta, à collectoribus vel ſubcollectoribus teneantur, *per arreſtum illis eripi mandatur.* Ita, ut ſimul illis interdicatur, ne quid ejus vel Benedicto vel alii cuipiam deferant aut ſolvant.

Decernit quoque curia regia illos *ab excommunicatione Pontificis*, quam ſuperiorum occaſione ſuſtinuiſſent, liberos.

Regium hoc eſt edictum. Quod luci quidem datum erat cum Clemangianis quibusdam in exordio ſuperioris ſeculi, ſed non ſine maculis. Repurgatum ergo ab *Edmundo Richerio* in *Hiſtoria Conciliorum Generalium Part. II. Cap. I.* Cujus Decreti argumentum hic dare, ſcopo noſtro convenientius judicavimus, & lectori gratius fore cenſuimus atque fructuoſius.

A. 1409. In Concil. Piſano nil emẽdatũ.

Poſthæc *in Piſano Concilio*, triennio abhinc Ao. 1409. remotis ſede Benedicto XIII. & Gregorio XII. *expectatum* quidem illius mali *remedium, aſt fruſtra.* Electus enim *Alexander V.* qui emendationem antea pollicitus erat, tantum abeſt correxerit, teſte

Ger-

Gerſone, ſup. c. 10. fol. 90. ut augeret potius onera, dolente *Gerſone, ſup. c. 24. f. 125.*

Alexand. V. onera Eccleſiæ auxit. A.1410.

Alexandro mox defuncto, *Johannes XXIII.* veſtigia ſuperiorum legens, onera Eccleſiæ haud ferenda vehementer cumulavit. *Vid. Gerſon ſup. c. 24.* Quare effecit Johannes ut diſpicerent Galli, qui in *novo Concilio Univerſali*, Piſis definito, iſthæc creſcentia indies Eccleſiæ damna vel minuerent, vel tollerent atque arcerent.

Johan. 23. eadem magis cumulavit.

Huc ſpectavit editum ſtatim A. 1410. à *Gerſone De modis uniendi ac reformandi Eccleſiam in Concilio univerſali* ponderoſum opus, ſupra exhibitum, quo ardentiſſima Galliæ vota luculenter exprimeret, & quid in tanta corruptione factu opus, aperte moneret. Præclaro hoc monumento illud præcipue egit Gerſon, ut aperte demonſtraret, in ROMANI IMPERATORIS autoritatem majeſtate radiantem omnem redundare Emendationis Eccleſiaſticæ ſpem. Ab hoc ſummo Imperii Romani capite, *Cæſare* auguſtiſſimo, *Eccleſiæ univerſalis advocato*, unice pendere deſideratam Eccleſiæ ex Reformatione ſalutem. Sine hac ROMANI IMPERATORIS ope irritum fore omne omnium Regum hac in re ardua ſtudium.

Gerſon immanē corruptionem damnavit.

Imperatoris jus in emendandam Eccleſiam.

Hoc jus IMPERATORIS in Eccleſiam urſit ac probavit Gerſon multis argumentis, roboravitque priſcorum Imperatorum exemplis. *Vid. Cap. XIV. & XX.* Quod ea Gerſon ſollicitudine demonſtrare ſategit, ut inter alia in hæc erumperet verba, *cap. XIX, fol.* 115. *Romano Imperio non vigente, non florebit Eccleſia.*

Jus Cæſaris probatum.

Quin & dubia ſolvit ſolertiſſime, quæ hoc *juris Cæſarei* exercitium inhibere poſſe videantur. E. g. Si Imperium vacet, quemadmodum cum Gerſon ſcriberet A. 1410. vacabat, Sigismundo nondum electo: Electionem Imperatoris eſſe maturandam, vel in Principes Imperii reliquos onus devolvi, quibus ſuccurrant alii Reges atque Principes exteri. *Cap.* 21. Similiter ſi ſit electus Imperator: Papæ inviſo ac removendo ſeſe juramentis ſolitis obligare Eum non teneri, aut ſi præſtiterit, ſervare ac præſtare non opertere nec debere. *C.* 22.

Dubia ſoluta.

Gerſoniani conſilii pondus, à ROMANORUM IMPERATORE, adeoque à Germanis, deſideratam Eccleſiæ emendationem eſſe expectandam, agnoverunt viri quique doctiſſimi, virtutis ac veritatis ſine affectuum faſcino amantes. *Theodericus* noſter *Vrie*, miſeriæ publicæ itidem miſertus, in *Hiſtoria Concilii Conſtantienſis* frequenter illo tempore monuit, *lib.* 4. *diſt.* 6. *f.* 103. 104. 105. *diſt.* 8. 9. 11. *f.* 111. 113. 115. à SIGISMUNDO ROMANORUM IMPERATORE ſalutem Eccleſiæ eſſe expectandā, Hujus eſſe jus, Concilium convocandi, de corruptione emendanda decernendi, remedia ſuppeditandi, & impedimenta tollendi.

Conſenſus aliorum de hoc jure Imperatoris.

CAPUT II.

De initiis communis Eccleſiaſticæ reformationis, in GERMANIA *à* SIGISMUNDO IMPERATORE *ex voto Gerſonis ſuſceptæ:* Quo fine primum in Germania Concilium univerſale *Conſtantiæ congregatum.*

Feliciſſimo fato id ſuo *hoc graviſſimo ſcripto* effecit *Gerſon*, ut ſtatim electus ROMANORUM IMPERATOR SIGISMUNDUS hoc ſibi negotium datum crederet, qui ex conſilio Gerſonis publico ad Concilium Univerſale pro Emendatione Eccleſiæ congregandum cuncta ſapientiſſime inſtrueret. Uſus SIGISMUNDUS ſuo hoc à Gerſone deſignato jure. Monuit extempore Papam Johannem 23. qui ſuo nomine ſynodum œcumenicam convocaret. Qui tametſi reluctari animus eſſet, alio modo Imperatoris nutum ac conſilium eludere ſtuduit, quando A. 1412. Romæ Concilium univerſale indixit, ſed, ut omnes præviderent, inane atque irritum, abſente Imperatore & Principibus Imperii, ceterisque Regibus eorumve legatis. Quod erat *Gerſonis Concilium*, Imperatorem Romanum debere repudiare concilium à Pontifice in ſua ditione indictum. Quod ibi dicendi facultas non eſſet integra. *Cap.* 8. *fol.* 87. 88.

Sigism. Imp. ſuo in Eccleſiam emendandam jure uſus eſt.

Quamobrem ſuo juri inhæſurus *Imperator Sigismundus*, aliud Concilium univerſale, & *in Germania* quidem, ſub Imperio Romano, congregandum ſtatuit, ubi de Reformatione Eccleſiæ tanto agi poſſet felicius, quanto ſecurior locus & à poteſtate Papæ remotior.

Conciliū in Germania convocandū ſtatuit.

Quod tametſi animadverteret Johannes 23. ægre Conſtantiam *ad Germanos* emigraturus, refragari tamen conſultum non vidit. Conſenſit itaque in Germaniam, quæ Concilio univerſali, ex voluntate Imperatoris, hoſpitium daret commodiſſimum, Reformandæ per Sigismundum Imperatorem Eccleſiæ aptiſſimum.

Conſtantiam Germaniæ definivit.

Hoc ergo CONSTANTIENSE CONCILIUM, IMPERATORIS SIGISMUNDI autoritate in *Germania* & convocatum & ab omnibus injuriis immune præſtitum, immedicabili malo viſum dare aut polliceri remedium.

Spes ex Concilio Conſt.

Urſit certe hoc *in Germania primum Concilium Oecumenicum*, quatuor propemodum annis, impenſe deſideratam illam emendationem Eccleſiaſticam.

Calcaria porro addere *Imperatori* non deſtiterunt, Gerſon, Petrus de Alliaco, aliique viri illuſtres ex omni orbe *in Germania* congregati. Quorum gravia monita, vota preceſque ex MSCtis mox exhibebuntur.

Scopus ejus.

Calcaria.

Delineata tunc in Germania in hac Synodo univerſali publica autoritate præcipua quæſitæ *emendationis momenta*. Conſtitutæ quoque tunc ſub cœlo Germanico *Reformationis Eccleſiaſticæ regulæ*. Quas mox *Tomo hoc I. ex MSCtis* exhibebimus.

Conſtitutiones deſiderata.

Electus novus Pontifex *Martinus V.* viſus ſtatim, benignâ Germanorum aurâ imbutus, nonnihil emendare, Novis ſuis *Regulis Cancellariæ* pro more editis, iisque ad nutum Imperatoris ac Regum atq; Principum præſentium reſtrictis atque limitatis. Quas *Martini regulas cum reſtrictionibus* ſub Germanico cœlo factis ex *MSCtis* itidem exhibere proxime conſtituimus.

Regulæ Cancellariæ reſtrictæ.

CAPUT

CAPUT III.
De primis impedimentis & in Germania *in ipſo Conſtantienſi Concilio Reformationi adornandæ objectis.*

DE cetero ſolidum effectum in *Concilio Conſtantienſi* eo ſtatim tempore videre non ſuſtinuit Imperator cum Regibus ac Principibus *in Germania* congregatis. Uti dudum auguratus e-ratGerſon, hæc fata omnia curate prævidens: Quæ finito etiam Concilio deplorare non intermiſit. Vid. *Apologia Gerſonis*, Rathembergæ in Suevia A. 1418. ſcripta. *Theodericus Vrie, lib. 7. diſt. 8. f.* 194 non celat Reformationis in Concilio quæſitæ impedimenta. *Nicolaus de Clemangiis* eadem in Concilio obſtacula Reformationi objecta indigne tulit ac fuſe notavit. Vid. ſupra *Parte II. cap. IV. fol. 37. ſeqq.*

In Conſt. Conc. oppugnata Gallorum deſideria de annatis tollendis.

Sane, ex quo *Galli* per delegatos ſuos, in quibus & *Gerſon*, in Germania in Conſtantienſi Synodo effeciſſe viſi, ut, longis Nationum deliberationibus præmiſſis, onera *Annatarum* memorata abolerentur, *lites* ſenſerunt *haud leves*, quibus totum negotium crederetur turbari atque diſſipari.

Defenderunt Galli in Concilio Germanico Conſt. ſua de annatis abolendis vota.

Quapropter *Galli*, ut ex ſuperiori ac ſæpius repetito *Gerſonis* voto rem cœptam *in Germania* auſpiciis *Romanorum Imperatoris* proſequerentur, dubia objecta ſolvere non deſtiterunt, qui in ipſo hoc Concilio ſub Germanorũ cœlo *libellum* mature ediderunt, ſi non calamo certe ex mente Gerſonis adornatum, hoc charactere inſignitum: *Apoſtoli & Reſponſio, dati per Nationem Gallicanam Dominis cardinalibus &c. appellantibus ab ejusdem Concluſione, voto, deliberatione ac declaratione Conſtantiæ captis & factis ſolenniter per eandem: Quod vacantiæ ac minuta ſervitia nullo jure ſint debita: Et de cetero nihil ſolvent.* Qui libellus in ſuperioris ſeculi principio cum Clemangianis quibusdam editus, & ab *Ortvvino Gratio* Colonienſi Profeſſore mox *Faſciculo Rerum Expetendarum & Fugiendarum* inſertus. Aſt cum corruptisſime tunc prodiiſſet, nitidius hæc ævo exhibitus à doctisſimo Gallorum pari; à *Petro Pithœo, in* opere *de Libertate Eccleſiæ Gallicanæ, Tom. II. f.* 837. *ac Edmundo Richerio, in Hiſtoria Conciliorum Generalium, Libro II. cap.* 3. *p.* 197. *ſeqq.*

Opuſculi Gallicani in Germania in Concilio Principibus exhibiti argumentũ.

Gerſonis, ceterorumque Galliæ *in Germania* Legatorum in *Conſtantienſi concilio* exiſtentium conſtantia, & infracta pro corruptione iſthac tollenda ſollicitudo, ut & in ſuperioribus conſiliis Gerſonianis urgendis ardor, Germanorum in Concilio idem agentium igne inflammatus, rectius conſtabit, ſi plenius atque *dilucidius opuſculi Gallicani*, ſub ſudo Germanorum cœlo Conſtantiæ proditi, dederimus *argumentum.*

In principio libelli *Conſtantiæ* exhibiti excuſant *Galli* nationem ſuam, eamque à data ſcandalo purgant, quod à Pontificis Cameræque Apoſtolicæ intentione ac deſiderio abeant.

Johanni igitur *de Scribanis*, Procuratori & Fiſcali, à Camera Apoſtolica conſtituto, reliquisque Cardinalibus, & univerſæ Ro. cu-

Scopus Concilii Conſt. *Reformatio curiæ Ro. in capite & in membris.*

curiæ, in Germania inter reliqua Conſtantienſis Concilii membra congregatæ, *ſcopum & intentionem Concilii* in memoriam revocant: Fuiſſe ordinatum, ut deligerentur *ex ſingulis nationibus* aliqui, qui cum deſignatis ac delegatis Cardinalibus convenirent, ad definiendum, *quæ reformanda eſſent in curia Romana, tam in capite, quam in ejus membris.* De *modo* quoque futura mala præcavendi circumſpicerent. Quod utrumque inter Nationum deputatos factum.

Cardinales Annatas propugnarunt. *Nationes eas in Concilio damnarunt.*

Inter illos deputatos extitiſſe Cardinales, Piſanum, Cameracenſem & Florentinum, qui *materiam Annatarum* & affines moverent, ac tanquam juſtas ac debitas urgerent, contradicentibus Gallis. Examinatis verò rationibus & juribus divinis & humanis, demonſtratum eſſe, *annatas non eſſe ſolvendas.* Eoque collimaſſe ac conſenſiſſe plerosque, votis numeratis, Nationum delegatos, *nec deberi, nec ulterius tolerari oportere.* Cardinales nihilominus noluiſſe conſentire ac concludere, illas non eſſe ſolvendas: Sicut & in aliis conſenſum denegare fuiſſent ſoliti.

Annatæ denuo Conſtant. damnatæ.

Per alios dein deputatos, qui *enormia curiæ Romanæ facta præterita exigerent*, iisque medendi viam quærerent, concluſum iterum, *annatas tollendas, planeque abolendas*, cum ſimilibus Eccleſiæ oneribus.

Prima Reſervationum Papalium principia à Joh. 22.

Principium *debiti dum* excutiunt, *nullo privilegio, conſuetudine aut præſcriptione, potuiſſe defendi*, monent. *Reſervationem* quandam *temporariam* propter *expeditionem ultramarinam* primò à *Johanne Papa XXII* factam eſſe. In Anglia in illum uſque diem nihil ſedi Apoſtolicæ ſolvi pro abbatialibus fructibus Abbatiarum vacantium. Sicuti Johannes XXII à reſervationibus beneficia Abbatialia exceperat, ut & fructus Epiſcopales, aliosque.

Limitatæ. Toleratæ. Repudiatæ.

Poſtea *ſucceſſores Pontifices Romanos* certis temporibus *ſimiles feciſſe reſervationes*, certis *cauſis expresſis.* Quas clerus, principes, & populus, *aliquo tempore tolerarint;* Tandem, nimium gravatis quibusdam regnis & provinciis, *ſolvere recuſaſſe*, uti in Anglia & alibi.

Unde concludunt legati Gallorum, *rectè Anglos recuſaſſe, ac recuſare:* Quod *deſint cauſæ priſtinæ, expeditiones ultramarinæ. Italos, Gallos, Germanos, Anglos*, unitos, *tolerare eas non debere*, urgent.

Præſcriptionē eſſe irritam.

Exceptionem *præſcriptionis* ſolvunt: Quod, etſi ſuperioribus temporibus aliquando *diutius* ſint *toleratæ ac præſtitæ, non* tamen *per decem annos hanc largitionem fuiſſe continuatam absque proteſtatione aut contradictione.* Et ſic præſcriptionem eſſe irritam.

Gratuita Eccleſiarū munera in jus verſa.

Vacantium, & fructuum primi anni majorum prælaturarum, abbatialium, epiſcopalium, principium aliud non reperiri, quàm *ſpontaneam & gratuitam quorundam oblationem*; Eorum nempe, qui in diſcordia electi ad Abbatialem vel Cathedralem Eccleſiam, re Romæ confecta, obtinuerant. Quale *gratuitum munus* ab Italis *ſervitium* dictum, à Germanis *propina.* Vocata eſſe *ſervitia communia*, quod omnibus in *conſiſtorio publico* diſtribuerentur. Poſtea deductam eſſe hanc largitionem

nem ad *conſiſtorium ſecretum*, non absque *Simoniæ* ſuſpicione, & turpiſſimi facinoris ſpecie, etiamſi *conſuetudo prætexeretur.* Prohibitum enim eſſe per canones, ante vel poſt promotionem ad has dignitates, quidquam *hoc prætextu* dare vel accipere. Præterea *talem largitionem* vel obligationem eſſe *alienationem*, quam facere non auſit electus talis vel promotus.

Olim munus, tandē debitum.

Aliam *fraudem* damnant legati Galli, quod dum ſucceſſu temporis *ſponte* certam ſummam ſe daturos promiſerunt, vel *tertiam partem valoris epiſcopatus, monaſterii, vel dimidiam, vel ultra*, ſolvere fuerint coacti, juxta *regulas Cancellariæ*, vel promittere, ſub *pœna* literarum vel *confirmationis retinendæ*.

Obligatio extorta in Camera Apoſtolica.

Acceſſiſſe conqueruntur proxime *novam fraudem* vel injuriam: Quod ſub confirmationis retentæ periculo aut pœna compulſi fuerint *ſe obligare ad id*, prout in *libris Cameræ* foret conſignatum, *quod anteceſſor in monaſterio vel Eccleſia illa vel obtuliſſet, vel ſpopondiſſet.*

Diverſi in Camera Ro. libri.

Et hoc quidem ſine *diverſos in Camera* haberi *libros*, in quibus diverſimode notentur ſolutiones, pro arbitrio vel arte aut dolo officiariorum, qui talibus præſint. Ad experientiam intrepidè provocant Gallorum legati.

Præſcriptio negatur multis rationib9. Gratuitū munus nō parit obligationem. Non continuū fuiſſe munus. Multos nō dediſſe. Pro confirmatione ſacra quid expetere, Simoniacū.

Nullum verò *talem modum parere conſuetudinem, præſcriptionem, vel juſtam cauſam talia exigendi*, vel & obſervandi, affirmant legati. (1) Quod ſpontanea & *gratuita oblatio unius vel & plurium, non gignat conſuetudinem*, vel obligationem, ad quam teneantur alii, niſi velint. (2) Quod *jus non* ſit *continuum*, cum per ſucceſſores non ſit continuata largitio. (3) Quod aliqui, qui promiſerant cum obligatione ſe ſoluturos, tandem *recuſarint*, tanquam haud debitum, *nec ſolverint.* (4) Quod nullo ſtatuto, conſuetudine, præſcriptione vel alio titulo poſſit probari, *pro collata* aut *confirmata electione* monaſterii vel Eccleſiæ cathedralis, vel prælaturæ beneficio *aliquid poſſe aut debere peti vel exigi.* Hoc enim juxta conſtitutiones eſſe *Simoniacum.* (5) Quod non exigantur annatæ per Cameram Apoſtolicam vel Cardinales ideo quod vacent, ſed quod conferant vel *confirment.* Quod *Simoniacum.* (6) Quod nihil percipiant ex tali exactione, niſi *Cardinales præſentes*, cum de jure omnes Cardinales etiam abſentes participes eſſe deberent, ſi ideo deberentur aut exigerentur munera illa, quia vacant. (7) Quod *uſus* talis ſit vitioſus, *inhoneſtus*, mali ſpeciem continens, & *de jure prohibitus.* Ut nulla conſuetudo, multo minus præſcriptio locum habere poſſit. *Cogi* quippe *promovendos*, & vi adigi in Curia Romana ad dandum, offerendum, ſeque obligandum, *ad pretium tantum, quantum anteceſſores* jactentur *ſolviſſe* aut *promiſiſſe*, ſub pœna literarum promotionis retinendarum. *Tales* verò *actus nullam parere conſuetudinem* vel *præſcriptionem*, cum ſint *violenti.* Cui injuriæ, ex literis retentis, junctæ novæ: Dum *absque literis illis non admitti* poſſint *ad præfecturam* ſuam, in monaſterio vel Eccleſia. *Simoniacum* eſſe *dum petuntur fructus primi anni*, & ſolvitur in Curia Romana pecunia pro fructibus colligendis, *ſolviturque ante tempus*, & *ſæpe ante adeptam poſſeſſionem.*

Cogi Candidatos in Curia Ro. ad pretium ab Anteceſſ. datū. Primos fruct9 petere Simoniacum.

(8) Quod

Digitized by Google

Exactio ignominioſa.

(8) Quod talis *exactio* ſit *ignominioſa Romanæ Curiæ*, dum ex illa, uti ajunt, *rationabilis diffamatoria murmuratio contra Romanam Curiam* oriatur. Romanam curiam *abſtinere* debere, vi juſtitiæ *ab omni ſpecie mali*, adeoque à *turpi* tali *exactione*.

Fulmina papalia contra denegantes annatas eſſe vana.

Fulmina, & ſententias vel cenſuras contra illos latas, *qui promiſſas* illas *annatas nolint præſtare*, non eſſe timendas, affirmant, nec abſolutione à tali ſententia hos indigere. Eò quod illi, ſe obligantes, verſentur in errore intolerabili, qui peccent contra conſtitutionem *De vitanda Simonia.* Obligationem illam vergere in hæreticam opinionem, quaſi ſit licitum emere ſpiritualia, & pro ſpiritualibus pecuniam vel temporalia pendere.

Præſcript. oneroſa.

(9) Quod talis *præſcriptio*, conſuetudo vel privilegium, *Eccleſiis, clero* & *provinciis*, *nimio* foret oneri, quo Eccleſiæ enervarentur.

Perjurii ſpecies in annatis.

(10) Quod in tali largitione atque exactione ſit *perjurii ſpecies.* Quippe dum *Prælatus* quilibet, in Curia ad Monaſterium vel Eccleſiam cathedralem promotus, antequam ejus literæ in Curia expediantur, *juret, nihil de juribus monaſterii vel Eccleſiæ ſe velle alienare.* Literas autem in Cancellaria expeditas, bullataſque, nec non regiſtratas, in Cancellaria tamdiu ſervari, donec ſe iſte obliget. *Quæ obligatio* ſit clariſſima *alienatio.* Ut *promotus* hoc pacto cogatur committere *Simoniam* & *perjurium.*

Ob lucrũ non turpis conſvetudo aut præſcriptio jactanda.

(11.) Quod ſuperet fidem, Cameram Apoſtolicam & Cardinales, aliosque, *propter quodcunque lucrum* ſive temporale commodum, velle ſuſtinere aut *defendere tantam turpitudinem, prætextu cujuscunque conſvetudinis*, præſcriptionis aut privilegii, quibus includantur labes Simoniæ & clarum perjurium, ſcandalum, animarumque damnatio.

Abrogandas annatas eſſe probatur multis rationibus.

Subtracto jure penſionum iſtarum, & abunde probato, deſideratas *annatas nullo modo deberi: Abrogari* quoque illas *debere* prorſus, etiamſi ſuperiores cauſæ non ſuppeterent, ex incommodis & ſcandalis inde oriundis fuſius porro demonſtrant.

Eccleſ. interitus ex annatis.

(1.) Quod *ad deſtructionem Eccleſiæ* vergant. *Poteſtatem* autem *Papæ* datam eſſe, *non ad deſtructionem* Eccleſiæ, *ſed ædificationem.* Qui *non præſideat propter ſe, ſed propter bonum publicum*, & ſalutem animarum.

Tyrannidem eſſe.

(2.) Quod ſit *tyrannis.* Cum *facultas Papæ* aut Eccleſiæ *non* ſit *relicta, pro lubitu exactiones imponere Eccleſiis*, aut perſonis Eccleſiaſticis, *cum eorum non ſit Dominus*, qui ſolus Chriſtus: Tales imprimis *exactiones, quibus Eccleſia opprimatur.* Unde ſcandalum, Eccleſiæ querimonia, animarum damnum. *Fraudarique intentionem fundatorum* Eccleſiarum Cathedralium, monaſteriorum, aliorumque minorum beneficiorum.

Sic *damna, in totam Eccleſiam* ex inhoneſta illa annatarum exactione redundantia, longo catalogo pertexuntur. *Reges, Principes & Magnates, querelis expilatorum obrui, Eccleſias ruere, alimenta pauperibus ita ſubtrahi, miniſtros non ſuſtentari, Eccleſias, templa, & monaſteria non reparari, numerum miniſtrorum verbi minui per dictas intolerabiles exactiones.*

(3.) *Pugna-*

Digitized by Google

(3.) *Pugnare* annatas *cum commodo reipublicæ. Exhauſtis* enim *Eccleſiæ bonis, patriam viribus exui,* ut ad defendendum ſe contra hoſtes ſit imparata. Cum caſtra ac munimenta retineri ac defendi non poſſint ab illis, quibus ſunt collata. Neque eſſe illa debere tributaria, cum ſint feudalia aut mere temporalia. *Reipublica detrimentum ex annatis.*

(4.) Tyrannidem illam augent legati, *exigendi immiſericordia* detectâ; qui abſque remiſſione extorquerent, *etiam ab illis, ubi nullæ eſſent opes.* Exemplum injiciunt *Abbatis Saturnini Tholoſani,* qui compulſus ad *obligationem taxæ* indictæ, *quatuor millium & ducentorum florenorum;* qui tamen non eſſet opum majorum, quàm *reditus annui quingentorum florenorum.* Eſſe nihilominus hunc & alios plures compulſos, per exactores deputatos, ad *impignorationem* terrarum dotalium Eccleſiæ vel monaſterii, ad *venditionem* calicum, etiam non conflatorum, librorum, aliorum ornamentorum & Eccleſiæ bonorum. *Immiſericordes exactores Papales.*

(5.) *Crudelitatem* iſtam amplius detegunt fatis prælatorum triſtibus, inhoneſtam exactionem excipientibus. Dum *prælati per exactores excommunicati,* per literas, in locis publicis affixas, variis injuriis & contumeliis affecti, diebus ſacris & ſolennibus ludibrio ſint omnibus, qui ſacra celebrare non audeant. Præterea in eas redigantur anguſtias, ut *dilatio non niſi trium menſium* detur. *Pro litera & ſigillo* relationis ſententiæ, *novam pecuniam* trium vel quatuor florenorum cum dimidio ſeorſim exigi: Ut per annum XX ſint floreni: Præterquam quod clericis expendendum ad hanc executionem deputatis, itemque nunciis variis, ſine taxæ indictæ imminutione. *Prælati ab exactoribus excommunicati. Dilatio breviſſima indulta.*

(6.) *Cauſas* has eſſe *bellorum à Pontificibus* magno niſu *ſuſceptorum* ac continuatorum, qui *opibus exactionibus illis conflatis, in bella ſemper propenderint.* Per humilitatem, inquiunt, ſanctimoniam & devotionem ſolebant jura Eccleſiæ conſervari, retineri & acquiri, ſine artificiali gladio aut alia violentia. *Bella à Pontificibus geſta. Papas ſuis ſumptibus parſiſſe, alienis vixiſſe.*

(7.) Ex prompta illa annatarum ſolutione, Cameram & Cardinales *doti & patrimonio Eccleſiæ Romanæ parcere* didiciſſe, ex quibus reditibus ipſis aliàs fuerat vivendum. Hinc remiſiſſe & remittere maximam ſæpe debiti ſummam. Exempla talis iniquæ remiſſionis, cum damno aliarum gentium, annatis vexatarum, commemorant. Cardinales tunc viventes centum millia Florentinis remiſiſſe & aliis, Regi Apuliæ tributa pro quindecim annis, ſimileque Marchioni cuidam indultum. *Totius cleri major quaſita erga Cardinales devotio.*

Fraudem quoque & callidum Cardinalium conſilium, latens ſub illis *exterorum exactionibus,* retegunt: *Ut* nempe, Collatione beneficiorum, & ad prælaturas promotione ſervata, *clerus Cardinales magis vereatur* univerſus, illos timeat & honoret amplius.

Sic tandem ſcandalis auctis, *querelas eorum, qui Eccleſias & Monaſteria beneficiis dotaſſent,* accepiſſentque, *pro pecunia beneficia impetrari in curia Rom. & Eccleſias ad interitum per exactiones illas vergere,* ad Regem penetraſſe memorant. Ita ut *in Parlamento* & Con- *Querela Beneficiariorũ, de perditis aut male locatis ſuis beneficiis ſacris.*

Regis Galliæ decretũ de abrogandis annatis.

Conſiſtorio, re ultro citroq; expenſa, clare & ſolenniter ſit *definitum, nullo jure illas deberi*, neque poſſe à Simonia liberari: Seq; devinctos eſſe, qui *tales abuſus & exceſſus in ſuis terris reprimant*, ne iram Dei connivendo in ſe concitare videantur. Demonſtratumq;, *talibus exactionibus regnum opibus privari*, quæ *ad nullam* ab exactoribus *pietatem* applicentur, & *peſſimos fructus* gignant. Monitos igitur aliquoties fuiſſe Pontifices, qui ſcandalis illis, ſaluti animarum perniciem parantibus mederentur. Sed parvi feciſſe, atque neglexiſſe.

Decretũ Gallorum eluſũ arro Romanorum.

Reg. Galliæ deſideriũ apud Joh. 23. de annatis abrogãdis.

Sic *proviſionem* quidem aliquam ea de re à Rege factam eſſe, ſed *artibus Romanis & occultis venditionibus turbatam* & violatam. Donec Rex cum Parlamento, *per* ſolennes *Legatos*, pro Clero regni & Academia Pariſienſi ad Romanam ſedem miſſos, *apud Johannem XXIII. Papam* rem ſeriò ageret, *exactiones* tales, propter ingentes abuſus, *aboleri deſiderans. Papa* vero promiſſis *animum Legatorum lactaſſe* dicitur, ſpopondiſſeque, ſe annatas prorſus tollere ac abolere velle, ideoque Legatum in Galliam miſſurum. Spe verò fruſtratos eſſe Gallos, nulla ſecuta mutatione.

Joh. 23. aſtutia in lactandis legatis regiis.

Novi Regis Galliæ legati ad Concil. Conſt. pro tollendis annatis.

Etſi igitur Galli per ſe rem curare, definire ac componere potuiſſent, mitiori tamen viâ primùm in honorem Eccleſiæ Romanæ electâ, diſtuliſſe. Donec *novi Legati* pro Clero Galliæ & Delphinatus *ad* præſens illud *Concilium Conſtantienſe* ablegarentur, qui remedium *in Concilio* illis malis quærerent. *Impeditam iterum* hanc multis modis *cauſam* queruntur, cum *plus ſolliciti* fuerint *de quæſtu quàm animarum profectu.*

Gloriatio Joh. 23. de auri ſui mole.

Acceſſiſſe mox obſervant calcar novum, quod ad extirpandas exactiones illas pecuniarias magis inſtigaret Gallos: Quando *Joannes XXIII.* paulo ante adhuc Papa, tunc à ſede Romana concilii decreto jam dejectus, *publice* fuerit *gloriatus, ſe millionem & ſeptingenta millia florenorum auri in diverſis locis habere recondita.* Collegium Cardinalium dimidiam omnino ſummæ partem habuiſſe, legatis fit veroſimile. Cujus auri majorem partem *ex Gallia* hauſtam conjiciunt. His auditis, principes, clerum & populum ſollicitius quærere remedium compulſos nunciant. Cum *magna illa pecuniæ ſumma nullum* ſit *in Eccleſia conſecuta uſum.* Subjunguntur igitur adhuc *alia incommoda annatarum exactarum*, quæ abolitionem earum imperent, ex *Simonia* præcipue orta. Sub prætextu nempe & colore ſolvendi vacantias ſecundum *taxam antiquam* prætenſam, *triplicari & quadruplicari taxam*, quod ſicut juxta regularem taxam fiat oblatio, ſic dari poſſit totus valor unius vel plurium annorum.

Cardinalium opes ex Gallia.

Simonia mala.

Taxã annatarum antiquã valde eſſe auctam.

Indocti inaurati doctis ære deſtitutis prelati.

Damnũ literarũ.

Ex hac *arte Simoniaca* anſam dari *ambitioſis, male moratis, illiteratis, ſceleratis, ad pecuniam confugiendi*, qua beneficia redimantur. Sic *repelli literatos, claros* ac *virtutibus inſignes*, ſed auro deſtitutos. Ex quo futurum augurantur, ut *ſtudia* tandem *neglecta* jaceant. Ex quo *neglectu bonarum literarum* religioni Chriſtianæ impendeat grande periculum ac detrimentum.

Ineſcati Principes ne contradicerent.

Participes quoque Principes ac Comites interdum factos *pretii ex tali exactione colligendi*, annotant, ne contradicerent, neque clero ullo

lo modo aſſiſterent, imò ut per brachium ſeculare extorqueri ex clero curarent. Præterea majoris fraudis ergo ad extorſionem facilitandam, ultra ſuperiorem exactionis partem *tributa* alia aliquibus *Principibus conceſſa ſuper clerum*, queruntur.

Gallorum ſententia, onera illa eſſe excutienda.

Ex his aliisque cauſis Gallicam nationem poſt maturam deliberationem concluſiſſe, dicunt legati: *Annatas* illas, ſive vacantias, & communia ac minuta dicta ſervitia, *nullo tempore* vel *continuari* vel per modum tributi aut debiti, monaſteriis, Eccleſiis vel perſonis Eccleſiaſticis *imponi* poſſe aut debere: Sic & *impoſita* illa *onera*, exigentibus *non ſolvenda*, ſed *abjicienda*, & *exactoribus reſiſtendum*.

Exceptiones curiæ Ro. in Cõcilio factæ ſolvuntur.

Dehinc reſpondent ad exceptiones laudati Fiſcalis Romani, *de Scribanis*. Exceptio (1) *Deliberationem* illam Gallorum fuiſſe *ſecretam*, non publicam. Reſpondetur, *In particularibus rebus* id fas eſſe Gallis æquè ac aliis, ſine Concilii detrimento.

Deliberatio ſecreta in Concilio licita.

Exceptio (2) Rem deliberandam *communicari* prius debere *cum deputatis quatuor nationum*. Reſpondetur, id factum eſſe. Et ſi non, id rei ipſi non officere.

Communicata res cum Nationibus.

Exceptio (3) Eſſe *Papæ ſuccurrendum ab Eccleſiis inferioribus*, quæ deſcenderint è Roma. Reſp. *Quemlibet Epiſcopatum certos ſuos habere debere reditus pro ſuſtentatione Epiſcopi.* Sicut & *Epiſcopus Romanus* habeat, quæ ſuffecerint & ſufficere poſſint, cum aliis, quæ extraordinarie accedant. *Exemplum* afferunt *Apoſtoli*, qui labore victum ſibi quæſiverit, ne nimio videretur oneri illis, quibus prædicaret.

Epiſcopos habere certos reditus pro ſui ſuſtentatione.

Tacitæ exceptioni, *Non ſufficere reditus ordinarios Papæ*, reſpondent: *Requirere* ſic Papam debere *ſubſidium à clero ſuæ civitatis & diœceſeos*, deinde ſuæ provinciæ, & per modum *ſubſidii charitativi* temporalis, & non perpetui cenſus; & poſtea ab aliis Eccleſiis immediate ſubjectis ſubſidium benigne implorare. Eoque pacto, *causâ juſtâ expreſſâ*, à ſubditis honeſte non iri denegatum.

Reditus ordinarii ſi Papæ nõ ſufficiant, ſubſidiũ charitativum petendum.

Quod porro jactaverat *Scribanius, Eccleſias à Roma originem trahere*, non admittunt Legati Galli. Præceſſiſſe, ajunt, *Eccleſiam Græcam*, in qua Petro ſedes primo contigerit *Antiochiæ*, & *Hieroſolymitanam*, ubi Jacobus. Has igitur à Romana deſcendiſſe pernegant. Interea tamen *Romanam Eccleſiam* agnoſci ab omnibus ſupremam & omnium magiſtram, propter virtutes & *merita illorum, qui olim illi præfuerint*. Etſi *poſteriores antiſtites Romani* à majoribus longè differant: Cum *ultimæ Eccleſiæ Romanæ non reſpondeant primis*.

Non omnes Eccleſias à Roma originem trahere. Romanã Eccleſiã tamẽ eſſe ſupremã. Poſteriores Papas Romanos à priorib9 differre.

Exceptio (4) Subveniendum eſſe *Cardinalibus Papæ adjutoribus*. *Reſp.* Duplicem eſſe ſtatum Cardinalium, antiqvum & recentem. Ab antiquo nomen Cardinalium adhuc ſupereſſe: Dum *olim* principales dignitates in Collegiatis Eccleſiis in Curia Romana tenuerint, vel fuerint *curati parochialium Eccleſiarum* ejus. Quo ſenſu *Cardinales* idem ac *principales*. Sicut & in aliis Eccleſiis, ut Ravennatenſi &c. quæ principales habeant dignitates, dicantur *Cardinales*, communi nomine. Et ex hac quidem inſtitutione *Cardinalium presbyterorum* officium fuiſſe, & jure eſſe, confeſſiones audire, prædicare, & baptizare. *Epiſcoporum* vero *Cardinalium*, idem agere in ſuis diœceſibus.

Cardinaliũ ſtatus quis olim.

Antiquorum Cardinalium humilitas. Si minus valeant reditus, quàm olim, expenſas eſſe limitandas, vel *peti debere*, ut ipſis provideatur, *modo decenti* & juribus congruo. Illumque *Cardinalium primævum ſtatum* fuiſſe charitate plenum, humilem & benignum. *Recentiorem* illorum ſtatum fuiſſe aſſumptum à Conſtantini ætate, qui imperium occidentale Eccleſiæ Romanæ contulerit. *Recentiorũ ſplendor.* Eum voluiſſe, Eccleſia Romana haberet ſenatum, & ſenatores veſtibus, honore & ornatu præfulgerent, qui ſtatum illum repræſentarent. Atque hoc à Cardinalibus præſtari ex ſententia Innocentii. *Cardinales Conſiliarii Papæ.* Eorum officium eſſe *conſulere Principi, Papæ, ut principi ſeculari.* Onera huic ſtatui paria cum ſuſtinere non poſſe Eccleſiam animadverterit Conſtantinus, aliud dediſſe patrimonium & temporalia pro eorum ſtatu. Quod deinde ſit auctum. *Onus Eccleſiæ ex pompa Cardinalium.*

Si dicatur, illa bona eſſe occupata, reſpondent, vel recuperanda, vel *primo* eos contentos eſſe *ſtatu* oportere, cum *præſens & recentior Eccleſiæ nimis* ſit *onerosus:* nec eſſe neceſſariam hanc pompam, maximè *cum tanto Eccleſiæ onere.* Cardinales Papæ eſſe coadjutores negant, *Epiſcopos* eſſe Papæ Coadjutores & *Cardinalibus ſuperiores de jure, Cardinales* verò eſſe tantum *Papæ conſultores.* *Epiſcopos eſſe Papæ coadjutores.*

Epiſcopi Cardinalibꝰ ſuperiores. *Epiſcopos Cardinalibus* eſſe *ſuperiores* probant inde, quod bene meriti Cardinales pro remuneratione promoti ſint ad Cathedrales Eccleſias. Deinde, quod Concilium & Eccleſia Cardinalibus olim conceſſerit xxv familiares, Epiſcopis vero xxx.

Epiſcopi à Cardinalibus ſpreti. *Epiſcopos* igitur à *Cardinalibus jam contemni* ægerrime ferunt, utpote qui per vim Epiſcopos & alios ex Clero opprimere conentur, & ſibi tributarios reddere ſtudeant. *Nec pro quocunque prælato*, addunt, *etiam prono adorante eos in terra, ponerent manum ad capellum, & ſalutarent eum.*

Epiſcopos poteſtatẽ immediate habere à Chriſto. Quam *arrogantiam* ex eo porro damnant, quod *Epiſcopi immediate poteſtatem & dignitatem à Chriſto habeant, Cardinales* verò, quoad ſtatum ſuum novum Senatorium, *ab homine.* Neque Reges vel Principes tam indigne tractare Epiſcopos, vel tractari permittere, ut eos tractent Cardinales.

Cardinaliũ numerꝰ & põpa limitanda. Quare conſulunt publicè diſpicere, ut *certus eorum* conſtituatur *numerus*, & *pompa* eorum *limitetur*, definiaturque, ut ſint tantùm temporales, de quibus in Concilio ſtatuendum, ut, qui bene ſe geſſiſſent, confirmarentur, qui male, removerentur, & domum mitterentur.

Poſſeſſionem exequendarũ annatarũ injuſte jactari à Romanis. Exceptio(5) Papam & Cardinales eſſe *in poſſeſſione* percipiendi à Prælatis annatas, præſertim *in regno Franciæ. Reſp.* Negando, *jus* illis unquam competiiſſe, ullumve percipiendi titulum. Si qui verò percepiſſent, hoc factum *permiſſione* ac benigna *tolerantia, quæ ſemper poſſit revocari.*

Taxa vacantiarũ quanta olim in Gallia. Rationem poſthæc ineunt annatarum, quas ex Gallia percipiat Papa cum Cardinalibus. *Taxam vacantiarum*, ut deſcribatur in libris Cameræ Apoſtolicæ, de Eccleſiis Cathedralibus & Abbatiis Galliarum taxatis, aſcendere *ad ſexcenta nonaginta ſeptem millia ſeptingenta quinquaginta Francorum*, ſine prælaturis, quas non taxent, & aliis *inferioribus dignitatibus* & beneficiis, quæ fere *ad tantundem* aſcendant.

Digitized by Google

dant. Quæ ſumma prima ſex annis integraliter ſolvatur, & ſingulis annis diviſa aſcendat ad ducenta millia, prælaturis & aliis minoribus beneficiis junctis. Quem *taxæ exceſſum* illuſtrant augmento ex reliquis nationibus hauriendo. *Quod ſi*, ajunt, *in ſingulis nationibus tantundem reciperetur & haberetur, aſcenderet ſumma, & eſſet in univerſo ſex milliones nongenta ſeptuaginta ſeptem millia & quingenti floreni. Quod eſſet excesſivum valde, etiam quando non ſolveretur, niſi tota in decennio & ultra.*

Cardinales tunc viventes, *in Gallia ſex poſſediſſe* notant *Cathedrales Eccleſias*, & alias dignitates aliaq; beneficia. Illis contentos eos oportere eſſe, ſine tanto quæſtu vacantiarum. Obſervant quoque, *Galliam præ aliis nationibus ſic gravatam*, Italos, Germanos, Hiſpanos & Anglos tantundem haud facere. *Gallia olim præ aliis nationib9 gravata.*

Exceptio (6) *Communia ſervitia*, reditus minores, deberi Papæ & Cardinalibus propter ſervitium, quod communi reipublicæ impendant. *Reſp.* Si *Papa juſtitiam adminiſtraret*, & ad ædificationem Eccleſiæ ac ſalutem animarum regnaret, & *non propter ſuum commodum*, concedi poſſe. Cardinales etiam plurimos Eccleſiæ non ſervire omnino, quin nocere & officere ſua negligentia. *Si juſte Papa regnaret, concedi nonnulla poſſe.*

Exceptio (7) Quod ſine *vacantiis* illis vivere non posſint, cum *patrimonium Eccleſiæ* per ſchiſma & malum regimen Eccleſiæ Romanæ, & præſidium in illa, ſit *occupatum*. *Reſp. Allegari propriam turpitudinem. Nec inde jus eſſe recurrendi ad alios, ſi ſua conſumſerint.* Cardinales elegiſſe iſtos *malos Eccleſiæ Romanæ præſides*, & ex Cardinalibus quidem: & præſumendum eſſe, elegiſſe eos meliores. Si igitur illi patrimonium deſtruxerint aut conſumſerint, *Cardinales ſibi debere imputare.* *Propria culpa ditiones Rō. curiæ exhauſtas eſſe.*

Except. (8) *Vacantiis ſublatis* cum *Cardinalibus non ſuppetat victus*, concluſionem Gallicam de annatis abolendis, levem aut temerariam fuiſſe. *Reſp.* Quod *longa* etiam & matura præceſſerit *deliberatio* inter Gallos, *ſalubriterq;* ſit *concluſum*, etſi iſti impedire conentur Gallorum decretum.

Except. (9) Decreti Gallici autores *debitores* fuiſſe *cameræ Apoſtolicæ*. *Reſpond.* Negando, eſſe illos debitores. Si propter vacantias, quas deberi jactent, debitores appellentur, abunde id refutatum eſſe, cum *annatæ nullo modo debeantur*. Si ex alia cauſa debitores vocentur, probare jubent.

Except. (10) Quod *vacante ſede Apoſtolica nihil* ſit *innovandum*. *Reſp. Nihil innovari*, ſed *quod vitioſum, ſcandaloſum* & indebitum, tale *declarari*, & *ut declaretur peti.*

Except. (11) Gallos decreviſſe aut concluſiſſe *inconſultis aliis nationibus. Reſp. Deputatos aliarum nationum conſenſiſſe omnino*, annatas de præterito tollendas eſſe. Sciviſſe præterea omnes nationes, Gallos ea de re deliberare. Cardinales oppoſitam ſuam ſententiam & concluſionem aliis nationibus communicaſſe, & omnibus modis impediviſſe, eosque abſtraxiſſe. Deinde *Gallos præ aliis gravatos talibus exactionibus*, adeoque *præ aliis debuiſſe eſſe ſollicitos*. Probant hoc per ceteras nationes eundo. *Conſenſus aliarum nationum cū Gallis. Jus conquerendi de Annatis apud Gallos præ aliis.*

 In

In *Anglia* cameram Romanam vel Cardinales nihil percipere, niſi de Epiſcopatibus, qui perpauci. In certis *Hiſpaniæ* regnis conſtitutum eſſe, ne camera quidquam omnino accipiat. In *Italia*, beneficia, prælaturas, & dignitates, modici eſſe valoris: Magiſtratus præterea civiles & civitates prohibere, dum velint, ne quid Camera accipiat.

Florentini privarunt Papam Joh. 23. beneficio ad quinque annos.

Sic *Florentinæ reipublicæ* exemplum memorabile allegant. Illam rempublicam ſub Papa Johanne XXIII. Cardinalibus in eorum civitate exiſtentibus, *propter unicum abuſum, quem Papa commiſerit in conferenda certa Abbatia* in eorum dominio ſita, privaſſe Papam poteſtate conferendi beneficia in eorundem dominio *ad quinque annos.* Neq; tunc Papam & Cardinales appellaſſe, & nihilominus hoc ipſo perdidiſſe annatarum fructus.

Germania libertas priſtina in admittendis literis Ro.

In *Germania* in certis diœceſibus & provinciis Papam aliquid percipere, in aliis verò nihil. Imò *ne admitti quidem literas Apoſtolicas, niſi id placeat Epiſcopis*, qui & *recuſent*.

Cardinales corrupiſſe Prælatos Gallicos ne annatas impugnarent.

Artes Cardinalium in ſubvertẽdis decretis Gallorũ de annatis tollendis.

Romani appellarunt à decretis Gallorũ.

Except. (12) Minis fuiſſe territos illos, qui cum Gallis deliberare de iſta materia vellent. *Reſp.* Falſiſſimum hoc eſſe, & meras injurias dicentis. Quin potius *Cardinales minis abſtraxiſſe prælatos Gallicos*, eorumque familiares, quo minus libere, quod conſcientia dictaret, de illa annatarum materia pronunciarent. Imo *inquiſitionis* adverſus illos inſtituendæ *pœnam comminatos* Cardinales. Alios *ſpe promotionis* à Cardinalibus eſſe *pellectos*, qui *clamoribus* deliberationem Gallorum impedirent. Dum ſe impedire non poſſe ſenſerint, convocaſſe protonotarios, auditores palatii, ſcriptores, notarios, curſores & quosvis alios; etiam mechanicos, Romanam curiam ſectantes, querelas cum gemitibus coram eis effudiſſe, quod natio Gallica per ſe ſola deſtruere contendat ſtatum Papæ & Cardinalium, protonotariorum, Cameræ clericorum, cameræ auditorum, ſcriptorum, notariorum, advocatorum, curſorum, ceterorumq; curiam Romanam ſectantium. Atque ita illos incitaſſe Romanam curiam, quæ ſe opponeret, Gallorum decretum de annatis non ſolvendis everteret, advocatis in ſubſidium aliis nationibus. Eoq; modo tumultum fere contra Gallos excitatum. Tale quid non tentaſſe Romanos contra Anglos, quando Rex Angliæ interdixit illas Romanenſium exactiones in ſuo regno. Cum autem nec illo modo *Romanenſes*, Cardinales, evertere Gallorum decretum ſuſtinuerint, *appellationes oppoſuiſſe* varias. Imò in concionibus publicis ſacris, quas ad ſuos traxerint affectus, in Gallos declamaſſe.

Cardinales ſede vacante nõ debere Cameræ Ro. negotiis ſe ingerere.

Except. (13) Laudabilem eſſe conſuetudinem ut protectio & *tutela Romanæ curiæ & Cameræ, ſede vacante, ad Cardinales* ſpectet, qui in iſta Gallorum concluſione non fuerint quæſiti. *Reſp. Conſuetudinem illam nullo* niſi putativo *titulo* illos recte allegare. De jure enim illis *prorſus interdictum* eſſe, *ne Cameræ negotiis ſe immittant* ullo modo, ſede vacante. Quodſi etiam eſſet conſuetudo occulta & ignota, illos omnino non debuiſſe vocari. *Concluſionem* eſſe *nationis*, quæ reſpectu aliarum nationum ſit conſultiva, quoad concilium querula, quam concilio offerant, cum remedii voto.

Except.

Digitized by Google

Cardinales unionē non ſpectaſſe in Eccleſia.

Except. (14) Cardinales *cauſam* eſſe *unionis. Reſp.* Id optandum eſſe. Hactenus *illos id non præſtitiſſe.*

Clerum auro metiri ordinem.

Except. (15) Remotis vacantiis *ſubverſum iri* totum *ordinem Clericalem. Reſp. Ex vitioſo ordine* ſic *confici ordinem pro ejus commodo; Nec peccatorum & ſcandalorum rationem haberi, dummodo affluat aurum & pecunia.* Ex ſuperioribus porro conſtare ajunt, ordinem Clericalem non everti ſublatis non neceſſariis illis vacantiis.

Simonia ſemper damnata.

Except. (16) Accuſare annatas *Simoniæ* ſubrepentis, eſſe, pugnare contra Conciliorum plurium vota. *Reſp.* Pernegando, unquam in concilio generali eſſe conſtitutum, *ut pecunia redimantur ſpiritualia* aut beneficia illa, vel prælaturæ. Quin potius jure divino, canonico, civili, & per generalia concilia eſſe *malas illas artes prohibitas*, quibus & conſuetudo damnetur.

Annatas eſſe onus perſonale.

Except. (17) Solutionem iſtarum vacantiarum eſſe *onus reale*, nec ſubeſſe obligationem perſonalem, cum officium obligetur, non perſona. *Reſp.* Pugnare hoc cum clara *rei veritate* ipſaque adverſæ partis *conſcientia.* Manifeſtum eſſe, literas promotionis non obtineri, donec ſit oblatum, quod petitur ab eo, qui promovendus, ſeque, monaſterium & Eccleſiam obligaverit. Nec alio exigi modo, quàm ut ſit obligatio perſonalis. *Aut jura omnia fallunt*, inquiunt, *aut eſt perſonalis.* Quod ex jure realis obligationis fuſe demonſtrant. Mutata perſona remanere onus ſuper Eccleſiam, vel monaſterium, itidem negant, niſi quantum per literarum illarum oblationem ad obligationem ſolutionis compellant, quam anteceſſor ſolverit. Sic eòs poſſe exigere totum debitum ab utroque, quando velint. Oſtendunt hoc ex *forma obligationis, quam Cardinales in Camera Apoſtolica ſervent.* Juvabit integrum exhibuiſſe *obligationis* talis *exemplum.* Forma igitur obligationis ArchiEpiſcopi, Epiſcopi &c. hæc eſt: *Vos, Domine Patriarcha, ArchiEpiſcope, Epiſcope, aut Electe, de licentia & autoritate Apoſtolica, vobis in hac parte conceſſa, gratis & ſponte offertis, dare promittitis & donatis pro veſtro communi ſervitio, cameræ ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Dn. &c. Alexandri Papæ V. & ſacro collegio Reverendiſſimorum in Chriſto Patrum, Dominorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, videlicet &c. florenos auri de Camera boni & legitimi ponderis, & quinque ſervitia conſueta pro familiaribus & officialibus Domini noſtri Papæ & Dominorum Cardinalium prædictorum. Item recognoſcitis iisdem, cameræ & collegio ac familiaribus ac officialibus, omnes illas pecuniarum quantitates, in quibus prædicta veſtra Eccleſia in libris ipſorum, cameræ & collegii, per aliquorum prædeceſſorum veſtrorum perſonas obligata eſt. Quos quidem florenos cum quinque ſervitiis & recognitis ſupra dictis promittitis reddere & ſolvere realiter cum effectu in Romana curia, ubicunque fuerit: Videlicet reverendiſſimis in Chriſto Patribus & Dominis, Dominis miſeratione divina Henrico, Epiſcopo Sabienſi, & Amedeo, ſanctæ Mariæ novæ Diacono Neapolitano & de Saluciis vulgariter nuncupatis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Franciſco, miſeratione eadem ArchiEpiſcopo Narbonenſi, Domini noſtri Papæ & ſacri Collegii Cardinalium camerario, vel eorum ſucceſſoribus, vel deputatis ab eis, medietatem ſcilicet in feſto &c. recognita verò in alio ſimili feſto &c. Quod ſi debita loco & terminis, dictam florenorum ſummam, & quinque ſervitia conſueta & recognita ſupra dicta non ſolvatis, ut eſt dictum, promittatis redire ad Romanam curiam infra quatuor menſes, poſt elapſos terminos hujusmodi, vel alterum eorundem immediate ſequentem, & coram dictis Dominis Camerariis, ſeu eorum ſucceſſoribus aut deputatis ab eis, perſonaliter comparere, & inde*

Formula obligationis ſub Alexandro V. in Camera Romana.

non

non decedere, donec per vos fuerit de prædictis integraliter ſatisfactum. Super hoc obligatis vos vel Eccleſiam veſtram, & ſucceſſores veſtros ac omnia bona Eccleſiæ veſtræ, mobilia & immobilia, præſentia & futura, ubicunque ſint & conſiſtant. Et ut ſitis vinculo fortioris obligationis adſtricti, ſubmittitis vos, & ſucceſſores veſtros, jurisdictioni & coercitioni dictorum Dominorum Camerariorum & cujuslibet eorum in ſolidum, ac etiam ſucceſſorum ſuorum & deputandorum ab eis. Et de voluntate veſtra, qui hoc vultis & petitis, & hanc jurisdictionem in eos porrigitis, præfati Domini Camerarii, & quilibet eorum, eandem jurisdictionem in ſe ſuſcipientes, & ſuſcipiens in loco, mandatum faciunt & preceptum, ut de re confeſſata de ſolvendo dictam florenorum ſummam, & quinq; ſervitia, ac recognita ſupra dicta, de reveniendo ad Romanam curiam, & de non recedendo ab ea abſque ſatisfactione, & quod omnia alia & ſingula ſupra dicta efficaciter compleatis & attendatis. Quod ſi non feceritis, ſuſpenſionem ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium dictæ Eccleſiæ, & ab executione Pontificalium, & majoris excommunicationis ſententias, ex nunc, prout & tunc, in vos canonica monitione præmiſſa proferunt in his ſcriptis: Comminantes nihilominus dicti Camerarii, & quilibet eorum, ſe contra vos, dictum Dominum Patriarcham, ArchiEpiſcopum, Epiſcopum vel Electum, proceſſuros & proceſſurum, abſque alia vocatione, ſive monitione, ac graviores pœnas ac ſententias, ſpirituales & temporales, & aggravationes earum, prout eis, ſeu eorum alteri placuerit, ſeu viſum fuerit expedire: Et quod vos denunciabunt, & denunciari facient, per ſe vel per alium, ſeu alios, excommunicatum, ſuſpenſum, perjurum, & aliis pœnis & ſententiis adſtrictum, quas propter hoc in vos duxerint proferendas. Et vos, Domine Patriarcha, ArchiEpiſcope, Epiſcope, vel Electe, renunciatis ſuper his omnibus literis, privilegiis indulgentiis, Apoſtolicis, impetratis vel impetrandis, conceſſis vel concedendis, quibuscunque, & beneficio appellationis & reſtitutionis in integrum, ac omni foro, uſui, præſcriptioni & juri revocandi donum, & omni auxilio juris canonici & civilis, per quod contra præmiſſa de jure vel de facto venire poſſetis, vel aliquod præmiſſorum. Et omnia præmiſſa juratis ad ſancta Dei Evangelia tenere, ſervare, approbare, & in contrarium non venire, directè vel indirecte, per vos vel alium, vel alios. Si verò ante ſatisfactionem hujusmodi vos contingat mori, cedere vel transferri, & ille vel illi, qui ad regimen ipſius Eccleſiæ vobis ſubſtitutus vel ſubſtituti fuerint, infra quatuor menſes poſt ſubſtitutionem & dictæ Eccleſiæ poſſeſſionem adeptam, de florenis & ſervitiis & recognitis ſatisfacere non curaverit, ſeu curaverint, ex nunc, prout ex tunc, easdem pœnas & ſententias in eosdem ſubſtitutos, & eorum quemlibet, infligunt & proferunt in his ſcriptis, prout dictum eſt & narratum, autoritate dictorum dominorum meorum Cardinalium, & Noſtrà proferimus in his ſcriptis, & vos, Dominum Patriarcham, Archiepiſcopum, Epiſcopum vel Electum, volentem, petentem & requirentem, ad prædicta recitata, condemnamus. Et nihilominus monemus vos ſemel, ſecundo, tertio, & peremtorie, ac ſub excommunicationis pœna, ut prædicta adimpleatis, attendatis & obſervetis. Alioquin excommunicationis ſententiam in vos proferimus in his ſcriptis. Et vos, domine Patriarcha, ArchiEpiſcope, Epiſcope vel Electe, vultis, quod per nos clericos vel notarios cameræ, qui fuimus hic præſentes, de præmiſſis omnibus & ſingulis fiant unum vel plura publica inſtrumenta.

Formula hæc obligationis à Gallis repudiata

Ex qua & ſimilibus *obligationum formulis* iterum colligunt Legati *onus* illud non reale, ſed *perſonale* eſſe. *Rejiciuntq;* penitus *formulam* & *rem*, utpote cujus obligationis copiam dare vereantur ipſi Romanenſes.

Chriſtianiſmus promovetur ſublatis cauſis peccandi.

Except. (18) Conveniſſe inter Regem Romanum, & Petrum de Luna, nihil eſſe innovandum, cum unio Eccleſiæ ſic turbari poſſet: *Ex abrogatis annatis totius Chriſtianiſmi oriturum contemptum. Reſp.* Invertendo: *Hoc* demum *eſſe Chriſtianiſmum promovere, ſi removeatur cauſa, occaſio & materia peccandi, ſcandalorum, ruinæ Eccleſiarum, opprimendi perſonas Eccleſiaſticas, fundatores denique & beneficiarios fraudandi,*

dandi, opera pietatis impediendi & juſtitiam lædendi. Neque hanc eſſe innovationem contra promiſſum vel conventionem, utpote male fundatam. De *Petro de Luna* ſpem eſſe pertenuem, qui volens boni aliquid faciat. Eſſeq; ab eo omnino recedendum.

Quibus omnibus confectis poſtremo omnem *appellationem Romanenſium* hac in re *repudiant.* Promittuntq; nomine Gallicæ nationis, ſe & aliis opponentibus, omniumque argumentis exacte reſponſuros, ſi prodeant. Præſentem verò ſuam reſponſionem Cardinalibus ſolenniſſime offerunt, Conciliumque Conſtantienſe enixe rogant, nomine totius Nationis Gallicæ univerſique cleri, *Concluſionem* hanc *Gallorum de Annatis non ſolvendis*, ſerio tueantur & defendant.

Ex his Gallorum cum Romanis in Concilio contentionibus *de oneribus Eccleſiæ levandis* ſatis ſuperque eluceſcit, quam difficile hoc & in Germania per Romanos extiterit negotium. Præterquam autem quod acriter repugnantem Curiam Romanam in Concilio in Germania præſentem animadverterent Galli & Germani, experti quoque non ſine dolore ſunt, differri ſubito à novo Pontifice *Martino V.* in Germania Conſtantiæ creato, omnem Reformationem deſideratam, ac in Italiam pertrahi in Concilium Papienſe, proxime ſecuturum. *Difficile Reformationis negotium in Germania.*

Quæ omnia ex *Actis*, ordine ſuo loco à nobis ope *MSCtorum* exhibendis, luculenter patebunt.

CAPUT VI.

De EBERHARDI ArchiEpiſcopi Salzburgenſis Provinciali Concilio, pro reformandis moribus in ſuis Eccleſiis, A. 1420.

INterfuerat Concilio Conſtantienſi, reformandis Eccleſiæ moribus ſacro, inter alios Germaniæ Principes & EBERHARDUS, *Salzburgenſis ArchiEpiſcopus, Ro. ſedis Legatus.* Magnus hujus Principis pro Eccleſia ejusque ſalute zelus. Ut feliciter negotia ſacra in Concilio ſuccederent, pietas & devotio ſuaſerunt, toto dum adfuit tempore largiſsimas pauperibus quotidie elargiri eleemoſynas. Qui ſingulis diebus inter pauperes ante ejus domum congregatos panem & elixam carnem haud exiguo pondere cum jure diſtribui curavit, addito largo vini hauſtu, & jejuniorum tempore pultem aut legumina. Vidit hic Princeps religioſus in Conſtantienſi Concilio, quæ eſſent Reformationis fata, quæ impedimenta injecta, quæ decreta facta, quæ ſpes concepta, & quousque falſa. *Eberhardi ArchiEpiſcopi Salzburgenſis religioſitas in Concilio Conſt.*

Quamobrem ſoluto præter opinionem per Martinum V. Concilio, ac dilato communi reformationis voto in Synodum Italicam Papienſem, cum ſenſiſſet, parum ſic iri effectum publica autoritate, ſuum facturus officium, Conſtantienſis Concilii aliorumque bonorum ac doctorum virorum conſilium obſervans, frequentia Nationalia ac *Provincialia Concilia* eſſe inſtituenda, in ſuis hoc absque mora orſus eſt ditionibus ac Eccleſiis A. 1420. *Provinciale Concilium inſtituit.*

Digitized by Google

In primo hoc à Conſtantienſibus fatis Provinciali in Germania Concilio Salzburgenſi, *de negotio fidei ac morum ad reformandam Eccleſiam* ſedulo actum. Præſentes fuerunt præter *Eberhardum Archi-Epiſcopum*, Epiſcopi plures, *Albertus Ratisbonenſis*, *Hermannus Friſingenſis*, *Engelmarus Chiemenſis*, *Ulricus Seccovienſis*, *Wolfardus Laventinenſis*, quibuscum conſenſerunt abſentes Epiſcopi *Patavienſis*, *Brixienſis*, *Gurzenſis*.

Reformavit. In Eccleſiaſticis ſtatutis, reformationi conſecratis, in iſthoc Concilio factis, in præfatione memorat ArchiEpiſcopus, Salzburgenſes olim ArchiEpiſcopos, anteceſſores ſuos, ſaluberrimos condidiſſe in provincialibus Conciliis Canones. Verùm, interveniente longo illo & ferali Pontificum Romanorum ſchismate, quod univerſam Eccleſiam miſerabiliter laceraſſet, è memoria ex quadam deſuetudine exulaſſe. Hinc delinquentium impunitate, quæ veniam daret delinquendi, factum, ut effrenata cupiditas & veniæ facilitas, tam in clero quàm in populo, priſtinum Salzburgenſis provinciæ in moribus decorem vitæ deformitate denigrarint. Sed à Conſtantienſi Concilio, quo ſchismati finis impoſito, tempus jam eſſe, ut ex Epiſcopali officio, quod dudum ſerio exoptaſſet, ſe componat *ad reformationem morum*, ſalubribus ſtatutis confectis. Quæ à *Labbæo, Conciliorum Tom.* XII. *f.* 308. exhibita.

Novam Synodum indixit. Cum definiviſſet neceſſitatem frequentium Synodorum Provincialium ac Epiſcopalium, novam *Salzburgenſem Provincialem* indicit in annum proximum, duodecim diebus continuandam. Pœnæ ſtatuuntur illis Epiſcopis, qui non quotannis *Epiſcopalem Synodum* triduo duraturam celebrent.

Reformationis articuli. In Synodis verò iſtis agendum eſſe de corrigendis exceſſibus, & *reformandis moribus*, præſertim *in clero*. Viſitanda Monaſteria, Auguſtinianorum inprimis & Benedictinorum. Viros probos & honeſtos conſtituendos, qui per totum annum ſollicite obſervent, quæ correctione ac reformatione ſint digna, ut concilio dein provinciali aut epiſcopali referri queant.

Monachorum dictorum *capitula provincialia*, *ad reformandos* eorum *mores*, de triennio in triennium habenda, ſevere indicit.

Conſuetudines Eccleſiis oneroſas interdicit, quas ordinarius loci tollat. Quales Ro. curia antea multas invexerat.

Beneficia Eccleſiaſtica non ſine ſuperiorum autoritate accipienda aut dimittenda, ſicut antea in ſchismate factum, curia Ro. ſibi omnia vindicante.

Examina ordinandorum graviter urgentur, ne, ut olim per Curiam Ro. irrepant indigni. *Concubinatus Clericorum* damnatus, qui tempore ſchiſmatis in Eccleſiam irrepſiſſet, neglectis conſtitutionibus ſacris.

Clerici ordinandi jurare jubentur, quod *abſque omni Simonia* ad officium penetraverint.

Cavendum eſſe, *ne inepti* & *imperiti* amplius, ut antea, *Eccleſiis præficiantur* paſtores, in præſentiſſimum Eccleſiæ damnum. Provocatque ArchiEpiſcopus ad *Concilii Conſtantienſis decretum*, quod, ut ſaluti nationis

tionis Germanicæ provideretur, hac de re factum. Jubetque Conſtantienſem illam de *idoneis* faciendis *paſtoribus* conſtitutionem in ſuis provinciis in Synodis epiſcopalibus publicare & ſancte ſervare.

Contra Simoniam, quæ prorſus extirpanda, *Conſtantienſe decretum* in ſingulis Eccleſiis cathedralibus & aliis Collegiatis per ordinarios aut eorum inferiores ter quotannis publice prælegere mandat, ne quis ſe ignorantia excuſare poſſit: Pœnis ſtatutis quibusvis delinquentibus aut diſſimulantibus.

Præclara hæc prima in hoc ArchiEpiſcopatu Germanico *Reformationis Eccleſiaſticæ fata.*

CAPUT V.

De THEODERICI ArchiEpiſcopi Colonienſis, Electoris *Imperii, Provinciali Concilio, pro Reformatione morum in ſuis Eccleſiis,* A. 1423.

ARchiEpiſcopus Colonienſis THEODERICUS, *Princeps Germanus Imperii Elector*, ex legatis ſuis quos in Conſtantienſi Concilio ſuo nomine agere juſſerat, ambiguam Reformationis deſideratæ fortunam acceperat. Imitaturus ergo exemplum ArchiEpiſcopi Salzburgenſis, *provincialem Synodum* inſtituit, *ad corrigendos* quosdam *Eccleſiaſticorum mores corruptos*. *Focarias* aut Concubinas à Clericis eſſe expellendas: Stationarios & *quæſtuarios*, caritativa ſubſidia poſtulantes & indulgentias prædicantes, præter ordinarios ſacerdotes, non eſſe ferendos.

Synodus Provincialis Electoris Colonienſis. Articuli reformationis.

Cæterum etſi intentio optima omnino fuerit & hujus ArchiEpiſcopi, tamen neque tanta ſollicitudo, neque par ſolertia in diſcutiendis defectibus, neque ſimilis contentio vitia extirpandi, in eo deprehendetur, qualis in Salzburgenſi fuerat. Sicut & ſtatutum, *Concubinariis clericis* oppoſitum, paulo poſt ab eodem ArchiEpiſcopo large explicatum, eos nimirum interdicto ſolùm peti, qui *notorii* ſint concubinarii, qui concubinas *in ſuis ædibus* vel alibi *publice* alant.

Hæc *tenuiora* videbantur in hoc ArchiEpiſcopatu Germaniæ ampliſſimo *Reformationis fata*, quæ à clero utique ſubterfugiente ſic coërcita & in anguſtias illo tempore redacta. Dummodo *Provincialis* hujus *Synodi Colonienſis ſtatuta* integra hactenus ſint ſervata. Acrius poſtea in Concilio Baſileenſi & in Comitiis Francofurtenſibus negotium hoc urſit idem *Imperii Elector Theodericus, Comes de Morſa.*

CAPUT VI.

De OTTONIS ArchiEpiſcopi Trevirenſis, Electoris Imperii, Provinciali Concilio pro Eccleſiaſtica Reformatione in ſuis ditionibus, A. 1423.

OTto, Comes de Zigenheim, ablegatus ab Electore Trevirenſi *Wernero* ad Concilium Conſtantienſe, quippe qui Præpoſitus & Canoni-

Otto, comes de Morſa.

Digitized by Google

nonicus eſſet Eccleſiæ Colonienſis. Viderat igitur præſens & Sigismundi Imperatoris & Principum Germaniæ Regumque exterorum ingentem ſollicitudinem pro Reformando Eccleſiaſtico ſtatu. Sed & ſcrupulos injectos obſervaverat.

Elector Trevirenſis factus.

Quare finito Concilio, in defuncti *Werneri* Electoris locum ſurrogatus hic *Otto, Elector Trevirenſis* conſtitutus, *Archi Epiſcopi* munere legitime fungi conſtituerat. Hujus Principis religio commendari ſatis non poteſt ab illis, qui eum illo tempore noverunt. *Johannes Niderus*, hujus Principis coætaneus, & Cancellario Electoris hujus familiaris, in *Hiſtoria ſui temporis* ſupra laudata, *lib. 2. cap. 2. p. 179. Scio*, inquit, *hunc Pontificem Comitem fuiſſe origine, vita immaculatum, amicis etiam ſecularibus & potentibus ditatum, & virtutibus plenum.*

Religioſo.

Reformationem cleri tentavit. Sed fruſtra.

Reformationem pro celſo ſuo munere & ſeria religioſitate orſus hic Elector in ſuis regionibus. Verùm magnos ſibi à clero montes objici ſenſit. Quibus dum movendis eſſet occupatus, à contumaciſſimo clero ſuâ pertinaciâ excruciatus, moli ſuccubuit, incorrigibili clero male ominatus. *Gabriel Bucelinus* in *Germania ſacra Part. I. f. 35.* hujus *Ottonis Trevirenſis* indefeſſum *Reformationis ſtudium*, & objectas à malo clero difficultates paucis complexus eſt. *Otto*, inquit, *Comes de Zigenheim ſ. Zegenheim, Princeps digniſſimus. Hæreticis & hoſtibus metuendus. Clerum reformare conatus multorum odium indigne incurrit, conſtantiſſime tamen quæ Dei ſunt promovens, obiit pater pauperum A. 1430.* Idem teſtatur *Cratepolius* in *Annal. Trevir. p. 98.*

Fuſius ſed & diſtinctius hunc *Electoris Trevirenſis* ardorem, illo tempore ſuas Eccleſias reformandi, laudatus commendavit *Niderus*, cujus ætate hæc omnia geſta, quique obſtacula, & cruces Electori à perverſo nec emendando clero fixas, curate noverat. Teſtem hunc luculentiſſimum eumque oculatum audire juverit. *Noſter contemporaneus*, inquit *lib. 2. cap. 2. p. 175. Dominus Otto, Trevirenſis Eccleſiæ Archi Epiſcopus, ut ab ejus Cancellario, Magiſtro Tydmaro, Decretorum devoto valde Doctore, audivi, & ab aliis fide dignis percepi, divino ut creditur nutu primum electus Præſul dictæ Eccleſiæ, tam plenam duxit vitam virtutibus, ut non de Teutonia Epiſcopus, ſed plus videretur eſſe Monachus. Nam corpus jejuniis & veſtimentorum duritia attrivit, & animum intra rerum temporalium extremum ſtrepitum ad contemplativam vitam erexit. Latera ſua tam in rebus Eccleſiaſticis quam ſecularibus munivit viris literatis & religioſis, qui noſcere poſſent, quid reddendum eſſet Deo & quid Cæſari. Ipſe cum exercitu non exiguo, fide bona plenus, cum expenſis gravibus, Boëmiam intravit, & quantum ejus interfuit, peſtem hæreticam ibidem extirpare conatus eſt. Pro qua cauſa, niſi apoſtolica ſedes prohibuiſſet licentiam, quam obtinere nequivit, bona quadam fortunæ Eccleſiæ ſuæ libens vendidiſſet. Et quia Zelus domus Domini virum comedere non deſiit, quando vidit ſuos Canonicos & ſacerdotes collapſos à gradu ſuæ inſtitutionis, monaſteriaque deformata ubilibet: Idcirco* operam dare cœpit ſanctæ reformationi, *quam in ſe dudum antea ſtricte aſſumſerat. Quam quidem in pauciſſima loca introducere valuit, ſed in nullum Collegium clericorum ſecularium. Maligno enim inſtigante ſpiritu, & vitiorum turma tam in monaſticis quam ſecularibus viris renitente, muri deſtructæ hierarchiæ reſuſcitari non poterant, & opus Dei, demeritis hominum exigentibus, interceptum eſt, non ut olim a mechanicis, ſed à malis clericis & monachis. Qua in re, hi, qui minus debuerant, literis ſacris imbuti, ſed & Deo* [illegible]*ti, amplius quam ſeculares* reſtiterunt reformationi. *Quo viſo vir ſanctus inge*[illegible]*it,*

&

& cum B. Ambroſio de cleri duritia tactus dolore cordis lamentari cœpit, at mori & cum Chriſto eſſe non pertimeſcere: Voceque prophetica, die quadam dominica, ut creditur revelatione præditus, publice prædicere, ſui incolatus abſolutionem adeſſe brevi, deinde rebellem clerum & populum ultione divina mulctandum gravi. Vos, inquit, me benignum præcedentem ſequi noluiſtis: Venient tempora, in quibus quod neglectum ſupplere cupietis, & præ calamitate id non perficietis. Ego autem interim tollar de medio, & dormiam cum patribus meis. Dixit & ordine factum eſt, ut prædixit. Nam paulo poſt, licet ætas viri id non exigeret, divino tamen beneficio, ut reor, & ne oculi ſancti hominis viderent mala imminentia, ægrotare cœpit, & ſumptis devotiſſime Eccleſiaſticis Sacramentis, feliciter migravit ad Deum. Poſt cujus occaſum, in electione novi Paſtoris diſſenſio non levis ſuborta eſt. Nam pœne omnes elegerunt illum, qui viro Dei in Reformatione plurimum, ut dicitur, reſtiterat, ut aliorum captaret benevolentiam. Pauciſſimi alium prætulerunt, armis munitum theatralibus, & mundana fretum amicitia, qui de facto non de jure, priori reſiſtendo, permittente divino judicio, eum penitus a jure electionis deſiſtere coegit. Dedit proinde Dominus Apoſtolicus (Martinus V.) & confirmavit in Trevirenſem Præſulem, Spirenſem prius Epiſcopum, virum ſeculari conſanguinitate etiam potentem. Cui is, qui prius electum à cœpto deſiſtere compulit, pari modo reſtitit, & longe acrius. Exinde ſibi hi reſiſtentes mutuo, primum via juris, deinde materialibus armis, demum utreque, ſibi tam inhumaniter reſtiterunt utrinque, ut ipſa Diœceſis, imo metropolis, ſex circiter annis & ultra, interdicta graviſſima, excommunicationes acerbiſſimas, prædas, incendia, cædes hominum & bella pateretur continue, deſolarentur propterea Eccleſiæ, & ex Monaſteriis adeo plurimi exulare cogerentur, quidam ex rerum temporalium carentia, alii verò ex ſacramentorum, quam ferre cogerentur, abſtinentia.

Egena hæc *Reformationis fata in Germania in Electoratu Trevirenſi*, proxime à Concilio Conſtantienſi.

Caput VII.

De JOHANNIS ArchiEpiſcopi Moguntinenſis, Electoris Imperii, Synodo Provinciali, pro Eccleſiarum ſuarum Reformatione. A. 1423.

QVoniam cum aliis *Germaniæ Principibus*, & *Johannes*, *ArchiEpiſcopus Moguntinenſis, Imperii Elector*, præſens in Concilio Conſtantienſi extiterat, rebusque arduis de Reformatione univerſali Eccleſiæ interfuerat, ſoluto præter ſpem Concilio, dilataq; per Martinum V. Reformatione deſiderata, ſibi faciendum vidit in ſuis Eccleſiis, quod in omnibus Conſtantiæ erat quæſitum. Exemplo igitur & communi conſenſu ceterorum Archi Epiſcoporum in Germania, & hic *Elector Imperii* ac *ArchiEpiſcopus* Synodum Provincialem in ſuo territorio indixit, ac pro *Reformatione Eccleſiarum ſuarum* ſalubres conſtitutiones fecit.

Reformatio Electoris Moguntinenſis.

Caput VIII.

De interdictis à Martino V. Germanicæ Nationi Conciliis Nationalibus pro Reformatione Eccleſiæ, Conſtantiæ & Senſis quæſita A. 1424.

QUod pollicitus erat *Martinus V.* in Concilio Conſtantienſi, cum illud diſſolveret, ſe *Reformationis negotium*, Conſtantiæ in Germania

mania

Digitized by Google

Conciliũ Papienſe ac Senenſe.

mania cœptum, proxime in novo *Concilio Papienſi* plenius tractaturum, viſus eſt præſtare, quando vix finitis, in Germania per ArchiEpiſcopos & Imperii Electores inſtitutis, Provincialibus Conciliis, in Italiam cauſam communem traxit. A.1423.

Verùm quod Gerſonis conſilium Principibus Germanis adhuc firmo hæreret animo, tale Concilium à Papa indictum pro Reformatione univerſali Eccleſiæ tractanda, in loco ubi Papæ poteſtas civilis prævaleret, & periculum eſſet, ne libertate dicendi præcluſa irrita foret res omnis, declinandum: In hoc in Italia à Papa convocato Concilio *Principes Germaniæ* non comparuerunt. Maxime cum ex Concilii Conſtantienſis fine cognoviſſent, quam ſollicite Martinus hoc reformationis forum declinaret.

Quæſita Reformatio Eccleſiæ, ſed fruſtra.

Tametſi verò pauculi adeſſent ex Germanica natione, inter quos *Nicolaus de Suſato Doctor Theologiæ:* Nihilominus ex Concilii Conſtantienſis regula publica Reformationem promiſſam à Martino poſtularunt. Motaq; ſimiliter Conſtantienſis quæſtio de autoritate Concilii & Papæ. Quæ cum animadvertiſſet Martinus, prætextu confuſionis in iſthoc Senenſi Concilio ſubortæ, definito *Concilio* proximo *Baſileenſi*, hunc cœtum diſſipavit, promiſſa iterum certiſſima *Reformatione univerſali Eccleſiæ*, in curia ſua Romæ tractanda. Significavit hoc ſtatim *Martinus V.* per literas ArchiEpiſcopo Toletano his verbis: *Voluiſſemus, ut per te & alios optime ſentientes ea gravitate & libertate, qua in re tali conveniebat, agi potuiſſet de Reformatione univerſalis Eccleſiæ in Senenſi Concilio. Sed poſtquam tantæ rerum perturbatio ſecuta eſt, ut vidiſti, in animo nobis eſt, hanc Reformationis materiam non relinquere, ſed ad proſecutionem debitam intendere in curia noſtra.*

Interdicta Germanis Concilia Nationalia pro Reformatione.

In his præcipua Martini erat ſollicitudo, cum Senenſe Concilium diſſolveretur, ut graviſſimo edicto tùm aliis Nationibus tum & *Germanicæ* interdiceret, ne, ut antea ArchiEpiſcopi & Electores fecerant à Concilio Conſtantienſi, à Concilio hoc Senenſi pergerent *concilia nationalia* alioſve conventus de hoc *Reformationis negotio*, in Senenſi quæſito ſed non præſtito, verum Romæ tractando, celebrare. Ne ulla Senenſis Concilii ullo modo continuati eſſet ſpecies.

Cardinalibus tribus Reformatio commiſſa.

Remotis ſic Germanis, hujus rei arbitris, & negotio ſibi ſoli ſervato, *Martinus V.* tres conſtituit *Cardinales*, Antonium Epiſcopum, Petrum Presbyterum, & Alphonſum Diaconum. Ad hos referre Chriſtiani jubebantur, quæ cenſura caſtiganda, vel in meliorem ordinem redigenda viderentur. Hoc fine literæ excyclicæ à Martino V. miſſæ, hujus tenoris: *Ne propter diſſolutionem (Senenſis) Concilii, reformatio univerſalis Eccleſiæ & Romanæ curiæ impediatur aut retardetur, quam expediri in ipſo Concilio libentiſſime vidiſſemus, ſi debite fieri potuiſſet, & quam omnino proſequi & finire intendimus in omnibus ſuis membris: Venerabilem fratrem Antonium Epiſcopum Portuenſem, & dilectos filios Petrum tit. S. Stephani in Cœlio Monte presbyterum, ac Alphonſum S. Euſtachii Diaconum, Cardinales, ſuper hoc & ad recipiendum à quibuslibet dare volentibus informationes, inſtitutiones, & alia, quæ pro hujusmodi reformatione eis utilia vel neceſſaria videbuntur, duximus deputandos. Quæ ideo ad notitiam veſtram deducere decrevimus per præſentes, ut præmiſſorum omnium veram certitudinem habeatis. Ne propterea quiſquam exiſtimet, nos* reformationem Eccleſiæ & Romanæ curiæ *velle negligere*

gligere aut differre, ad cujus proſecutionem juxta paſtoralis officii debitum ſumus ferventiſſime animati. Et ſi qui ſint, quibus Deus aliqua pro ipſa reformatione ſalutaria inſpiraverit, illa præfatis Cardinalibus in ſcriptis exhibeant; Quod nos ſemper gratum habebimus, ut tandem omnibus collectis in unum, quæ ad reformandum ſtatum Eccleſiaſticum & eandem curiam *facere videantur, quod principaliter affectamus, pro ſalute fidelium animarum, pro conſervatione libertatis Eccleſiaſticæ, pro quieto ſtatu populi Chriſtiani, maturius & conſultius ad expeditionem reformationis ejusdem procedere valeamus. Dat. Romæ apud S. Petrum, IV. Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno VII.*

Hoc freno & Germanis injecto, longiſſima negotio mora data, quæ ſenſim rem omnem extinguere poſſe viſa.

CAPUT IX.

De continuato in Germania univerſalis Reformationis negotio per SIGISMUNDUM & ALBERTUM, Imperatores, *aliosq; Principes, in ſecundo* Concilio univerſali, *in Germania, Baſileæ, congregato. A.* 1431.

EX Italia in Germaniam ardua hæc tandem rediit cauſa. Totum enim idque difficillimum negotium in *novum inter Germanos collectum Baſileenſe Concilium Univerſale*, dudum ſolenniter definitum & *Univerſali Reformationi Eccleſiaſticæ conſecratum*, redundavit.

Decreta Baſileenſia de Reformatione.

IMPERATOR SIGISMUNDUS, & ejus in Imperio ſucceſſor *ALBERTUS*, ceterique Principes Celſiſſimi & Aſſeſſores venerabiles, varia in hoc Concilio *de reformatione Eccleſiæ univerſali* confecerunt decreta publica, repetitis ac *confirmatis Conſtantienſibus*. Cujus vel unus, isque locupletisſimus inter multos alios teſtis *Æneas Sylvius* in elegantibus ſuis *Commentariis de Concilio Baſileenſi*, cujus ſpectator & pars fuit haud poſtrema: Etſi ſui hujus eum teſtimonii pœnituerit poſtea cum Papa Pius factus. Verùm præter *Eugenium* tergiverſantem ac diffugientem, & *Concilii de Reformatione decreta* diſſolvere annitentem, plures viri docti, Eugenium ſectantes, iſthæc Concilii decreta acerrime oppugnare haud ſunt veriti.

Ita multis ultro citroque editis ſcriptis actum publice de Conciliorum Generalium, & in ſpecie noviſſimi Conſtantienſis Concilii, autoritate, deque *Reformatione Eccleſiæ in capite & in membris*, in Conſtantienſi concilio pridem cœpta, ſedulo Baſileæ continuanda atque perficienda.

Quæ omnia clarisſime patebunt ex *Rebus Concilii Baſileenſis*, quas ex permultis *MSCtis antiquisſimis*, ad præſens *Rerum Concilii Conſtantienſis* exemplum, ſuo tempore auxiliante Deo literato orbi exhibebit, pro impenſo *ſuæ Celſitudinis* in literas & Eccleſiæ hiſtoriam affectu, *Dux Sereniſſimus* RUDOLPHUS AUGUSTUS.

Sane Orator in Concilio Baſileenſi celebris, *Johannes Niderus, Suevus*, Theologus Baſileenſis, multis ſcriptis inclytus, *difficilia communis Reformationis & in Concilio Baſileenſi* tentatæ *fata*, in ſuo *Formicario*, ſui temporis hiſtoriam complexo, quæ ſuis viderat oculis, candide deſcripſit *p. 94. ſeqq. editionis noſtræ*, his uſus verbis: *Prælati civitatem militantis Eccleſiæ in ædificiis ejus, quantum ſua intereſt, ubi ruinam patitur, debe-*

Digitized by Google

Reforma-tio neceſ-ſaria. *deberent reformare, homines diverſis modis Deo ibi obſequendi inſtruere, ab æſtu vitiorum ac gelicidiis inimicorum defendere ac protegere, & ſeſe verbo & exemplo ita habere, ut in his à ſpiritu divino mererentur principaliter dirigi. Ita enim hanc civitatem vidit Johannes deſcendentem de cœlo, & in eodem oriri primitus. Vidi, inquit, civitatem ſanctam, Hieroſolymam novam, deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Sed heu hodie res verſa eſt in contrarium. Nam potior ejus portio, Status Eccleſiaſticus, magna in parte deprimitur avaritia, ſuperbia, & utinam non incontinentia. De quibus pſalmus conqueritur, dicens:* Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum. *In parte verò ſecularium adeo ubique rupta pacis fœdera, ut in eis illud Prophetæ locum habeat:* Effuſa eſt contentio ſuper Principes, & errare eos fecit in invio & non in via. *Et iterum dicit de civium malitia atque imprecatur:* Præcipita Domine, divide lingvas eorum. Quam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate die ac nocte. Circumdat eam ſuper muros iniquitas, & labor in medio ejus & injuſtitia, & non deficit in platea uſura & dolus. *De religionis autem vinea, cujus radices Dei plantavit filius, qui olim implevit terram, operuit montes umbra ejus & arbuſta ejus, cedros Dei, qui inſuper extendit palmites ſuos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus, ſic alibi dicit;* Deſtruxiſti maceriam ejus, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediantur viam, exterminavit eam aper de ſylva & ſylveſtris fera depavit eam. *Obj. Tempore noſtro, quo* CONSTANTIENSE GENERALE celebrabatur *CONCILIUM, quantum*

In Concilio Conſt. tentata. *ſuccurrit, de* REFORMATIONE *multum tractabatur in eodem* SINGULARUM STATUUM CIVITATIS ECCLESIÆ. *Et lætatus ſum tunc in his, quæ dicta ſunt mihi. Quia in corde dixi:* In domum Domini lætantes ibimus. *In cujus atriis vix ſtabant pedes noſtri præ deformationis malitia, ſed fruſtrati ſumus deſiderio noſtro. Advenit poſtmodum præſens* BASILEENSE CONCILIUM quod pœne in omnium Bullarum ſuarum præferebat exordio *REFORMATIONIS TITULUM. Rogavimus in eodem Concilio per antedictum*

In Baſileenſi repetita. *Pſalmum quotidie divinam clementiam ut id fieret. Inſtituebatur ob id diſputatio ſpecialis, dicta* Reformatorii. *Et usque ad ſex annos jam crebro diſputatum eſt* de diverſorum ſtatuum reparationibus. *Nec in effectu hactenus vidimus. Scire ergo valde cupio, utrum* de totali Reformatione Eccleſiæ in membris & in capite, *aliquam ſpem habere poſſimus, ut jucunde eum Propheta canamus:* Dum convertit Dominus captivitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati. *Reſp.*

Non omnino fruſtra celebrata fuerunt duo iſta Concilia. Nam in primo inveteratiſſimum ſchisma Eccleſiæ, cui ante nullis modis mederi quis potuit, divino regimine ſublatum eſt. In altero vero crudeliſſima Huſſitarum perſecutio & eorum infidelitas, quæ nullis tractatibus, nec fidelium gladio, ſub quo infiniti corruerunt ex utrisque partibus, auferri potuerunt, per Chriſti gratiam pœne totaliter averſa ſunt, mitigata ad minimum atque ſopita plurimum. De totali *autem, quam depingis,* Reformatione Eccleſiæ, *ad præſens & propinqua futura tempora, nullam penitus ſpem habeo. Tum, quia voluntas bona in ſubditis deficit, tum quia illud Prælatorum malitia impedit, tum etiam, quia illud electis Dei, qui perſecutionibus malorum probantur, non expedit. Exemplum de hoc accipe in arte Architectonica. Da enim Architectum, quantumcunque artificioſum, ſi is materia congrua, lignis vel lapidibus caruerit, nunquam domum conſtruet. Da rurſus ligna vel lapides, in materia etiam nobili, ſi architectum non habueris, domo idonea & habitationibus ſemper carebis. Si præterea domus aliqua amicis tuis accommoda non foret, & ædificata fortaſſis eis obeſſet, cur eam prudens habe-*

Deſperata Reformatio univerſalis

habue-

Digitized by Google

conſtrueret? Hæc tria dum Reformationi totali Eccleſiæ *applicabis, quam impoſſibilis ſit, ipſe mentalibus oculis videbis. Verum de* Reformatione particulari *in civitate Eccleſiæ poſſibili, in multis ſtatibus & religionibus, non dubito. Quin eaſdem indies introduci videmus in quibusdam monaſteriis & conventibus. Sed cum quanta difficultate, novit altisſimus. Si enim præſente Generali Concilio, in Baſilea annis ſex ne unum quidem fragilis ſexus monaſterium, cooperante etiam ſeculari conſulatu, reformari potuit, propter quorundam inhabitantium vitam malam, & eisdem junctam ſævitiam: Quid quæſo ſperandum eſt de virorum nobilium vel literatorum Collegiis, qui ruinas & deformitates ſuas, in ſpiritualibus exiſtentes domibus, non modo armis chalibeis, ſed etiam, quæ deteriora ſunt, verbalibus & ligneis poſſunt defendere.*

Edidit laudatus *Niderus* eodem tempore grande & affectu religionis pleniſſimum opus de *Reformatione ſtatus Cœnobitici.* Cujus geminus *Codex MSCtus, in Fol.* & 4. in *Academiæ* noſtræ *Juliæ Bibliotheca publica* aſſervatur. Argumenta librorum ac capitum recenſuimus *in Præfatione Tomi III. Autographorum ſuperioris ſeculi*, quæ *SERENISSIMI BRUNSVICENSIUM DUCIS RUDOLPHI AUGUSTI* Heri mei clementiſſimi, *Bibliotheca Brunſvicenſi Rudolphea* ſollicite ſervantur. Ex quibus Niderianis clare perſpici porro poteſt, quantæ difficultatis res fuerit Eccleſiam illo tempore in Germania emendare.

Keiſersbergii judiciũ de fatis publicæ Reformationis in Concilio Conſt. ac Baſileenſi.

Cum Nidero plane poſtea conſenſit *Johannes Geilerus Keiſersbergius*, Theologus Argentoratenſis illo ſeculo labente celeberrimus, & orator facundiſſimus, Maximiliano Imperatori cariſſimus. Hic in ſuo *Formicario*, Nideriani æmulo, *Ao.* 1517. *Argentorati* edito, *fol.* 21. *& ſeqq.* haud illepide diſſerit de utriusque Concilii Conſt. ac Baſileenſis quoad Reformationem Eccleſiæ univerſalem fatis. Oratione VIII. Structuram formicarum ex aridis foliis ſine duce architecto præterquam Deo, Conciliorum patribus commendat, quorum ſit totius Chriſtianiſmi ædificium adornare, ut uſui divino inſerviat, *reformando* ac reſtaurando ſi quid collapſum ſit aut corruptum, adverſus omnes impetus protegendo, idque non alio quam Spiritu S. duce & autore. Conſtantienſe ac Baſileenſe Concilium ſuo fere fine fuiſſe fruſtrata dolet. Totum clerum à capite ad calcem, à Pontifice ad infimum miniſtrum, penitus corruptum omnibusque repletum vitiis conqueritur, avaritia, faſtu, luxuria.

Corruptio Eccleſiaſticorum.

(Bei geiſtlichen, verſteh uns, die Weltliche Prieſter genannt ſein, ſo wirſt du finden, daſs von dem Höheſten bis auf den Minneſten alle Stand verderbt ſein. Nim den Schaufalt, das ſolt ſein der geiſtliche Stat, Biſchöff, Pabſt, Cardinäl, Pröbſt, Dechen, &c. Der Schaufalt iſt ful, und ſoll nicht ſein. Betracht ihn, ſo findeſtu ſolche Hoffart, Ubermuht: Niemand kan uns Ehre gnug anthun, nimand kan uns erfüllen. Wir häuffen unſere Pfründen, ein Pfründ auf die andere. Wir krigen um die Empter, als höher auf hin, von einem Ampt zu einem höhern.) Ordines Monachorum prorſus eſſe laceratos.

Monachorum.

(Die Ordensleut ſind gröſſer Buben, und alſo groſs als im weltlichen und im geiſtlichen Stat. Sie ſind in aller Leckerei forn dran. Drum iſt das Verslein wahr:

Quicquid agit mundus, monachus vult eſſe ſecundus.

Was die Welt thut, da will der Münch der ander dran ſein. Zu Rom kam ein Munch zu einem Cardinal. Der Cardinal wolt ihn umtreiben, und ſprach: *Quicquid agit mundus &c.* Der Münch ſprach: Nicht, Pater Reverendiſſime, nicht, nicht. Der Cardinal ſprach: Warum nicht? Er antwortet:

Er will nicht der ander ſein, er will allwege der erſte ſein. Der Cardinal lacht. Die Ordensleut ſind die, welche dem Stat der zwölf Boten nachgehen und ihren Stat durchzeugen. Zu denen ſprach der HERR: Vos eſtis ſal terræ. Es ſollen Kloſterleut andere Menſchen ſaltzen mit guten Lehren und Exempeln. Aber ſie ſind warlich Salz: Superbi, Avari, Luxurioſi. Die erſten drei Buchſtaben, die machen SAL. Das ſind ſie, und ſind alſo verſaltzen mit den drei Stücken, mit Hoffart, mit Geitz, mit Unkeiſchheit, daſs man ihnen nicht mehr kan zu hulff kommen.) In Concilio Baſileenſi ſex annis reformationi inſtituendæ unice inſudatum, ſed irrito eventu. Id boni effectum, ut bellorum adverſus Huſſitas terminus eſſet. Conſtantienſe quoque in Reformationis negotio fruſtra laboraſſe. Id licet impetraretur, ut reliquiis Pontificum, qui ultra 60 annos ſedem nunc Romæ nunc Avinioni ſibi vendicarant, abolitis, unus maneret. Depravatum quoque civilem Principum ordinem. Quem reformare non contingat, ob diſcordias inſanabiles. (Der weltliche Stat iſt auch verderbt. Man ſpricht: Sangvis Principum non facit bona farcimina; Fürſten-Blut gibt nicht gut Wurſt, denn es wil nicht zuſammen hangen. Wenn Blut in einem Darm nicht will bei einander bleiben, ſo wird nimmer gut Wurſt. Die Fürſten ſind wider einander, ſie fechten und ſtreiten wider einander, wie wolt man die reformiren?)

Nulla ſpes de communi reformatione. Specialis reformatio felicior.

Communem Reformationem dari poſſe negat cum Nidero, propter *ſuperiores*: Dum ad Concilium ablegandi Prælati, Abbates, Præpoſiti, Decani, Doctores, ad rem nihil conferant: Tum propter *inferiores*, qui omnes ſint repugnaturi: Tum propter *bonos*, quos à malis exerceri ſalutare ſit. *Specialem* vero *Reformationem* à quolibet in ſuo ordine atque territorio ſuſcipi cum fructu poſſe. Ut Epiſcopus ſuum redintegret Epiſcopatum, Abbas Monaſterium, Conſul civitatem, civis domum. Nullum vero Concilium id efficere potuiſſe, ex eo probat, quod vel ad unius Collegii reformationem veniam à Pontifice, à Rege, petere neceſſe ſit, ad deformationem autem lubido & arbitrium cujuslibet ſufficiat. Baſileenſe Concilium ne unum quidem Monialium Collegium in ordinem redigere ſuſtinuiſſe, quod favore ac amore civium frueretur: Quanto minus ſpei reformandi monaſteria virorum. (Das ganz Concilium zu Baſel war nicht ſo mächtig, daſs es mocht ein Frauen-Kloſter reformiren in einer Stadt; denn die Stadt hielt es mit den Frauen. Wie wolt denn ein Concilium erſt die ganze Chriſtenheit reformiren? Iſt ſo hart, ein Frauen-Kloſter zu reformiren? Wie hart wär es denn, die Mann-Klöſter reformiren, beſonder, da nicht denn Edele inn ſind, und einen groſſen Anhang haben?)

Ingens Baſileenſium labor in uno monialium monaſterio reformando.

Repetit poſthæc conſilium, ut quisque ſibi bene agendo recte conſulat. (Weil es ſo hart iſt, die ganze Chriſtenheit und beſondere Stände zu reformiren, drum ſtoſs ein idweder ſein Haupt in einen Winkel, in ein Loch, und ſehe, daſs er GOTTES Gebot halte, und thue, das recht ſei, damit daſs er ſelig werde.)

Non omnis culpa ſuperioribꝰ imputanda.

Superioribus corruptos omnium mores imputari ex omni parte non poſſe, cum *Nidero* demonſtrat. Illis quidem incumbere, ut bene præeant, & viam ſecuturis monſtrent: Maximam tamen mali culpam nobis tribuendam ipſis, qui malos anteceſſores vel imitari vel ab illis abſtinere queamus. Illos jubere vel prohibere, nos obſequi vel obſequium detrectare. Alioquin pœnam à nobis

nobis Deum ſumere non poſſe. Superiores interim non omni carere culpa. Ad longam qui provocent mali conſuetudinem, à majoribus ad nos derivatam, quos ineptiarum accuſare nefas ſit: Eos refellit, Omnino avorum aliquos à via aberraſſe affirmans. Neque vero quid actum vel agendum ſit, eſſe circumſpiciendum. *Nemo curat quid faciendum ſit, ſed quid fiat*, ait cum Seneca. Neminem interim coram DEO excuſari ſuperiorum peccatis. Quod ſi in malis, cur non & in bonis ſuperiorum legantur veſtigia? Etiamſi verò in manibus ſuperiorum non ſit, omnibus mederi malis: Conandum tamen eſſe & tentandum, ut ſuum quisque officium feciſſe cenſeatur. Quam intentionem & ſtudium emendandi præmio olim digno Deus ſit remuneraturus. Quod ſerium, etſi irritum, non tamen inane ſtudium lepido illuſtrat ſimili. (Wenn eine Mörin in eine Badſtub ging; der Bader rieb und wüſch ſie, ſie würde aber nicht weis, noch muſt ſie dem Bader das Geld geben.) Quod ſi divina gratia bonus contigerit Dux, Epiſcopus, Paſtor, gratias DEO reddendas, ac precibus pro ſalute illorum intercedendum. Unde conſuetudo laudabilis publicarum precum pro omnibus ſuperioribus, Regibus, Epiſcopis, Magiſtratibus. Ruſticitatem eſſe inſignem, ſi qui hunc morem contemnant. Ceterum *reformationis publicæ & univerſalis difficultate* non omnem tolli mali correptionem, & pœnam infligendam. Redarguendos omnino delinquentes: Hac tamen lege, ne ad vivum omnia reſecentur: Juxta effatum *Cæſaris Sigiſmundi*: *Neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare.* Correptionem adhibendam, ſi ſpes ſuperſit fructus. Majoris mali periculum admonitionem disſuadere. Innotuiſſe tamen delicta non eſſe diſſimulandum. Interdum etiam ſine ſpe emendationis redarguendos malos, ne ſilentio peccata augeantur. Ita ergo temperandam omnem mulctam, ut majus malum evitetur. Id quod medicis in uſu, qui ſæpe disſuadent ulceris medelam, ne æger in vitæ incidat diſcrimen. Hanc plectendi prudentiam cum *Nidero* laudat in Saule, Rege. Qui, dum bonus erat, multis gratus, ab aliquibus tamen ſannis exceptus, regnoque indignus judicatus. Hunc diſſimulaſſe injuriam, ne ſumptum ſupplicium alios in furorem verteret. In Dario idem notari, cum Danielem in leonum foveam præcipitandum ab eo poſtularent invidi. Ex arena Regi conſilium fuiſſe ſumendum, pro rerum ſtatu, diſſimulando animi inviti motum, manibus Magnatum quem quærebant permittendo, ne in ſe arma verterentur. Idem & Matathiam præſtitiſſe, qui connivere tantiſper debuerit Antiocho, Hieroſolymam & templum diripienti, usque dum copias collegiſſet.

Difficultas reformationis non tollit omnem obligationem.

Prudentiâ opus in reformando.

Hæc duorum *Clariſſimorum illius ſeculi Theologorum judicia*, de fatis Reformationis, in utroque Concilio, Conſtantienſi & Baſileenſi, inter Germanos vel inſtitutæ vel definitæ vel optatæ, ſed maxima ex parte ſuo fructu ac fine fruſtratæ. Multorum aliorum illuſtrium virorum calculos cumulare nec locus nec ſcopus hic admittit.

Digitized by Google

Caput X.

De Comitiis Moguntinenſibus. Anno 1440, & Comitiis Francofurtenſibus A. 1442. pro reformanda Eccleſia, ſub Friderico III. Imperatore.

CEterum quod & Conſtantienſis & Baſileenſis Concilii, utriusque univerſalis, de Reformatione ſanctiones & decreta, apparerent fruſtranea, conqueſti de hoc Germani.

Statuta Conſtantienſia ac Baſileenſia ſervanda.

Quare, *Sigiſmundo* & *Alberto defunctis*, *IMPERATORE FRIDERICO III.* Electores & Principes Imperii Germanici, in *Comitiis Moguntinenſibus Anno* 1440. *& Francofurtenſibus* Anno 1442. vehementer inſiſtendum urſerunt decretis utriusque Concilii œcumenici, Conſtantienſis ac Baſileenſis, quoad *Concilii autoritatem* ac *Reformationis neceſſitatem*, novumq; iterum Concilium cogendum.

Quo pertinent cumulata *conſilia* & *Reſponſa Academiarum Germaniæ* præcipuarum, ac ſpeciatim Theologorum & JCtorum clariſſimorum, à *Johanne* & *Friderico* Salzburgenſibus Archi-Epiſcopis, & Theoderico Archi-Epiſcopo & Electore Colonienſi, quæſita ac impetrata. Quæ ex *vetuſtis illius temporis MSCtis* ſuo exhibebit tempore, publici boni amantiſſimus *Brunſvicenſium DUX RUDOLPHUS AUGUSTUS*, ad Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lucem & poſteritatis emolumentum.

Epiſcopi Ratisbonenſis conſilium pro reformatione jurium Eccleſiæ Germanicæ.

Breve conſilium *FRIDERICI, Epiſcopi Ratisbonenſis*, Francofordiæ A. 1442. Cæſari datum, ex magno illo numero lubet hic ſubnectere ex MSCto Helmſtadienſi. *In cauſa præſentis dubii*, ait, *an declaratio pro altero contendentium fieri debeat? Nullo pacto facienda videtur adhæſio aut obedientia, niſi prius fidei fundamenta conſerventur, ac pacis ac unionis bonum inde reſultet in ſancta DEI matre Eccleſia. Nec ſic epotare debemus multitudinis aut majoris partis cohortem, ut venena pariter ſorbeamus.*

Inprimis is, cui facienda eſt obedientia, ante omnia profiteatur & confiteatur unam ſanctam catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, ſeque in illa membrum, nec ſuper illam, ſicut nec Petrus, ſed ſe principalem miniſtrum, ad constructionem, non ad deſtructionem, pro qua Chriſtus ſanguinem ſuum fudit, & rogavit, ut non deficiat fides ejus, &, portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, repræſentatam per ſacra generalia Concilia, poteſtatem habentia immediate à DEO, cui ipſe ſubeſſe habeat, præcipue in concernentibus fidem, extinctionem ſchiſmatis, & morum reformationem in capite & in membris.

Item (2.) Statuta, ordinationes & decreta, præſertim reſpicientia morum reformationem, boni publici conſervationem, edita in Conciliis generalibus, maxime Conſtantienſi & Baſileenſi, ac per Principes acceptata in dieta Moguntinenſi, obſervet, manuteneat, ac defendat, ac denuo ad cautelam corroboret & confirmet omnia & ſingula.

Item (3.) Cum bonus Paſtor animam ſuam dare habeat pro ovibus ſuis ac reducere in unum ovile, ne ſchiſma diu in Eccleſia DEI perſiſtat, ex quo læditur & diminuitur fides, deſtruitur Reſpublica, Eccleſia pedibus tyrannorum ſubjicitur, libertas Eccleſiaſtica extinguitur, cenſura Eccleſiaſtica ſupprimitur, bonum pacis inter Chriſtianos exulat, Eccleſiæ & monaſteria deſtruuntur, conſcientiæ fidelium periclitantur, innumera mala exoriuntur: Ante omnia & ſuper omnia obliget ſe iſte, de quo ſupra, cum toto ſuo Cardinalium Collegio, mox & ſine dilatione ceſſurum, ac dimiſſurum Eccleſiam & Papatum, ad requiſitionem Imperatoris, Advocati Principalis Eccleſiæ. Quod ſi non fecerit, eo ipſo omnis obedientia & ſubjectio, eidem facta & facienda, ceſſet &

extincta ſit. Ipſeque ab Eccleſia univerſali collective & diſtributive habeatur ut ethnicus & publicanus. Et de omnibus ſuperioribus, antequam praſtetur obedientia effectualis, det Bullas patentes Imperatori ſingulisque Metropolitanis, ut hi tandem ſuis ſuffraganeis, & Epiſcopi ſuis ſubditis hæc intiment & inſinuent.

Et ſi hæc renuerit quisquam ipſorum, manifeſte ſe oſtendit errare, ac Eccleſiam pro ſuo ambitu & libidine dominandi in ſchiſmate velle tenere, & ſic non præeſſe ſed obeſſe, cui nullo judicio obediendum, nec adhærendum, imo reſiſtendum & ejiciendum. Quia turpius ejicitur quam non admittitur hoſpes. Et melius eſt ante reipublica ſuccurrere, quam poſt vulneratam cauſam remedium quærere.

CAPUT XI.

De Interim Eugeniano, ſive Conventione, inter FRIDERICUM III. IMPERATOREM *nomine nationis Germanicæ &* EUGENIUM IV. *inita, pro* Reformationis Eccleſiaſticæ ſtatutis, *in Baſileenſi Concilio factis*, in Germania *poſthac ſervandis. A.* 1446.

QVod in Comitiis Imperii ſuperioribus quæſiverat Fridericus III. aliquo tandem modo conſequi viſus eſt A. 1446. Poſtquam enim in Baſileenſi Concilio *Eugenius* IV. reformationi definitæ vehementer repugnaverat, eoq; adeo remoto, *Felix*, *Amedeus*, erat ſubſtitutus Papa: Qui duo contendentes ſua lite reformationem reddiderant difficiliorem: Fridericus III. & Germaniæ Principes admodum & diu ſolliciti de illis Paparum diſſidiis tollendis, ad facilitandam, ut videbatur, Reformationem com̃unem, *Eugenium illum* antea remotum ſe iterum admiſſuros tandem conſtituerunt, ſi diplomatib9 ſuis eſſet ſancte pollicitus, ſe *Germanorum Eccleſiaſticam libertatem*, *Reformatione Baſileenſi* hactenus partam, ſalvam & illæſam ſervaturum.

Friderici III. lenitas.

Lubrica Germanorum conſilia de Eugenio iterum admittendo.

Annuit facile & callide *Eugenius IV. ac Diplomatibus* confirmavit, ſe *Decreta Concilii Baſileenſis De reformatione Eccleſiæ, in Germanica natione* conſtituta, *de præterito* probare ac rata habere.

In primo *diplomate*, dato *Romæ A.* 1446. *Nonis Febr.* primum teſtatus eſt ſuum erga Germanicam nationem prolixum affectum, qui libenter huic concedat, per quæ Germanicæ nationis quieti & commodis conſulatur.

Eugenii promiſſa larga.

Dein repetit, quod deſiderio *Friderici Imperatoris*, *Theodorici ArchiEpiſcopi Moguntinenſis*, *Electoris*, & *Friderici*, *Marchionis Brandenburgenſis*, *Electoris*, quoad *decreta Concilii Conſtantienſis* confirmanda, jam tum ſatisfecerit alio Diplomate.

Poſthæc *Decreta Concilii Baſileenſis*, quibus natio Germanica à pluribus gravaminibus *dicatur* liberari, rata habet, atque firma & inviolabilia conſiſtere jubet, quæ nec impoſterum à quoquam quavis autoritate queant irrita reddi ac infringi, vel aboleri aut revocari. Indeque quod *Germani*, qui ad tenorem illorum Decretorum Baſileenſium *Reformationis momenta quædam impleverint*, in illo uſu ac poſſeſſione nullo modo turbari debeant.

Reformationem Concilii Baſileenſis ratam habuit.

Quod autem per illa *Baſileenſia Reformationis decreta* juribus Papalibus multum derogetur, Legatum ſe ad Germanos miſſurum nunciat,

Callida conditio.

ciat, qui Papali autoritate munitus cum Germanorum Principibus agere poſſit de moderamine *illorum*, & quid *de futuro* Papali ſedi ſit indulgendum.

Spondet interea Germanis ſalvum uſum illorum decretorum, ſuumq; auxilium adverſus eorum impugnatores, *donec* per *Legatum* vel *Concilium*, ad nutum Imperatoris & Principum indicendum, res conficiatur, *aliterque ſtatuatur.*

Indulget *illis* ſolum *Germaniæ Principibus* ſuam hanc conceſſionem ac confirmationem, qui ſe pro Papa iterum agnoviſſent & proxime eſſent agnituri.

Secunda Eugeniana Baſileenſis Reformationis confirmatio.

Quandoquidem igitur mox & *alii Germaniæ Principes* Eugenium pro Papa iterum agnoſcerent, *novo* ſtatim *Diplomate*, dato *eodem* A. 1446. 7. *Id. Febr.* poſſeſſionem eorum jurium omnium, quibus *Germaniæ Principes* hactenus juxta *Decreta Baſileenſia* quoad *Reformationis momenta*, erant uſi, confirmavit, liteſq; de iisdem motas plane extinctas eſſe juſſit. Longumque illorum jurium, à Germanis illa Baſileenſi Reformatione partorum, catalogum pertexuit.

Utrumq; diploma exhibuit illuſtris *Leibnitius* in *Codice Juris Gentiū Diplomatico, Parte I. fol,* 391. *ſeqq. Cherubinus* in *Bullario Romano Magno* prius Diploma Eugenianum omiſit, poſterius quidem, *Tomo I. f.* 372. exhibuit, ſed non æque emendatum, ut ab illuſtri Leibnizio noviſſime proditum. Beneficio eruditiſſimi Viri, Dn. *Lucani*, *Secretarii Brandenburgenſis* ſolertiſſimi, ex *Archivo Halberſtadienſi* ejusdem diplomatis Eugeniani poſterioris apographum, ex originali bulla ab ipſo ſcriptum, in meas venit manus. Quod cum fidem facere poſſit recenſioni Leibnitianæ, integrum hic exhibere fas erit, nobiliſſimi *Lucani* manu.

Diploma Eugenii IV. pro juribus Eccleſiæ Germanicæ.

EUgenius Epiſcopus, ſervus ſervorum DEI, ad futuram rei memoriam. Inter cetera deſideria cordis noſtri, filios quoslibet ad noſtram & apoſtolicæ ſedis obedientiam exoptantes adduci, *illorum temporum qualitate penſata aliquando*, concedimus, ordinamus & ſtatuimus, per quæ Chriſti fidelium tranquillitati & commodis, remotis diſſenſionibus & ſcandalis, conſulatur, & exinde animarum ſalutem valeant adipiſci. Sane, cum propter diſſenſionem, inter nos & eos qui Baſileæ ſub nomine generalis concilii remanſerant dudum exortam, nonnulli principes, tam eccleſiaſtici quam ſeculares, nationis Germanicæ, in quadam *neutralitate* & animorum ſuſpenſione a die decima ſeptima menſis Martii de anno domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo octavo, usque in præſentem diem ſe tenuerint, ea mente, ut aſſerunt, ut poſtmodum unanimi conſenſu in noſtra & ſedis apoſtolicæ obedientia & reverentia paribus greſſibus intendere poſſent: Et cariſſimus in Chriſto filius noſter *Fridericus*, *Rex Romanorum* illuſtris, ac venerabilis frater noſter *Theodoricus Archiepiſcopus Moguntinenſis*, & dilectus filius nobilis vir *Fredericus Marchio Brandenburgenſis*, Sacri Imperii Electores, ac venerabiles fratres noſtri *Fredericus Magdeburgenſis*, *Fredericus Saltzeburgenſis* & *Gerardus Bremenſis*, Archiepiſcopi, ac quidam alii prælati & principes dictæ nationis, nobis debitam obedientiam per ſuos oratores præſtiterint, ac nos ſolum in Chriſti Jeſu vicarium recognoverint & profeſſi fuerint: Nos, attentis quod dictæ *neutralitatis* & ſuſpenſionis *tempore* plurima *in ipſa natione acta*, geſta & facta fuerint, quæ confirmationem, indulgentiam & diſpenſationem ſuper eis apoſtolicæ auctoritatis requi-

requirunt, præfatorum, Regis, Archiepiſcoporum, Marchionis, ceterorumq; prælatorum & principum ſupplicationibus inclinati, *omnes & ſingulas* tam metropolitanorum, quam cathedralium, aliarumque eccleſiarum, nec non dignitatum, etiam abbatialium, ac poſt pontificales majorum, & in collegiatis eccleſiis principalium, & aliorum beneficiorum ac officiorum eccleſiaſticorum quorumcunque, etiamſi eccleſiæ Curatæ, Canonicatus & præbendæ fuerint, *electiones*, poſtulationes, confirmationes, collationes, proviſiones & diſpoſitiones, nec non proceſſus, ſententias, aliaque acta judiciaria, auctoritate ordinaria hujusmodi ſuſpenſionis & *neutralitatis tempore factas* ſeu facta, quæ omnia & ſingula hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, ac ea rata ac grata habentes, autoritate Apoſtolica ex certa ſcientia *confirmamus*. Volentes ac etiam ſtatuentes, ut nulli, qui in poſſeſſione Eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum, beneficiorum & officiorũ hujusmodi, quacunque, etiam eorum qui Baſileæ poſt translationem & diſſolutionem Concilii ibidem remanſerunt, auctoritate ea fuerunt aſſecuti, ſuper hujusmodi eccleſiis, dignitatibus, beneficiis & officiis ac ſententiis & proceſſibus, etiamſi in Romana Curia vel extra eam lis, cujus ſtatum præſentibus habemus pro expreſſo, indeciſa pendeat, etiamſi ſuper eis ad ea vel contra ea fuerit alteri jus quæſitum, ſeu jus aliqui ſe habere prætenderent, ex nunc in antea in ipſa curia vel extra eam apoſtolica vel alia quavis auctoritate impeti, aut quomodolibet ex quavis ratione vel cauſa moleſtari poſſint, ſed in ipſius poſſeſſionibus pacificè remaneant. *Lites* quoque & cauſas quascunque, ſuper hujusmodi eccleſiis, dignitatibus, beneficiis & officiis *pendentes*, illis duntaxat exceptis, quæ coram ordinariis judicibus, apud quos juxta formam dictæ ſuſpenſionis & proteſtationis exinde ſecutæ licuit litigare, indeciſæ pendent, ad nos advocantes, auctoritate & ſcientia prædictis *extinguimus*, & ſuper eis adverſariis eorum perpetuum ſilentium imponimus: *Poſſeſſores* vero ipſos *volumus* in ſuis eccleſiis, monaſteriis, dignitatibus, beneficiis & officiis *pacificè remanere*: Quibus omnibus ipſas eccleſias, monaſteria, dignitates, beneficia & officia, quocunque modo vacaverint, auctoritate & ſcientia præfatis tenore præſentium *conferimus*, & *providemus* de eisdem: Ac illis, qui *pallium*, dictorum qui Baſileæ poſt noſtram translationem ſub nomine generalis concilii remanſerunt auctoritate, receperunt, ut illo uti poſſint, præſentibus concedimus & *indulgemus*: Illis autem qui non habent, ſine difficultate *dabimus* & etiam libere concedimus, illis tantum perſonis exceptis, quæ occaſione privationum, propter noſtram aut Baſilienſium adhæſionem factarum, beneficia detinent, in quibus habeat locum proviſio & diſpoſitio ſuper his, quæ contra proteſtationem facta forent per præfatum regem & electores imperii conjunctim vel diviſim promulgata. Per hoc autem nulli contendentium ſuper titulo & juribus eccleſiarum Freiſingen & Oſilien (*) volumus aliquod præjudicium afferri, aut etiam generari, ſed liberum ſit unicuiq; eorum jus ſuum proſequi juſtitia mediante. Præterea omnia & ſingula quæ dictis ſuſpenſione & proteſtatione durantibus in præjudicium, gravamen vel læſionem Jurisdictionis, juris vel poſſeſſionis metropolitanorum, diœceſanorum, principatuum, dominorum terrarum, regis & electorum ac archiepiſcoporum prædictorum, nec non aliorum epiſcoporum, prælatorum, collegiorum, perſonarum ſeu rerum quarumcunque, contra fœdus proteſtationis & ſuſpenſionis hujusmodi quomodocunque vergentia, Apoſtolica vel alia quavis auctoritate conceſſa, ac in judicio vel extra obtenta, inſuper *eccleſiaſticas cenſuras*, mulctas & pœnas, nec non cujuscunque irregularitatis & inhabilitatis maculam, tam a jure quam ab homine propter præmiſſa quomodolibet promulgatas ſeu inflictas, promulgandas quoque ſeu infligendas, quo ad Regem, Archiepiſcopos & Marchionem præfatos, eorumque dominia, clericos, ſubditos & vaſallos, & ad eos

(*) De quo utroque Epiſcopatu, Friſingenſi ac Oſilienſi, controverſo, fuſe egit Æneas Sylvius, tunc Secretarius cæſareus, ep. 37. 52. 122. 123.

Digitized by Google

ad eos quoque qui infra ſex menſes a die dati præſentium computandos ſe declaraverint pro nobis, aut eidem declarationi adhæſerint, *caſſamus*, irritamus & annullamus, nulliusque eſſe decernimus roboris vel momenti, omnem irregularitatis & infamiæ maculam ſive notam, per eos præmiſſorum occaſione contractam, penitus abolentes, ac eos rehabilitantes & reſtituentes ad eorum eccleſias, beneficia, officia, dignitates & honores quæcunque, ac in priſtinum ſtatum, & eum in quo erant ante præmiſſa, reponentes, nec non illis, qui contra ipſos impetratis, conceſſis, vel obtentis, ſeu impetrandis, concedendis & obtinendis quomodolibet niterentur, etiamſi eis aut eorum alicui jus quæſitum foret, ex certa ſcientia de poteſtatis plenitudine perpetuum ſilentium imponentes. Inſuper quaſcunque *obligationes ſuper annatis* ſeu communibus & minutis ſervitiis ceteriſque juribus, nobis & cameræ apoſtolicæ ſeu collegio venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium ceteriſque officialibus debitis ſeu quæ deberi dicerentur occaſione quarumlibet metropolitanarum & cathedralium eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum, officiorum & beneficiorum quorumcunque, *uſque in præſentem diem*, *remittimus*, de noſtra liberalitate relaxamus, pariter & donamus, eoſque, qui in hujusmodi debitis obligati eſſent, ab omni eorum ſolutione abſolvimus & etiam liberamus. *Diſpenſationes* præterea quaſcunque, niſi tales forent, quas hactenus ſedes apoſtolica concedere non conſuevit, *indulta* quoque, *forum conſcientiæ reſpicientia*, etiam in caſibus ſedi apoſtolicæ reſervatis, nec non novas *proviſiones* pro poſſeſſoribus, ſine præjudicio juris quæſiti, ipſa ſuſpenſione durante, vel etiam antea a nobis, aut ab eis qui Baſileæ ſub nomine concilii remanſerunt, aut legatorum ſuorum, vel alia quavis auctoritate obtentas, impetratas, conceſſas ſeu conceſſa, ac omnia inde ſecuta a die datæ conceſſionis earúndem, eadem auctoritate *confirmamus*, perinde ac ſi a nobis impetrata fuiſſent. Super ſententiis autem, in Romana curia vel Baſileæ ſub nomine generalis concilii ante ipſam ſuſpenſionem, vel ea durante in cauſis quibus uterque litigantium ex ordinario titulo nititur, prolatis, quæ *executioni nondum* ſunt *demandatæ*, volumus, ſtatuimus & ordinamus, quod hujusmodi *ſententiæ coram judicio ordinario tractentur*, & quicquid utraque pars vellet producere pro jure ſuo coram eo debeat exhibere. Qui quidem judex, ſummarie ſimpliciter & de plano ſola facti virtute inſpecta procedens, negotium ipſum unica valeat terminare ſententia, a qua nulli partium appellare liceat aut provocare vel reſtitutionem aliquam obtinere. Per hoc autem nullatenus præjudicare intendimus eis, qui poſſeſſionem dignitatum, etiam metropolitanarum, cathedralium & abbatialium ſeu beneficiorum quorumcunque, ordinaria vel alia autoritate ſub eadem Natione obtinentes, durante neutralitate vel ſuſpenſione prædictis, vigore proceſſuum, in Romana curia vel in Baſilea ſub nomine generalis concilii obtentorum, aut aliàs violenter fuerunt ſpoliati. Sed tam ſpolia quam jura eorum denuo coram judicibus ordinariis cognoſcantur, & fine debito terminentur. Inſuper omnes & ſingulas præfatæ nationis, aut, etiam alterius, in ea beneficia vel officia obtinentes perſonas, eccleſiaſticas & ſeculares, etiamſi regalis, archiepiſcopalis, epiſcopalis vel alterius dignitatis fuerint, *qui* poſt diſſolutionem ſive tranſlationem præfati concilii per nos factam *congregationi Baſileenſi ſub nomine generalis concilii adhæſerunt*, obedivérunt, aut incorporati fuerunt, qui jam ad noſtram obedientiam ſunt reverſi, vel infra ſex menſes poſt declarationem nobis factam redierint, ſeu declarationi ipſi adhæſerint, *ab omnibus* & ſingulis *juramentis*, perjurii reatu, ac aliis cenſuris & pœnis, ſi qui tenerentur, aut incurriſſent, inflictis, & in tales promulgatis, aut propterea infligendis, auctoritate præfata *abſolvimus* & liberamus, ac omnem irregularitatis, inhabilitatis & infamiæ maculam ſive notam, exinde quomodolibet forſan contractam, abolemus, & in priſtinum ſtatum reſtituimus & reponi-

Digitized by Google

reponimus, perinde ac ſi talia minime emanaſſent. Præterea omnes & ſingulas perſonas Nationis præfatæ, ſive alterius etiam, in ea beneficia vel officia ſicut præmiſſum eſt obtinentes, quæ ſub declaratione hujusmodi pro nobis facta vel facienda continebuntur, quæ poſt hujusmodi concilii translationem Baſileæ remanſerunt, aut ipſi congregationi adhæſerunt, faverunt, officiis in eadem præfuerunt, aut in legatione eorum miſſi ſunt quandoque, aut eis crediderunt, *ab omnibus excommunicationis*, ſuſpenſionis, interdicti, aliisque cenſuris & *pœnis*, in eas per proceſſus noſtros aut aliàs inflictis & promulgatis, *abſolvimus*, cum his, qui ibidem, ſeu à proviſis ab ipſis aut eorum auctoritate ſacros ordines dicto tempore receperant, ut in ſuſceptis ordinibus miniſtrare valeant *diſpenſantes*. Volumus inſuper, quod *ſinguli Metropolitani Nationis ejusdem*, actu jam nobis obedientes, vel qui infra ſex menſes ut præfertur nobis & Apoſtolicæ ſedi debitam obedientiam præbuerint, *conſimiles bullas* ſive literas apoſtolicas *habeant*, ſuper quibus petentibus quibuscunque, quotiens opus fuerit, ſub eorum ſigillis transſumpta concedere valeant, eisque in judicio & extra plena fides ſicut originalibus literis per omnia præbeatur. Super *eccleſiis* autem *Treverenſi* & *Colonienſi* de quibus in petitionibus Regis, Archiepiſcopi Moguntinenſis, & Marchionis præfatorum, ſpecialis eſt poſitus articulus, per alias noſtras literas deſuper editas, ſpecialiter *providimus*, prout in eis latius continetur. *Ut* autem *præmiſſa* eo *firmius obſerventur*, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, de venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu, *pollicemur* omnia & ſingula *ſupra dicta inviolabiliter obſervare*, & contra ea vel ipſorum aliquod in toto vel in parte nullo unquam tempore quicquam innovare: Et quod nobis licere non patimur, eisdem *ſucceſſoribus indicamus*: Decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis etiam apoſtolica auctoritate ſcienter vel ignoranter attentari contigerit. Quin imo, ſi *adverſus præmiſſa* litteræ aliquæ aut *mandata*, ad cujuscunque inſtantiam, vel etiamſi motu proprio ſeu ex certa ſcientia, etiam cum derogatoriis clauſulis, ſub quacunque verborum forma, à nobis ſeu noſtra auctoritate aut ab alio quovis emanaſſent, ſeu in futurum emanarent, tales & nunc *pro infectis volumus haberi*: Quodque is, contra quem emanaſſent, aut conceſſæ fuiſſent, aut emanarent, & in futurum concederentur, illis minime obedire teneatur: *Non obſtantibus quibuscunque conſtitutionibus apoſtolicis*, & etiam cum decreto irritante, quorumcunque tenorum exiſtant, in genere vel in ſpecie, per nos ſeu prædeceſſores noſtros *conceſſis*, ſeu *concedendis privilegiis vel indultis*, de quibus ac totis tenoribus eorum ſpecialis & expreſſa etiam de verbo ad verbum mentio in noſtris litteris foret facienda, nec non quarumcunq; *eccleſiarum ſtatutis* & *conſuetudinibus*, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quacunque firmitate roboratis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ *confirmationis*, voluntatis, ſtatuti, advocationis, extinctionis, impoſitionis, collationis, proviſionis, conceſſionis, caſſationis, irritationis, annulationis, conſtitutionis, abolitionis, rehabilitationis, reſtitutionis, repoſitionis, remiſſionis, relaxationis, donationis, abſolutionis, liberationis, ordinationis, intentionis, diſpenſationis, pollicitationis & indicationis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis DEI, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. *Dat. Romæ* apud Sanctum Petrum, *anno incarnationis dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto, ſeptimo idus Februarii, Pontificatus noſtri anno ſexto decimo.*

Sigillum plumbeum, rubrâ & flavâ chordâ Bullæ appenſum. In quo duo capita Pauli & Petri cum inſcriptione: (S.PA. S.PE.) — († EVGENIVS PP. IIII.)

Poggius.

de curia
de Thomacellis.

Legati Eugeniani mora.

Quam ſe ad Germanos miſſurum dixerat *Legatum* Eugenius, rei prorſus conficiendæ cauſa, poſt ſuperiorem *conventionem* quotidie expectabat Imperator. Moras autem quod necteret Eugenius, Imperatorem hoc male habuit. Secretarius Cæſareus, illo tempore clericatum amplexus & ſubDiaconus factus, *Æneas Sylvius*, literis 6. Martii A. 1446. datis, Johanni Campiſio hanc ægritudinem animi in curia Cæſarea ex dilato adventu Legati Romani expoſuit his verbis: *Chiemenſis Epiſcopus ad Rhenum ivit, Electores convenit. Jamque hac die cum eis habiturus eſt in Francofordia conventum, bonamque ſpem facit ad unionem pacemque Eccleſiæ. Neſcio quid ſequetur. Hic magna eſt admiratio de tarditate Legati veſtri. Nam SECUNDUM CONVENTA jam pluribus diebus in hac curia ſe debebat oſtendere, de quo nihil hic ſentiri modo ſcimus. Ingeriturque magna ſuſpicio, quæ poſſit aliquid mali parere, ut ſcire poſſunt, qui intentiones norunt hic habitas. Ex Baſilea fuerunt apud nos oratores, quorum petitio fuit, quod Cæſar auctoritatem Eccleſiæ, juxta declarationem Conſtantiæ factam & Baſileæ renovatam, tueretur ac manuteneret. Utque dietam Norimbergenſem mandaret teneri, ad quam ſuos oratores Baſileenſe Concilium cum plena poteſtate mitteret, ſuper omnibus quæ ad pacem Eccleſiæ pertinent. &c.* Quibus Baſileenſibus Oratoribus Imperator ſpopondit ſuum pro autoritate Eccleſiæ ſervanda ſtudium perpetuum. Comitia verò nova Noribergenſia declinavit.

Interea diem obiit ſupremum Eugenius, per Legatum promiſſum re nondum confecta.

CAPUT XII.

De Tranſactione Nicolaitana, ſive Concordia inita inter FRIDERICUM III. Imperatorem *nomine Germanicæ nationis &* NICOLAUM V. *de* Reformatione Eccleſiaſtica per Germaniam. A. 1447. & A. 1448.

Nicolaus V. confirmavit Interim Eugenianum.

POſthæc viſa Eccleſia nacta Halcyonia, vel inducias, quando A. 1447. *Nicolaus V. Papa* Principum Germaniæ *de Eccleſiæ emendatione* repetitas *conſtitutiones*, in Baſileenſi ac Conſtantienſi Conciliis conſignatas, ab Eugenio anno ſuperiori confirmatas, ſuo quoque conſenſu atque Papali ſigillo ſimpliciter probavit, roboravit, communivit, atque A. 1447. 10. Aug. confirmavit, teſte *Cherubino, Bullar. Rom. Magn. Tom. I. f.* 372.

Legatus Papalis venit in Germaniam.

Quod præterea *Eugenius IV.* anno ſuperiori in ſua cum Germaniæ Principibus Conventione callido conſilio definiverat, ſe *Legatum Ro. Sedis*, plena autoritate inſtructum, in Germaniam miſſurum, qui cum Imperatore ac Principibus plene ageret, deſideratamq; Reformationis rem conficeret: Hoc etiam quomodocunque eſt impletum. Quippe *Johannes Cardinalis*, Ro. Sedis Legatus, *in Germaniam* hoc nomine tandem venit, & cum Principibus, *præſente* etiam Cæſaris nomine *Ænea Sylvio*, tractavit. De quibus igitur inter Principes Germaniæ & Cardinalem Legatum quoad Eccleſiaſticæ Reformationis nego-

negotium tunc convenit, ex utraque parte A. 1448. ſubſignarunt. Quam initam *Germanorum cum Nicolao V. concordiam, reformationis articulos concernentem*, ipſe Nicolaus V. Papa abſque hæſitatione eodem anno ſimiliter ſubſignavit, atque edito Diplomate confirmavit.

Eugenii IV. ſagacitas.

Non poterat autem Eugenii IV. ſagacitas latere, cum per Legatum ſuum de Germanorum Eccleſiaſticis juribus, Reformatione Conſtantienſi ac Baſileenſi quæſitis, porro cum Germanis ſe acturum conſtitueret. Erat enim hoc conſilium in reſtringendam Germanorum magna jam ex parte impetratam Eccleſiaſticam libertatem directum. Ut Legatus iſte quædam jura Germanis Principibus, ſuperioribus Reformationibus parta, eriperet, ac priorem Sedis Ro. autoritatem iterum redderet ampliorem. Quod & illis Concordatis ſic effectum.

Etiamſi enim Fridericus III. & Germaniæ Principes, juribus ſuis Eccleſiaſticis jam pleriſq; potirentur, aut ſe potituros impoſterum confiderent: Quod tamen pacem publicam amplectendam putarent, eam, invitis tamen quibusdam, cum Pontificis Legato ſub Nicolao V. iniverunt pactionem, ut Principes Germaniæ jura iſthæc ſua in proximis Conciliis quæſita, urgente Legato Pontificis, dividi permitterent. Ut aliqua ſalva impoſterum retineret Natio Germanica, aliqua ad Papam redire concederent Germani, ſingulis utrinque definitis. Dulcior enim tenuis viſa quibusdam buccella panis in quiete & tranquillitate, quam grandis farinæ modius cum continua inquietudine ac lite. Ita ergo ex diviſis jam Eccleſiæ Germanicæ juribus *Concordata* emerſerunt, A. 1448. d. 17. Febr. in Germania ſignata, & 14. Cal. April. Romæ confirmata. Quæ ſane *Æneæ Sylvii*, Itali, Cæſarei Secretarii ac Conſiliarii, qui nomine Cæſaris omnibus his de Reformatione Eccleſiæ negotiis interfuit, ac Cardinalibus Romanæ curiæ Primatibus familiariſſimus ſimul fuit, conſilio ac nutu magis in eam formam redacta, quàm Friderici Imperatoris arbitrio. Hic ſiquidem Æneas, cum Legato Romano facile conſpirans, quem anxie antea expectaverat, Imperatoris Friderici animum flectere poterat, quo vellet. Quod & Cardinalis factus & Pontifex, abunde demonſtravit. Unde natum *nomen Concordatorum Nationis Germanicæ*.

Æneæ Sylvii cura in Concordatis faciendis.

Hæc Concordata qualiacunq; inter Nationem Germanicam, Imperatorem ſcil. Fridericum *& Pontificem Nicolaum V.* edidit A. 1513. Argentinæ *Wimphelingius*, cum *Imperator Maximilianus* Sigismundi, Alberti, ac Friderici Parentis ſollicitudinem pro Eccleſiæ ſalute ſerio æmularetur, id continuo meditatus.

Commendare ſatis non poteſt *Wimphelingius* in præfatione hujus *Nicolai V.* virtutem, Papali ſede digniſſimam. *Nicolaus V.* inquit, *Thomas Sarzanus prius appellatus, Eugenio IV. in Pontificia ſede ſucceſſit, durante adhuc ſchismate, quod Felice V. contra Eugenium electo ſubortum fuerat, A. 1447. Fuit autem pius, juſtus, Dei cultor, doctorum amicus, & ipſe doctiſſimus ſacrarum literarum interpres, tantæ auctoritatis & gratiæ, ut animos Principum ad bellum jam concitatos aliquamdiu repreſſerit, ſupplicationes admodum celebres cum clero & populo habuit, liberalis erga literatos, quos & pecunia & officiis ac beneficiis mirifice juvit, quos & præmiis nunc ad lectiones publicas, nunc ad componendum de integro aliquid, nunc ad vertendos Græcos auctores in latinum, perpulit. Miſit literatos per totam Europam,*

Nicolai V. elogiū.

quorum induſtria libri conquirerentur. Et Poggius Quintilianum tum invenit. (Wimphelingium hic memoria fefellit, cum in Conſtantienſi Concilio Quintilianus à Poggio ſit repertus) *Ædificavit magnifice & ſplendide. Templa quædam reſtituit, quædam à fundamentis erexit. Ejus mandato vici urbis fere omnes ſtrati ſunt. Eleemoſynas multas in pauperes erogavit, virgines inopes ſua pecunia maritis elocavit. Officium nullum vendidit, nec beneficium ſimoniaca pravitate ductus ulli collocavit. Gratus in bene de ſe & Eccleſia meritos, amator juſtitiæ, pacis auctor & conſervator, clemens in delinquentes, ceremoniarum diligentisſimus obſervator, nihil quod ad divinum cultum pertineret omittens. Extant vaſa auro & margaritis inſignita: Extant aulæa auro & argento intertexta: Extat mitra Pontificalis, quæ Nicolai munificentiam oſtendunt. Libros ſacros exſcribi jusſit auro & argento redimitos: Bibliothecam Pontificiam mirifice auxit. Religioſos (ut vernaculo vocabulo utar) amavit & juvit. Bernardinum ordinis S. Franciſci in ſanctos retulit, quod prædicando, docendo, monendo, caſtigando etiam, factiones Italiæ, Guelpham ſcil. & Gibellinam, magna ex parte extinxerit, & Chriſtianis hominibus bene beateque vivendi viam oſtenderit. Moritur autem hic optimus Pontifex, magno apud poſteros deſiderio ſui relicto, Anno 1455. Eique Calixtus III. eodem anno in Pontificatu ſuccedit.* Conſentit cum hoc encomio *Nauclerus, Gen.* 46.

Variæ ac præcipuæ editiones Concordatorum. Præterquam vero quod in paragraphos diſtinxerit hæc *Concordata* Wimphelingius, argumentis quoque vel ſummariis inſtruxit, ac notis illuſtravit. Sub finem amare conqueritur, ſuo tempore illam *Nicolai* fidem prorſus iterum expiraſſe, obſecratque Germanicam nationem, quæ exemplo majorum emendationem à Pontifice *Julio II.* rurſus quærat, *Maximiliano Cæſare* opem laturo.

Eandem repetiit *Georgius Branden, JCtus, Presbyter Eyſtetenſis & Canonicus Auguſtanus,* in principio hujus ſeculi, in ſuis *Collectaneis ſuper Concordatis inter Sanctam Sedem Apoſtolicam & Inclytam nationem Germaniæ.* Quæ *Brandeniana Collectanea* annexa ſunt *Praxi Beneficiorum Petri Rebuffi JCti. Col.* 1610.

Ex Brandenio depromſit *Schilterus* ICtus, qui & notis illuſtravit. Quæ ſubjuncta ſunt celebri opuſculo *Franciſci Duareni*, *De ſacris Eccleſiæ miniſteriis ac beneficiis.* Quod autem *Brandeniana* illa in laudata editione inſigniter eſſent corrupta, tametſi à diverſarum editionum mendis ſtudioſe dicerentur expurgata, *Schilterus* Brandeniana reſtituit, *Cherubino* absque dubio collato atque ex Brandenio ſimul emendato.

Cherubinus eandem *Nicolai V. bullam*, pro Eccleſiæ Germanicæ juribus, ſuo inſeruit *Bullario Romano Magno*, *Tom. I. f.* 374.

Codice juris Gentium Leibnitiano, fol. 396. *ſeqq.* exhibita ſunt hæc *Concordata*, ut à Germanis & Legato prius erant conſignata, Imperatoris & Joannis Cardinalis Ro. Sedis legati manu ſub ſcripta, cum præloquio Germanorum Principum, eorundemque clauſula. *Wimphelingius* & alii dederunt cum præloquio Nicolai confirmantis, adeoque jam confirmata.

CAPUT

Digitized by Google

Caput XIII.

De novis Principum Germanorum querelis ob Reformationis Baſileenſis ac Concordatorum momenta Romæ neglecta & nova Eccleſiarum Germanicarum onera *à Calixto III. denuo impoſita.* A. 1457.

Calixti III. animo in Germanos bonus.

AB obitu Nicolai V. *Calixtum III. Papam*, ut Nicolai ſucceſſorem ita & illius genii participem in principio fuiſſe, celebrat *Wimphelingius l. c.* Qui *Friderici III. querelas* non ſpreverit, nec intenderit aut ordinariorum menſibus derogare aut *Concordatis* iſtis contravenire. Cujus in hanc rem commendat diploma.

Verùm, qui Baſileenſi Concilio interfuerat, in curia *Friderici Imperatoris* per quindecim poſtea annos *ſecretarii ac conſiliarii Imperialis* characterem tulerat, Cæſari cariſſimus, *Æneas Sylvius, Italus*, qui ſuperiora Germanorum conſilia, longo illo tempore de *Reformatione Germaniæ* agitata viderat, intime inſpexerat, ſed & ex parte gubernaverat, & hactenus probaverat, & *Concordata* illa parari juverat, Romanis interim familiaris, cum jam A. 1446. in curia Cæſaris, ut commodius emergeret & dignitatibus potiretur majoribus, civilem vitæ conditionem cum ſacra permutare cœpiſſet, *Subdiaconus*, dein *Diaconus* factus, ac porro Senenſis *Epiſcopus* creatus, ab Imperatore Friderico Nicolao V. Papæ ad *Cardinalitiam dignitatem* adipiſcendam commendatus, ac à Calixto III. evectus, atq; ita Romanæ parti jam totus devinctus, aliter aut apertius *de Germanorum ſtatutis Reformatoriis* ſentire ac conſulere cœpit.

Æneas Sylvius Germanis gravis.

Ex illo itaque tempore, quo *Imperatoris Friderici ſingulari gratia* ac enixa commendatione, quod abunde agnoverat, ac publice prædicabat, *Cardinalis* factus, Romæ egit, Germanica natio priſtina onera Eccleſiaſtica per Ro. curiam ſibi rurſus imponi ſenſit ac doluit. Longis igitur ac diuturnis illis Principum conſultationibus, conventionibus & concordatis, tantum omnino non effectum, ut, quod in Conſt. ac Baſileenſi Conciliis de *Eccleſiaſtica Reformatione* ſtatutum, ac ab Eugenio & Nicolao confirmatum, à Calixto III. conſtanter admitteretur.

Nova Comitia Germanorum.

Quoniam ergo *Eccleſiæ Germanicæ onera* priſtina viderentur redire, & *Principum querelæ* ſunt renovatæ. *Frequentia* ea de re, quomodo Eccleſiis Germanicis tandem conſuleretur, *comitia* iterum habita à Principibus. *Friderico Electore Brandenburgenſi*, *ArchiEpiſcopo Magdeburgenſi*, aliisque Principibus Eccleſiæ Germanicæ libertatem ſerio quærentibus.

Electorum imperii querelæ.

Interea *Theodericus de Morſa*, *Elector Colonienſis*, literis ad Æneam Sylvium, Cardinalem illum, & Calixtum III. Papam datis novas *Germanicæ nationis querelas* A. 1457. exponere non eſt veritus, *Reformationemq;* poſtulare non dubitavit.

Johannes Epiſcopus Herbipolenſis à Collectoribus Papæ in illo Epiſcopatu collectam pecuniæ ſummam ex Germania Romam tunc dimittere noluit, ſed ſibi & Epiſcopatus uſibus vindicavit.

Digitized by Google

Quod cum indigniſſime ferret Ro. curia, ac Epiſcopo Herbipolenſi dira minaretur fata, cauſam Epiſcopi egit *Theodericus Erbacenſis, Elector Moguntinus, ArchiEpiſcopus*, isque Epiſcopum Herbipolenſem jure hoc feciſſe conteſtatus eſt.

Idem quoque *Moguntinus Elector*, per Cancellarium ſuum *Martinum Majorem, Æneæ*, Cardinali Senenſi, *Principum Germaniæ querelas, decem* inſignia *Gravamina priſtina* complexas, ſæpius per literas & nuncios aperuit, ac quod novam atque *efficaciorem* in Germania molirentur *reformationem* nunciavit.

Quod brevis ſit, ſed ponderoſa, prima in his *Cancellarii Moguntini Epiſtola*, quæ *conſilia Germanorum Principum* illius temporis, *pro Eccleſia Germanica reformanda*, clariſſime pingat, & hic legiſſe juverit.

Gravamina Germanicæ rationis repetita.

C*Ognovi*, inquit, *ex literis amicorum, te Cardinalem eſſe creatum. Congratulor & tibi, qui pro tua virtute digna conſecutus es præmia, & mihi, cujus amicus in ea dignitate conſtitutus eſt, in qua me meosque neceſſarios aliquando juvare poterit. Illud mihi moleſtum, quod in ea tempora incidiſti, quæ ſedem Apoſtolicam afflictura videntur. Nam Domino meo* ARCHI-EPISCOPÓ (*Moguntinenſi, Theoderico ab Erpach*) *frequentes afferuntur* de Romano Pontifice (*Calixto III.*) querelæ, qui neque CONSTANTIENSIS *neque* BASILEENSIS DECRETA CONCILII *cuſtodit, neque ſe pactionibus anteceſſoris ſui* (Nicolai V.) *teneri arbitratur*, NATIONEMQUE NOSTRAM *contemnere & prorſus exhaurire videtur. Conſtat enim, electiones Prælatorum paſſim rejici, beneficia dignitatesque cujusvis qualitatis & Cardinalibus & protonotariis reſervari. Et tu quidem ad tres provincias teutonici nominis, ſub ea formula reſervationem impetraſti, quæ hactenus inſolita eſt & inaudita. Expectativæ enim gratiæ ſine numero conceduntur. Annatæ ſive medii fructus absque ulla dilatione temporis exiguntur, & plus etiam quam debeatur extorqueri palam eſt. Eccleſiarum regimina non magis merenti, ſed plus offerenti committuntur. Ad corradendas pecunias novæ indulgentiæ indies conceduntur. Decimarum etiam exactiones inconſultis prælatis noſtris Turcorum cauſa fieri jubentur. Cauſæ, quæ tractandæ terminandæque in partibus fuerant, ad apoſtolicum tribunal indiſtincte trahuntur. Excogitantur mille modi, quibus Romana ſedes aurum ex nobis, tanquam ex barbaris, ſubtili extrahat ingenio. Ob quas res noſtra natio, quondam inclyta, quæ ſua virtute ſuoque ſangvine Romanum imperium coëmit, fuitque mundi domina ac Regina, nunc ad inopiam redacta, ancilla & tributaria facta eſt; & in ſqualore jacens, ſuam fortunam, ſuam pauperiem, multos jam annos meret.* Nunc verò quaſi ex ſomno excitati Optimates noſtri, quibus remediis huic calamitati obviam pergant, cogitare cœperunt, jugumque prorſus excutere & ſe in priſtinam vindicare libertatem decreverunt. *Erit hæc non parva jactura Romanæ curiæ, ſi, quod cogitant Romani Imperii Principes, effecerint. Quantum itaque de tua nova dignitate lætor, tantum commoveor & angor, tuo tempore hoc parari. Sed Dei fortaſſe alia eſt cogitatio, & illius profecto ſententia obtinebit. Tu interim bonum habeto animum, & quibus repagulis fluminis impetus coerceri poſſit, pro tua ſapientia cogitato, & vale optime. Ex Aſchaffenburga, Calendis Septembr.* M. CCCC LVII.

Haud longe poſt, quando hic *Moguntinenſis Cancellarius* denuo ad Sylvium tanquam veterem amicum ſcripſit, *Secretarius Moguntinenſis Wigandus*, ad Papam ablegatus, nomine Cancellarii *Gravamina* ſuperiora repetiit ac Cardinali Senenſi coram explicuit. Ne ignoraret, quid Germani pro ſuæ Eccleſiæ libertate molirentur.

CAPUT,

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De Aſtu Sylviano, ſive impenſo illo apud Germanos *deſiderio* novi Concilii univerſalis ad reformandam Eccleſiam, *eluſo per* Æneam Sylvium Cardinalem.

A. 1457. & 1458.

POſtquam cum aliis Principibus Germaniæ *Cancellarius Moguntinus,* nomine *Electoris Moguntini,* Germanorum deſiderium Æneæ Sylvio Cardinali plus ſimplici vice expoſuiſſet, qui à Baſileenſi Concilio finito, decennioque jam abinde elapſo, *novum Generale Concilium* expectarent, *ad Reformandam Eccleſiam*: Eneas Sylvius hoc *Germanorum deſiderium* ineptiæ publice accuſare cœpit, neque Concilium univerſale novum Germanis indulgendum eſſe aperte affirmavit. Tantoque hoc egiſſe apparet ſollicitius, quanto certius pro ſua ſagacitate auguraretur, ſe ad ſedem Papalem aliquando emerſurum. Qua ſollicitudine meruit ſequenti ſtatim anno ſummus creari Pontifex. Ut non vana eſſent ejus conſilia, quibus Conſtantienſis ac Baſileenſis Concilii decreta enervarentur atque eluderentur, omniſque tamdiu tentata Reformatio extingueretur. Noverat hic Cardinalis intime & Imperatoris mitiſſimi & Principum Germaniæ animos atque conſilia, noverat etiam in regimine ſacro & civili vires Germanorum, ut & rationem illas debilitandi atque frangendi, qui ultra viginti annos in Germania & inter Magnates quidem ac Principes verſatus, inque ipſa Cæſarea aula ad publica nec pauca arcana imperii negotia, ſacra maxime, admiſſus.

Germani novum Concilium Generale deſiderarunt.

Pro ſua igitur incomparabili eruditione, genii promptitudine admirabili, prudentiaque, arduis negotiis inter ipſos Germanos eorumque aulas dudum ſubacta, *literarum arma* tutiſſima atque validiſſima fore intellexit, *quibus Germanorum conſilia,* novaque *de Reformatione deſideria expugnaret.*

Æneæ Cardinalis Germanorũ conſilia frangit.

Periculum ejus rei fecit, ut in hac arte erat exercitatiſſimus. Ita *Colonienſi Electori* conquerenti molliſſime reſpondit 4. *Non. Decembr.* 1457. Fiduciam ſuam & Pontificis, in hunc Electorem poſitam, ante omnia teſtatur, qui nihil in illis *Principum conventibus* concludi ſit admiſſurus, quod Ro. curiæ adverſetur. Pontificem certiorem factum ait, in *Conventionibus, quæ tunc in Germania inter Principes fierent,* aliqua jam tractari quæ Ro. ſedem concernerent. Rogat proinde hunc Electorem, qui aures illis conſiliis non præbeat, quibus Ro. ſedis autoritas diminuatur. Quod perſuadere ſatagit hoc colore: Si Ro. ſedis autoritas deprimatur, ſimul & hujus Archi-Epiſcopi Colonienſis & aliorum Epiſcoporum autoritatem collapſuram. Votum ac *deſiderium Electoris, ut Romæ quoque ea reformentur,* quæ odium Germanicæ nationis pariant, non repudiat, ſed ſe in id elaboraturum pollicetur. Teſtaturque omnino, cum diſſimulari non poſſet, *Romæ aliqua committi, quæ non laudet omnia.* Ut igitur Electori

Colonienſis Elector a Germanorum Conſiliis avocatus.

ctori Colonienſi conſilium ſuggerat, & *à ſententia ferenda Germanos Principes avocet*, ſuadet, *gravamina Germanorum* ad ipſum Pontificem deferre, qui, ſi juſta petant, votis ſit reſponſurus. Suam præterea integritatem & in Germanos affectionem explicat, qui quæ Germanicæ nationis honori atque commodo cedant, ſollicite ſit curaturus, utpote cujus ſe æſtimet membrum. Maxime quod & à Colonienſi hoc Electore multis olim ſit affectus beneficiis. Obſecrat poſtremo, quæ in ditionibus hujus Electoris ab ipſo ſit commenda Romæ impetrata, ne impediat, & ſuos officiales libere agere permittat.

Moguntinus Elector minis à Germanorum inſtituto abſterritus.

Electori Moguntino, calamo *Æneæ*, ſed pleniore magisque oneroſo, reſpondit ipſe *Calixtus III. d.* 15. *Octob. A.* 1457. Excuſat Electorem Moguntinum, (qui Herbipolenſem Epiſcopum tueatur,) eo nomine, quod Elector cauſam Epiſcopi integram non probe habeat perſpectam. Intolerabilem ſcilicet eſſe ac deteſtandam Epiſcopi præſumptionem, qui *pecunias, autoritate apoſtolica in Epiſcopatu Herbipolenſi collectas* ac ſervatas, ſibi vindicaverit. Monitum à Papa, qui *pecuniam* ſolveret, & *ex Germania in Italiam ablegaret*, mandata Romana contemſiſſe, probrisque porro affeciſſe: Nuncios Papales qui Ro. curiæ jura urgerent, ab Epiſcopo in ſuo Epiſcopatu Herbipolenſi non ſolum non toleratos, ſed ex territorio ejectos, non recedere ſed & fugere compuliſſe. Excuſationem Epiſcopi non admittit, quod illæ *pecuniæ ex Nicolai V. conſtitutione ad Ro. curiam non pertineant.* Romanum Pontificem de talibus pecuniis liberam, ait, diſponendi habere poteſtatem. Septem menſibus expectaſſe Papam Epiſcopi ſubmiſſionem atque ſolutionem, ſed absque fructu. Primum illum fuiſſe à ſe pronunciatum in ſuo Papatu Epiſcopum, quem tam pertinacem ſibique adverſum doleat. Juramentum urget Epiſcopi, Pontifici ſibi per Procuratores Epiſcopi præſtitum. Monet dein Electorem Moguntinum, diſponat Herbipolenſem *ad ſolutionem Cameræ Ro. præſtandam.*

Imperator blanditiis pellectus.

Imperatorem quoque ipſum, *Fridericum III.* Principum Germaniæ conſilia hac in re moderaturum, non intermiſit *Calixtus* literis bullisve per *Æneam* ablegatis 8. *Cal. Dec.* abſtrahere à cœpto, atque ad curiæ Ro. devotionem revocare.

Electores mitigati.

Similis argumenti literas *Electoribus Imperii* tradi juſſit, ut animi eorum diſtraherentur, aut à negotio iſthoc avocarentur.

Archiepiſcopi abſtracti.

ArchiEpiſcopum Magdeburgenſem & Rigenſem, Trevirenſem ac *Salzburgenſem*, in tales *Principum Germanorum conventiones de rebus Eccleſiæ* ne conſentirent, animare ſtuduit.

Palatinum Rheni per Ludovicum Bavariæ Ducem à Comitiis illis & Eccleſiæ negotio abſtrahere contendit.

Æneæ promiſſa.

Rei gravitatem ac periculum cum ſentiret Papa, per *Æneam* hoc Principibus ingeri ac inculcari diligenter voluit: Multo facilius Principum filios per Pontificem iri promotum, quàm per Capitula vel ordinarios in Germania.

Quas *Calixtus* ad Imperatorem in illo *negotio, Eccleſiæ Germanicæ à*

cæ à

Digitized by Google

cæ à Ro. curia ſeparandæ, dederat literas, Romanæ curiæ miniſtris in Germania agentibus communicare non deſtitit, eos rogitans, Curiæ Ro. conſtanter adhærerent, ejusque incolumitatem promoverent. *Intelleximus*, ſcribit ad Henricum Lembrig, Notarium ſuum, per Æneam, *veridico relatu, nonnullos eſſe Principes Germanicæ nationis, Eccleſiaſticos & ſeculares, qui de nobis & de noſtra curia murmurantes, Germanicam nationem nimium per nos gravari prætendunt. Id faciunt more hominum, qui ſæpe bonum quod habent non cognoſcunt, nec ſub alicujus regimine quantumcunque optimo quieſcere poſſunt. Scimus te devotum eſſe ſanctæ ſedi Apoſtolicæ & noſtri honoris cupidum, nec placere tibi ea quæ præter ordinem fiunt &c.* *Miniſtri Pontificis in Germania ad Ro. Curiæ fidem animati.*

Similiter ad *Nicolaum, Cardinalem S. Petri ad vincula, in Germania agentem*, ita ſcripſit *Calixtus Papa. Conſideravimus diligenter ea quæ nobis ſcripſiſti ſuper practicis, quas nonnulli Principes ac Prælati in partibus Rheni tenere dicuntur in negotiis Eccleſiæ. Perpendimus quoque conſilium tuum ſalubre & optimum eſſe*, nempe ad Imperatorem ea de re ſcribendi. Uti quoq; factum nunciat, qui per Æneæ callidam & blandam eloquentiam *Imperatoris animum* vehementer flexit. Adeo ut *Imperatorem* quoque, delinitum, *aliis Principibus Germanis* Ro. curiæ adverſantibus *opponi* commodè poſſe judicaret Calixtus cum Ænea. Quod ſollicite ſæpe per Æneam quæſitum à Friderico. *Conſilium, Imperatorem Principibus opponendi.*

Sed & *Cancellarii Moguntini* pro reformatione Eccleſiaſtici ſtatus in Germania ſtudium tantum valuit apud *Æneam Cardinalem*, ut privato primùm breviore, dein aperto publicoque & longo ſcripto refellere non dubitaret. Præſtitit hoc paucis menſibus absque temporis diſpendio multo, pro excitatiſſimo igneoque ſuo ingenio. *Conquerenti Cancellario Moguntino multis literis reſpondit Æneas Cardin.*

Quod & per *VVigandum, Electoris Moguntini ſecretarium*, in Italiam ablegatum, de Reformatione Eccleſiaſtica à Germanis ſerio tractanda, Æneæ expoſuerat *Moguntinenſis Cancellarius*, *arguta* ſtatim *epiſtola*, molliſſimis affectibus exuberante, diluere allaboravit *Æneas*, 12. *Octob. ejusdem anni* 1457.

Paulo poſt *d.* 20. *Octob.* eidem Cancellario Moguntino pollicitus eſt, ſe curaturum, *ne Concordatis derogetur.* Qui ſit perſuaſus, tunc Germanicæ nationi non fore cauſam querelæ, ſi *pacta* ſerventur. *Gratiis* & *Reſervationibus Papalibus* non intendi, ut per illas *Concordatis* quid detrahatur.

Idem promiſit Æneas & *Principibus Germaniæ* & *privatis viris doctis Germanis*, interpretibus literis frequentibus.

Ceterum ampliſſimæ pro Ro. curia apologiæ, & toties quæſitæ *Germanicæ reformationis publico repudio*, argutiſſimus Cardinalis Æneas hoc dedit nomen: *Deſcriptio de ritu, ſitu, moribus & conditione Germaniæ.* Prodiit mox *Lipſiæ*, inventâ nuper typographiâ, eodem ſeculo, typis excuſum, publicum hoc ænei pectoris monumentum. Repetitum dein *Argentinæ A.* 1515. nomine *Germaniæ Æneæ Sylvii.* *Publicum Reformationis Germanicæ repudium Sylvianū.*

In Epiſtolis ejus, *Coloniæ* per *Joh. Kælhoff de Lubek, A.* 1478. editis,

Digitized by Google

tis, epiſtola 228 refert breviſſimam quandam duntaxat particulam totius hujus libelli, eamque valde mutatam. Sive prolixitas voluminis præviſa prohiberet totum librum ſive integram ad Mejerum epiſtolam inſerere, ſive editor Colonienſis Germanicæ nationis vellicatæ habuerit rationem, ut diſſimulandam putarat integram epiſtolam.

Æneæ Sylvii in reſpondendo argutia.

Inſcripſit Æneas argutas has ſuas Romanæ ſedis vindicias *Antonio, S. Chryſogoni Cardinali Presbytero, & Epiſcopo Nerolenſi.* Magnam animi ſui ægritudinem, ex ferali & acrimonia plena *Mejeri epiſtola* lecta conceptam, ſtomachabundus ſubindicat. Amicitiæ interim, olim cum Mejero in Germania jam in Baſileenſi Concilio contractæ, memor, Mejeri invidiam molliter ac perhumaniter declinare ſtudet. Quare ei ſe non imputare illam acerbitatem, ſcribit. Quoniam id ſcripſerit quod audiverit, feceritque ex dato corio calceum. Fateturque ita, non ex Mejeri ingenio *querelas* iſtas eſſe natas, ſed *inter Germanos frequentatas publiceque proditas*, ab eo eſſe admiſſas.

Quare, ut affectui Mejeri magis inſerviat, hanc querelarum denunciationem officii & amicitiæ genus blande interpretatur: Qui tenuerit amicorum conſuetudinem, qui & ſecunda & adverſa abſentibus nota faciant amicis. In *Germanos* igitur *quoſdam* invehitur, Ro. ſedis inimicos. Suum dein memorat inſtitutum, confutandi quæ primæ ſedi objiciantur. Prolixitatem operis excuſat, ex ampla materia natam. Artem & ingenii vim à ſe adhibitam, in argumentis omnis generis, philoſophicis ac Theologicis, advehendis, non diſſimulat. Cum non facile argutius quiſquam & ornatius pro Sedis Ro. dignitate dimicaverit. Humilius tamen, (quibus erat affectuum inſidiis ubique inſtructus) de ſuo hoc ipſe judicat labore, ad faſcinandum artificioſe lectorem, omnemque arrogantiæ ſpeciem declinandam. Altius ſe volaſſe, pro ſua ſcribit modeſtia, quam alis ferri ſuis poſſit, qui metuat lapſum. Cenſuram itaque & calculum *Cardinalis Antonii*, quem ab omni doctrinæ genere commendat, humaniſſime petit. *Rom. Kal. Febr. A.* 1458.

Plenius hic legiſſe juverit *Argumentum Operis* hujus ingenioſi *Sylviani*, *quod deſiderato à Germanis novo* juxta Concilii Conſtantienſis decretum *univerſali Concilio, & Eccleſiaſticæ reformationi* toties efflagitatæ *oppoſuit.*

Literis & artibus probe inſtructus *Æneas*, privatum negotium, *de Cardinalitia dignitate* gratulationem Cancellarii Mejeri, molliſſimo affectu excipit Cap. I. Publicam vero cauſam, ad *Romanam ſedem* ſpectantem, toto libro graviter ſed & callide tractat.

Gravamina Germanorum extenuata.

Conquerenti Mejero de *Germanis à Romana curia preſſis* minatur ante omnia Capite II. cum *fabulas* tales ſectetur, *eum perditum iri, niſi è ſchola erroris & officina veneni pedem retrahat.* Simulat interim *ſe errantem correcturum, ne cogatur pereuntem, ſi taceret, flere.* Se oſtenſurum pollicetur, *gravamina, quibus Germania dicatur opprimi*, vel nulla eſſe, vel longe minora, quam putentur: Dein,

Digitized by Google

Dein, *Germanicam nationem non eſſe inopem; ſed divitem, florentem, bonis omnibus abundantem.*

Germaniæ opulentia.

Cap. III. Querelam Mejeri, *non ſervatas eſſe à Romanis Pontificibus conſtitutiones Concilii Conſtantienſis*, callide repudiat, magnis laudibus efferendo Concilium Conſtantienſe, ob quietem in ſede Romana paratam, ob exuſtos Johannem Huſſ & Hieronymum Pragenſem &c. Neque in ullo articulo ab ejus decretis abiiſſe Pontificem. Oblique interim ſubindicat, fas eſſe Pontificibus, à conſtitutionibus Synodalibus vel conciliorum abire. *Diſtingvit ergo inter legem divinam utpote immutabilem, & legem ſynodalem, quæ quidem venerabilis ſit, ſed Romani Pontificis arbitrio, ſi ratio exigat, abroganda.*

Jus Pontificum decreta Concilii mutandi.

Cap. IV. Attingit caute *decretum concilii Conſtantienſis*, in quod collimaverat Mejerus: *Singulis decenniis impoſterum generale concilium eſſe habendum.* Quæ lex non ſervata anſam dat Æneæ curiam Romanam purgandi, ſed & Germanos exagitandi *concilii deſiderio. Omnes*, inquit, *tuæ nationis homines, qui paululum docti ſunt, quadam concilii cupido exagitat. Nam cum Synodi celebrantur, Epiſcopi veſtri domi remanent: Vos concilium petitis, ibique laute vivitis, ſumptibus alienis, & regentes orbem in magnos & admirabiles evaditis viros. Hinc voces illæ, conciliorum auctoritas ſalubris atque æterna eſt, mundum concilio regendum, ad concilium cuncta referenda eſſe, ſine concilio nihil eſſe quod recte perfici queat. Privata vos trahit utilitas & creſcendi cupido.* Ideo concilia à Germanis urgeri ait, ut obſcuri in ſeditionibus & motibus emergant ac illuſtrentur. Uti voluptatem & gloriam, ita & lucrum cauſam eſſe addit tam impenſe quæſitorum conciliorum. *Cum lucra veſtra damnoſa eſſe prælatis non ignoratis*, inquit, *ingenio ſubtili & peracuto concilium ab eis petendum ſuadetis, in quo ſedis Apoſtolicæ ſummum in eos arbitrium coarctetur. Et quemadmodum vos eos coarctatis, ita & illis Apoſtolicum ſolium corrodendum eſſe offertis. Ac finito conventu Epiſcopi expenſo argento nihil plus dignitatis quam prius habent. Vos aucti auro, beneficiis cumulati, exiſtimatione magnificati, domum reditis. Quid mirum ſi concilium amatis, & eos quæritis ventos, qui alienam navim ad veſtrum littus illidant? Aliena miſeria veſtra felicitas eſt: bellum vobis pace ſalubrius, & tempeſtas quiete melior.*

Concilii Conſtantien. decretū de frequentibus Conciliis limitatū.

Unde frequens Concilii deſiderium apud Germanos.

Qui accuſaverat Germanos male quæſitorum conciliorum, & calliditatis maculam præ religionis nota Germanis impreſſerat, *cauſam* illam eſſe ait *doloris Germanici*, quod à Baſileenſi Concilio decennium & ultra effluxerit abſque ſpe novi concilii: atque ita illos queri, *Conſtitutionem Conſtantienſem, de concilio ſingulis decenniis cogendo*, à Romana curia violatam. Hoc igitur ut neget, Conſtantienſis Concilii mentem evolvit, qua *conſtitutionem* illam *limitatam* voluerit, ſi non ſit noxia futura Synodus nova. *Non, ut cogi concilium oporteret, etiamſi noxia congregatio videretur. Publicam ſemper utilitatem legis obſervantia quærit*, inſit. *Quod ſi vergit in noxium, vigor ex lege defluxit.* Quare, ut ſe magis extricet, *legum humanarum indolem* illuſtrat, quæ ferri & deleri pro ratione poſſint. *Eſt, ut Philoſophi tradunt, lex quædam naturalis, quam rectam rationem imperandi prohibendique poſſumus appellare, quam qui ignorat injuſtus eſt: ſive illa ſcripta ſit uſpiam, ſive nusquam. Et ad hanc quidem referenda ſunt hominum inſtituta, ut inveniantur Reipublicæ ſalutaria, humanam tamen nullam legem conſtat eſſe perpetuam. Humanas dicimus, quas homines ſanciunt, quæ modo vim habent, modo amittunt. In tempore namque oriuntur & in tempore occidunt. Ex quo tritum eſt illud apud juris interpretes ſermone proverbium, humana ſtatuta ſecundum tempora variari.*

Legum humanarum infirmitas.

Ut verò tacitæ *objectioni Germanorum* reſpondeat, *jus non eſſe Papæ, concilii univerſalis ſtatuta mutandi vel abrogandi*, callide ad dominium eminens Papæ confugit, & *exemplo juris Principum in leges ſuas civiles* munit *jus Papæ in leges Concilii*, diſparitatem prorſus diſſimulans. *Cum muta*, ait, *per ſe leges exiſtant, neque ſe ipſas valeant interpretari, nec omnia comprehendere: Neceſſario Principem eſſe oportuit in Republica, qui legum modo duritiem leniret, modo mollitiem coërceret, loqueretur q́ cum*

Jus Papæ in Concilium.

ille ſilent, & cum nimium eſſet illarum loquacitas ſilentium indiceret. Hoc jus in Concilia Romanis Pontificibus competere ſupponit. *In Eccleſia Catholica hoc munus Romanis Pontificibus creditum eſt, quod nemo qui ſapiat inficiatus eſt unquam, Generalium conciliorum ſanctiones ſive interpretari, ſive corrigere atque abrogare poſſe.*

Concilia Germanorum non proſunt Curiæ Ro.

Neque nunc amplius celare poteſt, *cur de Concilio novo congregando ſanctio Conſtantienſis fuerit à Pontifice ſuſpenſa:* Quod *non* videretur *profutura curiæ Romanæ.* Utpote quæ nec cum Baſileenſi fuerit contenta, cujus damna perſenſerit curia Romana. Baſileenſe Concilium irrepſiſſe magis, quam à Pontifice convocatum eſſe. *Baſileenſium non fuit conſilium novum congregare concilium. Etenim cum pluribus annis in Baſilea Synodus modo vera, modo reproba, conſediſſet, graveſq; motus in Chriſtiano populo excitaſſet, viſum ex uſu eſt, Conſtantienſis Concilii ſanctionem hoc tempore ſuſpendendam eſſe.*

Concilia diſſuadet Æneas.

Hinc poſtremo memor *damnorum, quæ ſedes Romana cepit ex Concilio Baſileenſi,* in conciliorum incommoda in genere invehitur. *Neque generales conventus ſine magna univerſalis Eccleſiæ novitate, ſine gravamine, ſine tumultu, ſine vexatione coguntur.* *Rariſſima* proinde *concilia* ſuadet, hac ſpecie, ne illorum frequentia autoritati quid detrahat. *Magna eſt expectatio Conciliorum. Maximas eſſe cauſas oportet, ob quas clerus omnis in unum conveniat. Quia ſi ſæpius concilia celebrentur, vileſcat eorum autoritas nimio uſu neceſſe eſt.*

Concilia non neceſſaria.

Cap. V. Ut contra Germanos eorumque de Concilio congregando deſiderium fortius pugnet Æneas, fingit *duas cauſas,* more Oratoris, *ob quas forte Concilium* hactenus dilatum *fuiſſet convocandum:* Ad contentiones Pontificiæ ſedis Candidatorum dirimendas, & ad bellum adverſus Turcos inſtruendum. Interim diſſimulat *veram cauſam, quæ Germanos ad Concilium quærendum urgeat & compellat: Cleri & rerum ſacrarum emendationem.* Illas itaque duas rationes non ſuffeciſſe memorat ad novum Concilium cogendum. Cum & *lites Romanæ de ſede Papali* citra Concilium felicius ſint compoſitæ, quæ in concilio forte non componendæ, ſed alendæ fuiſſent. Quo oblique pungit Germanorum querelas vel odium corruptæ ſedis Romanæ, à quo Germanorum affectu curia Romana in Concilio ſibi parum auſpicati videbatur augurari. *Bellum adverſus Turcos* itidem citra concilium, à Pontifice præſente, Calixto, feliciter inſtructum commendat, ſuſeque extollit, apparatum Papæ ad hoc bellum, ſtragesque in hoſte editas, omnemq; gloriam tribuit Papæ providentiæ & curæ. Quod autem ſub anteceſſore Nicolao Papa Conſtantinopolim à Turcis expugnatam negare non poſſet, culpam à Papa amolitur, & non illius negligentiæ ſed Græcorum perfidiæ adſcribendum eſſe pronunciat. Ut ergo Conciliorum uſum magis deprimat, Calixti facta à Concilio non poſſe inſtrui gloriatur, utpote *in quo tot ſoleant eſſe ſententiæ, quot capita.*

Germani duo habuerunt concilia.

Cap. VI. Abuſum exaggerat, qui inter *Legatos ad Concilium confluentes* notetur, qui de prærogativa ſedis & potiori loco contendant. Ut adeo illius mali cauſa concilia ſint declinanda. Exprobrat dein Germanis ſingularem gratiam Pontificis, qui *duobus conciliis in Germania habitis ſint beati.* Sufficere illis hanc gratiam. Ulterioremque ſpem Concilii inter Germanos præſcindit, eo nomine, quod & alii nationi, ſi quæ Synodus ſit congreganda, debeatur.

Decimæ Germanis impoſitæ.

Cap. VII. *Decimas Germanis impoſitas* vindicat, ex eo, quod opus illis ſit pro tuenda religione Chriſtiana. Deinde, quod ex decimis nulla Germanis nata ſit moleſtia. *Quæſtoris* cujuſdam *Colonienſis,* qui Colonienſes preſſerit, culpam excuſat, quod non apoſtolicus, ſed apoſtolici legati is fuerit nuncius. Mejerum, porro *de conſtitutionibus Synodalibus Baſileenſibus in Romana Curia neglectis* querentem, graviter increpat, qui litem ſopitam renovare conetur, ut qui tectum altis cineribus ſuſcitet ignem.

Cap. VIII. Ut Mejerum tanto fortius repellat & Germanos ab hac infeſta querela deterreat, *Baſileenſis Concilii originem* deſcribit & prima fata. Quod ex decreto Concilii Conſtantienſis novum quidem proxime fuiſſet cogendum,

verum

verum quod illius coactio tum ratione loci, tum ratione aſſeſſorum & præſidum multas habuerit controverſias.

Cap. IX. Græcos quoque ad hanc Synodum ait vocatos, ut ad Romanæ Eccleſiæ unionem perducerentur. Veniſſe quoque ad Eugenium Florentiam, & in celebri ſynodo ſymbolum fidei de proceſſione Spiritus S. cum latina Eccleſia decantaſſe, ſed poſtea iterum deſciviſſe, refert. *Riſiſſe Orientem Latinorum veſaniam, qui ſibi ipſi diſſentientes aliorum unionem perquirerent.*

Græci riſerunt Romanos.

Cap. X. Cum pars novi Concilii *Baſileæ*, pars apud Eugenium *Florentiæ* ageret, Eugenium Baſileenſes Patres diris devoviſſe & ab Eccleſia excluſiſſe, illos Eugenio ſummum Pontificatum interdixiſſe, ac Amadeum Sabaudiæ Ducem pro Eugenio ſurrogaſſe & Felicem V. appellatum, memorat. Dum ſciſſa ſic Eccleſia, aliis Eugenium ſequentibus, aliis Felicem V. Sabaudum, *Germanos neutralitatem quandam induiſſe*, & diu poſtea nullius partis mandata ſuſcepiſſe, ſub ſuorum Epiſcoporum regimine. Multos dein in Germania conventus habitos, usque ad ultimum annum Eugenii. Quo decumbente, miſſos ab Imperatore Friderico, Germanicæ nationis nomine, qui neutralitatem eorum abdicarent, obtentis literis, quibus deſiderio eorum fieret ſatis. Legatos fuiſſe ſe (Æneam) cum collega Procopio nobili equite Bohemo & aliis.

Germ. in Neutrales.

Cap. XI. Ab obitu Eugenii Nicolaum V. ſuffectum. Sed de obedientia, Nicolao in Synodo præſenti præſtanda, longas fuiſſe controverſias, aliis omnia Concilii Baſileenſis decreta ſuſcipienda eſſe urgentibus, aliis Papæ, illis tamen ſalvis, obediendum, aliis concilii illius legibus nullam prorſus ineſſe vim ob Eugenii contradictionem aſſerentibus. Eo tandem rem deveniſſe, ut componeretur, ut quædam decreta Concilii Baſileenſis reciperentur, reliqua rejecta viderentur. Unde colligit, Mejerum male accuſaſſe ſedem Romanam, quæ indefinite loquendo decreta Baſileenſia reprobaverit aut contaminaverit. Cum ad alia ſtatuta ſervanda non obligetur ſedes Romana, quam quæ admiſerit.

Obedientia difficulter à Germanis Papæ reddita.

Cap. XII. Querelam Mejeri & Germanorum, *decretum Baſileenſe & conventionem de Electionibus perſonarum Eccleſiaſticarum in Germania, à Romano Pontifice non ſervari, qui Electionibus Germanorum cunctis contradicat*, declinat, decreti & formulæ concordiæ de Electionibus ſenſum exponens: In officiis minoribus, ſi canonice fuerit à Germanis facta Electio, eam à Pontifice confirmari, niſi Pontifex Romanus perſonam magis idoneam ſurroget: In dignitatibus autem vel primis poſt Pontificales, vel in Collegiatis Eccleſiis principalibus, liberam relictam Rom. præſuli providendi facultatem.

Electiones Papales.

Cap. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. Longa ſerie recenſet exempla Epiſcoporum, quos à Canonicis Germanis electos indulſerit & confirmaverit Pontifex.

Cap. XVIII. Contendit cum Mejero & Germanis, quos *garrulos* appellat, *qui ad pactata ſemper provocent*, & minimos augentes exceſſus irritare & incendere principum animos ſoleant, & ad res novas urgeant. Illudit dein Germanis; *Infimæ plebis homines, poſtquam literas aliquas didicere, bello magis quam otio ditantur. Inque turbidis motibus ſacerdotia adipiſcuntur & præfecturas. Injurioſa eſt, inquiunt, Romana ſedes, quæ nullis favet electionibus; Concilia ſpernit, nationem velut ancillam habet. Surgite conventus, agite, excutite jugum: Si nequimus priſcam reſumere gloriam, at ſaltem liberi ſimus.* Argumentum dein invertit callide, atque ideo Germanos electionis jus ſibi arrogare ait, ut principes contemnant, & plebejos ad celſa officia ſacra efferant, ut habeant quos non timeant ac revereantur.

Germani pactorum tenaces.

Cap. XIX. Ex pravo iſto Germanorum conſilio, jugum ſuperiorum excutiendi, ortum ſpecioſe urget, *quod rari Principes fiant Epiſcopi*, quod ex plebejis vel minoribus nobilibus plerumque conſtent Collegia, præter Colonienſe & Argentinenſe, ubi capitula ex Illuſtrioribus conſtent domibus. Quâ occaſione quæſtionem diſcutit, *quid magis expediat, an viris celſo ſanguine, an humili loco natis, Eccleſiæ melius committantur?* Romanam Eccleſiam præferre illos, capitula hos.

Epiſcopi ex nobili. fiant genere.

Sententiæ Romanæ accedit, & illuſtribus viris Eccleſias committendas affirmat, non humili loco natis. *Illuſtres enim viri, cum progenitorum imagines ante oculos habeant, & multa incitamenta virtutum, perraro à probitate declinant, cum paternos in filiis mores plerumque recognoſcamus. Cum vero in reverentia habentur, neque rebellant ſubditi, neque inſultant vicini. Latet enim quædam vis in nobilitate, quæ populorum ſibi nobilitatem vel attrahit vel conciliat. Contra vero Eccleſiam ignobili prælato commiſſam, & cives & exteri dilacerant. Neque quiſquam eſt tam infimæ plebis homo, qui Eccleſiam pro ſua virili non expilet, alius agrum, alius domum, alius vineam ſurripit. Hic decimam, ille cenſum præſtare recuſat. Atque in hunc modum Eccleſiæ, quæ olim opulentisſimæ fuerunt, ad egeſtatem ſunt perductæ.*

Nobilitatis prærogativa.

Ut magis inviſos reddat Magnatibus Germanam plebem, alio utitur argumento ſpecioſo: *Quod Eccleſias ipſas principes excitarint dotarintque: Quæ ſi filiis eorum negarentur, verendum eſſe, ne tanquam ingratis divino judicio temporalia ſubducantur bona.* Extollit nobilium virtutem amplius: *In viro nobili plus præ ſe ferre luminis mediocrem virtutem, quam in plebejo ſummam: Cum hæc ficta caducaque cenſeatur, illa vera æternaque æſtimetur.* Hoc agere apoſtolicam ſedem, capitula vero principum potentiam odiſſe & effugere.

Jus Ro. curiæ in Eccleſias.

Cap. XX. Repetit jus Romanæ curiæ, uti confirmandi, ita ſubſtituendi meliorem perſonam, quam ſit electa. Ut Eccleſiis viduatis ita conſulat Pontifex, quemadmodum electorum ejus videatur conſilium.

Reſervationes Papales moderandæ.

Cap. XXI. *Beneficia* autem, *gratias expectativas, in Germania reſervari à Pontifice*, conqueſtus Mejerus, audit, in dignitatibus ſuperioribus id juſte fieri. Deteſtatur interim Æneas modum, morti alterius imminendi ad impetrandum beneficium, aut *votum captandæ mortis*. Laudat Pontificem præſentem Calixtum, qui gratias expectativas abolere voluerit. Diſpenſandi interim jus Pontifici non prorſus denegandum. *Moderatio*, ait, *quam cuncti probant, medium ſervat.*

Æneæ Sylvii fortuna inter Germanos.

Cap. XXII. De amplis *reſervationibus ſuis* iisque beneficiis Eccleſiaſticis, in tribus Germaniæ provinciis, tribus nempe Epiſcopatibus, à Mejero objectis, molliſſime loquitur Æneas. Ut ſe non indignum iſtis Germanicis beneficiis monſtret, ſua in Germaniam merita enumerat. Qui longiſſimo tempore à primo juventutis flore in Germania egerit, Concilio Baſileenſi interfuerit, haud aliter ac ſi natus in Germania & educatus eſſet. Apud Imperatorem Fridericum per XV. annos Secretarius & Conſiliarius extitiſſet, interfuiſſetque Germanorum conventibus, de republica agentibus. Secreta Germanorum ſumma fide ſe tractaſſe, & negotia diligenter abſolviſſe ſignificat, Legationes quoq; plures ſe obiiſſe. Interea gratias agit *Germaniæ, qua cum Æneæ opera eſſet uſa, ipſi, magisque ſibi, conſulerit. Honoravit*, inquit, *perſonam, dum exercuit.* Cardinalitiam quoq; ſuam dignitatem favori Germanorum tribuit, & Imperatoris intuitu ſibi collatam confitetur. Sperat, à quibus honorem, ab illis etiam id ſe impetraturum, ut in honore perſeverare poſſit, ad quam rem neceſſarii ſint non parvi reditus ac proventus annui.

Cap. XXIII. Monaſteria quoque *reſervata*, ſed *male*, concedit, & dolet. Idque *per inadvertentiam* factum conqueritur. Quare & Pontifex decreta mutaverit, ac pactis, ab Ænea quoque adornatis, non repugnandum ſtatuerit.

Simonia Ro. curiæ excuſata.

Cap. XXIV. Novam Germanorum querelam, de communi ſed *injuſta beneficiorum collatione, quæ non virtute ſed pecunia impetretur*, omni arte excuſat. Peccata Romanæ curiæ non negat. *Fatemur in Ro. curia (quam regunt homines) non omnia eſſe nitida, & plurima fieri correctione digna. Nec ambigimus, ipſos primæ urbis antiſtites, cum Chriſti Dei noſtri vicariatum aſſumunt, homines remanere, ac propterea falli, errare, labi ac decipi poſſe.* Cauſam ſubjungit, cur indignis tribuat Pontifex beneficia Eccleſiaſtica: Deceptus à Cardinalibus & Epiſcopis, indignos

Digitized by Google

dignos commendantibus, quibus apoſtolica pietas credat. Inde fieri, *ut aliquando virtus pecuniæ cedat.* Non quod Pontifex pietati præferat aurum: ſed quod internuntii, argento aut amicitia victi, indignum digno præponant. *Decipitur interdum Rom. Antiſtes, quis dubitat? Homo eſt, & inter homines vivat neceſſe eſt. Sunt in Rom. curia & avari & ſeductores, quis neſcit?* Ad dubium, *illos eſſe vitandos*, reſpondet: Omnino, *ſi noſcerentur. Sed cauti homines vitia tegunt. Et nulla hominum congregatio, quæ quidem majuſcula ſit, malis hominibus omnino vacua eſt. Duo erant in mundo fratres, & alter occidit alterum: Octo fuerunt in arca regnante diluvio, & homine non caruere nequam, Cananæos qui ſeminaret. Duodecim ſibi Chriſtus elegit, quibuscum peregrinaretur in terris, & unus inventus eſt proditor. Parvus erat poſt Domini necem diſcipulorum ejus conventus, & reperti ſunt qui fratribus illuderent. Nicolaus communionem probat uxorum. Et periculum ſe paſſum in falſis fratribus affirmat Apoſtolus. Dum militat Eccleſia, dum peregrina eſt in terris, dum ſalum navigat undoſum, ſemper inter malos bonosque percurrit. Similis eſt ſagenæ miſſæ in mari, ex omni genere piſcium congreganti. In area ſimiliter eſt cum tritico palea. In thecis adhuc grana conſiſtunt. Non poteſt Rom. Præſul introſpicere, nec rimari hominum corda. Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud, inquit Propheta: Ego Dominus ſcrutans corda & renes probans. Dei ſolius ea poteſtas eſt. Nullum animal homine verſutius eſt, nullum fallacius, nullum inſidioſius. Mille ſunt in homine latebræ, mille fallendi artes: Mille nocendi modi. Aliud in corde, aliud in ore gerit.* Monachos mendicantes exempli loco ſiſtit, qui ſimulent auri contemtum, ejus avidiſſimi. *Sæpe contemnere viſus eſt aurum, qui ſitientiſſimus ejus fuit. Religioſos nonnunquam vidimus, quos mendicantes appellant, & auri contemtores videri volunt, dum vivendi finem feciſſent, magnum peculium reliquiſſe. E quibus unum novimus, qui auri nummûm ſeptem & decem millia veteri muro incluſerat, quæ paulatim mendicando plorandoq; inter vetulas ingenio ſubtili corraſerat.* Comune tandem avaritiæ vitium docet: *Pauci ſunt & digni, quos optimus amet Deus, quos avaritiæ non agunt ſtimuli; ſed maxima pars hominum ficta fucataque eſt: plures videri boni, quam eſſe volunt. Sub ovina pelle ſæpe lupinum offendes animum.* Concludit: *Nil igitur miri eſt, ſi Rom. Pontificis aliquando providentia fallitur, & beneficia pecuniis extorquentur.*

Nec Roma labe caret.

Auri cupido in Monachis.

Caput XXV. Cum excuſaſſet Nicolaum V. & Calixtum III. Pontifices, qui *ſuper annatas*, propter expeditionem Turcorum ſponte oblatum aliquid acceperint à Germanis: Germanorum Principum aulas ſub eundem cenſum cupiditatis revocat. *Si id crimen eſſe putatis (ſponte oblatum accipere) neceſſe eſt ipſos Teutonos veſtros ejus culpæ auctores fateamini. Qui dum Eccleſiarum regimina nimio perſequuntur ambitu, cum verentur, ne ſibi competitores præferantur, his quibus palatium patet, certatim munera & pecunias offerunt, ac, aurum (ſed oblatum) accipiunt. Errant certe & animam pecunia vendunt. Nec minus peccant, qui dignitates Eccleſiaſticas ambientes, quod virtute conſequi nequeunt, pretio comparant.* Communia proinde iſthæc vitia, *officia Eccleſiaſtica auro ponderandi, vendendi, emendique*, non diſſimulat, ſed celebritate excuſat. *Antiqua labes & omnium fœdatrix, omnium provinciarum inquinatrix. Sed & apud priſcos veteris legis Antiſtites hoc vitium viguiſſe conſtat, quando & Jaſonem Pontificatum maximum pecunia coëmiſſe conſtat. Apud Hebræos, Græcos, Romanos, Barbaros, ſive Chriſtum colentes, ſive idolis ſervientes, ſæpe ſacerdotia veniſſe legimus, & malis artibus quæſita. Ut veriſſimum illud Poeticum inveniatur. Summus nempe locus nulla non arte petitus. Itaq; non imus inficias, eſſe apud nos & avaros & venales homines, quos damnamus & abominamur. At ſi hos fugere & eo ire velimus, ubi hæc monſtra hominum deſint, ultra Sauromatas & glacialem Oceanum migrandum erit. Quære obſecro aliarum mores curiarum; Omnes pari morbo laborant. Non curia eſt à crimine munda. Sordes in omni Palatio reperies. Luſtravimus & nos ætate noſtra multorum principum aulas. Conſideravimus Regum mores.*

Annata à Germanis penſa.

Simonia pallium.

Nulla

Nulla regio, quam non harpiæ fœdarint. Omnis provincia ſuos habet Pineos, omne atrium ſuis deformatur inquinamentis. Nihil eſt inter homines ex omni parte perfectum. Sed majora illic invenies crimina, ubi majora geruntur negotia.

Ro. curiæ præſtantia. Comparat dein Germaniæ aulas cum Romana, & hanc præ illis vehementer extollit, ex ordine & recto inſtituto, doctrina, experientia, bonarum artium ſtudiis, viris ſanctimonia vitæ præclaris, ut *Roma domicilium literarum & officina virtutum ſit dicenda. Quod ſi turpitudo*, inquit, *illi eſt admixta, humanitati adſcribendum eſt, quæ nusquam candida reperitur. Ac propterea nonnunquam vendi ſacerdotia & minus dignis committi contingit.*

Quando Romanam ordinationem Germaniæ glorioſius prætulit, Germanam tandem injurioſius deſpuit: *Si unum Rom. Pontifex minus dignum Presbyterio donavit, ſupra mille invenias rudes, ignaros, hebetes & prorſus ineptos ab ordinariis* (Germanis) *eſſe promotos.*

Roma tribunal orbis Chriſtiani. Cap. XXVI. Doluerat Mejerus, *cauſas ad Rom. curiam ſine modo evocari.* Culpam conjicit Æneas in Germanos officiales, qui ſua injuſtitia anſam dent Papæ, ut ad ſe vocet, vel confugientes audiat & ſublevet. Ut *Rom. ſedes Patrocinium orbi terræ ac refugium conſtitutum ſit.* Quod breviori ſæpe manu lites Romæ componantur. Taxat interim obiter, ne Romanas artes & hic videatur celare, Romanos etiam actores, qui correctione egeant. *Quibus cum ſalarium per lineas ſit inſtitutum, ex duobus verbis lineam conficiunt, & verba trahunt, quantum poſſunt. Nec utuntur abbreviationibus aut titellis.* Reprehendit Germanos, qui de minimis cauſis Romam tractis conquerantur, ipſi in maximis cauſis ad Curiam Rom. citati, judicium contemſerint, nec minas nec cenſuras ullas timuerint.

Indulgentiæ defenſa. Cap. XXVII. *Indulgentias* porro à Mejero notatas defendit. Eſſe ab injuria alienas; *Voluntarias* quippe. Libertatem illam contribuendi exaggerat. Finem extollit: Ad expeditionem Turcorum adhiberi. Intentionem Pontificis exponit: *Si quis in expeditionem contra Turcos faciendam, quatuor æra ſexve contulerit, remiſſionem peccatorum plenariam conſequunto. Cælum (Pontifex) piis mortalibus aperit, ad ſalutem vocat, ad opera miſericordiæ invitat, neminem cogit, nulli minatur. Spontanea contributio petitur.*

Extollit prætextum, *ad Chriſtianam religionem defendendam.* Inſimul acerbe invehitur in Mejerum indulgentias negantem: *Non vis cælum aſcendere, mane in terra, in cœno in limo involuta. Non eſt juſtus, non eſt verus Chriſti cultor, non habet Zelum ſecundum fidem, non ſapit quæ Dei ſunt, qui has indulgentias impedire nititur.*

Allegat & aliam indulgentiarum cauſam *pro defendenda Inſula Cypro.*

Subindicat novam querelam Germanorum; *indulgentias nunc concedi, nunc ſuſpendi.* Quod illa ætate non eſſe factum, ait, niſi propter Turcos, & Cyprias quidem illas indulgentias. Queritur ergo reciproce de Germanis *in cauſa indulgentiaria*, quorum nonnulli Epiſcopi, qui Cyprios *exquæſtores* ad ſe venientes non aliter indulgentias in ſuis diœceſibus publicare ſiverint, niſi pecuniarum, quæ inde provenirent, alteram ad ſe portionem deferrent. Hos de ſuſpenſis indulgentiis conqueri. His pias, juſtas, ſanctas Cyprias indulgentias, Turcicas ſteriles, iniquas, deteſtandas eſſe.

Annatæ à Germanis prænumerandæ. Cap. XXVIII. Gravem & diram *Annatarum executionem*, abſque dilationis venia, deploraverat Mejerus. Juſtam tuetur Æneas, ob Germanorum ingratitudinem, quorum Epiſcopi cum Eccleſias eſſent conſecuti, dilatione faciendæ ſolutionis obtenta, apoſtolicis literis impetratis, nec ſtatuto die, nec multis poſt annis apoſtolicæ Cameræ ſolverint, excommunicationis pœna omnique cenſura ſpreta. Cum igitur *ex Annatis iſtis Cardinalium ſit victus*, Pontificem remedium quæſiviſſe juſtum: *Ut ante tempus ſolvere juſſerit.*

Auriſitis. Cap. XXIX. Querulam vocem Mejeri, *ex Germanis aurum mille modis per Curiam Rom. extorqueri*, querelis generalibus de *auri inter homines ſiti*, declinat. *Tota eſt de pecunia lamentatio, aurum ploras, aurum gemis. Vetus eſt hic adverſus Italiam*

Digitized by Google

taliam rumor. Semper fuerunt homines pecuniarum avidi, & auro inſatiabiles, qui dum lucris inhiant facilius ſangvinem quam pecuniam fundunt. Ubi faciendus eſt ſumtus, hic conſcientiæ remorſus & metus. Simoniaci criminis & ſacrilegium ducitur, ſi quid exponant. At ubi eſt recipiendum argentum, plana ſunt omnia, cuncta ex lege licent; nihil conſcientia metuit, ſi quid in arcam refertur. Nullam invenies gentem, quæ ſua è regione facile aſportari aurum ſinat. Communis eſt hic morbus, & in omnes æque Provincias effuſus. Fuſe has omnium gentium querimonias diducit. Quod Germani de Italis conquerantur, Hungari de Germanis: Sic & Germanorum nationes de ſe invicem: Plebani de Epiſcopis, Epiſcopi de Metropolitanis. *Magni conventus hominum omnino mundi & nitidi eſſe non poſſunt, & omni vacare iniquitate. Maxime vero circa pecunias miſceri fraudes accidit, quæ una res omnium, quæ ad uſum humanum ſpectant, mediatrix eſſe videtur. Quanto autem curia major, tanto potentior eſt avaritiæ ſinus. Cum vitia ſimul ac virtutes ex ſubjectis populis eo confluant.*

Conſcientia plerũque regitur pecuniâ.

Major curia major auri cura.

Queritur de *Germanis*, quibus *Pontifices aliqui annatas quasdam remiſerint*, ipſi ingrati hanc gratiam referant Pontificibus. *Eſt profecto id genus hominum illiberale, qui cum multa receperint beneficia, pauxillum læſi omnium benefactorum memoriam ponunt, injuriæ tantum memores, eamque prædicant & magnifaciunt.*

Cap. XXX. *Expilatam & exhauſtam à Rom. curia Germaniam* doluerat Mejerus. Pernegat hoc Æneas. Nec eam eſſe inopem, nec ancillam. Contra probat, nunquam eam fuiſſe opulentiorem & potentiorem. Quo fine confert *antiquum Germaniæ ſtatum* cum præſenti. Ex Cæſare & Strabone deſcribit antiquum Germaniæ incultæ & horridæ ſtatum. Idem repetit ex Cornelio Tacito. Cujus tempeſtate à feritate brutorum Germanorum vitam parum fuiſſe diſtinctam pronunciat, qui plerumque fuerint paſtores, ſylvarum incolæ & nemorum. Cujusmodi vita iners ſit & pigerrima. *Nec munita his urbes erant*, inquit, *neque oppida muro cincta, non arces altis innixæ montibus, non templa ſectis ſtructa lapidibus viſebantur. Aberant hortorum ac villarum deliciæ, nulla viridaria, nullæ conciſiones, nulla tempe, nulla vineta colebantur; Præbebant largos flumina potus. Lacus & ſtagna inſerviebant lavacris: & ſi quas natura calentes produxerat, aquæ. Parum apud eos argentum, rarius aurum, margaritarum incognitus uſus. Nulla gemmarum pompa, nulla ex oſtro & ſerico veſtimenta. Nondum metallorum inveſtigata minera. Nondum miſeros in viſcera terræ mortales truſerat auri ſitis. Laudanda hæc & noſtris anteferenda moribus. At in hoc vivendi ritu nulla fuit literarum cognitio, nulla legum diſciplina, nulla bonorum artium ſtudia. Ipſa quoque religio barbara, inepta, & ut propriis utamur vocabulis, ferina ac brutalis.* Hanc fuiſſe Germaniam, dicit, uſque ad Adrianum Cæſarem. Exinde mitiorem factam, civilem cultum accepiſſe. Sed longe fuiſſe anguſtiorem, finibus nondum late extenſis, ſed intra Danubium & Rhenum clauſis.

Antiqua Germania incultior.

Caput XXXI. *Novam Germaniam* cum veteri comparat, primo quoad *amplitudinem*, quæ limites ſuos longiſſime extenderit, Belgas, Helvetios, Rætiam & Noricum complexa, quæ & Alpes tranſcendens in Italia ſedem poſuerit, nec non Auſtriam, Stiriam, Carniolam, cum Dravi & Savi fluminibus, Germanici juris fecerit, adjectis & aliis regionibus. Nationem germanicam ſic germinaſſe, ut nomen *Germanorum* verius à *Germinando* tractum putet, quam, ut voluit Strabo, quod germani ſive fratres quaſi Gallorum eſſent. *Adeo magna eſt Germanica natio, ut nulli genti cedat, meritoque illud affirmari poſſit, quod non ſit gens tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt Germanico populo Dominus DEUS noſter.*

Nova Germania amplitudo.

Germani à germinando.

Caput XXXII. *Faciem Germaniæ novæ elegantiorem* vivis depingit coloribus. *Agros ubique cultos videmus. Novalia, vineta, viridaria, violaria, ruſtica & ſuburbana, ædificia plena deliciis, villas amœniſſimas, arces in montibus ſitas, oppida muris cincta, ſplendidiſſimas urbes, quas plerumque maxima præter-labun-*

Nova Germania politiſſima.

labuntur flumina, aut amnes ambiunt limpidisſimi, lapideis aut ligneis pontibus permeabiles.

Splendor urbium Germaniæ.

Cap. XXXIII. Usque ad XLV. Longâ ſerie *ſplendorem* nobiliſſimarum *in nova Germania urbium*, extra veterem Germaniam ſitarum, deſcribit. Coloniæ magnificentiam, Gandavi populoſitatem, Moguntiæ pompam, *Wormatiæ* amœnitatem. *In hac illum Germanorum conventum habitum* ſubinnuit, *qui Rom. Eccleſiæ, ſedente Calixto II. inveſtituram Epiſcoporum remiſit. Cum ab Ottone I. usq; ad illa tempora Germanos Epiſcopos ipſi Cæſares inveſtirent.*

Inveſtituram Epiſcoporum quando Germani Romæ ceſſerint.

In hac urbe *ſe præpoſituram cum palatio nobili obtinere, & ejus cauſa Cancellariatum in Schola Heidelbergenſi*, memorat. Spiram, Argentinam, Aquisgranum, Treverim, à ſplendidis ædificiis, templis & delubris, Cæſarumque monumentis, commendat. In Baſilea regendi modeſtiam & gravitatem exaggerat. In qua, ut & Conſtantiæ, Synodi habitæ. Helvetiæ oppida enumerat, ac laudat Bernam, Turegum. Fluvium ibi Lemanum vel Limachium notat, propter balnea tota Germania illuſtria celebrem. In Auguſta Vindelica *S. Udalricum* præſidere ait, *qui Papam arguerit de concubinis.* Mundas Bojoariæ urbes recenſet, Salzburgam, Ratisbonam, Straubingen, Burckhauſen. Addit Pataviam (Paſſau) Danubio & Eno perfuſam. In Auſtria Novam civitatem, & inprimis Viennam illuſtrat, *cujus templa mirari Italia poſſit.* In delubro Stephani Viennenſi turrim extollit, cujus artificium & altitudinem Boſnenſium legati intuiti ac admirati dixerint: *Turrim illam pluris conſtitiſſe, quam Regnum Boſniæ venundari poſſit.*

Viennæ magnificentia.

Veteris Germaniæ urbes reliquæ.

Bohemia Germaniæ pars.

Cap. XLVI. usque ad LVII. In Veteri Germania, nunc illuſtrata, urbes celebriores recenſet. Wratislaviam potentem, cujus Epiſcopatus olim aureus dictus, Brunnam, Olomutzium in Moravia, Gedanum ad mare Balthicum. Bohemiam ad Germaniam ſpectare probat. Etſi enim Slavonico utatur ſermone, mores tamen eſſe Germanicos, & nobiliores quoque utramque noſſe lingvam. In templis Sacerdotes non niſi theutonicam pro concione adhibere, in cemeteriis autem Slavonicam. Pragam effert, cum Colonia, Broda, Lithomerida, Pilſina & aliis. Arcem non præterit Huſſitarum munitiſſimam, Thaborem. Dehinc Lubeci autoritatem, & opes illas celebrat, ut ad ejus nutum tria maxima Regna, Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ, vel admittere, vel excludere conſueverint Reges. Lunenburgum ſalinis quondam divitem appellat, tunc ad egeſtatem redactum, quod, *dum cleri bona affectarit & dilexerit, ſua amiſerit.* Roſcaviam (Roſtok) Hildesheimium, Werdam attingit. *Brunſvicum* nobile appellat, *Saxonum ſedem, atq; Ottonum quondam Cæſarum patriam.* Bremam, veterem metropolim, Danorum gentis in Chriſto matrem vocat. Virginopolim & Martinopolim, in qua poſteriori Fridericus Barbaroſſa duos fratres de regno Bulgariæ diſſidentes, cum ſe arbitrum elegiſſent, & ad eum in Saxoniam veniſſent, concordes domum remiſerit. Trajectum Phriſiorum, Dodratum Hollandorum, Monaſterium, Oſnabrugam, Mindam & Paulpornam, Suſatumque Weſtphalorum, refert: In quibus *Suſatum*, cum illa tempeſtate Eccleſiæ Colonienſi rebellaſſet, magnis obſeſſum copiis, quamvis Saxoniæ Dux Wilhelmus, cum potenti manu Bohemorum inter obſeſſores dies noctesque præſens paciſceretur, nulla vi ſuperari flectique potuerit. Erfordiam dein Egramque laudat, quæ quamvis juris Imperii ſit, hypotheca Bohemorum facta ad Slickenſem familiam devenerit, cujus caput fuerit *Caſpar Slickius.* Quem commendat Æneas pius, quod de ſe fuerit optime meritus, vir rariſſimæ laudis, trium Cæſarum, qui ſibi invicem ſucceſſere, Cancellarius, & quidem acceptiſſimus, conjugio ducali illuſtratus. Francofordiam, Aſchafenburgiam, Moguntini refugium & omnium moleſtiarum relaxamentum, Herbipolim, Bambergam, Forchem niveo pane famoſam, Onspachium, Rotenburgam, repetit. *Noribergam effert, cujus is ſplendor, amœnitas, deliciæ, cultus, forma regiminis, ut illi ad civitatem omni ex parte perfectum deſiderari nihil poſſit. Quis*, pergit, *venientibus Franconia inferiori & procul ſpe-*

Brunſvigæ dignitas.

Suſatenſium fortitudo.

Caſparis Sclickii elogia.

Norimbergæ decor.

cui ſpectantibus ejus urbis aſpectus, qua majeſtas, quod decus ab extra viſentibus, quis intus nitor platearum, quæ domorum munditia? Quid S. Sebaldi templo magnificentius, quid ſplendidius D. Laurentii delubro? Quid arce regia vel ſuperbius vel munitius? Quid foſſa, quid mœnibus illuſtrius? Quot ibi civium ædes invenias regibus dignas? Cuperent tam egregie Scotorum Reges, quam mediocres Nurnbergæ cives habitare. Ulmam in Svevia, Extaviam & Ambergam, iſtaque occaſione tandem totam Germaniam ejusque oppida à munditia & nitore vehementer commendat. *Quod ſi quis verum loqui voluerit, nullam eſſe in Europa nationem, cujus urbes mundiores aut aſpectu lætiores dixerit, quam in Germania ſint. Poſſis forſitan ex Italicis urbibus nonnullas præferre, veluti Venetiam, Genuam, Florentiam, Neapolim, quibus ſummus ineſt ſplendor atque ornatus. At ſi nationem nationi conferas, non eſt quod urbes Italiæ Germanicis anteponas. Nova quodammodo* Germaniæ *facies, & urbes ipſæ veluti nudius quartus conſtructæ atque erectæ videntur.* Ex longa hac Germanicarum urbium deſcriptione atq; commendatione pro callido Æneæ ingenio inſerta concludit, Ge*rmanicam nationem non eſſe inopem, quod pauperes ædificare magnifice non poſſint.* Ut ex ædificiorum pompa, ita & ex mercaturæ ſtudio, opulentiam Germanorum colligit. *Quod ſi verum eſt,* inquit, *quod ajunt, ibi opes eſſe, ubi negotiatores, fatearis neceſſe eſt opulentiſſimos eſſe Germanos, quorum pars maxima lucris inhians, mercaturis intenta, alienas longe lateque provincias pervagatur, ac ſicuti Flaccus ait, per mare pauperiem, per ſaxa, per ignes fugiens, non niſi dives domum revertitur.*

Germanorum munditia.

Germanorum opulentia.

Cap. LVIII. Alio argumento callidus orator Mejeri querelam *de exhauſta Germania* refutare nititur, *aurifodinarum* nempe *copia*, & *ſuppellectilis pretioſæ inter* Germanos *abundantia.* Utramque admirabili colore pingit, ut legiſſe juvet. *In Bohemia montes Cuthni, in Saxonia Ranzbergii, in Miſnia Fribergi, Vulturni nivaleſque montes, inexhauſtas oſtenderunt argenti mineras. Duces Auſtriæ in Stiria apud S. Leonhardum non longe à Volſpergia argentum effodiunt. Rhenus aureas evolvit arenas. Et in Bohemia fluvii ſunt, in quibus ad magnitudinem ciceris aurea grana Thaboritæ reperiunt. Ferrum & aurichalcum & æris magnam vim domi reperitis. In Hungaria quoque aurum, quod apud Cremeciam reperitur. Ipſi plerumque contractas magnasque domum refertis opes, quod ſuppellectiles veſtræ demonſtrant, onuſtæ auro argentoque menſæ. Nam quod diverſorium apud vos eſt, in quo non argento bibant? Quæ mulier, non dicimus, generoſa, ſed plebeia, non auro nitet? Quid torques equitum & equorum frena ex auro puriſſimo referamus, & tot calcaria & tot vaginas gemmis tectas, & annulos & balthea & thoraces, & galeas auro fulgentes. Quanta in Eccleſiis pretioſa ſuppellex? Quot reliquiæ margaritis & auro veſtitæ? Quis ornatus altarium ac ſacerdotum? Quid ſacrariis veſtris inveniri ditius poteſt?* Ex his theſauris Germaniæ pauperiem fugat, eleganti & pathetica concluſione. *Pauper ipſe ingenio fuerit, qui Germaniam pauperem affirmaverit.* Defectum reliquum molliſſime extenuat, & oblique querelam arte retundit: *Si vobis non quæ cupitis omnia ſuppetant, ea paupertas animi & avaritia potius appellanda eſt, quam rerum indigentia.*

Aurifodinæ Germaniæ.

Supellex pretioſa Germanorum.

Cap. LIX. ***Potentiam Germanorum*** exaggeraturus, ad extingvendam Mejeri querelam, ab *ArchiEpiſcopis* orditur. Quorum tres, opibus & potentia excellentes, & inter Electores Imperii honoratiores, definit, eosque *ArchiCancellarios*: *Moguntinum* per Germaniam, *Trevirenſem* per Galliam & regnum Arelatenſe, *Colonienſem* per Italiam. Moguntinum, *Electorum* eſſe *Decanum*, qui pro neceſſitate eos convocet. Treverenſem, in Electione Imperatoris primam habere vocem. Colonienſem, ducem etiam Veſtalorum (Weſtphalorum) appellari. His maximas parere civitates, opulentiſſima oppida, multos & potentes nobiles.

Potentia Germanorum.

ArchiEpiſcopi, Electores Imperii.

Nec illis minorem eſſe *Archi Epiſcopum Salzburgenſem*, qui in ſua provincia ſit ſedis Ro. Legatus, ut ajunt, natus, qui, ut amplam diœceſin ſuam melius regeret, quatuor Epiſcopatus ſuo ære fundaverit, Gurcenſem, Secovienſem, Chiemenſem & Lovantinum. Quibus curam plebis & ſacramentorum commiſerit, Gurcenſem ei ſubtra-

Salzburgenſis ArchiEpiſcopus Legatus natus Ro. ſedis.

ſubtractum eſſe, quem ſedes Rom. illo tempore aſſumſerit. In provincia ſuffraganeos ejus eſſe Salzburgenſem, Ratisbonenſem, Pataviensem, Friſingenſem & Brixionenſem. Ex quibus Epiſcopatibus Pataviensis ditior, Ratisbonenſis dignior, Friſingenſis antiquior, & Brixionenſis tutior habeatur. Quorum ſinguli munitas poſſideant arces, oppida frequentia & plurimos vaſallos.

ArchiEpiſcopi Germaniæ potentes & divites.

Cap. LX. Reliquos Archiepiſcopatus recenſendo, Nationis Germanicæ Primatem vocat *Magdeburgenſem ArchiEpiſcopum*, potentem & opibus abundantem. *Bremenſem*, eſſe ſextum ArchiEpiſcopum Germanorum, temporali dominio validum. Septimum nationis Germanicæ ArchiEpiſcopum eſſe in Bohemia *Pragenſem*. Fuiſſe hunc olim ſuffraganeum ArchiEpiſcopi Moguntini, ſed inſtante Carolo Imperatore, Sigismundi patre, à diœceſi Moguntina ad jus Metropoliticum evectum eſſe. Sed eundem nutante regno, & Huſſitarum motus fovente, ad inopiam deductum.

Epiſcopi Germaniæ opulenti.

Epiſcopatus inter Germanos florentiſſimos eſſe *Leodienſem* & *Trajectenſem*, quorum ſi alter in bellum exeat non minus quadraginta millibus militum à ſubjectis ſibi populis in armis habeat.

Cap. LXI. *Herbipolenſem Epiſcopatum* per Rudolphum de Scherrenberg Epiſcopum valde ditatum celebrat.

Cap. LXII. *Bambergenſem Epiſcopatum* divitem, in Franconia ſitum, in Carinthia haud parvi momenti oppida poſſidere. Alios Epiſcopatus tetigiſſe ipſi ſufficit. Summam Epiſcopatuum in Germania tandem init: *Supra quinquaginta Pontificales Eccleſias Germanos poſſidere, in quibus divites & potentes Epiſcopi præſideant, quibus Itali comparati, plebani potius, quam Pontifices dicendi videantur.*

Magnus eorum numerus.

Subjungit *Canonicatus*, *Prælaturas*, *Præpoſituras*, *Decanatus*, *Archidiaconatus*; In his ponit viros nobiles, juris interpretes, theologos. In *Colonia* & *Argentina* ad primas præbendas non admitti, niſi genere illuſtres. In *Moguntina* vetuſtam & magnam nobilitatem probandam eſſe ab eo, qui Canonicatum expetat. *Leodii* ſuper ſeptuaginta præbendas in majori Eccleſia numerari, in Collegiatis delubris multo plures. *Wratislavienſem* Epiſcopatum aureum olim appellatum, ab Huſſitis extenuatum. Hic Canonicos, dum Canonicas horas canunt, rubeis cappis ornatos Cardinalium Rom. Eccleſiæ morem tenere.

Splendida Canonicorum collegia in Germania.

Abbatum & Monaſteriorum apparatus in Germania.

Cap. LXIII. Ad opulentiſſima accedit *monaſteria*, in quibus monachi magno numero alantur, & hoſpitalitas cujusvis generis hominum magnifice obſervetur. Quoſdam in Germania *Abbates* adeo eſſe potentes, ut Principatus honore fungantur, ut *Fuldenſem* & *Erberdenſem*. Ejuſdem honoris participes eſſe quaſdam *Abbatiſſas*. In *Stiria* & *Colonia* ad undecim millia Virginum exiſtere. Subjicit *ordinem Teutonicorum fratrum*, quos B. Mariæ vocent, quorum potentia ſit par Regibus.

Principũ Germanorum majeſtas.

Cap. LXIV. *Principes ſeculares*, laicos dictos, addit. *Quæ natio*, ait, *ſub cœlo eſt tot clariſſimis domibus, tot illuſtribus exornata principibus, ubi tantam invenias aut nobilitatem aut armorum gloriam, ſicut apud Germanos?*

Obiter attingit *militares familias*, torneamento dignas habitas, quarum pene infinitus ſit numerus, quamvis nulli ad id genus ludi admittantur, niſi *vetuſtiſſimi nobiles*, quorum progenitores ſupra hominum memoriam, opibus & potentia claruerint. Dici illas poſſe *Imperiales*, quod ex his ſæpe lecti ſint Imperatores. Clariſſimas eſſe *Auſtrales* ac *Bojoaricam*, vetuſtiſſimam *Brunſvicenſem*, *matrem Ottonum*, de Eccleſia Rom. optime meritorum. *Sveciam & Lucenburgenſem* defeciſſe, defuncto *Ladislao*, adoleſcente, Ungariæ rege. Cujus, utpote olim familiaris, obitum deplorat, ut & Johannis Portugalliæ infantis filii: nec non Franciſci Volſcari, Venetiarum ducis, qui cum quinque & triginta annos magna gloria patriam gubernaſſet, tandem (ut ſint inconſtantes populi, & nihil niſi præſentem utilitatem penſitantes) grandævus ſenex magiſtratu abire juſſus ſit, qui iſta permotus civium ſuorum ingratitudine, & palatium ſimul & vitam reliquerit. Quæ tria fata uno illo inciderint anno.

Domus Auſtriaca, Bavarica, Brunſuicenſis.

Cap.

Cap. LXV. Seqvuntur ex Principibus ſecularibus *Electores quatuor.* Quorum primus *Rex Bohemorum*, ſecundus *Comes Palatinus Rheni*, qui & ex Domo Bojoariæ vel Bavariæ, tertius *Dux Saxoniæ*, & ultimus *Marchio Brandenburgenſis.* In curia Cæſaris Regem Bohemiæ *Pincernæ* officium implere, Comitem *Dapiferi*, Ducem *Mareſchalli*, Marchionem *Camerarii.*

Electores Imperii ſeculares.

Succedunt *Ducales Domus* plurimæ, *Sleſiæ*, *Pomeraniæ*, *Magnipolenſes*, *Montenſes*, *Clevenſes*, *Gelrenſes.* Inter *Marchiones* poſt *Brandenburgenſem* clarere *Badenſes*, vetuſtate inſignes & opinione juſtitiæ. *Comitum* quoque eam factam claritatem, ut ex his etiam Imperatores ſint lecti. Sic Comites *de Naſſau* & *de Nigra civitate* (Schwartzburg) imperaſſe. *Landgravium Haſſiæ*, adhuc viventem, ni recuſaſſet, imperium obtinuiſſe. *Comites* dein *Morſatenſes* laudibus effert.

Marchiones

Comites.

Cap. LXVI. Omnium potentisſimos inter *Comites* Germanos eſſe *Wurtenbergenſes*, nec Marchionibus nec magnis ducibus inferiores. *Cilienſes* comites tunc defeciſſe *Philippum Burgundiorum ducem*, Franciæ licet regio ſemine natum, latisſimas tamen in Germania provincias obtinere, quorum cauſa vaſallum Imperii ſe fateatur.

Domus Wurtembergica.

Deſcendit ad *liberas civitates, Imperatori ſolum ſubjectas*, cujus *jugum inſtar libertatis* ſit. Neque enim usquam gentium tantam eſſe libertatem, quanta fruantur hujusmodi civitates. Quam libertatem exaggerat comparatione liberarum civitatum in Italia. *Populi quos Itali vocant liberos, hi potisſime ſerviunt, ſive Venetias ſpectes ſive Florentiam aut Senas, in quibus cives præter paucos, qui reliquos ducunt, loco mancipiorum habentur. Cum nec rebus ſuis uti, ut libet, vel fari posſint, quæ velint, & gravisſimis opprimantur exactionibus. Apud Germanos omnia læta ſunt, omnia jucunda, nemo ſuis privatur bonis. Salva cuique ſua hæreditas eſt: Nulli niſi nocenti Magiſtratus nocet. Nec apud illos factiones, ſicut apud Italas urbes, graſſantur. Sunt autem ſupra centum civitates hac libertate fruentes.*

Liberarũ in Germania civitatũ ſtus.

Cap. LXVII. *Diſciplinam* porro *militarem Germanorum* ſplendide deſcribit. *Quanta vel Principum vel civitatum armorum peritia eſt, quantus uſus, quanta Reipublicæ diſciplina? Nati in Germania pueri prius equitare, quam loqui diſcunt: Currentibus equis immobiles hærent ſellis. Lanceas dominorum longiores ferunt, frigore ac ſole durati, nullo labore vincuntur. Nullus inermis aut Suevus aut Franco iter ingreditur. Eques tam leviter arma quam membra ferit. Germanus miles, non ſolum nobiles, ſed cives quoque ex plebe nati, armamentaria in domibus habent, & ad quosvis inopinatos incurſus ſive rumores, armati continuo prodeunt. Stupenda res eſt, ac ferme incredibilis, quanta peritia equos erigere, flectere, atque in girum ducere, quanta ſagittandi ars, quantus lancearum uſus, quæ clypeorum agilitas, quæ ſtringendi verſandique gladiorum ſcientia, quæ machinarum & tormentorum experientia. Rideant neceſſe eſt reliquas armorum officinas, qui publica Teutonicorum armamentaria viderint. Tot ibi majores baliſtæ, tot catapultæ, tot inſolitæ magnitudinis ænea tormenta viſuntur, quas vocant bombardas, quorum & ipſi Teutones repertores habentur.*

Diſciplina militaris apud Germanos vigor.

Poſthæc *militiæ duces* inclyti celebrantur. In his *Albertus Marchio Brandenburgenſis*, cujus illuſtria facinora enumerantur, à quibus *Teutonicus Achilles* dictus. Huic jungit *Wilhelmum Saxoniæ Ducem* & *Georgium Poggiebracium* Bohemiæ gubernatorem, ut & *Joannem Giskam Bohemum*, nec non *Johannem Comitem de pulchro monte*, (Schönberg) *& alios.*

Cap. LXVIII. *Mores*, præ veteri Germania *decoros*, & *doctrinam* inter Germanos *veram* Chriſtianam celebrat. Neque tamen eos absque notula dimittit: *Quamvis adhuc veterum nonnulla rapinarum veſtigia maneant, (Nam hoc unum eſt ex priſca barbarie vitium inter Germanos relictum) non tamen ea prædarum libertas eſt, quæ olim fuit.* Quare laudat Germanorum Juſtitiam. *Nec civitates veſtræ prædonibus, ſi quando in poteſtatem earum veniant, veniam præbent, ſed eos acerbisſimo rotarum ſupplicio enecant. Vidimus judicia veſtra, & conciliis veſtris, quæ de Republica gerebantur, ſæpius interfuimus, omnia prudenter & graviter administrata:*

Morum elegantia apud Germanos.

Nec facile à recto tramite deflectimini: Nec vobis civiles leges nec jura deſunt pontificalia: Literæque & omnium bonarum artium ſtudia apud vos florent.

Univerſitates Germaniæ decoratiſſimæ.

CAP. LXIX. *Univerſitates denique Germaniæ* enumerat, *Colonienſem*, *Heidelbergenſem*, *Pragenſem*, *Erfordienſem*, *Lipſienſem*, *Viennenſem*, *Roſtochienſem*. Mores illarum deprædicat: *Suſcipiuntur hoſpites apud vos læto vultu, ſed meliore corde. Et primarii urbium cives hoſpitalitatem exercent, apud quos nulla ſuſpicio fraudis eſſe poſſit. Convivitis humaniſſime omnibus gentibus, tantusque hodie & hominibus veſtris & rebus nitor interpoſitus eſt, ut præter ſermonem patrium nihil inter vos barbarum remanſiſſe videatur.*

Barbaries omnis à Germanis remota.

De qua igitur doluerat Mejerus, *barbariei nota Germaniæ ab Italis inuſta*, miro jam ſtudio à ſuis declinat Æneas. *Quod ſi qui vos amplius appellaverint* BARBAROS, *ipſi verius barbariſſimi cenſendi fuerint ſive Græci ſive Latini. Atque ô utinam terra Macedonia, Theſſalia, Achaja, Peloponenſus, Epirus, & illa Italiæ ora, quam olim magnam Græciam vocaverunt, non minus quam Teutonia barbarizaret.*

Germaniæ gloria.

CAP. LXX. Abunde ſic illuſtrata *eleganti Germaniæ forma*, adverſus Mejerum iterum concludit: Germanicam nationem ad inopiam non eſſe redactam, nec ancillæ formam induiſſe, quæ domina gentium fuerit, nec imbecillem jacere, ſpretam atque contemtam. *Non eſt pauper Germania, non impotens, non contemptibilis, quæ tam longe lateque dominatur, quæ tot clariſſimis urbibus illuſtrata eſt, quæ tot Principes habet, armorum gloria & potentia ſublimes.*

CAP. LXXI. Non negat ſub Carolo Magno *Germaniam Galliæ*, *Italiæ*, *Hiſpaniæ*, *imperaſſe*, *& ſub Ludovicis*, *ſub Ottonibus*, *ſub Henricis*, *ſub Fridericis majorem Germanorum fuiſſe potentiam*: Nunc eorum provincias eſſe pauciores & ditionem anguſtiorem. Sed hoc Apoſtolicæ ſedi non eſſe imputandum, nec impediri Germaniam, quin priſtinam gloriam recuperet.

Virtutem non opes nobilitare provinciam.

Querelam Mejeri veram de *auro Germanis per Rom. curiam ſubtracto*, mira arte retundit. Tum quod ſint Germani aliqui, qui opes in Italia collectas in Germaniam reducant, tum præcipue quod auri parva ſit habenda ratio in conſideranda reipublicæ potentia. Et perſuadere conatur, potentiores & fortiores fuiſſe ac eſſe Reſpublicas, auri vi deſtitutas: opulentas autem fuiſſe debiliores ac infirmiores. *Virtus hominum, non pecunia, provinciam nobilitat; ubi virtus, ibi & opes ancillantur.* Etſi vero negari non poſſe ſentiat, neceſſariam eſſe pecuniam utpote reipublicæ nervum: Jubet tamen, reſponſionis loco, obſervare dictum Romani: *Romanos non auro imperare velle, ſed hominibus aurum poſſidentibus.* Rationem tandem ſpecioſam ſubjungit orator: *Magnas opes & deliciæ & voluptates conſequuntur, quæ viros alioquin præſtabiles emaſculant, & vim omnem virtutis elidunt.*

Opes, otii & voluptatis anſa.

CAP. LXXII. Geminam itaque *cauſam impotentiæ Germanorum* diligenter exponit. *Ex multis opibus* natas eorum *voluptates* primo reprehendit. Qui olim armis & vigiliis regna occupaverint. *Quo fortuna victoriam impulit, eo & ſpolia & divitias intulit, communes hominum peſtes.* Auri ergo argentique copiam, qua Germania abundet, cauſam eſſe otii, ut arma foris non efferant. *Imperium alias iisdem artibus retineri quibus ab initio partum eſt.* Majores autem Germanorum regni fines armis non pecunia propagaſſe.

Libertatis amor apud Germanos.

Alteram cauſam debilitatis Germanicæ *pluralitatem* vocat *principum.* Pro ſua itaque arte, ut Germanos magis proſternat aut confundat, Imperatorem quidem ab illis agnoſci Regem & dominum ait, ſed videri tamen, quod precario ille imperet, cujus nulla ſit potentia. *Tantum ei paretis*, inquit, *quantum vultis, vultis autem minimum. Libertas omnibus in communi placet, neque civitates neque principes quod ſuum eſt Imperatori præbent, nulla illi vectigalia, nullum ærarium, quisque ſuæ rei moderator & arbiter eſſe vult.*

Ut igitur *Germanorum regimen* reddat odioſum, *regentium multitudini* non ſine

Digitized by Google

ſine ſpecie tribuit omnia damna, diſcordias crebras, aſſidua bella, ex illis rapinas, incendia, cædes & mille malorum genera. Quæ neceſſario eveniant, ubi plura dominantur capita. *Nam quo pacto aliis dominentur, qui ſibi ipſis neſciunt imperare?* Accuſat ergo multis Germanos *inobedientiæ*, qui obedire & imperium ſubire nolint. Qui nec Imperatori ſua reddere jura cogitent, & apoſtolicæ ſedi ſuum auferre privilegium enitantur, *ne majori luminari minus involdeat, & utrique gladio acies deſit.* Jubet proinde Germanos fortitudinem ignaviæ opponere, liberalitatem avaritiæ, ſolicitudinem deſidiæ, juſtitiam iniquitati, &, quod inprimis neceſſarium, unitatem diviſioni præferre: Capiti vero, tam ſpirituali, quam temporali ſuos honores, ſuam obedientiam reddere. *Principū multitudo diſſidiorum occaſio. Apologia pro uno Papa.*

Cap. LXXIII. Cum autem negare omnino non poſſit, *multas in Germania Eccleſias bonis ſuis eſſe ſpoliatas* & ad mendicitatem pene deductas, ut *Herbipolenſem, Wratislavienſem, Conſtantienſem* & alias: culpam à *ſede Rom.* declinat, quæ *fructus medios primi anni* exigere ſoleat. Ab hac *exactione* paupertatem Eccleſiarum haut ortam ex eo probare ſatagit, quod ſic omnes Eccleſiæ eſſent exhauſtæ, quia ex omnibus pari modo id juris recipiatur. *Eccleſiæ quadam Germanicæ unde olim exhauſtæ?*

Alias ergo tres cauſas ſubſtituit, quibus monaſteria & Eccleſiæ Germanicæ nationis è priori fortuna exciderint. (1) Quod bellorum turbinibus frequentiſſime agitentur, in quibus ſi quid victoriæ jure acquiſiverint, velut modeſtiores è veſtigio facta pace reſtituere compellantur. Si quid vero amittunt, perpetuo apud hoſtem maneat. (2) Quod Prælati amicis & cognatis multa elargiantur: Quod niſi faciant, illos ſuopte ingenio Eccleſiaſtica bona compilare. (3) Quod omnes more principum equos canesque alant, hiſtriones paraſitosque nutriant. Neque ſine magno comitatu eſſe velint. Convivia inſtrui regalia. *Luxuria & ambitio germanicas Eccleſias non Romana curia exhaurit.*

Cap. LXXIV. & LXXV. Augurium Mejeri, *Germanos jugum Pontificis excuſſuros*, vehementi ſtudio & multo artificio eludere contendit. *Plebem Germanicam* hoc forte machinari, ait, non *Principes*: Illos quietum Reipublicæ ſtatum turbare, non hos. Principes, quæ ſunt Principis cogitaturos. Principis autem proprium, judicium & juſtitiam facere, ſubvenire oppreſſis, ſublevare jacentes, Chriſti ſacerdotes honorare. Hoc principes Germaniæ facere. Extollitque *Imperatorem Fridericum*, cujus ſtudio *neutralitas* quondam peſtifera (ut vocat) *ex natione germanica ſit ſublata, & apoſtolica ſedes ſuam inter Germanos eminentiam recuperaverit.* Eundem in Rom. ſedem affectum laudat in ipſo *Moguntinenſi Electore*, Mejeri hero, *Theodorico de Erpach* & Colonienſi Electore *Theodorico de Morſa*. Hujus etſi conſiterit pugna cum Eugenio Pontifice, erga præſentem Calixtum tamen priorem animum obſervantem ſperat. *Jugi Pontificii Impatientes Germani quinam? Imperator Fridericus III. dignitatē Ro. ſedi reddidit.*

Cap. LXXVI. *Joannis, Trevirenſis ArchiEpiſcopi*, ex Domo Badenſi, animum Pontifici non adverſum fore ex eo judicat, quod recens magnis beneficiis à Papa ſit devinctus, ad Epiſcopalem cathedram evectus.

Cap. LXXVII. Eundem affectum concipit in *Sigismundo Salzburgenſi ArchiEpiſcopo.* *ArchiEpiſcoporū Germaniæ affectus in Papam.*

Cap. LXXVIII. Eandem mentem & in Pontificem affectionem ſibi pollicetur in *Magdeburgenſi ArchiEpiſcopo*, qui antequam ſacris imbueretur, *militiæ magiſter* fuerit, ſed cum in homine laico ſacerdotis modeſtia & devotio vigeret, aſſumtum eum ad Epiſcopatum. Atque ita ſe geſſiſſe, ut à puero religioni operam dediſſe videretur. Literas, quas ignorabat, eum didiciſſe, & Eccleſiæ piæ clerum ac populum in optimam vivendi frugem reduxiſſe: Epiſcopalem habitum, quod inter Alemanos perrarum, interdiu gerere, & ordinationes clericorum ipſummet celebrare.

Eandem ſententiam fert de *ArchiEpiſcopo Bremenſi.* De aliis *Epiſcopis*, inter quos ſint aliqui novitatis amatores, qui privata aliqua occaſione Rom. ſedem oderint, optima itidem ſperat.

Cap. LXXVIIII.

Digitized by Google

Principibus Germaniæ blanditur Æneas.

Cap. LXXVIII. *Secularibus Germaniæ Principibus* blanditur, quod nihil tale machinentur, qui Romam velut ſacrarium veritatis, & unicum religionis domicilium colant, niſi Epiſcoporum ſuorum argutiis decipiantur.

Plebi Germanicæ imputata culpa odii Ro. ſedis.

Omnem tandem ſeditionis vel novitatis culpam à *magnatibus Germaniæ* callide amolitur, & in *imam plebem* transfert. Qui proinde non pugnet cum ratione neque cum principibus neque cum magnatibus ejus, ſed cum paucis, qui cum ſibi docti videantur, nec pro ſua opinione dignis efferantur honoribus, miſcere omnia divina & humana jura conentur, ut inter rerum cadentium mutationes, aſſequi cathedras valeant.

Principium tandem odii, publicum ſane, magna vi aggreditur, *Pragmaticam* nempe *ſanctionem*, ex Concilio Baſileenſi natam.

Pragmatica Germanorū ſanctionis nervus.

Cap. LXXX. *Pragmaticæ* illius, quam ab aliquibus excogitatam pronunciat, *epitomen* conficit. Utpote quæ duas contineat partes. In *prima* referri omnia fere *gravamina* ſuperiora. Quibus ut à Germanis obvietur, modum exprimi, qui in natione Germanica ſervandus ſit circa prælatorum electiones, beneficiorum collationes, cauſarum auditiones, indulgentiarum conceſſiones, decimarum exactiones, & cætera iſtiusmodi. In *ſecunda* poni *appellationes*, ad quas recurrendum ſit, ſi forte Pragmaticæ ſanctioni ſummus Pontifex obviam iret. Inſeri & *pœnam*, qua plectendi ſint Germani non obedientes, *ut & fœdus Principum pro cuſtodia ſanctionis.* Ad Rom. quoque ſedem fama perlatum eſſe, ait, inter pragmaticos ſermonem eſſe habitum *de mittendis Romam oratoribus, qui ex Rom. Pontifice ſanctionis ſuæ confirmationem expeterent, quaſi ſedem eo modo honoraturi. Quod ſi optatum reſponſum habuerint, gratias agerent legati, ſin minus, nihilominus nationem Pragmaticæ ſubjiciendam.*

Repudiata à Romanis Pragmatica Germanorum ſanctio.

Conſtitutionem hanc ab Imperatore & Principibus amolitur callide, & *ſeditioſis quibusdam ac perditis hominibus* adſcribit, *quibus nullum ſcelus videatur magnum, quo creſcant & divites ex inopibus fiant.* Damnat igitur Æneas prorſus tum *ſanctionem* illam Germanorum, tum *modum introducendi. Pragmaticam* ipſam eſſe deteſtabilem, quæ ſedem primam prorſus deprimat & conculcet. *Modum introducendi* deteſtandum, qui vel invito Pontifice dicatur recipiendus; Dein & *appellationem*, à primo Eccleſiarum throno interponendam, introduci, quod apud doctos ſit hæreticum aut hæreſi proximum.

Repudii cauſa.

Cap. LXXXI. Summâ pragmaticæ definitâ, *ne Germanica natio juſſionibus Apoſtolicæ ſedis obedire cogatur, ne quid pecuniarum ad Rom. curiam deferatur:* illam prorſus repudiat duabus de cauſis. (1) Quod ingratitudinem deteſtabilem ſapiat. (2) Quod non ſolum ſedi Apoſtolicæ, ſed univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ damnoſa ſit, quæ univerſum religionis Catholicæ ſtatum confundat ac pervertat. *Ingratitudinem* ex eo probare contendit, quod matrem ſuam, Rom. Eccleſiam, pragmatica ſanctione ſit jugulatura natio Germanica.

Beneficia Romanorum in Germanos.

Cap. LXXXII. Quam ut explicet ingratitudinem exprobrat Germanis *duo beneficia*, quæ à Rom. ſolio acceperint. Primum eſt, *quod Germanis Chriſtum prædicaverit*, verum & ſingularem Deum. Cujus religio barbariem omnem ab illis deterſerit. Alterum *quod Rom. Imperium ex Græcis ad Germanos transtulerit*, cujus ſplendor gentem Germanicam omnibus Europæ populis antepoſuerit.

Religionis beneficiū auro compenſandū.

Primum *religionis beneficium* vehementer exaggerat imagine priſtinæ Idololatriæ, cui opponit magnam veræ religionis & pietatis ſecutam lucem. Sic & religionem & bonos mores Rom. ſedi à Germanis deberi prædicat. Ingratitudinis fore vitium, ſi quid agant, quod ſedi Apoſtolicæ ſit moleſtum. Pro ſpiritualibus igitur juribus & ſacris canonibus *exactiones*, nempe *annatas*, pati, aurum ex Germania dimittere, intolerabile non eſſe putandum. Quâ occaſione Pontifici Rom. dictum Pauli tribuit: *An grave putatis, quod temporalia veſtra metamus, ſi vobis ſpiritualia ſeminamus?*

Cap. LXXXIII.

Digitized by Google

CAP. LXXXIII. Ut Germanos gravet aut *irreligioſitatis* oblique accuſet, illorum ore objectionem format: Majores nimis fuiſſe credulos, qui divinitatem Chriſti ſibi perſuaderi ſiverint. Quam tamen *ignominiam* ne videatur Germanis intuliſſe, eos à *conſtantia fidei* breviter collaudat. Dubitantibus interim ſe ſatisfacturum ait. Digreditur igitur Orator in campum ampliſſimum probandæ veritatis religionis Chriſtianæ & divinitatis Chriſti. Tutiſſimam & apertiſſimam viam probandi, Chriſtum eſſe Deum, ex miraculoſis ejus operibus conſtare, affirmat. *Germani in fide conſtantes.*

CAP. LXXXIV. Ad objectionem, claruiſſe & Moſen, Eliam, Eliſæum, miraculis, neque tamen fuiſſe Deos, reſpondet, quod id de ſe nunquam fuerint profeſſi, uti JESUS de ſe frequenter profeſſus, ſe eſſe Dei filium. JESUM autem non mentitum, quod DEUS fuerit cum eo, ſine quo nulla miracula. Evangeliſtarum mox & Apoſtolorum fidem celebrat. Martyrum pro Chriſtiana fide mortem oppetentium teſtimonium allegat. Jungitur illis authoritas plurimorum patrum doctiſſimorum, *cum quibus potius, ſi electio locum habeat, errandum ſit, quam cum aliis bene ſentiendum. Et nos quidem*, inquit, *ſi tanti erravere viri, haudquaquam hi ſumus, qui alios ſine errore putemus.* Addit *Romanorum* auctoritatem, qui Chriſti religionem non accepiſſent, niſi aut rationibus aut miraculis victi fuiſſent. Similiter & *Græcos*, *Hiſpanos*, *Gallos*, viros ſapientiſſimos, pro idolis legem Evangelicam non fuiſſe admiſſuros, niſi aliqua ratio illos traxiſſet. Confirmat & prædictionibus V. T. ac Sybillarum effatis.

CAP. LXXXV. Præter dicta V. T. plurima allegata, quibus divinitatem Chriſti muniat, argumentum novum pro divinitate ejus petit *à legis ejus honeſtate*, ut loquitur. *Quod Chriſtus cæleſtem in terris agere vitam docuerit, & inter mortales eſſe angelos.* Hoc Germanis à ſede Apoſtolica fuiſſe nunciatum prædicat, dum Chriſtum docuit eſſe colendum. Hoc beneficium in Germanos ab ipſis collatum celebrat, quos ex infidelibus Chriſtianos fecerit, ex barbaris latinos, ex vitioſis honeſtos, ex perditis ſalvatos.

CAP. LXXXVI. *Rom. ſedem Germanorum*, ut Gallorum, Hiſpanorum, Anglorum, Italorum, *magiſtram in fide* fuiſſe probat, doctorem denominans *Bonifacium*, maryrem. Quo definito, magno molimine iterum ingratitudinem Germanorum exaggerat, qui nolint pro Evangelio reddere aurum. *Salus vobis*, inquit, *ab Apoſtolico throno miſſa eſt, vitam hinc habetis & ſcalam in cœlum ferentem. Et gravamini pecunias mittere ad curiam, annatas ſolvere: Auxilium aliquod matri veſtræ præſtare. Grave vobis eſt, his temporalia præbere, qui vobis ſpiritualia tradiderunt. Animalia bruta parentibus ſuis opitulantur. Nam ciconias ferunt tantopere victum miniſtrare parentibus, quanto ab illis alimenta receperunt. Qui altari ſervit, inquit Paulus, de altari vivat, & os bovi trituranti alligandum eſſe Scriptura negat. At vos omnino matrem veſtram excludere nitimini, & nullum ei pietatis auxilium eſſe præbendum.* Quòd vitium exaggerat, dum cum hæreſi comparat, ipſamque illam jactatam ingratitudinem *hæreſin* vocat. *Germanos à Romanis fidem eſſe nactos.*

CAP. LXXXVII. *Privilegium Rom. ſedi à Chriſto traditum*, paſcendi oves, ligandi & ſolvendi, per pragmaticas ſanctiones auferri queritur. Obligari à Germanis primam ſedem illo pacto, deſinere illos eſſe oves, & in paſtorem rebellare, eumque increpare. Quam tamen culpam *plebi Germanicæ* imputat, non *nobilibus*, quibus blanditur. *Privilegium Romanæ ſedis unde?*

CAP. LXXXVIII. Abominatur porro pragmaticam ſanctionem duabus de cauſis: (1) *quod ſedis Apoſtolicæ eminentiam & paſtoralis officii plenitudinem eripiat.* (2) quod primam ſedem *velit eſſe pauperem, abjectam & impotentem.* Primum hæreſin ſapere arbitratur. *Pragmatica ſanctio damnata.*

Potentiam ergo *Romanæ ſedis*, auctoritatem atque eminentiam, vindicat, ex eo, quod prima ſit omnium Eccleſiarum, & cunctis Eccleſiis velut mater ſupere-

Digitized by Google

ſupereminеat filiabus: quod & princeps ſit & magiſtra. Quod exinde probat, quod cæterarum Eccleſiarum dignitates & cathedras Rom. Papa conſtituerit; Eccleſiam vero Rom. ab ipſo Deo, per Petrum, æternæ vitæ clavigerum, eſſe fundatam, utpote cui Deus terreni ſimul & cœleſtis Imperii jura commiſerit. Corroborat hanc prærogativam teſtimoniis *Pelagii*, *Anacleti*, *Leonis Papæ*, *Agathonis*, *Stephani Papæ V. & Gregorii.* Dubium, quod hæc *hominum teſtimonia* ſint *ſuſpecta*, ipſe movet, utpote qui ſuam egerint cauſam, in ſede Romana ſedentes. Diſſimulat dubii pondus, ſe illius teſtimoniis non niti, niſi propter rationes: Quod *Petro vicariatum Chriſti traditum* uno ore illi aſſerant.

An Ro. Pontificis primatus ſit neceſſarius.

Cap. LXXXIX. Ad *objectionem Germanorum*, tum Huſſitarum, tum qui Pragmaticæ ſanctionis autores ſequantur, *Rom. Pontificis primatum in Eccleſia non eſſe neceſſarium*, ſollicite reſpondet. Neceſſitatem iſtius Rom. Primatus probare ſatagit ex *Ordinis ſacramento.* Inter ſacramenta *ordinem* numerari ſupponit, *qui duorum ſacramentorum, quæ ſaluberrima & potiſſima eſſe videantur, eucharistiæ & pœnitentiæ miniſterium in ſe contineat. Sacerdotes* hac potiſſimum cauſa eſſe inſtitutos, ut purgantes per pœnitentiam homines, à peccatis ad gratiam Dei reducant, & idoneos faciant ad Chriſti corpus recipiendum. *Sacerdotibus* autem his *ſubordinatos* eſſe alios *ſex miniſtros*, qui præparent ad corporis Chriſti diſtributionem neceſſaria. Ordines proinde hos eſſe ſeptem: *Hoſtiarios*, *Lectores*, *Exorciſtas*, qui populum diſponant, *Accolitos*, qui vaſa non ſacra porrigant & lumina obſervent, panem vinumque nondum conſecratum ſubminiſtrent, *Diaconos*, qui ſangvinem Chriſti populo diſpenſent, quorum & Diaconi Evangelicam doctrinam populo tradant, *ſubdiaconi* Apoſtolicam, *Sacerdotes* denique ipſos. Ordinum horum collationem cum ſacramento perfici, ſacramenta verò diſpenſatores requirere idoneos: Hinc neceſſariam eſſe *poteſtatem* aliquam *ſuperiorem* altioris miniſterii, qui ordinis ſacramenta diſpenſet, cum nemo ordinem à ſe ipſo recipiat. Hinc *poteſtatem* à majoribus *Epiſcopalem* dictam.

Ordines Eccleſiaſtici.

Summum quendam Epiſcopum in Eccleſia eſſe oportere.

Unum autem *ſummum* eſſe debere *Epiſcopum* ita probat: Sicut populus per diverſas diœceſes & civitates diſtinctus una ſit Eccleſia, Chriſti ſponſa, ita *unum* oportere eſſe *populum Chriſtianum*, per totum orbem longe lateque diffuſum. Porro: ſicut in populo unius civitatis ſit Epiſcopus, ad quem ſumma rerum deferatur, ita & in *tota Eccleſia* per orbem diſperſa, neceſſarium eſſe *unum præſidere rectorem*, principem & Magiſtrum, cujus arbitrio maxima quæque & difficilia terminentur. Neque poſſe pacem & *unitatem in Eccleſia* conſervari niſi *una* ſit fides: Neque *opinionum de fide diverſitatem tolli* poſſe, niſi judex *ſupremus unus exiſtat*, qui quæſtiones circa fidem emergentes diſſolvere queat. *Niſi unum ſit tribunal*, inquit, *in quo lites de religione diſcutiantur, dividat Eccleſiam neceſſe eſt ac unionem reſolvat ſententiarum diverſitas.*

Infeliciorem hunc ſtatum Eccleſiæ ante Concilium Nicenum, dum ſibi quisque vixerit, ex eo natum aſſerit, quod nec facultas fuerit Epiſcopis ad Synodum cogendam, neque Rom. Eccleſia ſuis viribus ſchiſmata diſrumpere potuerit. Eandem fere calamitatem ſui temporis deplorat, quo omnes peregrina ſequantur dogmata, & hoc agant, ut Apoſtolicæ ſedis autoritatem & primatum diffiteantur.

Aliud argumentum à *Chriſti in Eccleſiam amore* petitum ſubjungit: Veroſimile eſſe, Chriſtum pro ſuo in Eccleſiam amore, omnibus eam neceſſariis dotaſſe. Quod comparatione illuſtrat Synagogæ Judaicæ & Eccleſiæ Chriſtianæ. Illam dicit omnibus fuiſſe inſtructam rebus neceſſariis, juxta Eſaiæ c. 4. Quidni & Chriſti Eccleſia omnibus ſit à Chriſto dotata. Jam verò in perfecto regimine neceſſe eſſe, ut *unus præſit*, à quo cæteri dependeant: Proinde non dubitandum, quin ex ordinatione Chriſti, *unus Eccleſiæ præſit doctor* fidelis,

Digitized by Google

lis, exercitus, & magiſter eorum, qui veram doctrinam quærant. *Hunc Papam dici Romanum, maximumque Pontificem & Chriſti vicarium.*

Novum argumentum à *ſapientia Chriſti* ſumtum affert: Cum Eccleſiæ regimen ſit per eum inſtitutum, per quem reges regnent & regum conditores juſta decernant, ſequi, *Eccleſiæ gubernationem debere eſſe optimam. Optime autem gubernari multitudinem, cum ex unius voluntate dependet.* Id quod ex fine probat: *Finis optimi regiminis pax eſt, pacis autem nutrix unio. Unio verò ab uno melius ſervatur quam pluribus. Unus unitati congruit. Pluralitas Principum diviſionis eſt mater.*

Aliud argumentum *ab exemplo Eccleſiæ in cœlo triumphantis* repetit. *Sicut in triumphante Eccleſia unum ſit caput, Deus, ita & in Eccleſia in terris unum oportere eſſe Antiſtitem.*

Novum denique argumentum ex *promiſſionibus divinis* haurit. Joëlem pronunciare: *Congregaturos ſe pariter omnes, & unum ſibi poſituros caput.* Et Johannem teſtari: *Unum ovile & unum paſtorem futurum.* Quo refert ſententiam Pauli ad Epheſ. *Solliciti ſitis ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis, unum corpus & unus Spiritus; Sicut vocati eſtis una ſpe vocationis veſtræ, unus dominus, una fides, unum Baptiſma, unus Deus.*

Cap. XC. Exceptionem Germanorum memorat: *Unum caput, unum Eccleſiæ paſtorem Chriſtum eſſe, qui cuncta gubernet unus & unicus ſponſus, nec opus eſſe alium adhibere paſtorem. Illum optimè paſcere oves, qui creavit.* Arduo huic dubio obviam it. Etiamſi Chriſtus ſit *verus ſacerdos*, ante exitum tamen ex hac vita *miniſtros* conſtituiſſe, per quos ſacramenta fidelibus diſpenſaret, Apoſtolos nempe. Simili ratione *potuiſſe* quoque *Chriſtum unum aliquem eligere, cui gregis univerſi curam committeret.* Id quoque eum *feciſſe*, electo *Petro* ante aſcenſionem, & ante paſſionem: *Paſce oves meas: Confirma fratres tuos: Tibi do claves Cœlorum.* Unde colligit, *poteſtatem clavium per Petrum ad alios deferendam, ut Eccleſiæ ſervaretur unitas.*

Chriſtus an ſit caput Eccleſiæ, adeoq; ejus regimen ſummum ſufficiat.

Dubium non tacet: *Hanc poteſtatem Petro conceſſam ad ſucceſſores ejus non derivari.* Reſpondet: Nefas hoc eſſe dicere. Quippe quod Chriſtus Eccleſiam ad finem mundi duraturam inſtituerit. Hinc poteſtatem apud eos, qui cum Chriſto vixerunt, ſic inſtitutam, ut ad poſteros pro Eccleſiæ utilitate penetraret, vi dicti: *Ego vobiſcum ſum usque ad conſummationem ſeculi.* Hoc autem *Petri ſucceſſoribus* commiſſum eſſe ex eo colligit, *quod omnium Paſtura non alteri Apoſtolo legatur commiſſa, quam Petro, etiamſi ligandi & ſolvendi poteſtas omnibus data ſit.*

Ro. verò *ſedi* hanc *ſummi Epiſcopatus dignitatem* competere probare contendit *martyriis Petri & Pauli, qui uno die Romæ ſubierint. Non,* inquit, *eſt ambiguum, quin talium Apoſtolorum martyrio conſecrata Rom. ſedes principatum inter reliquas obtinuerit.* Comparatione omnium aliarum magnarum in orbe Eccleſiarum hoc illuſtrare laborat. *Conſtantinopolitanam* ſi quis præferre voluerit, utpote imperio olim orientali ſublimem, illam conſtitutionem aut prærogativam non à Chriſto profectam aſſerit. *Hieroſolymitanam*, quam ſalutis noſtræ officinam appellare poſſimus, ſi quis præferendam dicat, cui frater Domini magnus præfuerit Apoſtolus Jacobus: particularem illam & temporariam fuiſſe dignitatem. Petrum autem dum Vicarium ſumſerit Chriſtus, illi loco ſummi Epiſcopatus dignitatem conceſſam, quam Petrus ipſe ſuo ſangvine conſecraret. Idque univerſalis Eccleſiæ conſenſu approbatum. *Rom. Eccleſia,* inquit, *à Domino & non ab alio caput omnium eſt conſtituta, quod Principis Apoſtolorum ac Doctoris gentium ſanguine dedicata eſt. Spirituale ſacrumq; regnum ibi fundatum, ubi terrenum ac prophanum usque ad ſummum crevit Imperium.*

Romanis deberi ſummum Epiſcopatum.

Dubium: *Et alias à majoribus dictas Apoſtolicas Eccleſias, quibus Apoſtoli præfuerint, uti Hieroſolymitanam, Antiochenam, Epheſinam, Patracenſem,* & alias, ſolvit: *Abſolute Apoſtolicam ſedem dici Romanam, ob Petri reverentiam.*

Cui aliud ſubjungit argumentum. Nullas alias Eccleſias, ſive Græcas, ſive A-

Digitized by Google

ſiaticas, ſive Syras, ſive Ægyptiacas primatum ſibi arrogare poſſe, *quod earum ſucceſſores Evangelium & veram doctrinam reliquerint*, ſola Romana fidem Chriſti integram & immaculatam ſervaverit, absque ulla hæreſi & erroribus.

In nullis aliis nationib9 poſſe ſummũ exiſtere Epiſcopum.

Cap. XCI. *Omnibus aliis in Europa regnis ac nationibus primatum omnem derogat Eccleſiæ.* Italicas, Gallicas, Hiſpanicas & Germanicas primatum ſibi vindicare poſſe negat. Ratio: *Quod Apoſtolorum nullus ad illos venerit. Deinde, quod omnes illæ Eccleſiæ auctoritate Rom. ſedis ſint inſtituta. Ut propterea illi tanquam matri ac magiſtræ reverentiam ac obedientiam debeant.*

Germani olim Ro. ſedis impugnatores.

Quare invehitur in *pragmaticæ ſanctionis autores*, qui prorſus eminentiam primæ ſedis & auctoritatem explodant: Qui leges inter ſe ſtatuentes, Apoſtolicæ dignitati frenum ponant. Hæreſeos illos accuſat, quod aperta fronte & ore contumaci ajant, *nolle ſe Rom. Pontifici obedire.* Quod idem eſſe interpretatur, ac ſi dicerent, ſe non eſſe oves Chriſti ſed perditionis.

Gravioris dein peccati illos accuſat, qui non ſolum Rom. ſedi parere recuſent, ſed & plurima *jura*, quibus curia illa fovetur & alitur, *ſubtrahere* velint. *Qui præcipue illud cautum eſſe velint, ne quid auri ex Germania in Italiam deferatur.*

Facilem exceptionem: *Hoc non eſſe contundere ac perdere ſedem, ſed auferre illi delicias ac ſuperfluitates, quibus in profundum malorum mergatur ac penitus labaſcat ac intereat: Sanare hoc eſſe Rom. ſedem, non perdere:* Callidè ſolvit: *Pragmaticæ ſanctionis autores, dum negent annatas Curiæ Rom. & pecuniarios cenſus, velle Eccleſiam eſſe pauperem. Nam id utile putas*, addit. *Auferantur enim voluptates, & caſta remanebit Eccleſia.*

An Ro. ſedes ſuo patrimonio poſſit acquieſcere.

Cap. XCII. Aliam exceptionem Germanorum ſentit ac profert: *Satis habere Rom. Eccleſiam ex Patrimonio B. Petri & ex aliis regionibus.* Sed & ſtudioſe ſolvit: *Parum eſſe & incertum, quod ex patrimonio habetur.* Extenuat ergo reditus, quos ex Italia capiat illo tempore Papa. *Cuſtodia*, ait, *ſæpe plus requirit, quam ipſa conferant caſtra. Et multa bella imminent, multæ inſidiæ, multi raptores ſunt. Et Bononiam, quæ primum eſt membrum, nunc civilibus diſcordiis agitatam, nihil conferre videmus. Peruſinos vero tantum præbere, quantum volunt. Reliquos populos nutare omnes, ad res novas paratos. Vicarios Eccleſiæ cenſum tunc dare, cum placet.* Romæ quoque multas fuiſſe mutationes, ſubindicat. Martinum V. cum rediſſet Romam, vix aliquid poſſediſſe. Braccium cuncta occupaſſe. Sic male cum Rom. ſede actum iri, ſi reditibus Patrimonii gubernari debeat. Propterea *majores voluiſſe, ut Collegium Cardinalium non ex illis, ſed ex annatis ſumptus haberent.* Levem poſthæc addit excuſationem: *Si reditus patrimonii ſufficerent, Italiam dicturam: Cum ſedes Apoſtolica mater omnium ſit, cur nos Itali tantummodo illam nutrimus. Mater quidem, ut omnibus filiis lac præbuit, ita ab omnibus juvanda eſt.*

Unde ſumptus Cardinalium petendi?

Addit ſolutionem novi dubii: *Solos Italos Eccleſiam regere.* Negat. Curiales ex omni gente adeſſe affirmat. Et in ipſa quidem ſede ex omni natione ſediſſe. Et tunc præſidentem, Calixtum III. non Romanum aut Italum ſed Hiſpanum eſſe. *Conſtare*, addit, *ſedem, cum extra Italiam fuit, non tam benignam fuiſſe Italis, quæ Romæ exiſtens læta ſit omnibus.*

Sumptus Curiæ Ro.

Cap. XCIII. *Sumtus Papæ & Cardinalium*, de quibus conquerantur Germani, Annatas denegantes, copioſe & artificioſe, ut omnia, excuſat. Pingit primum, fictâ manu Germani: *Quid opus eſt tot ſumtibus? Neque tot equos, neque tot longiſſimas veſtes, neque tot famulorum longum ordinem requiri. Sat fuerit in Palatio Papam eſſe cum paucis miniſtris, Cardinales cum paucioribus vitam ſobriam, caſtamque ducere. Pluris eos pauperes & bonos verebitur mundus, quam divites & malos. Pompas eorum omnes odere, malas artes & pinguia convivia cuncti deteſtantur.* Salſe primum reſpondet, quaſi velint hoc pacto Germani Rom. Præſulem eſſe pauperem, inopes Cardinales & totam curiam mendicare. Satis videri Germanis, ſi Rom. Præſul cum ſuis bene vivat. Dehinc argute hoc refutat. *Imperium absque opibus & ſplendore, eſſe inane ac imbecille.* Quod primo innuit, laudatis effatis vulgi, ut & Salomonis: *Sapientiam pauperum fumo viliorem eſſe: Si*

loqua-

loquatur pauper, omnes eum deridere; Si loquatur dives, eum omnium eſſe admirationi. Quare, ut rem expediat, diſtingvit inter vitam privatam & publicum munus. *Qui ſibi vivere velit, ſecuriſſimè paupertàtem eligere.* Cum divitiæ ſint ſpinæ, & expeditius iter ad vitam facilius exequatur pauper. *Sed qui præſint aliis, abundare oportere.* Rationem hujus petit à fine: *Quod præſes magna & præclara efficere teneatur. Hoc autem,* teſte Philoſopho, *impoſſibile, aut certe difficile eſſe, cui deſunt facultates.* Rationi jungit exempla *Sacerdotum Moſaicorum locupletiſſimorum.* Utpote quibus non ſolum decimæ, ſed & oppida & civitates fuerint aſſignatæ. Similiter & *Sacerdotes Ægyptios ditiſſimos* fuiſſe ex eo arguit, quod immunes fuiſſe dicantur ab omni cenſu. Sic & inter Perſas, *Magos, Sacerdotes opes habuiſſe florentes.* Ita & apud Græcos Romanoſque Sacerdotes excelluiſſe. Apud Gallos *Druidas* primo fere loco fuiſſe habitos & contentionum judices.

Imperantes ſint locupletes.

Subodoratur dubium: *Priores Eccleſiæ Rom. duces usque ad Conſtantini tempora, fuiſſe inopes & modico contentos, qui ſuæ plebi ſalubriter præfuerint.* Solvit, diſcernendo inter Eccleſiam preſſam, ac publica libertate fruentem. *Illo tempore parvas fuiſſe Chriſtianorum plebes, & occulte coluiſſe Chriſtum.* Conſtantino imperante, publice Chriſtianis Eccleſias eſſe conceſſas. Prius non ſolum clericos ſed & laicos fuiſſe pauperes. Ex inopibus Chriſtianæ religionis principium eſſe, & piſcatores exercitus Chriſtiani fuiſſe doctores. Reliquos divites bona ſua diſtribuiſſe. Sic tandem & *Apoſtolos fuiſſe ditiſſimos* argute demonſtrare laborat. Quippe dum ad illorum pedes omnia credentium bona ſint depoſita. *Sic in Apoſtolo fuiſſe poteſtatem ſummam regendi, & ad eos pertinuiſſe bonorum omnium diſpenſationem.*

Apoſtoli ditiſſimi num fuerint.

Convertit dein argumentum: Si Germani velint ad antiquam Eccleſiæ formam provocare, dum pauper ſacerdotium optet, eos debere & plebem cum eo pauperem velle, & in utroque ſtatu priſcos imitari mores, ne claudicare videantur. Indulget ergo utrisque & clero & populo divitias.

Ad probandam denique theſin, *qui regimini præſint illis paupertatem eſſe noxiam,* ſe omni arte componit. Argumentum autem petit à *defectu charatieris in judicio,* nec pauperem poſſe fieri judicem. *Quod ſi teſtimonium pauperis corruptum videri poteſt, non videmus,* inquit, *cur inopis judicis ſententia ſit integra.* Judicem autem eſſe omnem ſacerdotem, cui cura ſit commiſſa animarum.

Judices ſint divites.

Aliud argumentum à triſti effectu petit: *Si pauper fuerit ſacerdos, neceſſe eſt, ut præclara eum virtus retineat, multa faciat ab honeſtate aliena.* Quod *experientia* probat, dum ſacerdotes & fures & uſurarii, & mendaces & falſarii aliquando deprehendantur, quod plerumque paupertas cogat.

Sacerdotes cur debeant eſſe divites.

CAP. XCIV. A minoribus ſacerdotiis ad ſummum maximumque tranſit, cui divitias vindicat, idque fuſe adſtruit. Si quis dicat: *Pontificem Maximum poſſe eſſe pauperem, ſi ſit bonus:* id prorſus repudiat: Quin: *Pontificem Max. quamvis optimum, non officio ſuo ſatisfacere poſſe* pronunciat, *niſi facultatibus ſit præditus.*

Papæ opulentia defenſa.

Quo fine longo ambitu *Romani præſulis officium* deſcribit; *paſcere oves ubiq; exiſtentes.* Ut magnus ſacerdos curet, Evangelium omnibus prædicetur, errores omnes evitentur, ſchiſmata removeantur, bella ſopiantur, furta, rapinæ, incendia, homicidia, adulteria, ebrietates, crapulæ, contentiones, ſimultates, odia, rixæ, de medio tollantur, & pax & concordia vigeant. Rom. ſedem præterea debere eſſe veluti patrocinium orbis terræ, tutumque portum afflictorum, dulce refugium miſerorum, audire ac juvareque omnes. Quod Fabiani, Sixti, & Severini Pontificum illuſtrat teſtimoniis. Non ergo pauperem, ſed opulentum requiri Pontificem, hinc colligit.

Ad reſtitutionem Epiſcoporum exulum, & hæreticos vel ſchiſmaticos corrigendos, quod *brachium ſeculare ſit implorandum,* negat, quod melius ſit, Rom. præſul per ſe hoc agat, ſuis viribus fretus, non per alium. Cum *vir ſapiens melius ipſe agat, quam alteri committat.* Quod confirmat exemplis de-

Digitized by Google

negati auxilii, ſi Papa à ſecularibus Principibus quærat. Addit caſus, ſi ipſi Principes, Reges, Imperatores, ab Eccleſiæ regulis abeant, quis eos ſit in ordinem redacturus, niſi Papa brachio valeat & opibus. Commendat ergo Conſtantinum & ſecutos Cæſares, qui Eccleſiam ditaverint.

Objectionem: *Divitem* poſſe eſſe Pontificem, *non Archidivitem*, ſolvit: Ditiorem debere eſſe Archiepiſcopis, cum *ditior non ſit pariturus pauperi*: Imo & potentiorem Imperatore. Laudat Bernhardinum, qui dixerit: *Papatum ſe ſine imperio non optare, utrumque ſimul cupere.* Concludit ergo: *Illud nos tenemus, potentiam, opes, vireſque, multo melius in Apoſtolica ſede, quam in alio quovis ſeculari Throno exiſtere.* Rationem ſubjicit: Quod ſedes hæc tutrix ſit fidei, quæ nunquam erraverit aut erratura ſit, eo quod rogavit Dominus, ne deficeret fides Petri. Imperatores verò Reges ac Epiſcopos ſæpe in hæreſin eſſe prolapſos.

Imperator Eccleſiæ Papa. Cap. XCV. *Dignitatem Rom. Pontificis* magnifice extollit, qui ſit *velut Imperator Chriſtiani exercitus, & rex ſapiens, qui ſedens in ſolio ſuo diſſipet omne malum.* Hunc ætate maturum, literis eruditum, moribus ornatum *plerumque* aſſumi. *Cardinales* illi aſſiſtere, Græcos & Latinos, ad minimum *ſedecim*, viros excellentes, ex omni orbe delectos, quorum conſilio res arduas componat. His datum eſſe vacante ſede primum præſulem eligere.

Quod *jus ad eos ſupra quadringentis ferme annis pertinuerit: Cum ante Rom. clerus applaudente populo ſummum pontificem eligere conſueſſet: Poſtea vero Imperatoribus Germanis jus ordinandi Rom. ſedem tributum eſſet.* Hos Cardinales Apoſtolorum locum tenere, & ſenatorum urbis vicem implere, qui cauſas majores aduniant.

Cardinalium pompa defenſa. *Cardinalium* igitur *pompam* & ſplendorem proſequitur. Qui familiam alant, ex Epiſcopis, Abbatibus, viris nobilibus & doctoribus. *Non decet*, inquit, *eos qui tota dignitate præfulgent, veluti mendicos incedere.* His tribuit auditores, magiſtros aulæ, magiſtros domus, anteceſſores, ſcutiferos dictos, diſpenſatores, XL. famulos ſingulis, totidemque equos. His *alimenta deberi ex republica, cum reipublicæ ſerviant.*

Quam Cardinalium pompam munit ac defendit exemplo *Conſulum Germaniæ*, qui in ſuis urbibus ſplendide vivant, ut & *Italiæ*, quos *faſtu* ingenti notat. Si ergo *urbis* conſules fulgeant, orbis Cardinales *ſuperbiorem* merito referre *ſtatum.*

Exceptionem: *Quanto quis altius aſcendit, tanto humilius ſe gerere debere*, ſolvit: Hoc ad *animum* referendum eſſe, non ad *ornatum exteriorem*, qui dignitatem imitetur.

Cardinalium officia. *Cardinales* diſtribuit: Alios eſſe *Epiſcopos*, alios *Presbyteros*, alios *Diaconos.* Officia horum trium deſignat. *Pœnitentiarium* eſſe primum, qui conſcientias hominum expurget, & auditis peccatis, pro modo culpæ indulgentiam pœnitentibus elargiatur. Cui ſubſint *Pœnitentiarii minores* pauci, ſcriptores viginti & quinque, procuratores, & qui literas corrigant. Quod officium tunc temporis geſſerit *Cardinalis Firmianus.*

Alterum officium *Vice-Cancellariatus.* Cancellarii nomen declinat, præcipue, quod *Papa putetur Chriſti Cancellarius.* Urget tamen Cancellarii nomen olim Cardinali tributum Rolando, qui poſtea Papa factus Alexander III. Vice-Cancellario ſervire auditores, coram quibus cauſæ definiantur, raro infra duodecim. Cuilibet eorum quatuor aſſiſtere ſcribas, & advocatorum ordinem, viros doctos, qui diu in ſcholis publicis docuerint, qui teneantur publice prius diſputare, quam ad hunc ordinem adſpirent. Hos quoties publica conſiſtoria fiant, *ſi quid Cardinales vel auditores peccaverint in cauſis, palam edicere ipſique Papæ in faciem malefacta ſua exprobrare.* Illorum ſeniorem, *advocatum pauperum* appellari. Ad rotam, auditoriive publici locum refert denique procuratores, curſores, &c. Eſſe quoque in Cancellaria præſidentes, correctores, abbreviato-

viatores 25, ſcriptores centum. In regiſtro quoque magiſtros exſcriptores eſſe. Duos etiam *ignaros* adeſſe *literarum monachos barbatos*, quos *bullatores* appellent, qui ex manibus tum Papæ tum Vice-Cancellarii literas accipiant. Fuiſſe tunc Vice-Cancellarium *Rodericum Borgiam*, Calixti Pontificis nepotem, Cardinalem Diaconum, quem commendat, quamvis juvenili tunc ætate, moribus tamen & prudentia ſenilibus eſſe prædıtum.

Tertium officium eſſe *Camerariatum*. Cujus patrimonii Eccleſiæ curam gerere, & omnium urbis magiſtratuum inſpicere actus, & providere ne quid reſpublica detrimenti patiatur, armigeros Eccleſiæ intueri, belli cauſas avertere, paci conſulere, & qui nervi ſint Reipublicæ pecuniarum habere curam. Huic ſubeſſe *Vice-Cancellarium*, auditorem cameræ, procuratorem & advocatum fiſci, theſaurarium, depoſitarium. Sequi *Clericos cameræ*, qui rationibus præſint, & tabelliones, qui conſcribant obligationes & liberationes, tabelliones item equeſtres & pedeſtres. Fuiſſe tunc Camerarium *Ludovicum*, Cardinalem Presbyterum, qui apud Rhodum apoſtolicam tunc claſſem adverſus Turcos rexerit.

Poſt hos alios eſſe ſolius Papæ miniſtros, *Referendarios*, qui ſupplicationes egentium Papæ ſignandas offerant, *Secretarios*, qui dictent brevia ſeu epiſtolas piſcatoris annulo ſignandas, viros diſertos Latinæ & Græcæ lingvæ peritos. *Cubicularios*, eorumque duplicem ordinem, eorum alios penitiorem obſervare thalamum, alios conſiſtorii oſtium: *Capellanos*, *confeſſores*, & nobili loco natos *ſcutiferos*, qui menſæ ſerviant. *Protonotarios* ſeptem, qui de rebus gravioribus rogentur inſtrumenta facere, quamvis horum numerum in immenſum creviſſe conqueratur. *Subdiaconos*, *Accolitos*, *cantores*, *clericos ceremoniarum*, & inferiores miniſtros.

Cap. XCVI. *Splendorem* depingit *Rom. Pontificis miſſam celebrantis* aut ſacra audientis, *ſedere ſublimem in ſuo throno Papam, Cardinales à dextris ſedere, magnos prælatos à ſiniſtris, aſtare è regione Epiſcopos, & Abbates & Protonotarios; Suum eſſe locum oratoribus Regum, ſuum magnatibus, ſuum auditoribus, clericis cameræ, procuratoribus, ſubdiaconis, accolitis, cæteram multitudinem humi ſedere.* *Splendor Papæ Miſſam celebrantis.*

Inſpergit mox dubium: *Chriſtum veniſſe pauperem & humilem, quare & miniſtros Chriſti oportere eſſe humiles.* Solvit: Non id feciſſe Chriſtum, ut nos eſſemus pauperes, ſed ut eo modo nos redimeret. Si glorioſus veniſſet, eum non fuiſſe perpeſſurum tormenta crucis, nec nos à morte liberaturum. Sic illi *neceſſe fuiſſe ut pro nobis eſſet pauper aut pro ſalute noſtra.* Conſequentiam dein ſuperiorem porro invertit callide & argute, dummodo ſatis pie: *Nunc Romanos Præſules divites ac potentes eſſe pro ſalute noſtra.* Rationem addit: Quod purgari crimina extirparique nequeant, niſi potenti manu. Numerum ergo & ſapientiam miniſtrorum Papæ denuo attingit, ut probet, Papam non debere eſſe inopem. *Unde alantur tot magni viri ſine ſumptibus?* *Chriſti humilitas & Papæ fulgor comparantur.*

Cap. XCVII. Novum movet ſcrupulum: *Non opus eſſe tot viris.* Reſpondet, *omnino opus eſſe ad judicandum mundum.* Papam enim, etſi doctum & ſapientem, non tamen tam ſuo cerebro ſapere, quam conſilio aſſiſtentium. Qui deciperetur ſæpe numero, niſi ſtipatus eſſet viris ſapientibus & expertis. Nec crimina poſſe aboleri niſi potenti manu. *Multi ſint Cardinales & miniſtri Papæ.*

Dubium, *De aliena ope petenda*, ſolvit: Non eſſe tutum. Cum ſæpe is ſit malus, cujus auxilium eſſet petendum. Potentem ergo oportere eſſe Eccleſiam, ut ipſa tueri gregem poſſet. Opulentiam proinde Rom. ſedis neceſſariam vindicare iterum ſtudet exemplis ſacerdotum opulentiſſimorum inter Judæos & gentiles. Quorum aliqui fuerint reges, qui ſacra & civilia ſimul gubernaverint.

Dubium, *primos Chriſtianos bona ſua vendidiſſe*, ſolvit, *Apoſtolos* tamen factos

Digitized by Google

ctos diſtributores bonorum, adeoque *Dominos.* *Conſtantini* dein munificentiam celebrat, qui Rom. ſedem ditaverit. *Carolum* item *Magnum*, nec non Patrem *Pipinum* & filium *Ludovicum*, Eccleſiæ multa donaſſe. Idem præſtitiſſe *Ottones, Henricum II. Imperatorem* Bambergenſem Eccleſiam fundaſſe & ditaſſe. *Comitiſſam Mahtildem* paternam hæreditatem ampliſſimam B. Petro tradidiſſe. Sylveſtrum dona Imperatoria accepiſſe. Damaſum, Stephanum, Leonem, Adrianum, Gregorium, in poſſeſſione tot bonorum manſiſſe.

Poſſeſſio opum ſubtiliter diſtincta. Nova dein & ſubtili diſtinctione viam elabendi quærit. Poſſeſſionem *bonorum* vel eſſe ut *propriorum*, vel ut *communium.* Sic poſſe propria bona contemni, communia tamen ampliſſima poſſideri. Sic Pontificem poſſidere totius Eccleſiæ bona, non ut propria, ſed ut communia, quorum ſit diſpenſator legitimus. Exempla allegat eorum, qui bona prius ſua omnia vendiderint, poſtea ad Epiſcopatus evecti publicas opes ampliſſimas non repudiaverint, ſed cupide acceperint & poſſederint, imo acceptis aliorum magnis opibus ac hæreditatibus locupletaverint. Commendat *Bernhardini* effatum: *Ego neque Epiſcopatum neque Cardinalatum cupio; At neque ſummum Epiſcopatum, niſi fortasſis imperium ſimul orbis cum Papatu conſequi poſſem. Tunc enim poſſem Reip. Chriſtianæ optimè conſulere, leges ſtatuens bonas, & legum obſervantiam inducens. At Papatus ſine imperio nil niſi moleſtia fuerit: Cum male viventes vellem quidem ſed non poſſem coërcere.* Aſperitatem dicti mitigat Æneas, quod vir ſanctus *jocabundus* hoc dixerit, qui feſtivus & urbanus homo fuerit, ſed in joco veritatem non prætermiſerit, altisque ſenſibus ſit uſus.

Non excuſat Papam, ſi *opibus Eccleſiæ male utatur*, vel inter conſangvineos Chriſti hæreditatem diſtribuendo, vel voluptatibus & deliciis illa conſumendo. Quod ſi tale quid ageret Pontifex, maximi Dei judicium expectandum eſſe, qui aut Papam de medio tollat, vel alio modo provideat.

Cap. XCVIII. Omnes *voluptates* à Papa declinat, & ſeriis negotiis eum continuo occupatum memorat; qui divinis interſit, legationes Principum audiat, &c.

Cap. XCIX. *Cardinalium pompam*, non omnium, ſed quorundam, excuſat *communi collegiorum fato*, quorum nullum ſit omnino mundum, cum & inter Apoſtolos deprehenſus Judas.

Ornatus curiæ Ro. illuſtratus. Exceptionem: *In ſancto quid faciat aurum, quid mulæ gemmis & oſtro tectæ, miniſtri ſerico veſtiti?* Diſſolvit, modeſtiam quidem ſervandam omnino, aſſerens, interim dignitatem ſuo honore non eſſe ſpoliandam. *Si magiſtratus ſecularis ſuo utatur fulgore, non eſſe Chriſtum ſuo decore privandum.* Chriſti honorem eſſe, ſi miniſtri ejus afficiantur honore. Gaudere Chriſtum, ſuos miniſtros honore fulgentes intuentem. Exemplum repetit à *Sacerdotibus Judæorum ornatis.* Aliam rationem à *judicio vulgi* petit, qui contemturus eſſet hos Chriſti miniſtros, ſi coram altari ſplendide, dein ſordide eſſent veſtiti. *Decet, qui Reipublicæ præſunt, ut dignitate anteſtant, ita etiam & veſtibus & ornatu & comitatu præcedere populum.* Reprehendit Julianum Apoſtatam, qui, cum imperium ſuſcepiſſet, pompam omnem faſtumque è palatio ſummoverit. *Quà in re*, antiquorum judicio, *Socratis Philoſophi, non Imperatoris opus peregerit.* Cujus ſententiæ occaſione diſtingvit inter opus ſummi præſulis, & Cardinalium, & religioſorum.

Novum denique argumentum petit pro Papæ opibus & ſplendore ab exemplis Monachorum Benedicti, Bernhardi, Ciſtercienſium & Carthuſienſium, qui communiter magnas opes poſſideant, caſtella item & oppida obtineant, & nihilominus ſancti habeantur. Majori ergo jure ſummo Pontifici magnas competere opes.

Cap: C. Sanctionis pragmaticæ autores exagitat, qui conſtitutionis ſuæ confirmationem à Papa expetere abſurde ſtatuerint, vel ſi non eſſet confirmaturus

turus pro ſua autoritate arroganter ſint roboraturi, &, ſi Papa fulminibus ſit impediturus, ad futurum concilium appellare decreverint, quas appellationum formulas ſua quæque provincia & diœceſis habere teneatur. Retundere ſe putat optime has machinas vindiciis autoritatis ac ſummæ poteſtatis Pontificiæ. *Germanos ex Rom. ſedis pendere judicio, non illam ad Germanorum poſſe redigi voluntatem.* Addit Johannis Papæ effatum: *Si Imperator Catholicus eſt, filius eſt, non præſul Eccleſiæ.* Simile glorioſum oraculum repetit ex geſtis Bonifacii, *Papam cunctos judicaturum, à nemine judicandum, niſi à fide deprehendatur devius.* Laudat & Stephani Papæ decretum: *Quicquid Rom. Eccleſia ſtatuit, quicquid ordinat, perpetuo irrefragabiliter obſervandum eſt.* Ex hoc credito dominio colligit, temerarios eſſe Germanos, qui leges Pragmaticæ ſanctionis ſibi condant invito ſuperiore, Papa. Superiorem autem non agnoſcere Papam, eſſe hæreſin. *Fidem enim hanc rectam eſſe, Rom. ſedis primatum credere, & quod illa de Deo ſentit, tenere.* In Conſtantienſi Concilio definitum eſſe: Errorem eſſe, *Eccleſiam non habere primatum*, damnando illam Huſſi & Hieronymi Pragenſis ſententiam.

Germanorum conſilii, de ſua Sanctione Pragmatica per Papam confirmanda, rejectum.

Cap. CI. *Appellationes Germanorum ad Concilium* ſimpliciter irridet. A Papa, utpote principe, domino, neminem poſſe appellare. Quod domeſticis quorundam Pontificum *teſtimoniis* probare conatur, Aurelii, Gelaſii, Innocentii, Simmachi. *Rationem* à pari repetit. *Leges civiles neque à principe ſeculari admittere appellationem.* Quanto minus ab Eccleſiaſtico Principe.

Appellatio Germanorum a Papa ad Concilium repudiata.

Ex quo arroganter prorumpit in comparationem Papæ & Imperatoris: *Si Papa*, inquit, *ſimul & Imperator conferantur, quantum inter ſolem & lunam intereſt, tantum eos differre dicemus, & Papam ſoli, Imperatorem lunæ aſſimilabimus.*

Alium rationem quærit in *natura appellationis.* Appellationem ab inferiore ad ſuperiorem deferri: Papam autem eſſe priorem & majorem omnibus: Quare ab eo non poſſe provocari.

Exceptionem, *Concilium eſſe majus Papa*, negat, idque ex Gelaſio ſe oſtenſurum autumat, qui à ſynodo ad Papam appellatum fuiſſe affirmet. Unde Concilio majorem eſſe Papam conſtet. Ita & Simmachum excluſiſſe Concilium hoc effato: *Aliorum cauſas Deum voluiſſe per homines terminare, ſed ſedis Rom. præſulem ſuo, ſine quæſtione, reſervaſſe arbitrio. Quare ſi quid ſit, quod gravius ille agat, non eſſe recalcitrandum, ſed ferendum.* Si quis ergo à Papa prematur, *ferendum* eſſe, repetit.

Concilium an ſit majus Papa?

Ad querelam, *de injuſto per Papam impoſito onere*, reſpondet, *Juſtam potius aut promeritam eſſe paſſionem aut pœnam, quam Papa juſte infligat. Tu dicis, male agit in me Papa, & ille te male agere, ait. Cui credamus? Privato, an Principi majori an minori? Quis non putet apud majorem eſſe veritatem?*

Apud majores major veritas.

Ad exceptionem: *ſuperiori competere judicium*, reſpondet, *Superiorem Papæ Deum eſſe, qui ſuo tempore ſit judicaturus.*

Scrupulum, *Fortaſſis Papam non metuere Deum*, eximit, *Non eſſe putandum illos inquiſitoris non habere formidinem, qui ſub ſolius Dei ſint judicio & examine. Judicabitur*, inquit, *ne time, Rom. Pontifex.*

Dubium & querelam, *Durum eſſe id judicium expectare*, componit: *Duriorem eſſe illam querelam. Cum Deus omni hora poſſit judicare Pontificem.*

Exaggerat poſthæc incommoda oritura ex appellatione à Papa ad Concilium permiſſa. Quaſi hoc ſit ſceleribus omnibus dare locum, ſi Papæ non relinquatur ſummum judicium. Oportere enim litis aliquem eſſe terminum, apud Judicem nempe ſupremum, à quo non liceat appellare. Ab inferiori Magiſtratu permiſſam eſſe appellationem, ne graſſentur judices in pauperes homines: Sed à Principe non ſupereſſe provocationem: Cum *majeſtas ſuperior non ſit tam prona ad injuriam quam inferior.*

Cap. CII. Scrupulum ultimum: *Papam omnino aliquando eſſe injurium*, mol-

Ex duobus malis minus eligendum.

Appellatio ad Concilium damnata.

liſſime eximere laborat. *Dum ſumus in hac vita mortali, non eſt poſſibile, humanis legibus cuncta tolli pericula, & omnia mala è medio hominum propulſari. Ideo legumlatores, dum duo mala imminere concernunt, & alterum poſſe lege vitari, alterum omnino ferendum eſſe vident, id lege auferunt quod pernicioſius animadvertunt.* Quam politiæ regulam antequam applicet, prius illuſtrat exemplo lupanaris. *Publica lupanaria in civitatibus conſtituta videmus, ne juventus libidinis impatiens legitimas matrimoniorum faces irrumpens adulteriis cuncta permiſceat aut virginibus vim inferat, licet fornicatio prohibita ſit.* Applicat hæc ad duo mala Eccleſiaſtica, *injuriam à Papa aliquibus illatam, & provocationem à Papa ad Concilium. Majores, quamvis Rom. Pontificem aliquando poſſe eſſe injurium non dubitarent, non tamen appellandum ab eo, ſanxiſſe.* Rationem addit: Quod injuriam ab illa ſede rariſſime venturam arbitrati ſint Majores. Privatos homines, ſi ſit liberum, in quavis cauſa appellaturos. Ut nunquam litium videatur futurus finis. *Injuriæ* igitur *tolerantiam* præfert Æneas appellationi. *Si omnino aliquid injuſte tolerandum eſt, tutius Reipublicæ eſt aliquem indigna pati, quam totam confundi rempublicam.*

Moguntinus Elector ad devotionem erga Ro. ſedem invitatus.

In Concluſione libri, c. CIII. hortatur Æneas Mejerum, qui ipſe unionem Eccleſiæ ſervet, Archi-Epiſcopum Moguntinum reliquosque Epiſcopos moneat, qui in devotione Romanæ ſedis maneant, qui beneficiis potius Rom. præſulem vincere debeant, quam rebellioni ſtudere. Caroli M. exemplum jactat, qui cum jugum Rom. ſedis excutere eſſet rogatus, retinuerit. *Servanda*, inquit, *eſt cum manſuetudine humilitas. Et licet vix ferendum ab illa ſede ſancta imponatur, jugum feramus & pia devotione toleremus.* Extollit ergo poſtremo magnis encomiis Rom. ſedem, petram, in qua fundata ſit Eccleſia, reginam, Magiſtram, caput Eccleſiarum, & refugium afflictorum. Humili ergo corde hanc dominam revereri jubet. Alioquin cum matre afflicta lucturas filias. *Facile eſſe incipere bellum, finire arduum.*

Hæc eſt Æneæ Sylvii Cardinalis, quam novo Germanorum pro Reformatione ſtudio oppoſuit machinam. Argutum hoc *Itali* ingenium in debellandis Germanorum deſideriis, qui poſt Conſtantienſe ac Baſileenſe novum expetiverant Concilium Generale, juxta decretum Concilii Conſtantienſis, ſingulis decenniis novum generale concilium eſſe congregandum, ad reformandam melius Eccleſiam.

Senſit Germania hos aculeos æneos. Maxime cum mox Æneas hic æneus ipſam auream conſcenderet ſedem Pontificalem, *Pii II.* præfulgido charactere inſignis, armaque ferrea & fulmina dira Pontificalia capeſſeret contra Germanos, nequicquam pro ſua, ut ajebant, libertate machinaturos.

Operi Sylviano ſero reſponſum.

Neque adeo ad hoc a Cardinale confectum & Germaniæ objectum argutum opus publice tunc reſponſum. Donec ſub *Imperatore Maximiliano*, poſt 50 annos, A. 1515. *VVimphelingius*, Germanus, Theologus grandævus, Cæſaris Maximiliani nutum ſecutus, publico nomine reſponderet. Cujus pro Germania *Apologiæ VVimphelingianæ* argumentum infra ſuo dabimus loco.

Digitized by Google

Caput XV.

De repetitis Germanorum Principum deſideriis, *qui* Concilium univerſale novum *& in eo* Eccleſiaſtici regiminis emendationem *poſcerent, A.* 1461.

Superiores *querelæ Principum Germanorum* ſub Pio II. in thronum Papalem evecto vehementer auctæ, tantum abeſt, Æneæ, adhuc Cardinalis, conſiliis atque literis fuerint ſopitæ aut extinctæ; Defuncto quippe Theodorico, *Electore Moguntino*, ſucceſſor *Diatherus*, *Elector Moguntinus*, juxta anteceſſoris & Principum Germaniæ ſanctiones, *Annatas Ro. curiæ denegavit.* *Elector Moguntinus, Annatas denegavit Romanis.*

Quæ res Pii II. animum tantopere exacerbavit, ut hunc *Electorem* dignitate omni exueret, ac excommunicationis fulminibus feriret, ſubſtituto *Adolpho Naſſovio.* *Excommunicatus ideo.*

Hinc ortæ graviores ac *acerbiores Principum querelæ*, quæ tum in cruenta erumperent bella, tum in *Concilii univerſalis deſiderium publicum* abirent.

Neque chartis interea parſum eſt utrinque. Quoniam de Papæ jure certatum ex utraque parte acriter. Quod vel res *Gregorii ab Heimburg*, ab *autore Paralipomenων Abbatis Ursberg.* à *Goldaſto, Hottingero* & aliis deſcriptæ, abunde teſtantur.

Quanquam verò iſtis bellis tandem imponeretur finis, *deſiderium* tamen *Concilii univerſalis inter Germanos* non expiravit, ſed crevit indies. *Novū apud Germanos Concilii deſideriū.*

Caput XVI.

De reſtitutis publice Regulis Cancellariæ Rom. *de quibus reformandis tanto cum apparatu & tam longo tempore ex voto Gerſonis in Concilio Conſt. ac Baſileenſi inter Germanos erat actum. A.* 1484.

Ex quo æs in aurum tranſiit, Æneâ Pontifice Pio creato, A. 1458. nullumque de univerſali Concilio verbum amplius Romæ admiſſum, neq; Reformationi Conſtantienſi locus ullus relictus: *Cancellariæ regulæ*, de quibus ultra quinquaginta annos, maximo animi & affectuum motu diſputaverat totus orbis Chriſtianus in Concilio Conſtantienſi ac Baſileenſi, utroque Generali, pluribusque Nationalibus, in Gallia & Germania, omni ſepoſito metu, priſtinam iterum libertatem, à *Bonifacio IX. Alexandro V. & Johanne* XXIII. partam, plene obtinuerunt.

Certe haud longe ab hoc *Pio* II. cum *Innocentius* IIX, *A.* 1484. d. 30. *Auguſti* in Papalem ſedem eſſet evectus, quæ pro more ſtatim à *Nicolao de Caſtello* erant factæ *hujus Pontificis Regulæ Cancellariæ*, & à *Roderico Epiſcopo Portuenſi, Ro. Eccleſiæ Vice-Cancellario* d. 23. Sept. in Cancellaria Apoſtolica publicatæ, typis publicis quoque extempore *Regulæ Cancellariæ Rom.*

 ſunt

Digitized by Google

typis primum excuſa. ſunt impreſſæ, univerſoque orbi absque omni formidine illo adhuc ſeculo expoſitæ, quæ univerſalibus Conciliis, & Præſidum majeſtate ac ſplendore, & tractationis ardore incomparabilibus, jam jam erant acerrime infeſtatæ. Ut illa tanto cum apparatu ac ſtudio inſtructa & tot annis continuata Concilia œcumenica fumo jam eſſent leviora facta & umbrâ fugaciora.

Editor IllusRomanus. Edidit autem illas *Regulas Cancellariæ* in Curia tunc Romana veteranus miles, *JCtus in Papali aula verſatisſimus*, qui à temporibus Pii II. quatuor Paparum, Pii II. Pauli II, Sixti IV & Innocentii IIX regimen ſuis viderat oculis, publicis in Romana urbe & curia officiis functus. Quippe qui de ſe ipſo memorat, ſe 27. annis volviſſe ac revolviſſe jus Canonicum & Civile. Quorum 22. praxin exercuerit in Ro. Curia, & quinque annis legerit vel docuerit in cathedra. Addidit hic ſub Innocentio IIX. curiæ Papalis miniſter, *Gloſſator Regularum Cancellariæ Rom. primus.* Ictus peracutus, ſuæ huic Regularum Cancellariæ editioni *notas* aut *Commentarium* haud exiguum. Quia nomen operi non adjectum, *Baptiſta Platina* ab aliis pro editore ac Gloſſatore habitus. Quo nomine ſæpius illas notas allegat *Johannes Lydius in Analectis in Clemangii librum de Corrupto Eccleſiæ ſtatu*, *p.* 11. Qui & *Pariſiis* A. 1529. apud *Jean Petit* has Innocentii IIX regulas Cancellariæ cum laudata Gloſſa editas obſervat. Quæ poſterior editio in noſtras non incidit manus, ſed prior & antiquior illa. Neque verò nobis fit veroſimile, Platinam Gloſſarum harum autorem extitiſſe, cum Platinam obiiſſe memorent A. 1481, ſcriptæ autem hæ & regulæ & notæ A. 1484. Neque Platinam Juris Profeſſorem fuiſſe cauſarumque Patronum conſtat. Præterea hic Gloſſator *de Jubilæo*, de *futuro Concilio*, ſimilisque materiæ libros complures ſcripſit, inter Platinæ monumenta aliàs non relatos. Forte Gloſſator hic fuit *Alfonſus Sotto*, *Alfonſus Sotto.* quem *Quintilianus Mandoſius*, Ictus, Advocatus Romanus, in *Commentario in Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ Julii* III. *Venetiis A.*1554. impreſſo, in prooemio *antiquum* appellat *Regularum Cancellariæ Apoſtolicæ commentatorem*, quem & in illorum Commentatorum ordine *Ludovico Gomez* & *Guilielmo Caſſadoro* præmittit. *Petrus Rebuffus* in *Additionibus ad Regulas Cancellariæ* prorſus eum præteriiſſe videtur.

Ceterum hic *Gloſſator antiquus* & omnino primus, quisquis de- *doctus,* mum fuerit, Ictus in Curia tunc notiſſimus, qui omnem vitam in Curia tranſegerat, publicis muneribus defunctus, ut doctrina & *ingenuus.* ſcriptis illa ætate inclaruit, ita & candore & ſcribendi fandique ſinceritate inſignis fuerit.

Regularũ Cancellariæ Ro. finem eſſe auri ſtudium. Hic ſane in *Commentario* iſthoc non celat, quo de olim queſti erant cum *Gerſono* Galli in Concilio Conſtantienſi ac Baſileenſi unà cum Germanis; Nimirum, illas Pontificum Cancellariæ regulas artificioſe compoſitas eſſe ad venandum aurum. Conſtabit hoc ex ſtilo ejus non illepido, quem pauculis inde petitis exemplis deſignare fas erit.

Cum in Regularum Cancellariæ Proëmio dictum eſſet, Innocen-

centium Papam VIII. ſuorum anteceſſorum veſtigia in condendis his regulis ac reſervationibus determinandis ſequi: In Gloſſa quæſtionem primùm movet; Quando Pontifex ſit dicendus, an à tempore electionis, vel coronationis? Quo de fuſius ſe egiſſe notat *libro de Jubilæo*, Sixto Papæ inſcripto: Cujus à ſe ſcripti eum pœnitet, quod ab eo fruſtra quæſiverit, ut ſolveret 60. florenos, quos ipſi pro lectura (Profeſſione) ſua debuiſſet, quos nunquam ſolutos acceperit, adeoque laborem perdiderit & pecuniam. Porro, *quæ ante coronationem ſignet Papa*, digna judicat omnia, quæ poſtea ab eo reſcindantur. *Illud*, inquit, *quod tunc facit præ gaudio, non deberet valere, quia eſt quaſi extra mentem.*

Quando *officium Vice-Cancellarii in Ro. curia* denotavit, *juſtitiæ præſidere*, *Papam Cancellarium Chriſti* dici ait, *à cancello, cancellas, i. e. tollo, tollis, ſcilicet id, quod injuſte petitur, & non quod tollat bona Chriſti &c.* *Papa cur dictus Cancellarius Chriſti?*

Sub Regula octava candide pronunciat Gloſſator Romanus: *Multa conceduntur & ſtatuuntur cauſa extorquendi pecunias indirecte. Magna eſt liberalitas ſedis Apoſtolicæ: Quia dat plumbum & exigit aurum.* *Liberalitas ſedis Ro.*

Ad regulam 37. ſcribit inter alia: *Papa quotidie decipitur per ſuos Secretarios, & per ſuos Cardinales.*

Sub Regula 47. quæ agit de literis diſpenſationum ſuper aliquo gradu conſanguinitatis vel affinitatis, aut aliàs prohibito, ſcribit Noſter Romanus: *Agitur de exburſanda pecunia. Et ut facta curiæ non intelligantur ab omnibus, maxime extra curiam, ponuntur hæc verba:* Et similia. *Et audio, quod pœnitentiaria ſervet hanc regulam, ſed de Separatione neſcio. Et camera etiam deberet ſervare. Sed pro pecunia credo quod iſta clauſula non poneretur, nec quoad raptam nec quoad ſeparationem. Nam omnia venalia Romæ, ut ait Saluſtius.* Et paulo poſt iterum: *Ponitur iſta clauſula ad juſtificationem Eccleſiæ, & ad exburſandum pecunias.* *Regula de exburſanda pecunia.*

Ad regulam 48 ſcribit Gloſſator Romanus: *Aliqui* Doctores per placebo Domino *volunt tenere, quod poſſet Papa legitimare quoad temporalia & quoad ſucceſſiones. Sed Deus novit an hoc ſit verum.* Et deinde: *Agitur hic de exburſanda pecunia.* Item: *An Papa poſſit legitimare in terris Regum vel Imperatorum quoad temporalia, non eſt meum hic dicere.* Item: *Unum non omitto circa legitimationem: Quod etiam in terris Eccleſiæ Papa non poſſit ex ordinaria poteſtate legitimare filium Presbyteri, ut ſuccedat in patrimonialibus presbyteri. Quia fit præjudicium Eccleſiæ, cui ſunt bona clerici obligata pro mala adminiſtratione Eccleſiæ, quam geſſit. Si tamen ipſe (Papa) faceret, ex certa ſcientia, valeret in bona hora, Quia nullus poteſt dicere ipſi, cur ita facis.* *Doctores per placebo Domino.*

Sub regula 53. notat Gloſſator Romanus: *Credo, quod ſit facta regula, etiam à principio, ad extorquendas pecunias, tam pro officialibus, quam etiam pro aliis.* Quando fraudem contra regulam detexit, addit: *Miror de ſatrapis pecuniarum, quod non inveniant*

Digitized by Google

modum ad tollendas has fraudes. Et mox: *Agitur de exburſandis pecuniis.*

Studiorum juris Canonici gradus. Ad regulam 55. obſervat: *Quia in Studio* (Academia) *præſumitur quis doctus, ſi ſtuduerit per ſeptennium, maxime in jure Canonico, juſtum fuit, ne Eccleſia gravaretur ſervitio, & alii etiam combeneficiati, ut daretur in ſtudio ſeptennium, & in curia quinquennium, in qua poſſet quis bene inſtrui quoad malitias.*

Indulgentiarum quæſtores. Sub regula 56. quæ agit de Indulgentiis, ait Romanus Commentator: *Indulgentiæ ſunt odioſæ, propter quæſtores, qui non quærunt commodum animarum, ſed potius pecuniarum.*

Ad regulam 57: *A quolibet Pontifice petatur nova Indulgentia, etiam non facta mentione alterius indulgentiæ, conceſſæ ab alio Pontifice, vel ab aliis Pontificibus.*

Sub reg. 58. *Papa in his, quæ ſunt facti, quotidie poteſt decipi.*

Auri vis in ſacris. Sub reg. 59. De certo annorum, duorum aut trium intervallo, quamdiu indulgentiæ cathedralibus conceſſæ durare poſſint: *Camera*, inquit Gloſſator Romanus, *credo non ſervaret regulam. Daret hæc omnino in duplum, ſi eſſent pecuniæ.*

Ad reg. 63. *Camera, ut intellexi, tempore Sixti expedivit Bullas mediante oculo caligante. Cancellaria noluit hoc corrigere, quia tranſiverat per Cameram. Nam ex quo Papa appoſuit manus, ipſa Cancellaria ſe non poteſt intromittere. Sed in rei veritate non erraſſent Domini Cancellariæ, ſi vigore mandati papæ correxiſſent. Quia tunc ipſe Papa fecit, & non ipſi.*

Camera, Ro. mater pecuniarum. Ad reg. 66. *camera, quæ eſt mater pecuniarum, etiamſi eſſet frater de obſervantia S. Franciſci, per talem ſimplicem ſignaturam daret habitus mutationem & religionis tranſlationem.*

Sub reg. 69, quæ jubet executoriales vel ſequeſtra aut remiſſiones expedire ſub Bulla vel plumbo, Gloſſator obſervat, *hoc à Vice-Cancellario non obſervari.* Quare miratur, *Vice-Cancellarium poſſe derogare regulæ Pontificis: Cum inferior conſtitutionem ſuperioris tollere non poſſit.* Interrogaſſe ſe doctiſſimos viros, eosque in Cancellaria practicos, ait, qui reſpondere non potuerint. *Quare dixi*, pergit, *tranſeant ignorantes cum ignorantia ſua. Et in hoc poteſt*

Sylvus curiæ ignorantium. *tolerari derogatio illa per* CANCELLARIUM DE STYLO CURIÆ IGNORANTIUM. Addit: *Cognovi iſtum Vice-Cancellarium* (Rodericum Borgiam, ab Ænea Sylvio laudatum, ſupr. fol. 207.) *tempore trium Pontificum, & ſemper fecit hoc, & ſemper fuit iſta regula.*

Ubi titulus de poteſtate Vice-Cancellarii agere ſuaſit, *hic parce ſe dicturum* Gloſſator inquit Romanus, tum quod bullam creationis ejus non habeat, tum *quod metuat, ne vera dicendo diſpliceat.* Unam igitur ſolum quæſtionem movet: *An ſede vacante cum Papa jus Vice-Cancellarii expiraverit? Atqui*, inquit falſe, POSITI IN TITULO DE STYLO IGNORANTIUM *dicebant, quod ſede vacante poteſtas Vice-Cancellarii & aliorum & officia omnia curiæ expiraverint per obitum Papæ, excepto Camerario & Pœnitentiario. Sed ſalva determina-*

minatione omnium hoc aſſerentium, hoc dictum eſt falſiſſimum de jure.

Sub ultima Innocentii regula: *Fit hoc propter ſimplices ignorantes, ad cautelam, ut ſæpius dixi ſuperius. In ſententia de nihilo ſervit regula, niſi quod Papa oſtendat nimiam reverentiam, quam habet ad Cardinales. Pro nunc placeat Deo, ut ita fiat impoſterum, maxime quoad omnes etiam particulares. Et ita ſperandum eſt propter bonitatem ejus.*

Poſtremo de ſuſpenſis indulgentiis plenariis ex quavis cauſa, etiam expeditionis contra Turcos, à prædeceſſore conceſſis, ſcribit: *Poſſem aliqua juridica dicere, quæ forte generarent ſcandalum contra Apoſtolicam ſedem. Ideo nunc taceo. Licet enim poſſit imponere decimas contra Saracenos, ut volunt, & quod dari poſſit cruciata contra ſchiſmaticos & rebelles Eccleſiæ: Tamen hoc ego non nego, ſi id fieret: Sed aliqui utuntur in alios uſus &c. de quo ſatis dixi alibi. Et quia aliquo modo alitus ſum à ſede Apoſtolica, cum lacrymis tamen ſangvinis non debeo aliquid dicere contra eam.* Et paulo poſt de eadem regula indulgentias concernente: *Indirecte*, inquit, *videtur ſecunda pars facta* AD EXBURSANDAS PECUNIAS.

Indulgentiarum jus, uſus, ſcopus.

Hæc de Cancellariæ Apoſtolicæ regulis antiquus *Commentator Romanus, admodum ingenuus*, & morum Curiæ Ro. ſatis ſuperque peritus.

CAPUT XVII.

De Imperatoris Maximiliani ardentibus pro univerſali Reformatione Eccleſiaſtica votis A. 1510.

POſthæc MAXIMILIANUS IMPERATOR, ut in regno ita & conſiliis ſucceſſor ac æmulus Sigiſmundi & Friderici Cæſarum, idem ſaxum magno molimine cœpit volvere. Quam ardenter *Maximilianus Cæſar* ad communem Eccleſiæ Reformationem adſpiraverit, luculenter illa ætate teſtatus eſt *Johannes Faber Auguſtanus, Theologus ordinis Prædicatorum*, Cæſari à conſiliis ſacris, *in oratione funebri*, cum pientiſſimus ac literatiſſimus hic Imperator in oppido Wels Auſtriæ reconderetur, præſente Matthæo Cardinale, Archiepiſcopo Salzburgenſi, & aliis viris illuſtribus, A. 1518. d. 16. Jan. habita. *Nihil indoluit magis*, inquit, *Cæſar optimus, quam quod toties verba fuerint habita de neſcia qua* Chriſtianorum Reformatione, atque ad priſtinæ innocentiæ Chriſtianæ normam reductione, *cum tamen nullus unquam ſubſecutus fuerit effectus. Sciebat Cæſar, pluriesque replicabat, quod inanis ſit medela ac plane fruſtra apponatur cura pedibus, niſi capiti, brachiis ac cordi prius abunde fuerit proviſum. Unde* univerſalem ſemper deſideravit collapſorum morum reformationem. *Non quidem fictam, non verbis palliatam, cui nihil ſubſit operis, ſed ſinceram, ſed veram ac integram, quemadmodum & ſibi in Deum & Eccleſiam mens erat vera, integra atque ſincera.*

Joh. Faber Maximiliani conſiliari⁹ Eccleſiaſticus.

Maximiliano Imp. communem morū reformationem impenſe deſideravit.

Sane

Peutingerus Maximiliani Conſiliarius.

Cum *Peutingero* Auguſtano, Conſiliario ſuo, *Keiſersbergio*, *Wimphelingio*, aliisque Theologis doctiſſimis, frequentiſſime his de rebus diſſeruit, ſuaque impenſa Reformationis deſideria illis expoſuit. Memorabile eſt, quod laudatus *Joh. Faber*, in aula Cæſaris verſatus & ab eo in conſiliis ſacris adhibitus, pectorisque Cæſarei conſcius, Epiſcopus dein Viennenſis factus, in eadem oratione funebri commemorat de arcanis conſiliis Cæſaris in negotio Eccleſiæ, Peutingero detectis. *Ut non niſi vera dicamus*, inquit, *Chriſti legem ad amusſim ſciebat. Literas ſacras, quantum deceat principem, (acſi longis ſeculis diligentisſimam dediſſet operam) adeo novit, ut cum quovis homine etiam doctisſimo ac exercitatisſimo de his potuerit ſane conferre. Quid vel arcani vel myſterii in divinis literis comprehenſum, quod ipſum latuiſſet? Voluit Majeſtas ſua (dum adhuc viveret) neſcio quæ arcana, paucis aut nullis hactenus pandita, in lucem prodere, habita ſuper hoc nonnullorum doctisſimorum hominum conſilio: Inter quos & ille omnium literatorum ac literarum optimarum decus & gloria Conradus Peutinger, Auguſtanus, Juris Conſultus, Majeſtati ſuæ tum à conſilio atque arcanis, ex præcipuis erat. Adeo animus ille ſacri Cæſaris noſtri divinorum ſcatebat notitia, ut & ad alios effundere ſummo teneretur deſiderio.*

Maximiliani eruditio.

Arcana de Eccleſiaſtico ſtatu conſilia.

Non certe hæc Maximiliani Cæſaris *arcana ſacra* fuerint alia, quàm quæ ad diu animo volutam Eccleſiæ communem Reformationem collimarent, publicis quoque literis, ut deinde dicetur, haud obſcure ab eodem ſubindicata. Quod autem Maximilianus ſpei ac voti ſui non fuerit factus compos, excuſat idem Cæſaris in ſacris conſiliarius *Joh. Faber*, in eadem oratione funebri. Qui cum anhelantem Cæſarem & ad Reformationem enixe adſpirantem delineaſſet, addit: *At, quia vir ſanguinum viſus eſt eſſe, cum, quantumvis ex ſe vir pacis eſſet, tantus ſuo tempore, quo præfuit Imperio Ro. effuſus ſit ſanguis Chriſtianus, noluit forte Deus Max. ob id, ſicuti neque ab altero David, à Cæſare Maximiliano ſibi conſtrui templum: Sed cum Salomone id quo perficiatur ac plane in finem bonum deducatur, potentisſimo Regi Carolo, Cæſaris Nepoti ac filio, reſervatum eſt.*

Maximilianus non factus voti ſui compos, quoad reformationẽ ſtatus Eccleſiaſtici.

Gravamina Germanicæ Nationis decem, cum Remediis & Aviſamentis ad Cæſaream Majeſtatem, A. 1510. prodita, à *Goldaſto*, *Conſtitutionum Imperialium Tom. III. f.* 119. *ſeqq.* exhibita, ſive Wimphelingii, ſive alterius calamo delineata, prorſus ad tenorem Gravaminum, ante 50 annos ſub Friderico III. Anno 1457. à *Cancellario Mejero* exhibitorum, ſunt compoſita.

Antiqua Gravamina Germanorum repetita.

Sane *Jacobo Wimphelingio, Sleſtadienſi, Theologiæ Profeſſori, ſeni*, MAXIMILIANUS A. 1510. hoc dedit officii, qui quæ in Baſileenſi Concilio ad votum Conſtantienſis Concilii de Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformatione erant ſancita, ac poſtea *Pragmaticæ ſanctionis* nomine definita, ſuis illuſtraret monitis, ad Chriſtianum decorem tandem in Eccleſiam reducendum.

Wimphelingio datum à Cæſare negotium.

Obtemperavit *Wimphelingius*, ac *Cæſari Maximiliano* Pragmaticæ Sanctionis, ex Baſileenſi Concilio profectæ nervum, cum notis atque

atq; monitis devotiſſime exhibuit. Non ingratum lectori, Eccleſiaſticã hiſtoriam amanti & fata ſuperiora cognoſcendi avido, futurum, ſi hic & *Maximiliani Cæſaris mandatum* & *Wimphelingii obſequium* ipſis eorum dederimus verbis. Quæ tametſi & à *Goldaſto l. c. f.* 123. *ſeqq.* viſa literis conſervata, *mutilata* tamen illa, quod illorum cum his ex *primo Codice* hauſtis collatio oſtendet. Edidit autem hæc *Wimphelingiana* Sleſtadii A. 1520. *Jacobus Spiegel, Sleſtadienſis*, celebris Ictus, *Secretarius Regius Caroli V.* Wimphelingii Avunculus, ac inſcripſit Maximiliano à Bergis, Imperatoris Caroli V. oratori, hoc titulo: *Divo Maximiliano jubente Pragmaticæ ſanctionis medulla excerpta.*

Cæſaris autem Maximiliani mandatum hoc eſt:

Epiſtola Cæſaris Maximiliani ad Wimphelingium de Pragmatica ſanctione.

MAximilianus divina favente clementia, E. Romanorum Imperator ſemper Auguſtus &c. Honorabili, devoto, nobis dilecto, *Jacobo Wimphelingo Seleſtadienſi*, Sacræ Theologiæ profeſſori, familiari noſtro.

Honorabilis, devote, dilecte. Mittimus in præſentiarum ad te Secretarium noſtrum cum *Pragmatica ſanctione Regni Franciæ*, commiſimusque ei tibi noſtro nomine nonnulla referenda. Quæ cum *ex mente noſtra proficiſcantur*, cupiamusque omnino, interveniente opera & induſtria tua, in talibus nobis ſatisfieri; Ideo hortamur te, & per tuam in nos & ſacrum Romanum Imperium obſervantiam (quam opuſculis & lucubratiunculis tuis jam dudum habuimus compertam) requirimus, ut non modo *Secretario noſtro indubitatam adhibeas fidem*, ſed te eum in his, quem etiam non requiſitus à nobis præſtitiſti, exhibeas. Quare hoc tempore à te nihil nobis gratius fieri poterit. Cupimus autem dictum Secretarium noſtrum (quoniam ejus opera diutius carere non poſſumus) cum hoc voto noſtro à te expeditum, quamprimum ad nos remitti. Datum in oppido noſtro Imperiali *Uberlingen*, die XVIII. Menſis Septempris, Anno Domini M. D. X. Regni noſtri Romani XXV.

Per Regem.

Invictiſſimo D. noſtro Imp. Maximiliano *Jacobus VVimphelingius Seleſtadienſis* Humillimam Commendationem.

Reſponſio Wimphelingii ad Cæſarem.

VIctorioſiſſime Cæſar. Lecta Cæſareæ tuæ Majeſtatis Epiſtola, moxque accepta à Secretario inſtructione, totis ad id viribus me accinxi, ut id, *quod Cæſarea tua Majeſtas deſiderat* (quantum cum Deo & absque conſcientiæ vulnere fieri poteſt) efficiam. Ab ineunte enim ætate omnem operam meam Cæſareæ primum tuæ Majeſtati, deinde *Germanicæ nationis* & Sacri Romani Imperii *amplificationi* devovi atque dedicavi. Quamvis me voto & inſtituto longe imparem ſciam, & multi ſint in aula tua, qui hoc munus abſolutiſſime implere valeant, quibus major eſt eruditio, majorque rerum iſtarum communium experientia: Sunt & apud reliquos Principes & apud Senatus rerumpublicarum optimi & doctiſſimi viri, qui *Germaniam exornare, & ad pacem concordiamque univerſalis Eccleſiæ, atque ad totius cleri, ad Chriſtianam diſciplinam reducendi*, famam & gloriam, perſuadere poſſent. In qua re non modo tua Majeſtas, ſed & tui in Imperio præceſſores Carolus magnus, ejusque filius Ludovicus Pius, Othones, denique Cuonradi, Friderici, & Henrici, noviſſime autem SIGISMUNDUS; ſumma induſtria operam navarunt, impellente ipſos indubie zelo & charitate in Deum optimum Maximum & gratitudine in Chriſtum pro ipſius in humanum genus beneficiis, præcipue autem amariſſimæ paſſionis. Neque enim Chriſtus pauper pro nobis

Germanicæ nationis amantiſſimus Wimphelingius.

Reformatio Eccleſiæ deſiderata.

factus eſt, ut nos in omni rerum opulentia & luxu de ipſius patrimonio cupiditatem noſtram & ambitionem prodamus. Neque famem pertulit, ut nos ingurgitemur, neque labores, caſtimoniam & dira tormenta ſubiit, ut nos in otio, in laſcivia, inque omnibus deliciis & voluptatibus verſemur. Neque hi, quibus res ecclesiaſtica ſua debet incrementa, quantum ad ditionem temporalem attinet, huc reſpexiſſe videntur, ut in otio tantum clerici degerent, omnibus rebus ad vota fruentes, citra tamen laborem. Alia certe cauſa fuit, cur illi, ſeque ſuosque nonnunquam ſpoliantes, eccleſiam ditandam cenſuerint. Nimirum, ut commodius divinis officiis vacare poſſent, absque ſollicitudine defuturi victus, quem ex agris, nemoribus, pratis ac aquis facile colligere liceret: Et ut pauperibus Chriſti, viduis, orphanis & ſenibus, quos robur corporis prorſus deſtituit, ac ægrotantibus eleemoſynam liberalius impertirent. Sic etiam *in inſtitutionibus canonicæ profeſſionis*, quas auſpicio Imperatoris Ludovici Pii conſcriptas putamus, ab Epiſcoporum concilio comprobatas, ſic inquam legitur: *Res eccleſiæ* (ſicut à ſanctis patribus traditur, & in ſuperioribus capitulis continetur) *vota ſunt fidelium, pretia peccatorum & patrimonia pauperum.* Fideles namque fidei ardore & Chriſti amore ſuccenſi, ob animarum ſuarum remedium, & cœleſtis patriæ deſiderium, ſuis propriis facultatibus ſanctam locupletem fecerunt eccleſiam, ut iis & milites Chriſti alerentur, eccleſiæ exornarentur, pauperes recrearentur & captivi pro temporum opportunitate redimerentur. Quapropter vigilanti ac ſolerti cura providendum eſt his, qui ejus facultates adminiſtrant, ne eos in ſuos ſolummodo uſus convertant, ſed magis (juxta poſſibilitatem rerum) Chriſto famulantium, imo eorum, in quibus Chriſtus paſcitur & veſtitur, curam gerere penitus non negligant. Subſcribit huic ſententiæ *Proſper*, aſſerens, *viros ſanctos res eccleſiæ non vendicaſſe in uſus ſuos, ut proprias, ſed ut commodatas pauperibus diviſiſſe.* Nam *hoc eſſe poſſidendo contemnere, non ſibi, ſed aliis poſſidere*, nec habendi cupiditate eccleſiæ facultates ambire, ſed eas pietate ſubveniendi ſuſcipere. *Quod habet*, inquit, *Eccleſia, cum omnibus nihil habentibus habet commune, nec aliquid inde eis, qui ſibi de ſuo ſufficiunt, erogare debet, quando nihil aliud eſt habentibus dare, quam perdere.* Hactenus aliena retulimus. Proinde cum omnes, Chriſti religionem profeſſos, eidem ſervatori noſtro gratos eſſe expediat, magis tamen id peculiares ejus miniſtros, hoc eſt, *ſacerdotes*, ſacris initiatos, & de liberalitate tanta Imperatorum & procerum, cæterorumque fidelium, affatim proviſos, ut ab aratro & manuum laboribus alieni ſimus, tantorum beneficiorum decet meminiſſe. Quo noſtra vita populo bilem non moveat, nec ad oblocutionem & odium præbeat anſam: Sed ut ædificentur laici, amicitia mutua floreat, offendicula & ſentes evellantur, Reverendi antiſtites, cum ſuo clero pietati dedito, ſint in ſua veneratione, & in ipſum quoque ſummum Pont. Sacroſanctamque Rom. Eccleſiam univerſorum filialis affectus, & in ſpiritualibus obedientia, fulciatur. Quapropter, Sereniſſime Cæſar, celſitudini tuæ, quæ tam honeſto & *ſancto negotio* chriſtianiſſime afficitur, non potui non morem gerere, collectis tumultuarie nonnullis, quæ dedita opera & apud diverſas Eccleſias & in conventibus præſtantium virorum, partim *vidi*, partim ex fide dignis *audivi.* Quæ mihi, ſi *tollantur*, *ad Germaniæ commodum*, & ad *divini cultus amplificationem*, *plurimum conducere* videntur. Et eo ad id abſolvendum tuæque Majeſtati in omnibus obſequendum promtior fui, primum, quod Nepotem meum *Jacobum Spiegel*, tuæ Majeſtatis Secretarium, ex labore meo majorem tuam in ſe benignitatem aſſecuturum confiſus ſum: Deinde, quod ſub Imperio Rom. natus & alitus, merito, uti natura ſubditus, tuæ inſervio voluntati: Poſtremo, ut hac opera, patriam meam, Majeſtatis tuæ patrocinio commendatiorem facerem. *Seleſtadium* enim natale mihi oppidum omnibus terris charius, in Alſatiæ meditullio ſitum, provinciis Auſtriacæ ditionis parvo ſane intervallo cingitur. Quantum enim Briſages abſunt? Sungavii?

Clericos otium & luxus non decent.

Res Eccleſiæ.

Curatores bonorum Eccleſiaſticorum ſint fidi.

Sacerdotum obligatio.

Maximilianus reformandi cleri cupidus.

Digitized by Google

vii? Quantum vallis Albertica, in Vogeſo? Ut de minutioribus locis taceam. Si igitur Seleſtadium vel à Gallis vel ab aliis hoſtibus (quod abſit) premi contingat, quis illi melius ſubvenire poſſit quam Princeps Auſtriacus? Siquidem *vicinus vicino Deus eſt.* Et ſolet nonnunquam *ingentis eſſe beneficii cauſa, pauperum obſequium in tempore exhibitum.* Ex Argentorato, Calend. Novemb. MDX.

Epitome in Procœmium pragmaticæ ſanctionis.

PROOEMIUM.

IN procœmio *pragmaticæ ſanctionis* narratur, quod ab exordio naſcentis Eccleſiæ, Reges Franciæ, prælati & proceres, in regno & Delphinatu crexerint & dotaverint Eccleſias, cœnobia, & alia loca ſacra, ad gloriam Dei & ad augmentum divini cultus. *Eccleſiæ in Gallia ſancte fundata.*

Item, quod inſtituerint in illis locis miniſtros idoneos ad propagandam fidem, ad bonos mores & exempla virtutum.

Item, quod à ſanctis patribus conditi ſint canones pro felici regimine ſtatus Eccleſiaſtici.

Item, quod, quamdiu canones illi obſervati fuerunt, floruerit in Eccleſia Dei honeſtas, diſciplina, religio, pietas, & pax.

Additio ad pragmaticæ procœmium.

SImilia narrare poſſet Cæſ. tua Majeſtas, quomodo *Eccleſiæ Cathedrales & Collegiatæ in Germania* erectæ, & ampliſſimis poſſeſſionibus dotatæ ſint à Rom. Imperatoribus, ab illuſtriſſimis Ducibus, cæteris Principibus. Sicut in *Lupoldo*, de *Zelo & fervore veterum principum Germanorum*, clariſſime reperitur. Et certo conſtat, multas Eccleſias à *Carolo Magno* & *Henrico Cæſare* erectas & dotatas. *Spirenſem* à ducibus Sveviæ & Auſtriæ locupletatam &c. *Argentinenſem* à Dagoberto Rege Auſtraſiæ exaltatam: Sicque de aliis Eccleſiis & cœnobiis *Germanicæ nationis* in Auſtria, Saxonia, utraque Burgundia, cæteriſque Germanorum principum regionibus erectis atque dotatis. *Eccleſiæ in Germania religioſe fundata.*

Conſequenter exordium pragmaticæ narrat, quod ex *ambitione* & *avaritia* (quæ patrum decreta contemnit) ſubſecutæ ſint: *Ambitionis & avaritiæ in Clero damna.*

Morum corruptiones atque deformationes,
Status Eccleſiaſtici dehoneſtationes,
Uſurpationes graviſſimæ.

Præſertim hæc fieri per *Prælaturarum & dignitatum, aliorumq; beneficiorum Eccleſiaſticorum reſervationes, & per gratiarum* ad vacatura beneficia *expectativarum*, à jure valde exorbitantium, *multiplicationes*, & per innumerabiles *conceſſiones*, graviſſimaque & *importabilia onera*, quibus Eccleſiæ & perſonæ Eccleſiaſticæ regni afflictæ, oppreſſæ, & quaſi ad internecionem redactæ his diebus conſpiciuntur. Nam Eccleſiarum & beneficiorum *pecunias indigni exterique occupant.* *Reſervationes Papales taxata. Onera Eccleſiæ notata.*

Majores *dignitates* opulentioraque *beneficia*, *perſonis conferuntur incognitis & non probatis.* *Officia ſacra indignis collata.*

Pauci in Eccleſiis reſident. Quia cum ſint plurales, ubique reſidere & præſentias deſervire non poſſunt, vultuſque commiſſi ſibi gregis non agnoſcunt.

Animarum cura neglecta, temporalia lucra ſolummodo quæruntur.

Chriſti cultus diminuitur,	*Animarum cura negligitur,*
Subtrahitur hoſpitalitas,	*Eccleſiarum jura depereunt,*
Ruunt ædificia,	*Populi devotio attenuatur.*

Clerici regni noſtri ſcientiis & virtutibus effulgentes, qui in ædificationem plebis noſtræ vacare poſſent, & qui pro Regiis & Eccleſiæ publicis conſiliis, forent opportuni, divinarum humanarumque ſcientiarum *ſtudia deſerunt*, propter promotionis ad beneficia ſpem eis ablatam. *Studiorũ neglectus ob præmiorum defectum.*

Digitized by Google

Votum alienæ mortis oritur.

Corruptiſſimus olim ſtatus Eccleſiaſticus in Gallia.

Lites infinitæ, contentiones & rixæ, rancores & odia inter Chriſti miniſtros ſuſcitantur, nutriuntur, atque foventur.

Pluralitatis beneficiorum execrabilis ambitio fovetur.

Pauperes clerici cum rerum ſuarum diſcrimine per calumnioſos cavilloſosve *opprimuntur.*

Beneficia per litium anfractus injuſte ſæpius occupantur.

Beneficia inofficiata relinquuntur.

Beneficia Simoniace acquiruntur.

Juvenibus bonæ indolis evagandi licentia præbetur, qui literis & virtutibus intendere deberent.

Prælatis & cæteris ordinariis collatoribus jus ſuum atq; miniſterium aufertur.

Ordo Eccleſiæ Hierarchicus confunditur. Plurima adverſus divina atq; humana jura in animarum perniciem, & Eccleſiarum regni noſtri oppreſſionem & conculcationem perpetrantur.

Sicq;

Regni opes exportatæ.

Jura coronæ noſtræ depereunt, atque *theſauri regni noſtri in externas regiones deportantur.*

Præmiſſa hæc *Carolus ſeptimus rex Francorum*, cæterique prælati eccleſiarum, cognoſcentes talia, ſtimulantibus eorum conſcientiis, absque graviſſima dei offenſa diutius diſſimulare non potuerunt.

Itaque decreta hæc *Baſileenſis Synodi* partim ut jacent, partim cum quibusdam moderaminibus aut epiikeis, recipienda conſenſerunt.

Additio ad procemium Pragmaticæ.

Melior ſtatus Eccleſiarum in Germania, ubi Patroni Eccleſiarum ſunt Germani, non Curiales Romani.

UT ad oculum hæc omnia vera eſſe demonſtretur, diſcernant boni & æqui judices (qui ſaltem diligenter conſiderarunt) ſi non floreat *diligentior divinus cultus, ordinatior cantus*, ſi non fiant pauciores in choro confuſiones, ſi non ſint minores factiones, minores lites, minor pecuniarum effuſio, minora offendicula ſeu ſcandala, minor concubinarum pompa & luxus, in illis *collegiis & Eccleſiis, ad quæ per gratias apoſtolicas non patet aditus.* Exemplum ſumatur de Eccleſia parochiali *Friburgenſi*, de collegio *Badenſi*, *Heidelbergenſi*, *& Novæ civitatis* Spirenſis Diœceſis. Ubi licet parva ſint collegia, mediocresque præbendæ, quasdam tamen alias, quas *Inſatiabiles Curtiſani* occupare, & in quibus poſt crebras lites, patrimoniorum diſſipationes, præbendas pingviores poſſidere poſſunt, in omnibus divinis officiis, in omni Eccleſiaſtica diſciplina, & in perſonarum concordia, pace, & tranquillitate excellere videntur. Ignoſcant mihi multi optimi ſacerdotes, qui & in cathedralibus & in collegiatis devote Deo ſerviunt, quibus contentiones, lites, levitates, evagationes, confabulationes & cæteræ diſſolutiones admodum diſplicent. Exemplum denique ſumatur ab *eccleſiis parochialibus, ad quas gratia Apoſtolica ſeſe non extendunt*, quibus de idoneo rectore ſeu curato citius providetur, quam his *quæ ſub gratiis cadunt.* Quippe quæ interdum propter diverſos collitigantes, variasque ipſorum aſtutias, ad biennium aut triennium, certo & idoneo paſtore caruerunt. Et cum vix tandem aliquis *curtiſanorum* victor aliorum in parochia aliqua utcunque evaſerit, vel in ea non reſidet, vel ſi reſidet, non prædicat, nec cancellos aſcendit, ut ſaltem pro ſummo Pontifice proque Sacroſancta Eccleſia Romana, proq; Cæſarea Majeſtate, aut contra Turcas, ad Deum preces à populo fieri exhortetur.

Juris Patronatus in Eccleſiis Germanicis penes Germanos fructus.

Non ſic contingit de Eccleſiis parochialibus ad quas *curtiſani* ſeu *curiales per gratias Apoſtolicas* non admittuntur. Exemplum ſumatur de Eccleſia parochiali Friburgenſi, Heidelbergenſi, Badenſi, Ulmenſi, Francofurtenſi, ad quas, cum vacant, è veſtigio de idoneis rectoribus, ſalubriter absque omni lite, absq; multa pecuniarum effuſione providendas, vel Principes, vel univerſitates, ve

ſenal

ſenatus, jus præſentandi habentes, mature & ſtatim deliberant, & ad Dei honorem, animarumque ſalutem, bonos atque doctos viros, eis absque controverſia præficiunt, qui perſonaliter reſidentes per ſeipſos prædicant, populum verbo & exemplo ædificant, ac ſuas oves in viam ſalutis (ut veri paſtores) dirigunt. De quo ſummis Pontificibus paſtoribusque noſtris gaudendum & exultandum eſſet, qui & recte agerent, ſi ad ſimiles quoque curatos in aliis locis fideli populo præficiendos ſint cooperaturi. Ipſi etiam de animabus omnium Chriſti fidelium precioſo ejus ſanguine redemtorum exactiſſimam Domino Deo in extremo judicio rationem ſunt reddituri. Sicut *Julius ſecundus, ſummus Pontifex* noſter, in exordio *bullæ ſuæ contra Joannem Bentivolum*, ſponte & humilime confitetur, & Platina in Cœleſtino V. eidem Reverendiſſimos dominos Cardinales affirmaſſe narrat, omnia mala tum accidentia in die judicii ſibi imputatum iri.

De Electione. Cap. Primum.

GEneralis *reſervatio* omnium Eccleſiarum monaſteriorum, & dignitatum electivarum per Romanum pontificem fieri non debet, neque factis eſt utendum, præterquam in terris eccleſiæ Romanæ ſubjectis.

De cura Eccleſiarum in Gallia.

Quod omnibus illis Eccleſiis per electionem & confirmationem Canonicam, ſecundum juris communis diſpoſitionem provideatur.

Quod privilegiis & conſuetudinibus rationabilibus per hoc non derogetur.

Nec ſummus Pontifex contraveniat, niſi ex legitimis cauſis in bullis nominatim expreſſis. Papa in aſſumtione ſua hæc ſe juret obſervaturum.

Electione prælati vel Epiſcopi facta, confirmator non ſolum [ratione confirmationis] aliquid, quantumcunque parvum, non exigat, ſed etiam gratis oblata ſub nomine ſubventionis, ſubſidii, gratitudinis, aut alio colore, prætextu cujuſvis conſuetudinis aut privilegii, per ſe vel per alium nullatenus recipere præſumat.

Qui his contravenerit, ipſo jure confirmationis perpetuo ſit privatus.

Nec ſummus quidem Pontifex aliquid pro confirmatione accipiat, alioquin futuro concilio deferatur.

De reſervationibus.

OMnes reſervationes revocantur, exceptis illis, quæ vel in corpore juris expreſſæ ſunt, vel quæ in terris eccleſiæ Romanæ ſubjectis fiunt.

De Collationibus.

PRæter damna, quæ in prooemio narrata ſunt, alia etiam incommoda oriuntur ex multiplicatione gratiarum expectativarum. Primo, quod clerici in gratiis patrimonium & parentum opes exhauriunt.

Galli ſibi vindicarunt jus vocationis in officiis Eccleſiaſticis.

Secundo, quod hi quibus aut major proximum circumveniendi aſtutia, aut ad litigandum facultas ſuppetit uberior, beneficia ſibi vendicant.

Tertio, quod ſub involutionibus prærogativarum aut antelationum & aliorum hujusmodi gratias concomitantium plurimæ fraudes committuntur.

Propter iſtas & alias in procemio expreſſas cauſas ſtatuit Sancta *Baſileenſis Synodus*: Quod ſummus Pontifex gratias expectativas aut nominationes amodo nulla ex cauſa concedat.

Poteſt tamen diſponere Papa de uno beneficio ad collationem, in qua decem, & de duobus ad collationem, in qua fuerint quinquaginta & ultra beneficia.

Locus eſt præventioni, ſi ordinarii ſint negligentes.

Ordinarii hunc ordinem in conferendis beneficiis & dignitatibus ſervent.

In omnibus metropolitanis & cathedralibus Eccleſiis ſit Theologus.

Tertia pars præbendarum conferatur graduatis, præcipue theologis, niſi

Digitized by Google

forte eſſet, qui duas prius obtineret præbendas, quarum una ad æſtimationem valeret ducentorum *florenorum Cameræ, hoc eſt ducatorum.*

De Parochialibus Eccleſiis ſic provideant ordinarii.

Officiis ſacris qui admovendi.

IN Eccleſiis Parochialibus, quæ in civitatibus aut villis muratis exiſtunt, inſtituantur perſonæ idoneæ, quæ ad tres annos in theologia vel altero jurium ſtuduerint, ſeu Magiſtri in artibus ſint.

De Numero Cardinalium.

Cardinaliũ diſpoſitio ex voto Gallorum.

ECcleſiæ Romanæ *Cardinales* ſint numero tantum *viginti quatuor. Nec aſſumantur minores triginta annis.* Sint *magiſtri, doctores, vel licentiati* in jure divino & humano. Sit ſaltem tertia vel quarta pars de Magiſtris aut Licentiatis Theologiæ. Pauci vero ex eis ſint filii, fratres, aut nepotes, Regum & magnorum Principum.

De Annatis.

Pro electione, vocatione, confirmatione, nihil pendendum.

STatuit hæc ſancta Synodus, quod in Eccleſia Romana & alibi, in confirmatione electionum, admiſſione poſtulationum, præſentatione, inveſtitura, ſacris ordinibus ac pallio, nihil penitus ante vel poſt exigatur, ratione literarum, bullæ, ſigilli, annatarum, communium & minutorum ſervitiorum, primorum fructuum. Scriptoribus tamen, abbreviatoribus & regiſtratoribus literarum ſeu minutarum, pro ipſorum labore competens ſalarium ſolvi poteſt. Ad laborem autem, non ad fructuum beneficii valorem reſpici debet.

Ex Gloſſa.

Concilii Baſileenſis decretum.

HOc decretum de annatis, ante diſſolutionem Concilii, quod ab Eugenio Papa indictum fuit, factum eſt.* Et multi Reges Franciæ, immo & beatus Ludovicus, qui miraculis claret, & in numerum divorum relatus eſt, *probibuerunt, ne tales annatæ in regno Franciæ exigerentur.*

Hæc quoad Pragmaticam ſanctionem.

Additio ex Platina, qui deſcripſit vitam Pontificum.

LEo ſecundus Papa ſancte inſtituit, ne ad Archiepiſcopatum aſſumtus, pro uſu pallii aliorumve officiorum quicquam Eccleſiæ perſolveret, cum ex hac largitione multa quotidie mala oriantur. Legatur *Platina* in *Leone ſecundo, Robertusque Gaguinus in Epitome Regum Galliæ*, ſub Carolo ſeptimo. Illum Robertum virum ſanctum ac integrum extitiſſe, *Sifridus Schon jureconſultus*, ejus quondam auditor, nobis narravit.

De actionibus & *aſtutiis* quorundam *Curtiſanorum.*

Curialiũ Romanorum magnus olim numerus in Eccleſiis Germanicis.

CUrtiſani plerique ſeu *Curiales*, non de omnibus dico, contra *concordata Principum* excogitant & *fingunt multos* ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ Reverendiſſimorumque Cardinalium *familiares*, etiamſi non fuerint, ut beneficia eorum reſervata eſſe contendant: Nempe, ſi quiſpiam ſolum ſemel in tenello vel aula comederit: Ut hoc pacto prælati in terris noſtris ſua collatione in menſibus ordinariis priventur. Narrabat id olim Reverendus Dominus *Johannes Camerarius Dalburgus*, Vangionum antiſtes, pio *Philippo, Comiti Rheni Palatino ac Principi Electori*, cum Nemetenſe privilegium caſſari tentabatur, quo doctores rite & legitime, non ob preces & munera, promoti à cathedrali templo, annuente non gratis *Sixto quarto*, ejecti ſunt, ne bullatos pariter recipere capitulum cogeretur, teſte Henrico Helmſtattino Decano, qui minus quandoque idoneis, & præpropere inſignia conferri aſſerebat. Ita *docti indoctorum vitio diſpendia patiuntur.*

Quin imo Curtiſani nonnulli (uti fama eſt) ſtudebant laicos quoque privare ſuo jure patronatus. Audiatur Reverendus *Epiſcopus Baſileenſis, Chriſtophorus, &* *Eraſ-*

Digitized by Google

Eraſmus ad lacum, vulgo, zu dem Weyer. Quidam *Curialis* conatus eſt præclaræ urbi Nurembergenſi auferre collationem duarum parochiarum ſive Præpoſituratum, & transferre in Reverendum Epiſcopum Bambergenſem, ut amodo ſub gratiis caderent Apoſtolicis, ſicque pro ſe aut ſuis ex Roma impetraret, quod ex Nuremberga deſperabat. Ex ejus ore ego ipſe audivi. Sed mors hominem iſta molientem divino nutu intercepit.

Curtiſani etiam quidam nuper conati ſunt preces ſupprimere regales, quibus & pertinaciſſime reſtiterunt, non abſque contemtu Cæſareæ tuæ Majeſtatis, ne dicam ignominia quadam Germanicæ nationis, acſi propter quæſtum temporalem commodumque privatum, non erubeſcerent, propriæ patriæ (quam omnes naturaliter amant) eſſe proditores. Curtiſani nonnulli *inexplebili avaritia ſua* præſtant [ut vereor] occaſionem, ut laici à novorum beneficiorum fundatione, ætate noſtra plurimum retrahantur. Quis enim vir prudens patrimonium ſuum clero dicare volet, timens hæredes aut poſteros ſuos jure patronatus & collationis, (quod ipſa devotio tribuit) non ſolum privandos, ſed etiam piſtores, aut coquos aut alios indoctiſſimos, de ſuis bonis in luxu & otio eſſe ſovendos? præcipue, cum nec pſallere, nec ſacrificare norint, aut nolint. Quodſi populares interdum pro clero ſeculari annuos reditus inſtituunt, ſola fundant ſtipendia, vel (uti vocant) officia, non autem ſacerdotia, in quibus aliquis inveſtiatur, timentes illa quocunque eventu, vel obitu poſſeſſorum in urbe aut Italia, venire in manus eorum, qui [cum bona venia] *perſpicaciores habent oculos, ad aurum in abſentia percipiendum, quam ad rem divinam.* Quod ſi, miſſis in fundatione inſtitutis, per religioſos cucullatos vel alios, ſex numis pro miſſa contentos, forſitan ſatiſfiat, reſiduis fructibus ad beneficiatum (ubi fuerit) transmiſſis: Nemo tamen in pſalmis, in miſſis, in vigiliis, in veſperis, in matutinis decantandis, & in viſitandis mortuorum ſepulchris, vicem illius abſentis implet. Sicut in *Seleſtadio*, patria mea, tuo & Imperii Romani fideliſſimo oppido, clerum & proceres venerante, multis annis unus ſolus *Beatus Diemus* proh dolor reſedit, cum fuiſſent illic undecim Capellaniæ, à laicis olim fundatæ, ac per abſentiam poſſeſſorum in reditibus attenuatæ. Nunc vero earum unione facta, & collatione in Conſules, confirmante ſacroſancta ſede Apoſtolica (apud quam ſumma fides eſt & integritas) translata, Capellani reſidentes divinum pro virili cultum conſervabunt. Cujus diminuendi metu, quidam Præpoſitus, Curtiſanis plurimum affectus, de ſacello ſub ſua nuper parochia erecto, & in decus Divi Wolfgangi dotato, vehementer anxius fuit, ne futuris temporibus *manus* incideret *Curialium.* His auribus ex eo audivi. Nam & nonnulli hujus generis ſacrificuli totum nitebantur ſuarum Capellaniarum corpus, abſentes, omnibus miſſis neglectis, abſorbere, jactitantes, & fundationi & ultimæ fundatorum voluntati de plenitudine poteſtatis eſſe derogatum. Id teſte Deo ego ipſe audivi. Contra hanc impietatem eorum, qui eccleſias expilant, privilegia rumpunt, divinum cultum obtruncant, jus patronatus prælatis & laicis auferunt, qui ſatiari non poſſunt, qui pauperibus panem ab ore præripiunt, qui ſuper ſtatutis, ſuper ſacratiſſimis canonibus, à ſpiritu Sancto conditis, ſuper juramentis præſtitis, ſuper pactis & transactionibus, & ſuper ultimis voluntatibus, diſpenſationes aut relaxationes utcunque extrahunt. Ac contra tam execrandam avaritiam, Deo & bonis hominibus moleſtam, raro audivimus *religioſos cucullatos* (*quibus hen facilis patet ad ſuggeſtum aſcenſus*) reprehenſionem aut admonitionem afferre, timentes forſitan, magnos ſibi in jejunio piſces ſubtrahi, aut ſuos conſervatores Apoſtolicos & advocatos, quorum in litibus (ad quas eos pronos *Capnion* expertus eſt) opera nonnunquam utuntur, offenſum iri. Veritas enim odium parit. Id quod quidam mendicans ex ordine illorum, quos *magiſtros noſtros* vocant, nuper, rejecto omni pudore, inſinuabat. Cui cum hæc Chriſti verba paterne inculcarem: Nolite timere eos, qui poſſunt corpus occidere: Quodq; concionatores evangelici

Curiales Romani in Germaniæ Eccleſiis juribus Cæſaris & Germanorum olim moleſti.

Imperitia cleri illis temporibus.

Auri melior cognitio quam aræ.

Digitized by Google

Egregia vox Clerici.

gelici pro veritate morti exponere ſeſe deberent: Subſannando clamitabat, *Hoc faciat cacadæmon vice mea.* O hypocriſin, o aſſentationem, Chriſto inimicam, & magnatum ſeductricem.

Familiares Papæ Principibus Germaniæ moleſti.

Curtiſani quandoque *à proximis* ſanctiſſimi domini noſtri *Papæ familiaribus, jura gratiarum expectativarum* utcunque *mendicaſſe* aut obtinuiſſe dicebantur, ut filios etiam illuſtrium Principum & Comitum gratias habentes à poſſeſſione in patria noſtra expellerent. Et viſi ſunt Principum Electorum filii nothis annuas præſtitiſſe penſiones. Quod ad pacem mutuamque ſacerdotii & imperii concordiam minime deſervire videtur.

Inſidiæ ſacræ.

Curtiſani quandoque *prælatis* aut aliis *infirmis* aut *ſenio confectis*, qui ſupra triennium, imo ad decem aut viginti annos, præbendas vel ſacerdotia rite pacificeque poſſederunt, abſque omni cauſa legitima *lites movent*, in jus vocant, *ut ipſi in loca defunctorum mox ſurrogentur.* Sicque nedum patroni collatione ſua ſpoliantur, ſed & hi ſua ſpe deſtituuntur, qui *gratias apoſtolicas multo labore vel ære extraxerunt.* Ex multis unus occurrit *Michael Archiſectus* cognatus *Cratonis Udenheymii*, qui licet legitime tribus luſtris Sacerdotium Spirenſe poſſederit, timet tamen ſibi ex hac gente negotium fieri.

Aurum ex Germania exportatum.

Curtiſani plerique raro etiam ſui ſimiles, qui per gratias Apoſtolicas aut alioquin ad beneficia intrant, quietos & pacificos manere ſinunt, ſed lites ipſis movent, ut ſaltim terreant, utque beneficia, quantumvis parva, penſionibus graventur. Et oriuntur ſæpe lites diuturnæ, quibus *pecuniæ ex Germania transferuntur*, & nonnunquam amicorum *opes*, qui clerico litiganti ipſis conjuncto aſſiſtunt, *exhauriuntur.* Imo tanta, proh pudor, nonnunquàm *in deducendis litibus auri & argenti ſumma profunditur*, quanta tantum beneficium fundari potuiſſet, pro quo certatum eſt: Saltem tanti reditus ad vitam hominis comparari potuiſſent, quanti ſunt proventus ſacerdotii aut præbendæ, pro qua litigatum eſt. De tam indigna *patrimoniorum profuſione*, pius quidam *Carthuſianus*, cognomento *Alantſe*, lamentabilem ad Reverendum Epiſcopum Baſilienſem dedit epiſtolam, cum frater ejus *Auguſtinus* litigando propemodum deſeciſſet. Nec ego crediderim, tantam Reipublicæ perniciem, tantam impietatem, optimos quosque magiſtratus, Helvetiorum exemplo, ſi plene certiores redderentur, in civitatibus ſuis eſſe toleraturos.

Beneficiorũ ſacrorum præclarus uſus.

Curtiſani aliqui non erubeſcebant interdum in eodem templo duas occupare præbendas, ſaltem ad tempus, etiam plures Capellanias ſub uno tecto, imo in omnibus collegiatis, duabus aut tribus, & in ipſa quoque Cathedrali Eccleſiis, in una & eadem civitate ſitis, Canonicatus & Vicarias impudenter uſurparunt, in maximum divini cultus detrimentum animarumque ſuarum non mediocrem jacturam. Imo nonnulli præbendis, parochiis & penſionibus abundantiſſime proviſi, affectarunt & acceptarunt tenuiſſima *ſacerdotia*, vix tres aut quatuor aureos nummos abſentibus ipſis importantia, cum riſu quodam aſſerentes, *unum pro ſinapi, alterum pro ollis, aliud pro ſcopis emendis* ſibi profutura.

Canonicatuum plurium poſſeſſio lata.

Quinque ſiquidem Curtiſani occupaverunt ſedecim Vicarias & Canonicatus ſimul in una civitate, demtis Capellaniis, dignitatibus & officiis in eisdem Eccleſiis, & multis pingvibus parochiis extra civitatem. Sicque caſſantur ultimæ fundatorum (qui diſtributiones quotidianas pro animarum ſuarum ſalute auxerunt) voluntates, & divinus cultus mirum in modum diminuitur. Quoties etiam celebrantur officia defunctorum, undecim vigiliæ & totidem miſſæ omittuntur; & fraudantur pii fideles, qui ſe pluribus vigiliis & miſſis lectis vel auditis citius ſperaverunt ex igne purgatorio liberandos. Quod utique omni honeſtati & rationi naturæque legi plurimum adverſari videtur. Nec vero allegare poſſunt Curtiſani tenuitatem præbendarum aut beneficiorum. Nam quælibet illarum præbendarum aut Canonicatuum (in quibus illi perſonaliter non reſident, præſentias quotidie deſerviendo) enutrire poſſet juris aut theo-

Digitized by Google

logiæ Licentiatum, frugalem & honeſtum ſaltem & à luxu alienum, eccleſiæque Dei utilem, qui & ſacro imperio Romano ſalubribus conſiliis ſuis prodeſſe poſſet. Itaque ubi interdum ſunt decem & octo præbendæ, vix ſex aut octo reſident, chorum ſaltem ibi quotidie frequentantes. Sicque perit hoſpitalitas, truncantur eleemoſynæ, damnum patitur Reſpublica. Quoniam ſedecim honeſti cleri, in ſedecim locis reſidentes, majorem hoſpitalitatem, majorem eleemoſynam, majus commodum Reipublicæ mechanicis atque vicinis inferrent, quàm ſolum quinque, ſedecim loca occupantes. Nec timeat avarus, nummos & aurum longe magis quam Deum & Dei cultum amans, ſi ſinguli reſiderent, non creſcere indies truncum, uti vocant, aut quotidianas diſtributiones, niſi ut impius & infidelis vacillet de veritate inquientis: Primum quærite regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Ubi enim ex ſancta conſvetudine cuncti adeſſe coguntur, præſentias ipſas, vel ex ſtatutis, vel ex teſtamentis, aut fidelium munificentia, non minus augeri, argumento ſint Nemetenſes. *Jucundus præbendarum uſus. Abuſus turpis.*

Curtiſani aliqui, etiam in beneficiis maxime opulenti [contra *can. Dolentes referimus, de celeb. miſſ.*] rariſſime ſacrificare ſive celebrare videntur. Imo nonnulli eorum, neglectis omnibus miſſis, more laicorum ſemel in anno corpori Chriſti communicant. Unde & quiſque Romanus Imperator totaque eccleſia catholica, imo & ſummi Pontifices jacturam non mediocrem ſuſtinent. In omni enim miſſæ officio pro eorum ſalute peculiaris memoria fieri conſvevit. Maximum vero miſſarum eſſe fructum, nemo ambigit vere Chriſtianus. Quem quiſquis ultro impedierit, & dominicæ paſſionis repreſentandæ ſuppreſſor, & divini judicii contemtor, imo Dei oſor eſſe videtur. At *qui ſtultus fuit in culpa, ſapiens erit in pœna.* *Decretal. l. 3. tit. 41. c. 9. Neglectus ſacrorum apud Curiales Romanos.*

Curtiſani nonnulli eos qui à teneris annis in publicis gymnaſiis amore ſtudii, cum patrimonii diminutione, cumque multis miſeriis & laboribus, gradus tandem vel in theologia vel jure, non obiter, ſed digne conſecuti ſunt, proq; ſtatu honeſto in Eccleſiis aut collegiis conſequendo gratias Apoſtolicas extrahunt, miris modis quandoque moleſtiis affecerunt, & non admodum Chriſtiane inquietarunt, ne cum pace ad præbendas aſcendere potuiſſent. Imo & qui viginti & eo amplius annos in univerſitatibus publice legerunt, bonasque doctrinas ad fidei Chriſtianæ exaltationem profeſſi ſunt, non fuere prorſus ſecuri & tuti ab eis, qui cellæ vinariæ, piſtrino & coquinæ aut vilioribus officiis præfuerunt. Sicque docti & ſtudioſi viri, ſacro Imperio & Chriſtianæ Eccleſiæ utiles, beneficia conſequi non facile poſſunt. Exemplum ſumatur *à Petro Wackero,* qui licet doctiſſimus & integerrimus, cum viginti quatuor annos Heidelbergæ in utroque jure legiſſet, ex gratia expectativa nihil prorſus, nec vicariam quidem in cathedrali, conſequi potuit. Poſſent & huc adduci *Jacobus Rackenſpurger,* in ſacris & Pontificiis literis doctiſſimus, & *Joannes Collaurus*, jureconſultus, qui nec Cæſarea tua Majeſtate (cui ſervierunt) ut ab importunis moleſtiis & vexationibus immunes & liberi forent, freti ſunt atque gaviſi. Et præclarus juris interpres *Henricus Cotherus,* licet moribus & vita exemplaris, licet frequenter ad populum prædicaret, licet plebem ad Eccleſiam traheret, non potuit tamen abſque litium ſumtibus & moleſtiis manere tranquillus atque quietus. Taceo hic *Othmarum Luſcinium,* quem ſacræ & Pontificiæ imo etiam græcæ literæ commendant. Taceo *Jacobum Landsbergium* nobilem & eruditum. Taceo *Johannem Storckium & Joannem Mannium,* municipes meos, Romæ diu converſatos. Quibus conjicio perſpectam integritatem, & innocentiam, metumq; vulnerandæ conſcientiæ, quo difficilius & tardius ſacerdotia nanciſcerentur, obſtitiſſe. Ex hac radice, quod docti & præſertim Theologi ab avaris impediuntur, forte pauci extant, qui ad regendas animarum curas & ad docendos in cancellis populos apti ſunt & idonei. Neque enim facile, qui mulis præfuerunt, crebroque per plateas cucurrerunt, ſacras aut pontificias literas accurate *Docti viri Germani à Curialibus Romanis oppreſſi. Egregii clerici.*

verſare ac animo imbibere ſive complecti potuerunt, ut Chriſti tandem Evangelium ſimplicibus agricolis (quorum labore & ſudore clerus & proceres foventur) prædicare poſſint. Nihil hic affero *de theologaſtris, qui, ut Petrum Hiſpanum cum Tartareto, & quartum Gabrielis vel audierunt, vel lectitarunt, obiter ſublimati inſoleſcunt.*

Theologaſtri.

Curtiſani quidam neque nobiles neque docti, etſi *titulo doctoratus glorientur*, non timent *Bullam Execrabilis, Joannis XXII.* nec can. *De multa, de prabendis*, nec can. *Quia nonnulli, de clericis non reſidentibus.* Nec curant verba *Pii ſecundi*, qui ſic ad *Regem Franciæ Ludovicum undecimum* ſcripſit: *Viris doctis in univerſitatibus literarum ſtudia ſectantibus ſubveniendum eſſe non ignoramus. Ab iis enim Catholica fides defenditur & doctrinæ lumen propagatur.* Nec attendunt, quod ſuper eorum avaritia nequaquam poſſit diſpenſari, quam olim *Franciſcus Petrarcha ad Urbanum quintum* deteſtatus eſt. Audivimus denique *Innocentium octavum* cujuſdam in ſacerdotiis nimium opulenti ampliorem à ſe attentatam rapacitatem ore proprio cohibuiſſe, quippe cum nec rite promotus doctor, nec ſangvine nobilis eſſet.

Extrav. Com. lib. 3. tit. 2. c. 4. Decretal. l. 3. tit. 5. c. 28. & l. 3. tit. 4. c. 3.

Curtiſani quandoque non ſolùm ſingulares perſonas, quæ in univerſitatibus bonas literas didicere, ſed etiam totas quarundam univerſitatum Reſpublicas, in beneficiis, pro exaltatione fidei incorporatis, vexaverunt. Ni fallor, Friburgenſe, Tubingenſe, & Moguntinum gymnaſia teſtimonium hic perhibere poſſent.

Academia vexata à Curialibus Romanis.

Curtiſani etſi aliqui graduati & juris Pontificii periti ſunt, vigilantius tamen videntur revolvere materias præbendarum, dignitatum, reſervationum, & regularum Cancellariæ, ſimiliumque ſtudiorum, quibus præbendæ pro ſe & ſuis accumulantur, & *theſauri Romani Imperii in externas regiones transportantur.* Nec propriæ patriæ jacturam timent, modo *eorum marſupia auro, domus pretioſa ſupellectile, coquina cupediis* ex cumulo præbendarum reſarciantur. Taceo hic de libellis, productis, replicis, & id genus cæteris, nec Evangelio, nec juſtitiæ maturius obtinendæ admodum conſentaneis, quæ minus conjugatos legum peritos dedecerent.

Auri libratio gratior quam librorum.

Dulcis uſus beneficiorũ ſacrorum.

Sanctiſſimi Domini noſtri *Papæ* & Reverendiſſimorum patrum *Cardinalium* aut aliorum *familiares*, quandoque pro ſervitiis, nequaquam ad ſpiritualia ordinatis, ſed ad profana, utpote vel in pœnu, coquina, piſtrino, equorum carceribus, vel aucupio exhibitis, in ſuorum mercedem beneficia, à Germanis Principibus, aliisque devotis noſtris majoribus, longe in alium finem fundata, recepiſſe perhibentur. Id quod ſacris literis uti ſimoniacum interdictum eſt, ſi ſaltem ſcripta *Thomæ Aquinatis* ſacra cenſentur.

Impenſa ſacra.

Curtiſani plerique nunquam hactenus contenti fuerunt, nunquam beneficia vacantia explorare ceſſarunt, ut ea impetrarent, nunquam litibus finem impoſuere, ſed usque in ſenectam & ſenium, & ferme in ſepulchrum aſſiduam dederant operam, ut alios, beneficiis itidem dignos, & nondum honeſte proviſos gratiis, privilegiis, antelationibus, regreſſibus, inſtrumentis, ſclavis ipſorum ſcriptis, aut quibuscunque aſtutiis impedirent, vincerent, & expellerent. Quod revera domino Deo diſplicet, neque id Dionyſius, nec Phalaris, neque Nero, neque Turcus æquum judicaret.

Lites infinitæ pro ſacris opibus.

De iis & aliis avariſſimorum, ſacerdotia ſine fine multiplicantium, fraudibus & aſtutiis, pie *admonendus* eſſe videtur *ſummus pontifex*, pius omnium fidelium & Germanorum quoque pater & paſtor (quo inſcio multa contra jus & æquum fiunt) ut ſua tandem poteſtate aliquantulum frenum & moderamen adhiberet. Nec tamen ſuſpicandum eſt, omnes Curiales præſcriptis technis, aſtibus, vel cupiditatibus irretiri. Sunt inter eos haud dubie, qui & Deum colant & ſtygias pœnas, & quidem ſempiternas, formident. Sunt, qui in *Urbe* absque dolo beneficium ſufficiens conſecuti ad loca præbendarum reverſi, in eisque reſidentes, Deo & Eccleſiæ ſerviunt, amicisque & pauperibus beneſaciunt,

Onera Germaniæ levanda.

ciunt, in animo ſuo plene contenti, nequaquam ex avaritia ad plura & pingviora aſpirantes. Quippe qui ſe ſciunt propediem morituros, & credunt, ſe villicationis ſuæ Domino Deo rationem eſſe reddituros. Sunt & qui mihi libenter opem tuliſſent (duo ſaltem Præpoſiti) in iis, quæ mihi ipſi, præter omnem culpam, in ſenecta, ſub pileolo contigerunt, ſicut & aliis plerisque, qui itidem conqueſtionem fecerunt de aſtu eorum, qui Romam ſanctam nunquam adiere, quos *Curtiſanos Germanicos* appellant. De quorum vita & finibus (ſi Deus volet) alio loco ſcripturi ſumus.

Tuum vero erit, *Sacratiſſime Cæſar*, ſi per graviſſimas maximorum negotiorum occupationes, *qua in hanc inſatiabilem & execrandam impietatem animo chriſtianiſſime concepiſti*, proſequi ipſe forſitan non poteris, ea, ut ad Dei gloriam, eccleſiæ unitatem, Germaniæque incrementum feliciter expleantur, cæteris Imperii Romani Principibus, præcipue vero tuis clariſſimis Nepotibus, Carolo & Ferdinando, demandare: Ut & hujuscemodi ſycophantiæ & technæ, Chriſti ſacerdotibus indecoræ, ſopiantur, & *onera gravaminaque Germanorum* (quorum aliqua mox ſubjiciemus) accedente ſummi & maximi Pontificis atque paſtoris conſenſu & auctoritate, *tolerabiliora* reddantur & *leviora*.

Maximiliani cura pro Eccleſia Germanica liberanda.

Hæc Maximiliano Cæſari dedit Wimphelingius, Anno 1510.

Caput XVIII.

De reſuſcitata Reformatione Eccleſiaſtica, Concordatorum nomine a Nicolao V. olim determinata.

A. 1513.

Triennio ab hinc elapſo A. 1513. ſuperius c. XII. laudata *Concordata Principum Nationis Germanicæ, cum argumentis ſive ſummariis novis*, luci reddidit *Argentinæ* Wimphelingius.

In concluſione vehementer conqueſtus eſt de *antiquis* illis ſalubribus *Germanorum conſtitutionibus* neglectis ac ſepultis, quibus revocandis *Pontificis Julii II.* & *Cæſaris Maximiliani* opera neceſſaria.

Inter alia acerbis, pro illorum ſeculorum genio, interdum & lepidis verbis atque characteribus, exemplo Gerſonis ac coætaneorum ſub Concilio Conſtantienſi, illam *corruptionem* excepit.

Wimphelingii luſo ſerii in corruptionem illius temporis.

Super his artibus, (ait inter alia) *commentis, aſtutiis,*
Calliditatibus, deceptionibus, illuſionibus,
Fallaciis, fraudibus, duplicitatibus,
Impoſturis, figmentis, technis, calumniis,
Vaframentis, verſipellitatibus, dolis,
Simulationibus, trufis, ſycophantiis,
Captionibus, vinclis, pedicis, bolis
Laqueis, foveis, graſſationibus,
Contentionibus, guerris, factionibus,
Brigis, inquietationibus, violentiis,
Turbationibus, minis, tribulationibus,
Vexaminibus, machinationibus, moleſtiis,
Inſidiis, liris, ſimultatibus, invidentiis,
Rancoribus, tricis, circumductionibus,
Griphis, ribaldariis, gyris, ambagibus,

Digitized by Google

Circumventionibus, explicationibus, corroſionibus,
Concuſſionibus, harpyiis rapacitatibus,
Caninis voracitatibus, lupinis appetentiis,
Scylleis & Charybdeis vorticibus,
Damnis, jacturis, rapinis, diſpendiis,
Querulоſis Germaniæ eviſcerationibus,
Horrendis patriæ proditionibus,
Divini cultus ſuppreſſionibus,
Rationis & omnis honeſti ſuffocationibus,
Abuſibus, corruptelis, deformitatibus,
Immodeſtiis, audaciis, temeritatibus,
Exceſſibus, enormitatibus, exorbitantiis,
Flagitiis, impuritatibus, turpitudinibus,
Tranſgreſſionibus, injuſtitiis, malevolentiis,
Prævaricationibus, impietatibus, perfidiis,
Improbitatibus, perverſitatibus, commerciis
Execrandis, vetitis nundinationibus,
Mendaciis, gerris, nugis, falſiloquiis,
Nebuloniis, præſtigiis, ſubdolis conſiliis,
Interminatis impetrationibus,
Impudentiſſimis extorſionibus,
Importuniſſimis inhiationibus,
Iniquis ingreſſibus, impiiſſimis regreſſibus,
Abyſſalibus voraginibus & nequitiis,
Quas neque Judæi neque Saraceni inter ſe impune ſuſtinerent.
Tantis deniq; ampliſſimorum patrimoniorum enervationibus,
Tantis rei familiaris diſtractionibus,
Tantis pecuniarum profuſionibus,
Quibus vel novæ præbendæ funditus erigi poterant atque dotari,

Germania liberanda deſiderium.

Super his, inquam, & aliis, ut innumeris, ita inhumanis nefandisque, ac Deo & hominibus exoſis aſtibus & iniquitatibus, cum omni humilitate petat *natio noſtra* à ſummo Pontifice clementer remedium adhiberi, & ab iſto præſertim Julio II. quem juſtiſſimum prædicant & acerrimum juſtitiæ defenſorem omnes noti aſſeverant. Cujus ſanctitas cum optime nunc cum Maximiliano Cæſare noſtro conſentiat, juſtas Germaniæ preces non eſt aſpernatura.

Caput XIX.

De publica Wimphelingiana reſponſione ad librum Æneæ Sylvii contra Reformationem Eccleſiaſticam à Germanis anxiè expetitam. A. 1515.

Biennio abhinc laudatus *Wimphelingius* tandem reſpondit ad acrem & argutam, ab *Ænea Sylvio Cardinale*, dein *Pio II. Pontifice*, ante 50. annos factam, deſideratæ à Germanis juxta Conſtantienſis & Baſileenſis Concilii decreta Reformationis Eccleſiaſticæ ſtricturam, ſupra c. XIV. recenſitam. Liber hunc in fronte gerit titulum: *Germania Æneæ Sylvii. In qua, Candide lector, continentur: Gravamina Germanicæ nationis, Confutatio eorundem, cum Replicis. De Concilio Conſtantienſi & Baſileenſi. Deſcribuntur hic urbes, civitates, Eccleſiæ, Epiſcopatus, Abbatiæ, Principatus & nobiliſſimæ familiæ Germanorum*

rum: Impugnatur conſtitutio Synodi Baſileenſis de collatione Beneficiorum, cum Replicis, in Bulla Leonis X. de Eccleſia reformanda fundatis: De concordatis Principum, De officio Papæ & ſuis officialibus, De veritate Chriſtianæ religionis. Profectio Jacobi Marchionis Badenſis ad Urbem Romam, ejusque oratiuncula ad Papam, ejusque reſponſio, cum literis commendatitiis Friderici III. & Maximiliani, ceterorumque Germaniæ Principum: De duobus falſariis Romæ ſub Innocentio VIII. combuſtis. Cum gratia & privilegio Cæſareæ Majeſtatis Excuſ. in inclyta Argentina, per Renatum Beck, in ædibus zum Thiergarten/ *Anno* 1515. 16. *Cal. Julii.*

Inſcripſit hoc opuſculum maturo conſilio WIMPHELINGIUS ALBERTO, *Brandenburgenſi, ArchiEpiſcopo Moguntinenſi & Magdeburgenſi, Imperii Electori, & per Germaniam Cancellario.* Ut ſtudia pia atque fortia conamina Anteceſſoris olim in illa ſede, *Electoris & ArchiEpiſcopi Moguntini*, Theoderici Erbacenſis, pro Germaniæ Eccleſiæ libertate vindicanda, per Cancellarium Moguntinenſem Majorem, ante 50. annos magno animo ſuſcepta, ALBERTO, ſucceſſori potentiſſimo, in memoriam revocaret, atq; ad piam, & ſeriam æmulationem animum adderet. Idq; tanto egit ſollicitius, quanto gravius interea, ad eluendam illam à Moguntinenſibus olim per Majorem Romæ inuſtam maculam vel illatam injuriam, Moguntinenſes Archiepiſcopi & Electores à ſede Ro. videbantur preſſi, & ad pendendam ſubinde majorem pro pallio redimendo auri ſummam, edictis & minis Pontificiis compulſi. In his & ALBERTUS hic, ad ArchiEpiſcopatum evectus, ſub eodem jam decumbebat auri Romam deportandi onere, neque apparebat adhuc, qua arte tanta auri moles ex ſubditorum loculis extorquenda. Conſilium itaque WIMPHELINGII haud obſcurum: ALBERTUS, gravaminum Germaniæ priſtinorum memor, onus illud, & ſibi à Romanis jam impoſitum, magnam auri ſummam Romam abſportandi, deponeret, ſubditis opes relinqueret, vel collectas ſibi ſervaret, Pontificique, iniquo exactori, denegaret, LEONIque è faucibus prædam eriperet, eoque pacto ſuam & Germanicæ Eccleſiæ libertatem vindicare ac tueri ſtuderet. Quo fine, ut nullus Electori ALBERTO ſupereſſet ſcrupulus, cui, hoc forte machinaturo, objici à Romanis poſſet graviſſima illa ac ænea, ſi non ferrea, & haud facile infringenda, ÆNEÆ SYLVII pro Romano aurum à Germanis exigendi jure Apologia: Duram hanc *refutandi provinciam* in ſe ſuſcepit, eamque *refutationem* ALBERTO conſecravit. Si qua forte metum excuteret Princeps, & exemplum Anteceſſoris olim Archi-Epiſcopi ſecutus, libertatem juſtam quæreret ſibique vindicaret.

Albertus Elector Moguntinus excitatus, qui Germaniæ libertati conſuleret exemplo ſui anteceſſoris.

Quod conſilium, hac *Operis dedicatione* ALBERTO ſuggeſtum, ex præfatione haud obſcurum: Quâ artes Æneæ Itali, Germanis blandiendi, & eorum aurum venandi, aperte depingit. *Quod* igitur MARTINUS MAJOR, *olim Theodorici Erbacenſis, Electoris Moguntini, Cancellarius, contra Æneæ machinas indubie fuiſſet facturus, ſi ſuperſtes eſſet*, illud *reſpondendi onus* amicorum ſuaſu ſe ſuſcepiſſe

 ſcri-

ſcribit, Germanum pro Germano, Heidelbergenſem pro Heidelbergenſi, Imperii filium pro Imperio. Ideo verò Moguntinenſi Electori ALBERTO ſe opus dedicare ingenue pronunciat, ut, ſicuti *per Cancellarium Moguntinenſem Gravamina Germaniæ olim publicata*, ita *querelarum illarum confirmatio ad eundem Electorem redeat.* Commendat ſimul, calcar occulte additurus, ALBERTI, Epiſcopi, ut ferarum ita & animarum curam. 14. Cal. Junii A. 1515.

Uti ergo tota plenius conſtaret rerum à Mejero Cancellario & Ænea Sylvio Cardinale geſtarum hiſtoria, & ſua argutiſſimo olim Cardinali danda reſponſio fieret planior: In hoc ſuo Opere præmiſit laudati *Mejeri* decantatam *Epiſtolam*, decem Germaniæ nationis Gravamina complexam. Dein addidit *Æneæ Sylvii opus de Germania*, in Capita diſtinctum & ſummariis ac marginalibus illuſtratum. Cujus utriusque ſcripti argumentum ſupra cap. XIII. & XIV. jam dedimus. Quare *VVIMPHELINGII Replicas* hic pertexiſſe ſuffecerit.

Scilicet ad argutam illam *Germaniæ exagitationem*, *à Sylvio* profectam, cum non reſponſum eſſet publice, donec *Jacobus Wimphelingius*, *Theologus celebris* Imperatori Maximiliano carus, jam ſenex, hoc anno in lucem revocatam, præmiſſa *Mejeri* Epiſtola, gravamina Germanicæ nationis decem continente, conjunctim iterum ſiſteret: *Reſponſionem ſuam*, aut, ut vocat *Replicas*, conciſas & ſtrictim notatas, ſubjecit, *ad ſalutem & decorem ſacroſancti Rom. Imperii, amore patriæ Germanicæque nationis.*

Opes Germanorum labore partæ. Æneæ calliditatem primò notat, qui laudes Germaniæ cumulaverit, *ne ſegnius aurum Romam mitterent*, mellitis verbis deliniti. Blanditias Æneæ, inſidias eſſe, Germanorum opibus ſtructas. *Labore illas à Germanis partas & frugalitate*, profitetur. Sed & *illis in Germania opus eſſe*, monet, ad templa, ad urbes, vias, & Reſpublicas, ad patriam defendendam, ad Xenodochia, ad pauperes & ægros conſervandos.

Quod Æneas exprobraverat Germanis *beneficium Romanum* prædicati Chriſti, Wimphelingius non negat, ſed ſcite adverſus Romanos invertit: *Romanos* æque ac *Germanos à Chriſto fidem accepiſſe.* Si ergo Germani pro prædicato Chriſto teneantur Romanis prædicatoribus gratitudinis nomine aurum pendere; eodem modo & Romanos Petro eſſe obligatos, natione Judæo, ex Palæſtina venienti, qui Romanis Chriſti fidem prædicaverit, ut eodem gratitudinis nomine pro accepto à Judæis Evangelio aurum & argentum quotannis in Syriam mittere teneantur.

Germanorum fides in Chriſtum, Exceptioni, *Petrum ſedem Romæ, non Hieroſolymis habuiſſe*, it obviam; Antiochiæ prius fuiſſe illius cathedram. Argumento huic dialectico præmiſſo ſubjungit veram *gratitudinis Chriſto debitæ* rationem ac indolem: *Quæ non tam ſplendore ſeculari & externis ceremoniis, quam imitatione morum, caſtimonia, humilitate, modeſtia, divitiarum & deliciarum contemptu, liberalitate in pauperes, cœleſtium rerum amore, & devota commiſeratione in Chriſti crucem & paſſionem exhibetur.* His virtutibus, ab Eccleſiæ exordio à primis paſtoribus (aurum haud emulgentibus) germaniæ prædicatis, in quibus ſit verus Deoque gratiſſimus cultus, Germanos ingratitudinis vitium effugere, intrepide affirmat. *religioſitas.* Ex hoc debito, Chriſto præſtando, ſuſcitata Germanis templa, ſacella, aras, omnemque Dei cultum reliquum. Eoque fine Sacerdotia à Germanis fundata.

Ignominiam ab Ænea *Germanis* inuſtam, *quibus ante Baptiſmum nihil immundius, nihil tetrius, nihil ſpurcius fuerit*, detergit Noſter. Non ſolos *Germanos*, ante Chriſti fidem, falſos Deos & obſcœna vitia eſſe ſectatos. Dein, notam in *Romanos* meliori ſpecie refundit, de quibus, non Germanis, Satyrici Latini cecine-

cinerint: Imo quod non Germanorum ſed Romanorum flagitia immaniſſima Paulus cap. 1. Rom. taxaverit.

Crimen ab Ænea priſcis Germanis objectum de *filiis Cacadæmoni litatis*, Gallis hoc à *Cicerone*, *in Orat. pro Marco Fonteo*, tribui innuit. Germanos verò, tunc gentiles, abhoc ſcelere dudum liberatos, beneficium hoc *Adriano Cæſari debere*, non Romanis.

Germanorũ beneficia in Romanã curiam.

Jactantiam Æneæ, *ſingularia beneficia à Romanis in Germanos collata*, retundit ſimilibus & forte majoribus beneficiis, per Cæſares, ope Germanorum, in Romanos collatis. Sic merita Caroli Magni, & pro Romanorum ſalute ſtudia, nec non Ottonum, Sigiſmundi, Friderici III. commendat, præſertim Maximiliani, qui niſi Romam coleret Julium Pontificem ſede ſua fuiſſe pulſum. Inter alia Germanorum publica in Rom. ſedem beneficia refert Wimphelingius, *nobiliſſimam excellentiſſimamque artem impreſſoriam*, per Germanorum, Argentinenſis cujuſpiam & Moguntini ſagaciſſimam ac vigilantiſſimam induſtriam inventam. Qua arte omnes optimæ & fidei & morum doctrinæ, diverſis etiam lingvis conſcriptæ, in univerſum orbem propagentur. Hâc arte ſummorum Pontificum mandata, quæ ſumme neceſſaria Rom. ſedis religionisque negotia continent, uno die à duobus aut tribus, ad dignitatem Apoſtolicæ ſedis conſervandam magis magisque multiplicari ac diſſeminari, quam à librariis ducentis, tota hebdomade ſcribendo fatigatis.

Ars typographica à Germanis inventa.

Exprobrat dein Noſter ignominioſum *Barbari* nomen, quod Germanis Itali dederant. Quod nomen non ſint promeriti, qui religionem Chriſtianam conſtanter profiteantur, ſanguinem pro ea fuſuri, qui mandata Romana accipiant, condonationes ſuſcipiant, Romam petant, æs mittant. Indignum hoc, pro ſinceritate Germanorum nomen animoſe declinat his verbis: *Si juxta Æneam, religio barbariem deterſit, & nos religionem colimus & amplectimur, immerito & injuſte fœdo barbarorum titulo, ut ſclavi & mancipia, à quibus aurum emulgendum ſit, contaminamur.*

Germani non ſunt barbari.

Artes ſic iterum detegit Æneæ, Germaniam urbesque ejus & ſacras ædes, munificis laudibus extollentis, *ut præconiis dulcibus illecti ad fideliſſimas Italicaque nationi profuturas admonitiones benignius aures ſuas accommodarent Germani, & ad profundendam in exteros rem familiarem eſſent benevolentiores.*

Examinat porro Æneæ ſollicitudinem *conſtitutionem Concilii Baſileenſis, Sanctionem Pragmaticam*, eludendi ac repudiandi. Monet Noſter, *pro illa ſanctione ipſum Æneam ad Agrippinos ſcripſiſſe.* Quo aculeo oblique redarguit *Æneæ inconſtantiam*, qui quam ipſe olim probaſſet, Cardinalis factus repudiaſſet. Integritatem Conſtitutionis deſignat noſter, cum à ſapientiſſimis juſtiſſimisque Concilii Patribus Spiritus Sancti ductu ſit condita. Cauſam cur Æneas infringere illam Sanctionem laboret, addit: *Ne Germani eidem, ſicut cæteræ Chriſtianiſſimæ nationes innixi, conſtrictis marſupiis ad expendendum aurum ſint tardiores.* Callidum conſilium Æneæ detegit, qui finem Conſtitutionis pervertat, & falſum Germanis affingat. Non huc tendere illam conſtitutionem, ne germanica natio Apoſtolicæ ſedis juſſionibus obediat, & ne quid pecuniarum ad Rom. curiam deferre cogatur. Diſtingvit ergo Wimphelingius inter juſſa Pontificis honeſta, & pecuniam debitam, & utrorumque exceſſum. Neminem Epiſcoporum vel Principum Germanorum honeſta Pontificis juſſa contemnere, & *debitas pecunias* ſummo omnium paſtori ac patri denegare. Pergere nihilominus Germanos, poſita licet ſanctione, Romam quotidie, pro reſervatis, gratiis & diſpenſationibus aurum expendere, cauſas etiam profanas, nedum per appellationes illuc trahi: Condonationes à nulla natione promptius ſuſcipi quàm Germanica. *Quod ante hæc ſecula*, ait, *præſtitere majores noſtri, quod legitimum eſt, quod juſtum eſt, quod tolerabile eſt, id amodo præſtitum iri nemo noſtrum refragabitur. At plus æquo à nobis emungi Corinthiorum ſimiles nos facit, ad quos arguendos*

Æneas Sylvius inconſtans.

Sanctionis pragmaticæ ſcopus.

electionis vas inſonabat: Suſtinetis ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit.

Collectionem Æneæ: Bononienſes, Peruſinos, Eccleſiæ vicarios, & reliquos populos Eccleſiæ Rom. ſubjectos, aut nihil aut quantum velint, conferre, *ideo Germanos immoderatius ſua elargiri debere*; pernegat Noſter, nec ulla lege eos ad hoc cogi poſſe.

Simili modo & alterum Æneæ argumentum, *Romam innumeros fere miniſtros, diverſis muneribus præfectos, habere*, qui indies multiplicentur, adeoque Germanorum requiri nummos, rejicit Noſter; *Quaſi illa de cauſa res familiaris Germanorum ſit exhaurienda?*

Germani juſtitiæ cultores.

Objectionem, *Romam eſſe commune appellantium refugium*, diſſolvit: *Absque neceſſitate.* Eſſe & in Germania Metropoles, juriſprudentia & integritate judicum ſuffultas, ad quas à Germanis Cathedralibus [quæ proximam ſedem judicandi habeant] ſi quis ſe oppreſſum putet, per appellationem refugium habere poſſit. Injuſtum eſſe, quemlibet Germanum, vel ſecularem, proximo ſuo judice contemto, pro re leviſſima, ex vindictæ quandoque livore & in propria perſona, ad Rom. tribunal trahi. In arduis & graviſſimis cauſis Romam appellari, permittit.

Ita querelam Æneæ, *Rom. curiam laborum pondere eſſe obrutam*, refellit, illorum damnans culpam: Quod *Cæſari, quod ArchiEpiſcopis & Epiſcopis Germanis, ſuam judiciariam poteſtatem convellant*, adeoque ad ſe cauſas *ſine cauſa* rapiant.

Sic confeſſionem Æneæ agnoſcit, *de integritate Germanorum, de judiciis & conſiliis illorum ſalubribus, de rebus prudenter & graviter per Germanos adminiſtratis.*

Pragmaticæ ſanctionis Baſileenſis commendatio.

Conſtitutionem proinde *Baſileenſem* tuetur Noſter, *quæ nihil contineat, niſi quod Dei gloriam foveat, quod ratio ſuadeat, quod æquitas poſtulet, quod naturæ lex ſuggerat, quod canones mandent, quod religioni & honeſto conſentaneum ſit.* Summam ejus recenſet: Qui Eccleſias erexerint, qui ſacerdotia dotaverint, & in illis idoneos inſtituerint miniſtros, ad propagandam fidem, bonos mores & exempla virtutum, juxta antiqvum Clementis decretum, qui ſacerdotes bonos deſideraverit. Hoc ergo *deſiderium & Germanorum* ſacerdotii boni, commendat, laudatque ſanctionem Concilii Baſil. *de felici regimine ſtatus Eccleſiaſtici.* Urgeri eo fine à Concilio Baſ. ſanctos canones, à ſanctis Patribus olim conditos. Quamdiu ſancti illi majorum de felici Eccleſiæ regimine & bono ſacerdotio, canones ſint obſervati, floruiſſe in Eccleſia Dei honeſtatem, diſciplinam, religionem, pietatem, charitatem & pacem. Ex *ambitione* verò & *avaritia*, quibus patrum decreta contemnantur, *ſubſecutas eſſe morum corruptiones atq; deformitates, ſtatus Eccleſiaſtici dehoneſtationes, uſurpationes graviſſimas. Præſertim hoc fieri per Prælaturarum & dignitatum aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum reſervationes: Per gratiarum ad vacatura beneficia expectativarum, à jure valde exorbitantium, reſervationes: Per innumerabiles conceſſiones, graviſſimaque & importabilia onera. Quibus Eccleſia & perſonæ Eccleſiaſticæ afflictæ, oppreſſæ, & quaſi ad internecionem redactæ illis diebus conſpiciantur.* Nam Eccleſiarum & beneficiorum pecunias indignos exterosque occupare: Majores dignitates opulentioraque beneficia perſonis conferri incognitis & non probatis: Paucos in Eccleſia reſidere; neque enim, cum ſint plurales, ubique reſidere & præſentias deſervire poſſe, neque vultus commiſſi ſibi gregis agnoſcere. Animarum cura neglecta temporalia lucra ſolummodo quæri: Chriſti cultum diminui: Hoſpitalitatem ſubtrahi: Eccleſiarum jura deperire: Ædificia ruere: Populi devotionem attenuari: Clericos, ſcientiis & virtutibus effulgentes, qui in ædificationem plebis vacare poſſent, & qui pro animarum & Eccleſiæ ſalute publicis conſiliis forent opportuni, divinarum humanarumque ſcientiarum ſtudia deſerere, propter ſpem promotionis ad beneficia eis ablatam: Votum alienæ mortis oriri: Lites infinitas, contentiones, rixas, rancores & odia inter Chriſti miniſtros ſuſcitari, nutriri ac foveri: Execrabilem pluralitatis beneficiorum ambitionem augeri: Pauperes clericos cum rerum ſuarum diſcrimine per calumnio-

Digitized by Google

mnioſos & cavilloſos opprimi: Beneficia per litium anfractus injuſte ſæpius occupari: Beneficia inofficiata relinqui: Beneficia Simoniace acquiri: juvenibus bonæ indolis, qui literis & virtutibus intendere debebant, evagandi licentiam præberi: Prælatis & clericis ordinariis collatoribus jus ſuum atque miniſterium auferri: ordinem Eccleſiæ Hierarchicum confundi: Plurima adverſus divina & humana jura in animarum perniciem & Eccleſiarum oppresſionem ac conculcationem perpetrari.

Poſthæc damna attingit *Eccleſiarum, ad quas gratiæ Apoſtolicæ & reſervata ſe extendant*, dum vacant, quod interdum propter diverſos litigantes, & varias illorum fraudes ac artes, ad biennium aut triennium certo ac idoneo paſtore deſtituantur. Et ſi vix tandem aliquis illorum collitigantium victor aliorum in parochia aliqua utcumque evaſerit, quod ipſe in ea non reſideat, vel ſi reſideat, non prædicet, nec ſuggeſtum aſcendat, nec preces pro Pontifice, Eccleſia, Cæſare, publice fundat. Id in *Eccleſiis parochialibus* non facile contingere, *ad quas gratiæ Apoſtolicæ & reſervationes non ſpectent*, adeoque ad illas contentioſi per gratias illas non adſpirent. Ad has, dum vacant, recte conſtituendas, ſtatim ab idoneis Eccleſiæ Patronis omnia inſtrui ſalubriter, absque lite, absque multa pecuniarum profuſione. Dum vel univerſitates, vel Senatus, vel Eccleſiarum tutores, vel deputati, vel capitula, ſtatim deliberent, & ad Dei honorem animarumque ſalutem bonos & doctos viros iisdem absque controverſia & litibus præficiant, qui ipſi adſint, ipſi prædicent, populum verbo & exemplo ædificent, & ſuas oves in viam ſalutis, ut veri paſtores, dirigant.

Eccleſia Germanica quare diu olim Paſtoribus deſtituta.

Jure patronatus in Eccleſiis feliciter uſi Germani.

Ad *hoc* curandum & promovendum obligatum eſſe Pontificem ſummum, nempe, *ut Evangelium Chriſti omnibus ſincere prædicetur*, ut omnes errores propellantur, ſchiſmata removeantur, bella ſopiantur ut honoretur Deus & ille laudetur. Hoc autem melius cum ipſis ſummis Pontificibus & efficacius præſtituros, non ephebos, non mulorum duces, non citationum inſinuatores, ſed juris Pontificii *divinarumque literarum peritos*, tum in *concionibus*, tum expiandis per confesſionem conſcientiis. *Lege* ſic fuiſſe decretum in concilio Baſileenſi, tertiam præbendarum partem *ſacrarum literarum doctis* eſſe conferendam.

Doctorum ergo & exemplarium Theologiæ Profeſſorum & concionatorum commoda, in Eccleſiam uberrime redundatura, commemorat. Horum doctrina, monitis, conſiliis, bono vitæ exemplo, & concionibus, plus in plebe effici, quam acerbitate, pompa, minis, terroribus, armis aut cenſuris. Optime proſpectum Eccleſiis monet, ſi boni viri, moribus & doctrina probati, illis præſint, quorum Germania ſcateat, iidemque in Gymnaſiis floreant, quorum non pauca poſt Æneam in Germania ſint ſuſcitata. Pontificem recte agere, ſi talibus viris proſpiciat Eccleſiæ & ſcholis, neque ſit populus ſicut oves absque Paſtore. Utique honeſtius & ſanctius eſſe, ovibus Chriſti, in Chriſtiana vita fideliter inſtituendis, de bonis idoneisque Paſtoribus prudenter conſulere, quam barbaris & indoctis, paſtorum ſolum nomen habituris, de lana, lacte, cerere & Baccho, auro, argento, in luxu & otio paſcendis, ex carnali affectu aut vilis obſequii contemplatione, providere. Sic inventum iri in Germania non turpium fabularum, ſed omnis nobilisſimæ Philoſophiæ & Chriſtianarum literarum juriſque Pontificii apprime doctos, qui Eccleſias regerent. Horum itaque doctorum & modeſtorum Paſtorum ſacerdotumque plures in Eccleſiis conſtituendos urget. Idque concilii Baſileenſis lege cautum eſſe, quæ voluit Evangelium Chriſti omnibus ſincere prædicari. Illam Baſileenſem legem inter alios magnos patres, à non paucis Cardinalibus, Juliano, Cuſano, & Ludovico Arelatenſi, fuiſſe definitam & editam.

Eruditionis fructus in Eccleſia doctoribus.

Gregorii M. dicta & exemplum proponit, qui pronunciarit, Retinendum ab Apoſtolica ſede proprium vigorem, & à ſe conceſſa aliis jura ſua ab eo non eſſe minuenda. Item: Non plus pecuniæ quam animabus ſtudendum: Quo-

niam redemptor noſter à ſacerdotis officio non quærit aurum, ſed animas. Humanius ergo & benignius Rom. Pontificem ſe gerere debere erga Germanos, ut matrem, non novercam, levioremque & tolerabiliorem illis imponendam ſarcinam. Gregorii quidem M. exemplo, qui ſuſceptis à patricio Galliarum quadringentis ſolidis immortales gratias egerit.

Sumptus pro Archi Epiſcoporum pallio redimendo moderandos eſſe.

Obſecrat ergo noſter & optat, Mater illa Romana Germaniam hac ſaltem pietate *largitionumque moderatione* dignetur, ut, Archi Epiſcopis Germanis & Epiſcopis intra paucos annos è vita ſublatis, mitius & clementius cum ſucceſſoribus agatur. *Sumptus*, ab illis *pro redimendo pallio pendendos*, plerumque à miſerrimis agricolis & civibus, cleroque maxime rurali, corradi, quibus perſæpe patresfamilias pro liberis educandis, ipſique ſacrificuli pro vita ſuſtentanda opus haberent. Periculum eſſe, ne ſeditio tandem vulgi, ſæpe de hâc re murmurantis, ut ſuis Wimphelingius audiverit auribus, in Eccleſiaſticos ſuboriatur, neve Bohemici motus latius ſerpant.

Immenſi olim ſumptus pro redimendo pallio ArchiEpiſcopi Moguntinenſis Alberti.

Largitiones iſtas à Leone II. (Platina autore) & Ludovico Galliæ Rege, fuiſſe interdictas. Memorabilis incidit hic & juſta querela de *magno auri pretio, quo pallium ArchiEpiſcopi* (Moguntini] tunc *redimendum* erat. *Durum equidem eſt*, inquit, *non quadringentorum, quibus Gregorius gratias agens ſatiabatur, ſed viginti aut eo amplius millium aureorum nummum exactione clero & plebi nuper impoſita, & ea quidem nondum diſſoluta, propter novum ArchiEpiſcopum aliam & æqualem propediem popularibus & Chriſti miniſtris impoſitum iri. Potiſſime cum veterem pro pallii uſu jam pridem præſtitam ſummam, decem duntaxat millium fuiſſe, memoria proditum ſit. Quæ quia à prædeceſſore reddita non eſt, ſucceſſor ſuam decem, & anteceſſoris æqualem, diſſolvi neglectam, tradere cogebatur. Quibus in ſcrinium ſeu regiſtrum ad poſteritatis memoriam forte conſignatis, viginti millia uſque ad noſtram ætatem ab omnibus ArchiEpiſcopis* (Moguntinis) *exigi dicuntur.*

Cum ergo his & aliis modis Germania debilitetur, monet, *Concordatis Principum*, quibus edendis Æneas in Concilio Baſ. adfuerit, Rom. ſedes non contraveniat, ſtygios regreſſus, nonnunquam falſos & fictos, ut ſuo ſit edoctus exemplo, ordinariis collatoribus intolerabiles, enervet, per ampliſſima reſervata, curialibus etiam moleſta, non uſque adeo & tam crebro Germaniam gravet, nec innumeras ad unum collatorum gratias in terris Eccleſiæ Rom. non ſubjectis concedat. Quare *multiplicationem gratiarum expectativarum* multis impugnat: Quam nec Æneas potuerit probare.

Germania excitata ad jura ſua Epiſcopalia defendenda.

Excitat dehinc graviſſimis monitis *Germaniam, quæ ſua tueatur jura contra ſedem Rom.* ne per Ro. curiam *Concordata Principum* caſſentur, ne preces Regiæ in menſibus ordinariorum rejiciantur, ne ordinariis collatoribus per reſervata aut regreſſus jus ſuum auferatur, ne ſeculares ſuo patronatus jure priventur, ne audiant mentientes ſe eſſe *familiares Pontificis*, eoque prætextu principum, etiam Electorum, filiis præbendas ſubtrahant, cum Sixtus IV. prohibuerit, *non oriundos ex Germania ad Germaniam habere expectativas.* Sacerdotes morbo aut ſenio confecti per lites & fraudes ne exuantur beneficiis: ne Canonici plures gratias invadant & Canonicatus: ne quoque Sacerdotes opulentiſſimi, panem ab ore pauperum reſecantes, tota vita pro novis ſacerdotiis contendant, ac per fas & nefas invadant. De quibus abuſibus conquerentem laudat Philippum, ArchiEpiſcopum Colonienſem, aliumque Prælatum, quos ipſe audiverit Wimphelingius queritantes. Eas interdum fraudes ſacerdotum in beneficiis iſtis cumulandis, litibusque eum in finem movendis, ab eorum obitu detectas, ait, ut ſi adhuc ſuperſtites eſſent, propter illas malas venandi artes flammis in cinerem eſſent redigendi & exurendi.

Bertoldi Electoris Moguntinenſis intentio.

Studium dein ardens & pium *Bertoldi* Hennebergenſis, Epiſcopi & Principis *Electoris Moguntini* ſapientiſſimi, commendat, qui illa & majora Germaniæ gravamina ſæpe ac multum animo revolverit. Audiens ergo cum ſolido gaudio Franciſcum Senenſem ad ſumma ſe-

dis

dis Apoſtolicæ faſtigia pro meritis tunc evectum, de quo ſciret, eum Germanicæ nationi vehementer affectum, mox propria manu pleraque iſta gravamina conſignare cœperit, quorum vel remedia, vel levamina pro divini cultus Germanicæque nationis incremento, ſeſe ab uno impetraturum confideret. Eamque occaſionem fuiſſe meminit *Wimphelingius* & ſui hujus ſcripti, qui *inſtituti & voluntatis Archi-Epiſcopi & Electoris illius conſcius*, ad reſpondendum Æneæ pro Martino ſit laceſſitus.

Præter hanc amplam ſcribendi occaſionem, cauſas allegat reliquas: Amorem imperii & nationis Germanicæ, amorem ſtudii ſacrarum literarum, cum illi, qui multo ſtudio & labore docti & Eccleſiæ utiles evaſerint, ſacerdotia difficile conſequantur: commiſerationem erga pauperes, qui premantur: affectum erga plebem doctoribus doctis & honeſtis deſtitutam: *Leonis* denique *X. Pontificis* ſanctimoniam, juſtitiam & flagrantiſſimum Chriſtianæ religionis zelum. Ex hujus igitur *Bulla de Reformatione Eccleſiæ*, recenſet ejus decreta, de juventute in bonis moribus & religione inſtituenda, diuturno poeticæ ſtudio prohibito, ut hoc ordine diſciplina Chriſtiana felicius reparetur: Ejuſdemque mandata commendat de non cumulandis reditibus unius Eccleſiaſtici, in aliorum damnum aut ſcandalum, ad tenorem Concilii Baſileenſis. Prudentiſſimum denique & ſaluberrimum *Leonis* laudati conſilium celebrat, ex Bulla ſeſſionis IX. de piis in Eccleſia moribus reducendis, *luxu & avaritia* ſacro decreto *ex ſtatu potiſſimum celſiore & digniore eliminandis*. Ut ex ſuperiorum reformatorum aut emendatorum conſpectu diſcat emendari vulgus, quem verba minus quam opera movent.

Leonis X pro Reformatione Eccleſiæ bulla.

Subnectitur fini Epiſtola JOHANNIS GVIDÆ ad Hier. Vehum, Chriſtophori Marchionis Badenſis Conſiliarium, quâ ſignificat ſe ad nutum *Wimphelingii* huic operi adjeciſſe peregrinationes binas *Jacobi*, *Marchionis Badenſis*, *Chriſtophori* primigeniti, quas Romam inſtituerit A. 1489. & 90. ad *Innocentium Papam VIII.* Deſcripſit illam *Marchionis Jacobi*, Romam bis petentis, hiſtoriam, reſque ibi geſtas, *Joannes Muller de Raſtetten*, *I. V. D. & Eccleſiæ Badenſis Decanus*, qui cum *Adamo Frei*, *Eccleſiæ Badenſis Cantore*, Marchionem Romæ agentem gubernarat. Sunt relatæ omnes Epiſtolæ, à Rege & Imperatore Romanorum Archi-Epiſcopis plurimis aliiſque Principibus datæ pro *Johanne Badenſi* ad *Pontificem & Cardinales*, quibus cum commendarent, & *pro Eccleſiaſticis Beneficiis* in eum ſtudiis ſacris deditum conferendis intercederent. Videtur autem tota illa hiſtoria conſulto addita editis *Germaniæ Gravaminibus* & à Wimphelingio vindicatis, ut oblique vel illuſtri illo exemplo conſtaret, Romanos Germanis Principibus verba quidem dare ſolitos, ſed beneficiis deſideratis parcius beare conſtituiſſe. Id enim ex hiſtoria iſta abunde conſtat, literas & preces Imperatoris & Electorum atque Principum Germaniæ frequentiſſimas intenſiſſimaſque tantum efficere non potuiſſe apud Papam & Cardinales, ut voti fieret compos Marchio, ſacris ſtudiis & literis tunc addictus.

Carmina doctorum virorum operi ſunt adjecta votorum *de reformatione Eccleſiæ* plena. Commendatur illis *LEO X. Papa*, qui *Eccleſiam reformare* & virtutes ac bona ſtudia plantare conſtituerit. NICOLAI GERBELLII carmen hoc eſt.

Reformatio Eccleſiæ à Leone X. expectata.

Quid, precor, in magno regnat præſtantius orbe:
Quid majus cœlum credis habere Deo?
Terra nihil melius, nihil æquora, cuncta videmus
Arbitrio autoris cedere regna ſui.
Sed tamen imperii majeſtatiſque ſupremæ
Partes Pontifici præbuit ipſe ſuo.
Qui cupit antiquam totum renovare per orbem
Virtutem, & paci reddere cuncta novæ.

Ingenuis priſcum ſtudiis reparare nitorem
Deſertis, vires vult adhibere ſuas.
Omnia reſtituet (dexter Deus adſit) ad unguem:
Hoc duce florebunt quæ latuere prius.

OTTOMARI NACHTGAL *Argentini*, de Zelo *Leonis X. Papæ*, deque frugalitate, ad Eccleſiaſticos parænesis hæc eſt.

Nudus cum tua ſit ſors Chriſtus, presbyter, auri
Cur tua tam torquet viſcera ſacra fames?
Quam facile aëreæ pergunt ſine mole volucres,
Tam vives, tenuis ſi tibi victus erit.
Sæpe rates ventus grandis male quaſſat onuſtas,
Sed levis in portum cymba repente volat.
Quid refert, Simon, niteat tibi multa ſupellex?
Candidus at ſit amor, ſpesque fidesque Dei.
Sufficit exiguus virtuti cenſus. Inerti
Si tumeas faſtu, quid ſatis eſſe poteſt?
Non mihi multorum cedant ſtipendia ſoli,
Ne fratri rapiens ſcandala ſæva feram.
Nec fas ad luxum ſinit ut res ſuppetat ulli,
Pontificisque recens ſanctio ſacra vetat.
Hic *decimus* Domini caulas *Leo* protinus implet,
Dum paſſim ſentes deſecuiſſe cupit.
Sauciat æthereos animos ſcelerata cupido,
Ne ſe vincta tricis tollere poſſit humo.
Exemplo es, dives, opibus damnate cruentis,
Lazari erat dum mens libera juncta Deo.
Wimphlingi haud aliter præſens docuit liber, ætas
Subdita cui quondam noſtra tenella fuit.

Spes de reformanda Eccleſia per Leonē X.

Munitum quoque hoc opus *privilegio Maximiliani Imperatoris* luculento, dato *Auguſtæ*, 14. *April. A.* 1515. Cui ad mandatum Imperatoris ſubſcripſit *Jacobus Spiegel.*

Denique Epigrammata JOH. GUIDÆ in Æneæ callide impugnatam Germaniam, ob hiſtoriam forte non prætermittenda.

Germanos vario deſcribens ordine ritus
Sylvius Æneas, res, loca, templa, vias,
Toxica commiſcet ſcriptis: Tibi Roma favendo
Mellitis noſtras & nimis ardet opes.

Item.

Lector adeſto ſagax: Latet en ſub melle venenum.
Laudamur, noſtras ut tribuamus opes.
Sanctio Concilii damnatur Baſileenſis,
Quam juri nixam Francia docta colit.

Sed nec præteriiſſe fas eſt *hiſtoriam duorum Falſariorum*, qui Romæ ſub Innocentio VIII. ſunt combuſti, quam laudatus *Joh. Muller de Raſtetten*, Marchionis Badenſis in itinere Romano dux & conſiliorum autor, conſignavit. Ideo verò operi huic Wimphelingiano ſubnexa videtur, ut ex his etiam exemplis cognoſceretur, quæ fraudes etiam in curia Rom. deprehendantur. Falſarii fuerunt *Franciſcus de Forlivio* Presbyter, Canonicus, cauſarumque in urbe ſollicitator, & *Dominicus de Viterbio*, Clericus, primam nactus tonſuram, conjugatus, & Apoſtolicarum literarum ſcriptor. Hi per aquam arte confectam, literas ex bullis Apoſtolicis legitime ſcriptis, & ſigillo ſignaturisque roboratis, vel in toto vel ex parte aboleverant. Illis ergo deletis, alias adulterinas literas, fictas, inſcripſerunt. Materia ſubſtitutarum literarum fuit: Ut per eas clericis in ſacris conſtitutis indultum conſtaret, qui uxores ducere poſſent: De eſu carnium diebus

Franciſco de Forlivio, Dominicus de Viterbio, Falſarii literarū Apoſtolicarum.

Digitized by Google

diebus ab Eccleſia prohibitis: De unione, ſeparatione, incorporationeque Eccleſiarum: De pluralitate beneficiorum aliisque multis & diverſis caſibus, de quibus diſpenſaretur. Poſt inquiſitionem & confeſſionem A. C. 1489. 14. Cal. Nov. ante ſcalas vel gradus D. Petri in ſuggeſtu ligneo, ab uno Epiſcopo, juſſu Pontificis, degradati, manibus ſecularis magiſtratus traditi, vehiculo impoſiti, appenſis literis falſificatis, ut ajunt, in Campum Floræ vecti, igne ſunt cremati. *Dominicus de Viterbio* multis pro redimenda vita carminibus editis & intercedentium precibus ſupplicium, ſed fruſtra, declinare ſtuduerat. In his triſte carmen ad Pontificem hoc legitur: *Romæ combuſti. Lacrymæ Dominici de Viterbio.*

Fune diu miſerum torſere & verbere corpus.
 Nec niſi quam faſſus pœna reperta mihi.
Sed nihil hoc potuit committi crimine majus:
 Sola tua eſt pietas major & imperium.
Pulchra furem faciunt, vulgi dicteria cantant,
 Furem, hoc deprehenſus ſuccubui auſpicio.
Numina ſancta Deûm teſtor: Mihi crimine ab illo
 Mens recta, & vitæ mos ſine labe fuit.
Peccavi, hoc hominum eſt: Miſereri & parcere, divûm.
 Jura regis, divûm. Crimina tolle hominûm.
Vade, nec ulterius pecces, Hæc ſumma Tonantis
 Pœna fuit, ſi quem pœnituit ſcelerum.
Regna Dei claveſque tenes, moremque modumque,
 Debitaque imperii jura tuere tui,
Peccavi, miſerere, procul ſit ſanguinis ira:
 Vivere vult & nos pœnituiſſe Deus.
Parce: Dei proprium miſereri & parcere: Parce!
 Illius in terris jura vicemque geris.

Aliud ejusdem ad Pontificem.

Heu pietas, heu ſumma tuæ clementia dextræ
 Adſit, & erroris commiſerere mei.
Sit ratio ætatis teneræ, teneriſque ſub annis
 Vix expectatum cerne magiſterium.
En res tanta fuit, magnos quoque noſcere Reges;
 Qui caderent ultro, ſi licuiſſet, erant.
En te, ſi qua meæ eſt anteactæ gloria vitæ,
 Te moveat nullus criminis ante robur.
En pietas, en te gemini, mea funera, flentes
 Nati, Te lacrymans flectat uterque parens.
Te fratres, omniſque domus tibi dedita ſupplex,
 Te moveat, pro me Maxima Roma rogans.

Dominicus de Viterbio
Speculum fortunæ.

Clauſit *Wimphelingius* hoc ſuum opuſculum ſubmiſſa conteſtatione, quam ipſe *ſinceram* appellat *additiunculam ad Replicas pro Martino Majore contra Æneam Sylvium. Qui Æneam,* inquit, *ſedulo relegerit, ſuorumque verborum pondus accurate introſpexerit, mea reſponſa graviter non feret. Imo Æneas, ſi ad nos redire, ætatisq; noſtræ mores cernere poſſet, nobis indubie adſtipularetur: Primùm pro eximio ſuo in Germaniam amore, quam veluti patriam ſuam duxit, deinde pro* *Calami Wimphelingiani excuſatio.*

Iii 3 *zelo*

zelo in Chriſtianam religionem, pro qua vel ſenio gravis bellum in Turcas movere tentarat, poſtremo pro ſua laudabili frugalitate, qua ad cardinem orbis terarrum exaltatus, reſervatumque ſuum excuſans, paucis ſe contentum eſſe poſſe Martino reſcripſit, & jam dudum à ſacroſancto Concilio Baſileenſi (Cui & Abbas Siculus Ludovicus Pontanus, Johannes Lucas, cujusdam Patroni mei Præceptor, interfuerunt) in auxilium Hildeboldi Senioris, indigne vexati, huc (Argentiam) orator miſſus, urbe perſpecta ejusque collegii, divi ſe Thomæ Præpoſitum, majora non deſideraturus, exoptare, cuidam dixit in ponte Bruſcenſi ſibi adſtanti Weſtvalo, ex quo Johannes Simler & Breidenbachius ſeſe audiviſſe mihi aliisq; perſæpe retulerunt. Accedit huc, quod, cum voto meo de inhabitanda ad mortem eremo fruſtratus eſſem, vitam in patrio ſolo finiturus, ſtatim loci ex cleri ſecularis paucitate pertæſus ſum. Nam etſi in pueritia & adoleſcentia mea plures illic honeſti ſacerdotes in baptiſmatis ſacræque communionis templo Deum coluiſſent, hoc tamen tempore, quo grandævus patriam reviſo, præter Curatum, ſuosque myſteriorum diſpenſatores unum duntaxat Sacellanum gemens offendi. Licet enim Eccleſia plures habuerit Capellanias à ſecularibus fundatas, illæ tamen interim (qua ſorte neſcio) ab opulentis & majora ſacerdotia tenentibus obtentæ ſunt. Qui dum in opimis alibi beneficiis, aut apud Tyberim pinguiora venaturi moram habuere, exiguis, quos in abſentia perceperunt, proventibus contenti, ſacerdotia patriæ, quæ ſingula frugalem ſacerdotem ſuſtentare poterant, ad inopiam vergere neglexerunt. Sicque beneficia patriæ diminuta, cultus Dei labefactatus, & parochia clero ſeculari deſtituta eſt. In patria inquam mea & quidem populoſa, inque præclaro ſacri Ro. Imperii vico, apud quem Carolus Magnus natalis Dominici diem (Reginone teſte) cum Principibus glorioſiſſime quondam celebravit, A. 775. Cujus calamitatis gratia ex eremo in patriam accerſitus cum honeſto ſenatu, aliisque zelo Dei flagrantibus ad id nitimur, ut duæ aut tres ſacellaniæ, ignaviter ad miſeriam redactæ, in unam, alimenta reſidenti & cum Eccleſiæ Rectore deum honoranti ſuppeditaturam, ſacroſanctæ ſedis Ap. favore & auctoritate conſlari & conjungi poſſint. Cujus rei Guilhelmus Antiſtes noſter pientiſſimus, digniſſimiq; Prælati & Capitulum ejus fundamenta jecerunt. Quo minus vereor, me bonis ac Chriſtianis viris bilem concitaturum, quando certo ſcient, me non animi morbo nova moliri, ſed juſto divini cultus patriæque amore, Martini Majoris querimonias pro Germania dudum ab eo factas, cum exaggeratione confirmaſſe. Ut enim de Deo terribili, Eccleſ. 43. qui major eſt omni laude, taceam, non tamen minus æquum, minusque decorum mihi viſum eſt, Germanum ſuæ, quam Italum Italicæ nationi & patriæ fuiſſe affectum. Quod autem Æneas haud ad gloriam noſtratium Epiſcoporum hæc verba ſuo tractatui inſeruit: Quod ſi unum Romanus Pontifex minus dignum presbyterio donaverit, ſupra mille invenias rudes, ignaros, hebetes, & prorſus ineptos ab ordinariis eſſe promotos, id ad honorem & excuſationem Antiſtitum Germaniæ nuper in Diatriba c. XV. confutavi.

Æneæ Sylvii commendatio.

Eccleſiarum triſtis facies tempore Wimphelingii.

Caput XX.

Brevis ſeries fatorum Reformationis Gerſonianæ in Germania.

EX his Eccleſiæ rebus, à temporibus Gerſonis integro ſeculo in Germania geſtis, breviter recenſitis, conſtare poteſt, quæ fuerint fata *Emendationis Gerſonianæ*, in *Germanos & in Imperatorem Romanorum olim devolutæ*. Quam brevem *fatorum delineationem* Commentarioli numero in illud *Gerſonis* opus arduum *De reformatione Eccleſiæ in Concilio univerſali*, ſubnectere libuit.

Quæſita fuit à Gerſono, cum Gallis, totoque orbe Chriſtiano, *reformatio Eccleſiæ in capite & in membris*, ſive regiminis Eccleſiaſtici, & vitæ cleri. Cap. I. In *Conſtantienſi Concilio* utrumque ſpectatum, ſed parum effectum. cap. 2.3. Quare in *Provincialibus Germaniæ Synodis*, Cleri reformatio publice per ArchiEpiſcopos tentata, aſt parvo cum fructu. c. 4.5.6.7. Quandoquidem ergo *regiminis Eccleſiaſtici ſupremi* in Ro. curia *emendatio* præcedere debebat, ſine qua cleri particularis emendatio vel difficilis vel fruſtranea: Hinc de *Capitis* primùm, ſeu *Ro. curiæ* emendatione agi cœptum in Concilio Senenſi, ac Baſileenſi. Sed rurſus irrito eventu. cap. 8.9. *Reformatio Eccleſiæ univerſalis fruſtra in Germania toties quæſita.*

Donec ſeorſim *Imperator* & *Principes Germaniæ* in *Comitiis* ſuis *de Eccleſiæ Germanicæ juribus* revocandis diſpicerent, variaq; media *Reformationis illius Eccleſiaſticæ* adhibenda quærerent. Cap. 10.11. ſeqq.

Sic ergo dum *capitis* cura tanto molimine quæſita, *membrorum* emendatio unà cum capitis medela evanuit. Meræ querelæ. Ut plerumque contingit. Ultra *Maximiliani* tempora progredi non conſtituimus, quod propiora ſolùm fata *deſiderii Gerſoniani* eſſent delineanda. In Gallia quæ *Reformationis illius* fuerint fata præteriimus, à *Petro Pithœo* conſignata necnon *Richerio*, aliiſque. Nos quid in Germania ſecutum, attigimus.

Hermannus von der Hardt.
Lectori S.

GErſoniana conſilia, *de communi Reformatione Eccleſiæ per Germanos*, modiſque ac limitibus obſervandis, quid *in Germania* effecerint, ex brevi illa *fatorum* recenſione haud obſcure patet. Ni *Gerſon* fuiſſet, veroſimile eſt, nunquam hoc *in Germania*, tum in Concilio Conſtantienſi tum Baſileenſi, ut & variis Comitiis Imperialibus, fuiſſe tentaturos Principes. Gerſon viam oſtendit, calcaria addidit, alios in ſententiam pertraxit. Hujus CANONES, ab Imperatore Sigismundo ac Principibus Germanis, *de Reformandi modo*, ſemel admiſſi, profundos in pectoribus Principum egerunt radices, ut nunquam non ſuperioribus veſtigiis inſiſterent, & ad eandem metam collimarent. *Gerſoniana de Reformatione conſilia tenaciter in Germanorum Principũ pectoribꝰ hæſerunt.*

Curatius ſi quis *conſilia Gerſoniana*, ſuperiori libro comprehenſa,

Digitized by Google

ſa, conferat cum *Actis* ipſis *Concilii Conſt.* deprehendet vix unum momentum, à Gerſono deſignatum, fuiſſe in Concilii negotiis tractandis prætermiſſum.

Marſilius quidem *Patavinus*, integro prope ante Gerſonem ſeculo, A. 1324. in ſuo *Defenſore pacis*, (edito primùm A. 1522.) nonnulla attigiſſe videbitur Gerſonianis ſimilia, quando contra Johannem XXII. autoritatem Imperatoris Ludovici Bavari ſtrenue defendere ſategit, uti Gerſon contra Johannem XXIII pro Imperatore certavit: Alius tamen utrique fuit ſcribendi ſcopus ac modus, alia occaſio. Ut *Gerſon* omnino *primus* ſit dicendus, qui pro' ſui temporis ſtatu, in illis Eccleſiæ negotiis, ea de Reformandis Eccleſiæ juribus dederit conſilia, quæ non ab *Imperatore ſolum Romano* audita, ſed & à *toto Concilio Oecumenico* Conſtantienſi probata, exercita, atque apud poſteros quæ perpetua praxi ſerventur digna judicata.

Ceterum in hac *Fatorum* recenſione, ea duntaxat hic referre libuit, quæ *publice* in Imperio per *Imperatorem* ac *Principes* in iſthoc *Eccleſiaſticæ reformationis negotio* tractata. Alia, quæ à Magiſtratibus oppidanis, à Monachorum ordinumque religioſorum Generalibus, Abbatibus minoribusque Antiſtitibus tentata, alii loco ſervavimus, tanquam à *præſenti* ſcopo remotiora. Quippe quod *Gerſon* non niſi regulam *communis Eccleſiaſticæ Reformationis per Imperatorem ac Germaniæ Principes procurandæ* ſuperiori libro expreſſerit.

Hujus igitur *Gerſoniani conſilii fata* in *publicis* ſolùm *Imperii conſiliis* & *Comitiis* atque *Synodis* erant demonſtranda.

Ottonis de Ziegenheim Trevirenſis Archi-Epiſcopi ac *Electoris*, publicum Reformandi inſtitutum *cap. VI. fol.* 163. ad annnum 1423. cum autoribus aliis, monente ipſo *Labbæo Concil. Tom. XII. f.* 359. retulimus, atque ex illius ætatis ſcriptoribus fide dignis illuſtravimus. Haud veriti *Petri Cratepolii Minoritæ* in *Annalibus Archi-Epiſcoporum Colonienſium ac Trevirenſium* ſcrupulum, qui p. 97. ita ſcribit: *Otto Comes à Zegeheim ad clavum Trevirenſis cathedræ ponitur, qui fuit vir bonæ vitæ & ſummæ in Deum devotionis. Viros literatos in ſummo ſemper habuit pretio & hæreticos perditiſſimum hominum genus, odio proſecutus eſt. In amicos placidus, in hoſtes ſeverus, in pauperes liberalis fuit. Erant ejus temporibus Clericorum mores, non qualis eorum exigit profeſſio. Quos cum hic corrigere & reformare vellet, eorum morſus ſenſit. Verum ipſe permanens in innocentia ac ſtudio reformandi corruptos mores, cum parum promoveret tandem ſolvi à corpore & eſſe cum Chriſto ex animo petiit. Valedixit igitur mortalium converſationi devotus Otto, Anno Chriſti* 1420. *cum duobus annis præfuiſſet.* In hoc Ottonis vitæ termino definiendo lapſum eſſe Cratepolum, vel ex eo manifeſtum, quod Comitiis Moguntinenſibus Anno 1427. belliſque Huſſiticis interfuerit. Teſtis illius, quod Comitiis Moguntinenſibus A. 1427. interfuerit, eſt ipſe Conradus Archi-Epiſcopus Moguntinenſis apud *Goldaſtum*, *Conſt. Imp. Tom. I. f.* 154. Teſtem hujus, Belli Huſſitici A. 1427. geſti, inter alios habemus *Andream*, *Presbyterum Ratisbonenſem*, qui illo tempore vixit, in *Chronico*

Digitized by Google

nico Bavariæ, in Opere Hiſtorico Kulpiſii, *fol.* 45. Ad Annum 1427. De tertia expeditione contra Bohemos. *Eodem anno Comites, Barones, milites & militares viri Ducatus Franconiæ de voluntate & aſſenſu quorundam Principum, Heraldos in univerſum miſerunt, proclamantes & invitantes Catholicos pugiles ad tabulam militaris honoris, ſcilicet ut militaria exercitia ludos & ſolatia, quæ hactenus in torneamentis & haſtiludiis agere conſueverant, in impugnationem hæreſium convertere conarentur. Hortatur ad hoc ſalubre propoſitum perficiendum Martinus Papa quoscunque fideles. Electores itaque Rom. Imperii leges optimas de voluntate Sigismundi Romanorum Regis in ſcriptis faciunt pro expeditione forti & valida in Bohemiam ſienda. Fiunt igitur hujus expeditionis ſummi Capitanei OTTO ARCHIEPISCOPUS TREVERENSIS & Fridericus Marchio Brandeburgenſis, quibus ingreſſis Bohemiam Naſa oppidum obſidetur. Ex inſperato verò eodem oppido non obtento exercitus verſus Dachoviam progreditur. Ubi in campo ab Heinrico, tit. S. Euſebii presbytero Cardinali Angliæ vulgariter nuncupato, Apoſtolicæ ſedis legato, die lunæ 4. menſis Auguſti vexillum imaginis Chriſti crucifixi ad pugnandum contra ejusdem crucis Chriſti hoſtes erigitur. Sed proh dolor fuga facta in populo Dei, ita ut illud Eſaiæ Prophetæ, cuncti Principes tui fugerunt, impletum videretur.* Defunctum eſſe hunc Ottonem Trevirenſem circa A. 1430. cum aliis & *Andreas* Iudatus his notavit verbis *l. c. f.* 47. ad Annum 1429. *Otto Trevirenſis Archi-Epiſcopus moritur. Poſt quem alius eligitur, qui à Papa non admittitur, ſed ab eodem ſcil. Martino V. Rabano Epiſcopo Spirenſi de Trevirenſi Eccleſia providetur. Et hinc multa mala evenerunt.* De quibus *Niderus.*

Dabimus hoc tanto facilius *Cratepolio*, quanto certius ſumus conſcii, in tanta rerum farragine memoriam facile ſcriptorem fallere. Goldaſtus, inexhauſtæ diligentiæ vir, *Conſt. Imper. Tom. I. f.* 155. *& ſeqq.* memoriæ lubricitate ſeductus, pari exemplo ceſpitavit, quando ad Annum 1427. *Aviſamenta Moguntina* reduxit, quæ ad Annum 1440. *Goldaſtus*
ad *Moguntinenſia* alia *Comitia* ſpectant. Certe Capite I. fit expreſſa *emendatus.*
mentio duorum Paparum in Eccleſia contendentium, qui erant *Eugenius* & *Felix.* Quorum ille in Baſileenſi concilio remotus, & hic ibidem electus erat. De hac diſſenſione componenda Moguntiæ in Comitiis A. 1440. actum, ut & de Gravaminibus Nationis Germanicæ tollendis. Conf. ſup. *cap. X. f.* 172. Similiter expreſſa in *Aviſamentis* illis *Mog.* fit mentio Concilii Baſileenſis, dudum aut multis jam annis celebrati, & in illo nondum definitum eſſe novum Concilium, finito Baſileenſi celebrandum, monetur. *Germanica* horum *monitorum Moguntinenſium verſio* à Goldaſto l. c. f. 160. latinis ſubjuncta, vim plane intulit permultis conſtitutionibus dummodo ad annum immaturum quadrare poſſent. Ita cum Cap. XI. in latinis dicatur *proviſio Papæ facta olim in Concilio Baſileenſi*, in Germanicis redditum: Die Proviſion ihm vor der Zeit im Conſtantzer Concilio verſprochen. Ita in ipſo titulo multis modis à via declinatum, quando ſcribitur: Bedencken auff dem Reichs-Tag zu Mentz/ vor Anfang des Concilii zu Baſel/ von den Ständen deliberiret/ und Ihr Majeſtät Käiſer Sigismunden zu exequiren übergeben. Quod plane aliter ſe habet. Quoniam per integrum ferme decennium Baſileenſe Concilium jam erat celebratum, cum A. 1440. Moguntiæ hæc proponerentur, & *Sigismundus* aliquot jam annis obierat, imo & *Albertus* Imperator ſimiliter deceſſerat, ac *Fridericus* tunc Imperium tenebat. Quam mutationem ac trajectio-

nem lapſu recenſentium ac vertentium contigiſſe, putem, non occulta fraude ejus, qui Goldaſto hæc ſuppeditavit, ut illius ſeculi fata fierent obſcuriora aut intricatiora. Quocunque demum hoc factum modo, Goldaſtus facile excuſabitur. Et hi noſtri quoque erunt patroni, ne quis & nobis vertat vitio, quod priora Comitia Moguntinenſia ac reformationem in illis deſcriptam A.1423. *Johanni* Archi-Epiſcopo tribuerimus, cum alii *Conrado* ſucceſſori dent, qui A. 1427. alia Comitia Moguntinenſia celebravit. Cui lubet, & qui certus eſt, Johannem A. 1419. defunctum, Conradum ſubſtituat licet.

Synopſis Conſtitutionum Concilii Provincialis Moguntinenſis A.1423. ex MSCto Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis.

Ipſa verò illius *Synodi Moguntinenſis Provincialis decreta*, emendationem Eccleſiæ concernentia, cum *Labbæus* ſe vidiſſe neget, cui nihil de illis conſtet, præterquam quod *Serarius lib. V. rerum Moguntiacarum* paucis eorum faciat mentionem, ex *CODICE MSCto ANTIQUISSIMO* AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS hic exhibuiſſemus, niſi prolixitas operis nos deterruiſſet. Abſque nomine Præſidis iſtius Synodi, hæc decretorum eſt inſcriptio: *Acta & Concluſa in Concilio Provinciali Moguntinenſi, Anno Domini* M CCCC XXIII. XVIII. *die menſis Martii inchoata, & concluſa* XXIV. *die ejusdem menſis.* Ante omnia ex decreto Concilii Conſtantienſis, Wiclefi Huſſi & Hieronymi Pragenſis ſectatoribus frenum injicitur, libriq; eorum igni deſtinantur. Injunguntur poſthæc devotæ preces quotidianæ pro Eccleſiæ conſervatione. Clericis dein habitus decens injungitur, quem temere non abjiciant aut mutent, ab omni faſtu alienus, & oſtentationis expers. Mores quoque externi clericorum reformandi ſtatuuntur, ut honeſte vivere univerſi ſtudeant. Ordinibus etiam ſuus cultus ſervandus decernitur. Interdicuntur clericis arma, niſi forte pro defendenda Eccleſia prehendantur: In quo caſu leges armorum adduntur. Canonicis & clericis ſacris occupatis interdictæ confabulationes, aut colloquia à ſacris aliena, ſub pœna beneficii ſubtrahendi. Iisdem ſevere interdicitur, in templis tempore ſacrorum cum laicis vel clericis deambulare, ſub pœna beneficii amittendi. Conſtitutio Caroli IV. de libertate Eccleſiarum, confirmata per Martinum V. in Concilio Conſtantienſi, repetita & roborata. Perſonis ſacris, qui juriſdictionem civilem non habeant, præcipitur, ut à bellis abſtineant aut invaſionibus. Iisdemque haſtiludia ac torneamenta denegantur, cum publico taxillorum ſimilique luſu.

Subjunguntur his in laudato *CODICE MSCto VINDOBONENSI*, ſub nomine *Conradi Archi Epiſcopi Moguntinenſis* in Synodo ejus Provinciali facta decreta, anno nullo expreſſo. Quæ ſi cum ſuperioribus forte non cohæreant, ad Anni 1427. Comitia nova Moguntinenſia referenda videntur.

In his primùm damnatur *clericorum concubinatus*, is tamen notorius aut publicus, pœna beneficii ſubtrahendi ſtatuta. *Ad ordines ſacros neminem adſciſcendum, niſi* diligenter prius *examinatum*, ſufficienti *doctrina imbutum*, legitimæ ætatis, & probæ converſationis ac *morum integrorum*, teſtibus viris probis ac doctis. Epiſcopo nefas

eſſe

eſſe debere pro officio conferendo ipſaque ordinatione ***ab ordinandis munera exigere*** aut exigi permittere, ſub pœna ſuſpenſionis ab illo officio, aliis Simoniacorum mulctis ſalvis. Pro Sigillo verò pauculum honorarium indultum. Vicariis Epiſcoporum, ne illis artibus opus habeant, aliunde providendum ſtatuitur. Præterea nullus ad *parochialem Eccleſiam promovendus* dicitur, niſi fuerit legitimæ ætatis & *latine* ad minimum *legere & loqui* ſciat, ſecus facientes ab electione & inſtitutione beneficiorum per annum ipſo facto eſſe ſuſpenſos, electionem verò factam ipſo jure eſſe nullam. Capitulis, conventibus, Collegiis, certisque perſonis, graviter injungitur, *ne, ſi officia vacent prælatorum, bona Eccleſiæ vacantia inter ſe* interea *diſtribuant* ac diſſipent, ſed in uſum Eccleſiarum adhibeant. Si factum, intra menſem ſucceſſori cuncta reſtituant, ſub pœna excommunicationis. Excitantur poſthæc omnes ad frequentem confluxum in novo proximo Concilio provinciali. Indeque *neceſſitas Conciliorum Provincialium frequentium* detegitur, indiciturque in ſequentem annum Synodus talis nova. Præcipitur etiam Suffraganeis ArchiEpiſcopi omnibus, frequentia in ſingulis ditionibus inſtituere concilia, ut certi *viri prudentes*, idonei & honeſti, conſtituantur, qui *per totum annum* ſimpliciter ac de plano abſque ulla jurisdictione *inveſtigent, quæ correctione vel reformatione ſint digna*, eaque ArchiEpiſcopo vel Epiſcopis, aliiſque Eccleſiæ Præſidibus referant, in proxima Synodo emendanda. *Eccleſiaſtici* deniq; ne falcem in alienam meſſem mittentes anſam dent diſſidiis atque pugnis, *cauſas ad ipſorum forum* aut jurisdictionem *non ſpectantes linquere jubentur.*

Memorabile hoc opus
De Modo reformandi Eccleſiam
in Concilio univerſali
ſcriptum
proxime ante Concilium Conſt.
à
GERSONO CANCELLARIO
Anno M. CCCC. X.
Vacante Imperio.
Editum
ex antiquo & nobili MSCto
Helmſtadii in Acad. Julia A. M DC. XCVI.
menſe Auguſto.
Imperante
Cæſare Auguſtiſſimo
LEOPOLDO
SPLENDORIS ET JURIUM
IMPERII ROMANO-GERMANICI
VINDICE INVICTISSIMO.

Digitized by Google

TOMI I. PARS VI.

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracenſis

OPUSCULUM

DE

DIFFICULTATE

REFORMATIONIS IN CONCILIO UNIVERSALI.

Scriptum Anno 1410. proxime ante Concilium Conſtantienſe

AD

JOHANNEM GERSONEM

Eccleſiæ & Academiæ Pariſienſis Cancellarium.

Feliciſſimis Auſpiciis
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.
DUCIS &c.

Ex antiquo MSCto HELMSTADIENSI
recenſitum ab

HERMANNO von der Hardt/
Acad. Helmſt. Profeſſore.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII,

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

Digitized by Google

NICOLAUS de CLEMANGIIS
in Epiſtola ad Benedictum XIII. Papam A. 1394. ſcripta.
Supr. Parte II. fol. 28. 29.

En habes inter viros egregios
Virum
literis eruditisſimum,
fide, prudentiâ, probitate commendatiſſimum,
& Zelo unitatis Eccleſiaſticæ ardentiſſimum,
PETRUM
Cancellarium Eccleſiæ Pariſienſis
Et Regiæ Francorum Eleemoſynæ Miniſtrum,
Virum utique, ut breviter dicam,
Te Tuisque moribus dignisſimum,
Cujus ipſa quoque inſignis virtus
multa eſt improborum æmulatione ſæpe laceſſita,
Et quem plane
Alterum lumen noſtri ævi
dicere non dubitaverim.

Digitized by Google



Prudenti Lectori
S. P. D.
HERMANNUS von der Hardt.

V*Riana, Clemangiana, Gerſoniana*, quæ *ex antiquiſſimis MSCtis Codicibus dedimus*, prægnantem Concilii Conſtantienſis cauſam, communem illo tempore ac *deploratam Eccleſiaſtici ſtatus corruptionem*, deſideratamque *ejus emendationem*, clare demonſtrarunt. His acquieſceremus, ni & aliorum *illuſtrium virorum* illius tempeſtatis *calculus* non ſolùm confirmaturus illam rem videretur, ſed & uberius illuſtraturus. Quapropter & *Alliacena* quædam *ex antiquiſſimis MSCtis* deprômere conſultum fuit viſum, quæ *eadem illius temporis in Eccleſiaſtico ſtatu fata* æque candide ac aperte deſignarent.

Neque ingratum lectoribus fore judicavimus, omnem illius temporis in Eccleſia fortunam ac faciem illis deſcribere coloribus; quos non recentius ævum ſuppeditaſſet, ſed illi ipſi paraſſent, *qui ſuis olim cuncta oculis erant intuiti*, & haud poſtremæ fatorum partes extiterant. Præcipue, quod eſſent hi ſcriptores atque rerum illarum maximarum teſtes non ex plebe aliqui, ſed *Viri in literato orbe eminentes*, qui Eccleſiæ regimen ſuapte prenſaſſent manu. Quod incomparabile teſtimonii pondus eſt. Tantoque magis hæc teſtimoniorum autoritas lectorem & afficere & delectare vel & excitare poteſt, quanto majoris *ingenii* & celſioris *judicii* illa ſunt *monumenta*.

Accedit, quod non quotidiana hæc ſint, ſed recondita aliàs, *in MSCtis ſepulta*, memoriæque hominum ſubducta. Quæ *ex vetuſtis MSCtorum monumentis eruta* eo majorem gratiam habent, quo vividius atque elegantius vel & candidius *genuinam illius temporis imaginem* pingunt. Ut hæc talia legere, ſit in priſca illa ſecula deſcendere, in præteritum orbem abire, doctos illius ævi viros coram audire, res publice geſtas diſtincte contemplari, haud aliter acſi noſtris cuncta jam eſſent expoſita oculis. Quæ magna lectionis eſt voluptas, major fides, & maximum emolumentum.

Aptiorem autem in hujus argumenti recenſione locũ dare noſtro huic *Petro de Alliaco Epiſcopo* Cameracenſi, Gallo, vix potuimus, quàm dum Gerſono Pariſienſi Cancellario, Gallo, junximus, ut hujus latus clauderet. Non tantum uterq; eodem vixit tempore, quo ſurſum ac deorſum omnia in Eccleſia ferebantur, ſed & utriusque animus publica illa Eccleſiæ miſeria valde affectus, qui Collegæ antea fuerant in Academia Pariſienſi conjunctiſſimi, & omni poſtea tempore inq; ipſo Conſtantienſi concilio familiariſſimi vixerant, publicorum damnorum & initorum conſiliorum participes. Neque amicius conſpiraſſe deprehendentur in pleriſque conſilii partibus, *de emendanda illius ætatis Eccleſia*, quàm hi ſummi Viri. Una prope utrique mens, unus ſcopus, una ſpes. Quare *frequentes* unus alteri de rebus præſentibus *literas* dedit, non ſolùm vel conqueſturus, vel ſolatium ægro ſuo animo quæſiturus, alterique ſuppeditaturus, ſed & dubia exponendi ac diſcutiendi ſtudio.

Atque ita ſuperius Gerſonianum monumentum, noſtro Epiſcopo Cameracenſi inſcriptum, ex Gerſono erat multis precibus extortum. Simili igitur ratione præſens hoc Petri de Alliaco Antiſtitis Eccleſiæ opuſculum, Gerſono iterum deſtinatum, dubia vel alia vel eadem repetiit, quibus dolorem ſuum animique ægritudinem plenius effunderet Vir integerrimus. Ut hoc ſcriptum Alliacenum cum ſuperiori Gerſoniano arcte cohæreat, ſibiq; unum alteri reſpondeat.

Neque verò *candidiora* prodiiſſe videbuntur illo tempore *ſcripta*, à viris magnis exarata, quæ *Eccleſiaſtici ſtatus formam* apertius delinearent, quam cum Gerſonianis illis hæc *Alliacena*. Quamobrem ex *antiquiſſimo MSCto Codice Academiæ noſtræ Helmſtadienſis* & hæc eruere, atque ut lucem ferrent adornare, in capita more ſolito diſtinguere, decenterque digerere non piguit.

Ingenuum pectus Epiſcopi undecunq; elucet. Conſulendi moderatio, ſciſcitandi modeſtia, indagandi ſagacitas, dijudicandi prudentia, ſua radiant luce. Et fere apparet, hanc Viri ingenuitatem, quæ Benedictum XIII. antea commoverat, ut ex Academiæ Cancellario Epiſcopum faceret, mox quoque Johannem XXIII. pellexiſſe, ut ex Epiſcopo Cardinalem crearet. Cum enim hæc ſcriberet, & cum Gerſone conferret, A. 1410. *Epiſcopus* adhuc *Cameracenſis* erat, nondum Cardinalitio ſplendore illuſtratus. Anno verò proxime ſequenti 1411. à Johanne 23 ad *cardinalitium* fulgorem evectus eſt.

Quamvis enim hoc *Petri* noſtri, *Epiſcopi*, ſcriptum tam durum vide-

Digitized by Google

videretur ac grave ipſius *Papæ Johannis* 23. & nomini & fortunæ, ut utrique propemodum exitium minaretur: Nihilominus pectus viri integerrimum, tantum abeſt affectum Papæ abalienaverit, ut potius deliniverit vel & propenſiorem reddiderit. Neque negaverim, *callidum Johannis* 23. *conſilium*, ad exemplum Benedicti, hic facile ſubodorari prudentes. Quippe quod ejus indolis viri, qui & vellent & poſſent Papali dignitati obeſſe, non alio quam veritatis ac virtutis nomine, viderentur molliſſime a ſcopo avocandi, deliniendi, à zelo abſtrahendi, aliaq; mente ſenſim imbuendi, dignitatis celſæ præfulgido charactere oculis objecto. Non enim *diſſimulanda* ſolùm in talismodi capitibus atque Epiſcopis videbatur ſtyli *acrimonia*, quam veritas rei extorſiſſet, ſed & *blanditiis mitiganda* atq; *beneficiis abſtergenda*. Quæ inſidiæ ſi non finem aſſequantur intentum ut animum flectant, profecto aut ferreum ac inconcusſum vereq; *heroicum pectus* teſtantur, aut urgentia *amicorum conſilia* atque calcaria arguunt. Noſter ſane *his oculiferiis* non adeo captus ac faſcinatus, ut calamum abjiceret, vel manibus excidere ſineret. Eadem ſemper mens. Idem conſilium. Ni forte hanc ſpeciem quis obſequii ſpectaverit, quod poſtmodum in aliquibus momentis aut decretis ſedem Papalem concernentibus mitior viſus. Quod tamen pietati vel prudentiæ potius dederim quàm faſcino.

De cetero, uti magnæ corruptioni Eccleſiaſtici ſtatus, nec non pro illo ſeculo ori apertiſſimo candoriq; infucato dandum, quod ſedis Romanæ maculas aut Johannis 23. facinora omni velo remoto palam detexerit, exemplo Gerſonis, diſſimulare neſcius: ita & hoc concedemus illis fatis, quod unice fere Romani illius Pontificis, Johannis 23. *regiminisve Eccleſiaſtici ſupremi emendationem* deſideraſſe videatur. Qui præterire viſus *inferiorum in Eccleſia ſtatuum reformationem*. Nam præterquam quod aliis ſcriptis & hanc rem pluribus exegerit, uti poſtea ex præclaris MSCtis declarabimus, conſtabat, à *capite exulcerato* membra nervosque corporis nullam expectare ſalutem. Ut capitis medela videretur prior ac potior, ſine qua omnis reliqua cura corporis ac membrorum ſuo fructu caritura.

Eodem plane modo eandemque ob cauſam & *Gerſon* ſuperiori illo ſcripto non niſi capitis Eccleſiaſtici vulnera atque malagmata, aut ſi medelam reſpueret quo enſe reſcindendum eſſet, indicaverat: Non immemor alioquin *membrorum Eccleſiæ reformandorum*. Præterquam enim, quod commune ac publicum totius Eccleſiæ eſſet deſiderium *Reformatio Eccleſiæ* non ſolum *in capite* ſed *& in membris*, Gerſon etiam omnium Eccleſiaſticorum, *totiusve ſtatus clericalis emendationem*, animoſe ac cordate peculiaribus ſcriptis urgere non intermiſit. Abunde hoc teſtabuntur vel *orationes Gerſonis in Concilio Gallico Rhemenſi Provinciali* A. 1408. habitæ, quibus ſigillatim *inferioris Eccleſiaſtici ſtatus defectus, & medicinam* ſingulis adhibendam, egregie delineavit.

Damnat primum in Paſtoribus & Prælatis neglectum plebis informandæ, concionumq; ſacrarum frigidum ſtudium. Qua occaſione

Digitized by Google

dignum *prædicationis officium* omnibus aliis negotiis ſacris præfert, ejusque præſtantiam egregie demonſtrat. Dolet impenſe, majores Eccleſiæ antiſtites ac prælatos hoc docendi dicendique officium tanquam vile ac plebejum deſpuere. *Sed o mores, o tempora!* exclamat. *Ludibrium nunc apud quosdam ex Prælatis, vel probroſum aliquod artificium ſuaque indignum dignitate prædicatio aut publica ad populum exhortatio judicatur. Eſt inquiunt hoc officium vel mendicantium vel pauperum Theologorum.* Exceptionem Prælatorum, *ſe gregem docere per ſubſtitutos,* ſe dicere aut prædicare *per illos, qui ſe libenter ad hoc opus ingerant,* quod videatur ſatis, cum illarum concionum tanta ſit frequentia, ut plebi ſint nauſeæ: Prælatos graviora ac magis ardua tractare, *jurisdictionem:* Solvit Gerſon, monendo, *principale* eorum *officium* eſſe *docere plebem, acceſſorium* vero *opes Eccleſiæ tueri:* Non illud ſed hoc per ſubſtitutos faciendum: Etſi illud quod majus per alios fieri queat, quanto rectius hoc poſterius quod minus per ſubordinatos fiat.

Multitudinem concionum objectam refellit earum tenuitate. *Pauci,* inquit, *ſunt ſermones in tam multis: Multis inquam numero, ſed perfectionis laude rariſſimis.* Probat hoc, concionum vulgatarum illius temporis ideâ expreſſa: *Quia adulteratur verbum Dei atq; corrumpitur, dum vel quæſtus exiſtimatur pietas, vel dum miſcentur eorum mala ſemina, vel dum inutilia ſteriliaque narrationum frivolarum Zizania superſeminantur.* Doletq; Gerſon, majorem in Prælatis notari curam atque vigilantiam in eligendis mercenariis pro agrorum ſuorum cultura, quam habeant in *electione bonorum prædicatorum* pro animarum cura atque cultu. Hinc gratiores eſſe Prælatis obſervat procuratores, advocatos, aliosque civilium rerum peritos, quibus utantur in defenſione & adminiſtratione temporalium, quam doctiſſimos theologos. Diſtinguit dein argute Gerſon inter ipſos officii ſacri gradus. Quod, quo quis in munere Eccleſiaſtico altius evectus, eo ſacratiora atque diviniora tractare debeat. Plebanorum paſtorum rem eſſe ſummatim duntaxat & generali quodam tenore præcepta divinæ legis tradere, groſſa quadam explicatione articulos fidei exponere, ſacramenta exhibere, feſta curare. Prælatorum autem eſſe ſcire rationem eorum omnium ſubtiliter & particulariter reddere, ad debellandos hæreticos & protervos. Quod ſi & hi nolint ſuum præſtare officium, nec beneficium officio annexum jure deberi.

Poſthæc magnam dignitatem cum ingenti difficultate hujus ſacri dicendi officii exponit Gerſon, ut monſtret, quam *magnæ* requirantur *virtutes oratoris ſacri.* Contrarios effectus pro auditorum diverſitate ex eadem oratione naſci facile, ſicut in campis, quod unam nutriat ovem aut pecudem, alteram emaciet aut necet. *Culpaverit aliquis avaros, prodigus ſumet inde argumenta ſuæ profuſionis iniquæ. Culpaverit prodigos, avarus inde tenacior ſordidiorque efficietur.* Hoc *in omni vitiorum extremitate inveniri,* niſi *cautiſſima ſollicitudine* ſic arguatur unum vitium, ut alterum ſimiliter inculpetur. Hoc autem ut *ſemper & ſolerter agat* verbo orator, ut media pateat via, tam *pru-*

prudentem ac *vigilem* eum eſſe oportere, *ut vix unus ex millibus poſſit inveniri.* Alia idem demonſtrat conditione: Quod quidam auditorum tam ſint hebetes, quibus nihil pene, quantacunq; ſit prolixitas, hæreat, nec decies repetita apprehendantur: Alios prævolare ingenio, confeſtimque omnem prolixitatem illis fieri onerosſam: Pleroſq; non fideliter arripere dicta, ſed ad ſua trahere deſideria; Ut in omnem partem verba audita trahantur, haud aliter ac pueri de ſono campanarum judicent, vel ſicut fabula de lupo ſyllabicante ferat, qui audiens *pa* & *ter*, agnellum ex eis conjunxerit, quod hunc imaginatione ſua verſaret. Præterea male intellecta aliquos pejus interpretari invidiæ vel ſtultitiæ ſtimulis impulſos, haud aliter quam, ſi per cribrum lac percoletur, effluat quicquid purum, purgamenta ſola, feſtucæ ſordes & paleæ, retineantur.

Ex his concludit Gerſon, quod *exigatur ad officium prædicationis ingenium velox, ſolers,* atque *verſatile.* Requiri eloquentiæ torrentem, orationem vehementem, ſuavem, copioſam, ne adhæreat lingua palato, ſed & temperatam. Magnam eruditionem & ſcripturarum ſacrarum cognitionem deſiderari. Qua de cauſa paſtor conſecrandus interrogetur: *Scis utrumque Teſtamentum?* Longam experientiam eſſe neceſſariam actionum humanarum & communis vitæ generis; Converſationem ejus & vitam exemplarem ac irreprehenſibilem, alienam ab omni crimine, præſertim ab avaritia & luxuria, quæ famam maxime lædant, qui alioquin plus exemplo deſtruat quam verbo ædificet, ſicut *vox operum fortius ſonet quam verborum.* Proprium denique divinorum affectuum ſenſum atque guſtum paſtori digno adeſſe oportere, qui alios ad deſideria cœleſtia accendere velit, quod fruſtra conetur, ſi frigidus in ſe totus ſit atque algidus maneat.

Unde porro deducit Gerſon, ad tale arduum munus *vocandum* non eſſe niſi *idoneum & probatum.* Deploratque ſui temporis calamitatem, quando *idiotæ* admoti. Nec in ceteris artibus exercendis admitti ignaros. Quod Medicorum eſt, promittunt Medici: Tractant fabrilia fabri. Mulieribus verò uti ob permultas rationes, eleganter & copioſe enumeratas, ſit negatum in Eccleſia docere: Ita & viris pari modo affectis, effeminatis, judicio vel nullo vel obſcuro præditis, timidis, incertis, fluctuantibus, imprudentibus, muliebriter fractis ſine diſciplinæ nervis, idem munus non competere.

Magnos verò *Eccleſiaſtici* illius *ſtatus defectus,* illo tempore ubivis obvios, *corrigendos* graviſſime monet Gerſon, *Reformationis* illius *Eccleſiaſticæ* cancellos definiens. *Scholam Theologiæ* ante omnia in quavis metropolitana Eccleſia inſtituere ſuadet, nec non in aliis cathedralibus ac Collegiatis: Ita ut aliqua præbenda huic muneri ſaluberrimo deſtinetur. Quo de conſilio vehementer laudat *Petrum de Alliaco, Cameracenſem* tunc *Epiſcopum,* qui ad illud inſtitutum pellexerit Benedictum XIII. licet præter ſpem opus ipſum evanuerit.

Ordinandorum examina urget Gerſon, *in fide & moribus.* Ut conſtet an ſint apti ad tantum docendi officium, qui fabulas aniles & ludi-

ludicras fugere ſciant. *Generalem* illam *licentiam* carpit, quando aliqui religioſi *protinus ut aliquis ſciverit duo verba proferre volubilitate linguæ, inthronizent eum in cathedra prædicandi.* Aſtringendos præterea eſſe paſtores illos, qui ſuperioribus haud detrahere atq; ita *linguæ parcere* diſcant, quin auditores moneant ſuperioribus etiam diſcolis obedire. *Habeat,* inquit, *prædicator linguam & linguam: Linguam pro ſubditis, & linguam pro Dominis ac prælatis.*

Catechiſationem dein & *ſpecialem parvulorum curam* commendat Gerſon, præſertim in morum diſciplina, ſecundum Chriſtianæ religionis tenorem. *Eccleſiæ ſiquidem reformatio debet inchoari,* ait, *à parvulis: Quia ejus deformatio venit ab eis prave & nequiter inſtitutis.*

Atque hoc fine ſufficienti *ſalario* hos magiſtros ac paſtores eſſe inſtruendos, ut ad *pietatem* magis quam ad *quæſtum* ſuas prædicationes poſſint adornare. Obviam ſimul it Gerſon Prælatorum objectioni: Theologos, maxime Doctoris gradu inſignitos, oportere prædicare, ſed in muſeis ſuis toto die illos hærere otioſos, qui ſcientiæ ſuæ talentum recondant. Reſpondet his Gerſon abeſſe vocationem & ſalarium: *Nemo nos conduxit. Neque licentia magiſtralis in Theologia dat obligationem prædicandi, ſed oſtendit idoneitatem, quam exercere non tenentur, niſi velint, vel aliunde mittantur cum mercede ſua.* Audacius quod hæc à Gerſono dicantur excuſat ipſe, quod ſua conſcientia teſte *ſe ſciat ab omni ſpecie quæſtus alienum, qui ſatis jam habeat Dei dono de bonis Eccleſiæ, ut ſine ſumtu alieno Evangelium prædicare ſtudeat.*

Ulterius *publicanda* eſſe ait, aut *componenda* ſi deſint, *opuſcula* quædam *theologica*, quibus generalis fidei Chriſtianæ ac morum tenor deſcribatur, ut habeant ſacerdotes imperitiores quod legant ac ruminent. Compelli quoque hos poſſe, ut ſuis expenſis ſinguli redimant, uti in Synodalibus ſtatutis civilibus contingat.

In menſis quoque *Eccleſiaſticorum*, maxime Prælatorum, *ſacras lectiunculas* optat. *Quæſtores* autem, ut erant indulgentiarii, ſimilesque religioſi, qui linguas ſuas ad falſa & inepta laxent, cohibendos eſſe.

Converſationem denique *cleri* cum *ſanctam* optet, *tyrannidem* ejus & *avaritiam* abominatur.

Hoſpitalium reformationem expetit, *tam in temporali quam ſpirituali regimine*, ad votum fundatorum.

Monaſteria Monachorum reformari cupit, eosque per civium domos tam frequenter oberrare indigne fert. *Monialium* vero miſeram fortunam his deplorat verbis: *O utinam nulla ſint monaſteria mulierum, quæ facta ſunt proſtibula meretricum, & prohibeat adhuc deteriora Deus.*

Sicuti non admittit, paſtores eſſe ſuæ Eccleſiæ tyrannos, qui plebem premant & exhauriant, ita & paſtores opibus ſuis ac beneficiis aut ſalariis non eſſe privandos addit. *Quod non habet Chriſtus, ait, tollit fiſcus: Et quod ſubtrahitur egeno, rapit prædo.*

Abdita

Abdita vulpium ſiunt rapina luporum, ut qui prædatus fuerit prædetur & ipſe.

Eccleſias diſſipatas vel eſſe reſuſcitandas ac inſtruendas miniſtris, vel ad aliam Eccleſiam transferendas, ut fundationibus fiat ſatis.

Poſthæc *Prælatorum domum honeſtatis* vult eſſe *curiam. Reformatio,* inquit, *debet incboari ita ut primo fiat judicium à domo Prælati, ſicut fit in univerſo à domo Dei. Ne præterea contingat objici Prælato: Medice cura te ipſum: Et illud Apoſtoli: Qui prædicas, non furandum, furaris, imo & ſacrilegium facis.*

Efficaciter igitur non nudis verbis providendum, ne *aſtutiſſima* imò ſæpe aperta *tyrannis promotorum* ac procuratorum in angariis & citationibus injuſtis valeat. Quales aſtuti exactores, ſi injuſtitia pateſiat, impune abeant. *C'eſt le droit de la porte baudet.*

Lites abbreviandas & excommunicationes moderandas. Cum hæc fulmina prælatorum ac miniſtrorum ſæpe pro re tenui defendenda aut recuperanda vibrentur. *Nunc apud quosdam talis regnat ſtoliditas, qualis apud illum, qui, ut muſcam abigeret à fronte proximi, ictu ſecuris excerebravit eum.*

Pro ſacrorum adminiſtratione, vel officiorum collatione, pluſculum auri dari vetat, ad *ſimoniam* vitandam.

Pœnas pecuniarias reſtringendas eſſe, ne tam emendatio quam auri deſiderium & exactio quæſita videatur.

Crapuloſas commeſſationes ex Prælati curia exulare debere, ut & *potus ad æqualia*, meretricationes ſordidas, dare ſymbola, frequentare tabernas. Frugalitatem iis commendat.

Sed & nimiam *Prælatorum pompam*, in oneroſa & incompoſita ſervorum multitudine, quibus *homines comatuli & adoleſcentes laſcivi*, otio dediti, comprehendantur, diſſuadet. Quod hi præter ebrietatem & crapulam *nil aliud ſtudeant, niſi vel inſidiari alienæ pudicitiæ, ſuæ prodigi, vel luſibus illecebralibus occupari.* Unde *adinventio deformiſſima habituum variorum*, luſus taxillorum & ejus generis alia. *Jejunia publica* juxta Eccleſiaſtica ſtatuta à *potentibus & divitibus Eccleſiaſticis* diligentius ſervari rogat, *apud quos verſa ſint velut in riſum, cum ſoli fere pauperes atque ruſticani jejunent, quibus vix ſit panis cibarius relictus ad ſaturitatem ſufficiens.*

Ad libidinoſa denique facinora non ſolùm in parentum ædibus ſed & religionum ac ſcholarum contuberniis pueris & puellis anſam dari ſevere prohibet, cum ibi ſæpe diſcant mores, quos non exercituri erant in proſtibulis lenonum ac meretricum.

Sacrorum publicam adminiſtrationem decentem expetit. *Confeſſionem* inprimis *coram oculis omnium in aperto loco* fieri cupit. Ne quid angellus ſuadeat turpe factu aut cogitatu. *Væ aliter agentibus,* inquit, *& ſub familiaritatis ſpecie in angulis vel camerulis res ignominia plenas exercentibus, easque deteriore ſacrilegio ſub devotionis ſpecie palliantibus & excuſantibus.* Similiter & *caſuum* ſeu *peccatorum reſervationem moderatiorem* urget. Ne & *puellæ verecundæ* eloqui

 com-

Digitized by Google

compellantur aut *confiteri* ſacerdotibus, quæ ætas vetet. Filias etiam & uxores ad pœnitentiarios longius remotos mitti, non probat, quod ſuſpicione res non careat.

Concubinarios ſacerdotes brevibus quoque notat.

Viſitationem per totam diœceſin aut provinciam *frequentem* Prælatis ſedulo commendat. Quod *hic* ſit *cardo totius Reformationis Eccleſiaſticæ.* Sicut enim veteri dicatur proverbio, *oculus Domini impinguat equum,* ſic præſentis Paſtoris autoritatem nutrire & paſcere gregem. Sed *providum* hunc requiri *viſitatorem, compoſitum, ſagacem, non lupum, non latronem rapacem.* Ita commode inquiri in doctrinas varias & peregrinas, clam vel palam proditas, de ſortilegiis, de ſuperſtitionibus, de blaſphemiis, ut & in gravimina plebis contra exactores curiales & excommunicationes. *Concernere hunc viſitationis modum Archidiaconos* quoque, *ne plus ad quæſtum & ſubverſionem quam ad pietatem & ædificationem viſitatio eorum judicetur inſtituta, ne ſint velut catus, abigens quidem mures à caſeis, ipſos verò plus devorans.*

Annuam provincialium Conciliorum celebrationem ex eo celebrat ac laudat. Quod *nihil pene ſic mores diſciplinatos ab Eccleſia expellat, quàm negligentia ſacerdotum, qui ad corrigendos Eccleſiaſticos mores Synodum facere negligant.*

Poſtremo *pacem* Eccleſiæ publicam *per morum correctionem Concilii Generalis celebratione* eſſe procurandam, *in quo generales per Chriſtianitatem errores paſſim ſparſi generali remedio eſſent corrigendi.*

Ex hac Gerſonis oratione, in Provinciali Concilio Gallico Remis proxime ante Concilium Piſanum & haud longe ante Concilium Conſtantienſe habita (cujus *MSCtum, Bibliothecæ Paulinæ Lipſienſi* ſacrum, cum impreſſo antiquo codice curate contulimus) abunde elucet, quàm avide illo tempore æque membrorum Eccleſiæ ſeu *inferioris ſtatus Eccleſiaſtici,* ac Romani Pontificis curiæque Romanæ ſive *ſupremi Eccleſiaſtici regiminis* emendationem expetiverint atque expectaverint boni. *Gerſonis* autem & *Petri de Alliaco* una circa totam Eccleſiæ reformationem mens ac ſententia.

PETRI

PETRI DE ALLIACO
Cardinalis Cameracenſis
CANDIDUM OPUSCULUM
DE
DIFFICULTATE REFORMATIONIS IN CONCILIO UNIVERSALI,
Scriptum A. 1410. proxime ante Concilium Conſtantienſe
Ad
JOHANNEM GERSONEM,
Pariſienſem Cancellarium.
Ex antiquo MSCto Academiæ Helmſtadienſis.

CAPUT I.
De Difficultate Concilii Univerſalis per Romanorum Imperatorem illo tempore convocandi, quo Imperium vacabat, haud longè ante Concilium Conſtantienſe.

Gerſonis librum vid. ſupr. Part. V.

BOne pater, In præmiſſis mihi aliqualiter ſatisfeciſti. Nunc autem, ſi non timerem te nimis offendere, atque Patris mei ſpiritualis, ſcilicet *Domini Papæ, verenda detegere*, quæ tamen proh dolor *ipſe non curat* (ut docet experientia) *cooperire*: Aliqua adhuc mihi occurrentia *dubia* vellem per tuam induſtriam declarari.

Prava Johannis 23. indoles.

Jus Imperatoris concilium generale convocandi à Gerſone aſſertum.

Videlicet, ubi dicis, quod *per Imperatorem* vel *Regem Romanum convocatio generalis concilii, pro militantis Eccleſiæ redintegratione & morum reformatione*, in eadem fieri oporteat. Quod mihi grave dictum eſſe videtur, cum actu non ſit *Imperator* aut *Rex Romanus*, ſed *vacet imperium*, atque Electores Imperii quidam *Johanni* & alii *Angelo* prædictis obediant, & aliis diverſis reſpectibus ſint diviſi.

Dubiũ ex vacante imperio.

Imperiũ vacavit A. 1410.

Videtur etiam, quod ad eligendum aliquem in *Regem Romanum*, præſertim utilem & idoneum, Principes Electores non velint, aut nequeant inſimul convenire.

Principes Imperii diverſis tunc Papis addicti.

Ex quo infertur, quod dictum *imperium* remanebit diu abſque rectore. Et, ſi ita fiat, ſequitur, quod propterea ſchiſmata illa in Eccleſia etiam diutius, quam forte credimus, obdurabunt.

Diſſenſere Electores in eligendo novo Imperatore.

Sed *Rex Hungariæ*, ſi bene ſingula conſiderentur, de quo multus eſt ſermo, Ejus ſalva reverentia, non eſt aptus ad imperium regendum, *multis* aliis eum magis tangentibus *occupatus negotiis*: Nec eſt de illis, per quos ſalus facta eſt in Iſrael: Sed per quos dictum *imperium* totaliter *in ſuis juribus eſt diſſipatum*, quique tam diu permiſerunt ipſam Apoſtolicam Eccleſiam in ſchiſmate fluctuare, nullum interponentes remedium, quo reintegrata fuiſſet. Unde non ſperatur, quod ex *ipſius Regis electione*, ſi fieret, ipſa Eccleſia & imperium per hoc proſperari deberent.

Dubia de Sigiſmundo, Hungariæ Rege, in Imperatorẽ eligendo. Wenceslao, Sigiſmundi frater, Imperii jura neglexerat.

Præterea eſto, quod nihilominus dicti *Electores* tandem Domino concedente ſuper hoc conveniant, ut aliquem eligant *Imperatorem*, ſive *Regem*, eidem Domino Johanni vel Angelo, aut Petro adhærentem: Forſan electus ipſe *electionis ſuæ approbationem* recipiet ab illo, ex eiſdem tribus de papatu contendentibus, cui adhærebit, & illi *præſtabit* ſolitum *juramentum*, ut in Decre-

Exigua ſpes primũ concepta de Sigiſmundi in Eccleſiam & imperium ſtudio.

Novum dubium,

quod à novo Imperatore nõ poſſit expectari reformatio Eccleſiæ.

tis eſt deſcriptum. Et ſi ita fiat, qualiter Rex ipſe ſalvo ſuo juramento poterit ei contradicere? Vel, nolente, qui dictam electionem approbabit, prædictum *concilium convocare*, ſeu *in illo præſidere?* Nec non, ſi videatur ei expedire pro publica utilitate, ipſum, qui hujusmodi electionem approbabit, ad cedendum ejus papatui inducere, aut nolentem compellere potentia coactiva, aut alias circa hoc utiliter providere, prout fecit prædictus *Otto Magnus Auguſtus.*

Quæ dubia jam ſolvit Gerſon ſupr. Part. V.

CAPUT II.

De pecuniariis conſtitutionibus Johannis 23. quæ Eccleſias onerarent.

QVippe notorium eſt, quod dictus *Johannes* in primordio ſui Pontificatus *reſervarit* ſuæ diſpoſitioni omnes patriarchales, Metropolitanas, ac Cathedrales Eccleſias, nec non omnia monaſteria virorum, prout etiam nonnulli ejus prædeceſſores ſummi Pontifices facere conſueverunt, decernens irritum & inane, ſi ſecus ſuper hoc aliquid contingeret attentari.

Reſervationes Johannis 23.

Item ultra prædictas, & omnes *generales* alias *reſervationes* quarumlibet inferiorum dignitatum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum, per eum etiam factas, *extra ſolitam conſuetudinem eorundem ſuorum prædeceſſorum reſervavit* ſuæ diſpoſitioni, omnes prioratus, Conventuales & majores poſt Pontificales Cathedralibus, nec non principales dignitates in collegiatis Eccleſiis ubicunque vacantes & vacaturas.

Plures reſervationes fecit Johannes 23. quam omnes ejus anteceſſores.

Propter quas quidem reſervationes, omnes *gratiæ expectativæ* per eum factæ quibuslibet, etiam magnis literatis & egregiis perſonis, *reſtringuntur* ad inferiora beneficia vacantia. Et per hoc etiam *locorum ordinarii*, ne poſſint de illis prioratibus & dignitatibus utilibus perſonis providere, penitus *excluduntur*.

Jus patronatus Eccleſiæ præſidibus ſubtractũ per Johannẽ 23.

Item notorium eſt, quod *Alexander Papa Quintus* paulo ante ipſius obitum, *ſequendo* in hoc *veſtigia Bonifacii hujus nominis IX*, qui cum dicto *Petro* de Papatu contendebat, voluerit & ordinarit: Quicunque promoveretur per eum ad quamcunque patriarchalem, aut ArchiEpiſcopalem, aut Epiſcopalem dignitatem vel abbatiam, niſi infra annum literas Apoſtolicas ſuper ejus promotione confici faceret, quod ex tunc dicta promotio viribus careret.

Bonifacii IX. veſtigia legit Alexander V. Conſtitutio Alexandri V.

Et eandem conſtitutionem etiam dictus *Johannes* obſervat, & obſervare intendit.

Alexandri V. conſtitutionẽ ſervavit Johannes 23.

Item dictus *Dominus Johannes* aliam fecit conſtitutionem, continentem in effectu, quod quicunque ab eo impetraret qualecunque beneficium Eccleſiaſticum ſuæ diſpoſitioni reſervatum, antequam illi ſub eadem impetratione literæ Apoſtolicæ in Romana curia confectæ traderentur, *ſolveret cameræ Apoſtolicæ realiter medietatem fructuum* dicti beneficii impetrati *unius anni.* Quam etiam conſtitutionem ad unguem dictus *Dominus Johannes* ex tunc obſervavit & obſervat.

De mediis fructibꝰ aut reditibus uniꝰ anni de quolibet officio Eccleſiaſtico ad Romanam curiam pendendis conſtitutio Johannis 23.

Item *duæ novellæ conſtitutiones* vehementer exorbitant ab antiqua obſervantia Romanæ curiæ, & tendunt in *decrementum maximum Cathedralium & aliarum Eccleſiarum*, & monaſteriorum, conventualium, prioratuum, quibus de Prælatis in eadem curia providetur, ſeu quibus conferuntur vacantia, vel reſervantur certo modo vacatura Eccleſiaſtica beneficia conferenda, ut liquet manifeſte. Nam *olim* quicunque præfecti fuerant cathedralibus Eccleſiis, aut monaſteriis virorum vacantibus, in prælatos, non arctabantur per ſedem Apoſtolicam, ut *in promtu* plus ſolverent Cameræ Apoſtolicæ, aut collegio Dominorum Cardinalium, *pro communi ſervitio*, quam *medietatem taxæ*, ad quam Eccleſiæ vel monaſteria ipſa in eadem camera reperiebantur eſſe taxata. Et *pro alia medietate ſolvenda*, promotis, poſtquam pacificam adminiſtrationem

Conſtitutio pecuniaria Johannis 23. pro communi ſervitio.

eorum

Digitized by Google

eorum & regiminis Eccleſiarum, vel monaſteria, quibus præfecti erant, eſſent pacifice adepti, competens *dilatio dabatur* in camera memorata, abſque privatione quacunque.

Cathedrales Eccleſiæ olim ad magnam auri ſummam taxatæ.

Et eſt ratio: Quod generaliter pene *omnes cathedrales Eccleſiæ*, atque omnia *monaſteria virorum*, præſertim *in Germania, Francia, Anglia, Bohemia, Hungaria, Polonia*, & aliquibus aliis regnis, reperiantur in eadem camera *ad magnas ſummas taxata.*

Aurum prænumerandum cameræ Apoſtolicæ.

Quas quidem *taxas* oportet promotos per ipſum Dominum Johannem *integraliter ſolvere* cameræ & collegio prædictis, *antequam literæ Apoſtolicæ* ſuper eisdem promotionibus confectæ *tradantur* ipſis promotis. Quod eis frequenter redditur impoſſibile.

Unde multi ipſorum *a dicta curia vacuis manibus abire* permittuntur.

Prænumerationis illius incommoda in Eccleſias redundantia.

Ex quo contingit, quod *plures* Eccleſiarum & dignitatum ſeu monaſteriorum, ad quæ promoti ſunt, *poſſeſſionem nequeant apprehendere*: Et per conſequens, unde ipſis Cameræ & collegio ſatisfaciant intra illum annum, invenire non poſſint: Et ſi forte reperiant, hoc fit communiter non abſque *magno damno Eccleſiarum* & monaſteriorum, ad quæ promoti fuerint.

Dilatio ſolvendi æris ipſa officii fuit privatio. Nulla dilationis excuſatio admiſſa. Nec citati vel auditi. Expenſæ Eccleſiaſticorum perditæ.

Et ſi *intra* dictum *annum integraliter* non ſatisfecerint cameræ & collegio memoratis, eo ipſo *de Prælatis* ipſis *fiunt non Prælati.* Quia ſuis dignitatibus, per lapſum dicti anni, propter ipſorum *impotentiam*, ſeu *paupertatem*, aut aliud ſuperveniens eis *legitimum impedimentum*, ipſo facto privantur.

Nec poſtea *citantur vel audiuntur*, in eorum allegationibus, quare non ſolvant cameræ & collegio præfatis.

Et ſic omnes *expenſæ*, per ipſos privatos occaſione promotionum ſuarum in ipſa curia & extra eandem curiam factæ, *perduntur*, & *labores* ipſorum ipſis fiunt *inutiles.* Quare remanent pauperes & ſcandalizati in clero & populo.

Eccleſiæ quare ſæpe paſtoribus olim deſtituti.

Ac per hoc etiam *Eccleſiæ* & monaſteria ipſa ſuis *paſtoribus*, abſq; ipſorum promotorum culpa, paſſim *deſtituuntur.*

Et videtur, quod *dominus Papa* & collegium Cardinalium præfati, ſint in culpa, quare intra dictum annum ipſi promoti totaliter non ſolverint: Quia non dederunt eis literas ſuper ipſorum promotionibus, & ſic pecunias reſtantes acquirere non potuerunt.

Melior ordo in Eccleſiis ante tempora Johannis 23.

Item olim ante ſchiſma, *Piſis* deciſum, noviſſime iteratum, ratione inferiorum dignitatum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, quæ conferebant, aut cum vacarent, conferenda, *non conſueverunt* impetrantes *medios fructus* dignitatum & beneficiorum præfatorum eidem *cameræ ſolvere*, *priusquam* illa *eſſent pacifice aſſecuti.*

Extorti primi Eccleſiarum reditus per Joh. 23

Et tunc *concordabant* ſuper illis *cum collectoribus fructuum* dictæ cameræ in diverſis partibus debitorum, aut ſucceſſoribus eorundem. Nunc autem *extorquentur* dicti *medii fructus* ab impetrantibus ipſis in eadem curia, *antequam* eis *literæ* Apoſtolicæ confectæ ſuper talibus gratiis *tradantur* per officiales dictæ cameræ. Licet *plerique* dictorum *impetrantium* ſint *incerti*, *an poſſeſſionem* earundem dignitatum & beneficiorum unquam *valeant adipiſci.*

Artificiū Joh. 23. unum officium Eccleſiaſticū multis vendēdi. Prænumeratio redituum Eccleſiæ primorū pendendo ab omnibus candidatis, etſi unus ſolum officio poſſet frui.

Et quod deterius eſt, *ſi* forte *centum concurrerent pro uno beneficio vacante* & reſervato impetrando, *daretur omnibus per Papam.* Tamen ſi literas Apoſtolicas ſuper ipſis impetrationibus ſuis vellent habere, *quemlibet* eorum incunctanter *medietatem fructuum* dicti beneficii præfatæ cameræ ante omnia *ſolvere oporteret, licet niſi unus eorum illud aſſequi poſſet.*

Novum aucupiū auri ſacri in Johanne 23.

Pono etiam, quod aliquis impetret à Papa aliquod beneficium vacans incompatibile cum alio beneficio quod obtinet, ſicque illud primum, per aſſecutionem pacificam illius alterius, teneatur dimittere: Quod dimittendum impetret alter à Papa, cum iſtis clauſulis, quod illud ſibi conferatur, cum vacabit per eandem aſſecutionem, vel alias quovis modo, præterquam per obitum illius, qui illud tenetur dimittere, ut præfertur: Iſte idem *ſecundus impetrans* nihilominus tenetur ſolvere medios fructus illius beneficii dimittendi, antequam vacabit, cameræ prædictæ.

Simonia iſthac Ec-

Numquid illa *impetratio* cum ſolutio-

clesiaſticorum officiorum impetratio inanrata.

ne dictorum mediorum fructuum eſt *Simoniaca* cenſenda eorum prætextu? Et quia poſſibile eſt, quod primus impetrans moriatur, aut reſignet in manibus Papæ dictum primum beneficium: Nunquam ſecundum adipiſcetur, & per hoc ſecunda impetratio inefficax erit.

Papam & Cardinales non eſſe Dominos Eccleſiarum, ſed conſervatores.

Ex præmiſſis etiam corollarie quæritur, cum Dominus *Papa & ejus Cardinales non* ſint *Domini Eccleſiarum & monaſteriorum*, ſed ſolum illorum *conſervatores* in juribus eorundem, num liceat eis nihilominus tales *inſolitas*, *abuſivas & pœnoſas facere conſtitutiones*, per quas potiſſimum *pauperes*, quantumcunque *bene literata ac ſufficientes Eccleſiaſtica perſona*, non tamen habentes in promtu ſolvere Papæ & collegio ac Cameræ ante dictis integros & medios fructus prælaturarum ac monaſteriorum, & aliorum inferiorum dignitatum ac beneficiorum, *in ipſa curia excluduntur*, & illa ſolum habentibus & ſolventibus, quantumcunque alias forte inſufficientibus & *illiteratis*, *conceduntur*? Et num dictæ conſtitutiones abſque peccato mortali poſſint à quolibet obſervari? Cum *propter avaritiam* & contra charitatem & Evangelium, ſcilicet, *gratis date, gratis accepiſtis*, & contra ſacros canones, & ſub tali velamine peſſimam *Simoniã* inducentes, fuerint adinventæ.

Literati non bene arati ab officiis Eccleſiaſticis excluſi. Illiterati inaurati ad officia admiſſi. Conſtitutiones pecuniariæ Joh. 23. ſimoniacæ repudiata.

Caput III.

De magnis dubiis, Gerſoni objectis, De Papa extra Cardinalium collegium eligendo, & ſic Eccleſia reformanda.

CUm igitur juxta præhabita pateat, quod apud Papam & ejus collegium Cardinalium nulla vigeat charitas quoad alios Prælatos & Chriſtianos, ſed perpetua & inſatiabilis rapacitas potius ardeat in eisdem, ut qualitercunque dicebatur: Dato, quod *generale Concilium convocaretur*, & fieret, ſicut dicis & conſulis fieri debere, qualis ex hoc *utilitas univerſalis Eccleſia* reſultaret?

Conciliũ generale convocãdum ſuo fructu cariturum.

Eſto etiam, quod omnes iſti tres de papatu contendentes *ſponte cederent*, aut *ad cedendum compellerentur* inviti, eisque novus Papa, ſicut factum fuit in Piſis noviſſime, ſurrogaretur: Dicti *Cardinales* in ſtatu eorum nihilominus remanentes dicerent, quod *ad eos duntaxat ſpectaret electio ſummi Pontificis.*

Cardinales electionem novi Pontificis ſibi ſolis vindicaturos.

Quod ſi obtinerent, non eſt dubitandum, quin unum ex ſe ipſis eligerent, ſicut fecerunt in Piſis. Sicque *nulla reformatio efficax & fructuoſa* ex ceſſione hujusmodi ſequeretur, niſi *vocalis*, & *unius perſona mutatio tantum.* Et hi quidem *electus* & *electores*, juxta *mores veteres* eorum, ſimiliter perpetuum errorem in ipſa Eccleſia continuarent, quousq; unus eorum in eodem ſtatu in ipſa Eccleſia remaneret.

Reformationis irrita augurium. Priſtinos mores mãſuros.

Certum eſt enim, quod myſtice *ſacerdotes Bel* cum eorum uxoribus & filiis omnes unanimiter in lacum leonum miſſi fuerint, ut per ipſos leones devorarentur. Quod *ſi aliqui eorum ſupervixiſſent*, ex tunc etiam cibos regios, eidem Bel ſingulis diebus appoſitos devoraſſent, prout ante deceptorie facere conſueverant. Et ne hoc deinceps fieret taliter, una ſententia ſuper omnes juſto Dei judicio lata, ſubito perierunt.

Grave exemplum à Petro de Alliaco datum de ſacerdotibus Belis.

Et quia Eli debite non correxit ſuos filios, in legem Domini delinquentes, privatus eſt ſacerdotio, & de ſella corruit, & fracta cervice deceſſit. Uxor alterius eorundem filiorum abortivit, & ipſi filii interfecti quaſi eodem tempore perierunt, *ne aliquod ſemen eorum remaneret* ſuper terram.

Exemplũ Eli in facta Eccleſia circa tempora concilii Conſtantienſis traductũ.

Et ſi forte dicti Cardinales, ipſis eodem concilio reſiſtente, ne ipſi eligant Papam, & ſi tota congregatio, aut ejus autoritate aliqui maturiores prælati, *aliquem virum idoneum & utilem extra dictum collegium Cardinalium eligerent*: Illi Domini Cardinales, ut præſumendum eſt, obedire ipſumque in Papam habere non vellent.

Papam extra Cardinalium Collegium electum non iri admiſſũ.

Unde *novum ſchisma* in eadem Eccleſia

ſia priore pejus iterum procul dubio oriretur. Sicque ad omnem partem eſt magis perplexitas in hoc facto.

Concilii Piſani facta Concilii novi exemplũ fore metuitur. Reformatio promiſſa Piſis ſed non præſtita. Alexandri V. genius. Prona indulgẽtia.

Etiam, Pater, te ſcire deſiderio, quæ dico: Sicut *Piſis* factum fuit de *celebratione ultimi generalis concilii*, ſubſecuta electione illico dicti *Alexandri Papæ V.* quod, licet Domini *Cardinales*, qui tunc erant, utriusque obedientiæ, dictum concilium Piſanum convocarent, & *promitterent* in eorum literis longe lateque directis, *quod dictam Apoſtolicam Eccleſiam in capite & in membris* per idem concilium *reformare vellent*, tamen eundem Alexandrum *de eodem conſortio* elegerint. Qui prorſus inexpertus erat eorum, quæ officii Paſtoralis honor & ſublimitas exigebat, quamvis eſſet magnus Theologus. Et *quicquid* dicti *Cardinales ab eo petierunt, ipſis abſque contradictione concesſit, nec audebat ipſis aliquid denegare.* Unde ipſi continuo eum importune crebris petitionibus vexarunt, ita, ut aliquando propterea in ſe ipſo nimium turbaretur. Nec poterant ſatiari.

Deformatio officiorum Ro. curiæ. Iniqua Eccleſiaſticorum remotio. Prætexto. Calcaria.

Deformavit etiam, eis volentibus & inſtantibus, ſtatim poſt ejus aſſumtionem ad papatum *nobiliora officia ſuæ curiæ*, in præjudicium aliorum. Inſuper *privavit multos* abſentes nec vocatos *ſuis dignitatibus & beneficiis Eccleſiaſticis*, occaſione ſumta, vel quod *Angelo* aut *Petro* præfatis adhærerent. Et ſimilia *multa fecit* ſatis *abſurda*, eâdem importunitate & ambitione hujusmodi *Cardinalium*, ipſum ut ſic faceret ſtimulantium.

Et hæc fuit ipſa reformatio ultro promiſſa!

Caput IV.

Scrupulus de Concilio Univerſali intermittendo.

Inanis de Concilio generali ſpes.

Sed quia de præteritis præſumitur *in futurum*, videtur, quod veroſimiliter ſic aut pejus fieret, *ſi promiſſum per ipſum Alexandrum* in ejus papatu, de quo nunc agitur, *celebraretur concilium generale.*

Præterea *ſemper anniti & non proficere, ultima dementia eſt.*

Ferenda quæ mutari non poſſint.

Igitur ex iſtis omnibus, per me in præcedentibus quæſtionibus tactis, videtur mihi, quod utilius ſit, *relinquere* dictos Dominos, *Papam & Cardinales, ſuo ingenio*, quam ſupervacue dictum concilium celebrare: Ad parcendum eorundem Prælatorum & aliorum *ſuperfluis laboribus & expenſis.*

Tamen quod *in his perplexitatibus* tibi expedire videtur melius, edicito Pater.

Caput V.

Novi ſcrupuli de Conſtitutionibus pecuniariis Johannis 23.

Præterea in Sexto & Decr. in pleriſq; locis habetur, quod omnium beneficiorum Eccleſiaſticorum diſpoſitio pertineat ad Papam, attamen *ordinarii collatores* de illis habeant providere, modo vacet aliquod beneficium diſpoſitioni Apoſtolicæ generaliter reſervatum, quod *aliquis* ad hoc *idoneus* vellet habere.

Impedit omne forũ defectus denariorum.

Sed cogitet quis inter ſe: Si illud impetrabis à Papa, non habes, unde *medios fructus primi anni* dicti beneficii ei ſolvere poſſis, & per conſequens tibi *non daretur litera* Apoſtolicæ ſuper illa impetratione, *niſi ante omnia ſolveres illos*: Quia *impedit omne forum defectus denariorum.* Vel habet, unde ſolvere poſſet, cogitat tamen, hoc eſſe iniquum, ſimoniacum, ſcilicet ut ſolvat illos fructus, antequam habeat poſſeſſionem dicti beneficii, quod impetravit à Papa. Quia eſt quidem color ſophiſticus, ne ſub illo velamine dictum beneficium ſibi concedatur à Papa. Ut ſic eſſe videatur *contractus emtionis & venditionis* inter Papam & eum. Nempe dictum beneficium per Papam,

A Joh. 23. ad Eccleſiaſticum officium promotus factus Simoniacus;

Digitized by Google

Papam, non ſuorum meritorum, ſed *pecuniæ ob reſpectum*, ſibi dari. Nec certus eſſet, an dictum beneficium prætextu illius contractus aſſequi poſſet. Sciens etiam, quod beneficia Eccleſiaſtica gratis debeant conferri, nullo pacto, ſeu pecuniario quæſtu intercedente.

A vero patrono Eccleſiæ promotus pro Intruſo habitus.

Unde iſtis inter ſe diſcuſſis, vadit ille ad *ordinarium collatorem*, qui ipſi gratuito confert dictum beneficium vacans, quod virtute talis collationis aſſequitur pacifice. Sed nihilominus de jure communi cenſetur *intruſus* in illo, propter reſervationem papalem, & ſi percipiat fructus exinde, efficitur *inhabilis* eo ipſo ad quodcunque beneficium Eccleſiaſticum in poſterum obtinendum, *ni ſolvat* hujuſmodi *fructus perceptos* exinde cameræ Apoſtolicæ, & per Papam habilitetur, & ſimpliciter dimittat dictum beneficium. Et ſi habilitari taliter velit, & dictum beneficium ulterius retinere, neceſſarium eſt ei, ut etiam illud *denuo impetret à Papa*, & concordet cum ipſa camera pro mediis fructibus dicti beneficii unius anni futuri, & illos etiam efficaciter ſolvat. Quod ſi fecerit, *incapax* ad obtinendum alium Eccleſiaſticum titulum remanebit. Et ſic ipſum beneficium cenſetur eſſe ſine vero rectore. At Eccleſiaſtica beneficia ad hoc inſtituta ſunt, ut propter ipſa in divinis officiis Domino ſerviatur.

Fructus percepti ſolvendi.

Fructus percipiendi itidem ſolvendi.

Modo quæro à te, Pater, qualiter *in hac perplexitate* pro ſalute animarum, & ne dicta beneficia debitis fraudentur obſequiis per ordinarios collatores, & alios, cautius ſit agendum?

Theologorum ac JCtorum jus ad Canonicatus. Familiaribus Cardinalium majus jus ex conſtitutione Joh. 23.

Item eſt *alia conſtitutio* ſeu ordinatio dicti *Domini Johannis Papæ*, quod *in Francia* nullus, etiam Magiſter in artibus, ſeu Medicina, & alii graduati, niſi *Magiſtri in S. Theologia*, vel *Doctores in jure canonico vel civili*, autoritate literarum Apoſtolicarum poſſint *habere canonicatus* & præbendas & dignitates, perſonatus & officia ad *familiares Dominorum Cardinalium*, eſto quod ipſi *familiares* non ſint graduati in aliqua ſcientia, illa nihilominus autoritate Apoſtolica conſequi poſſint & tenere.

Hinc ſtudiorum neglectus.

Qua quidem ordinatione multorum *literatorum virorum* corda terrebantur. Et quia *quamplures a literarum ſtudiis propterea retrahuntur*, quod non omnes, qui ſtudent in ſtudiis generalibus, aliqui videlicet propter paupertatem, & reliqui propter alias diverſas cauſas, *Magiſtratum in Theologia ſeu doctoratum in jure canonico vel civili* conſequi poſſunt, & ſi omnes ſtudentes in illis ſcientiis magiſtrari aut doctorari vellent, in infinitum eorum creſceret numerus & pareret confuſionem, nec non ipſarum ſcientiarum vilipendium: Hinc peto, Pater, ut edicas, quid tibi etiam *de iſta conſtitutione* videtur.

Alexandri V. & Johannis 23. conſtitutiones uſu malorum.

Item multa ſolennia officia Romanæ curiæ, ad quæ exercenda requiritur induſtria perſonalis, *Alexander Papa V.* & poſt eum *Johannes Papa* præfati, commiſerunt certis *Epiſcopis* vel *fratribus Minoribus*, qui per *vicarios* illa exercent. Propter quod multæ falſitates & *indebitæ exactiones* in ipſis officiis commiſſæ fuerunt.

Venundatio officiorum ſacrorum à Joh. 23. exercita, neglecto perjurio candidatorum.

Etiam ipſe *Johannes Papa* multa officiorum hujuſmodi, quæ gratis & *idoneis* atque *autenticis viris olim committi conſueverũt* & debuerunt, commiſit, ut dicitur, *ex pacto*, & conceſſit *pecunia intercedente*. Sciens tamen, quod illorum emtores nihilominus juxta antiquam & laudabilem conſuetudinem in cancellaria Apoſtolica *jurare* oporteat, *quod nihil ratione dictorum officiorum ipſi vel alii pro eis dederint*, & ſic *voluntarie* illi tales efficiantur *perjuri*, & per conſequens inhabiles ad Eccleſiaſtica beneficia obtinenda, & ſuſpenſi ab altaris miniſterio: Tamen eis quandoque confert etiam gratias expectativas aut beneficia vacantia, pro ſuo libito voluntatis.

Fructus Eccleſiæ ab Alexandro V. & Joh. 23.

Et iſti ſunt fructus, quos idem *Alexander* & *Johannes Papa* hactenus Eccleſiæ Apoſtolicæ attulerunt.

CAP.

Caput VI.

Imperatorem unionem Eccleſiæ difficulter paraturum, manente Johanne XXIII.

Johannẽ 23. non poſſe manere Papã Univerſalem ob peſſimas conſtitutiones.

ET, quia dici conſuevit; *Quæ nimis apparent retia, vitat avis*: Quæro: Quod ſi forte *Rex vel Imperator Romanus*, ſi quis eſſet, qui foveret partem vel obedientiam dicti *Domini Johannis*, vellet ac poſſet *per potentiam coactivam* compellere ſibi non obedientes, ut ei obedirent, ipſi non obedientes forte reſponderent eidem Imperatori vel Regi: Quod ad id de jure compelli non poſſent propter animarum ſuarum evidentiſſima pericula, quæ ipſi ſeu valde multi ex eis veroſimiliter incurrerent, ſi dicto *Domino Johanni* obedirent, potiſſimum propter *enormales reſervationes*, & *pravas conſtitutiones* ante dictas: Sed magis eis congrueret pro eorum ſalvatione in ſtatu priſtino remanere, quousque forſan *ceſſarent reſervationes & conſtitutiones* ante dictæ in Romana Eccleſia, & illa *ad priſtinos bonos mores* & antiquas laudabiles obſervationes reduceretur.

Reſervationes eſſe abolendas. Priſtinos bonos mores reducendos.

Et ſic etiam *Imperator* vel *Rex* ipſe parum vel nihil faceret in hac parte.

Caput VII.

De duobus reliquis Pontificibus Gregorio XII. & Benedicto XIII. ad Generale Concilium, quod Conſtantiæ mox coactum, citandis.

An citandi Pontifices diſſentientes ad Concilium Generale.

SEd præmiſſis ſalvis, quæro, quid tibi de hoc videatur, quod, cum *Angelus* & *Petrus* prædicti, ſint tanquam *notorii ſchismatici* & pertinaces hæretici in eodem *concilio Piſano* ſententialiter declarati, numquid propter magnam adhæſionem, quam quilibet eorum habet, & quod uterque ipſorum aſſerit, ſe eſſe Papam & pro tali ſe gerit, ſint *vocandi* ex abundanti cautela *ad iſtud concilium*, *quod inſtat celebrandum?*

An illa citatio autoritati concilii ſit obſutura.

Et poſito, quod ſic, *numquid per hoc derogaretur ipſi celebrato concilio?* Quia per multos reputaretur forſan propter hoc de facto proceſſiſſe, & ſic etiam fuiſſe nulla, & nulliter attentata omnia, quæ exinde ſubſecuta fuerint.

Et ſi non vocarentur, remanerent in priſtinis erroribus *Angelus* & *Petrus*, & eis adhærentes.

Ex hoc etiam incidenter quæro, numquid, ſi dictum *inſtans generale Concilium* convocaretur, & interpretatione juris vel propter publicam utilitatem ipſi, *Angelus* & *Petrus*, & eis adhærentes citarentur, ut dicto concilio intereſſent, ſi vellent, alioquin procederetur in illo, prout finaliter expediret, *eorum abſentia*, ſeu *contumacia* non obſtante: Numquid ſufficeret talis *generalis citatio* quoad eos? Vel an aliqua *cauſa exprimi* deberet in ipſa, in ſpecie, quare ad dictum concilium celebrandum *mittere* vel *venire* deberent?

De formula citationis illius.

Caput VIII.

De tuto loco Concilii Univerſalis.

Quis locus Concilio univerſali aptus?

ETiam, an tunc *Roma* vel *Bononia*, vel aliqua alia *civitas*, *in quam* prædictus *Dominus Johannes Papa habet temporale dominium*, *eſſet locus congruus*, *quoad celebrandum in illo dictum concilium?* Et videtur, *quod non*, prima facie.

Civitas non ſit ſub dominio Johannis 23.

cie. Quia ipſi *Angelus* & *Petrus*, & ejus adhærentes ſemper allegarent, illum locum eis non eſſe tutum, & per conſequens ipſi ad eum venire vel mittere de jure non tenerentur. Et ſic remanerent ſemper in eorum priſtinis erroribus, & dictum concilium hic fruſtra convocaretur. Ut de multis aliis taceam inconvenientiis, ad abbreviandum ſermonem.

Sub qua conditione Concilium poſſit eſſe ſub dominio Johannis 23.

Incidenter quæro, quod *ſi Papa Johannes in* aliqua *terra*, in temporalibus *ſibi ſubjecta*, *convocaret* dictum *concilium* in proximo celebrandum, *cum illa cautela*, quod toto tempore, quo ibi eſſet congregatio Prælatorum, aut duraret dictum concilium, *dimitteret* aliquibus potentibus non ſuſpectis extra manus ſuas dictum *temporale Dominium* cum receptione *juramentorum* & aliarum utilium cautelarum, quod iſta providere deberent, ut nemini fieret violentia vel injuria, ſed ſibi eſſet conveniendi & diſponendi omnia plena libertas, cum ſalvo conducto omnibus, qui illic venirent, quod pro eorum voluntatis libito inde tuto recedere poſſent: Quid tibi, pater, de hoc videtur? An nihilominus *locus* ipſe a contendentibus de papatu, & eis adhærentibus tanquam *non tutus* poſſet licite recuſari? Et videtur, quod non. Cum vix ſit aliquis locus, qui per aliquod dominium potens non occupetur, ſeu teneatur, ubi etiam poſſet impreſſio fieri, & qualiter in hoc eſſet providendum?

HER-

HERMANNUS von der Hardt.
Lectori S.

BReve hoc Alliacenum opuſculum in *Codice MSCto Academiæ* noſtræ *Juliæ* hic finem habet. In *Codice* nihilominus *antiquisſimo MSCto Auguſtisſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis*, Alliacenis, quæ proxima *Parte VII.* exhibebimus, ſubnectuntur nonnulla, quæ non tam cum illo ſcripto, quam cum præſenti libello cohærere videntur, cum ratione argumenti, tum ratione ſtyli, ad formam colloquii compoſiti. Quoniam verò nefas putavimus illa divellere, ac quæ huc pertinere videbantur, exinde transferre: Sub finem ſequentis Partis VII. inveniet lector, quæ noſtro judicio huc referenda videbantur. Quibus ſuppetent ſimiles Codices, viderint, num cohæreant, an diſtincta hæc ſint ſimiliter. Nos intactum hoc relinquere non potuimus, ſed monere libuit, ut anſa detur lectori ſolerti & in MSCtis antiquis verſato in hæc inquirendi, ſi qua ampliorem his rebus lucem affundere poſſit. His interea utere lector, & noſtrum in excutiendis MSCtis vetuſtisſimis laborem haud exiguum boni conſule.

De cætero, his *dubiis Petri de Alliaco* Gerſonem ſuperiori ſcripto abunde jam ſatisfeciſſe, in ipſo noſtro monetur MSCto, his adjectis verbis: AD HÆC RESPONSUM EST IN PRÆCEDENTIBUS.

INDEX CAPITUM.

Caput I.
DE difficultate Concilii Univerſalis per Romanorum Imperatorem illo tempore convocandi, quo Imperium vacabat.
Cap. II. De pecuniariis Conſtitutionibus Johannis XXIII. quæ Eccleſias nimium onerarent.
Cap. III. Magna dubia Gerſoni objecta, de Papa extra Cardinalium Collegium eligendo, & ſic Eccleſia reformanda.
Cap. IV. Scrupulus de Concilio univerſali intermittendo.
Cap. V. Novi ſcrupuli de Conſtitutionibus pecuniariis Johannis XXIII.
Cap. VI. Unionem Eccleſiæ difficulter per Imperatorem effectum iri, manente Johanne XXIII.
Cap. VII. De duobus reliquis Pontificibus, Gregorio XII. & Benedicto XIII. ad Generale Concilium, quod Conſtantiæ mox coactum, citandis.
Cap. VIII. De tuto loco Concilii Univerſalis.

Breve ſed grave hoc monumentum
De
DIFFICULTATE REFORMATIONIS IN CONCILIO UNIVERSALI,
ſcriptum
A. M cccc x
Vacante Imperio
Paucis annis ante Concilium Conſtantienſe
a
PETRO de ALLIACO
Epiſcopo mox Cardinali Cameracenſi,
Ex tenebris erutum
& nunc tandem
tribus prope ſeculis elapſis
editum
Ex antiquo MSCto Helmſtadienſi
In Academia Julia
A. M DC XCVI.
d. III. Septemb.
IMPERANTE
LEOPOLDO
CÆSARE POTENTISSIMO
DE TURCIS IN HUNGARIA
GLORIOSISSIME TRIUMPHANTE.

Digitized by Google

TOMI I. PARS VII.

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracenſis

MONITA

DE

NECESSITATE REFORMATIONIS ECCLESIASTICÆ IN CAPITE ET IN MEMBRIS,

In principio Concilii Conſtantienſis conſignata,

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI BRUNSVIC. AC LUNÆBURG. DUCIS &c.

Ex *vetuſtiſſimo codice MSCto*

AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS

eruta ab

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Jul. Profeſſore.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

Digitized by Google

NICOLAUS DE CLEMANGIIS
in Epiſtola ad Cenſorem
Ex antiquo MSCto Wolffenbuttelenſi.

* † *

Si Virum hunc egregium
Cujus ſimiles anni noſtri raros habent
quos quidem viderim
Imo qui noſtra nebuloſa tempora tanquam
clarum aliquod ſidus illuſtrat
PETRUM DE ALLIACO
me laudare non vultis,
quem laudari in terris dignum ducetis?
Non video
in literis & copia doctrinæ
in ſingulari & circumſpectiſſima providentia
in ſolertia mirabili
in vitæ honeſtate
morum gravitate
fidei integritate
in dictorũ ſimul & factorum librata moderatione
in caritate denique patriæ
amore Eccleſiæ
zelo Reipublicæ
quem illi prælatum putem!

Digitized by Google



Lectori Chriſtiano
S. P. D.
HERMANNUS von der Hardt.

EX præclara *conſulendi prudentia* magna erat illo tempore *Cardinalis* hujus, *Petri de Alliaco*, gloria. Non ſolùm inter *Gallos*, inq; ipſa *Regia curia*, difficillimis Eccleſiæ negotiis tractandis atque conficiendis feliciter ac frequenter erat adhibitus, ſive ſub *Academiæ Cancellarii* ſive *Epiſcopi Cameracenſis* charactere, ſed & ab ipſo *Pontifice Johanne XXIII.* eam præcipue ob cauſam ad *Cardinalitiam dignitatem* eſt evectus. Quin in ipſius *Concilii Conſtantienſis* ancipiti negotio arbiter pene, certe boni & exoptati ſucceſſus autor & adjutor cum aliis extitit præcipuus. Ut ab illius ore penderent plerumque & conſilia & fata Concilii publica meliora. Integritatem pectoris ac incorruptum pro Eccleſiæ ſalute ſtudium id abunde declarat, quod, cum à Papa Johanne XXIII. *Cardinalitio fulgore* eſſet inſignitus, faſcinari oculos ſuos non ſiverit. Quin tanto conſtantius, animoſius, ſollicitius Eccleſiæ ſalutem Cardinalis promovit, quanto ſe celſiori nomine ad id obligatum majoriq; cum autoritate ſe illud acturum cognoverat. Imo ipſius Papæ Johannis in hunc Petrum merita non præponderarunt utilitati publicæ, Eccleſiæ & Imperii. Animum æque ſerenum poſt adeptos illos honores, os æq; apertum, ab injecto iſthoc admirabili bolo, ſervavit, ac antea præ ſe tuliſſe viſus. Majoris quippe fuit apud hunc Petrum re-

ligio, quam ſui ſummi promotoris affectio. Quod *Epiſcopus* pronunciaverat, *reformandam eſſe Eccleſiam in Capite & in membris*, idem illud affirmavit atque confirmavit *Cardinalis*. Quod Epiſcopus publice monuerat, *Johannem* 23. Eccleſiæ Chriſtianæ eſſe oneri, neque ſperandam eſſe Eccleſiæ ſalutem, hoc Johanne præſide: Illud Cardinalis non negavit, quin repetiit, ac tanto confidentius effatus eſt, quanto magis ſe ad Eccleſiæ curam devinctum ſciebat. Quanto proinde propius inſtabat Concilium *Univerſale*, *reformandæ Eccleſiæ ſacrum*, tanto uberius *Eccleſiaſtici ſtatus defectus* denunciare, ponderare, diſcurere, remediaqꝫ ſuppeditare contendebat.

Poſtquam igitur Imperatoris Sigismundi prudentiâ res eo devenerat, ut *Concilium œcumenicum* ſub cœlo Germanico *Conſtantiæ* eſſet congregandum, Cardinalis noſter pro impenſo ſuo in Eccleſiam ſtudio denuo quid agendum eſſet in iſthoc Concilio, publice monuit. Atque hæc illa ſunt *Alliacena monita de ſumma neceſſitate Reformationis in Concilio univerſali*, quæ in principio Conſtantienſis Concilii orbi Chriſtiano ingenue exhibuit, commodis publicis optime conſulturus.

Damus autem hæc, quæ nec impreſſa unquam, nec ab aliis viris doctis memorata vidimus, ex *vetuſtiſſimo MSCto Codice AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.* Habet orbis eruditus quod prædicet, in Germaniæ theſauris, ipſiusqꝫ Augustissimi Romanorum Imperatoris ac Germanorum Regis tabulis literariis ea monumenta hiſtorica tot ſeculorum lapſu ſervata, quæ vel oblivio, vel bellorum injuria in aliis regnis deleviſſet. Sub *cœlo Germanico* in Imperiali urbe, *Conſtantia*, res illæ memorabiles olim geſtæ. Haud poſtrema itaque *Germanorum gloria* eſt, illius ævi poſſidere monumenta, quibus tam magnæ res, luculenter plene atque diſtincte olim deſcriptæ, ad oculum & curate exhibentur. *Primum* hoc *in Germania Univerſale chriſtianorum concilium*, Imperatoris Chriſtiani autoritate coactum. Primi hujus & incomparabilis exempli uti memores eſſe oportet Germanos, ita *antiqua & genuina ejus teſtimonia* ſupereſſe merito gaudet ſibique gratulatur Germania.

Imperii proinde Romano-Germanici majeſtate dignum judicavit SERENISS. DUX RUDOLPHUS AUGUSTUS, in rebus Concilii illius Conſtantienſis deſcribendis, ac ad poſteritatem propagandis, illa *ſummorum in Eccleſia capitum monumenta literaria* ex tenebris eruere, quæ fata illius temporis ſigillatim & candide exhiberent. Vt conſtet, qui fuerint Eccleſiæ Antiſtites, qui ad Concilium illud convocandum calcaria adderent, qui momenta tractanda proponerent, modum rerum gerendarum ſuggererent, votiſque & conſiliis rem tantam juvarent. Quod tanto magis cognitu neceſſarium, quanto amplius hoc cedit Imperatoris incomparabili prudentiæ illuſtrandæ. Qui non ſuo duntaxat conſilio hæc vel orſus vel aggreſſus, ſed ſummorum Eccleſiæ capitum monitis ſalubribus, precibus ardentibus, votis impenſis, animatus, excitatus, confirmatus, & tantum non compulſus.

pulſus. Fecit Imperator, quod ab Ejus Majeſtate expetebat, expectabat, & prope extorquebat totus Chriſtianus orbis.

Ceterum eſſe & hoc monumentum *Petro de Alliaco Cardinali* acceptum ferendum, etſi in Codice MSCto nomen deſit, multa ſunt quæ nuncient. Præterquam enim, quod ipſe Cardinalis in ipſius Concilii Conſtantienſis celebritate publice monuerit, ſe de Reformatione Eccleſiæ plura jam ſcripſiſſe, quæ in tenebris hactenus delituerunt: Genius & ſtylus totius hujus libri hunc Cardinalem arguit.

Dein eadem ſunt momenta hic tractata, quæ ſupra brevibus notaverat.

Poſthæc in laudato MSCto illa immediate huic operi ſubnectuntur, quæ extra dubium à noſtro *Petro de Alliaco* profecta, alibi ab eodem expoſita, ex aliis quippe ejus orationibus excerpta.

Quod ſi lectoris ſagacitas alium indagaverit autorem, grato agnoſcemus animo. Hoc etiam benignus & æqvus lector noſtro dabit ſtudio, quod titulum libri leviter illuſtrare contenderimus. In Codice enim MSCto VINDOBONENSI hæc habetur inſcriptio pro illius ſeculi ſtylo: *Aviſamenta pulcherrima de Unione & Reformatione membrorum & capitis fienda.*

In *Capita* ac *membra* diſtinguere, noſtriq; ſeculi palato delicatiori externam formam operis accommodare oportuit, textu ipſo religioſiſſime ſervato. Ne quid in tam vetuſtis libris recenſendis vel fidei vel operæ vel ornatus deſideraretur.

INDEX CAPITUM.

CAP. I.

DE corrupto Eccleſiæ ſtatu circa tempora Concilii Conſtantienſis.

CAP. II. De tribus Pontificibus, Gregorio XII. Benedicto XIII. Johanne XXIII. in Concilio Conſtantienſi removendis, ac bono aliquo ſubſtituendo.

CAP. III. De Reſervationibus Papalibus in Concilio Conſt. abolendis.

CAP. IV. Adſtringendum eſſe novum Papam ad ſervanda Concilii Conſtantienſis decreta.

CAP. V. De regimine terrarum Papalium non per nepotes & conſanguineos, ſed alios deputatos tenendo.

CAP. VI. Reſervationibus Papalibus ſubtrahi veris Eccleſiarum Patronis jus patronatus.

CAP. VII. Damna in Romanam curiam ex Reſervationibus Bonifacii IX. illata.

CAP. VIII. De Simonia curiæ Ro.

CAP. IX. De multis aliis Reſervationum Papalium damnis.

CAP. X. Origo Reſervationum & incrementum.

CAP. XI. De officio Ordinariorum Collatorum.

Cap. XII. De Epiſcopis titularibus olim in Germania exiſtentibus.
Cap. XIII. De Imperatore per Papam juvando.
Cap. XIV. De converſis Principibus Turcis ac paganis juramento obſtringendis.
Cap. XV. De expeditione in Paleſtinam ad purgandam Italiam.
Cap. XVI. De frequentandis Conciliis Provincialibus in Germania.
Cap. XVII. De Epiſcopis Germanorum conſecrandis.
Cap. XIIX. De Gratiis Expectativis Papalibus revocandis.
Cap. XIX. De Diſpenſationibus Papalibus circa officia ſacra repudiandis.
Cap. XX. De alienationibus Eccleſiaſticorum bonorum per Papam factis.
Cap. XXI. De commendis revocandis.
Cap. XXII. De Epiſcopis infirmis Coadjutore ſublevandis.
Cap. XXIII. De tribus Pontificibus per Imperatorem ſede movendis.
Cap. XXIV. De Reformatione Curiæ Ro. in Concilio Conſtantienſi.
Cap. XXV. De neglectis magnis Eccleſiæ univerſalis reformandæ promiſſis, in Concilio Piſano factis.
Cap. XXVI. De Johannis XXIII. nimia apud Pariſienſes benevolentiæ captatione.
Cap. XXVII. De callidis Johannis XXIII. artibus, ſacrorum officiorum emtores emungendi.
Cap. XXVIII. Johannem XXIII. ſuis ſimoniacis artibus anſam dediſſe Huſſo ad oppugnandum ſedem Romanam.
Cap. XXIX. Huſſiticam ſectam ſine Reformatione curiæ Ro. deleri non poſſe.
Cap. XXX. Impenſiſſimum deſiderium reformandæ curiæ Rom.

PETRI

Digitized by Google

PETRI DE ALLIACO
Cardinalis Cameracenſis
MONITA
DE
NECESSITATE REFORMATIONIS ECCLESIÆ IN CAPITE ET IN MEMBRIS,
Scripta in principio Concilii Conſtantienſis.

EX VETUSTISSIMO MSCto AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.

CAPUT I.
De corrupto Eccleſiæ ſtatu circa tempora Concilii Conſtantienſis.

FRequenter in Eccleſia oramus Deum, ut doceat nos terrena deſpicere, & amare cœleſtia. Deſpicere, id eſt, in affectione poſtponere terrena, & amare ſuper omnia Chriſtum. Quid igitur vult dicere, quod ita *Chriſtus*, præcipue *in Romana curia, deſpicitur, & aurum ei præponitur? Et* quare *bonum unionis in univerſali Eccleſia*, quod præcipue cuncti viri, & quanto principaliores ſunt, tanto efficacius quærere deberent, *negligitur?* Cum tamen Chriſtus pro ſuis Apoſtolis & Diſcipulis oraverit, ut *unum* eſſent. Et Apoſtolus idem ſequens *hortatur Eccleſiam & Eccleſiaſticos ad unitatem ſpiritus* in vinculo pacis: *Unum corpus, unus ſpiritus, unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & Pater omnium.* Et extra *hanc unionem* non eſt ſalus.

Aurum olim præſtantius arâ in Ro. curia. Unitas Eccleſiaſtica ſpreta.

Quærite igitur jam, vos *Patres in iſto Concilio congregati*, cordialiter & audacter, & Dominus erit vobiscum, *in unitate beatitudinis*, cujus electi filii ſunt in beatitudine finaliter uniti.

Admonentur Patres in Concilio Conſt. ad unitatem Eccleſiæ ſectandã.

Et quod Chriſtus ſingulariter tradidit *claves* Petro, per hoc ſignari voluit *Eccleſiæ unitatem in fide*, ad quam fideles invitavit Chriſtus per hanc ſingularem clavium traditionem, ut ait Gloſſa ſuper illo: *Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Vel quod Petrus Chriſtum filium Dei eſſe *primum* conſtanter & manifeſte *confeſſus* eſt, *primo* ipſus *dotatur clavibus*, & honoratur, & honorari permittitur, ut ſic etiam *confitendi Chriſtum* palam & conſtanter per hujusmodi præmium cæteris *præberet exemplum.*

Unitas Eccleſiæ in fide.

Quare Petro claves datæ.

Nec credendum eſt, quod propterea beatus *Petrus* factus ſit *impeccabilis*. Quia *Petrus quamdiu viator fuit, errare potuit* & peccare, pro ſui arbitrii libertate. Unde Chriſtum negaſſe legitur, & quandoq; ad veritatem Evangelii ambulaſſe non recte.

Petrus nõ fuit per acceptas claves impeccabilis.

Erroneum igitur eſt dicere, *quod* quis *aſſumtus ad papatum*, ſit ille qualiscunq; *Nemo* propterea *ſit ſanctus*. Licet *Canoniſtæ* multis altercentur verbis, quod *ſedes* illa Petri aut iſtum *ſanctum inveniat*, aut ſanctum *faciat*.

Sanctius quia Papa. Canoniſtæ impugnati.

Legitur enim, aliquem hæreticum aut necromanticum, cupidum aut ſuperbum, aut aliter crimínoſum, ad papatum fuiſſe aſſumtum qualitercunq;.

Pravi aliqui Papæ.

Sed

Sed quod per talem aſſumtionem ſanctus fuiſſet factus, mirum eſt tenere.

Papã eligentibus non eſſe eam vim ſpiritus, quæ viſa in Mat-

Credendum tamen, quod ſi aſſumentes vel eligentes talem in Papam haberent poteſtatem hanc infundendi gratiam, ſicut accidit de beato *Matthæo Evangeliſta aſſumto ad Apoſtolatum de publicano*, quod tunc bene procederet illud, quod ipſi aſſerunt de hoc *Canoniſtæ*, ut præſertur. Sed quia quæque ratio firmat pactum, *ſtandum eſt eo caſu factis & non verbis.* Igitur ex quodam ſtylo & uſu veterum obtinuerunt illi, qui dictam ſedem occupabant, eis ſcribi per cunctos Chriſtianos, *ſanctiſſimo* vel *beatiſſimo patri in Chriſto*, tali vel tali *ſummo Pontifici &c.*

thæi Apoſtoli electione. Stilus Curia Ro. in compellando Pontifice.

Caput II.

De tribus Pontificibus, Gregorio XII. Benedicto XIII. & Johanne XXIII. in Concilio Conſt. removendis, ac alio bono ſubſtituendo.

In Concilio Conſt. totius Chriſtianiſmi unio quærenda.

IN iſto *concilio generali* primum principaliter tractandum eſt, ut efficaciter inveniatur ibi modus & finis, *ut fiat vera unio in tota Chriſtianitate, antequam dictum concilium diſſolvatur*, ita, ut non ſit niſi unum caput, de quo Chriſtiani concorditer dicere poſſunt: Ecce, iſte eſt Papa noſter: Et ceſſet ibidem omnis ambiguitas & pluralitas de papatu &c.

Tres Papæ contendẽtes ad cedendum compellendi.

Aptior autem & brevior via eſt, quoad hoc, ut *tres contendentes nunc ſimul de papatu*, & in diverſis dominiis conſtituti, non obſtante deliberatione & *concluſione Concilii Piſani*, cedant.

Bonus Papa in Concilio eligendus. Electores novi Papæ in Concilio nõ ſint Cardinales, ſed alii Prælati.

Quibus ceſſionibus factis *eligatur* aliquis *vir ſcientificus, probus, & idoneus, per præſtantiores Prælatos XII*, aut *plures*, vel pauciores, *extra collegium Dominorum Cardinalium*, ſed cum eorum concurſu, per totum concilium cum plena autoritate ad id deputandos.

Aliàs autem ſi *per omnes* talis Pontifex eligi deberet, veroſimiliter propter multitudinem, quæ forte ad diverſa tenderet, electio ipſa non procederet formaliter, ut deberet.

Duobus Cardinalibus, exemplo Piſani Concilii, electio Papæ non committenda.

Sed caveatur etiam, *ne poteſtas eligendi* hac vice *in eosdem duos Cardinales* aliqualiter *declinetur*. Quodſi hoc fieret, quod abſit, omnino impediretur per ipſos ipſa electio novi Pontificis: Aut unum de ſe ipſis eligerent. Et tunc forſan eſſet *error noviſſimus pejor priori.* Cauſas vero, quare hoc, quia valde multæ ſunt, & multis exoſæ, nolui recitare. Quisque tamen prudens & expertus ex ſe ipſo illas concipere poteſt.

Citatio duorum Pontificũ, ſi in Concilio non comparerant repetenda.

Præterea, ſi forſan *Angelus Corario* & *Petrus de Luna* ad ipſum Concilium non venerint, nec ſufficientia procuratoria miſerint ad cedendum pro ipſis, ad id, ut plena unio ſubſequatur, *poterunt* de *novo citari* ad prædictum concilium. Et illuc, in quacunque forma voluerint, venient. Sicut & incedant in publico & privato, pro beneplacito eorundem, dando etiam ipſis plenam ſecuritatem illic veniendi & ibidem ſtandi & abeundi, ſi velint: Aut ut *mittant procuratores ſuos*, cum pleno mandato *ad cedendum* ſimpliciter & de plano.

Johannes 23. etiam ad cedendum adigendus in Concilio.

Quorum ſi alterum fecerint, & ſimiliter ſi neutrum horum peregerint, certe propterea *non debet Dominus noſter Johannes Papa ſe reddere difficilem ad cedendum:* Eſto etiam, quod bonum & verum jus habeat in papatu: Ut ipſa unio, quæ alias veroſimiliter fieri non poſſet, perfecte dante Domino ſubſequatur. Et cauſæ hujus efficaces & multæ ſunt valde, aliàs in eodem *Piſano Concilio* per multos Doctores quam celebres luce clarius determinatæ, & ſic eas non expedit refricari de novo.

O me felicem, ſi ipſos *tres* inſimul *contendentes* in uno loco inſigni in papalibus inſigniis aut in divinis inſimul ſtare aut incedere viderem! Quod tunc non dubitarem, quin ipſimet de hoc conſenſu confuſi unionem facere omnibus modis laborarent.

CAPUT

Digitized by Google

Cap. III.
De Reſervationibus Papalibus in Concilio Conſt. abolendis.

Reſervationes Papales omnes tollendæ. Simonia in curia olim Romana. Novum Concilium generale a Conſt. intra quinquennium celebrandum.

IN omnem autem eventum *reſervationes ſpeciales & generales* de Archi-Epiſcopat., Epiſcopatib' Abbatiis, & aliis inferioribus dignitatibus & Eccleſiis ac Eccleſiaſticis titulis, ſive in *corpore juris canonici* ſive in *libro Cancellariæ Apoſtolicæ* conſcriptæ, *penitꝰ removeantur:* Ad obviandum vitio *ſimoniæ, quod plurimum in Romana curia inolevit*, & aliis multis diſpendiis, quæ ex ipſis reſervationibus longe lateque per orbem terrarum oriuntur. Aut certe usque ad *finem quinquennii*, quo *iterum fiat generale Concilium*, ſuſpendantur. Ita, ut ipſa univerſalis *Eccleſia in capite & in membris* ad veram unionem reducatur. Et interim contra illos *ad diſpoſitionem juris communis* in eo ſtatu remaneat, in quo erat, *antequam illæ reſervationes* fuerant *adinventæ.* Quo *Romana Eccleſia* ſit contenta, ſicut ante illarum introductionem ſtetit vel remanſit ad minimum *annis octingentis*, aut circa. Et ſi bonum eſt pro utilitate communi, ut ſic fiat, bene quidem, ſin autem, *in futuro ſubſequenti concilio* poterit aliud tunc conveniens ordinari.

Romanā Eccleſiam olim Reſervationes illas neſciviſſe.

Eccleſiæ damna ex reſervationibus.

Quid enim eſt utile, ut *ſub colore ipſarum reſervationum pauca admodum perſonæ ditentur, & tota Chriſtianorum communitas depauperetur* & opprimatur? Exhauriuntur enim pecuniæ palatii ſubtiliter ab avaris. Nempe *ambitioſi nunquam poſſunt* ab initio *quieſcere* vel pauſare. Interdicuntur frequenter Eccleſiæ & terræ. Atque alia multa mala propter ipſas reſervationes, ut coram, ſubſeqvuntur.

Caput IV.
Adſtringendum eſſe novum Papam ad ſervanda Concilii Conſt. decreta.

Novi morbi nova deſiderant antidota. Si Papa recedat tandem à Concilii decretis, quid faciendum. Si Papa non ſervet decreta Concilii Conſt. ArchiEpiſcopos poſſe libere Papam deſerere.

ITem, ut firmiter obſerventur, quæ in hoc concilio ſalubriter ordinabuntur, pro *integranda* efficaciter & vere ipſa *univerſali Eccleſia in capite & in membris:* Quia *novis morbis nova convenit antidota præparari:* Statuatur, quod, ſi quitentur iſta, quæ in eodem concilio ordinari contigerit, in toto vel in parte, dicto durante, quanquam modò obſervarentur per Dominum Apoſtolicum, illius certitudinaliter apparente veritate, *liceat* eo ipſo libere *ArchiEpiſcopis & Epiſcopis*, in quorum civitatibus vel diœceſibus illis ordinatis per quemcunque modum aut per quaſcunque cauſas inſertas literis Apoſtolicis derogatum exſtiterit, ex tunc cum eorum ſubditis omnibus, absque aliqua pœna, autoritate propria *ab ipſius Apoſtolici ſubjectione* recedere, & remanere aliàs juxta juris ordinationem, quousque dictum aliud ſubſequens concilium fuerit inchoatum, & ex tunc facere, ſicut dictabitur in eodem.

Decreta Concilii ſervanda. Promiſſa Pontificū de Reformatione non ſervata.

Quid enim expedit, multa *concilia generalia* celebrare, & in eis *ordinata* non ſervare. Vidimus enim quoad illud, quod promiſſa, vota & *juramenta*, Deo & ejus ſanctis *ultro præſtita*, eis non redderentur nec reddantur, & toties vota & juramenta hactenus pro *integranda ipſa Eccleſia in capite & in membris*, nec non illius facienda unione præſtita, penitus non ſervari.

Cap. V.
De regimine terrarum Papalium non per nepotes & conſangvineos ſed alios deputatos tenendo.

Nepotes Papæ.

ITem ordinetur, *quod Apoſtolicus Epiſcopus* pro tempore *non debeat terras Romanæ Eccleſiæ regere per ſuos conſanguineos fratres* vel *nepotes*, ſed per aliquos pru-

Digitized by Google

prudentes & circumſpectos Cardinales, de conſilio & aſſenſu Collegii Dominorum Cardinalium aſſumendos. Omnis enim exceſſus, qui juxta ſtatuta municipalia quanquam civiliter & modica pœna mulctari ſeu puniri deberet, per iſtos fratres, conſanguineos vel nepotes, ſæpe *avaritia aut alia paſſione impellente* punitur magis ad ipſorum fervorem & voluntatem, quam lege aut ratione. Nec audent gravati conqueri vel ab eis, qui eos gravant, appellare. Quia ſi contrarium teneant, non audirentur, ſed aut fortius aut ſeverius punirentur.

Iniquum regimen nepotum Papæ.

Propterea datur occaſio ipſis ſubditis immediate prædictæ Romanæ Eccleſiæ ſæpius *rebellandi*, & neceſſitate cogente nova dominia admittendi. Unde guerræ & maxima pericula animarum & corporum multoties ſubſequuntur.

Unde ſeditiones Italicæ.

CAPUT VI.

Reſervationibus Papalibus ſubtrahi veris Eccleſiarum Patronis jus patronatus.

PRæterea per obitum illius quondam impii *Ladulai Regis Siciliæ* adeo grata tranquillitas eidem Romanæ Eccleſiæ orta eſt, ut *ipſe Apoſtolicus*, ſi velit, poſſit in pace *terras Romanæ Eccleſiæ gubernare* cum maximo ejus emolumento. Ad quid igitur *vult gravare Eccleſias & clerum*, ſibi ſubjectum, ſeu in ejus obedientia conſtitutum per iſtas *infauſtas reſervationes generales*?

Eccleſiæ reſervationibus gravata.

Quæ etiam in *ordinariorum collatorum* cedunt graviſſimum *detrimentum*. Et ſic obedientes Domino Apoſtolico Eccleſiaſtici Prælati & Eccleſiaſtici collatores, quos Dominus Papa merito diligere & honorare deberet, per hoc *beneficiorum Eccleſiaſticorum collatione fraudantur*, & ex obedientia ſua damna reportant, cum nimis inæqualiter ipſa beneficia reſervata in Romana curia reſerventur.

Veri Eccleſiarum Patroni jure ſuo privati.

Item bonum eſt, ut ordinetur in eodem concilio: Quod *nullus Dominorum Cardinalium habeat inter commendas aliquem ArchiEpiſcopatum aut Epiſcopatum* nec non *abbatias*. Quia per tales *commendas* deſtruuntur in ſpiritualibus & temporalibus ipſi Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, & Abbatiæ, & *per mercenarios gubernantur*, ita, ut oves illic neſciant paſtorem, quem ſequantur. Et infinita peccata propterea committuntur. Scilicet vivunt ipſi Domini Cardinales de reditibus Capellanorum, Cardinalatus, & aliis eorum proventibus. Ut quilibet eorum aptet te, prout convenit etiam communitati pro ejus ſtatu tenendo.

Commenda Cardinalium variæ. Eccleſiæ damna ex illis commendis.

Quid enim valet illa *mirabilis pompa*, quod, qui forſan hodie contentus erat etiam in publico incedere cum uno clerico, ſcilicet in craſtinum fortuna annuente *factus Cardinalis*, vix ei ſufficit orbis terræ, & vult incedere ita pompaciter, ac ſi exercitum ſecum duceret ad præliandum. Cum tamen non poſſit plus conſulere in magno apparatu exercitus, quam conſuluit, dum erat in minoribus conſtitutus.

Cardinaliũ pompa taxata.

CAPUT VII.

Damna in Romanam curiam ex Reſervationibus Bonifacii IX. illata.

NEc eſt omittendum, quod per ipſas *infauſtas reſervationes quondam Bonifacii IX*, in ejus obedientia nuncupati, quia ipſe & ejus ſatrapæ, qui apud eum manebant, *nimis erant cupidi ad extorquendum pecunias* qualitercunque à ſubditis in eadem obedientia, pro ArchiEpiſcopatibus, Epiſcopatibus, Abbatiis, & aliis inferioribus dignitatibus, ac Eccleſiaſticis titulis conferendis: Primo Angliæ & poſtea Ungariæ regna, nec non ſucceſſive quaſ-

Nimia in Bonifacio IX. auri cupido.

quaſdam alias provincias, abalienarint. De quibus præprimis *multas* valde *pecuniarum ſummas* trahere conſueverant ipſe & ejus Cardinales, ex impetratione hujusmodi ArchiEpiſcopatuum &c.

Emolumenta abuſu perdita.

Illa tamen *emolumenta* pro majori parte poſtea *perdiderunt.* *Neſcierunt* enim *uti modis*, in talibus dudum teneri conſuetis.

Multi Eccleſiaſtici in variis regnis ſe ſubduxerunt Ro. curia.

Et ex tunc usque in hodiernum diem *de illis regnis non accesſerunt* nec accedunt *clerici ad impetrandum Eccleſiaſticos titulos in Romana curia*, ſed fuerunt & ſunt quodammodo facti acephali & non obedientes debito vicario Jesu Chriſti. Sicut flumen extra ſuum naturalem alveum ductum, ad eum poſtea difficile reducitur.

Culpa præſidum Eccleſia.

Et hujus erroris *dant occaſionem illi, qui præſunt*, qui deberent tanquam fideles & prudentes ſervi, quos conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, prudenter & liberaliter omnia ſpiritualia & Eccleſiaſtica diſpenſare, & non dicere aut ſequi illud, quod legitur de Juda Iſcariot: *Quid vultis mihi dare, &c.*

Caput VIII.

De Simonia curiæ Ro.

Contractus Simoniaci in curia Ro.

NUnc enim omni die, Dei timore & hominum pudore poſtpoſitis, in eadem curia plures *clerici & laici* mediatores per ſe verè *contractus Simoniacos faciunt.* Omnia enim publice impetrare volentibus, Eccleſiaſticos titulos maxime, reſervantur. Quia *ibi Plato jubet quieſcere.* Et conveniunt inſimul illic *paciſcendo* emtor & venditor, ac ſi aliquid prophanum emere aut vendere vellent.

Pauper in curia Romana invenit parumper.

Igitur *qui non habent*, aut habentes ſed nolentes ſuper talibus paciſci, *non poſſunt illic aliquod Eccleſiaſticum beneficium obtinere*, ubi adhæc omnis juſtitia & caritas & miſericordia ſunt excluſæ.

Sed numquid eſt aliud omnibus Chriſtianis peſſimum & horrendum exemplum? Et, ſi hoc vigeat *in capite*, per conſequens quid *in membris* obſervetur in talibus, poteſt quis venari.

Venalia Dei templa pecuniis expugnata.

Cum ſcriptum ſit in Evangelio: *Gratis accepiſtis, gratis date:* Si non detur gratis, gratia non cenſetur. In legibus autem dicitur inter multa de hac deteſtanda materia: *Quis demum locus tutus erit, ſi venalia Dei templa pecuniis expugnentur?*

Simonia damnata.

Quantum autem illud *vitium Simoniæ* in omni jure ſit damnatum & pœnoſum, & ab omnibus merito fugiendum, per infinitas Scripturas patet aperte.

Et cum ita ſit, quare ipſa *Simoniaca rabies* ab eadem curia non fugatur? Quia nil prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur.

Cap. IX.

De multis aliis Reſervationum Papalium damnis.

Clerici Bohemiæ ſe Ro. curiæ ſubduxerũt.

ETiam propter *avaras* iſtas *reſervationes*, quæ ſemper augentur, retraxerunt & retrahunt *ſe clerici Siciliæ, Bohemiæ, Daciæ & Svveciæ* regnorum ab impetrationibus Eccleſiaſticorum beneficiorum in curia prædicta. Per quod paulatim læditur in ipſis Chriſtianorum regnis *obſervantia*, & illius glorioſa dignitas, quæ ad ludibrium ſeu nihilum reducitur.

Reſervationes tollendæ.

Numquid igitur melius & ſalubrius eſt, ut ipſæ *reſervationes* aut *omnino tollantur*, aut ad tempus prædictum, ſcilicet quinquennium ſuſpenſæ quieſcant; ut ſic excluſis dictis reſervationibus, atque remotis illis *avaris obſtaculis*, dicta univerſalis Eccleſia conſequi poſſit ipſam veram unionem. Quod aliàs veroſimiliter nunquam fiet. Quia *quæ nimis apparent retia, vitat avis.*

Digitized by Google

Fures in Eccleſia.

Sed nihil quoad conſcientias periculoſius eſt, quàm taliter ambire aut conſequi Eccleſiaſticas dignitates. Quia illi, *qui taliter cathedras acquirunt*, vocantur *fures* & *latrones*. Et hujus redditur ratio in Evangelio: *quia per oſtium non intraverunt, ſed aliunde.* Per oſtium autem intrare eſt, ſcilicet ut per virtutes & libere, & *non per pecuniam*, & *non ut præſit, ſed ut proſit* promovendus, & ne per *pacta* præcedentia *pecuniaria* vacantibus ſedibus quis præficiatur.

Præſunt non proſunt.

Reſervationes turbarunt totum ſtatũ Eccleſiaſticum.

Mercatura ſacra.

Præterea *per iſtas* peſſimas *reſervationes totus ſtatus Eccleſiaſticus à capite uſque ad membra turbatur* & pervertitur. Fiunt enim illis cauſantibus *mercatura* peſſimæ, & *excluduntur electores ordinarii.* Ita ut aliquando alicui præpoſituræ vel alteri dignitati Eccleſiaſticæ, quæ indiget potenti & nobili rectore ad gubernandam ipſam bene in ſpiritualibus & temporalibus, illo excluſo præponatur *aliquis modicæ ſcientiæ*, vel *ſimplex homo*, *propter viles pecunias*, ut illa qualitercunque obtineat, & gubernet, placeat etiam aut diſpliceat cuicunque.

Viles pecuniæ faciũt ex ineptis magnos Epiſcopos.

Charitas extincta.

Gaudium Romanorũ ex morte Prælatorum.

Item per eaſdem reſervationes omnis *charitas*, quæ dependere debet à capite ad inferiores Eccleſiaſticos Prælatos, *tollitur*. Nam *ſicut eſt gaudium Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*, ſic *eſt gaudium in Romana curia de Prælatis* tunc cathedræ *morientibus*. Et cum auditur mors illorum, tunc dicunt illi, qui ex hoc lucra ſe conſequi ſperant, *ſerenata eſt conſcientia noſtra*.

Sanctus è cœlo non fieret in Eccleſia prælatus ſine auro.

Et ſi *aliquis ſanctorum* de cœlo deſcenderet, ſeque alicui cathedræ, videlicet monaſterio vacanti, & præſertim in reditibus præfigi peteret, in curia prædicta *nequaquam* ille ſuper hoc *audiretur*, *niſi paciſceretur & ſolveret ante omnia pecunias*.

Virtus nulla, ſine pecunia.

Et ſic virtutes & ſcientiæ non habent ibi locum in talibus perſe tantum, niſi eis adſit *pecunia copioſa*. &c.

Promoti auro promotores habent odio.

Propter quod *taliter* in ipſa curia *promoti*, hoc in effectu ſentientes, *eque non diligunt promotores* eorum, imo ipſos plerumque *oderunt*, ſicut ovis naturaliter odit lupum. Et maximè, quod illæ *promotiones* niſi *mediante pecunia* prodierint: Quam ſi non dediſſent ipſi promoti, nullatenus in eadem curia intentum ſuum conſecuti fuiſſent.

Promotiones Clericorũ fuerunt aurifodinæ Italorum

Item *per* eaſdem *reſervationes* valde ditantur *mercatores Italici*, qui in diverſis locis inſignibus per mundum, in talibus ſtipulantur, ut qualitercunque ditentur. Sed provinciæ, in quibus Domino Papæ obeditur, propterea eorum pecuniis paſſim deſtituuntur, & privantur: Quia *generatio unius eſt corruptio alterius* manifeſte.

Ruunt templa, dum reſervantur beneficia.

Item *propter* ipſas *reſervationes* contingit, valde *multa monaſteriorum*, potiſſimum in ipſa Italia, ſuis Prælatis deſtituta, *deſtrui*, & *bona* illorum *ad prophanos uſus* ſucceſſive *redire*, aut aliàs illicite occupari, bonum obedientiæ negligi, vel tolli continue, atque pleraſque regulares perſonas extra ſua loca regularia evagari, proprietarios pecuniarum & ſuis ſuperioribus inobedientes fieri, ſicque diſciplinam regularem & *divinum cultum* per conſequens in monaſteriis & aliis locis univerſalibus *deperire*, quod ſic vivatur. Nam pauci monachi habent pecunias, qui juxta plenam profeſſionem non poſſunt habere ſaltem proprium in privato, nam contra ſanctionem graviter peccarent. Nunc autem nunquam providetur alicui vacanti Eccleſiæ vel monaſterio de perſona cujuſcunque & quantumcunque ad id utilis & idonei in prædicta curia, niſi ſtipulatione & ſolutione pecuniæ præcedente. Scilicet deficiente cauſa deficit effectus.

Presbyteri pannoſi Abbates lucroſi.

Ideo etiam *pannoſi presbyteri ſeculares* præſumunt tales abbatiales dignitates, *mediante Angelo* vel *Petro*, aut in titulum vel commendam ab Apoſtolico cauſa lucri captandi iſtis temporibus impetrare. Sed qualiter per illos proficiant ipſa monaſteria & loca religioſa, ſane intelligens quisque per ſe concipere poteſt. Quia quemadmodum cautum eſt, quod in Magiſtrum aſſumi non debeat, qui formam diſcipuli non aſſumſit, ſic nec præficiendus, qui ſubeſſe non novit.

Item ſi *tollantur* aut *ſuſpendantur* uſq;

ad

ad quinquennium prædictæ *generales & ſpeciales reſervationes*, ex hoc cito ſequetur, ut ſperandum eſt, vera unio in Eccleſia Dei univerſali, ſive prædicti *Angelus* & *Petrus* cedant, ſive non. Quia tunc prælati & Eccleſiaſticæ perſonæ, in ipſorum *Angeli* & *Petri* obedientiis exiſtentes, ipſas, tanquam eis nimis oneroſas veroſimiliter omnino dimittent, & ad ipſam obedientiam, in qua ceſſarunt reſervationes illæ, & ubi per eas gravari non timent, ſubito declinabunt. Maxime cum ipſi *ordinarii collatores* tantæ libertatis beneficio gaudere potuerint. Et ſic ipſi *Angelus & Petrus* confuſi & reveriti ſoli & vacui per conſequens manebunt.

Per iſtas enim reſervationes *excluduntur ordinariæ electiones*, ſuper quibus tot *jura* prodierunt. Quæ propterea *inutiliter membranas maculant*, quia eis excluſis, *Papa, quem vult, promovet*: Sit utilis vel inutilis ad regimen Eccleſiæ, cui præficitur. Cum in jure cautum ſit; quod *nihil* ſit, quod *Eccleſiæ Dei magis officiat, quam quod indigni aſſumantur Prælati ad regimen animarum.*

Jura membranas maculant.

Indignos aurum facit dignos.

Caput X.
De origine Reſervationum Papalium & incremento.

Bonifacii VIII. inventum. Romanũ Imperiũ depreſſũ.

PRæterea prædictæ *reſervationes* pro parte *inceperunt* à tempore, quo *Bonifacius Papa VIII* Romanam tenuit cathedram; jam centum aut circiter annis elapſis; tunc *Romano imperio depreſſo vehementer.*

Sed *Johannis Papæ XXII*, & *Benedicti XII* & *Clementis Papæ VI* temporibus, quibus Romana curia ſtetit in Avinione, & tunc exiſtente ſchiſmate in Romano Imperio inter quendam *Ludovicum de Bavaria* & quoſdam alios potentes, quibus contra ipſum Ludovicum iſti duo Pontifices, ſcilicet *Johannes & Clemens*, ſucceſſive *fecerunt* valde *multas reſervationes*, quæ prius inauditæ nec factæ fuerunt, & vires paulatim per totam Chriſtianitatem aſſumſerunt: Tunc etiam Eccleſiæ cathedrales, ac monaſteria virorum, iſtorum ſummorum Pontificum etiam Curiæ de novo introducta, & facta ſunt juxta beneplacitum eorundem, neſcio ad quid vel quare. Potuiſſent enim, ſi voluiſſent, in ſuis terminis quoad hæc bene feciſſe, prout ſteterunt forte centum & plures ſummi Pontifices ante ipſos *ſine gravamine* ſaltim ita *generali ordinariorum collatorum Eccleſiaſticorum.* Qui quidem præcedentes ſummi Pontifices talia non præſumſerunt facere aut excogitare. Attamen vixerunt per eorum tempora abſque tot & tantis Eccleſiarum & monaſteriorum eis ſubditorum gravaminibus & preſſuris.

Imperatorem Ludovicum Bavarum oppugnarunt duo Pontifices. Reſervationes auctæ, novæ adverſus Imperatorem machina.

Præcedentium Pontificum modeſtia, ſerenioris fortuna regula.

Et ſic iterum iſta *gravamina*, quæ ita impediunt veram unionem ipſius Eccleſiæ, ſunt, prout dictum eſt, aut totaliter *reſecanda*, vel ſaltem ad tempus congruum *ſuſpendenda*, ne, ipſis reſervationibus cauſantibus, Chriſtianitatem undique laniatam ingredienti Anti-Chriſto demum liber pateat aditus ſeu ingreſſus.

Caput XI.
De officio Ordinariorum Collatorum.

Dignis officia ſacra conferenda. Literatis. Gratis.

SIc etiam *ordinarii Collatores* prudenter & bene diſponant de beneficiis eorundem; ita ut illa *dignis conferant*, etiam perſonis competenter *literatis*, & gratis, nullo munere aut pacto intercedente.

Et poterit iſte *ordo* ſervari, ſcilicet quod, quicunque *ordinarius* deprehenſus fuerit ſemel aut bis facere, ut abſit à præſentatione ſeu collatione ſuorum beneficiorum, *ipſo facto ſuſpenſus* ſit, & *devolvatur* ejus *poteſtas* in hoc *ad diœceſanum*: Et ſi etiam ille in hoc delinquat, tunc *ad loci metropolitanum*: Et ſi ille ſimiliter excedat, tunc ab eo *poteſtas conferendi omnia beneficia*, ad ejus colla-

ne munere munus. Pœna juris patronatus male exercitii. Abuſus tollit jus.

collationem pertinentia, *ad Dominum Papam* transferantur eo ipſo, quousque dictum aliud concilium poſtea celebretur.

Et ſi prematur in eo, quo deliquit, imputet ſibi, quia debitum juris ordinem non ſervavit, cum jure caveatur: Videlicet, *Indecorum eſt, ut hi debeant Eccleſiaſticos regere, qui non norunt gubernare ſe ipſos. Cum ad Eccleſiarum regimen tales perſonæ ſint admittendæ, quæ diſcretione praemineant, & morum fulgeant honeſtate.* Et alibi dicitur in Jure: *Grave nimis eſt & abſurdum, quod quidam Eccleſiarum Prælati, cum poſſint viros idoneos ad Eccleſiaſtica beneficia promovere, recipere non verentur indignos.*

Regiminis Eccleſiaſtici regula.

Nec debent ipſi ordinarii collatores uni plura Eccleſiaſtica beneficia conferre, juxta illud canonicum: *nos attendentes, non eſſe conveniens, ut idem presbyter locum in duabus Eccleſiis habeat.*

Unus uno beneficio Eccleſiaſtico ſit contentus.

Item, quod omnes Archi-Epiſcopi electi, & inferiores Eccleſiaſtici Prælati, quilibet videlicet eorum, juxta dignitatem ipſorum, teneatur *officiales* habere *bonæ conditionis & famæ*, ac *vitæ laudabilis*; In jure canonico graduatos, non exactores importunos, ut fieri ſæpe conſuevit. Et qui ſic fecerit, eo ipſo ſit judicandus effecto omnino ſuſpenſus, & ad ſuperiorem immediate id devolvatur.

Officiales careant vitiis.

Et qui teneantur gratis dare formatas & ordinare. Quod *nihil pro collatione ordinum exigatur* aut recipiatur ab ordinariis & officialibus eorundem.

Pretium pro collatione non exigendū.

Caput XII.

De Epiſcopis titularibus olim in Germania exiſtentibus.

Conſueverunt etiam in totum *Epiſcopi Germaniæ* habere *Epiſcopos titulares*, qui exercent pontificialia pro ipſis, quorum plerique rodunt clerum & populum indiſcrete, & ſunt importuni exactores, *ordines ſacros* & omnia alia *pro ſola pecunia facientes.* Expediret, ut eis in ipſo concilio regula daretur ſuper hoc limitationis providæ, quam excedere non deberent. Ipſi enim *emunt exercitium* illud *ſpirituale* ut plurimum, & poſtea *rodunt alios pro libito voluntatis.* Propereaque animarum pericula plurima ſubſequuntur.

Epiſcopi titulares erant plebis exactores. Pecunia parat munia.

Caput XIII.

De Imperatore per Papam juvando.

Item bene expediret, pro *reformatione in temporalibus Romanæ Eccleſiæ & Imperii*, ut fieret liga & confœderatio fortiſſima & indiſſolubilis, quantum fieri poſſit, inter Papam & Regem vel Imperatorem, ſcilicet, quod mutuo & fideliter ſibi vellent ſuffragari, ac *jura Eccleſiæ & imperii* hujusmodi *occupata* pro viribus *recuperare*, excluſis omnimodo exinde tyrannis quibuscunque, ſicut olim ſæpe factum eſt inter ſummos Pontifices ac Imperatores vel Reges Romanos, qui tunc fuerunt.

Deſideratus Papæ & Imperatoris conſenſus.

Jura Imperii & Eccl. recuperanda.

Quia quoad hoc *Dominus valde poſſet ipſi Imperio ſuffragari, ſi vellet*, ponendo ſtrictiſſime Eccleſiaſticum interdictum in civitates & dominia illorum, *qui civitates & jura imperialia in Italia occuparunt*, etiam cum gentibus armorum & alio favore *Imperatorem* ad hoc *juvando.* Alias fruſtra Imperator niteretur illud in ipſa Italia attentare. Et *ſic poſſet eò ſalubrius & melius Imperator ipſe Eccleſiam & Eccleſiaſticos in eorum juribus defenſare.*

Papa imperio deberet ſubvenire. Jura Imperialia in Italia occupata. imperator ſuis juribꝰ potitus Eccleſiam rectius defendet.

Caput

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De converſis Principibus Turcis ac paganis juramento obſtringendis.

Baptiſmū quærere propter principatum.

ITem expediret Chriſtianitati, ut ſtatueretur de novo, quod omnes *Saraceni* vel *pagani*, *qui propter principatum Chriſtianum adipiſcendum ſe faciunt baptizari*, ante omnia *præſtarent* regulariter *juramentum*, quod habetur aut haberi conſuevit in aliquibus quaternis Cancellariæ Apoſtolicæ, *Romano Pontifici & Imperatori*, quod nunquam ſanciant confœderationem cum aliquo infideli, vel ſchiſmatico, ac ſolenniter abjurarent etiam errores priſtinos eorundem.

CAPUT XV.

De expeditione in Paleſtinam ad purgandam Italiam & Europam.

Expeditio in Palæſtinam eſt purgatio malorum per Italiā & Europam.

ITem expediret, prout factum fuit in Claromonte in Alvernia tempore Urbani Papæ II, ſub *Henrico V Imperatore* hujus nominis, tunc etiam ſchiſmate in Eccleſia Romana ſatis magno & enormi vigente, quod indiceretur *generale paſſagium pro liberatione terreſtri è manibus Saracenorum*, & ad id per triennium recolligerentur decimæ in tota Chriſtianitate.

Et tunc forte *purgarentur* per hoc præcipue *Italia* & *alia* propinqua Chriſtianorum *regna* de *multis malis hominibus*, qui in eis ſunt. Tunc proficiſcerentur illic: Et ſic Deus placatus iterum cito daret populo ſuo, ut ſperandum eſt, pacem, & uniret ſuam Eccleſiam citius: Pro ut tunc factum fuit, mediante illa glorioſæ memoriæ comitiſſa Machildi, quæ tot bona temporalia tunc ipſi obtulit Beato Petro Apoſtolo in baſilica ſua urbis ad majus altare.

Ad quid enim eſt utile, quod aliquibus Regibus in eorum regnis talis *decima* per Apoſtolicum quandoque concedatur, in fructus, per hæc alios turbent reges & præſides Chriſtianos.

CAPUT XVI.

De frequentandis Conciliis Provincialibus in Germania.

Rara olim inter Germanos Concilia provincialia. Unde varia damna. Stulti quidam clerici. Nulla reverentia epiſcoporū

ITem, quod *in Germania* forte intra centum annos vel citra non reperitur, quod fuerint *provincialia concilia* celebrata. Unde combuſtiones villarum ruralium, & parochialium Eccleſiarum, quæ ſunt in illis, deſtructiones, rapinæ, ſacrilegia, & alia infinita mala, quæ guerræ producunt.

Claves etiam quibusdam ſtultis non ſanæ mentis committuntur. Quare propter hoc modica vel *nulla reverentia habetur metropolitanis* à ſuffraganeis eorundem: Nec ipſis metropolitanis præſtant obedientiam vel fidelitatis juramentum, *ubi ſuffraganei ſuis metropolitanis affirmant, quod per Apoſtolicum ſint promoti*, & ſic ſe nihil habere negotii cum metropolitanis ejusdem. Et quia forſan interim nullus hic metropolitan' ſuam provinciam viſitavit.

à ſuffraganeis, quia hi nō promoti ab epiſcopis. Lucra ex ſacris.

Ex quo etiam ſequitur, quod plures occupaverint & *occupent* interim *cathedrales Eccleſias*, quod ſint *quaſi milites ſeculi*, nec habentes ſacros ordines, nec incedant ut Epiſcopi vel electi, *parum de ſpiritualibus curantes*, niſi in quantum *lucra captare* poſſint ex illis, pro illorum libito voluntatis omnia diſponentes, & negligentes qualiter ſtent oves illis commiſſæ quoad conſcientias eorundem.

Expedit igitur, ut *in qualibet provincia Ger-*

Digitized by Google

Frequentanda in inGermania Concilia provincialia.

cia Germaniæ celebrentur intra biennium proximum unum, & deinde intra triennium aliud, & ſemper, *provincialia concilia* à ſingulis metropolitanis & ſuffraganeis. In quibus poterunt in talibus, etiam contra prædones & raptores publicos, incendiarios, nec non Eccleſiarum devaſtatores, uſurarios, hæreticos, & ſacrilegos, atque violentos, nec non etiam *quoad honeſtatem prælatorum & cleri*, multa ſalubria ordinari.

Momenta tractanda in Synodis provincialibus.

CAPUT XVII.

De Epiſcopis Germanorum conſecrandis.

ITem diſponatur *in eodem concilio generali*, proxime celebrando, quoad omnes *præſidentes epiſcopatibus & cathedris Paſtorum in Germania*, quod ſe ſaltem ex tunc intra annum faciant *ad ſacros ordines promoveri*, & minus *conſecrationem* ſuſcipiant. Quod ſi non fecerint, quæcunque ſedes ipſa propterea vacet: Eo ipſo & non promoti, ab eis nulla obtenta, & forſan in futurum per eos ſuper hoc impetranda, diſpenſatione papali, in aliquo ſuffragante. Quia *in talibus providendum eſt Eccleſiis & non perſonis.*

Conſecrãdi Germanorum Epiſcopi, aut Epiſcopatu privandi.

CAPUT XIIX.

De gratiis Expectativis Papalibus revocandis.

Exceſſus gratiarũ Expectativarum.

ITem exigitur, & expedit, ut Apoſtolicus *revocet omnes gratias expectativas*, quæ usq; nunc ita *deformiter emanarunt*, & inæqualiter, prout per ſe notum eſt.

Nam *prima data* coronationis Domini Papæ, quæ juxta antiqvum ritum ſolum in primo anno pontificatus ſui diſcretis & paucis ſuis familiaribus, domeſticis concedi debebat: Usque in hodiernum diem omni ordine debito excluſo, & in omni loco, ubi Papa interim fuit, infinitis quodammodo conceſſa extitit. Et ſic, qui primi fuerunt in ſubſequentibus *datis*, in ordine ſupplicandi facti ſunt poſteriores, & in adeptione beneficiorum ex talibus gratiis prorſus excluſi.

Abuſus primæ ſignaturæ literarum à coronatione Papæ.

Et infinitæ illarum gratiarum ſunt adeo *confusè* & abuſive, & non ſecundum diſcretionem, quæ in talibus erat obſervanda, *conceſſa*, ut intelligens quisque ne dum doleat, ſed miretur.

Præterea licet valde multorum *gratiæ expectativa ſortita effectum ſub pontificatu Domini Johannis Papæ* moderni, & præterea prorſus extinctæ fuiſſent: Illæ tamen gratiæ *ſub prima data* quoad mirabiles perſonas *per extenſiones mirabiles* & perpetuas factis inauditis hactenus vivificatæ, totaliter *impedita fuerunt.*

Artes Johannis 23. ſub gratiis expectativis.

An autem liceat talia fieri de plenitudine poteſtatis, ſeu abſoluta potentia Domini Papæ, mirandum eſt.

CAPUT XIX.

De Diſpenſationibus Papalibus circa officia ſacra repudiandis.

ITem infinitæ *diſpenſationes* etiam mirabiles, & ſine quibuscunque ordine atque juſtificatione ad obtinendum *beneficia incompatibilia*, non habito reſpectu ad perſonas, quibus concederentur, hactenus emanarunt, cedentes evidenter in divini cultus diminutionem & animarum periculoſiſſimum detrimentum.

Et propterea oportet etiam removere iſtas *abuſivas*, *indiſcretas gratias*, & *diſpenſationes*, verius diſſipationes, venientes licet tarde. Quæ ſic *ambitionem plurimum augent*, & ipſum divinum cultum diminuunt, & animarum pericula etiam indubitanter adducunt.

Diſpenſationes diſſipationes.

CAPUT

CAPUT XX.
De alienationibus bonorum Eccleſiaſticorum per Papam factis.

Abuſus bonorum Eccleſiaſticorum, laicis conceſſorum.

ITem expedit, ut *revocentur* omnes *conceſſiones & alienationes bonorum immobilium Eccleſiaſticorum*, ſub quavis forma verborum laicis perpetuo, vel ad certum tempus nondum elapſum, per Apoſtolicum factæ: Et provide cavere ne aliæ fiant intra tempus illud, quo aliud generale Conciliũ celebretur.

CAP. XXI.
De commendis revocandis.

Commendæ Eccleſiarum Epiſcopis titularibus factæ Eccleſiis pernicioſæ.

ITem expedit, ut *revocentur omnes commendæ* prioratuum, dignitatum, parochialium Eccleſiarum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſecularium & regularium, *factæ Epiſcopis titularibus* & regularibus perſonis quibuscunque per ſedem Apoſtolicam: Et principaliter *omnes diſpenſationes ad incompatibilia obtinenda, quæ per contendentes tunc de papatu conceſſæ ſunt.* Quarum prætextu etiam cultus ipſe divinus negligitur, & animarum pericula ſubſeqvuntur.

Et qualiter & ad quid poſſit aliquis regularis unum prioratum habere *in titulum* & aliquem *in commendam*, niſi cum ſuæ animæ detrimento, non video.

CAP. XXII.
De Epiſcopis infirmis coadjutore juvandis.

Epiſcopi infirmi non ſede deturbandi. Coadjutor dandus.

ITem, quod nullus *Epiſcopus* transferatur, propter ſecuritatem vel invaletudinem corporalem, de ſua cathedra invitus: Sed ei ſecundum juris diſpoſitionem de *coadjutore*, cum indigebit, provideatur. Nam Propheta oravit ad Dominum dicens: *Ne projicias me in tempore ſenectutis, cum defecerit virtus mea:* Nec afflictis afflictio addi debet, ut jure cavetur.

CAP. XXIII.
De tribus Pontificibus per Imperatorem ſede movendis.

Unus ſit Princeps.

ET ut dixit Philoſophus: *Entia nolunt male diſponi*, nec eſt bonum *Principum pluralitas.* Sit ergo *unus Princeps.* Et rurſus: *Bonum unum conſiſtit in ordine.* Quia omnia habent ordinem, ſed non eodem modo, ſicut bonum univerſum, quod conſiſtit in primo principio, ad quod omnia ordinantur, ſecundum Philoſophum, XII. *Metaphyſicor.*

Ordo, regiminis cardo.

Unde quidam prudens dicit: quod *in omni regimine*, quantumlibet etiam amplo, neceſſe ſit, ut *ordo ſervetur:* Quo dimiſſo illud corrumpatur, & nutet.

Unus Romanorum Rex publicam rē auxit.

Præterea non eſt omittendum, verbi gratia, quam diu veteres Romani more *regio* bonum aliquem fideliter procurarunt, per eorum ſtudium Romanorum res publica adaucta & ſervata eſt. Sed quia poſt *plurimi*, inter eorum ſubditos quidem, *tyranni* aut hoſtes notati, ſicut deſides aut imbelles Romanam Rempublicam in nihilum redegerunt.

Plures tyranni eā deſtruxerunt.

Sub multis Judicibus Judæi laborarunt. Unus rex à Deo Judæis datus.

Similis etiam proceſſus fuit populo Hebraico, qui dum *ſub judicibus* regebatur, undique *diripiebatur* ab hoſtibus, & unusquisque, quod erat bonum in oculis ſuis, faciebat, *Regibus* verò *eis divinitus datis*, ad eorum inconſtantiam, tandem propter Regum malitiam à cultu veri & unius Dei receſſerunt. Sic ipſi

ipſi Hebræi finaliter in captivitatem ſunt deducti &c.

Plura capita, magna regiminis diſcrimina.

Quia *diſſenſio* quoque plerumque ſequitur *ex regimine plurium*, contrariatur bono pacis, quod eſt principium in multitudine ſociali. Quod quidem bonum per tyrannidem non tollitur, ſed aliqua particularium hominum bona impediuntur, niſi fuerit tantus exceſſus tyrannidis, ut in totam communitatem deſæviat.

Bonũ fortius, ſi ſit unum.

Et contra ſicut utile eſt, *virtutem operantem ad bonum* eſſe magis *unam*, ut ſit virtuoſior aut potentior ad operandum bonum: Ita magis eſt noxium, ſi *virtus operans malum ſit una*, quam diviſa virtus.

Malum damnoſius ſi ſit unitum.

Virtus autem injuſte præſidentis operatur ad malum multitudinis, dum commune bonum multitudinis in ſui ipſius bonum tantum retorquet.

Curia Ro. ſequitur Imperii veſtigia.

Præterea, ſive *curia Romana* in ordine debito, ſive non reguletur, nihilominus ſe ſimiliter regulatur. Juxta illud:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Præterea beati *Thomæ de Aquino*, & multorum prudentum hæc ſumma eſt:

Quæ multitudo fecit regem, multitudo poteſt privare regno ſi male regat.

Quod ſi ad unius alicujus multitudinis diſpoſitionem pertineat ſibi providere de Rege, non injuſte ab eadem Rex inſtitutus poteſt deſtitui, vel *refrenari ejus poteſtas, ſi poteſtate Regia tyrannice abutatur.* Neque putanda eſt talis multitudo infideliter agere, tyrannum deſtituens, etiamſi ei in perpetuum ſe ante ſubjecerat. Quia ipſe meruit, ſe in multitudinis regimine non fideliter gerens, ut exigit Regis officium, ut ei pactum a ſubditis non ſervetur.

Idem judicium de Papa & prælatis ſede movendis.

Igitur multoties *illud poteſt debetque fieri de Papa*, & quocunque alio *Eccleſiaſtico Prælato:* Qui, ut legem Dei doceret, & alia bona opera faceret, aſſumtus eſt: Si contrarium imprudenter ac publice operetur.

Electo Papa ut agat bene. Simplices Canoniſtæ, qui Papam

Et fatuum, ſeu erroneum eſt, tenere contrarium, ut etiam tenent & aſſumunt *ſimplices Canoniſtæ.* Quod ratio dictat in talibus, ut ambulantes in tenebris non viderunt. *Nullus* enim *recipitur ad talem dignitatem, ut agat perverſe*, faciatque juxta impetum mentis ſuæ. Imo ſi Papa ſiniſtra comittat, ſe de hoc purgare debet publice, ne ſic magiſtri errores ſatis clare pateant.

moveri poſſe negent.

Dignitas ſacra ne ſit ſacrilega.

Tarquinii ſuperbi fata.

Sic enim Romani *Tarquinium ſuperbum*, quem in Regem ſuſceperant, propter ejus tyrannidem à regno ejecerunt, ſubſtituta & minori, ſcilicet conſulari poteſtate.

Domitianæ tyrannidis fortuna.

Sic *Domitianus*, qui modeſtiſſimis Imperatoribus Veſpaſiano & Tito ſucceſſerat, dum tyrannidem exercet, à Senatu Romano interemtus eſt, omnibus quæ idem perverſe fecerat, per Senatum ipſum juſte & ſalubriter in irritum revocatis.

Si ſuperior dedit imperiũ, imperio male administrato conſulat ſuperior. Archelaũ tyrannis ab Imperatore coercita.

Si vero *eſt* alicujus *ſuperioris, multitudini providere de Rege, expetendum eſt ab eo remedium contra tyranni nequitiam.* Sic *Archelaus*, qui in Judæa pro Herode patre ſuo jam regere cœperat, cum paternam malitiam imitaretur, Judæis contra eum querimoniam *ad Cæſarem Auguſtum* referentibus, quædam primo *poteſtas diminuitur*, ablato ei regio titulo, & medietate regni ſui inter duos ejus fratres diviſa: Deinde, cum neq; ſic à tyrannide compeſceretur, *à Tyberio Cæſare* ſucceſſore immediato ejusdem Cæſaris Auguſti relegatus eſt in exilium apud Lugdunum Galliæ civitatem.

Intereſt Reipublicæ, Imperatorem eſſe ſummũ omnis Imperii præſidem.

Ex quo ſequitur, quod *ſemper utile* fuerit & ſit *reipublicæ*, ut Catholicus Princeps, ſcilicet *Imperator Romanus*, *omnibus aliis Regibus & Principibus ac comitatibus potenter præſideret*, qui eorum tyrannidem, & dum abuterentur recto regimine, coërceret, ita, ut non poſſent ſævire libere & impune in ſubditos, & irrationabiliter juxta ipſorum operari impetum voluntatis.

Imperii potentia diminuta.

Sed quamvis deficit multum hodie iſta potentia in *Rege aut Imperatore Romano*, propterea tamen non reſiſtendum eſt à ſubditis. Quin ut *per eos bonum publicum totius Chriſtianitatis viis & modis omnibus procuretur*, ſemper ad Deum dirigendæ humiles preces, qui ad bonum effectum velit dirigere *dignitatem*.

Ahaſveri & Nebucadnezaris crudelitas à

Qui Regis *Ahaſveri* crudelitatem reprobans in manſuetudinem vertit, Ipſe eſt, qui *Nabuchodonoſorem* crudelem Regem

Deo fracta.

Regem in tantam convertit devotionem, ut factus ſit divinæ potentiæ prædicator. *Nunc*, inquit, *ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico, & glorifico Regem cæli.* Et illud ſapientis: *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis.* Ipſe enim eſt, qui videns afflictionem populi ſui in Ægypto, & audiens eorum clamorem, Pharaonem Tyrannum dejecit cum exercitu ejus in mare. Ipſe eſt, qui memoratum Nabuchodonoſorem prius erectum non ſolum de Regio ſolio, ſed etiam de hominum ſimilitudine in ſimilitudinem beſtiæ commutavit. Quia non eſt abbreviata manus ejus, ut populum ſuum à tyrannis liberare non poſſit.

Plurium Paparum contendẽtium lis à Deo per Imperatorem dirimenda.

Ideo conſtanter agendum eſt, & divinum auxilium ad hoc humiliter invocandum, ut iſta *pluralitate illorum, qui ſe ſummos Pontifices appellant*, eradicatâ, vera unio ſubſequatur.

Johannes XIII. ob tyrannidẽ ab Ottone Imperatore remotus.

Legimus etiam, *Johannem Papam XIII. propter ejus tyrannidem ac vitam inhoneſtam à papatu fuiſſe depoſitum* in alma urbe, autorizante *Primo Ottone Magno auguſto, principe providentiſſimo & vere Catholico*, abrogatis Cardinalibus illius temporis. Convocatis ad hoc clero & populo Romano, & vicinis Epiſcopis atque Prælatis, vocatus fuit *Octavianus*, (Leo) nobilis genere, ſed moribus ignobilis. Fugit autem (Johannes) illo tempore ad Romanos in Campaniam, in aliquibus ſylvis cum feris ſylveſtribus latitando. Ubi poſtea intra tempora pauca omnium miſerrimus ignominioſe deceſſit.

Exitus refractarii Johannis 13.

Nimirum, cum eſſet *Papa*, in quo principalitas correctionis dependebat, *nolens ſe reducere ad debitum rationis*, ſed vivere ſatagens beſtialiter, & regere tyrannice populum Chriſtianum, finaliter ruit, adeo ut ulterius non reſurgeret, qui *bene agendo* per bona exempla infinitis ad ſalutem animarum *profeciſſet*, ſed contra *per mala exempla plures* ſecum *traxit* in gehennam.

Boni Pontificis characteres optimi.

Ideo omnium Chriſtianorum intereſt, ut Catholicus, civiliter & prudenter regens, & multitudinis amator, ac illius bonum quærens, *præſit cathedra piſcatoris*, non publicanus, non exactor importunus, non avarus, ſed de quo vere dici poſſit, *hic eſt fratrum amator*, qui continuo oret pro populo Dei, & hac ſancta civitate, ſcilicet tota Chriſtianitate, ejus directioni commiſsâ, non quærens quem devoret, & quæ ſua ſunt quærat, ſed quæ Jeſu Chriſti. Quod ejus requirit officium, quo cunctis Prælatis Chriſtianis ſe Prælatum fore divinitus, in ſuis decretalibus, literis & Epiſtolis aſſerit, prædicat & affirmat. Sicque *in Dei nomine*, ſcilicet juxta tantam præſidentiam *virtuoſe* ſtudeat *operari*. Quia

Turpe eſt doctori cum culpa redarguit ipſum.

Caput XXIV.

De Reformatione Curiæ Ro. in Concilio Conſt.

Caput Ecclesiæ infirmum membris eſt moleſtum.

Reformãda curia Ro. in Conſt. Concilio.

Cum *in capite* ita generaliter & publice *infirmitas*, error & exceſſus appareant, ut etiam per iſtos membra langueſcant, ratio non permittit, ut talia *enormia mala* in publicum detrimentum diu perſeverent. *Expedit* igitur, *ut ipſa curia in ſuis membris in ipſo inſtanti concilio reformetur*, ſcilicet ut ipſi *mercatores & proxenetæ* ac *mediatores ſymoniaci* à prædicta curia protinus *expellantur*, ad illam nunquam redituri, etiamſi ſint cucullati Antiſtites vel abbates. Quare omnes officiales, qui non per oſtium, ſed contra antiquam laudabilem conſuetudinem *officia publica* in eadem curia *per pecuniam adepti* ſunt, & forte *noluerunt præſtare* antiquum & ſolitum *juramentum*, ab illis ut indigni expellantur, ac digni & utiles eis gratis & liberaliter, undecunque oriundi fuerint, ſurrogentur pro publica utilitate.

Simoniaci fugandi.

Pro indignis Eccleſiaſticis digni ſubſtituendi.

Juramẽti neglectus.

Antiquæ conſuetu-

Nec non ad decus & honorem ſæpe prædictæ curiæ reſumant & conſervent ad unguem *antiquas conſuetudines* ceremonias eorundem officiorum, pro-

dines ſervandæ.

ut facere tenentur juxta ſummorum Pontificum ordinationes ſuper hoc ipſis traditas. Quia turpe nimis eſt, aliquid *pretio acquirere, quod gratis dari meritis & virtuti debetur.*

Turpe pretium pulsâ gratiâ.

Docti neglecti.

Præterea, valde ridiculum eſt, quod multi venerabiles, graduati in ſtudiis generalibus, etiam non habentes Eccleſiaſticos titulos, non promoveantur ad Eccleſiaſtica beneficia vacantia. Sed *ſi veniret cum ſacco paratus qualiscunque beanus* ad ipſam curiam, & *emere* vellet qualecunque *beneficium Eccleſiaſticum vacans*, illud ipſi indilate concederetur: Non diſcuſſo prius de ipſius *idoneitate*, ſcilicet an *ſufficienter literatus* & aliàs *idoneus* ad obtinendum illud exiſtat. Sed *ad ſolam pecuniam*, ac ſi tantum in illa tota humana felicitas ſit incluſa, reſpectus habetur.

Beanus auratus officio beatus.

Pecunia officii ſacri anchora.

Igitur *ille beanus* cachinnatur de illo, qui diu ſtudendo expoſuerit proprium patrimonium & adventitia bona, quæ prius habebat: cum *ille beanus* cum *XX. vel XXX. aut paucioribus ſeu pluribus florenis*, quos pro illo Eccleſiaſtico beneficio conſequendo ſic expenderit in eadem curia, *plus operetur, quam* ille *doctor vel magiſter*, quantumcunque ſufficientis literaturæ, & virtuoſus, *absq; pecunia* in hoc. Quicquid etiam ſit *contra bonos mores*, imo *turpe* ſit, & cedat *in republica detrimentum:* Cum mundus iſte absque ſcientificis & alias virtuoſis viris feliciter ſubſiſtere nullatenus poſſit.

Beanus pecunioſo ridet eruditũ pannoſum.

Plus ſæpe poſſunt 10. floreni quàm 1000 libri.

Orbis ſine doctrina ruit.

Sancte Deus, cur ita tam varie nunc procedunt iſta negotia *curia* memoratæ, ita ut *in ea iſta ſancta pecunia dominetur?* Cum tamen *olim* nedum gratiæ, ſed etiam literæ Apoſtolicæ ſuper iſtis confectæ omnibus *gratis* darentur in illa, atque officialibus curiæ de publico conſueviſſet per Papam, qui fuit pro tempore, provideri, ne aliquis in ipſa curia eidem *ſimonia* locus eſſet.

In curia R. regnavit ſancta pecunia.

Olim gratis, hodie paratis.

Item licet *regiſtra literarum Apoſtolicarum* etiam *ab antiquis temporibus* ſemper conſueverint eſſe *publica*, ita ut per officiales illorum daretur ſcriptum vel copia de illis, ſaltem ſolveretur *ſalarium:* Veruntamen *poſtquam Dominus Johannes cathedra papali præſedit*, illud, quoad valde multa expedita & conceſſa per ipſum, ex tunc non habuit locum: Sed *occultantur illa regiſtra*, nec alicui petenti datur copia cujuscunque literæ Apoſtolicæ deſcriptæ in eisdem. Unde multi obloquuntur, aſſerentes, quod *ſicut fur odit lucem, ſic illi officiales timeant pandere* etiam caris ſociis & animatis ea, quæ *in ipſis regiſtris continentur*, in in hoc etiam veterem laudabilem ordinem nequiter pervertendo.

Regiſtra publica ſtudio occultata.

Johannis 23. artes.

Caput XXV.

De neglectis magnis Eccleſiæ univerſalis reformandæ promisſis, in Concilio Piſano factis.

Conciliũ Piſanum multa promiſit pauca præſtitit.

NEc eſt omittendum, quod dum ageretur, ut *generale Concilium* congregaretur *in Piſis* per collegium Dominorum Cardinalium, *non omnia*, quæ tunc per mundum divulgabantur per literas eorum usquequaque fuerint poſtea *obſervata* & obſerventur.

Promiſſa Reformatio univerſalis in Concilio Piſano.

Inter quæ fuerunt nova *vota & juramenta*, quod *univerſalis Eccleſia in capite & in omnibus ſuis membris* per tunc eligendum Papam & ipſos Dominos Cardinales *omninò reformari deberent.*

Morum laudabilium revocatio definita.

Item quod *veteres laudabiles mores & conſuetudines* Romanæ curiæ, quæ durante ſchismate tunc currente neglecti fuerant, reſumi & inconcuſſe in ipſa curia deinceps *obſervari* deberent.

Pro quo ſciendum eſt, quod juxta iſtos mores & conſuetudines, etiam diu poſtquam incepit præfatum ſchisma, in eadem curia continuatos, quicunque receptus fuit ad exercendum aliquod publicum officium in eadem curia, puta ſcriptionis literarum Apoſtolicarum, vel pœnitentiariæ papalis atque auditoris & notariorum cauſarum ſummi Apoſtolici & aliorum, per ordinem huic præſtandum, nunquam admitteretur ad illud exercendum, citra *ſingu-*

Digitized by Google

Juramẽtum ſalutare, olim ante indeptum officium præſtitũ. Antiquũ Simoniæ antidotũ. Sacra gratis dãda. Clerici ſint honeſti, experti.

lare juramentum, inter alia *continens*; *quod ipſe ad hoc*, ut *illud officium aſſequeretur, nihil dederit aut promiſerit, per ſe, vel per alium, etiam neminem ſciret, qui pro eo quidquam ſolviſſet, aut promiſiſſet alicui ſolvendum aliquid, ut tale officium aſſequeretur*, quodque officium illud ſecundum ejus noſſe diligenter & fideliter vellet exercere.

Et fuit *neceſſarium*, ut ſic fieret, *propter publicam utilitatem*, ſcilicet *ut ad talia officia reciperentur gratis probi & diſcreti*, nec non *honeſti & bene experti*, qui non exactionarent indebite illos, qui cum eis ratione officiorum haberent agere in curia ipſa, & ſi ſecus agerent, ut perjuri & improbi punirentur ac privarentur officiis, prout ſæpe factum fuit.

Johannes 23. ſalubre illud Simoniæ antidotũ abolevit.

Sed ſub *pontificatu dicti Domini Johannis Papæ* hoc juramentum ſalutare *neglectum* extitit, & negligitur. Et eo, & Domino *Vice Cancellario ſanctæ Romanæ Eccleſiæ*, qui habet juramentum recipere à quolibet officiali, diſſimulantibus, eorum pace ſalva, vendita fuerunt & venduntur dicta officia, & *mediante vili pecunia* valde multi, etiam *inutiles* ac *indigni* ad iſta officia, ut conſtat, admiſſi fuerunt, & admittuntur, abſque eo, quod illud juramentum ſolitum & laudabile præſtare cogerentur, aut præſtiterint.

Vilis pecunia magnos facit clericos.

Malꝰ clerus malũ Eccleſiæ regimen.

Unde *male* ipſa *officia gubernantur*, & plerique officiales excedunt, ut frequenter in ſtatuto eis ſalario & ultra debitum gravent partes, & alia faciant non dicenda.

CAPUT XXVI.

De Johannis 23. nimia apud Pariſienſes benevolentiæ captatione.

Academia Pariſienſis à Johanne 23. beneficiis capienda.

Inaudita prærogative conceſſa.

NEc eſt ſilentio transcundum, quod ipſe *Dominus Johannes Papa*, informatus forſan per aliquos ultramontanos, petentes in ſua curia, quod ſi *univerſitati ſtudii Pariſienſis* petitionibus quibuslibet exorabilem ſe redderet, tuto regnaret, nec tunc haberet de reliquis ſuæ obedientiæ in aliquo dubitare: Ipſe quodam ſervili timore adeo mirabiles, & prius à ſeculis *inauditas prærogativas conceſſit in gratiis expectativis* per Directorem & Magiſtros univerſitatis ejusdem, qui à modo certo numero non comprehenduntur, ut prius obtentis ab ipſo per aliquas, nedum aliorum univerſalium ſtudiorum graduatis, ſed etiam ſuæ curiæ officialibus, quibuscunque & quantumcunque ſufficientibus, enormiter derogarit.

CAPUT XXVII.

De callidis Johannis 23. artibus ſacrorum officiorum emtores emungendi.

Sacrorũ officiorũ emtores varie à Johanne 23. eluſi.

Color novus.

QUid denique vult dicere? Si vacat aliquod *beneficium Eccleſiaſticum* reſervatum, *quod aliquis per pecuniam in eadem curia acquirit*, & ibi nunc præſens exiſtit & procurat expedire literas Apoſtolicas ſuper illo, & credit ſe forte tutum, ut alteri non vendatur vel concedatur, tamen frequentius illud idem beneficium aut uni vel pluribus tunc venditur, cuilibet tardius. Et tunc *ſub eadem data* vel *anteriori* dant, quam alteri venditũ fuit.

Ex quo, quod tunc, ſi concurrant hi in *datum*, per concurſum mutuo ſe impediant ementes ipſi vel impetrantes idem beneficium, tunc *utitur Dominus Papa alià cautelà*: Tunc fuiſſe ſuæ intentionis, quod tali, duntaxat nominando, Angelus vel Petrus dictum beneficium ſic vacans voluerit conferre. Et illius gratiam effectum ſortiri debere, & alteri factam gratiam non valere. Si autem anticipavit datum, tunc non eſt opus, quod faciat talem declarationem. Quia tunc prior tempore potior eſt etiam jure.

Sed

Sed iſta pecunia, quæ ſolvitur pro vacante beneficio reſervato antequam literæ Apoſtolicæ alicui de camera Apoſtolica tradantur, naſcitur alio pacto vel colore, ſcilicet, quod pro mediis fructibus ron habuerit nec forſan unquam habiturus ſit propter caſus varios, qui, ne illud aſſequatur, occurrere poſſunt.

Novum auri aucupium. Pluries etiam contingit, ut ſcribatur alicui ad eandem curiam, quod tale beneficium vacet, ſitque reſervatum, revera tamen non vacet: Et venit aliquis ambitioſus, ac *paciſcitur* cum aliquo ex mediatoribus ipſis ad hoc deputatis in ipſa curia juxta curſum conſuetum, & *deponit pecunias ſuas*, de quibus pactum factum extitit, apud mercatorem, ut traditis illi bullis papalibus ipſe mediator pecuniam recipiat, ſtipulatam autem ſtatim ſolvit illam: Sed poſtquam habuit ipſas bullas, ei innotuit, quod dictum beneficium non vacarit: *Certe propterea iſti nihil reſtituitur de eo, quod ſolvit.* Et ſi pepigit, ut prædixi, opus eſt ſolvat, aut male habeat, etſi imputet ſibi quod illud aliqua cauſa forſan aſſequi non poſſet.

Simoniacorum genius. Nimirum faciunt *Simoniaci* more imperitorum medicorum, qui nec operantur, nec permittunt operari ſecundum canones artis. Unde interdum ſuccedit eis bene, & interdum male. Ipſorum tamen errores ſunt quam plures, & ſucceſſus pauci & carnales.

Sed num liceat etiam ſummæ ſedi, & aliquibus ei in talibus aſſiſtentibus, ſic *homines decipere*, ac exiguitatem pecuniarum illarum ſibi taliter acquirere, etiam de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis, mirandum eſt. Scio enim ſcriptum eſſe in Evangelio: *Si quenquam defraudavi, reddo quadruplum.*

Caput XXVIII.

Johannem XXIII. ſuis Simoniacis artibus anſam dediſſe Huſſo ad oppugnandam ſedem Ro.

ITem *propter Simoniacam hæreſin, & quosdam alios reprobos actus, qui fiunt in eadem curia Romana*, temporibus iſtis *in regno Bohemiæ* & Moravia ſectæ in capitibus & in membris vehementiſſime pullularunt, & vires aſſumunt continuo, in damna communia animarum valde multarum. Et multa opprobria, etiam in publico, *Praga*, modernis temporibus *in contemtum Papæ Johannis* moderni, propter hoc attentata, etiam ſuper totum ipſum regnum diutius ubique locorum prædicata. De quo *diverſi libri* conſcripti fuerunt.

Simonia Joh. 23. occaſione dedit Huſſiticis motibus.

Johannes Hus. Inter alios & unus per *Johannem Huſs*, ſe aſſerentem *Baccalaureum in ſacra Theologia*, qui dicitur eſſe caput illorum hæreticorum, & præcipuus in regno prædicto, contextus eſt, qui incipit: *Cum quilibet viator diligere debeat, & fideliter credere Eccleſiam ſanctam Catholicam &c.* Qui quidem *liber* per infinita argumenta ita *impugnat autoritatem papalem*, & ejus plenitudinem poteſtatis, ſicut Alcoranus liber damnati Machumeti, quem Saraceni adorant, impugnat catholicam fidem.

Huſſi liter de Eccleſia.

Hus Papalem autoritatem impugnavit.

Et ſic mala *externa* dictæ *Romanæ curiæ* longe lateque dictam fidem confundunt, & etiam *occaſionem* illius erroris præſtant. Ita, ut infinitæ animæ Chriſtianorum miſerabiliter condemnentur, & fiant per hoc membra Diaboli, quæ prius membra Chriſti fuerunt.

Cap. XXIX.

Huſſiticam ſectam ſine reformatione curiæ Romanæ deleri non poſſe.

Expe-

Digitized by Google

Huſſitas non quieturos, niſi Ro. curiâ emẽdatâ.

EXpediret, ut *hæreſes iſtæ* & autores eorum de Bohemia & Moravia præfatis *eradicarentur* omni modo. Sed *non video, quod illud unquam bono modo fieri poſſit, niſi prædicta Romana curia prius ad ipſos veteres mores & conſuetudines laudabiles reducatur.*

Quia lege cavetur, quod à capite ĉdenda ſit ratio. Et *dum caput ægrotat, cætera membra dolent.*

Adhibeatur igitur, quantum poſſibile fuerit, bona & ſollicita diligentia in iſta felici congregatione aut *ſynodo generali*, ut ſchismate & *abuſibus* ſupra dictis penitus *reſecatis* fiat perfecta unio in ipſa univerſali Eccleſia: Et detur cum hoc ordo, ut reſerventur & immobiliter *obſerventur* per officiales dictæ curiæ, omnes & ſingulos, *priſtini boni mores*, prout fieri conſuevit antiquitus tempore unionis, antequam ſchisma illud inchoaret.

Urgetur Reformatio curiæ Ro. in Concilio Conſt. conficienda. Priſtini boni mores revocandi ope Concilii Conſt.

Quod præſtante Domino fiet, ſi *bonus ordo in ipſa ſynodo* apponatur, omni amore, favore, timore, odio & rancore ſemotis.

CAPUT XXX.

Impenſiſſimum deſiderium Reformandæ curiæ Ro.

Avaritia inſatiabilis cauſa omnis mali. Diſſimulantes notantur, Conſentientes reprehenduntur. Deo reddenda ratio. Chriſti perpurgatio templi Hieroſolymitani exemplum ponitur novæ emendationis. Patres Concilii ſerio admonentur ad purgandam Eccleſiam.

QVid tandem vult dicere, quod *ſex vel octo perſonæ* præcipuæ, per quas aguntur talia *in eadem curia* propter eorum *avaritiam*, quæ eſt *inſatiabilis*: Quia ut dicit Salomon: *Avarus non ſatiabitur*: A vero in totius communitatis Chriſtianorum grandiſſimum diſpendium audeant excedere: Et quod tota ipſa communitas, *talia diſſimulando*, illorum *protervia* non reſiſtat, ſed videantur ſibi faciles & *conſentientes*? Saltem Deo ſunt de hoc finaliter reſponſuri. Et tunc videbunt, an proſint eis *ſomnia* ſua.

Et quia omnis *Chriſti actio, noſtra* debet eſſe *inſtructio*: *Chriſtus* autem manibus propriis *menſas nummulariorum evertit*, & impios *ſacerdotes ementes & vendentes columbas in templo eliminando* illos flagellavit, aſſerens: *Domus mea domus orationis vocabitur*, deſignans, quod *Simoniaca rabies & avaritia ſacerdotibus & Dei miniſtris prorſus aliena eſſe deberet*: Igitur, vos Patres optimi *in prædicto concilio* Spiritus Sancti gratia inſimul convocati, ſic & vos *mundetis templum Domini de iſtis avaris proxenetis, & cucullatis ſacerdotibus, qui ſic vendunt, & autores ſunt, ut vendantur Eccleſiaſticæ dignitates*, & alii inferiores tituli hujusmodi, qui dignis & bene meritis debentur, nec convenit ſuper illis pecuniam ſtipulari, aut eos pactis illicitis intercedentibus venundari.

Sed cavete bene vobis, quia dictum eſt: *Omne ſimile, diligit ſuum ſimile & malus malum qualitercunque ſupportat*: Ne forſan etiam ob hoc *vitium Simoniæ* in aliquibus veſtrum latitans hos *avaros curiales* in illo propterea in diſpendium totius Chriſtianitatis ulterius foveatis.

HERMANNUS von der Hardt.

Lectori S.

PRecibus ac impenſis votis claudi decenter præſentem PETRI DE ALLIACO CARDINALIS librum, quisq; pervidet. In *Codice* tamen *MSCto* AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONEN-

Et quid cum tanta ſolennitate eligetur in Papam, ut habetur in jure? Si ad acquirendum temporalia bona per cœtum Cardinalium in Papam eligi poſſet: Et talis omni jure Papa eſſet colendus. Cujus tamen defectus quoad illud eſſent notorii ſeu manifeſti. Tunc utiq; quilibet capitaneus gentium armigerarum, ſtrenuus & ſagax in illa arte, ut quilibet induſtrioſus mercator, vel alter ſimilis, in Papam per ipſos Dominos Cardinales ipſis ſolennibus, jure utpote ſuperfluis & inutilibus omiſſis vel non ſervatis, eligi poſſet. Quod certiſſime nullatenus eſt credendum propter abſurdum. Non enim eſſet honeſtum, quod agricola calloſis manibus ſacra tractaret, neque pannoſus fuliginoſus eſſet circa ſacra, ut dicit Philoſophus in Politic.

Sic non decet, aliquem eſſe Papam, & ea, quæ ſpectant ad ipſius officium neſcire, aut ſcire, ſed nolle formaliter exercere.

Stat igitur illud, quod rarò finiantur felici exitu, quæ debito caruere principio.

Et hæc ſit tibi reſponſio mea, ſuper qua me nolo amplius dilatare. Bene dixiſti, amantiſſime Domine mi, & bene contentor de tuo reſponſo mihi gratiſſimo, proinde tibi gratiarum actiones refero, corde & animo. Dominus ſit tecum, teque cuſtodiat in æternum.

Illa ſunt, quæ ad *opuſculum Aliacenum De difficultate Reformationis in Concilio Univerſali* ſupr. *Parte VI.* pertinere videantur, uti ſub finem illius libelli monuimus. Subnectuntur porro aliqua in eodem *Codice MSCto CÆSAREO VINDOBONENSI*, quæ pro ultima *concluſione* præſentis operis Alliaceni, hac Parte VII. exhibiti, haberi posſent. Neque verò noſtrum fuit loco movere. Sunt autem hæc:

Sincera Conteſtatio Petri de Alliaco Cardinalis de impenſo ſuo publicæ rei, ſacræ & civili, in Eccleſia & Imperio, optime conſulendi ſtudio.

Et quia, dum currus catholicæ fidei per abrupta ducitur, expedit, ut omnes Chriſtiani, magni videlicet, mediocres & parvi, manus operarias apponant, quilibet videlicet juxta poſſe & noſſe divinitus ſibi datum, ut unio ſubito Eccleſiaſtica reducatur: Ideo ego tantillus, vera caritate motus, hæc deſcribere volui, ex quibus elicere plures poterunt, quæ expedirent in eodem ſacro concilio, & ea efficaciter ſequi & exequi, ut tenentur: Ne à tanto bono, quod ibi dante Domino perficietur, tacendo & diſſimulando remanerem prorſus excluſus, & quæ quilibet bonus corrigat, & emendet, prout placebit eidem, ſalva ſemper veritate.

Ceterum, ne quid omnino prætermittamus, quod ullam rebus his affundere lucem poſſit, exhibebimus hic illa etiam, quæ ſuperioribus in *Codice* laudato *MSCto AUGUSTISSIMÆ CÆSAREÆ BIBLIOTHECÆ VINDOBONENSIS* porro ſunt ſubjuncta, geniumque referunt *Alliaci.*

De Romanorum Imperatoris Majeſtate ſupremoque Jure.

Fecit autem DEUS *duo luminaria magna* in firmamento cœli; Majus, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti, *Gen.* 1. Quibus figu-

figurantur *duæ poteſtates* ſeu dignitates, quæ ſunt *Pontificalis* & *Regalis*. Sed illa quæ præeſt diebus, id eſt ſpiritualibus, major eſt, quæ verò carnalibus, minor, ut legitur *Decretal. lib.* 1. *tit.* 33. *cap.* 6. De quibus *Fridericus ſecundus Auguſtus* loquitur in hæc verba: *In exordio naſcentis mundi provida & ineffabilis Dei providentia, cujus conſilio non communicant aliena, in firmamento cœli duo ſtatuit luminaria, majus ut præeſſet diei, minus ut præeſſet nocti. Quæ duo ſic ad propria officia in regione Zodiaci efferuntur, ut eiſi multoties ex aliquo ſe reſpiciant, unum alterum non offendat; Imo quod eſt ſuperius inferiori ſuam communicet claritatem. Et à ſimili proviſione eademque æterna in firmamento terræ duo voluit eſſe regimina, ſcil. ſacerdotium & imperium, unum ad cautelam, aliud ad tutelam, ut homo, qui erat in duobus componentibus diutius diſſolutus, duobus retinaculis frenaretur, & ſic fieret pax orbis terræ, hominum proceſſibus limitatis.* Hoc autem pulchro & largo protractu deducitur in exordio *Conſtitutorum* ſuorum *regni Siciliæ*, quæ incipiunt: *Poſt mundi machinam*.

Et quodvis ſequitur naturam in quantum poteſt. Sic etiam congrueret, atque omnino mortalibus expediret, ut *iſtæ duæ poteſtates* ſic *ſemper mutuis amicitiis & favoribus* inſimul eſſent congregatæ, *ut ſaltem una alteram non offenderet*, nec ejus ſtatum & gloriam eclipſaret.

Sunt etiam hæ duæ *poteſtates ab invicem diſcretæ*, ut patet *Decret. diſt.* 97. *ca.* 1. Ubi Bonifacius papa ſcribit *Imperatori: Eccleſia mea, cui Deus noſter meum ſacerdotium, vobis res humanas regentibus, deputavit, nos cura conſtringit*.

Et ſicut in ſpiritualibus *Papa* omnibus præeſt, ut colligitur ex præmiſſis, ſic *Imperator omnibus in temporalibus major eſt*, etiam ſuper omnes Reges. *cauſ.* 7. *quæſt* 1. *ca.* 41. Et omnes nationes ſub eo ſunt: ſupremus enim eſt princeps & dominus mundi. Etiam Judæi ſub eo ſunt; & provinciæ ei ſubſunt.

Et Papa vocat *Imperatorem dominum ſuum; diſt.* 63. *c.* 17. & *cauſ.* 23. *q.* 1. *c.* 7. Et *Papa* accuſatus vel diffamatus de aliquo delicto, *Imperatoris examini ſe ſubmittit*: 2. *quæſt.* 7. *c.* 41.

Et *electio Romani Pontificis ad jus pertinet Imperatoris*: *diſt.* 63. *c.* 23.

Et *ab ipſo Imperatore omnes Archi-Epiſcopi accipiunt inveſtituram*: *Ibidem*. Et niſi *Archi-Epiſcopus* vel *Epiſcopus* laudetur vel *inveſtiatur ab Imperatore*, à nemine conſecrandus eſt: *ibid. c.* 22.

Item Papa ſupplicat Imperatori, ut cathedrali Eccleſiæ vacanti Epiſcopus præficiatur, ſcil. in Reatenſi vel Tuſculana, quæ tamen immediate Eccleſiæ Rom. ſubſunt: 63. *c.* 16.

Et *ſacra Imperialis autoritas ordinationi Epiſcoporum eſt neceſſaria*: *ibid. c.* 15. Ubi *Papa vocat Imperatorem clementiſſimum principem*. Et Imperator ſcribendo Papæ ſe præponit: *diſt.* 97. *c.* 2. & 63. c. 33.

Et Imperator Dei miniſter eſt, vindex, illi qui male facit & ei qui bonus, juxta Apoſtolum *Rom.* 13. Item *Prov.* 8. dicitur: *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.*

Præterea Romanus Princeps dicitur *princeps communis omnibus poſt Deum*. Et hunc in finem ei reverentiam præſtare oportet, quam qui non exhibet, apud Deum non poteſt præmia invenire.

Præterea per Imperatorem manifeſtantur *jura*, quæ *poſt Deum* affectione humana *diligenda* & *colenda* ſunt. Nam Imperium cum Auguſti nomine ſuſcipienti *tanquam præſenti & corporali DEO* fidelis eſt præſtanda devotio, impendendusque pervigil famulatus, qui Deo regnat autore. Quia non fruſtra eſt inſtituta poteſtas Regis: *cauſ.* 23. *q.* 5. *c.* 18. Unde Regum proprium eſt facere judicium & juſtitiam, & liberare de manibus calumniantium oppreſſos & peregrinos: pupillæ & viduæ, quæ facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium, *ib. c.* 23. Ex his, debet furta cohibere, adulteria punire, ipſos de terra perdere, parricidis & perjuris non ſinere vivere, filios ſuos non ſinere inique agere, *ibid. c.* 40.

Sed hodie adeo *depreſſa* eſt *Imperialis poteſtas*, ut magis honoretur ac vereatur etiam à maximo uſque ad minimum

Digitized by Google

nimum aliquis *Capitaneus* gentium armigerarum *in Italia*, quàm Imperator vel Rex Romanorum. Sed num hoc ſit expediens videant illi quorum intereſt.

Unum tamen patet, quod poſtquam Imperialis potentia taliter depreſſa fuit, non niſi oppreſſiones & violentiæ, nec non diviſiones in univerſa Eccleſia præſertim in Italia pullularint, nedum ſtatim finis inſtet earundem. Video, quod illi qui civitates & bona imperii occupant multum ſint intenti ad pugnandum contra Saracenos pro recuperatione terræ ſanctæ de manibus ipſorum, & ſuccurrendum brachio extento & manu forti oppreſſis Chriſtianis infinitis per Turcos, Tartaros, Schiſmaticos & paganos.

Ex quibus infertur, quod *Papa non debeat ſe intromittere in temporalibus*: Nec econtra Imperator de ſpiritualibus. *Diſt.* 96. c. 6. Ubi redditur hujus ratio, videlicet; *Quoniam idem mediator Dei & hominum, homo JESUS Chriſtus actibus propriis & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis utriusque diſcrevit, &c.* Igitur cum oporteat rempublicam armis & legibus conſervari, licet Papa ad alterum iſtorum, ſcil. quoad legum conſervationem, forſan conſilium dare poſſet, ad reliquum tamen commode attendere nequit, niſi per medias perſonas, quæ qualiter ſervent Eccleſiam experientia docet. Et ſemper respublica pro ejus conſervatione armis & legibus eget. Quia etiam militaris res legibus in tuto collocata eſt, quemadmodum ipſæ leges armorum præſidio ſervatæ ſunt.

Unde etiam per Eccleſiaſticos prælatos & alias inferiores Eccleſias parvas de præſidiis & poſſeſſionibus ſuarum Eccleſiarum ut eis tuta eſſent omnia, ſubjecta Cæſari, pro tempore illi tributum ſolvere conſueverunt. Et conveniens eſſe tributum, niſi ab Imperatoris benignitate ab his promeruiſſent immunitatem. Quibus taliter qualiter introductis, ſequitur quod intendo.

His in *antiquiſſimo* iſthoc *pretioſiſſimoq; Codice MSCto AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS* alia quædam ulterius attexta videmus ratione materiæ ſuperioribus congrua, ejusdem quidem autoris; aſt ex alio fortasſis ſcripto petita. Id quod colligere licet ex ſequentibus in iſtoc *Codice MSCto* obviis, quibus hæc data inſcriptio: *Sequitur in eadem epiſtola.* Ut ex *Alliaci* quadam *epiſtola* hæc videantur deprompta, fortean Gerſoni inſcripta, quocum de Eccleſiæ oneribus per literas ſæpe multumque egit, quod ex ſuperioribus conſtat. Memorabile præterea, quod, qui Concilii Conſtantienſis tempore *hunc MSCtum Codicem incomparabilem* exaravit, intermittere non potuerit, quin lectorem excitaret, atque in admirationem Alliaceni genii, ſinceritatis, Zeli ac pro communi bono ſtudii raperet, hoc præmiſſo charactere: *Nota Zelum, ſenſum & dictamen hujus autoris.*

De Exactionibus quibus Johannes 23. Eccleſias ſuo tempore nimium onerabat.

De tributariis *decimarumque oneribus* hæc conditio ſumme indecens, imo detrimentoſum tam Pontifici quam Imperatori, Romanæ Eccleſiæ & imperio, ſubditos indebitis & ſuperfluis infauſtarum *decimarum* & *gabellarum* oneribus & aliis quibuslibet *exactionum* incommodis & talliis urgeri & prægravari. Nam ſi in talibus Principibus paternales non vigent erga ſuos ſubditos pietatis affectus, fruſtra aliorum principum erga ſuos munificentiæ & gratiarum impendia, ſubjectivæ ſortis relevamenta, præſtolari videntur.

Digitized by Google

Qui quo majoris libertatis beneficio, ob præſtandæ ſuorum Principum magnificentiæ dignitatem, merito gaudere deberent, nunc nedum miſeræ ſubjectioni, ſed etiam præterea peſſimæ addicti ſervituti & aliis ſervilioris effectus inceſſanter multiplicibus execrabilis fati vulneribus aliisque diverſis & miſerabilibus peccatorum virgis obtunduntur.

Denique rationi abſonum & omni ordini videtur adverſum, quod cum ſingularis annuus terrarum fructus ſterilitatis incommodis ſubtrahatur, & negotiandi extra caſtra & alia loca certa temporalia ſubditis non vacet facultas, nihilominus *infauſtarum decimarum & gabellarum aliarumque importabilium exactionum* ab ipſis ſubditis expectentur emolumenta. Imo quod ſuper omnia deteſtandum eſt, latrunculorum & prædonum variis incurſibus multipliciter & inceſſanter afflicti, nedum bonorum & animalium ac rerum imo perſonarum ſuarum quotidie gemunt diſpendia, nec eſt qui eripiat aut protegat multiplicibus & miſerandis infortuniis & incommodis ſauciatos. Patetque heu! infelices Chriſtiani nominis profeſſores ſe arbitrari, quoad depravatum principum Chriſtianitatis regimen, ovibus & fidelibus deterioris conditionis, quam extremæ ſervitutis.

Utinam Chriſtiani, Chriſtianitatis præſertim *Eccleſiaſtici Principes* attenderent illud *Bernhardi: Si ſacerdos paſtor eſt, & populus oves, dignum eſt, ut à mille appareat ovibus paſtor diſſimilis.* Si inſtar mei, qui ovis, fuerit paſtor meus, & ipſe inermis graditur, vultum gerens deorſum, in terram ſemper reſpiciens, & ſoli ventri interituro pabula quæritans, quo deſtruimur verè, ſi venerit lupus, non erit qui provideat, qui occurrat, qui eripiat. Decetne paſtorem more pecoris ſenſibus incubare corporis, hærere in infimis, inhiare terrenis, non potius erectum ſtare ut hominem, cœlum mente ſuſpicere, quæ ſurſum ſunt quærere & ſapere, non quæ ſuper terram.

Sed in nos cadit illud *Seneca epiſtola 94. ad Lucillum:* Univerſa philoſophia non trahit animis veterem peſtem. Nam in malis inveteratis & induratis regreſſus non patet ad meliora. Et ideo omnes egemus gratiâ & miſericordia Dei, ut induratos nos caritatis ſuæ flamma molles faciat. Quia difficile eſt conſueta relinquere.

Sicut Eccleſiaſticorum principum illo tempore negligentiam vel etiam in ſubditis ſuis exhauriendis nimiam ſeveritatem corripuerat *Alliacus*, Johannis XXIII. inſatiabilem auri cupidinem aliorum exemplo notans & damnans: Ita porro non intermiſit ibidem monere, talem Eccleſiaſticum præſidem, qualis Johannes XXIII. loco eſſe movendum, meliore ſubſtituto, uti mox in Concilio Conſtantienſi factum. In *MSCto* itaque *Codice VINDOBONENSI* poſtremo ſuccedunt, quæ illud velint. Quæ nec hic præterire fas fuit. In fronte monetur, quod *ex eadem epiſtola* hæc ſint deſumpta, unde ſuperiora.

Repetitum Petri de Alliaco Conſilium, Reipublicæ Præſidibus ſuo tempore datum, & in Conſtantienſi concilio ſancte obſervatum de Johanne XXIII. Eccleſiæ nimis oneroſo ſede movendo.

SI modo vacaret diſcolus & adverſus modernos populis præſidentes furtivus malignator, & eorum magnifici & vani, ne dicam infelicis, quoad feralem miſerabilium ſubjectorum oppreſſionem, ſtatus delator, poſſet ex ſupra relati antecedentis determinatione, multis non dubito ex ipſis præſiden-

tibus exoſa, ſed tamen juri divino & humano ut videtur conſona, per modum neceſſarii conſequentis exemplaris inferri ſententia: Quâ natura nonnullas beſtias, præſertim *apes*, DEI & hominum gratis miniſtras, intellectu carentes, ſed naturali præditas induſtriâ, quaſi divinitus inſignivit. Videlicet: Quod ſi ſenſuali & penurioſo vel aliàs ad congregandum favum incommodo eis tempore Rex ipſe expers laboris, honori vacans, apum miniſterio vivens, quaſi prodigus & aliis onerosus, repoſiti favi conſumptor exiſtat, ipſum apes non ſolùm abjiciunt, ſed occidunt. Et ob hoc ſatis mirandum, quod homines adeo intellectu & ratione præditi, ſuis calamitoſis, eos miſerabiliter exacerbantibus, neſciunt vel non curant, in non modicam ſuam & reipublicæ læſæ pernitiem, obviare, ſeu oportune providere. *Prov.* 2. Vade ad formicam, o piger, & diſce ſapientiam. *Seneca lib. de Clement. Non pudeat ab exilibus animalibus trahere mores.* Sed quia moderni ſolis voluptatibus, illecebris, jocis & ſolatiis vacant, non mirandum, quod ut pecudes ſe regi & inaniter lacerari permittant.

Hæc ſunt quæ in laudato præclariſſimo & ob antiquitatem venerabili *MSCto BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS* indivulſo nexu cohærent, *Petro de Alliaco*, ut ſane apparet, acceptum ferenda. Et *illius* quidem *temporis* miſera Eccleſiæ facies & in his ſeſe contemplandam præbet. Cujus miſeriæ culpa maxima in *Johannem* 23. devoluta. Qui Eccleſias artibus ſuis pecuniariis exhauriret, Jura Imperii extenuaret, ſicque Eccleſiæ & Imperio maximo eſſet oneri. Quapropter in Concilio Conſtantienſi ſede eum moveri conſultum omnibus viſum. *Theodericus Vrie, Nicolaus Clemangius, Johannes Gerſon*, eandem plane cum *Alliaco* noſtro expoſuerunt ſententiam, de juribus Imperii Romano-Germanici per *Johannem* 23. nimiopere violatis Imperio reſtituendis, de Imperatoris ſuprema autoritate vindicanda atque conſervanda, Eccleſiis denique à nimiis Johanneis exactionibus liberandis. Et hæc omnia Univerſali Eccleſiæ Reformatione *in Concilio œcumenico Conſtantienſi* quærenda eſſe unanimiter affirmarunt. Ut æterna digni ſint hi Viri memoria, qui Imperatoris Majeſtatem ac Imperii Romano-Germanici autoritatem, gloriam, potentiam, jura, tuiti, Eccleſiæ & Reipublicæ ſalutem impenſe quæſiverunt.

Nobi-

Digitized by Google

Nobiliſſimum hoc
canæ antiquitatis monumentum
De
NECESSITATE REFORMATIONIS
ECCLESIASTICÆ IN CAPITE ET MEMBRIS
IN CONCILIO UNIVERSALI,
exaratum
in principio Concilii Conſtantienſis
a
PETRO de ALLIACO
Cardinale Cameracenſe
IMPERATORE
SIGISMUNDO.
Luci datum
Ex antiquiſſimo *Codice MSCto*
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ
VINDOBONENSIS
A. M DC XCVI.
Menſe Septembri
in Academia Julia
Imperante
CHRISTIANISSIMO
CÆSARE
LEOPOLDO
ANTIQUÆ MAJESTATIS IMPERII
ROMANI-GERMANICI
VINDICE AUGUSTISSIMO.

Digitized by Google

Digitized by Google

TOMI I. PARS VIII.

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracenſis

CANONES REFORMATIONIS ECCLESIÆ IN CONCILIO CONSTANTIENSI,

Scripti in ipſo Concilio œcumenico,

Et IMPERATORI SIGISMUNDO

ac univerſo Concilio oblati.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG. DUCIS &c.

Ex *antiquiſſimo Codice MSCto*

AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS

recenſiti ab

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Jul. Profeſſore.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

Digitized by Google

JOHANNES RAVISIUS TEXTOR,
laudante *Launojo* in *Academia Pariſienſi Illuſtrata*
p. 476.

* † *

PETRUS DE ALLIACO
CARDINALIS
Vir
doctrina & moribus
ſpectatiſſimus
non modo Galliam
at
univerſum terrarum orbem
radiis virtutum ſpecioſiſſimis
illuſtravit.

Digitized by Google



Chriſtiano Lectori
S. P. D.
HERMANNUS von der Hardt.

PEtrum de Alliaco, *cardinalem*, doctrinâ & in Eccleſiæ ſalutem affectu *eminentiſſimum*, conſiliis ſuis in Reformationis Eccleſiæ negotio IMPERATORI SIGISMUNDO ac univerſis Eccleſiæ capitibus olim ſubveniſſe, ex ſuperioribus ſatis abundeque elucet. *Ante Concilium Conſtantienſe Oecumenicum* inchoatum, non ſolùm inchoandum illud eſſe ſuaſerat, ſed & quæ in eo tractanda momenta, ſincere ac aperte monuerat. Uti ex duobus ſuperioribus ejus opuſculis, MSCtorum ope exhibitis, luculenter patet.

In ipſo etiam *Concilio*, in quo Reformatorum certum erat definitum Collegium, non deſtitit priora ſua conſilia repetere atque confirmare vel & illuſtrare. Omnem ſibi oblatam occaſionem de hoc negotio arduo apud Imperatorem, in Nationum conſeſſu, in publica Synodo agendi dicendique, lætus lubensque arripuit. Eandemque cauſam & *ſcriptis* complexus omnibus Concilii aſſeſſoribus enixe commendavit.

Hinc natæ variæ *orationes ſolennes* noſtri *Alliaci*, in publico totius ſplendidiſſimi Concilii conſpectu *de Eccleſiæ Reformatione* ut *inchoanda* ita & *perficienda* habitæ. Quas omnes huc referre nec locus, nec ſcopus, nec operis moles admittit. Legi poſſunt à cupido lectore in *Tomo I. operum noſtri Cardinalis*, quæ *Argentinæ* pro-

prodierunt *A.* 1490. Nec omnes ejus orationes in Concilio hac de re habitas impreſſas eſſe, lubentes fatebimur, qui permulta alia ejus ſcripta in Bibliothecis illuſtribus latere probe meminimus.

In Celeberrimo & MSCtorum olim copiâ ditiſſimo Helvetiorum Cœnobio *AUGIÆ DIVITIS* hodienum reperiuntur præclari aliquot *codices MSCti*, quibus *orationes Virorum magnorum, in Concilio Conſtantienſi* in æde Cathedrali in ſplendido conſenſu habitæ, à Benedictino iſtius Cœnobii Monacho in Concilio præſente exceptæ & collectæ, comprehenduntur. Vidit hos inſignes *Codices MSctos*, præclara antiquitatis monumenta, in laudato *AUGIÆ DIVITIS* inclyto *Monaſterio, Vir Illuſtris, JOHANNES ULRICUS PREGIZERUS, Sereniſſimi Wurtenbergenſium Ducis Conſiliarius excellentisſimus, Hiſtoriæ antiquæ ac recentioris Germaniæ callentisſimus.*

In his orationibus magnorum in Concilio virorum, *Franciſci de Zabarellis Cardinalis, Henrici de Haſſia, Johannis Spindleri, Johannis de Rocha, Jacobi Epiſcopi Placentini, Mauritii de Praga, Andreæ Epiſcopi Poznanienſis, Theodorici de Monaſterio Epiſcopi Firmani, Eberhardi Baptizati Monachi ordinis S. Benedicti Abbatis, Matthæi de Anglia Aichſtetenſis ſacerdotis, Johannis Zachariæ Legati Univerſitatis Erfordenſis, Burckardi Vagrii Conventus Montiſpeſſulani, Alexandri Epiſcopi Placentinenſis, Stephani de Praga, Jacobi Epiſcopi Laudenſis, Johannis Huguonotti de Metis Licentiati Juris Legati univerſitatis Avinionenſis, Johannis Zachariæ Theologiæ Profeſſoris, Johannis Gerſonis Cancellarii Pariſienſis, Petri Bertrandi Cardinalis, Joannis de Gouſſuon*, noſtri quoque *CARDINALIS CAMERACENSIS* ſermones locum habent.

Memorabile præterea, in hoc *Codice MSCto Augiæ divitis*, à doctisſimo illius Cœnobii Monacho Benedictino miſerabilem & corruptiſſimum Eccleſiæ ac Reipublicæ illius temporis ſtatum his deſcribi verbis: *Recesſit lex à ſacerdotibus, Juſtitia à Principibus, conſilium à Senioribus, fides à populo, à filiis reverentia, à ſubjectis charitas, à Prælatis religio, à Monachis devotio, à Monialibus honeſtas, à juvenibus diſciplina, à clericis doctrina, à magiſtris ſtudium, à ſcholaribus timor, à ſervitoribus æquitas, à judicibus integritas, à militibus fidelitas, concordia à civibus, communitas à ruſticis, bonitas ab artificibus, veritas à mercatoribus, largitas à divitibus, caſtitas à virginibus, virtus & mœror à viduis, munditia & fiducia à conjugatis. Et nunc quid fratres, niſi venite ante Chriſtum! Amen. Chriſtus quaſi nullus habetur, & à potentibus hujus ſeculi velut peregrinus reputatur.* Quod præcipuum omnino orationum illarum argumentum eſſe, vel ex ſermonibus *Mauritii de Praga, Eberhardi Baptizati, Jacobi Epiſcopi Laudenſis*, aliorumque clarorum virorum, quos proxime hoc *Tomo I.* ex variis aliis præclaris *MSCtis antiquis* exhibere animus eſt, elucefcet.

Miſſis ergo tantiſper illis, in *Petri* noſtri *Cardinalis* orationes in Conſtantienſi Concilio dictas oculos nunc flectere par erit. Vehementer conqueſtus illo tempore *Petrus* hic de extrema Eccleſia-

ſtico-

ſticorum corruptione, in *oratione in Matth.* 20. de vinea domini, his inter alia uſus verbis: *Hodie probdolor, fratres carisſimi, plures Eccleſiaſtici viri, quia præmisſis virtutum conditionibus privati ſunt, ſe in vineam Domini, non ex approbatione divina, ſed diabolica potius præſumptione, miſſos oſtendunt. Sunt enim plurimi, ut Gregorii verbis utar, qui intra ſanctam Eccleſiam culmen regiminis & gloriam affectant bonoris, ſed quæſitum aut per ambitionem ſuſceptum curæ paſtoralis officium digne miniſtrare nequeunt, quia ad virtutis magiſterium ex ſola elatione pervenerunt. O elata nimium præſumptio. Dudum ſiquidem homines ſoliti erant per virtutem ad dignitates Eccleſiaſticas pervenire. Jam verò in Eccleſia Chriſtianorum fieri videmus, quod olim in politia Romanorum Saluſtius factum eſſe conqueritur: Furtim & per latrocinia potius quam bonis actibus ad honores & imperia nituntur. Et ut idem eleganter ait: Plurima fuere, quæ majores noſtros magnos fecerunt, quæ in nobis nulla ſunt: Domi induſtria, juſtitia foris, animus in conſulendo liber, neque delicto neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam, avaritiam, publice egeſtatem, privatim opulentiam: Inter bonos & malos diſcrimen nullum, ſive diſtinctio nulla eſt. Omnia præmia virtutis ambitio posſidet. Magna ſunt hæc quæ lamentatur Saluſtius, ſed longe majora lamentabilioraque dixerim. Jam enim non ſolum inter bonos & malos diſcrimen nullum, ſed diſtincti magna longaque diſtantia. Nam mali in dignitatibus præſunt, boni vero indignisſimis ſubjecti ſunt. Nec ſolum virtutis præmia posſidet ambitio, ſed ut Boëtius dicit, Imperante malitia, virtus non ſolùm præmio caret, verùm etiam ſceleratorum pedibus ſubjecta calcatur. Ecce ergo quot & quanta mala ſequantur, quia ab imperitis & indignis Eccleſiaſticum regimen præſumptuoſa temeritate ſuſcipitur. Contrà quos Dominus per prophetam conqueritur dicens: Ipſi regnaverunt & non ex me, principes extiterunt & non cognovi, Hoſ. 8. Nam ut in primo capitulo regulæ paſtoralis dicit Gregorius: Ex ſe & non ex arbitrio ſummi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus nequaquam divinitus vocati, ſed ſua cupidine accenſi, culmen regiminis rapiunt potius quam aſſequantur. Hos ergo ſupremus viticola in vinea ſua permittendo tolerat, ſed eos profecto per judicium reprobationis ignorat. Unde talibus qui virtutes non habent, etiamſi miracula facerent, a Domino dicitur: Diſcedite a me, qui operamini iniquitatem, quia nunquam novi vos. Matt. 7.*

Eandem orationem replet *Petrus Alliacenus* & his querimoniis: *Hodie prob dolor, fratres carisſimi, plures eſſe videntur in vinea Domini, qui omnino ſpiritualia & æterna poſtponunt, & corporalis ſuſtentationis quæſtum ac temporalis honoris faſtum cupiunt. De quibus conqueritur dominus per Prophetam: Vos depaſti eſtis vineam meam, Eſa. 3. Cum enim ſolùm hoc quærant, ut carnis voluptatibus & vanis honoribus paſcantur, & fructum divini operis non ſectentur, reſtat, ut Eccleſiaſtica vinea infructuoſa reddatur. Unde fit, quod per eundem Prophetam dicitur: Expectavi ut faceret uvas, fecit autem la-*

bruſcas, *Eſ.5.* *O miranda nimis & miſeranda mutatio. Jam enim vinea domini, quæ uvas virtutum feciſſe debuerat, labruſcas vitiorum facere comprobatur: Et quod horrendo monſtro ſimillimum eſt, uvæ in labruſcas, i. e. virtutes in vitia transformantur, ac juxta Senecæ ſententiam: Ideo deſiit remedii locus, quia quæ fuerunt vitia, mores fiunt. Ecce enim, ut Bernardus ait: Parcitas putatur avaritia, ſobrietas auſteritas creditur, ſilentium triſtitia reputatur: Econtra vero remisſio diſcretio dicitur, effuſio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio jucunditas, mollicies veſtimentorum & equorum faſtus honeſtas, lectorum ſuperfluus cultus mundítia.*

Claudit hanc orationem *Alliacus* his votis: *Oremus dominum, fratres cariſſimi, ut ab hujusmodi belluis monſtroſisque beſtiis Eccleſiaſticam vineam eripiat, & nos ceterosque viros Eccleſiaſticos idoneos ſibi miniſtros & tales operarios efficiat, de quibus ad ejus laudem & Eccleſiæ utilitatem ſinguli dicere valeant præmiſſam Chriſti ſententiam; Miſit illos in vineam ſuam.*

Magnæ huic Eccleſiaſticæ calamitati remedia quæſita & ex parte admota eſſe in Concilio Conſtantienſi, commemorat *Alliacenus* aliis orationibus in Concilio habitis. Scilicet A. 1417. medio quadrageſimæ, in ſermone publico ſuper hæc verba; Lætare Hieruſalem, inter alia ita infit: *De quo in Evangelio legitur: Videns Jeſus civitatem Jeruſalem flevit ſuper eam; Non ad illam utique, ſed ad te univerſalem Eccleſiam militantem ſpectat; Et ad hoc ſacrum generale concilium, te repræſentantem, maxime pertinet, quod hodie canendo dicitur: Lætare Hieruſalem. Sed jam videre mihi videor matrem Eccleſiam triſtem & lacrymoſam ad hæc queruloſe reſpondentem atque dicentem: Quomodo fiet iſtud? O fideles filii, quomodo aut quo pacto lætari potero, quæ triſtitiæ cauſas ſignaque triſtium eventuum undique conſpicio. Ecce inquit ipſa. Ecce ego mater olim felici prole fecunda, jam diu & proh dolor nimis à reprobis filiis, quos enutrivi & exaltavi, ſpreta ſum. Nec ſpreta ſolum, ſed non minus quam vetus illa Hieruſalem multipliciter conculcata. Ego dudum à Chriſto ſponſa mea ſupra firmam petram fundata, ejus ſanguine conſecrata, Apoſtolorum prædicatione ſolidata, tot Martyrum totque ſanctorum meritis & virtutibus aucta, tam magnifice principum & Chriſtiani populi devotione dotata, tam diuque divitiis & honoribus proſperata, jam innumeris periculis & adverſitatibus circumdata ſum, & ex longa malorum experientia timeo præcipitium ad pejora. Heu heu videtis ô fideles filii, videtis me matrem veſtram, Chriſti ſponſam, multipliciter diviſam, mirabiliter laceratam, miſerabiliter deformatam. Si hæc piis oculis videtis, utique lacrymari magis vobis convenit quam lætari, mihique dulcius eſt meam deflere triſtitiam, quam audire, Lætare Hieruſalem.*

Quibus Eccleſiæ lacrymis ſolatium ſubdit *Alliacus* ex Concilii Conſtantienſis ope petitum. *Ad hujusmodi*, inquit, *lacrymoſas querelas matris Eccleſiæ devoti ejus filii in hac ſacra ſynodo congregati, eam conſolando reſpondent; Lætare Hieruſalem, Exulta Chriſti ſponſa, ô-*

ſa, omnium fidelium mater Eccleſia. *Quia cauſam hujus lætitiæ & exultationis tuæ ſequentia introitus Miſſæ verba declarant, quibus dicitur:* Conventum facite, *i.e. ad generale concilium convenite, omnes qui diligitis eam, qui ideo filiali devotione ex matris dilectione conveniſtis, ut eam diviſam reunire, laceratam reparare, & deformatam reformare, divina favente gratia valeatis.* Et quia *hoc pie ſperandum eſt, ideo ſubditur:* Gaudete in lætitia, *qui in triſtitia fuiſtis. Præceſſit igitur magna triſtitia, ſed jam major lætitia ſubſequatur. Fiat cauſa majoris lætitiæ prioris triſtitiæ memoria. Sic enim juxta Virgilii ſententiam, Præterita olim mala meminiſſe juvabit. Scimus itaque, multas cauſas multaque ſigna præceſſiſſe triſtitiæ & mœroris, diſcordiæ & furoris, miſeriæ & doloris, cauſas videlicet atque ſigna ſchiſmaticæ diviſionis &* Eccleſiaſticæ *deformationis. Jam verò quid gaudenter referimus? Videmus ſigna jucunditatis & lætitiæ, ſigna caritatis & concordiæ, ſigna proſperitatis & complacentiæ, ſigna videlicet pacificæ unionis & reformationis* Eccleſiaſticæ. *O mirabilis mutatio dexteræ excelſi. O præclarum diem, & quem merito fauſtum dixerim, ſub quo hoc fieri contigerit! O beatos oculos, qui hoc videre meruerint, o felicem locum, hanc videlicet* Conſtantienſem *civitatem, quam dominus ad hoc eligere dignatus eſt. Sed magis laudanda atque extollenda, immenſa Dei clementia, quæ pulſis præteritis malis tam ingens ſuæ largitatis beneficium conferre diſpoſuit.* Eja *igitur poſt tanta tamque triſtia mala horrendi ſchiſmatis, quæ mens humana vix rememorare ſufficiat, jam merito lætetur Hieruſalem, jam exultet & gaudeat mater Eccleſia de innumeris & inenarrabilibus bonis, quæ ex hac unione ſimul ac reformatione ſperamus.* SPERAMUS *equidem* VERAM UNIONEM NON ABSQUE REFORMATIONE: SPERAMUS VERAM REFORMATIONEM NON ABSQUE UNIONE. UNA QUIPPE SINE ALTERA ESSE NEQUIT, *dicente Pſ. Juſtitia & pax ſe oſculatæ ſunt. Hæ duæ, teſte Auguſtino, ſorores ſunt & ſeſe inſeparabiliter comitantur.* SI ERGO UNIONIS PACEM QUÆRIMUS, REFORMATIONIS JUSTITIAM PROSEQUAMUR.

Impenſum Alliaci deſiderium ſeriæ reformationis Eccleſiaſticæ, in Concilio Conſtantienſi quæſitæ ac expectatæ, *præcipuumque* adeo *orationum ejus in Concilio hoc habitarum argumentum* ex dictis ſatis ſuperque patet. Ut ex aliis ejus orationibus ibidem publice dictis plura hic afferre non ſit neceſſe Alliaceni voti teſtimonia. Ne quid verò deſideretur, ſub finem hujus opuſculi Alliaceni, aliorum ejus ſermonum, quos *in Concilio* iſto *de Eccleſiæ Reformatione* habuit, ſummam pertexemus.

Ceterum præter Orationes illas ſolennes, variis etiam *ſcriptis* ardentia pectoris ſui vota atque deſideria univerſo *Concilio præſenti* cum expoſuerit: Excellit in his præſens celebre opuſculum *de Reformatione Eccleſiæ*. Qui *ante Concilium* plus ſimplici vice jam monuerat, indigere Eccleſiam ſui temporis ingenti emendatione, quique momenta reformationis præcipua notaverat, medelamque corruptioni adhibendam deſignaverat: *In ipſo* quoq; *Concilio* in con-

ſpectu

ſpectu ſummorum totius Chriſtiani orbis capitum eadem repetere, urgere atque illuſtrare *hoc opere* enixe laboravit.

Ante omnia *Concilia generalia* frequentius celebranda eſſe monet. Ut communibus Eccleſiaſtici ſtatus defectibus communis adhibeatur medicina. In ſingulis etiam regionibus, Chriſtiano nomine inſignitis, *Concilia provincialia* ſingulis ad minimum trienniis inſtituere ſuadet, exemplo primæ Eccleſiæ. Damna ex neglectu horum provincialium Conciliorum orta enumerat. Dubia & generalibus & provincialibus conciliis objecta ſolvit. Commoda, in Eccleſiam ex illis celebratis orta commendat. Illos reprehendit, qui illis obſtiterint & adhuc obſtent. Momenta in Generali Concilio pertractanda recenſet. *Curiam* præcipue *Rom.* ſui ævi emendatam cupit. *Cardinalium* ſtatum in meliorem formam redigi optat. Unde & quo numero ſint adſciſcendi, indicat. *Onera* nimis gravia *Eccleſiis* per Ro. curiam olim *impoſita* levare & exactiones mitigare jubet. *Functiones Eccleſiaſticas* rite vult diſtribui. *Excommunicationes* nimis frequentes dicit reſtringendas. *Epiſcoporum doctrinam* & bonos characteres poſtulat. *Titulares Epiſcopos* repudiat. Legitimorum *Epiſcoporum officia* in viſitationibus provincialibus determinat. Eorum in Eccleſiis præſentiam requirit. *Viſitationis provincialis* ſalubres regulas definit. *Simoniæ* obviam quo pacto decenter eatur obſervat. *Canonum Eccleſiaſticorum* moderationem ſubinnuit. *Templorum ac feſtorum dierum* religioſitatem limitat ac circumſcribit. *Monachorum* porro ordines minuendos ait. Ordinem mendicantium Eccleſiis oneri porro eſſe vetat. Quæſtores illorum prædicantes coercere jubet. Studia & victum rigoremque quorundam moderatur. Ad *officia Eccleſiaſtica* dignos vocat, indignos ab illis arcet. Doctos & bene meritos commendat. Promotiones ad ſacra officia ab abuſibus liberat. *Diſtributionem* quoque *graduum Academicorum* ſuis circumſcribit limitibus. *Lectiones Academicas* ad verum uſum revocat, linguarumque ſtudium inculcat. *Concubinas* Eccleſiaſticis prorſus denegat. *Sacerdotum ignorantiam* perſtringit. *Bibliothecas* Eccleſiarum inſtruit, & in illis *Conciliorum Tomis* haud poſtremum aſſignat locum. *Principes* denique & *aulicos* amat Chriſtianos. *Principum filios* literis imbui gaudet. Plebis ſuperſtitionem Principum cura aboleri expetit. Principibus Eccleſiæ ſuæ reformationem vindicat. Illorum erga Concilia generalia affectum celebrat. *Concilii generalis* diſtributionem per nationes, qualis erat in Conſtantienſi præſente, disſuadet, aliamque per provincias præfert. *Concilii generalis* qui præcipui *Aſſeſſores* conſtituendi ſint deſcribit. Provincialia Concilia requirit ante quam Generalia inchoentur. Principes poſtremo ad Eccleſiæ reformationem ſerio invitat. Eccleſiaſticos omnis corruptionis originem eſſe pronunciat. Quosdam tamen in clero bonos excipit.

Prodiit quidem ſed maculatum atque non ſatis integrum *hoc Alliacenum opuſculum* in ſuperioris ſeculi exordio, h. t. *De Emendatione Eccleſiæ libellus, a Reverendisſimo Domino Petro de Alliaco Cardina-*

Cardinali Cameracenſi Patribus olim oblatus in Concilio Conſtantienſi congregatis, quod Chriſtianiſſimus Princeps Sigismundus Auguſtus convocarat, non tam ob Eccleſiæ concordiam quam communis morum emendationis ſpe. Quæ quo minus proceſſerit, per hunc non ſtetit, ſed per Eccleſiaſticos &c. Primus hic editor anonymus, videtur fuiſſe *Ulricus ab Hutten, Eques Francus*, vir literatiſſimus, & Manuſcriptorum ſcrutator ſedulus, ſed & vehementiori affectu præditus. *Præfationem* opuſculo præmiſit, quâ Sigiſmundi Imperatoris incomparabile pro Eccleſiæ ſalute ſtudium deprædicat. *Cujus cor tam eſt lapideum*, inquit, *quod non commoveatur? Cujus oculi tam ſicci ſunt, ut non madeſcant undis lacrymarum, qui cogitet, quid intentatum reliquerit Chriſtianiſſimus ille Princeps Sigismundus Auguſtus, quo diſſentientes in concordiam redigeret Pontifices, ut tandem rempublicam Chriſtianam pulchre emendatam ad evangelicam amuſſim cerneret prius quàm vita fungeretur? Indixit Concilium in Conſtantia Germaniæ. Ipſe in Britanniam navigavit, in Arragoniam profectus eſt, Galliam adiit, amore concordiæ. Quam ubi tandem obtinuiſſet, & jam Oddo Columnienſis in Pontificem electus eſſet, exuberanti gaudio velut extra ſe raptus plane ſperabat Eccleſiaſticos proceres emendationi publicæ ſtatim operam daturos.* Dolet verò Huttenus, ſpe ſua excidiſſe Sigiſmundum. Quod deplorabant plerique illius ætatis viri maximi ac religioſiſſimi. Quia in Concilio diſſenſiones ortæ de reformationis ordine, an prius deſiderata Reformatio ſuſcipienda atque perficienda, an potius novus ante Papa eligendus à quo reformatio dirigenda. Pro quo poſteriori *Alliacenus* pugnavit. Memorat dein Huttenus, idem cum Sigiſmundo animi habuiſſe *Petrum de Alliaco*, qui imbutus aliàs Theologia ſcholaſtica, temperare ſibi non potuerit, quin hunc libellum, pro publica morum emendatione à ſe conſcriptum, Patribus in Conſtantia Germaniæ juſſu Cæſaris Sigismundi congregatis offerret. Ceterum eventum votis non ſemper reſpondere, in magnis æque ac parvis negotiis, dies docet. Ut eapropter æquo potius animo cuncta ſint accipienda fata. Quod docere nos poterat Salomon, Rex ſapientisſimus, in ſuo Eccleſiaſte.

Primam hanc editionem expreſſit extemplo *Ortvvinus Gratius, Colonienſis Academiæ Profeſſor, in ſuo Faſciculo Rerum expetendarum, Col. 1535.* ſervata plane & inſcriptione & præfatione Hutteniana, maculis etiam non expunctis.

Quoniam verò has præclaras Concilii Conſtantienſis partes, ſimilesque, non ex dubiis quibuscunque codicibus impreſſis, ſed ex *antiquisſimis* fideque digniſſimis *MSctis* repetere clementiſſime mandavit SERENISSIMUS PRINCEPS RUDOLPHUS AUGUSTUS: Hinc præſens etiam *monumentum Alliacenum* ex nobiliſſimo *Codice MSCto*, ad Concilii ætatem ſpectante, in AUGUSTISSIMA BIBLIOTHECA CÆSAREA VINDOBONENSI cum aliis curate ſervato, depromere divinâ Cæſareaque auguſtiſſima gratia datum.

Eſt hoc *MSCtum* multo correctius editis. Neque prætereundum plane, quod in prima *Hutteniana* editione, alteraque *Colonienſi* ac reliquis memoretur, ſcriptum editumque hoc eſſe opuſculum à Cardinale in Concilio *A.* 1415. *Cal. Nov.* In *MSCto* verò *CODICE VINDOBONENSI* annus deſignatur proximus, his verbis ad calcem operis adjectis: *Scriptum Conſtantiæ Anno Domini Milleſimo CCCC XVI. die prima menſis Novembris.*

Ut & in hoc *temporis* momento, præclara operis hujus circumſtantia, *MSCtus* hic *CODEX VINDOBONENSIS* editos longo intervallo poſt ſe relinquat. Scripſerat ac publicaverat in Concilio *A.* 1416. *die* 1. *menſis Octobr.* publicâ recitatione in Eccleſia S. Pauli, celebre opus *De Eccleſiaſtica poteſtate*, teſte *MScto VINDOBONENSI.* Poſthæc, uno duntaxat menſe elapſo, præſens *De Reformatione Eccleſiæ* opus Concilio publice expoſuit, A. 1416. d. 1. Nov. Eundem horum ſuorum monumentorum ordinem ipſe notavit *Aliacus* in ipſo hoc libro, *cap.* 2. *ſub fin.* Vid. *infr. f.* 418.

Quod autem *in Capita* liber non eſſet in MSCto diſtinctus, pro antiquo more: Fas nobis eſſe putavimus in *Capita* dividere ac congruis *argumentis* ornare, ut hodierno legentium palato tenui hoc condimento inſerviremus.

Inſcriptionem libelli in MSCto Codice offendimus hanc: *Incipit tractatus Cardinalis Cameracenſis De Reformatione Eccleſiæ, editus Conſtantiæ in Concilio Generali.* Leviter mutaſſe, aut ad argumentum libri ſollicitius aptaſſe titulum, fas fuerit.

De cetero noſtram ætatem hæc non afficiunt, quæ tot ſeculorum intervallo ante nos geſta. Intuemur hæc eminus, tanquam in ſpecula, longiſſime à nobis & tempore & moribus remota. Tantoq; tranquilliori animo hæc univerſa contemplamur, quanto videntur ſecula noſtra cultiora atque majoribus prudentiæ præſidiis inſtructa. Quæ ſunt orbis fata, diſparia, ob varia virtutum ac vitiorum intervalla. Exempla verò majorum trahunt nos in ſincerum Dei cultum, impenſum Eccleſiæ amorem, devotamque Imperatoris venerationem, juxta effatum Chriſti: DEUM time ac REGEM honora.

PE-

PETRI de ALLIACO
Cardinalis Cameracenſis
CANONES REFORMANDI ECCLESIAM IN CONCILIO CONSTANTIENSI,
Anno CCCC. XVI. *cal. Nov.*
In ipſo Concilio Generali ſcripti & oblati.
Ex antiquiſſimo MSCto AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.

PRÆFATIO.
De corruptione Eccleſiæ circa tempora Concilii Conſtantienſis, Reformationisque neceſſitate.

Reformatio Eccleſia ob ejus deformationem neceſſaria [illegible] tempore Concilii Conſtantienſis. Corrupta Eccleſia tempore Bernhardi.

De Reformatione Eccleſiæ dudum plura *per me* ſcripta nunc compendioſius recolligere, & *ſacri generalis Concilii Conſtantienſis* examinationi atque correctioni præſentare decrevi. Quæ *eccleſiæ reformatio* quam neceſſaria *olim* fuerit, & amplius *modo* ſit, evidenter oſtendit deflenda ipſius *deformatio*. *De qua* lamentabiliter conquerebatur beatus *Bernhardus*, *ſermone XXXIII. ſuper Cantica*, ita dicens: *Serpit hodie putrida tabes per omne corpus eccleſiæ, & quo latius eo deſperatius, eoque periculoſius quo interius. Nam ſi inſurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras & areſceret: Si violentus inimicus, abſconderet ſe forſan ab eo. Nunc vero quem ejiciet, aut à quo abſcondet ſe? Omnes amici, & omnes inimici; omnes neceſſarii, & omnes adverſarii: Omnes domeſtici, & nulli pacifici: Omnes proximi, & omnes quæ ſua ſunt quærunt: Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto: Honorati incedunt de bonis domini, qui domino honorem non deferunt.*

Exceſſivi abuſus Eccleſiaſticorum.

Et enumeratis quibusdam *exceſſivis abuſibus eccleſiaſticorum*, ſubdit; *Olim prædictum eſt, nunc tempus impletionis advenit: Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Amara prius in nece martyrum, amarior poſt in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Non fugare non fugere eos poteſt, ita invaluerunt, & multiplicati ſunt ſuper numerum. Inteſtina & inſanabilis eſt plaga eccleſiæ: & ideo in pace amaritudo ejus amariſſima. Sed in qua pace? Et pax eſt, & non eſt pax. Pax à paganis, pax ab hæreticis, ſed non profecto à filiis. Vox plangentis in tempore eſt: Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me: Spreverunt & maculaverunt me turpi vita, turpi quæſtu, turpi commercio, negotio denique perambulante in tenebris.*

Corruptio Eccleſiæ tempore Concilii Conſtantienſis.

Si hæc à beato *Bernhardo* dicta ſunt, nunc multo magis dici poſſunt. Quia ex eo Eccleſia de malis ad pejora proceſſit, & in omni tam ſpirituali quam ſeculari ſtatu abjecto *decore virtutum* in variam cecidit *turpitudinem vitiorum*.

Propterea ex eo quidam ſpirituales, mala hæc ſubtilioris intelligentiæ oculo prævidentes, præſentem eccleſiæ perſecutionem & *hujus ſchiſmatis* horrendam monſtroſamque diviſionem, ſubtractionem quoque obedientiæ ab eccleſia Romana, & alia plura ſcandaloſa inde ſecutura prædixerunt. Sicut patet in *libris abbatis Joachim & Hildegardis*. Quos non eſſe contemnendos, quorundam magnorum doctorum probat autoritas.

Hæc autem deus miſericordiſſimus, qui

Digitized by Google

Corruptio Eccleſiæ eſt occaſio reformationis. qui ſolus ex malis bona novit elicere, ideo permittere credendus eſt, ut eorum occaſione *eccleſia ſua in melius reformetur.*

Maturanda reformatio. Quod niſi celeriter fiat, audeo dicere, quod licet magna ſint quæ videmus, tamen brevi incomparabiliter majora videbimus, & poſt iſta tonitrua tam horrenda, alia horribiliora in proximo audiemus. Eapropter ſummopere vigilandum eſt circa *reformationem eccleſiæ.*

Ideo circa hoc aliquas conſiderationes particulares ſcribere & prudentum examinationi proponere dignum duxi. Nec omnes quidem: Quia ad hoc & majori libro & majori ingenio opus eſſet: Sed utiliores, & meo judicio magis neceſſarias, & per quas ad omnes alias via poterit facilius aperiri.

Prima autem conſideratio erit *de reformandis circa corpus eccleſiæ.*

Secunda, *de reformandis circa ejus caput*, ſcilicet *circa ſtatum Papæ & Romanæ curiæ.*

Tertia, *de reformatione principalium eccleſiæ partium*, ſcilicet *prælatorum.*

Quarta, *de reformandis circa religioſos.*

Quinta, *de reformandis circa cæteros eccleſiaſticos.*

Sexta, *de reformatione laicorum Chriſtianorum.*

CAPUT I.

De Reformatione circa totius corporis univerſalis Eccleſiæ. De celebrandis Conciliis generalibus ac provincialibus.

Reformatio totius Eccleſiæ neceſſaria. PRima conſideratio eſt de his, quæ viderentur *reformanda circa totum corpus univerſalis eccleſiæ.*

Concilia generalia celebranda. Ubi primo occurrit eſſe expediens & neceſſarium, ut ſæpius quàm hactenus factum ſit *generalia concilia* celebrentur.

Concilia provincialia frequentanda. Item videtur expediens, ut etiam ſæpius celebrarentur *concilia provincialia.* Quia, (ut patet *XVIII. diſt. Decreti,*) ſancti patres, propter eccleſiæ utilitatem, primo ſtatuerunt ea *bis in anno* celebrari. Poſtea vero propter fatigationes, & ut opportune haberentur, hi qui congregandi ſunt ſtatuto ſynodali definierunt, omni excuſatione remota modis omnibus *ſemel in anno fieri*, & *depravata corrigi.*

Synodorũ neglectus. Unde & *Epiſcopi*, qui ad ſynodum venire contemnunt, & principes qui hoc prohibent vel impediunt, vel *Metropolitani*, qui abſque rationabili cauſa hoc agere negligunt, canonicis pœnis ſubjacent. Ut hæc probantur *in dicta diſt. quaſi per totum*, & in multis canonibus conciliorum. Ut *in ſecundo cap. Carthaginenſis concilii tertii: Et in alio capitulo Toletani concilii ſexti, & in tertio capitulo quarti concilii Toletani*, ubi ſic legitur: *Nulla pene res diſciplinæ mores ab eccleſia Chriſti magis expellit, quam negligentia ſacerdotum, qui contemptis canonibus ad corrigendos mores Eccleſiaſticos ſynodos facere negligunt.*

Sacerdotum negligentia.

Et certe hodie docet experientia, quot & quanta mala ex hujuſmodi *negligentia* proveniant. Et ideo neceſſe eſt providere, ut *hujuſmodi concilia* ſæpius fiant, & ſi non ſemel in anno juxta rigorem canonum, ſaltem *de triennio in triennium* ad evitandum vexationes itinerum, laborum, & quia omne rarum pretioſum.

Syn[illegible] congr[illegible] [illegible]

Et ſi dicatur quod hodie non ſit opus *generalia* aut *provincialia* concilia congregare, ſicut fuit in primitiva eccleſia: Et quod ad tollendum vexationes prælatorum in hujuſmodi conciliis, Ro. Eccleſia ſeu *papalis curia* poſſit ſufficienter caſibus emergentibus providere: Reſpondetur: Quod hoc *non ſit utique verum.* Tum primo, quia experientia docet, quod *propter defectum conciliorum*, & maxime *generalium* totius eccleſiæ, quæ ſola poteſt audacter & intrepide *omnes corrigere, ea mala, quæ univerſalem tangunt eccleſiam*, diu remanſerint impunita, incorrecta, & ad-

Curia [illegible] corrig[illegible] dis Eccle[illegible] ſiaſticorũ moribus non ſuf[illegible] cit.

eo cre-

Digitized by Google

Invetera-ta Eccle-ſiæ mala. Conſuetu-dine præ-textu.

eo creverint & inveterata ſint, ut tandem *multa & injuſta & iniqua ſub prætextu ficta & corruptæ conſuetudinis licita* reputentur.

Artificiū antiquum Ro. curiæ in diſſi-mulandis conciliis.

Item multi ſuſpicantur, quod hæc diſſimulaverit *Ro. curia*, & ſuper his *concilia* fieri *neglexerit*, ut poſſet ad ſuæ voluntatis libitum plenius dominari, & jura aliarum eccleſiarum liberius uſurpare. Quod non aſſero eſſe verum. Sed quia contra eam hujuſmodi laborat *infamia*, deberet ad eam purgandam ſuper congregatione *conciliorum generalium & provincialium* providere. Alioqui, juxta dictum Auguſtini, *ſi famam ſuam negligit, crudelis eſt.*

Concilia Apoſtolo-rum.

Item illa ſanctiſſima *Ro. curia*, ſcil. Petri & Apoſtolorum, licet potuiſſet ſine congregatione conciliis per epiſtolas, vel alias vias, cauſas & negotia eccleſiæ faciliter terminare, tamen legitur *quatuor concilia* celebraſſe, ſicut patet in *Actis* I. VI. XV & XXI. *cap.* Unde per hoc exemplum inſtructionis de *ſæpe congregandis conciliis* ſuis poſteris reliquerunt. Nam ſicut Chriſti, ſic & Apoſtolorum ſuorum actio noſtra eſt inſtructio, juxta illud Apoſtoli; *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Item in *Decret. diſt.* 15. *cap.* 1. dicit Iſidorus: *Quod, quia ante tempora Conſtantini non erat epiſcopis licentia conveniendi in unum*, ſcilicet publice per modum concilii generalis, *ideo Chriſtianitas in diverſas hæreſes ſciſſa ſit.*

[illegible]

Et ita dicere poſſumus modo, quod propter *defectum* celebrationis *conciliorum*, eccleſia in diverſa *ſchiſmata*, & alia innumerabilia mala, forte etiam ad hæreſes diſponentia, proh dolor lapſa ſit, ſicut experientia docet.

[illegible]

Item, ſi *concilia ſæpius celebrata* fuiſſent, veriſimile eſt quod *hoc* nephandum *ſchiſma* non tam diu perduraſſet, nec forte *ſchiſma Græcorum*. Unde hujuſmodi ſchiſmatibus debuiſſet cito per *concilium generale* provideri. Ut in primitiva eccleſia docuerunt Apoſtoli, prout legitur *Actorum* VI. quod quia ortum murmur Græcorum adverſus Hebræos &c. ſtatim XII. apoſtoli ipſum convocata multitudine ſedaverint. Similiter *Act.* XV. orta diſſenſione propter obſervantiam legalium, ſtatim Paulus & Barnabas aſcenderunt ad apoſtolos in Hieruſalem.

Unde patet, quam damnabiliter peccaverint illi ſeu principes ſeu prælati, qui pro ſedatione hujuſmodi ſchiſmatis, *convocationem concilii neglexerunt aut impediverunt.*

Romana curia reformanda tempore Concilii Conſt.

Item aliqui ſunt *caſus ardui neceſſario reformandi*, in quibus non poteſt commodius quàm *per generale concilium* provideri. Sicut patet primo de *reformatione Romanæ Curiæ*, quæ, ut infra dicetur, *neceſſaria* eſt. Et tamen non niſi *per Generale Concilium* fieri poteſt. Et ideo non debet Romana curia indignari, ſeu reſpuere, *à generali concilio reformari.* Sicut nec contempſit *a generali concilio* plures ſui principatus honores recipere. Quia licet principaliter Romana eccleſia principatum habuerit à domino, tamen ſecundario *a concilio* [ut dicit *gloſſa diſt.* XVII. *ſuper cap.* VI.]

Papa à conciliis dignitates nactis.

Tota Eccleſia emendanda in Concilio Conſt.

Item *reformatio totius corporis eccleſiæ* & particularis *eccleſiæ Ro.* eſt de arduis *pertinentibus ad fidem.* Nam ejus *generalis deformatio* non mediocriter fidem tangit, & per conſequens ejus *reformatio.* Ideo in hoc *non debet Papa* aut ejus curia *deliberationem generalis concilii reſpuere.* Quia (ſicut dicit *gloſſa diſt.* XIX. *ſuper cap.* IX.) Papa tenetur requirere concilium epiſcoporum, ubi agitur de fide. Quod non ſolum intelligo de articulis fidei, ſed de arduis tangentibus univerſalem ſtatum fidelis eccleſiæ. Quod notavit *Archid. diſt.* XV. *in c.* 2. Ubi dictam gloſſam approbans addit: Quod *nimis periculoſum eſſet fidem noſtram committere arbitrio unius hominis.* Et idcirco Papa in caſibus novis & arduis ad deliberationem concilii recurrere conſuevit.

Papa concilium ne reſpuat.

Fides non pendet ab arbitrio unius.

In concilio agendum de bello contra Turcas.

Item duo ſunt *arduiſſimi caſus* fidem & fideles omnes mirabiliter & miſerabiliter concernentes, quibus eſſet *per generale concilium* neceſſario providendum. Unus eſt de modo providendi contra Saracenos & alios infideles, fidem & Chriſtianitatem impugnantes, ut nunc multo periculoſius quàm à multis retroactis temporibus fecerunt, con-

Augurii de interitu imperii orientalis, ille mox ſeculo impletum.

contra eccleſiam catholicam inſurgentes. Quibus ſi celeriter non obvietur, timendum eſt, ne *Conſtantinopolitanum imperium*, jam multipliciter ab eis laceratum & vexatum, *penitus deſtruatur*, ac deinde Ro. Imperium, jam diviſum & penè ad ruinam præparatum, invadant, & ſic eccleſiam deſtruant jam ſchiſmatice laceratam. Ut ſic via præparetur adventui Antichriſti, de quo prædixit Apoſtolus: *Niſi venerit diſſenſio primum* &c. Quod exponit gloſſa de duplici diſſenſione ſeu diviſione, una ab imperio, alia ab eccleſia Rom. quæ prævenire debet Antichriſtum. Et utramque jam *præſentialiter* videre multi devoti fideles non immerito *pertimeſcunt*.

De Græ[illegible] cum R[illegible] Eccle[illegible] conj[illegible] gen[illegible].

Alius caſus eſt de modo providendi circa *Græcos*, ut *ad unitatem Ro. eccleſiæ redeantur*. Quod nunc maxime opportune fieri poſſe videtur, dum eorum Imperator inter Latinos degens, à Ro. eccleſia & dominis temporalibus, præcipue à Francorum rege, contra infideles cogitur auxilium & ſubſidium poſtulare.

De viis autem & modis circa dictos caſus ſervandis ſcripſerunt plures fidei zelatores. Et ſpecialiter *frater Humbertus de Romanis, quondam magiſter Generalis ordinis Prædicatorum*, tractatum utilem compoſuit, ut ſuper his provideretur *in concilio generali Lugdunenſi* ſub *Gregorio Papa X.* celebrando.

Caput II.

De Reformatione Capitis Eccleſiæ, ſive Status Papalis & Romanæ olim curiæ. De Cardinalium ſelectu. De Exactionibus Johannis 23. De Excommunicationibus.

Ro. Curia emendanda tempore Concilii Conſt.

Secunda conſideratio eſt de his, quæ *reformanda* videntur *circa caput corporis eccleſiæ*, id eſt circa *ſtatum Papæ & ſuæ Rom. curiæ*.

Abuſus electionis papalis. Non ex una ſemper natione Papa eligendus.

Et primo tollendus eſſet ille *deteſtabilis abuſus*, à quo præſens *ſchiſma originem traxit*, ſcilicet quod *una natio* ſive regnum, aliquando ultra aliquando citra montes, in ſcandalum reſiduæ Chriſtianitatis, ita diu *Papatum tenuit*, ut poſſet dicere: *Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei.* Quod quàm deteſtabile ſit, præcipue in papatu, oſtendit ille qui ait: *In veritate comperi, quod non ſit perſonarum acceptor Deus &c.*

Cardinales nõ ſint unius nationis ſed diverſarum.

Item pro dicta proviſione eſſet ſtatuendum, quod de cætero *major pars Cardinalium non poſſit aſſumi de uno regno* ſive de *una natione*: Sicut quandoque hactenus factum eſt, in magnum ſcandalum plurimorum: Sed ut de *diverſis regnis & provinciis* indiſtincte *juxta perſonarum merita* aſſumantur. Quia ſicut apud Deum, ita apud Dei miniſtros, non debet eſſe acceptio perſonarum.

Ex una provincia non niſi unus ſit Cardinalis.

Et videretur ſufficere, quod *de una provincia* ſolum eſſet *unus Cardinalis.* Ut ſic in eorum promotione & multiplicatione tolleretur, vel ſaltem reſtringeretur & arctaretur *carnalis affectio promoventis*: Et ut per aſſumptos de diverſis provinciis, diverſitas morum & ſtatuum earundem Romanæ eccleſiæ innoteſceret, ad utilitatem & ſalutarem proviſionem incolarum.

Electio Papæ vi vel metu facta.

Item quia una *cauſa præſentis ſchiſmatis fuit*, quod Cardinales nimis *tardaverint declarare* & fideles ſufficienter informare, *quod primam electionem feciſſent vi & metu*: Ideo ad tollendum, ne alias ſimilis ſcandali detur occaſio, expediens videretur *arctari aliquod tempus*, intra quod talis *exceptio metus* deberet allegari, & ultra quod nec illa ne alia exceptio contra Papæ electionem poſſet per Cardinales opponi. Et eſſet etiam per concilium declarandum, quis de hujus *metûs cauſa* haberet cognoſcere. Quia *Jo. Andr.* (*ſuper Clemen. tit. 3. de elec.*) quærit: Quis de hujus cauſa metûs cognoſcere haberet, ſi allegaretur contra electionem Papæ? Et reſpondens dicit: Quod iſta nondum deciſa nec proviſa egebunt proviſione.

Item

Eccleſia Romana oneravit olim Eccleſias. Cauſa diſſenſionis Græcæ Eccleſiæ à Romana.

Item neceſſaria erit *reformatio* & proviſio *circa gravamina*, *quæ Romana eccleſia infert aliis inferioribus eccleſiis & prælatis*. Et maxime in *tribus*, de quibus conqueritur præallegatus *frater Humbertus*, (in dicto tractatu ſuo *parte* II. *c.* XI. ubi dicit:) Quod *cauſa* diſpoſitiva *ſchismatis Græcorum* inter alias una fuerit propter *gravamina Romanæ eccleſiæ in exactionibus, excommunicationibus, & ſtatutis*.

Graves in Eccleſia exactiones Pontificũ Romanorum. Pompa Romani Pontificis nimia olim credita. Decor Ro. Eccleſiæ. Exactiones Papales minuendæ per Conc. Conſt.

De primo gravamine, & contra hanc *multitudinem* & magnitudinem *exactionum*, providendum eſſet tripliciter.

Primo, per *diminutionem pomposorum ſtatuum & exceſſivarum expenſarum*. Ut ſic *Ro. eccleſia minus eſſet oneroſa ſubjectis*, & ut etiam eis eſſet *exemplum humilitatis*, *& forma virtutis*, inſtar Chriſti, cujus ipſa vicariatum & à quo primatus honorem tenet, qui ait, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*.

Secundo, per *diminutionem* & arctationem hujusmodi *exactionum*, ſcilicet, ut certa ſumma rationabilis determinaretur & limitaretur pro moderato ſtatu Papæ & Cardinalium, ſubjectis eccleſiis imponenda, & per diœceſes proportionabiliter diſtribuenda, & à diœceſanis recolligenda, & in certis terminis ſolvenda Romanæ curiæ, ultra quam ſummam *nova exactio* non poſſet imponi, ſine autoritate & conſenſu generalis concilii.

Cardinalium numerũ minui quaſitum in Conc. Conſt. Officia Eccleſiaſtica non in uno viro cumulanda. Abuſus functionũ ſacrarũ.

Tertio, per *diminutionem numeri Cardinalium*, ita ut non eſſet tantus nec tam oneroſus numerus ipſorum, ſicut hactenus fuit. Ne Romanæ curiæ dici poſſet, *Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam*.

Item circa *ſtatum Cardinalium & aliorum eccleſiaſticorum* providendum eſſet, ut deinceps non tenerent illam monſtroſam & multipliciter ſcandaloſam *beneficiorum multitudinem*. De quo *abuſu* antiqui ſapientes conqueſti ſunt. Sicut *Guilhelmus Epiſcopus Pariſienſis* in ſpeciali tractatu, quem de hoc compoſuit: Et *Cantor Pariſienſis in Verbo abbreviato*: Et *Autor De virtutibus & vitiis, c. de ſignis avaritiæ eccleſiaſticorum*. Quorum rationes expediret diligenter examinare, & *pro ſedatione conſcientiarum*, quid ſuper hac re tenendum ſit, declarare.

Excommunicationes papales nimis cumulatæ, in Concil. Conſt. reſtringendæ. Collectores redituum Papalium olim importuni. Excommunicationes Papales olim ſpretæ.

De ſecundo gravamine ſupra tacto, ſcilicet de *multiplicatione excommunicationum*, & ex conſequenti irregularitatum, quas Ro. eccleſia in ſuis conſtitutionibus pœnalibus, & maxime in quibuſdam novis decretalibus impoſuit, & ſæpe per ſuos *collectores* in multorum ſcandalum fulminavit, & ad cujus exemplum alii prælati leviter & pro levibus cauſis, ut pro debitis, vel hujusmodi, pauperes excommunicatione crudeliter percutiunt, neceſſe eſt providere, cum hoc ſit contra jura, (ut XI. *quæſt.* III. *cap.* XLII.) Nam gladius eccleſiæ, ſcilicet *excommunicatio*, qui in primitiva eccleſia, veneranda raritate erat formidabilis, jam propter abuſum contrarium, *contemptibilis* effectus eſt. Sicut oſtendit doctor ſubtilis *Joannes Scoti* (*ſuper quarto Sententiarum di.* XVIII.) Qui tamen contemptus valde periculoſus eſt. Quia *excommunicatio major*, quæ *anathema* dicitur, æternæ eſt mortis damnatio, & non niſi pro mortali debet imponi crimine, & illis qui aliter non potuerunt corrigi: ut habetur XI. *q.* III. *cap.* XLI. Cui concordat *gloſſa Extrav. de verbor. ſignif. ex parte*.

Onerata olim Eccleſia ſtatutorũ, canonũ & decretalium papaliũ numero. Conſtitutiones Synodales temperandæ.

De tertio gravamine Romanæ eccleſiæ, quod imponit aliis in oneroſa *multitudine ſtatutorum*, *canonum*, *& decretalium*, & maxime illorum, quæ videntur *ad graves pœnas*, & præcipue *ad mortales culpas* obligare. Et eadem ratione de ſimilibus ſtatutis aut *conſtitutionibus ſynodalibus prælatorum* providendum erit de rationabili *alleviatione* hujusmodi *onerum*. Ne de *prælatis eccleſiæ* verificetur, quod de phariſæis & ſacerdotibus ſynagogæ à Chriſto improperando dictum eſt: *Imponunt onera gravia & importabilia humeris hominum, digito autem nolunt ea movere*.

Onus Eccleſiæ ex papali functionũ collatione.

Item ſuper quibusdam aliis gravaminibus, per Ro. eccleſiam aliis prælatis & eccleſiis ſuperinductis, adhibenda erit proviſio, ſcilicet ſuper *collationibus beneficiorum & electionibus dignitatum*.

Exemptiones papales Eccleſiis olim moleſtæ.

Similiter ſuper *conceſſionibus exemptionum*, quas Ro. eccleſia pluribus religionibus, abbatibus, & conventibus, ac capitu-

capitulis in præjudicium prælatorum conceſſit. De quibus jam olim plures devoti eccleſiæ zelatores conqueſti ſunt, ſicut beatus *Bernhardus* in libro *ad Eugenium Papam* & alii.

Officiariorum Romanenſiū quæſita prærogativa.

Similiter de pluribus aliis honoribus, reverentiis, & præeminentiis, quas quidem *officiarii Romanæ curiæ* ſuper alios prælatos uſurpaverunt: Et multis eorum particularibus *exceſſibus*, de quibus longum eſſet per ſingula diſcutere, perutilis & neceſſaria erit proviſio.

Petrus de Alliaco ſcripſit de Eccleſiaſtica poteſtate.

In Concilio Conſt. urgebatur, Cardinales eſſe abolendos, ſicut Chorepiſcopi olim ſublati.

Hic autem propter dictos *exceſſus* dudum quandam opinionem recitavi, quam nuper in tractatu *De eccleſiaſtica poteſtate* tanquam erroneam reprobandam eſſe declaravi, videlicet, quorundam detractorum Ro. eccleſiæ, qui in ejus odium, prætextu quorundam abuſuum, *ſtatum Cardinalium*, quaſi inutilem vel damnoſum, nec ab Apoſtolis vel conciliis inſtitutum, & ſine cauſa rationabili uſurpatum, tanquam oneroſum eccleſiæ, *extirpandum eſſe* dixerunt, ſicut olim de ſtatu *Chorepiſcoporum* factum eſſe legitur: (68. *di. c.* 5.)

Hunc autem errorem *in hac ſynodo Conſtantienſi* quodammodo reſuſcitare aliqui præſumpſerunt. Qui utinam attenderent juxta doctrinam Chriſti, prius trabem de oculo ſuo ejicere, quàm feſtucam de oculo fratrum imò patrum ſuorum. Utinam attenderent, ſtatum Epiſcoporum & aliorum Prælatorum, cæterorumque eccleſiaſticorum, ac etiam laicorum, innumeris abuſibus & vitiis deformatum: *Nec* tamen *ideo* hujusmodi *ſtatus* diſſipandos eſſe atque *perdendos*. Quoniam in multis offendimus omnes. Sed *vitium atque abuſus corrigi debet* & non ſtatus deſtrui, vel debitis juribus defraudari. Sicut boni medici officium eſt, ab infirmo morbum tollere, & non infirmum corpus deſtruere.

Non tollendos eſſe ſed emendandos Cardinales, monet autor Cardinalis.

Non ſtatus delendo ſed vitia corrigenda.

Cardinales, in quibus noſter de Alliaco, promptiores ad reformādam Eccleſiam in Concilio Conſt. quā reliqui.

Utinam denique conſiderarent, qualiter domini *Cardinales pro reformatione Romanæ eccleſiæ* ac ſtatus ipſorum ſe effectualiter *paratiores* obtulerint quàm quicunque alii cujuscunque ſtatus. Imò *plura membra eccleſiæ* huic *ſuæ reformationi* reſtiterunt, cum tamen *reformationem capitis* importune peterent.

Quia ergo Ro. eccleſia *in capite & membris ſuis* ſe cum ratione temperare ſtuduit, juſtum eſt, ut ſubditæ eccleſiæ eidem ſuoque regimini rationabiliter obtemperare & ſubeſſe debeant, juxta verbum Senecæ: *Multos reges, ſi ratio te rexerit.*

Cap. III.

De Reformatione majorum Prælatorum. De Epiſcoporum ſcientia & virtutibus. De viſitatione in Conciliis provincialibus.

Prælatorū reformatio in Concil. Conſt. quæſita.

Tertia conſideratio erit de *reformatione Eccleſiæ* circa *partes ejus principales*, ſcilicet, *majores Prælatos.*

Epiſcopi ſint graves & docti.

Charactères bonorum Prælatorum.

Unde providendum erit, ut tales eligantur, qui *non ſint juvenes*, *indiſcreti*, aut *immorigerati*, aut carnales, ſpiritualium *ignari*, ſed graves ætate & moribus, eminentes ſpirituali *ſcientia* & *doctrina*, qui in ſuis rebus non ſint ſtrenui, & in eccleſiaſticis remiſſi, nec *propria* magis quàm *communia jura* procurent, qui angarias & impoſitiones vel hujusmodi *gravamina* ſubjectis non imponant, qui per ſingulos annos *parochias ſuas* cum fructuoſo affectu *viſitent*, qui potentes & tyrannos populi oppreſſores arguant & corripiant, qui *divinis ſcripturis ſtudeant*, & non *ſcientiis* practicis & *litigioſis* totaliter inhæreant, qui verbis aut ludis joculatorum & mimorum, aut publicis ſpectaculis vel ſuperfluis conviviis non delectentur, ſed *moderato habitu* & *temperato victu* contenti etiam *in menſa lectioni divinarum ſcripturarum* intendant: & ut brevius dicam, in omnibus tales ſint, ut cæteris ſint *fidelibus* in *exemplum*: Sicut & ctie tenentur, cum illis in officio ſuccedant, qaibus à Chriſto dictum eſt, *Vos eſtis lux mundi*, & *vos eſtis ſal terræ* &c. & multa ſimilia.

Item ut tales ad *prælaturas* aſſumerentur,

Electionẽ precedãt examina, ut digni promoveantur.

rentur, & non *indigni* & *inſufficientes*, providendum eſſet, ut *electiones prælatorum* non faciliter aut leviter, ſed cum diligenti & gravi *examinatione* confirmarentur, etiamſi nullus ſe opponeret. Quia non ſufficit bono patrifamilias conſtituenti cuſtodem theſauri ſui, quod nihil mali ſibi de illo opponatur, niſi etiam ipſe aliis tacentibus de ejus *idoneitate* diligenter inquirat.

Epiſcopi titulares.

Item quia ſtultum eſſet, patremfamilias *theſaurarium* facere *ſine theſauro*, ſic ſimiliter facere *epiſcopum ſine ſubjecto populo*. Sicut ſæpe fecit *Romana abuſio* in contemptum ſtatus epiſcopalis, de quibusdam ſolum *titulatis epiſcopis* mendicantibus & girovagis.

Epiſcoporum Viſitatio in provincialibus conciliis.

Item quia *mali prælati raro* de ſuis exceſſibus *corriguntur*: Quia *non cito* etiam contra notorie malos *profertur ſententia*, ſed per multos annos *differtur*, & ſæpe eorum *punitio* totaliter *negligitur*: Idcirco abſque timore mala perpetrant, & plerique eorum, ſuſpenſionis, excommunicationis, irregularitatis, ac alias juris pœnas contemnunt: Ideo providendum erit, ut circa talia *viſitatio* & *inquiſitio* fiat. Ut talium vita & fama *in provincialibus conciliis*, vel ſi opus ſit quandoque *in generali concilio*, ſummo pontifici referantur, & ad eorum depoſitionem ſeu aliam condignam correctionem procedatur.

Epiſcopi in generali concilio abſolvendi aut damnandi.

Et licet hodie concilium non deponat vel reſtituat epiſcopos, ſed ſolus Papa (*ut* II. *q.* VI. *c.* X., ſicut notat *glo.* XI. *q.* III. *cap.* LXV. ſuper verbo *ſynodo.*) Tamen forte nunc expediret *ad antiquum morem* illius capituli *reverti*, ut à *generali ſynodo* damnarentur vel abſolverentur epiſcopi, vel ſaltem ut hoc fieret *in præſentia ſynodi*, ut ſic magis ceſſarent *inordinatæ affectiones*, quæ ſolent in talibus juſtam ſententiam impedire.

Nimia Epiſcoporũ pompa per Concil. Conſt. moderanda.

Item ſi non placet ſervare illum *antiquum rigorem* Carthaginenſis concilii quarti, ut *Epiſcopus vilem ſupellectilem, & menſam ac victum pauperem habeat*, & dignitatis ſuæ *autoritatem fide, opere & vita meritis quærat*: Saltem placeat moderari, ut *exceſſiva pompa* prælatorum, in veſtibus, ornamentis, familiaribus, equis, conviviis, & ferculis, *ad congruam temperantiam* reſtringantur: ut *expenſæ* in talibus *ſuperfluæ*, ſicut fieri debet pauperum neceſſitatibus applicentur.

Ab armis abſtinendum Epiſcopis.

Item tollatur monſtroſus ille *abuſus*, quo quidam Prælatorum, armis ſpiritualibus depoſitis, *arma* corporalia aſſumunt, in campis pugnantes, ſicut principes ſeculares, & ſæpe cum oppreſſione pauperum, & crudeli effuſione ſanguinis, cum tamen David ab ædificatione templi, quia vir ſangvinum erat, prohibitus ſit.

Ab Eccleſiis ſuis ne diu abſint Epiſcopi.

Item ſi non placet ſervare illum juris rigorem, quod *non liceat Epiſcopis à ſua eccleſia plus tribus hebdomadis abeſſe*, ſaltem provideatur, ut ſine ſpeciali licentia & rationabili cauſa *diu eccleſias* ſuas in præjudicium animarum *non deſerant*. Sicut hodie multi *prælati* faciunt, & quod monſtruoſius eſt, *religioſi & monachi*, qui plus ſunt *officiales fiſci* quàm *Chriſti*, in curiis principum, & cathedris judiciorum, in cameris computorum, & aliis actibus ſecularibus, militantes, contra ſtatuta canonum, ut XI. *q.* I. *c.* XXIX. cum ſuis ſimilibus.

Monachi officiales fiſci.

Synodorũ finis non ſit repletio burſarũ, ſed correctio morum.

Item providendum erit, ut *Prælati* in ſuis *ſynodis*, & eorum officiales in ſuis curiis, non ad *repletionem burſarum* intendant, ſed ad *correctionem vitiorum*, *emendationem morum*, & ædificationem animarum. Et ut *exactiones pro ſigillis & literis* moderentur, & *pœna pecuniaria* vel tollantur vel temperentur, aut in totum vel partem *ad pios uſus* notorie applicentur, & ut *pœna excommunicationis* non leviter, ut ſupra tactum eſt, feratur: Et ut *litium prolixitates*, quæ pauperes ſpoliant, & multos de ſuæ juſtitiæ proſecutione deſperare faciunt, modis congruis *reſcindantur*: Et quorundam *advocatorum* & procuratorum *inſolentia* intolerabilis reprimatur.

Pœna pecuniariæ moderandæ.

Litium prolixitas vitanda.

Advocatorum inſolentia reprimenda.

Simoniæ genus.

Item ſi *obſtante conſuetudine* non placet ſervare illam rigoroſam regulam *contra ſimoniam* jure humano impoſitam, ut nihil *pro ordinatione aut pallio* detur aut accipiatur, ut habetur *c.* V.

Sumptus pro ordinatione moderandi.

Declaratio neceſſaria ad palliandã ſimoniam.

epiſtola tertia Gregorii Papæ, & multa alia, quæ ſcribuntur in antiquis juribus: Saltem ſuper his eſſet aliqua *moderatio* adhibenda, & pro conſcientiarum ſedatione etiam multitudini errantium pie *condeſcendendo* aliqua *declaratio* facienda. Juxta illud *Nicolai Papæ*, qui præſidens ſynodo Conſtantinopolitanæ dixit: *Quia ergo uſque adeo verenda ſimoniaca pernicies hactenus inolevit, ut vix aliqua eccleſia valeat reperiri, quæ hoc morbo non ſit aliqua ex parte corrupta, tanta talium multitudo eſt, ut dum rigorem canonici juris ſuper eos ſervare non poſſumus, neceſſe ſit ut diſpenſatorie ad pie condeſcenſionis ſtudium animos noſtros ad præſens inclinemus, à ſimoniacis conſecratos in acceptis ordinibus manere permittentes. Hoc enim temporis nimia neceſſitas permittendum à nobis extorſit &c.*

Permittendi ſumptus pro diſtributione graduũ.

Similiter eadem vel majori ratione *permiſſio* & *condeſcenſio* facienda eſſet ſuper pluribus aliis juribus & conſtitutionibus, quæ communiter in ſcandalum plurimorum non ſervantur. Ut verbi gratia: Quod *nihil omnino liceat accipere* in diſtributione graduum, ordinum adminiſtratione vel ſacramentorum, vel ſepulturarum, aut hujusmodi ſpiritualium vel ſpiritualibus annexorum.

Conſilia pro religioſis.

Quod non liceat quemcunque epiſcopum vel clericum die dominico abſentem eſſe ſervitiorum ſolenniis, quod clerici ad matutinum & veſpertinum officia venire teneantur, quod non liceat clericis ante tertiam horam prandere, quod *nullus ſacerdotum* à quinquageſima usque ad paſcha *carnes comedat*, quod ſacerdotes adventum jejunent. Et ſic de multis aliis similibus, de quibus videretur expediens declarare, quod *non* eſſent *præcepta* ſed *conſilia*.

Jejunium quadrageſimale temperandum.

Et ſimiliter de obſervantia *jejunii quadrageſimalis*, quantum ad aliquas perſonas, & quo ad aliquas circumſtantias eſſet *moderatio* adhibenda.

Prolixitas ſacrorum

Pictura templorum.

Nova feſta.

Nova templa.

Novi ſancti.

In feſtis ſanctorũ poſt rem divinam redeundũ ad labores.

Item quia prælatis *de divino cultu* ſpecialis cura eſſe debet, circa hujusmodi *reformationem*, quæ neceſſaria eſt, providendum eſſet, ut *in divino ſervitio non tam onerosa prolixitas*, quàm *devota & integra brevitas* ſervaretur: Ut in eccleſiis *non* tam magna *imaginum & picturarum varietas* multiplicaretur: Ut *non tot nova feſta ſolemnizarentur*: Ut *non novæ eccleſiæ ædificarentur, ut non tot novi ſancti canonizarentur*: Ut, præterquam diebus dominicis, & in majoribus feſtis ab eccleſia inſtitutis, *liceret operari poſt auditum officium*, cum, quia in feſtis ſæpe magis multiplicantur peccata, in tabernis, in choreis, & aliis laſciviis, quas docet ocioſitas, tum, quia dies operabiles vix ſufficiunt pauperibus ad vitæ neceſſaria procuranda.

Ineptiæ recentiorum non legendæ in templis.

Ut in hujusmodi *feſtis* ſcripturæ apocryphæ, aut *hymni novi*, vel orationes, ſeu aliæ voluntariæ novitates non legerentur, omiſſis antiquis, & autenticis, & jam in eccleſia conſvetis.

Novitas vel varietas in ſacris.

Et ut generaliter omnis *novitas & varietas*, ac uſuum diverſitas in horis ac aliis *divinis ſervitiis*, quantum fieri poſſet, vitaretur, juxta decretum Toletani concilii XI. de quo XII. *diſt. c.* XIII. *Et multa* alia *utilia* eſſent per prælatorum diligentiam providenda, quæ per ſingula diſcutere longum eſſet.

Caput IV.

De Reformatione ſtatus Religioſorum ac Monachorum & Monialium.

Monachorum ordines nimis multi ante Concil. Conſt.

Quarta conſideratio erit de his quæ *reformanda eſſent* circa *ſtatum religioſorum.*

Et primo videtur quod tanta *religioſorum numeroſitas* & *varietas* non expediat, quæ *inducit ad varietatem morum*, & quandoque ad contrarietatem & repugnantiam obſervationum, & ſæpe ad ſingularitatem & ad *ſuperbiam* & vanam extollentiam unius ſtatus ſuper alium.

Et maxime videtur neceſſarium, ut diminu-

ordinis mendicantium oneroſi Eccleſiæ & reipublicæ.

diminuerentur *religiones ordinum mendicantium.* Quia tot ſunt & in numero conventuum & in numero ſuppoſitorum, ut *eorum ſtatus ſit oneroſus hominibus*, *damnoſus* leproſoriis & *hoſpitalibus*, ac aliis *vere pauperibus* & miſerabilibus indigentibus, quibus convenit jus & *verus titulus mendicandi*, ipſis quoque curatis parochialibus, &, ſi bene conſideretur, etiam *prajudicialis omnibus eccleſiæ ſtatibus*, & ſpecialiter hujusmodi religioſis *intolerabilis*, & eorum religioſæ profeſſioni contrarius, & maxime in multiplicatione *magiſtrorum bullatorum*, & ſæpe *indignorum*, ipſis religionibus oneroſorum. De qua materia & eorum variis exceſſibus pauca loquor: Quia ſunt plures doctores, qui de hoc abunde ſcripſerunt.

Magiſtrorum bullatorum copia ante Concil. Conſt.

Monachi Quæſtores, qui reliquias ſanctorũ circumferebant.

Item providendum eſſet ſuper correctione *Quæſtuariorum prædicantium*, ſive religioſorum ſecularium. Quoniam ſuis *mendaciis* maculant eccleſiam, & eam irriſibilem reddunt, & officium prædicationis maxime honorandum jam contemptibile efficiunt.

Unde *prædicatio*, quæ propter ſui reverentiam ad prælatos pertinet, non eſſet tot & talibus vilibus *quæſtuariis & mendicantibus* permittenda.

Prædicatio quæſtuaria reprehenſa.

Monachis in clauſtris manendũ.

Item cum in Chalcedonenſi concilio ſtatutum ſit, ut habetur XVI. q. I. XII. ut *monachi tantummodo intenti ſint jejuniis & orationibus*, in locis ubi renunciaverunt ſeculo remanentes, nec eccleſiaſticis nec ſecularibus negotiis propria monaſteria deſerendo inſiſtant: Providendum eſſet, ut ne ipſi etiam occaſione ſtudii clauſtra relinquerent: Vel ſaltem moderandum, quod *ſolum ratione ſtudii Theologiæ*. Cum *nimis multi ſeculares hodie ſtudeant in litium facultate*; Ipſa quoque Theologia in ſtatu ſecularium paucos habeat ſectatores, *propter abuſum Romanæ curiæ*, *quæ Theologos contempſit*, & in omni eccleſiaſtico gradu *lucrativarum ſcientiarum ſtudioſos* præpoſuit. Cum tamen *primitivi Theologi* eccleſiam ædificaverint, quam aliqui *baratratores* deſtruxerunt, & nunc eam quaſi ad extremam ruinam deducere videntur. Adeo ut jam horrendum quorundam proverbium ſit: *Ad hunc*

Studioſi Facultatis litium olim plures Theologis.

Theologi in Ro. curia olim cõtempti.

Theologi priſci.

Barratores novi.

ſtatum veniſſe eccleſiam, ut non ſit digna regi, niſi per reprobos.

Eccl. regimen.

Item nunc maxime opus eſſet ad obviandum inſultibus infidelium, ut *reformarentur religiones militares*, & ad ſervandum fidem, mores, & patrum regulas, & ad priores inſtitutiones cogerentur.

Religiones militares reformandæ.

Item circa *clauſtra monialium*, quæ jam proh dolor ultra quàm dicere audeam, dehoneſtata ſunt, eſſet *correctio* adhibenda. Et inter alias proviſiones hoc videretur expediens, ut nulla *religio mulierum* ſuſtineretur, niſi tales haberent reditus, unde poſſent ſufficienter ſuſtentari in *ſuis domibus recluſæ*, ſine mendicitate & diſcurſu.

Monialiũ clauſtra perpurganda.

Et ut de eorum eccleſiis, ſeu quorumcunque aliorum *religioſorum monaſteriis*, vel prioratibus, vel domibus, vel ſpiritualiter in moribus deſtructis, vel in rebus temporaliter deſolatis, fieret applicatio ad alia clauſtra, in quibus religio ſervaretur. Ut per talem religioſarum domorum unionem *ſuperflua numeroſitas religionum* reſtringeretur, & reſidua paucitas bonorum & devotorum commodius ſuſtentaretur.

Item in *monaſteriis* eſſet inviolabiliter obſervandum, ut nullus niſi infirmus, aut debilis, aut hoſpes, *comederet extra refectorium.* Quia experientia docet, quod ubi hoc ſervaretur aliæ religionis obſervantiæ tenerentur facilius.

Victus in monaſteriis limitatus.

Item pro *ſerenandis conſcientiis* devotorum *religioſorum*, ſummopere cavendum eſt eis, *ne à principibus* aut aliis, reditus ſuos aut alia ad ipſorum ſuſtentationem pertinentia, *procurent* ex injuſtis exactionibus, aut quomodolibet illicite acquiſitis: *Ne* etiam *jura prælatorum*, eccleſiarum, & ſacerdotum parochialium indebite *occupent*, ſive in decimis, ſive in aliis proventibus eccleſiaſticis. Ne etiam in præjudicium ordinariorum ab eorum ſubjectione, juri divino conſona, & in Chalcedonenſi concilio ſanctorum patrum decreto firmata, ut patet XVI. *quæſt.* I. *cap.* XII. per importunam humanorum privilegiorum impetrationem,

Jura aliorum monachi ne occupent.

&

& violentam exemptionem, damnabiliter ſe ſubducant. Nam ſecundum aliquos, non eſt mediocriter dubitandum, an tales ſint in ſtatu ſalvandorum, ut patet ex deductione *Cantoris Pariſienſis in Verbo abbreviato*, *capitulo* XXXVII.

Benedictinorum rigor emolliendus. Item in quibusdam religionibus devotis, quæ regulæ beati *Benedicti* rigorem ſuperaddunt in *prolixitate vigiliarum & orationum*, & *auſteritate jejuniorum* & abſtinentiarum, & aliis variis *obſervantiis afflictivis*, videretur providendum de *diſcreta moderatione*, & maxime circa infirmos, ut ſalva Chriſti lege nihil eis quod diſcreti medici conſuluerint negaretur, ſive in eſu carnium, ſive in aliis quibuscunque commoditatibus, humanæ fragilitati & naturali indigentiæ opportunis. Alioquin non dixiſſet Chriſtus, *Non eſt opus ſanis medico*, ſi non conceſſiſſet opus eſſe infirmis medicorum conſilio.

Caput V.

De Reformatione inferiorum Eccleſiaſticorum.

De eorum ſcientia & moribus. De gradibus Academicis. Deque Eccleſiarum Bibliothecis.

Quinta conſideratio erit de his, quæ *reformanda* ſunt *circa ſtatum* inferiorum *eccleſiarum & eccleſiaſticorum virorum.*

Digni ad officia ſacra promovendi. Docti & bene meriti. Et primo generaliter eſt providendum, ut *in eccleſiaſticis beneficiis* juxta eorum eminentias ponantur *perſona bene merita. Ut non præferantur fatui & ignari ſcientificis & ſapientibus*; nec juvenes ſenibus, nec illis de una patria quorum vita & converſatio nota eſt & probata, aliqui extranei & alieni in moribus, lingvis, & conſuetudinibus: Nec potentes aut nobiles pueri clericis probatis & famoſis doctrina atque moribus: Nec advocati aut *intenti ſcientiis lucrativis*, vel curiales, aut dominorum temporalium ſervitores, ſacræ ſcripturæ doctoribus. *Prava conſvetudo Ro. curia in promotionibus.* Sicut à multis jam retroactis temporibus *Romana curia* facere conſuevit.

Et ideo erit expediens, ut Ordinarii, qui in ſuis locis *habere* poſſunt & debent *bene meritarum notitiam perſonarum*, juxta earum *merita* beneficia conferant. Vel ſaltem ut eorum *collatio* non omnino tollatur, ita tamen, quod, ut obvietur eorum abuſibus, poteſtas ordinaria limitetur. *Digna munerũ ſacrorum diſtributio.* Verbi gratia, ut non poſſint dignitates & beneficia majora conferre, niſi *doctoribus in Theologia*, vel *in jure*, quandocunque in ſuis vel propinquis diœceſibus erunt aliqui hujusmodi: Ut non poſſint etiam niſi *graduatis* vel *nobilibus*, vel aliàs *bene meritis* conferre curas, perſonatus vel alia beneficia valoris centum librarum vel ultra in portatis.

Et ita de multis ſimilibus proviſionibus. Per quas & *digni promoverentur*, & multi *nobiles & ingenioſi ad ſtudium literarum provocarentur*, & *univerſitates ſtudiorum florerent*, &, quod valde optandum eſt, importunæ & violentæ preces dominorum temporalium pro indignis ceſſarent. Quæ hodie quàm periculoſe fiant, docet experientia.

Hæc autem quæ de *graduatis* dicta ſunt, per modum exempli ponuntur, quæ etiam moderari poſſunt & alia addi, ad proviſionem aliorum ſufficientium, licet non graduatorum.

Acade[illegible] reformatio. Gradus Academici dignis conferendi. Item providendum eſſet, ut *Univerſitates ſtudiorum reformarentur*, & per prælatos ſcientificos viſitarentur: Ut *gradus diſtribuerentur dignis*, ſine favore aut acceptatione perſonarum, & cum rigore *examinis in ſcientia & moribus*: Ut doctrinæ utiles, *reſecatis ſuperfluis aut minus utilibus*, legerentur: Ut inſtitutores *Rhetoricæ & linguarum Græca & Latina*, quarum ignorantia multipliciter Eccleſiæ damnoſa eſt, haberentur: Et ut aliis ſtudioſis actibus, reipublicæ tam ſpirituali quàm temporali utilibus, juvenum ingenia exercerentur.

Lectiones Academicæ. [illegible] Item adhibenda eſſet *correctio* circa *mores eccleſiaſticorum*, qui jam nimis proh dolor

Mores Eccleſiaſticorum corrupti. Concubinæ Eccleſiaſticis olim permiſſæ.

dolor ſunt *corrupti*, ira, gula, luxuria, pompa, prodigalitate, otio, & aliis vitiorum generibus. Quod cedit in grave laicorum ſcandalum. Et maxime obviandum eſſet illi *ſcandaloſiſſimæ conſvetudini*, ſeu potius corruptelæ, qua plures hodie non verentur tenere publice *concubinas*. Et quia adverſus eos pœnæ juris, ſuſpenſionis, excommunicationis, irregularitatis non proficiunt, contra tales in hac vel aliis inhoneſtatibus publicis *incorrigibiles*, haberet locum pœna *depoſitionis ab officio* & beneficio.

Archidiaconi Epiſcopis juncti.

Item quia *Archidiaconi* ab eccleſia inſtituti ſunt ut ſerviant Epiſcopis, ut habetur originaliter *Actuum ſexto*, & ſpecialius declarantur eorum officia, *decima tertia diſtinct. quaſi per totum*: Ideo providendum erit, ut *debita officia exerceant*, vel cum ſint *eccleſiæ oneroſi*, penitus extirpentur, ſicut ſupra de *Chorepiſcopis* dictum eſt.

Sacerdotum magnus numerus.

Item quia dicit *Hieronymus*: *Pauci ſacerdotes, multi ſacerdotes: pauci merito, multi numero*: Ideo contra hanc ſcandaloſam *multitudinem* eſſet ſummopere obviandum, per hoc, quod non *promoverentur*, niſi *digni* & *bene morigerati*, habentes ſcientiam ligandi & ſolvendi, & intelligentiam divini ſervitii.

Ignorantia ſacerdotū ante Concil. Conſt.

Item ad obviandum *ignorantiæ ſacerdotum* jam promotorum, in eccleſiis cathedralibus & notabilibus collegiaris eſſent *ſcribendi* aliqui *breves tractatus*, & etiam in ſynodis publicandi, tam in Latino quam in vulgari, ſuper inſtructione neceſſaria de virtutibus & vitiis, de articulis fidei, de ſacramentis, de modo confeſſionis & hujusmodi.

Inſtitutiones Theologicæ.

Lectores Theologiæ in Eccleſiis.

Similiter in hujusmodi eccleſiis deberet eſſe aliquis *lector Theologiæ*, qui legeret ſecundum & tertium & quartum Sententiarum, vel, recipiendo utiliores materias dictorum librorum, eas ſub brevitate applicaret ad expoſitionem & intelligentiam epiſtolarum & evangeliorum, quæ in eccleſia per anni circulum recitantur.

Bibliotheca eccleſiarum. Conciliorum generalium Tomi aſſervandi.

Similiter in dictis eccleſiis, & maxime in metropolitanis, deberent eſſe notabiles *libraria Theologiæ, & juris canonici*, ac *librorum moralium*, & maxime, ut *magnus liber conciliorum generalium*, qui jam rarus eſt, licet ſit perutilis & neceſſarius, à metropolitanis in magnis eccleſiis procuraretur.

Appellationes inferiorum.

Item quia correctio ſubditorum ſæpe per eorum *appellationes* impeditur, & datur peccandi audacia, etiam circa eas adhibenda *moderatio*, ne in earum nimis facili receptione & admiſſione inferiores prælati à Metropolitanis vel Romana curia in ordinaria executione juſtitiæ gravarentur. Sicut jam dudum beatus *Bernhardus* conquerebatur in *libro de conſideratione ad Eugenium papam*. Qui *liber* in hoc & aliis multis *pro reformatione eccleſiæ* non mediocriter *utilis*, ſicut & plures ejus libri & epiſtolæ.

Caput VI.

De Reformatione Laicorum Chriſtianorum.

De Principum in Eccleſiam reformandam ſtudio atque obligatione.

SExta & ultima conſideratio erit de *reformandis* circa *ſtatum laicorum Chriſtianorum*, & maxime *Principum*, à quorum moribus dependet morigeratio populorum. Quia, ut dicit poëta:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Et iterum,

Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Princeps regula ſubditorum.

Et ideo provideant *Principes Chriſtiani*, ut *titulum* ſuæ *Chriſtianitatis*, quem *verbo* confitentur, *opere* non negent contra Chriſti doctrinam, & per vias ei contrarias, in conſpectu ſui populi *corruptis moribus* incedentes, ſuis malis exemplis mores ſubditorum corrumpant.

Principum filii literis imbuendi.

Item, ut *liberos* ſuos in bonis operibus ac moribus, & in *literarum ſcientiis* informari faciant.

Digitized by Google

Aulicorum characteres.

Item, ut non ſolum à ſe, ſed à ſuis familiaribus & domeſticis, *ſuperfluam* & ſuperbam *vanitatem, avaritiam,* & *tyrannidem* abjiciant.

Subditis bonæ leges danda.

Item, ut *populum* ipſis *ſubjectum* bonis moribus *ædificare* ſtudeant, eos à luxuria, avaritia, otio, & à cunctis *vitiis* reipublicæ contrariis *retrahant,* & ſpecialiter à dei & ſanctorum blaſphemia, quæ ſæpe in juramentis & *perjuriis* committitur, arceant.

Pravæ conſuetudines in plebe.

Item, ut *malas conſuetudines,* juri divino & humano contrarias, in ſuis ſubjectis per conſilium Theologorum & aliorum prudentum repellant.

Superſtitio plebis.

Item, ut *artes magicas* & alias *ſuperſtitiones* divina lege damnatas, & omnes errores & hæreſes fidei contrarias, diligentius evellant & deſtruant.

Principes reformãdæ Eccleſiæ invigilent.

Item, ut ad fidei exaltationem, divini cultus honorem, *eccleſiæ reformationem,* invigilent ad ea quæ ſuperius & inferius pro hujusmodi *reformatione* notata ſunt, & alia quæcunque utilia diligenter laborent.

Eccleſias vindicent.

Item ut zelo juſtitiæ contra *perſecutores & oppreſſores eccleſiæ, pauperum, & debilium* excandeſcant, & eorum injurias *propulſare* non tardent.

Vicinis quoque & *peregrinis* fidem catholicæ fraternitatis obſervent.

Turcos propellant.

Item contra *Saracenos* & alios fidei adverſarios potenter inſurgant, & nunc dum maxime opus eſt, *poſt unitam & reformatam eccleſiam,* infidelium inſultibus viriliter ſe opponant, ac propter hoc guerras & bella, quæ jam proh dolor & in imperio & in regnis Chriſtianis in contumeliam Chriſtiani nominis crudeliter ſæviunt, miſericorditer compeſcant, & ad Chriſtianam *pacem & unionem* reducant. Alioqui infallibiliter verificabitur verbum Chriſti, *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur.*

Judæorum quæſtum non tolerent.

Item, ut *Judæis* propter vilem quæſtum non faveant, eos ſcilicet inter ſubditos ſuos morari permittendo, niſi vel Chriſtianis ſerviendo, agros colendo, vel aliàs mechanice laborando, & non uſuras damnabiles in damnum Chriſtianorum exercendo.

Judæos converſos bonis exui ne permittant.

Item ut *Judæorum converſorum* bona non rapiant, ſed ad vitæ neceſſitatem eis poſſidere permittant, ne egeſtate compulſi apoſtatent, & Chriſtianos impietatis arguant.

Item multa alia eſſent *per Principes cum generali concilio* Eccleſiæ circa ſtatum Chriſtiani populi *reformanda.* Quæ ſi impediant, imò ſi ea diligenter non promoveant, timendum eſt eis, ne contra ipſos manus domini, prout jam incipit, gladium ſui furoris exerceat.

Reges & principes ad Concilia generalia veniant.

Item propter præmiſſa expedit, ut *Reges & Principes mittant ad generalia concilia,* non ad onerandum & confundendum, ſed ad honorandum, & confortandam eccleſiam, & ad ea quæ ibi decreta fuerint, quantum in eis eſt, exequendum.

Diviſio conciliorum generalium per nationes improbatur.

Item quia juxta evangelicam ſententiam, quam etiam experientia terum magiſtra docet, *inter Reges gentium & Principes ſeculi ſæpe fit contentio,* quis eorum videatur eſſe major, quam contentionem Chriſtus inter diſcipulos ſuos vitari docuit: Ideo non videtur expediens, ut de cætero *in generalibus conciliis* pro deliberando ad partem ſuper rebus gerendis fiat *diviſio per nationes* vel regna: Quia talis modus dividendi magis eſt ſecularis quàm eccleſiaſticus, & ad contentiones de majoritate vel ſuperioritate diſpoſitivus: Sed juxta eccleſiaſticas ſanctiones & ſanctorum patrum obſervantias, magis videtur eſſe procedendum *per provincias* eccleſiaſtico more diſtinctas.

Diviſ. per provincias præfertur.

Tamen quia hujusmodi *provinciæ* valde inæqualiter ſunt diviſæ in diverſis mundi regionibus, ideo expediens videretur hanc moderationem obſervari, ut *ad conſtituendam provinciam in concilio generali* non ſufficeret minor numerus quàm XII. notabilium perſonarum: Quarum *ſex* ad minus eſſent prælati vel ambaſiatores regum, principum, vel univerſitatum generalium ſtudiorum, aut doctores in Theologia vel in jure, & illorum ſex ad minus duo eſſent epiſcopi, non titulares aut girovagi, alii vero *ſex* ſint in minoribus dignitatibus eccleſiaſticis conſtituti, vel in aliqua facultate graduati.

Membra conciliorum generalium quæ eligenda videantur.

Quando vero in aliqua provincia

non

non eſſet talis numerus aut talium perſonarum, ut ſuppleretur de aliis vicinis provinciis, & conſtitueretur una ex pluribus, quæ denominaretur ab illa, cujus ibi eſſent plura aut notabiliora ſuppoſita.

Concilia provincialia generalibus præmittenda.

Et ut hujusmodi *perſonarum electio* fieret in *conciliis provincialibus*, *generale concilium præcedentibus*. Et ibidem ordinaretur de ſtipendiis, pro *expenſis* & ſumptibus eorundem, per modum *ſubſidii charitativi*, eccleſiaſtico more & non ſeculari autoritate vel poteſtate imponendi & exequendi.

Principes ad inſtituendam Eccleſiæ reformationem invitandi.

Item quia *eccleſia non poteſt principes ad prædicta reformanda temporaliter cogere*, expediens erit, ut *per generale concilium* ipſos ad ea *monitis* ſalutaribus exhortetur. Ut ſic faciendo quod in ſe eſt, apud ſummum judicem excuſetur. Nec ſolum opus erit exhortatoriis verbis, ſed etiam bonorum *morum* & *in melius reformatorum* actuum exemplis. Quia *plus movent exempla quam verba*. Ideo cœpit Jeſus *facere* & *docere*.

Unde nihil eſt quod tam efficaciter poſſit ſive ad bonum ſive ad malum principes & alios laicos inducere, ſicut *facta exemplaria eccleſiaſticorum*. Ideo exemplaria Eccleſiaſticorum ſunt neceſſaria. Ideo ſuper illud *Matthei.* XXI. & *intravit Jeſus in templum* &c. dicit *Chryſoſtomus*: *Sicut de templo omne bonum egreditur, ita de templo omne malum procedit. Si enim ſacerdotium integrum fuerit, tota eccleſia floret, Si autem corruptum fuerit, omnium fides & virtus marcida eſt.* Sicut cum vides arborem pallentibus foliis, intelligas quod vitium habeat in radice: Sic cum videris *populum indiſciplinatum*, ſine dubio cognoſce quod *ſacerdotium non ſit ſanum*.

Eccleſiaſtici omnis corruptionis origo.

Et inde patet, quod neceſſaria ſit *eccleſiaſticorum reformatio*: Cum *morum* ſuorum *deformatio* tam periculoſa ſit, & cunctis fidelibus populis tam damnoſa.

Eccleſiaſtici reformandi.

Avertat autem miſericors dominus ab eccleſia ſua hanc contumeliam, ut *ni inter omnes* prælati, ſacerdotes, aut alii eccleſiaſtici hujus lamentabilis deformationis reperiantur culpabiles. Sed ſicut olim ipſe ſibi in Iſraël ſeptem millia virorum reſervavit, quorum genua non ſunt curvata ante Baal, (ſicut legitur *tertii Reg.* XIX. *c.*) Sic hodie in omni ſtatu eccleſiæ *aliquos* reſervaſſe credendus eſt, qui zelo Chriſtianæ legis accenſi, *deformatos mores in melius reformabunt* & ſuis ſalutaribus *verbis* & *exemplis* alios informabunt. Quod ipſe præſtare dignetur, qui eccleſiam ſuam pretioſo filii ſui ſanguine redimere dignatus eſt.

Aliqui boni inter Eccleſiaſticos reliqui.

Scriptum *Conſtantiæ* Anno Domini M.CCCC.XVI. die prima menſis Novembris.

HER-

Digitized by Google

Hermannus von der Hardt.

Lectori S.

EX tribus ſuperioribus, *Parte VI. VII. & VIII.* exhibitis, *præclaris antiquis opuſculis*, ex *MSctorum* tenebris erutis, luculenter patet, quam impenſe Eccleſiaſticum ſtatum in Concilio Conſtantienſi emendatum cupiverit *Alliacus*, quem emendationis ordinem, quasve regulas aut reformationis articulos conſignaverit. Idem ſane in omnibus propemodum *orationibus*, quas frequentes *in Concilio* publice habuit, egiſſe deprehenditur, cujus in Eccleſiæ commoda ſtudium erat infractum, deſideriumque reformationis inſatiabile.

A. 1417. In feſto S. Ludovici, Caroli Regis Siciliæ filii, Epiſcopi Tholoſani, quando ſolennem in Conſtantienſi Concilio orationem habuit, miſeram Eccleſiæ ſui temporis faciem his irrigavit ac perfudit lacrymis: *O utinam exemplum Ludovici imitari ſtuderent Prælati Eccleſiæ, ut ſic evitare valeant divinam maledictionem Ezechielis Prophetæ: Væ paſtoribus Iſraël qui paſcebant ſemet ipſos. Ut non ſint de illis, qui juxta ſententiam Apoſtoli quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti. Seu potius, qui non ſolum* ſua *quærunt*, *ſed* non ſua *capiunt*, *rapiunt* aliena. *Ut videlicet de bonis Eccleſiæ, quæ ultra moderatum victum ipſorum & veſtitum ad pauperum pertinent uſum, ſe ipſos paſcant, id eſt, ſuperflue vivant. O utinam non ſolum ſuperflue, utinam non ſuper modum & debitum ordinem vitioſe viverent miniſtri Eccleſiæ, utinam non in crapula & ebrietate, non in luxuria & fœditate, non in ſuperbia & vanitate: non in muliebri laſcivia, non in militari familia, non in ſeculari pompa, non ad ſuperabundantiam, ſed ad ſufficientiam, non ad ſuperfluitatem ſed ad neceſſitatem, non ad oſtentationem ſed ad ſuſtentationem, non cum læſione pauperum, non cum gravamine ovium, non cum ſcandalo ſubditorum. Sed væ & iterum atque iterum væ nobis. Quia hæc omnia vitia in clero experimur!* His Eccleſiæ malis *remedium ex reformatione in Concilio Conſtantienſi* quæſitum eſſe mox obſervat Alliacus. Verum & huic reformandi ſtudio ingentia in Concilio objecta eſſe obſtacula vehementer ibidem dolet. Inter quæ impedimenta numerat litem in Concilio Conſtantienſi ſubortam de Reformationis ordine, an prius Eccleſiaſticus ſtatus reformandus, an Papa prius eligendus, ſub cujus directorio reformatio poſtea ſuſciperetur. Fuitque Alliacus tunc illius ſententiæ, Papam prius bonum eligendum, dein negotium reformationis deſideratum ſuſcipiendum. Hæ interim magnorum in Concilio virorum contentiones Reformationi eas injecerunt moras, ut non ſolum differretur nimis diu, ſed & electo tandem novo Pontifice plane expiraret. Triſtia hæc ſaluberrimæ in Conſtantienſi Concilio ſuſcipiendæ *Reformationis fata* his deſcribit *in laudata oratione* verbis:

Digitized by Google

bis: *Contra hæc in hoc ſacro Concilio multa de reformatione loquimur, ſed pauca vel nulla exequimur. Multa in Codicibus ſcribimus, pauca in cordibus de morum reformatione ſentimus. Clamant membra de reformatione capitis, ipſis in monſtruoſa vitiorum deformatione manentibus. Tacent ſua vitia, accuſant aliena. Aliorum infirmitatem ſanare contendunt, & propriam ſanitatem contemnunt. Nec ſolùm eam negligunt, ſed medicinæ opem ferre volentibus contradicunt. O monſtruoſa deformitas, & deformis reformatio. Ecce jam proh pudor ab Eccleſia caput ſubtrahitur, jamque acephala derelinquitur. Ut membrorum reformatione poſtpoſita, capitis reformatio præferatur. Cum tamen canonica proviſio ſuper futura electione ſit prima & principalis reformatio Eccleſiæ præ ceteris neceſſaria, ac debito ordine nullatenus poſtponenda. Quia hæc deformitas, ſcil. quod Eccleſia maneat acephala, eſt periculoſiſſima. Et per conſequens hujus deformitatis reformatio eſt præ ceteris neceſſaria. Ut quidam egregii doctores tam divino quam humano jure coram judicibus in cauſis fidei declarare proponunt, quibus è contra alii repugnare contendunt. Inter hæc proh dolor dum Eccleſiæ unionem quærimus in varias diviſionum contentiones ac diſcordias oberramus. Ut merito nobis timendum ſit illud quod ab infallibili veritate dicitur: Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur; & illud Saluſtii: Sicut concordia parvæ res creſcunt, ita diſcordia maxime dilabuntur.*

Et paulo poſt, querelis auctis: *Manifeſtum eſt*, inquit, *quod longo jam tempore Eccleſia fuerit multipliciter deformata. Indiguitque, & nunc maxime indiget, ut in fide & moribus reformetur. Sed nunc membris Eccleſiæ ſeparatis à capite, & apoſtolico diſpenſatore ac directore carentibus, hæc reformatio nequaquam bene fieri poſſe ſperatur &c.*

Similia plura voti ac deſiderii Alliaceni argumenta atque teſtimonia ex ejus orationibus in Concilio habitis afferre ſupervacaneum erit. Ne quid verò deſideretur amplius, integram quandam *Cardinalis* noſtri *orationem, de Reformatione Eccleſiæ maturanda*, in Concilio Conſt. A. 1417. habitam, loco appendicis ſubjungere decebit.

ORATIO
PETRI de ALLIACO
Cardinalis Cameracenſis
DE OFFICIO IMPERATORIS, PAPÆ, RELIQUORUMQUE MEMBRORUM CONCILII CONSTANTIENSIS PRO EMENDATIONE ECCLESIÆ;

Habita Conſtantiæ, in Concilio generali,
Anno MCCCC XVII.

Ex *antiquiſſimo Codice*, impreſſo *Argentinæ Anno* 1490.

E*Runt ſigna in ſole, luna & ſtellis.* Conſiderantibus nobis verba propoſita triplex occurrit quæſtio, pro eorum introductione in hujus ſermonis proœmio breviter explicanda. Prima. Qualiter verba hæc Evangelica ad ea, *quæ nobis hic ſunt agenda*, pertineant. Secunda. Quid ſignificent illa cœli luminaria, quæ *nobis* conſideranda præſentantur. Tertia. Quæ ſint iſta ſigna cœleſtia, quæ *nobis* futura prænunciant.

Hæ ſiquidem quæſtiones *multorum* forte *hic aſtantium* animos pulſant, qui ſecum taciti admirantes interrogant: Quam ob cauſam, quamve rationem aut congruentiam verba hæc proponere decreverim, & huic applicare ſermoni. Quid, inquiunt, ad rem pertinet, quid *ad propoſitum* attinet *concilii generalis: Erunt ſigna in ſole, luna & ſtellis.*

Prima igitur quæſtio proponitur, qualiter verba hæc Evangelica ad ea, *quæ nobis hic ſunt agenda*, pertineant. Pro quo ſciendum nobis eſt, quod verba præmiſſa omnino arbitratus ſum huic ſermoni aptiſſime convenire, quod hi, *qui in hac ſynodali congregatione præſentes* adſunt, *debent eſſe velut clariſſima cœli luminaria*, ſoli, lunæ ac ſtellis merito comparanda, ut ſequentia plenius declarabunt.

Nec caret congrua ratione rationabilis congruentia. Quia hæc verba, quæ ad literalem intellectum dicta ſunt de ſignis adventus Domini ad generale judicium finale, juxta ſenſum ſpiritualem intelligi poſſunt de ſignis *adventus* ejus *ad generale concilium*, ſeu *judicium ſynodale*; De quo adventu ipſe in Evangelio legitur promiſiſſe: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio illorum ſum.*

O utinam bone Jeſu, *utinam ſis hic in medio noſtrum*, ubi duo non ſolum vel tres, ſed *tanta fidelium multitudo univerſalem repræſentans Eccleſiam* congregatur. Qui utique congregati ſunt in nomine tuo, in nomine Jeſu, in nomine ſalvatoris, nempe titulo ſeu *cauſa procuranda* ſalutis & *ſalutaris utilitatis*, non particularis quidem ſed *univerſalis*, nec unius aut paucorum membrorum tuorum, ſed *totius* tui myſtici corporis, totiusque tuæ *Chriſtianitatis.* Utinam ergo ſalutifer Chriſte, utinam *nobis* in tuo ſalutari nomine *congregatis* ita digneris *præſens* aſſiſtere, ut, pulſis errorum tenebris & peccatorum nebulis, effici mereamur *clara luminaria* cœli ſpiritualis; id eſt, tuæ *Eccleſiæ militantis*, & in nobis reluceant læta ſigna ſalutaris conſolationis. Ut ſic vere poſſit dici: *Erunt ſigna in ſole, luna & ſtellis.*

Votum pro gratia & auxilio Dei in Concilio Conſt.

Scopus Concilii Conſt. emendatio Chriſtianiſmi.

Secunda quæſtio erat, quid ſignificent illa cœli luminaria, quæ præmiſſa verba nobis conſideranda præſentant. Pro qua conſiderandum nobis eſt, quod, ſicut in cœlo corporali, ſic in cœlo ſpirituali, hoc eſt, *in præſenti Eccleſia*,

Digitized by Google

cleſiæ, quæ Gregorio teſte ſæpe in ſacro eloquio regnum cœlorum dicitur, ordinatiſſimus Rex, omnium diſpoſitor, diverſa luminaria diſpoſuit, de quibus in principio libri Geneſis ſcriptum eſt: *Fecit Dominus duo magna luminaria. Luminare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti, & ſtellas.*

Eccleſiæ lumina Papa & Imperator.

Habet igitur *Eccleſia* duo luminaria magna, ſolem & lunam, habet & ſtellas varias.

Officium Papæ, Imperatoris, Eccleſiaſticorum.

In *ſole Papalis* Majeſtas, quæ præeſt diei, id eſt, *ſpiritualibus*; In *luna Imperialis* poteſtas, quæ præeſt nocti, id eſt, temporalibus. In *ſtellis* vero diverſorum ſtatuum *Eccleſiaſticorum* varietas, quæ ſuis ſubeſt majoribus, congrue deſignatur, ſicut plenius patebit ex his, quæ inferius dicenda ſunt.

O quam decora eſt Eccleſia Chriſtiana horum luminarium mira varietate, variaque claritate, dicente Apoſtolo: *Alia eſt claritas ſolis, alia lunæ, alia ſtellarum, & ſtella a ſtella differt in claritate.* Ecce ergo, quam bonum & quam jucundum eſt, horum luminarium variam claritatem videre! Quod tamen *nobis nunc Domino donante* conceſſum eſt, *cum ſolem & lunam, utramque* videlicet *poteſtatem*, ſpiritualem & temporalem, *ſacerdotalem* & *regalem*, ſimulque cum eis ſtellas varias, id eſt, *varios Eccleſiæ ſtatus* ad illuminandum univerſalem faciem terræ videamus *in hoc ſacro concilio* convenire. Ut merito de eis dictum ſit: *Erunt ſigna in ſole, luna & ſtellis.*

Omnes Chriſtiani orbis ſtatus in Concilio Conſt. præſentes.

Tertia quæſtio fuit: Quæ ſint iſta ſigna cœleſtia, quæ verba prædicta nobis futura prænunciant. Pro quo penſandum nobis eſt, quod in cœlo ſpiritualiter intellecto, hoc eſt, *in hoc ſacro generali concilio, quo univerſalis repræſentatur Eccleſia*, in ſole, luna & ſtellis apparere incipiunt ſigna multa, ſigna magna, ſigna nova, ſigna utique cœleſtia, ſua multitudine ſtupenda, ſua magnitudine miranda, ſua novitate jucunda, quæ plurimis retro actis temporibus fuerunt abſcondita, fueruntque triſtia ſigna illis omnino contraria.

Magna ſpes ex Concilio Conſt.

Sed quod parabolice & obſcure diximus, jam clare & lucide diſſeramus. Scimus namque, & ſatis, ſuperque ſatis per experientiam docti ſumus, qualiter proh dolor, in ſole, luna & ſtellis præceſſerint *ſigna triſtitiæ* & mœroris, ſigna videlicet *ſchiſmaticæ diviſionis*, & *Eccleſiaſticæ deformationis*. Propter quod impletum eſt illud Joëlis vaticinium: *Sol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.*

Schiſma ante Concil. Conſt. Eccleſiæ deformatio ante Conſt. Concilium.

Jam vero quod gaudentes referimus, videre ſperamus *ſigna jucunditatis* & lætitiæ, ſigna charitatis & concordiæ, ſigna proſperitatis & complacentiæ, ſigna videlicet *pacificæ unionis & reformationis Eccleſiaſticæ.*

Spes unionis ac reformationis in Concilio Conſt.

Hæc eſt ergo mirabilis mutatio dexteræ excelſi, quam in ſole, luna & ſtellis nunc inchoari videmus, dum *hoc ſacrum concilium ad hunc finem congregatum* aſpicimus, ut ſancta mater *Eccleſia* jam dudum per ſchiſmaticam diviſionem miſerabiliter *deformata*, nunc per pacificam unionem *reformetur*. Sane NEC VERA UNIO SINE REFORMATIONE, NEC VERA REFORMATIO SINE UNIONE ESSE POTERIT. O præclarum & proſperum diem, & quem merito ſanctum dixerim, ſub quo hoc fieri contigerit! O beatos oculos, qui hoc videre meruerint! O *felicem locum*, *hanc* videlicet *Conſtantienſem civitatem*, meque pariter cum ea jucundæ exultationis participem, quem intra terminos *commiſſæ mihi legationis ad partes Alemaniæ* Dominus ad hoc eligere dignatus eſt.

Eccleſiæ reformatio finis Concilii Conſt.

Unio Eccleſiæ abſque reformatione in Concilio Conſt. non ſperanda.

Petrus de Alliaco Legatus in Germaniam ante Concilium Conſt.

Sed magis laudanda & veneranda, & cum lætabunda gratiarum actione dignis præconiis extollenda *immenſa Dei clementia*, quæ tam ingens largitatis beneficium Eccleſiæ ſuæ contulit, ut terribilia ſigna horrendi *ſchiſmatis* tam mirabili mutatione converteret in tranquilla ſigna optatæ *unionis & pacis*, de quibus dictum eſt; Erunt ſigna in ſole, luna & ſtellis.

Hæc igitur hactenus de tribus præmiſſis quæſtionibus *generaliter* dicta ſint. Sed jam reſtat, ut *ſpecialiter* conſideremus dicta luminaria, & in eis ſigillatim notemus ſigna, & ſignemus myſteria.

Primo quidem in *ſole* ſigna *præſidentiæ* paſto-

paſtoralis. Secundo in *luna* ſigna *prudentia temporalis.* Tertio in *ſtellis* ſigna *aſſiſtentia ſpecialis* & obedientiæ filialis.

Officia paſtoralia Papa.

In primis ergo conſideremus in *ſole*, id eſt, in *papali ſublimitate* ſigna *præſidentiæ paſtoralis.* De qua ſingulariter Petro pro ſe & ſuis ſucceſſoribus à Chriſto dictum eſt: *Paſce oves meas.* Non quidem ſpecialiter has vel illas, ſed generaliter univerſas.

Hæc autem *Papalis ſublimitas*, & ejus *paſtoralis præſidentia*, ac eminentia ſingularis *ſoli* meritò comparatur propter tres excellentias, quas in eo ſpecialiter cognoſcimus. Habet enim ſublimitatem poſitionis, habet nobilitatem conditionis, habet utilitatem operationis. Sic *Pontifex ſummus* & paſtor ſupremus inſtar ſolis: Habet poſitionis ſublimitatem, *ſi bene intraverit.* Habet conditionis nobilitatem, *ſi bene vixerit.* Habet operationis utilitatem, *ſi bene rexerit.*

Charactères Pontificis boni cum ſole comparati. Legitima electio. Honeſta vita. Bonum regimen.

Sed è contra quod abſit, paſtor ab his conditionibus ſolis degenerat: *Si male intraverit*, per injuſtam & reprobam ambitionem: *Si male vixerit*, per inhoneſtam & ſcandaloſam converſationem: *Si male rexerit*, per torpidam & otioſam remiſſionem, vel per tyrannicam & oneroſam ac odioſam adminiſtrationem.

Notæ mali Pontificis. Illegitima electio. Inhoneſta vita. Malum regimen.

Hæc proh dolor eſſent ſigna triſtia, & non illa jucunda ſigna, quæ divina favente clementia nunc in ſole noſtro videre ſperamus, ut de eo cum Pſalmiſta Domino dicere valeamus: *Tu fabricaſti auroram & ſolem.* Fabricat enim Deus ſolem, *quando ſummus Pontifex* per canonicam inſtitutionem *dignus eligitur.* Et tunc ex Dei opere verus ſol efficitur, & rectè ſuper alios ſublimatur.

Dei eſt bonum conſtituere Pontificem.

Sed non eſt ille ſol verus, ſed falſum *ſolis ſimulacrum*, qui manibus hominum, id eſt, *humanis & doloſis adinventionibus* fabricatur, ſicut in Pſalmo ſcriptum eſt: *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.* Imo de talibus idolis per Jeremiam dicitur: *Conteret Dominus ſtatuas domus ſolis.*

Ex prava Papa electione fit falſum ſolis ſimulacrum.

O utinam beata Trinitas ſua omnipotenti virtute conterat ſtatuas domus ſolis, id eſt, *ſimulacra Romana Eccleſiæ*, quæ eſt domus ſummi Pontificis! Utinam, inquam, illa *ſimulacra* conterat, quæ in contumeliam individuæ Trinitatis *trinum* ſibi *nomen papatus* multiplicare conati ſunt, cum tamen eum tres ſimul habere nequeant, ſed unus ſolus veri ſolis & veri Papæ nomen & realem dignitatem obtinere debeat.

Simulacra Romanæ Eccleſiæ tres Pontifices in ſchiſmate ante Concilium Conſt.

Unde in *plurium de hoc nomine contendentium irriſionem* alias me ſcripſiſſe recolo, quod, ſicut in divinis veneranda eſt & adoranda Trinitas perſonarum, ſic in humanis verenda & abominanda *trinitas Paparum.* Cum enim *ſol* dicatur quaſi per excellentiam *ſolus lucens*, non poteſt eſſe ſol trinus, ſed neceſſe eſt, ut ſolus ſit, & unicus. Unde, licet narrent hiſtoriæ, tres ſoles in cœlo aliquando viſos fuiſſe, ſicut teſtatur Euſebius, tamen ſecundum Philoſophos nunquam plures fuerunt realiter, ſed ſolum apparenter. Nam quædam nubes interpoſita apparere fecit plura ſolis ſimulacra eidem ſimilia; Et illud fuit ſignum pronoſticum inundationis futuræ.

Unum eſſe debere Papam.

Sic revera à *tempore præſentis ſchiſmatis* quædam fuit nubes ingratiæ & malitiæ, quæ in Romana curia *plura* ſolis, id eſt, *papalis dignitatis ſimulacra* fecit lippis oculis apparere. Quod monſtruoſum prodigium præſagium fuit *inundationis plurium ſcandalorum*, de quibus magis flere libet, quam aliquid dicere.

Hoc autem *ſacrum concilium* ad hunc finem ſpecialiter inſtitutum eſt, *ut*, fugatis hujus erroris tenebris, *conterantur hujuſmodi ſimulacra*, & juxta verbum Chriſti, fiat unum ovile & unus paſtor, qui tanquam verus ſol unus & ſolus clareſcat, & ſuo lumine univerſam illuſtrans Eccleſiam ſchiſmatis ſcandala ſicut fœnum ante conſpectum ſolis incaleſcentis areſcere faciat. Ut de eo dici poſſit illud propheticum: *Ortus eſt ſol in ardore, & areſecit fœnum.* Et hæc de ſole, & prima noſtri ſermonis conſideratione ſufficiant.

In Concilio Conſt. Paparum multitudo minuenda.

Jam ergo conſideremus in *luna*, id eſt, *Imperatoria* REGALI ſeu IMPERIALI MAJESTATE ſigna *providentiæ temporalis.* De qua ſcriptum eſt:

Officia Imperatoris in Concilio Conſt.

Digitized by Google

Sine Imperatore pax Eccleſiæ nulla.

eſt: *Abſque regali providentia impoſſibile eſt pacem rebus dari.*

Hæc autem REGIA MAJESTAS & ejus temporalis providentia, *luna* merito comparatur propter tres conditiones, quas in ea ſenſibiliter experimur. Eſt enim luna ſecundum Iſidorum imitatrix ſolis, dominatrix maris, & miniſtra roris. In quibus deſignantur tres excellentiæ, quæ debent regali providentiæ ſpecialiter convenire. In imitatione ſolis, id eſt, ſpiritualis claritatis, fulgor *claræ prudentiæ*; In dominatione maris, id eſt, temporalis mutabilitatis, vigor *magnæ potentiæ*. In miniſtratione roris, id eſt, viſceralis pietatis, dulcor *veræ clementiæ*.

Tres characteres Imperatoris: Prudentia, Potentia, Clementia.

Hæc ſunt ſigna, quæ in luna noſtra, hoc eſt, in regali providentia nunc Domino concedente videre ſperamus. Ut *per ejus prudentiam* clareſcat *veritas in diſcernendis judiciis*: Ut *per ejus potentiam* ferveſcat *ſeveritas in corrigendis vitiis*. Ut per *ejus clementiam* dulceſcat *ſerenitas in ſublevandis miſeriis*.

Imperator verax & ſagax in diſcernendis judiciis. Severus in corrigendis vitiis. Clemens in leniendis miſeriis.

Speramus igitur, quod per REGIS *noſtri prudentiam* clareſcet *veritas in judiciis diſcernendis*, juxta illud, quod in proverbiis ſcribitur: *Rex, qui judicat in veritate, thronus ejus in æternum firmabitur.*

Spes ex Imperatoris Sigismundi prudentia.

Speramus inſuper, quod *per ejus potentiam* ferveſcet *ſeveritas in vitiis corrigendis*. Et ſic de eo verificabitur illud, quod ibidem legitur: *Rex, qui ſedet in ſolio judicii ſui, id eſt, ſua regali potentia atque providentia, diſſipat omne malum.* Et notanter dictum eſt: *Omne malum.* Ut detur intelligi, quod Regia ſeveritas non debet unum malum diſſipare, & aliud diſſimulare, ſed ſine perſonarum acceptione *omne malum* punire: Et in hac punitione non bonum naturæ, ſed malum culpæ in hominibus perſequi.

Sigismundi potentia.

Speramus denique, quod *per ejus clementiam* dulceſcat *ſerenitas in miſeriis ſublevandis*. Ut cum ſancto Job dicere valeat: *Cum ſederem quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator.*

Sigismundi clementia.

Ad REGIS enim *noſtri* clementiam pertinet, ut *ſeveritatem juſtitiæ per ſerenitatem miſericordiæ temperet*, & ſicut illam contra ſuperbos & rebelles, maxime contra hæreticos & infideles, contra ſchiſmatcos & Eccleſiæ adverſantes, ſic iſtam in humiles & ſubjectos exerceat. Ut ei illud præconium conveniat, quod in laudem optimi Principis ab egregio Poëta dictum eſt: *Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.*

His itaque *virtutum* titulis inſignitus, *dignus* erit *REX noſter gladium accipere*, non ſua quidem, ſed divina autoritate, nec pro quacunque cauſa, ſed *pro tuitione juſtitiæ, & Eccleſiæ defenſione.* Ut mereatur illud audire, quod Judæ Maccabæo ſtrenuiſſimo divinæ legis Zelatori dictum eſt: *Accipe gladium ſanctum munus à Deo, quo dejicies adverſarios populi mei Iſraël*, id eſt, populi Chriſtiani.

Imperatori debetur gladius.

Gaudeat igitur Eccleſia & nos cum ea pariter exultemus, quia *Sereniſſimus ROMANORUM REX huic ſacro generali concilio* humiliter voluit *intereſſe*: Non quidem ut præſit, ſed ut proſit, non, ut ſpiritualia & Eccleſiaſtica negotia hîc tractanda regia autoritate definiat, ſed ut ea, quæ *ſynodali determinatione* definita fuerint, ſua poteſtate defendat. Non denique quaſi ſua interſit, ſynodalia decreta ſtatuere, aut ſtatuta confirmare, ſed ea potius reverenter conſervare, & ad eorum obſervantiam, ſuperbam inobedientium contumaciam ſuo temporali gladio coërcere: Volens in hoc *exemplum* imitari *religioſiſſimi Principis Conſtantini*: De quo legitur in *Decreto*, & plenius habetur in *hiſtoria Eccleſiaſtica lib.* x. & in *Tripartita lib.* II.

Imperator Sigismundus in Concilio Conſt. præſens. Diſtincta officia Imperatoris in Concilio Conſt.

O igitur felicem, o nobis optabilem diem, & toti mundo deſiderabilem, quo *in hac ſacra ſynodo* videmus ſolem & lunam, id eſt, ſpiritualem & temporalem poteſtatem *ſibi invicem aſſiſtere*, & ſeſe forti ac ſtabili munire præſidio, ut de eis dici poſſit illud Propheticum: *Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo.* Et hæc de luna & de ſecunda noſtri ſermonis conſideratione ſufficiant.

Sed jam ultimo conſideremus *in*

Officia Eccleſiaſticorum in Concilio Conſt.

ſtellis, id eſt, in multiplici *Eccleſiaſticorum ſtatuum* varietate, ſigna ſpecialis *aſſiſtentiæ* & *obedientiæ* filialis. De qua myſtice & figurative poteſt accipi illud *Baruch* Prophetæ verbum: *Stellæ dederunt lucem in cuſtodiis ſuis, vocatæ ſunt, & dixerunt: Adſumus.*

Ubi circa *hujus ſacri concilii congregationem* tria notare debemus. Primo in *perſonis congregatis* conditionis nobilitatem: Quia *ſtellæ dederunt lucem.* Secundo in *perſona congregante* autoritatem prælationis: Quia *vocatæ* ſunt. Tertio in *ipſa congregatione* ſubjectionis humilitatem: Quia dixerunt: *Adſumus.*

Nemo à Concilio Conſt. excluſus. Viri magni & illuſtres ad Concilium Conſtantienſe præcipue vocati, non plebeji.

Conſideremus itaque primo in *perſonis congregatis* conditionis nobilitatem: Quia *ſtellæ.* Licet enim *nulla perſona* catholicæ, etiamſi ſint ſchiſmaticæ, *ab hac congregatione* ſint *excluſæ.* *Non* tamen ſpecialiter ſunt *vocatæ infimæ aut ignorantes perſonæ*, ſed illæ præcipuè, quæ in triplicis *conditionis nobilitate* ſtellis cœli ſunt merito comparandæ, videlicet, in ſublimitate excellentis *eminentiæ*, in claritate refulgentis *ſapientiæ*, in poteſtate præcellentis *influentiæ.*

Antiſtites Eccleſiarũ ad Conciliũ Conſt. vocati.

Stellæ igitur non qualeſcunque aut quantumcunque parvæ, vel parum luminoſæ, ſed tales, quæ per *abundantem virtutis redundantiam* dederunt lucem in cuſtodiis ſuis, id eſt, *in variis Eccleſiæ Chriſtianæ locis*, eis ad cuſtodiam deputatis, & in adminiſtrationem commiſſis. De quibus dici poteſt illud Eccleſiaſtici: *Species cœli*, id eſt, decor Eccleſiæ, vel *hujus cœleſtis concilii* gloria ſtellarum mundum illuminans.

Ad Conciliũ Conſt. vocati autoritate Papali. Pontificis eſſe Concilium convocare, juxta cõmunia jura.

Conſideremus deinde in *perſona congregante* prælationis autoritatem: Quia *vocatæ* ſunt. *Non* enim *propria temeritate convenerunt*, ſed *apoſtolica autoritate vocatæ* ſunt, ab illo videlicet, qui prælationis ac poteſtatis plenitudinem habere dignoſcitur, id eſt, *à ſummo Pontifice*, qui ſolus poteſt generale concilium convocare, ſicut per *communia jura* poſitiva probatur.

Lex illa de jure Pontificis Concilium convocandi patitur exceptionem.

Quod utique *regulariter* verum eſt. Sed *jure divino & naturali* patenter oſtenditur, quod *hæc regula in certis caſibus exceptionem habeat*, & ſpecialiter in caſu *Piſani concilii*, ſicut alias declaravi. Unde, qui oppoſitum tenent, literali ſenſui juris poſitivi Judaico more nimis tenaciter adhærent, contra quos ait Apoſtolus: Litera occidit, ſpiritus, id eſt, ſpiritualis ſenſus vivificat.

Conſideramus denique in *hac ſacra congregatione* ſubjectionis humilitatem, quod ſtellæ dixerunt: Adſumus; id eſt, *ad ſpecialem aſſiſtentiam*, & obedientiam filialem nos humiliter præſentamus. Ut ſummo Pontifici merito poſſit hæc congregatio illud Prophetæ verbum dicere: *Ecce adſum, quia vocaſti me.* Et hæc de ſtellis, & tertia noſtri ſermonis conſideratione ſufficiant.

Tria momenta in Concilio Conſt. tractanda. Præterita corrigenda. Præſentia ordinanda. Futura [illegible]

Sed vos, o ſtellæ clariſſimæ, non immeritò quærere poteſtis: *Quare vocatæ ſitis*, ad quid cum ſole & luna convenéritis, propter quid cum eis ſynodaliter hic congregari debueritis? Ad hanc quæſtionem reſpondeo, quod *in hac ſacra ſynodo* ſol, luna, & ſtellæ *propter tria* ſpecialiter *congregentur.* Primo *ad præterita corrigenda*, ſecundo *ad præſentia ordinanda*, tertio *ad futura providenda.*

Primo *ad correctionem & reformationem Eccleſiaſticæ deformitatis*, quoad præterita. Secundo *ad ordinationem & integrationem pacificæ unionis*, quoad præſentia. Tertio *ad proviſionem & evitationem maleficæ pravitatis*, quoad futura.

Re[illegible]ſio Eccleſiæ [illegible] Eccleſiæ Conſervatio [illegible] Prudentia verſatur circa præterita præſentia [illegible] Reformatio Eccleſiæ [illegible] Conſ. Concilii [illegible]

His enim tribus temporibus ſecundum Senecam *tria prudentiæ officia* correſpondent. Quæ ſi nunc debite impleantur, utique juxta verba propoſita erunt ſigna in ſole, luna & ſtellis, id eſt *in omnibus ſtatibus Eccleſiaſticis*, tam *in Eccleſiæ capite* quam *in membris.* Signa, inquam, jucunditatis, & exultationis, quæ in hac ſynodali congregatione fieri præſtolamur. Et hæc ſub triplici concluſione proſequemur.

Prima ergo concluſio eſt, quod *hæc ſacra ſynodus congregetur ad correctionem & reformationem Eccleſiaſticæ deformitatis.* Ut merito nobis dici poſſit illud Ezechielis: *Pro eo, quod verſi eſtis in ſcoriam, congregabo vos & conflabo, & ſuccendam*

vos.

vos igne furoris mei, id eſt Zelo fervoris divini.

O utinam hoc igne, hoc Zelo, hoc divino fervore ita nos conflare & ſuccendere dignetur Spiritus S. *ut* ſuâ gratia mediante *Eccleſiam, quæ à puritate ſui primitivi decoris verſa eſt in ſcoriam multiplicis deformitatis, purgare & reformare valeamus.*

Neceſſaria Eccleſiæ reformatio.

Heu, heu, quam *neceſſaria* ſit, & jamdudum fuerit iſta *Eccleſiæ reformatio, magna* ejus *deformatio* inſinuat, de qua *Bernhardus ſermone XXXIII. ſuper Cantica* lamentabiliter conquerendo dicebat: *Serpit hodie putrida tabes per omne corpus Eccleſiæ, & quo latius, eo deſperatius, eoque periculoſius, quo interius.* Et multis interpoſitis ſubdit: *Olim de Eccleſia prædictum eſt, & nunc tempus impletionis advenit: Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Amara prius in nece martyrum, amarior poſt in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Non fugare, non fugere eos poteſt. Inteſtina ergo & vix ſanabilis eſt plaga Eccleſiæ, & imo in pace amaritudo ejus amariſſima. Sed, in qua pace? Et pax eſt, & non eſt pax. Pax à paganis, pax ab hæreticis, ſed non profecto pax à filiis. Unde vox ejus eſt plangentis in tempore iſto: Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me. Spreverunt & maculaverunt me turpi vita, turpi quæſtu, turpi commercio, negotio denique perambulante in tenebris.* Heu, heu & iterum heu, ſi hæc dicebat ille tempore ſuo, quid jam dicere poſſumus tempore noſtro, cum illi *mali mores* ex tunc ſemper *creverint* & proceſſerint ad pejores. Hinc præſcitem Eccleſiæ perſecutionem, hinc horrendam monſtruoſi hujus ſchismatis diviſionem, hinc ſubtractionem obedientiæ ab Eccleſia Romana, aliaque ſcandala plura ſecutura ex tunc quidem oculo ſpiritualis intelligentiæ præviderunt, ſicut patet ex ſcriptis venerabilis Abbatis *Joachim* & *Sanctæ Hildegardis*, quorum non eſt autoritas contemnenda.

Augurium malorum, quæ ex reformationis neglectu oritura.

Si ergo contra hæc mala *hac ſacra ſynodus* non providerit *remedia* congrua, audacter affirmo, quod poſt tam horrendas coruſcationes, quas videmus, horribiliora ſequentur tonitrua.

Impenſum deſiderium reformationis.

Utinam igitur, *utinam horum malorum reformatio fiat.* Utinam *ad expurgandam Eccleſiæ ſcoriam* accendatur in nobis ignis boni furoris, id eſt, zelus divini fervoris. Ut impleatur, quod præmemoratus *Ezechiel* Propheta ſubjunxit: *Et conflabimini, ſicut conflatur argentum in medio fornacis*, id eſt, ſicut purgatur argentum in fornace, non ſolum exterius, ſed interius & in omni parte, ut *non* ſit *ficta* vel ſimulatoria, *ſed perfecta* & vera *purgatio.*

Zelus reformandi Eccleſiam eſt a Deo expetendus.

Hoc autem fieri non poterit, niſi Chriſtus afflatu ſuo nos inflammet in fornace *charitatis*, & ardere faciat igne ſuo, videlicet *zelo ardentis fervoris, vitiorum ſcoriam expurgantis*, de quo ipſe ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut ardeat.* Et hæc de prima concluſione.

Unio Eccleſiæ in Concilio Conſt. reſtauranda.

Secunda concluſio eſt, quod *hæc ſancta ſynodus congregetur* ad reordinationem & *reintegrationem pacificæ unitatis.* Ut de nobis verificetur, quod in Evangelio legitur: *Erant diſcipuli pariter congregati, quando venit & ſtetit Jeſus in medio eorum, & quando ait eis, pax vobis.*

O utinam *in medio hujus ſynodalis congregationis ita* venire & perſeveranter ſtare dignetur ſalvator Jeſus, ut ſua præſentia nobis *Eccleſiaſticam* afferat *pacem, & pacificam unitatem!* Utinam ad hanc reordinandam & reintegrandam ſic nobis ſecum cooperari concedat, ut noſtri laboris fructum univerſitas Chriſtiana ſentiat. Hoc itaque labore nullus eſſe poteſt fructuoſior, hoc fructu nullus ſentiri poteſt ſuavior. Nec his pacis laudibus diutius oportet inſiſtere, cum talibus ſcripturæ plenæ ſint nobis non ignotis.

Sed *in tanti boni perſecutione noſtram decet negligentiam arguere*, noſtram pigritiam excitare. Nimis enim hoc in negotio temnimus, nimis huc usque quievimus, nimis obdormivimus. *Exſurgendum tandem eſt*, & data nunc oportunitate & occaſione cœlitus exhibita, ad hoc tam arduum, & Eccleſiæ Dei tam neceſſarium virtutis opus efficaciter aſſurgendum. Et quia, *ubi*

inten-

intenderis ingenium, valet, ut ait Comicus, ideo omnes hic ingenii vires impendamus, totis conatibus incumbamus, rumpamus moras, tollamus dilationes, & pacem hanc tam utilem modis omnibus & viis rationalibus fine debito terminemus.

Ad hunc vero finem obtinendum hanc concluſionem audacter affirmo, quod *in hoc concilio nulla via poſſibilis* erit *repellenda*, ſeu penitus reprobanda, niſi quæ probabitur eſſe juri naturali ſeu divino contraria. Nam ad illud jus neceſſario recurrendum eſt, ubi jura non providerunt humana. Et hæc de ſecunda concluſione ſufficiant.

Providendum in Concilio Conſt. adverſus futura Eccleſiæ damna corruptionẽque novã. Remediũ adverſus futura Eccleſiæ mala quæſitum in Conſt. Concilio.

Tertia concluſio eſt, quod hæc ſancta ſynodus congregetur *ad proviſionem & evitationem futuræ maleficæ pravitatis*. Ut convenienter hic aptari videantur verba, quæ Moſes in Deuteronomio loquitur: *Congregate ad me omnes majores natu per tribus veſtras, atque doctores, & invocabo contra eos cælum & terram. Novi enim, quod poſt mortem meam inique agetis, & occurrent vobis mala in extremo tempore.* Quo Moſis exemplo docemur, quod ad hoc *ſynodaliter congregemur*, ut non ſolum *præterita mala corrigere*, aut *præſentia reordinare* debeamus; ſed etiam, ut *contra futura providere*, & ea, quantum in nobis eſt, *in* noſtris *poſteris evitare* curemus.

O utinam majores natu, utinam Eccleſiæ paſtores & doctores *hic congregati*, & hoc exemplo admoniti diligenter attendant hominum pronitatem ad malitiæ pravitatem. Utinam vigilanter ſic *futura mala prævideant*, ut contra ea utiliter *provideant*. Utinam in præſenti talem adhibeant *proviſionem*, quæ in futuro debitam habeat *executionem*. Quia parum eſt, *jura condere*, niſi ſint, qui ea poſſint & velint *conſervare*.

Præcavendum, ſed & exequendũ.

Hic vero unum quod ad præſens propoſitum maxime pertinet, ſingulariter admoneo: ut *in ſacra ſynodo talis proviſio* fiat, *ut per eam* hoc horrendum *ſchiſma cito finem capiat*, ipſoque finito in poſterum *ex cauſis ſimilibus ſimile* fieri non contingat.

Unde, cum nunquam ſimile fuiſſe legatur, diligenter conſiderandæ ſunt *principales radices*, & *radicales* ejus *cauſæ*, ſeu *occaſiones*. Et contra eas, ne in futurum ſimiles orirentur, per ſynodalia decreta eſſent convenientia remedia providenda, *exemplo ſanctorum patrum*, quorum ſequi debemus veſtigia, qui *in conciliis generalibus* contra præcedentia ſchiſmata futura remedia leguntur ſtatuiſſe. De qua materia plenius alibi tetigi, ſed hic tranſeo brevitatis gratia. Et hæc de tertia concluſione ſufficiant.

Sic ergo ſub concluſione triplici breviter & ſummatim ea tetigimus, propter quæ hic ſynodaliter congregamur.

Magna [illegible] Co[illegible] Co[illegible]ant.

Sed circa illa *quantum autoritatis habeat hæc ſacra ſynodus*, non videtur utile omnino ſilentio præterire. Sciendum eſt igitur, quod in cœlo cum ſole & luna ſint & aliæ *ſtellæ*, non ſolum ut eis aſſiſtant, ſed etiam, ut *cum eis influant*. Non enim tantummodo ſoli & lunæ, ſed cæteris ſtellis, imo generaliter omnibus lationibus ſuperioribus ſubjectus eſt hic mundus inferior, ſicut Ariſtoteles ait, ut tota virtus ejus gubernetur inde. Sic in cœlo ſpirituali, *in hac* videlicet *generali Synodo*, quæ tanta ſtellarum varietate, variaque venuſtate coruſcat, cum ſole & luna congregatæ ſunt ſtellæ hujusmodi, non ſolum ut ſoli & lunæ, id eſt, *ſummo Pontifici aſſiſtendo* eidem ſe obedientes exhibeant, ſed etiam ut *cum eo ſua virtute multiplici influendo* circa ea, *quæ hic agenda ſunt, ſpeciali autoritate concurrant*.

Omnes [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] rant.

Ad hæc autem tripliciter concurrere dignoſcuntur. Primo *ad dubia conſulendum*. Secundo *ad conſultata decernendum*. Tertio *ad decreta exequendum*.

Conſulen[illegible]. Decer[illegible]. Exequendo.

Hæc autem non ſolum *humano*, ſed etiam *divino jure* probantur. Nam *in antiquis conciliis* & maxime approbatis hujuſcemodi verba leguntur: *Placuit ſancto concilio*, vel *concilium definivit*, vel *ſtatuit ſanctum concilium*. Papa etiam quandoque dicit: *Autoritate concilii & conſenſu* definitum eſt.

Exempl[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Hæc autem, aliaque multa ſimilia

a divi-

a divino jure ortum habent. Nam *in primo concilio Hieroſolymis celebrato*, de quo in actibus Apoſtolorum legitur, Jacobus præſente Petro protulit ſententiam, ubi non ait: *Placuit Petro*, ſed, *placuit nobis collectis in unum*. Et ſequitur: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.*

Autoritas decernendi [illegible] *competit ſoli Pontifici, ſed toti Concilio.* Ex quibus patet, quod *autoritas decernendi & definiendi non ſit attribuenda ſoli Pontifici, ſed toti concilio generali.*

Adulantur Pon- Unde manifeſte reprobatur error quorundam pernicioſiſſimus, & toti Eccleſiæ periculoſiſſimus, qui *adulando poteſtati Papali, ita detrahunt autoritati ſacri concilii*, ut dicere præſumant, quod Papa non habeat neceſſario ſequi deliberationem concilii, imo ſtandum ſit ſententiæ Papæ, ſi Eccleſiæ vel concilio generali contradicat: *Falſum colorem* ſui erroris aſſumentes ex *Decretal. lib. 1. tit. 6. cap. IV.* & quibusdam aliis *jurium* [illegible] *poſitivi*, utique *male intellectis, & pejus* [illegible] *contra jus naturale & divinum, in Eccleſiæ* [illegible] *præjudicium introductis*, ſicut hæc omnia [illegible] plenius alibi declaravi.

[illegible] *hunt.*

Sed de his prolixius diſcutere temporis anguſtia non permittit, nec hic intendendum diſputationi, ſed magis orationi inſtandum eſt.

Oremus igitur, & a Domino humiliter poſtulemus, ut *in hac ſacra ſynodo* ſol, luna, & ſtellæ *concorditer* influant, & nobis cunctisque fidelibus in eis ſigna lætitiæ & jucunditatis appareant, nec ſolum ſigna, ſed ſignorum *ſalutares effectus*, ſuæque multiplicis influentiæ virtutes jugiter impendant. Quod ipſe præſtare dignetur, qui ſupra ſolem, lunam, & ſtellas in cœlis regnat, benedictus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

VITA
PETRI de ALLIACO
Cardinalis Cameracenſis,
Qui magna Concilii Conſtantienſis pars fuit.

CLariſſima, quæ *Concilii Conſtantienſis ævo* in Gallia, quin tota Eccleſia, *inque ipſo iſi hoc œcumenico Concilio*, præ ceteris effulſere in eruditorum orbe lumina, *duo* fuerunt *Academiæ Pariſienſis Cancellarii*, PETRUS de ALLIACO & JOHANNES GERSON. Nec ingenio diſpares, nec doctrina prorſus diſſimiles, qui & mentis ſagacitate, judicandi ſolertia & conſulendi peritia, pari propemodum excellerent gradu. In negotiis publicis fidus uterque, in laboribus infractus, in periculis conſtans.

Pierre d'Ailly ſive PETRUS de ALLIACO (*a*) *Gallus*, egregium

(*a*) Geminum vixiſſe eodem fere tempore in Academia Pariſienſi *Petrum de Alliaco*, quorum unus Doctor Theol. ac celebris *Academiæ Cancellarius* dudum floruerat, cum alter inter *Studioſos Grammaticos* A. 1392. & inter Philoſophiæ Studioſos A. 1396. numeraretur, teſtis eſt tabula apud *Launojum, Tom. I. Hiſt. Acad. Pariſ. p.* 99. 100. Poſterior hic Petrus de Alliaco condiſcipulum habuit Nicolaum de Gerſon, Fratrem Johannis Gerſonis, qui illo tempore Doctor Theologiæ ac magnis in Academia & Eccleſia negotiis jam inclaruerat. An vero *junior* hic *Petrus de Alliaco* cum *ſeniore* illo affinitate quadam fuerit conjun-

Patria. Natus A. 1350. gium magnarum virtutum compendium, in celebri oppido Galliæ Belgicæ (*b*) *Compiegne*, *Compendii* (*c*) *ad Iſaram*, *Oiſe*, natus. Lucem vidit, aut umbram potius lucis, ſi obſcuram Eccleſiæ illius temporis faciem ſpectes, *Anno* 1350. tredecim annis ante quam *Gerſon*, ingenii & fortunæ Alliacenæ æmulus, & individuus conſiliorum futurus comes, amoris vinculo arctiſſime per omnem vitam cum noſtro conjungendus, hunc in Campania adſpiceret orbem. Quæ eſt mirabilis providentia divina, & imperſcrutabile humani generis fatum: Sub diverſo cœlo naſci infantes, quorum hic vix uno interdum anno prior altero, futurorum ignari, occulto quaſi vinculo divinitus jam conjuncti, ad amicitiam & genii ac fortunæ conſortium cito properant ac magno veluti niſu ruunt. Quod in noſtro *Petro Alliaceno & Johanne Gerſone*, illo *Belga*, hoc *Campano*, utroque Gallo, magno Eccleſiæ commodo eventus belle oſtendit.

Parentes. *Parentibus* uſus *Petrus* noſter, ſi non generis claritate, (*d*) nominis tamen integritate & animi bonitate ac probitate inſignibus. (*e*) Quæ eſt virtutis indoles, quæ ortus ac generis præſidia ſæpe diſſimulat, ut ſua ipſius vis ac præſtantia tanto aliquando eniteat clarius,

---

junctus, nobis non conſtat. Nec cujas hic fuerit, quæque nactus ſit fata ac ſtudiorum præmia. Quem autem *Antonius Poſſevinus* juniori *Petro de Alliaco* tribuerat *librum*, *de vita S. Petri de Moreno*, *Pontificis*, *dicti Cœleſtini V.* qui Pontificatui tandem renunciavit, qui libellus à Dionyſio Fabro Priore Pariſienſium cœleſtinorum Pariſiis A. 1539. in lucem editus, ac Cardinali Petro de Alliaco ab illo adſcriptus erat, hunc juniori denegat, noſtroque huic *Seniori Petro de Alliaco* vindicat *Launojus Tom. II. f.* 478. & *Warthon*, *in Append. Hiſtor. Liter. Cave*, *fol.* 71.

(*b*) Quod ex *Belgio* vitam traxerit noſter, vel quod parentes ex urbe Lotharingiæ *Aille*, *Alliaco*, orti: Anſam videtur dediſſe *Raphaëli Volaterrano*, Anthropologiæ lib. 21. f. 247. indeq; *Geſnero* in Biblioth. nec non *Andreæ Theveto*, memorante *Launojo*, *in Hiſtoria Academiæ Pariſienſis*, *p.* 467. ut Alemannum vel *Germanum* fuiſſe *Petrum Alliacum* dicerent. Sicut & *Pantaleon* in *Proſopographia* Alliacum noſtrum inter viros Germaniæ Illuſtres numerat. Satis magna Germanorum gloria, quod frequentem *ad Germanos legationem* Pontificum nomine ſubierit, varia ſcripta ſub cœlo Germanico exaraverit, pro gloria ac majeſtate imperii Romano-Germanici ſtrenue pugnaverit, *vitam* denique in poſtrema ad Germanos Papali legatione *in Germania inferiori finiverit*.

(*c*) Hanc ſuam *patriam* eo ſemper proſecutus eſt amore, ut morti proximus Teſtamento certam auri ſummam *Eccleſiis Compendienſibus* legaret, ut pro ſe juſta facerent. Nec non pro xenodochiis & Leproſoriis Compenſienſibus æque ac Cameracenſibus certam ſummam legavit.

(*d*) Non omnino opulentam ſed tenuem fuiſſe familiam, nec in Teſtamento dememiniſſe potuit, quando partem bonorum ſuorum legavit pro elocandis *pauperibus juvenculis*, *præſertim de genere ſuo.* Sicut & conſangvineis proximis certam opum partem deſtinavit.

(*e*) Honeſtam tamen in ampla civitate fuiſſe domum, in qua natus noſter, apparet ex eo, quod *parentes noſtri* Alliaceni *publicam meruerint* Compendii in Eccleſia B. Antonii *memoriam* ex inſigni Epitaphio, quo *uterque parens effigiatus*, in quorum medio conſtitutus *filius* hic *Petrus* Cardinalitio veſtitu indutus. Quod magnum familiæ decus.

Digitized by Google

clarius, quanto obſcurius primum initium apparuerat, ab omni fortunæ adjumento alienum. Eam certe *virtus in Petro* occultaverat nominis gloriam, quæ omnis dignitatis ſacræ apicem, uno ſummi Pontificatus gradu excepto, non attingeret, ſed ſuperaret. Quippe dum ex illo Profeſſorem Academicum, Theologum Doctorem, Regium Confeſſionarium, magnum Eleemoſynarium, Academiæ Cancellarium, in Canonicorum ordine Theſaurarium, Regium Legatum, Epiſcopum, Cardinalem, & in magno Chriſtiani orbis Concilio illuſtrem ſeſſionum præſidem, tantum non Papam, occulta paravit virtus.

Incidit ſane in *tempora nebuloſa*, ac turbinibus variis partim repleta, partim triſtiſſimis Eccleſiæ & reipublicæ univerſique Chriſtiani orbis motibus quaſſanda. Sedem tunc temporis per quadraginta quinque annos in Gallia jam habuerant Pontifices ſummi. In his *Johannes XXII. Ludovici Bavari Imperatoris infenſiſſimus hoſtis*, inter varia certamina Imperatorem excommunicationis fulminibus petierat, ſibique in Imperatorem jus omne arrogaverat. Quæ tamen *Imperatoris Jura* Papæ dignitate ſuperiora, prolixo ſcripto inter alios vindicaverat *Marſilius Patavinus*, *A.* 1324 edito ſuo *Defenſore pacis, ad Imperatorem Ludovicum Bavarum.* Donec Ludovico hoc Bavaro adhuc vivo *Carolus IV. Imperator* conſtitueretur. *Hoc* igitur vix ad Imperium evecto, Philippo Rege hoc anno defuncto, electoque *Johanne* Rege Galliæ, *Clemente VI* Pontifice Avinionenſi, cum *in Romano-Germanico Imperio triſtis* eſſet *facies*, & in Papali regimine ad diſſidia res omnis inclinaret: In hos mundi turbines projectus aut detruſus noſter Alliacenus, qui & majores tempeſtates eſſet experturus. Ut plane videretur hic noſter Petrus de Alliaco hoc fine mundo datus, ut opem tandem laboranti ferret Eccleſiæ, Gerſonis adjutus conſilio atque auxilio.

Fata illius temporis.

Puer prævidere non poterat trium Pontificum ſummorum diſſidia, non infinitas Eccleſiæ maculas, non corruptionem univerſi ſtatus Eccleſiaſtici: Sed experiebatur hæc omnia cum dolore *adultus* & publicæ rei ſacræ gubernandæ admotus. Latebant in puero magnorum ſpirituum igniculi, qui liberalium artium ſtudiis alendi, inflammandi atque eliciendi erant.

Bona indoles.

Bonis itaque *literis* pro illius ſeculi fortuna *imbutus*, ingenii vivacitate hoc conſecutus mox eſt, ut ad *Academiam Pariſienſem* mature ablegaretur. Videtur autem *ante annum ætatis vigeſimum* eò perveniſſe, ut aliquot annis humaniora ſtudia pro illius ſeculi genio pertractare & philoſophicas ſcientias excolere poſſet, antequam ad Theologica, ut iſto tempore erant formata, rimanda admitteretur.

Educatio.

Ad Academiā Pariſienſem ablegatus.

A. 1369. *Annorum XIX.* vidit, ex voluntate Regis Caroli ac conſenſu totius Academiæ Pariſienſis decerni ac introduci, ut in Collegio Navarrenſi ſingulis annis in feſto Ludovici publica oratio haberetur. Quod dicendi illo die feſtivo munus ipſe noſter Alliacenus quoque ſequentibus annis obiit.

Circa Annum 1372, *annos fere natus* 22. beneficio regio in ſtudio-

Digitized by Google

In Convictorii Regium receptus.

diorum ſubſidium affectus, *in laudatum Navarrenſe collegium ſeu convictorium receptus,* ſtipendiarius regius audivit. (*f*)

In quo Regio Collegio locum ſtatim *inter Theologiæ Candidatos* impetravit, *Collegii* tunc *Rectore* ac Præſide *Simone Freron*: Inſcius, ſe luculentam hanc in hoc Collegio præſidendi ac gubernandi ſupremam ſpartam aliquando conſecuturum.

Fuit in Academia Procurator Nationis Gallicæ.

Nationis Gallicæ in Academia Pariſienſi inſigne *Procuratoris officium* hoc geſſit tempore. (*g*) Quod arguit, inter Studioſos non novitios ſed ſeniores eum jam fuiſſe tunc numeratum, qui mature Academiam ſalutaſſet.

Celebritatibus Academicis interfuit.

A. 1373. Magnæ feſtivitatis in Navarrenſi ſuo Collegio *ſpectator* & *pars* fuit, quando Petrus Nivernenſis Epiſcopus, Regis Confeſſionarius, ac illo nomine ſupremus Collegii illius Gubernator, feſtum laudatum B. Ludovici celebravit, Miſſas & ſacra fecit, ædemque ſeu Capellam iſtius Collegii ſolenniſſime dedicavit, Johanne Nannetenſi Epiſcopo concionem habente. Initiata quoque ac *dedicata* tunc in iſta Eccleſia *quinque altaria* variiſque pro more *reliquiis dotata*, præſentibus legatis regiis, Academiæ proceribus, omnique Academicorum civium cœtu: Cum totius illius *Collegii Magiſter* aut Rector Theologus eſſet *Simon Freron*, Artiſtarum Magiſter in illo Collegio *Michaël de Crenejo*, & Magiſter Grammaticorum in eodem Collegio *Guido Guerini*.

Philoſophiæ Magiſter creatus.

Supremum in Philoſophia gradum, quem communi tunc inter Theologos, JCtos, Medicos, & Philoſophos, promotos, *Magiſterii* nomine appellabant, quin his annis more Academico jam fuerit conſecutus, nullum eſt dubium. Eum enim in Philoſophicis apparatum jam collegerat, ut alios hæc *docere* & poſſet & contenderet.

Scriptis Philoſophicis inclareſcere cœpit.

Scriptis quoque *philoſophicis* partam ſuam in hoc genere eruditionem publice ſtatim declarare cœpit, *viginti quatuor annorum juvenis*. His enim annis *Logicæ* diſciplinæ partes commentariis illuſtravit. *Phyſicæ* & *Aſtronomiæ* ſtudia multis ſcriptis explicavit. Ut *docendo ſcribendoque* in Academia ſe Philoſophiæ illa ætate receptæ peritum teſtaretur, & ad publica Academiæ commoda ſe natum ſubindicaret. (*h*)

Feſta Academica nõ neglexit.

A. 1374. Novum Præſentationis B. Mariæ virginis feſtum, in Gallicanas Eccleſias introducendum, juſſu Gallorum Regis Caroli V. primo omnium in hoc Navarrenſi Collegio ædeque ejus ſacra celebrari *d.* 21. *Nov.* vidit noſter.

In-

(*f*) *Launojus Conſtantienſis in Hiſtor. Acad. Pariſienſ. Illuſtrata, Tomo II. lib.* 1. *cap.* 4. *fol.* 467.

(*g*) Launojus *l. c.*

(*h*) Launojus *l. c. Tunc varios*, ait, *de Conceptibus & Dialecticæ terminis elucubravit Commentarios, quibus ſe in Nominalium ordinem congregavit, & ſummorum philoſophorum ſectam communivit. Animam præſertim, ejus facultates, & Meterologica ita ſuis aperuit lucubrationibus, ut nihil eſſe poſſit vel ad inveniendum felicius, vel ad intelligendum facilius, vel ad diſputandum acutius.*

In *Theologico* quoque *foro* hos interea profectus fecerat, ut *Anno* 1375. *ætatis* 25. *Theologica docere* Academico more occiperet, Scholaſticæ Theologiæ peritiſſimus, Collegiis inter Studioſos inſtitutis. (*i*) Ex quo fit veroſimile, eum non ſolum *Baccalaurei* in Theologia ſed & *Licentiati* characteres jam obtinuiſſe, ſine quibus Theologica docendi facultas in Academiis non indulgeri ſolebat. Ex quo factum, juxta Collegii vel Communitatis leges, ut Domum illam regiam ſeu Convictorium linqueret, *beneficiumve* quo hactenus uſus, *dimitteret*, quod à *promotis Theologiæ Licentiatis* in iſthoc Collegio præſtandum erat. Unde *alia* ex ſtudiis Academicisque Collegiis atque functionibus *vitæ ac ſtudiorum præſidia* quærere neceſſe fuit. *Theologica docere cœpit. Theologiæ Baccalaureus ac Licenciatus.*

His igitur annis, clericali ſtatui ſe conſecraturus, *Subdiaconus* factus, *ſermones publicos è cathedra & ſuggeſtu* frequentes habuit, ſupremo in Theologia gradui & magnis functionibus Academicis proximus. *Clericus factus. Subdiaconus.*

Ea jam erat autoritate Magiſter Alliacenus, ut *ad Synodum Ambianenſem evocaretur*, frequenterque ibi *pro concione dicendi munus* obiret. Quod ſingulare in Alliaceno noſtro habetur gloriæ & fortunæ allucentis momentum, quod, cum *Subdiaconus* ſolùm eſſet, rariſſimo exemplo, Presbyteros ad Dei cultum & pietatem informaret, quod non niſi magnis competeret viris. (*k*) *Orationes ſolennes habuit.*

A. 1377. Cum per quinquennium ſolenniter in Collegio jam eſſet memoratum B. Ludovici Gallorum Regis feſtum celebratum, hoc anno partem eſt indeptus in publicis illius celebritatis actibus. Cum enim Joannes ſeu Raimundus Abbas S. Columbæ Miſſarum S. Ludovici & concionis officium præſtitiſſet, noſter Alliacenus ***orationem latinam in laudem Ludovici*** publice habuit, juxta noviſſimæ fundationis leges. (*l*)

Hoc tempore, cum natus eſſet noſter 27. annos, doctrina jam clarus, in Academiam adventare, & in idem Navarrenſe Collegium inter bonarum artium Studioſos adoleſcentem *Gerſonem* recipi vidit. Ut animus jam præſagire videretur, hunc eſſe illum, qui ut ingenii & doctrinæ fortunæque æmulus. ita & fidiſſimus aliquando conſiliorum ſocius integerrimusque amicus futurus.

Hac tempeſtate de arduis quoque *Aſtrologiæ* momentis ſcripſiſſe fer- *Aſtrologiam excoluit.*

(*i*) Launojus Tom. II. l. c. *An.* 1375. *cœpit Magiſtri Sententias legere, & ſubtilibus & plenis Commentariis illuſtrare. Hos diceres ab antiquiſſimo & perfectiſſimo Profeſſore elaboratos.* Habentur hi illius Loci aut Commentarii *Theologici* in operibus ejus, quæ *Argentinæ A.* 1490. lucem viderunt, Tomo II.

(*k*) Launojus l. c. *Ambianum evocatus in Synodo concionatur, & cum Hypodiaconus tantum eſſet, rariſſimo exemplo, quod non niſi magnis debetur hominibus, Presbyteros ad Dei cultum & pietatem informat.*

(*l*) Launojus *Tomo I. f.* 80. *Anno* 1377. *Joannes ſeu Raimundus Abbas ſanctæ Columbæ peregit S. Ludovici officium & concionem inſtituit: Petrus Alliacus collationem fecit.*

ſe fertur. (*m*) Cujus ſtudii amantiſſimus fuit, utpote quod nec ante finem fere vitæ deſereret, quin cupide ſemper excoleret atque ornaret. (*n*)

Doctor Theologiæ creatus. Abunde his annis declaravit, quas à Deo conſecutus eſſet *ingenii dotes*, quam ſibi paraſſet *eruditionis copiam*, qua polleret *judicii bonitate*, quam obtinuiſſet præclaram *agendi docendique facultatem*. Quapropter *A.* 1380. 3. *Id. Apr.* cum *trigeſimum ætatis annum* ageret, ſummos in Theologia honores in Academia Pariſienſi eſt indeptus, *Doctoris* aut *Magiſtri Theologiæ* charactere ornatus.

Scripturã S. impenſe amavit. Theologiæ Scholaſticæ addictus, illum *erga Scripturam S. amorem* ſemper præ ſe tulit, ut *in Theologo* impenſior vix quæreretur. Quare in ipſa promotione ſua, cum Doctoris Theologi ornaretur charactere, *orationem* habuit *in laudem ſtudii ſacræ Scripturæ*.

Oratio ejs inauguralis de Scriptura Sacra. Habetur hæc *Oratio Inauguralis Alliaci Tomo II. Operum*, *Argent.* 1490. In qua cum hæc explicaſſet verba: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam*, monuiſſetque, literaliter hæc de Chriſto intelligenda, non de *Petro*, idque confirmaſſet conſenſu Auguſtini, addita ratione, quod Petrus ejusque ſucceſſores ob infirmitatem carnis fundamentum Eccleſiæ eſſe nequeant: Applicavit tandem illud dictum in Scripturam ſacram, utpote ſolidiſſimum ſalutis principium.

Disputatio inauguralis de Eccleſia. *Diſputatio* quoque *Inauguralis* Alliaceni noſtri, *An Eccleſia lege reguletur*, & *utrum Petri Eccleſia fide confirmetur*, conſervata eſt *Tom. II. operum ejus.*

Ardua hæc *Diſputationis Inauguralis* materia *de Eccleſia*, eum ſentiendi judicandique candorem, ſed & ſingularem παῤῥησίαν refert, qualem in illa ætate admireris. Diſtinguit inter Eccleſiam univerſalem & inter Eccleſiam Romanam, quæ ſit particularis Eccleſia. Neque univerſalem Eccleſiam dici poſſe Romanam niſi improprie, quatenus fidem Apoſtolicam Romanis olim prædicatam teneat. Eccleſiam poſſe manere ſalvam, etiamſi Ro. Eccleſia prorſus à fide abiret. Romanam Eccleſiam non eſſe caput aliarum. Pontificem ſummum alium eſſe poſſe quam Romanum, ut Pontificatus ſummus

(*m*) Launojus Tom.II. f. 468. *Sub illud tempus de momentis Aſtrologiæ quædam opera compoſuit, quæ Paulus Semproniensis Epiſcopus libro 18. de recta Paſchatis celebratione cap. 1. mirum in modum comprobavit. De hac, inquit, Stella Magorum ſcripſerunt viri in Chriſtiana religione doctiſſimi, Albertus Magnus ac Petrus Alliacenſis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis.*

(*n*) Id quod teſtatur ſtudium Alliaci, in ipſo Concilio Conſtantienſi *publico ſcripto* declaratum, *pro Calendarii emendatione*. Cujus *MSCtum* in *Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi* cum aliis Alliacenis aſſervatur. Ut evaneſcat ſcrupulus *Voſſii*, *lib. De ſcientiis Mathematicis p.* 229. hoc colore, quod nec Bellarminus nec Poſſevinus hoc ſcriptum allegent. Multa enim antiquorum ſcripta in noſtrâm usque ætatem delituerunt. Quod multis Alliacenis contigit. Sunt tamen, ut Sixtus Senenſis, Bellarminus, Voſſius, qui exceſſiſſe plane Alliacum in hoc ſtudiorum genere velint, quorum reprehenſionem non effugit. Verba quorundam congeſſit *Thomas Pope Blount*, in *Cenſura celebriorum Autorum*, *f.* 314.

Digitized by Google

mus & Pontificatus Romanus ſint diſtincti. Quod in Scriptura promittitur, Eccleſiam perſeveraturam aut duraturam in fide usque ad finem mundi, nec de Romana, nec de ulla certa particulari eſſe intelligendum, ſed de univerſali Eccleſia. Quæ profecto magna fuit dicendi libertas, in novo Doctore Theologo jam prodita, quæ cum annis vires ſumeret, & in ſummum Cardinalatus apicem tandem transferretur.

A. 1381. Cum Simon Frero, hactenus Collegii vel Domus Regiæ Magiſter, Theologiæ Profeſſor, factus Pariſienſis eſſet Canonicus, hoc Domus Magiſterium aut Directorium, etſi retinere mallet, linquere ex fundationis legibus debuit, quibus cautum, ut cedat domus Magiſter aut Præſes vel Rector, ſi aliud officium parium vel majorum redituum nanciſcatur. Succeſſorem itaque Freronis in iſthac Collegii Præfectura *Johannem Laurentium Chavangium*, *Theologiæ Doctorem* conſtitui conſpexit, hujus paulo poſt ſucceſſor in hoc officio futurus noſter Alliacenus.

Eodem anno, 13. *Cal. Jun.* majori indies in Academia & Eccleſia auctus autoritate, Theologiæ doctoris inſigni jam ſtipatus, *coram Duce Andegavenſi* ponderoſam habuit *orationem de Concilio Univerſali*, quo ad Eccleſiæ ſalutem conſervandam & Pontificum Urbani & Clementis diſſidia abolenda, quam maxime opus eſſet, ex ſententia Academiæ Pariſienſis. *In re omnium graviſſima*, ait Launojus, *juvenis Doctor id obiit munus, quo longævus alter vix potuiſſet bene feliciterque defungi.*

Orationē habuit de Concilio Univerſali.

Eodem anno ſuæ fortunæ incrementa, vitæve præſidia apta quærens, *ex Academia Pariſienſi emigravit*, *Noviodunum Belgarum* petens. Factus hic Eccleſiæ *Canonicus*, ſuum ibi fecit officium.

Canonicus factus.

A. 1384. *triginta & quatuor annorum*, ad Pariſienſem Academiam revocatus, *Regii* illius *Navarrenſis collegii*, in quo multis annis erat informatus, atque illius ope honores Academicos varios conſecutus, *Rector* ac Præſes, ſeu *Domus Magiſter*, *Theologiæ Profeſſor*, tandem eſt conſtitutus, Chavangii ſucceſſor. (*o*)

Profeſſor Theologiæ conſtitutus.

Auditores tunc nactus eſt inter alios in Collegio iſthoc Navarrenſi, Theologiæ Candidatos, juvenem *Johannem Gerſonem* & *Nicolaum de Clemangiis*, (*p*) Collegii ſocios, mox clariſſimos Academiæ Profeſſores, Doctores, Collegas, magnaque Eccleſiæ vacillantis præſidia.

Ad

(*o*) *Launojus* Tom. I. f. 81. *Petrus Alliacus cum impleret annum ætatis triceſimum, Theologicam lauream adeptus eſt A.* 1480. *& quadriennio poſt Regiæ domus Præfecturam, in quo plurimum enituit, ſive cum ad Regem, ſive cum ad Pontificem orator mitteretur, ſive cum ad Collegii cuſtodiam advigilaret.*

(*p*) Accenſet Alliaci auditoribus & *Ægidium Campenſem Launojus, Tom. II. f.* 468. Quod tamen non ſit veroſimile: Cum eodem anno, quo Alliacus Theologiæ Profeſſor & Regiæ Domus ſeu Collegii Navarrici Rector conſtitutus, A. 1484. *Ægidius de Campis*, ſ. Campenſis, ſummos jam in Theologia honores ſit conſecutus, *Theologiæ Magiſter* aut *Doctor* declaratus, ipſo Launojo teſte, Tom. I. f. 98.

Convictorium reformavit.

Ad hoc Navarrenſis Collegii Directorium promotus, ſuam mox ſollicitudinem, vigilantiam ac ſagacitatem abunde probavit, quando *novas Collegii iſtius aut Convictorii Regii regulas* ac *reformationis inſtar* priorum emendationem paravit. (*q*)

Theologicæ facultatis cauſam egit apud Papam.

A. 1387. *cum annum ageret* 37. Facultas Theologica, cujus pars erat noſter Alliacenſis, *cum Joanne Monteſono, Theologo Prædicatorum ordinis, controverſiam* nacta, *de B. Virginis Mariæ conceptione*: Cum Monteſonus à recepta Facultatis Theologicæ Pariſienſis Academiæ ſententia hac in re diſceſſiſſet, condemnarat Academia Monteſonum, ſuæ receptæ opinioni inhærens. Monteſonus ad *Papam*, Avenioni tunc ſedentem, *Clementem VII.* appellarat.

Hunc itaq; ad Papam ab Academiæ decreto appellantem noſter *Alliacenus* cum aliis perſecutus eſt. Hic *Petrus noſter Alliacenſis coram Papa & Cardinalibus cauſam Facultatis Theologicæ contra Monteſonum Avinioni* legatus *agens*, dicendo ac ſcribendo ita ſe geſſit, ut Monteſonus cauſa caderet, & Alliacus à Papa & Cardinalibus calculum ac pro Theologorum Pariſienſium decreto faventiſſimam ſententiam referret. Quare Academiæ & Papæ decretis non acquieturus Monteſonus, in Arragoniam aufugit, unde ortus erat. In hac legatione ad Papam, *Comitem* Alliacus inter alios habuit *Gerſonem* tunc Theologiæ *Baccalaureum*, teſte ipſo Gerſone in epiſtola ad Collegium Navarrenſe, *Tom. I operum Gerſonis f. XVIII. lit. Z. edit.* 1494. Alliaci *orationes & tractatus in hac cauſa conſcriptos* inter MSCta Regiæ Navarræ Pariſiis aſſervari, memorat *Launojus f.* 469.

Hoc negotium, tam bene confectum, magnam Alliaceno conciliaſſe famam veroſimile omnino. Quippe quod & *ingenii celeritatem & judicii æquitatem* & *orationis promptitudinem* in illa cauſa tractanda optime demonſtrare pro genio ſeculi & poſſet & vellet. Uti ſæpe *ingenia latent*, donec occaſio apta illis prorumpendi aut ſenſim prodeundi viam monſtret. Cauſa namq; ampla & *vires ingenii & artis copias* egregie exercet, ac quid præclare lateat in apricum producit. Sicuti & multa ingenia præclara magnis ornata dotibus latent in obſcuro, quibus non contingit materia digna, qua vim ſuam exerant ac demonſtrent. Non parva igitur & in Alliaceno noſtro *fortunæ pars*, quod illam cauſam pro illius ſeculi indole tractandam acceperit, ex qua bene geſta & doctrinæ & ingenii morumque laudem reportaret, viamq; ad ampliorem fortunam ſibi ſtrueret.

Ita factum mox, ut felici fato ad *ſplendidiſſima munera ſacra aulæ Regiæ*

(*q*) Conſtitutiones œconomicas Alliacenas pro reformatione illius Convictorii, aut Stipendiatorum Regiorum in Collegio Navarrenſi, Theologiæ candidatorum, in memoriam antiquitatis legere qui diſcupit, adeat *Launojum Tom. I. f.* 81. 82. 83. Quarum inſcriptio hæc eſt: *Noverint univerſi, quod die* 23. *Sept. Anni* 1384. *factæ fuerint quadam regulæ & ordinationes & obſervantiæ per Theologos de Campania ſeu Navarra, & quemlibet eorum compromiſſæ & approbatæ, per Magiſtrum noſtrum Magiſtrum Petrum de Alliaco ac per Proviſorem collegii conſtituta & ordinata.*

Digitized by Google

Regiæ & Academiæ eveheretur. An. quippe proximo 1389. ætatis 39. impetu quaſi in eum facto majores honores cumulatim in eum devoluti.

Cancellarius.

Academiæ namque *& Eccleſiæ Cancellarius* ſolenniter *conſtitutus.*

Eleemoſynarius regius. Confeſſionarius regius.

Nec non *in Aula regia* ad utramque ſpartam venerabilem & *Eleemoſynarii Regii* (*r*) & *Confesſionarii Regii* evectus.

Sic *Academiæ* caput, & *aulæ* decus, utrobique magnis admotus negotiis. (*s*) Quæ tanta *animi conſtantia*, *fide*, ac *prudentia* confecit, ut majoribus ſemper & rebus & honoribus dignus deprehenderetur. Deſeruit itaque in Domo & Collegio Navarrenſi Præſidium ſive Rectoratum, ad *altiora munia* promotus. In quo ſuo priſtino officio *ſucceſſorem* vidit *Ægidium Campenſem*, Theologiæ Doctorem, pari honorum paſſu cum Alliacenſi incedentem, qui & cum Alliaceno Epiſcopus & Cardinalis tandem evaſit.

Canonicus Archidiaconus Cameracenſis.

A. 1391. d. 27. Maji *Eccleſiæ Cameracenſis* major *Archidiaconus* factus & in Capitulo receptus: Nondum auguratus, hanc viam fore ad Epiſcopatum, quem proxime adipiſceretur. Ut futura latent, quo virtuti amplius exercendæ relinquatur locus, ſub ſpe præmii virtute digni.

Gerſonem creavit Doctorem Theologiæ.

A. 1392. Auditorem antea ſuum, cum Domui adhuc præeſſet regiæ, *Johannem Gerſonem*, *Theologiæ Magiſtrum* aut *Doctorem* creavit, adeoque propius ſibi jam junxit, (*t*) quocum paulo poſt collegiali

(*r*) Non immemor fuit Collegii Navarrenſis ad magnam hanc dignitatem evectus. Quandoquidem effecit, ut *vini reditus* in iſthoc Convictorio Regio augerentur, *Launojo* obſervante *Tom. I. f. 84. Petrus Alliacus*, inquit, *cum circa annum 1388 factus eſſet regi ab Eleemoſinis, deſtinatam ad emendum vinum pecuniam augeri curavit.*

(*s*) Launojus Tom. II. f. 469. *Tot diverſis occupationibus par unus eſſe potuit ALLIACUS, qui parem ſuo tempore nullum habuit. Omnibus omnino anteponendus, quem comparare nemini licuit. Sic modo in ſchola, modo in aula verſatus, utriusque mores ad propria honeſtatis officia compoſuit. In ſchola cujuslibet Magiſterii lauream decernit, factioſos legum ſeveritate coërcet, emergentes errores a finibus Collegiorum exterminat, errantes cogit ad palinodiam ſubſcriptione ac profesſione veritatis. In aula regiam ſtipem inopibus ſumma integritate & prudentia diſtribuit: Qualis & quanta ſit apud Deum beneficentiæ vis atque efficacitas, omnibus & maxime principibus viris inſtillat, & demum familiarem reddit miſericordiam, quæ palatiis ignota virtus eſſe conſuevit. Caroli confesſionem frequenter excipit, ei pœnitentiam fideliter adminiſtrat, vitæ emendationem ſuggerit, haudquaquam amulatus, ceteros ad imitandum Regis exemplum invitat, & piis opuſculis fugienda eſſe vitia & colendas ex animo virtutes docet: Sed in omnibus fœdum averſatur crimen aulicæ ſervitutis.*

(*t*) Dulce hoc fatorum augurium in Gerſone notavit & *Launojus* ad A. 1392. *Tom. II. f. 481. Illuxit tempus illud, quo jactum eſt fundamentum, cui innititur mutua inter Præceptorem Alliacum & diſcipulum Gerſonem amicitia; Ut Præceptor talem diſcipulum, ſic & diſcipulus talem Præceptorem inveniſſe glorietur. Profecto conſiderata re, dici vix poteſt, uter utri plus attulerit honoris ac dignitatis.*

Gerſonem ab Alliaceno & *Licentiatum* & *Doctorem Theologiæ* creatum, ipſe notavit Gerſon in *Præf. libri de Vita Spirituali*, quem inſcripſit Alliaceno, *Tom. III. op. f. LX. lit. S.*

Sane

giali vinculo junctus amiciſſime victurus (*u*) & graviſſima Academiæ & Eccleſiæ negotia tractaturus erat.

A. 1393. Cum *Petrus de Luna* Cardinalis, Pontificatui ſummo proximus, Legatus Clementis VII. *Pariſiis ageret*, ſub Academiæ tunc Rectore Clemangio, *Legationi* tunc *ad Regem miſſæ* de unione Eccleſiæ paranda quin *interfuerit* nullum dubium. *Colloquiis* etiam cum Cardinali Petro de Luna non ſine acerbitate eo tempore habitis quin *præſens* fuerit, plane non dubitandum.

Legationē adPapam Clementē declinavit.

Invitati mox à Clemente Pontifice Avenionenſi *Petrus de Alliaco* & Ægidius Campenſis, Collegæ, qui *Avenionem* ſe conferrent, quibuscum Papa de rebus prioribus Eccleſiæ pacem concernentibus conſilia iniret. Verùm illi cautiores *ire ad Papam renuerunt*, vim aut inſidias ejus veriti.

Inſidiæ Papæ Clementis Alliaco ſtructæ.

Quæ obſequii negati cauſa eas *Petro de Alliaco* & univerſæ Academiæ creavit *moleſtias*, ut vix ac ne vix quidem ſuperandæ viderentur. (*x*) Certe hoc Pontifex ſuis corruptionibus in aula regia effecit, ut Regis animum ab Academia avertiſſe videretur. Quem delini-

Sane quod *Gerſonis* hæc *gloria* haud eſſet poſtrema, quod *Petrum de Alliaco* nactus fuiſſet *Præceptorem*, idem Alliacum Cardinalem appellaturus, communiter & *præceptorem* ſuum, magno elogio mactatum, nominavit. Ità in epiſtola quadam, Tom. III. Op. f. 71. ult. *Placuit*, inquit, *humili charitati reverendiſſimi Patris ac præceptoris mei præcipui, quem circumſpectione & diſcretione fideliſſima præditum eſſe nullus negat, qui eum cognoverit. Is eſt Cameracenſis Epiſcopus &c.* Et ſic alibi centies.

Simile *gloriæ Alliacenæ* momentum habitum apud poſteros, quod *Gerſonem* habuiſſet *auditorem*. Sicuti in titulo Operum Alliaci A. 1490. Argentinæ editorum id diſerte notatum.

(*u*) Frequens *literarum quoque fuit commercium inter Alliacenum & Gerſonem.* Quales *epiſtolæ* quædam ſervatæ in eorum operibus. Inſcripſit etiam Gerſon varia opuſcula Alliaceno. Sic inter alia etiam Gerſonis carmina eſt Alliaco ſubmiſſa *de vita miſeria*, quod ſic incipit:

Petre, quem totum phroneſis replevit,
Somnium cur non miſeram vocemus
Plurium vitam? An caret ſopore Cor vigilantum? &c.

(*x*) Petrus Puteanus Hiſtoire du ſchiſme les Papes tenans le ſiege en Avignon, p. 222. *Il y eut entre le Cardinal de Lune Legat & l'Univerſité de Paris d'aſſez facheuſes paroles. Ceux de l'Univerſité luy baillerent une propoſition aſſez rude. Luy y répondit plus rudement, & leur defendit de l'authorité Apoſtolique, de n'uſer à l'avenir de tels diſcours. Ce qui les offenſa. Le Pape ſur ce debat écrivit au Roy, le pria de luy envoyer Pierre Dailly & Gilles des Champs, Docteurs en Theologie, de tres-grand nom. Quand ils eurent avis du deſſein du Pape, il dirent librement, qu'ils n'iroient pas, craignans, qu'il ne leur fût fait injures. Par là le Pape reconnut combien les eſprits de ces Maîtres en Theologie étoient aigris, & qu'il n'y gagneroit rien, changea de deſſein, ſe tourna vers les grands, & ceux qui étoient prés du Roy, envoya gens avec de l'argent & des preſens, & tirans à luy par beaucoup d'obligation de Duc de Berry. Fut cauſe, qu'il ſe joignit avec ſon Legat de la Lune, & uni qu'ils furent firent mille peines à l'Univerſité.*

Digitized by Google

delinire magni erat laboris. Idque conſilium *Academia* in tantis periculis inire coacta, quæ *omnes ſuas functiones* tantiſper *deponeret* ac à docendo prorſus abſtineret, donec Rex votis Academiæ annuiſſet.

Ita *Petrus* etiam *de Alliaco Cancellarius*, in quem præcipua cura devoluta, *officium ſuum* interea cum ceteris *depoſuit*. Quæ profecto fata quam onerofa fuerint *Alliaceno* noſtro, utpote *Academiæ capiti*, Cancellario ac Regis Confeſſionario; haud conjectu difficile. Cum adverſus curiam ſupremam pugnare, ſit periculis plenum opus tractare. Et *fortunam* itaque & *vitam pro Academiæ ſalute* tunc *expoſuit* Alliacus. *Officium ad temps depoſuit.*

Circa A. 1394. *Capellæ regiæ* Pariſiis *Theſaurarius* factus, ſive *Collegii* illius *Canonicorum princeps*. Quam præclaram dignitatem *quadriennio* prope tenuit. Nec hoc beneficio temere ac ſine fructu publico frui fas eſſe judicavit. Quare quandam & *illius Collegii reformationem* procuravit, ut Capellani ſacra diligentius & decentius facerent. *Canonicus Pariſienſis factus.*

Defuncto hoc anno Avinioni Papæ *Clementi VII* ſuccedens *Cardinalis Petrus de Luna, Benedictus XIII.* & Academiæ & inprimis noſtro *Petro de Alliaco novas* ſimul *creavit curas* & moleſtias, ad finem usque vitæ duraturas, levi licet interdum reſpiratione & magno honoris incremento mitigatas.

Erat nempe ſtatim, antequam Petrus de Luna electus eſſet Papa, à Rege Avinionem ablegandus unà cum aliis Regiis Legatis ad Cardinalium Collegium, niſi Dux de Berri obſtitiſſet, noſtrumque ab hac *prima legatione* liberaſſet: Quando coram Rege verba faciens in Senatu, hos legatos quidem eſſe aptiſſimos huic negotio dixit, verùm, cum de Cardinalium animo conſtaret, ſe videre, legationem hanc fore feliciorem, ſi Eccleſiaſticæ perſonæ ad hanc non admitterentur, ſed civiles ſolùm, qui non niſi juſſa Regis exequerentur. Idque ſuaſit, quod Confeſſionarium Regis & Academiæ Cancellarium, Alliacum, in curia Avinionenſi non fore acceptum judicaret, utpote qui Academiæ Pariſienſis conſilia moderaretur. *A prima difficili ad Cardinales Avenionenſes legatione liberatus.*

Cum brevi electus eſſet Avinioni *d.* 28. *Sept. Petrus de Luna, Benedictus XIII.* cognominatus, hic miſſis ad Regem & Academiam Pariſienſem nunciis, pollicitus eſt, ſe pacem Eccleſiæ ſectaturum. Quod Regi & Academiæ perplacuit, qui confiderent, ex animo hoc dici. Quapropter Academia Pariſienſis *ſub moderamine Cancellarii Petri de Alliaco* ad novum hunc Papam ſine mora legatos miſit, qui ad unionem Eccleſiæ ſectandam calcaria adderent, modumque explorarent. Qui Avinioni à Papa tam benigne & comiter excepti, ac de ſollicitudine Benedicti pro ſchiſmate Papali componendo tam certi facti, ut apparebat, ut læti reverterentur Pariſios; promptamque Papatui cedendi voluntatem Benedicti nunciarent. *Legatos Academiæ ad Papam inſtruxit.*

Hæc Academiæ cum Benedicto inſtituta deliberatio, & magna cedendi ſpes facta, Regem movit, ut par negotium idque perarduum noſtro huic *Regio Confeſſionario Alliaceno* ſtatim committeret, qui *Legationem nomine Regis ad Papam ſubiit.*

Digitized by Google

qui*ſe ad Papam novum Benedictum, XIII. Avinionem conferret*, cum Papa de Eccleſiæ commodis & pace Eccleſiæ Regis nomine acturus. *Subiit* hanc *legationem. Literas à Rege ſibi commiſſas* Benedicto exhibuit, *deque Eccleſiæ tranquillitate* in illo dudum jam continuato Paparum ſchiſmate *apud Papam egit. Benedictus*, qua erat calliditate, ſimulandi artis peritiſſimus, magnum ſuum erga unionem Eccleſiaſticam affectum teſtatus, *Cancellarium noſtrum, Legatum regium, Alliacenum*, ut paulo ante alios Academiæ Legatos, tunc *vicit*, ut fidem verbis habens Pariſios reverſus de Benedicti impenſo in Eccleſiæ commoda animo teſtaretur. (*y*) Quod tantum effecit, ut ſanctior Regis Senatus hunc Benedictum pro Pontifice eſſe à Gallis agnoſcendum definiret. Regis hæc voluntas cum publicaretur, officium datum magno *Doctori Alliaceno* orationem publicam in hanc rem habendi. (*z*)

Pro Benedicto XIII orationẽ habuit in Senatu regio.

Quandoquidem ſerio hoc magnoque ſtudio jam agebat Rex, ut, cum promptus videretur Papa ad diſſidia Eccleſiaſtica componenda, ſuam etiam ad extremum ceſſionem obtuliſſet, de via diſpiceretur in curia Pariſienſi & modo finem illum quantocyus obtinendi: ideo *magnum Pariſiis* congregavit *Senatum*, curate deliberaturus de magno hoc Eccleſiæ negotio. Inter Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Religioſos & Doctores, ultra quinquaginta in Palatio præſentes, ſub præſidio Patriarchæ Alexandrini Simon de Cramault, comparuit & noſter *Alliacenus, cum ceteris legatis Regiis* & Academiæ Avinionenſis, *qui promptitudinem Benedicti ad pacem, ad cedendum etiam Papatui, publice expoſuerunt.* Ita ceſſionem urgendam eſſe, votis 87. eſt concluſum, quæſitumque, quo pacto utriusque Papæ ceſſio impetrari & effici poſſet.

Non potuit non anceps hoc negotium, *Benedicti cauſam agendi*, parere vel augere invidiam aut odium illorum, qui tam in aula quam in Academia Benedicti artes callidumque ingenium intimius perſpexerant, indeque Benedictum repudiatum malebant. Quæ occaſio utique ampla fuit æmulis, qui virtutem fortunam ac lucem Alliaci obli-

(*y*) Dupuy in Hiſtoria ſchiſmatis p. 229. *Le Roy ajant ſceu la deliberation de Benedict, luy envoya ſon Aumoniez P. D' Ailly, grand & celebre Theologien, qui eut audience, & eut pareille réponſe que l'Univerſité, continuant toujours au bon deſſein qu'il avoit à la paix de l'Egliſe. Mais baucoup croyoirent, que ce fut une feinte.*

(*z*) Launojus Tom. II. f. 470. *Carolus* [Rex] *illum* [Petrum de Alliaco] *A.* 1394 *ad Benedictum XIII. qui Clementi VII. ſucceſſerat, miſit, de ſancienda Eccleſiæ concordia tractaturum. Benedicto regis literas dedit, cum eo de pace tractavit, & reverſus Pariſios, quam bene affectus erga Eccleſiæ concordiam Benedictus videretur, expoſuit. Quibus ita conſtitutis, in ſanctiori Regis conſilio fixum ratumque fuit, denegandam non eſſe Benedicto obedientiam, ſed ei tanquam vero & legitimo Pontifici parendum. Tunc decreta eſt ſupplicatio, cui Duces Bituricenſis, Burgundus, Aurelianenſis & Borbonius interfuerunt. Rex in ea memoratam obedientiam publicari voluit, & à Doctore noſtro* (Petro de Alliaco) *concionem haberi, cujus thema fuit*, Benedictus Deus qui dedit voluntatem in cor regis.

Digitized by Google

obliquo jam ante intuerentur oculo, eum deferendi atque carpendi. Sicut virtus nunquam caret inſidiis. Individuus namque comes invidia. Huic facilis contingit detrahendi anſa. Quale *cum æmulis certamen* noſtro non defuit Alliaco, ſua virtute ad magnos honores enitenti. Quanto verò magis vellicatus ab æmulis, theoninoque dente arroſus, tanto & *virtus ejus enituit clarius*, & gloria crevit uberius, nominiſque ſplendor effulſit illuſtrius. Luculentiſſimus teſtis hujus *Alliacenæ cum invidis æmulatoribus pugnæ* eſt in ipſa hac palæſtra eodem tempore exercitatus clariſſimus atque *elegantisſimus Clemangius*, qui exemplo *magni in Alliaceno animi*, ſe adverſus ſimiles *æmulorum inſultus* munire, ſerenamque frontem ejus intuitu ſibi in adverſis conciliare ſolebat. *Petri, Eccleſiæ Pariſienſis Cancellarii*, ſcribit Clemangius ad Benedictum, *ipſa quoque inſignis virtus multa eſt improborum æmulatione ſæpe laceſſita. Quem plane alterum lumen noſtri ævi dicere non dubitaverim, quicquid de ſuo nomine detorquere maledica perverſorum lingva ſtuduerit.*

Ab æmulis laceſſitur.

Invidiam virtute & honore ſuperavit.

Quod igitur hoc tempore frequentes à Rege & Academia ad Benedictum XIII. & vicinos Reges, ut ad ceſſionem Papa invitaretur, darentur literæ, Nicolaus quoque Clemangius Benedictum ſerio & graviter ad unionem Eccleſiæ ſectandam admonens, conſilium primum *Papæ* ſuggeſſit de *Petro Alliaceno ſibi devinciendo* atque in conſiliorum conſortium trahendo. (*aa*) Qui ſane nutus hoc effeciſſe appa-

Pontifici Benedicto impenſe commendatur.

(*aa*) *Sunt*, [ſcribit Clemangius ad Benedictum Papam, ut habetur in MSCto WOLFENBUTTELENSI,] *multi bonæ voluntatis homines, & propterea pacis amici, quemadmodum cœleſte oraculum eſt: Pax in terra hominibus bonæ voluntatis, qui tibi adjutores erunt, ſeque felices ac beatos putabunt, & in hoc ſe natos gloriabuntur, ſi in hujus rei ſaluberrima agitatione aliquo tibi utili miniſterio poſſint famulari. Quorum, ut exiſtimo, operam non aſpernabere. En habes inter viros egregios virum literis eruditisſimum, fide, prudentia, probitate commendatisſimum, & Zelo unitatis Eccleſiaſticæ ardentisſimum, Petrum, Cancellarium Eccleſiæ Pariſienſis, & regiæ Francorum eleemoſynæ miniſtrum, virum itaque, ut breviter dicam, te tuisque moribus dignisſimum: Cujus ipſa quoque inſignis virtus multa eſt improborum æmulatione ſæpe laceſſita, & quem plane alterum lumen noſtri ævi dicere non dubitaverim, quicquid de ejus nomine decerpere maledica perverſorum lingua ſtuduerit. Hunc in pacis conſiliis adhibe participem, in laboribus conſortem, in negotiis omnibus adjutorem. Hunc dilige, cole, amplectere. Huic quaſi alteri tui omnia committe. Et procul dubio non falleris, nec te talem miniſtrum elegiſſe pigebit.*

Quæ *Alliaceni* noſtri, eruditiſſimi Academiæ Profeſſoris & ſolertiſſimi Cancellarii *commendatio* vehementer æmulos ejus irritaverat. Adeo ut cogeretur Clemangius tum ſe tum Alliacenum adverſus contumelias invidorum dentatas peculiari ſed elegantiſſimo vindicare ſcripto. Ex quo, ad ductum MSCti WOLFENBUTTELENSIS, *aureolas Clemangianas* pro Alliaco vindicias repetere æquum & integrum fuerit. *Ad unum venio, ait, quod multum mei cenſores contra me exaggerant. Ajunt, me in laude illius clarisſimi ornatisſimique Viri* [Petri de Alliaco] *quem circa finem epiſtolæ aliquantulum commendavi, & nimis & ſupra quam juſtum fuerat exceſſiſſe. Scire velim, amici cariſſi-*

Digitized by Google

Benedicti in Alliacenum affectio.

apparet apud Papam, ringentibus licet æmulis, ut *Petrum de Alliaco, ab Academicis turbinibus abſtractum*, muneribus majoribus ornandum, ſibique arctius devinciendum ſtatueret.

Qua-

cariſſimi, qui ita rationis virtutisque meditullium in rebus omnibus obſervandum cenſetis & minimos quosque receſſus à recti ut ita dicam centro acie ſubtiliſſima deprehenditis, unde ſit exceſſus iſte profectus, à laudatine indignitate, quem non tales tantasque promeritum volui laudibus extollere, an ab improvida mente laudatoris, à quo inconſiderate vel indiſcrete, nec juxta praſcriptam laudandi formulam laus illa effuſa eſt? An certe, quod tertium reſtat, aſſentandi ſtudio feci quod Satyricus ait, Laudat ſermonem indocti & faciem deformis amici,

Et longum invalidi collum cervicibus aquat
Herculis Anthaeum procul à tellure tenentis.

Puto, aſſentationis me vitio ex moribus abunde purgatum, quod inter univerſa alia maxime deteſtor. Quare de duobus tantum primis nobis ſermo ſupereſt. Et ſi quidem à laudata perſona tenuibus meritis nec tanta commendatione dignis exceſſus iſte oriri dicitur, prater ſpem mihi res evenit, qui non hoc pro crimine mihi objici expectabam, vel quod indignam perſonam laudaſſem, vel talem virum nimis laudare potuiſſem, quem ſatis pro ſua dignitate laudare non me poſſe credebam. Verebar quippe, laudes tanti viri ampliſſimas culpa potius mei ingenii, ſicut de Agrippa Flaccus ait, anguſte & parce laudando deterere, quam pro ſuis claris virtutibus digne exprimere. Et ſi de aliquo adverſario vel obtrectatore mihi forte aliqua incidiſſet ſuſpicio, ne illam inſignis viri laudationem velut immoderatam reprehenderet (talibus quippe laus magnorum virorum ſolet diſplicere) nunquam tamen de vobis id eſſem ſuſpicatus, qui & illum probe cognoſcitis, & niſi fallor aſtimatione etiam diligitis. Nihil eſt autem quod mihi dicatis, propter ingentem amulorum turbam, quos infeſtos habet, laudes ejus aut taceri habuiſſe aut parcius exponi. Semetipſam hac confodit ratio, in oppoſitumque quam in propoſitum magis revolvitur. Si enim complures ſunt malevoli, qui ſtimulis invidentia agitati, laudes illius obterere, nomen obfuſcare, famam ſupprimere, virtutes extenuare, gloriam extinguere, diu noctuque mendaciter non deſinunt: Quare non erunt, qui hac ipſa veridica commemoratione recenſere audeant? Qui ſincere ac fideliter zelum ejus & clara merita pradicando fictas certant evacuare criminationes. Audebunt maledici virtutis oppreſſores vipereis linguis virus ſui ſerpentini pectoris in virtutem evomere, & ſeſe ipſa tueri non audebit, & nobis ſuis illam praconiis ornare, ſuis titulis illuſtrare, vetabitur? Virtutem nimirum, amici optimi, ſi ita ſentitis, obruitis, parricidioque impiiſſimo jugulatis. Dum nudam atque inermem ſine ulla ope aut praſidio inter dira hoſtium tela relinquere vultis, undiq. in illam bellum movebitur, omni ex parte hoſtes irrumpent, furore truces, odio acerbi, impetu terribiles. Et quomodo inops auxilii inter tantos poſſit inſultus ſubſiſtere? Sane, quo tetra inimicorum cohors amplior, acrior, infeſtior eſt, hoc virtus, cui inſidiatur, in arcem ſublimem magis attolli eget. Non contractis ſecum omnibus ſuis copiis, omnibus armis atque auxiliis, ornamentis videlicet, laudibus ac titulis, quibus tanquam praſidiis ac munimentis circumvallata, hoſtium incurſationem ex alta ac tuta ſede deſpiciat? Denique ſi virum hunc egregium, cujus ſimiles anni noſtri raros habent, quos quidem viderim, imo qui noſtra nebuloſa tempora tanquam clarum aliquod ſidus illuſtrat, me laudare non vultis, quem laudari in terris dignum ducetis? Non video in literis & copia doctrina, in ſingulari & circumſpectiſſima providentia, in ſolertia mirabili, in vita honeſtate, morum gravitate, fidei integritate, in dictorum ſimul ac factorum librata moderatione, in caritate denique patria, amore Eccleſia, reipublica zelo, quem illi pralatum putem. Vos, ſi aliquem hujusmodi

Quapropter mox A. 1395. 4. *Non. Aprilis*, ab Academia & magnis ac difficillimis aulæ functionibus, Cancellariatu præcipue, eſt avocatus, atque ita ab intricatiſſimis cum Papa Benedicto in curia & Academia negotiis liberatus, *Anicienſis Epiſcopus* factus, *annos natus* 45. Gerſone facto Cancellario.

Ab Academia & magnis aulis Epiſcopus Anicienſis.

Mox *anno* 1396. 4. *Non. Junias* Eccleſiæ *Cameracenſis Epiſcopus* evaſit, Benedicti XIII. (*bb*) auxilio atq; beneficio.

Cameracenſis.

Valu-

juſmodi noſtis, exprimite & laudabimus eum. Si hæc, quæ dixi, vobis ignota ſunt, quare ante lucidam rerum inveſtigationem contra me ſententiam profertis, ignari judices? Sin autem ea falſa aſſeveratis, cum ego contra affirmem vera eſſe, non idonei profecto judices in hac controverſia eſſe poteſtis. Litem veſtram ad alios transferri atque ab aliis terminari oportuerat. Quid igitur in hac cauſa judicii tribunal tenetis? Tolluntur quotidie ad cœlum mirificis laudibus homines immeriti atque inutiles, & qui recte inter illos computari poſſunt, qui apud Horatium dicunt: Nos numerus ſumus, fruges conſumere nati. Quis ergo non videat, quam iniquum ſit, aliquem ſingularis excellentiæ ac meriti virum ſatis mediocriter & temperate nolle commendari? Reſtat, ut de me pauca loquar, quem hujus nimis honorifica, veſtro judicio, commendationis, plus quam commendati perſonam, ſicut mea quidem fert opinio, accuſare voluiſtis. Malo etenim in mei calumniam hic error refundatur quam in illius injuriam aut famæ læſionem. Quia hic ſolùm rei modus culpatur, ibi res damnatur, veritas arguitur, perſona quodammodo infamatur. Non inficior equidem facile evenire potuiſſe, ut in laudandi forma ab illa perfectione, rectitudine paucis imitabili, quam Cicero aut alius magnus orator tenuiſſet, gradum longius abscedendo, detorſerim, cum illam attingere non eſſet meum. Fateor, ſi vultis ita, inconſiderate, imprudenter, indocte, & inornate per me eſſe laudatum, dum vere tamen laudatum concedatis; Pluris enim apud me eſt veritas, inelegans etiam atque inculta, quam ornata & palliata mendaciis. Sed tamen doceri à vobis magnopere cupio, in quo tam graviter erravi aut deliqui, quo alias ſim in cavendis erroribus inſtructior. Peto ergo per vos mihi exponi ni vobis onerosum eſt, in quo tam inſcite tamque ignoranter ab artis regula & traditione deviaverim. Credideram per artem agere; Cum laus, ſecundum artis ipſius eximios præceptores, ex tribus ducatur, ex animo, ex corpore, ex rebus externis; Duobus primis omiſſis, ex quibus ſatis exigua pendet laus hominis: Quoniam nec per ſe ipſa bona ſunt, nec homini tam à ſe ipſo quam à natura vel fortuna vulgari hominum locutione proveniunt: Laudes illius ex animi potiſſimum dotibus, ex virtutibus videlicet, intellectivam, affectivam potentiam perficientibus, expromendo. Quanquam non ignorabam, in titulos ejus non inconvenienter adduci poſſe quod ait Poeta: Gratior & pulchro veniens è corpore virtus adjuvat. Sed exteriorem hominem laudare, parum ad rem arbitratus ſum pertinere. Malui nempe hominem laudare, quam vas hominis. Quid de auri pretio vel bonitate teſteum vas, ſi in eo recondatur, adimit? Quid eburneum vel Corinthium addit? Sic me Cicero laudare docuerat. Sic à præclaris oratoribus præſtantes viros laudari ſolere memineram. Neſcio ſi forte ars alia apud vos ſit, aut contraria vobis ſint præcepta. Et ſi ſint, proferte illa, ut à vobis diſcamus, quod à Cicerone non potuimus, ſatis ſapienter & irreprehenſibiliter homines laudare, genuſque cauſæ demonſtrativum, quod in laude vel vituperio conſiſtit, peritius atque accommodatius de cetero tractare. Quod autem minus ornate minuſque eleganter, ſi id etiam forſan reprehenditis, laudes illius effudi, mihi per vos venia danda eſt: Feci quod fas erat, egi quod potui. Libenter melius atque aptius egiſſem, ſed neſcivi.

(*bb*) *Benedictus hic XIII.* Avinionenſis Papa, *Petrus de Luna* aliàs dictus, utique *pro-*

motor

In magna fuit gratia apud Benedictum.

Valuit hujus noſtri *Epiſcopi Cameracenſis autoritas* tantum *apud Benedictum*, ut quod deſideraret impetrare ab eo poſſe videretur. Quod intelligeret Benedictus, tantum virum omnibus modis eſſe in ſuas partes trahendum, præcipue cum noſſet, opus ſibi eſſe talium virorum conſilio.

Commoda Eccleſiæ Gallicanæ quæſivit.

Hac igitur in Benedictum fretus fiducia, literarum ſtudia in Gallicanis Eccleſiis ſedulo promoturus, *hoc egit apud Benedictum*, (cc) *ut in omnibus Metropolitanis aliisque Eccleſiis conſtituendis definiretur Theologus*, certa præbenda ornatus, qui ſacra doceret. Annuit quoque votis Benedictus. Placuit *Pariſienſibus Theologis* hoc in Eccleſias Gallicanas Alliaci Epiſcopi ſtudium, ac pro Theologis conſtituendis apud

---

motor noſtri *Petri* extitit, quem ad Epiſcopatum Anicienſem atque Cameracenſem eveheret. Id quod non ſolum arguit illius temporis ſtatus, quo in Gallia nullus adhuc alius præter Benedictum admittebatur Papa, qui de Eccleſiis diſponeret: ſed & arctius jam quoddam Petri noſtri cum Benedicto ex frequenti legatione regia & familiariſſimis colloquiis vinculum teſtatur. Præterea *in Eccleſia Cathedrali Cameracenſi* in tabula publica, quæ defuncti Alliaceni monumentum refert, id aperte commemoratur his verbis: *A Pontifice Maximo BENEDICTO XIII. ad Anicienſem Epiſcopatum promotus, & poſt ſesquiannum ad Cameracenſem Eccleſiam jam ſeptem menſibus ab Andrea de Luxemburgo deceſſu vacantem translatus.* Quod irrefragabile eſt teſtimonium publicum.

Memoria proinde facile lapſus *Joannes Launojus*, *Pariſienſis Theologus*, *Parte II. Hiſtoriæ Collegii Navarrenſis f.* 471. qui à *Bonifacio IX.* ad Epiſcopatus laudatos promotum Aliacenum prodidit.

Poſthæc ipſe noſter *Alliacus* hoc ſuæ promotionis beneficium diſerte tribuit *BENEDICTO XIII.* in epiſtola *ad illum* data *Januæ A.* 1408. 28. *Jan.* quæ habetur in *Operibus Gerſonis Tomo IV. fol.* 8. *lit. Z, ed. Argent.* 1502. his apertis verbis: *Compellor ad Eccleſiam veſtram Cameracenſem reverti, in qua multi de grege Chriſti, cujus regimen mihi indigno a Sanctitate Veſtra commiſſum eſt, meam non æquanimiter ferunt jam diuturnam abſentiam.* Ubi non diſſimulandus typographi lapſus, quo ſeductus videtur Launojus, ut Bonifacio hanc Alliaci ad Epiſcopatum promotionem tribueret, quæ Benedicto debetur. In ſubſcriptione quippe epiſtolæ pro Benedicto ſubſtitutus Bonifacius, hoc ordine: *Hæc epiſtola miſſa fuit de Janua per me Petrum Epiſcopum Cameracenſem*, 26. *Januarii A.* 1408. *ſecundum uſum Romanæ Eccleſiæ Domino Bonofacio Pa. XIII. tunc cum ſuis Cardinalibus exiſtente in portu Veneris & adverſario ſuo cum ſuis AntiCardinalibus in civitate Lucana.* In quibus pro Benedicto illapſum eſſe Bonifacium manifeſtum eſt. Quia Bonifacius jamdudum tunc defunctus, isque IX. non XIII. fuerat: *Gregorio cum Benedicto* tunc contendente.

(cc) *Benedictum* & hunc fuiſſe Papam, quippe à quo erat promotus, quique in Gallicis Eccleſiis unus adhuc valeret, apud quem Alliacus Epiſcopus de illo in Eccleſias Gallicanas beneficio ſedulus egit, res ipſa docet. Ut lapſum memoriæ & hic in *Launojo* æquiſſime feramus, qui *Bonifacio IX.* rem hanc quoque omnem tribuit *Tomo II. Hiſt. Colleg. Nav. f.* 472. Cujus enim memoria tam fida in immenſa rerum longiſſimo temporis intervallo disjunctarum mole, ut nullibi cespitet, nullibi hæſitet aut impingat? Ut verò res plane conſtet, quodnam fuerit quæſitum illud beneficium, hæc

Lau-

apud Papam negotium tantopere, ut *publicas* illo nomine *Alliaco agerent gratias*, interprete Facultatis Theologicæ Gerſone, Academiæ tunc Cancellario, in hoc munere Alliaci ſucceſſore.

Verùm decretum aut *conſtitutio* hæc *ſalubris effectum diu non vidit*. Quoniam, per Benedicti utique fata dubia mox ſecuta, hoc negotium prorſus interruptum. Id quod *Gerſon*, *in Cancellariatu Pariſienſi ſucceſſor Alliaci*, anno 1408 in Concilio Provinciali Rehmenſi publi- *Beneficiū partum iterum exſpiravit.*

Launoji ſunt verbâ: *Gratia & autoritate qua multum valuit apud Bonifacium IX.* [*Benedictum XIII.* ſcribendū] *egit, ut eſſet in Gallia oppidis, Epiſcoporum ſedibus & quibusdam aliis, qui Theologiam doceret. Speravit enim hoc modo futurum, ut inſtaurata recte vivendi ſentiendique doctrina errores, quos nefandum ſchiſma & infinita propemodum vitia, quæ labentes ſeculorum vices importaverant, facilius abolerentur, hominesq;, & cumprimis Eccleſiaſtici, meliorem ad frugem redirent.* Clarius hæc univerſa patent ex *Theologicæ Facultatis epiſtola ad Petrum de Alliaco Cameracenſem Epiſcopum*, qua gratias agunt Cameracenſi pro parto hoc apud Benedictum Theologorum honore ac beneficio. Eſt illa hæc: *Reverende Pater in Chriſto & domine præſtantiſſime. Non nos fugit, quanta ſubjaceremus culpa, ſi veſtra beneficia, quibus corpus noſtrum nunc lætatur, ſilentio ſuppreſſa tranſiremus. Beneficio certe ſuſcepto, ſi creditur Seneca, is qui ſuſcipit, profiteri debet gaudium, & id tam facere manifeſtum, ut fructum præſentem capiat. Quodſi diſſimulet gratias agere, nonne turpiſſima labe matris vitiorum omnium ingratitudinis, toti mortalium generi odibilis, depaſci interius ac rodi jure exiſtimatur? Veſtrum beneficium nobis nuper impenſum, apud vos potius prædicandum quam effuſius referendum arbitramur. Ne narratione rei optime cognitæ benignas veſtræ paternitatis aures inimico faſtidio afficiamus. Jam enim, niſi fallimur, præcurrit orationem noſtram veſter animus omnium prudentia copioſe pollens, & de beneficio noſtræ facultati per vos impenſo in annectendo officium lectoria ſacrarum literarum uni præbendæ non tantum in metropolitanis Eccleſiis, ſed & ſuffraganeis hujus regni aliarumque partium aliquarum. Nec eſt quod nobis dicatis, Domini noſtri Papæ id eſſe beneficium, non veſtræ paternitatis. Siquidem ei jubendi autoritatem adſcribimus, & quod veſtris precibus omnium benignus exauditor inclinavit. Ingentes ei gratias literis jam egimus, & agemus certe frequenter. Nihilominus non neſcimus totius beneficii vos caput fuiſſe: Vos principium vos finis fuiſtis: Veſter iſte labor fuit. Excogitaſtis modum ſaluberrimum, quo peſtibus in Eccleſiæ gremio indigne durantibus obvietur, quo Eccleſiæ languoribus medeatur: Et excogitatum vigilantiſſimo ſtudio Executioni celerrime mandari procuraſtis. Quare beneficium hoc univerſum (quantumcunque eſt) quod certe maximum eſt, & vobis attribuendum judicamus, & potiores gratias deberi fatemur. Quas ſi minus cumulatas referamus, ne quæſumus nobis potius aſſignetur, quàm beneficiorum magnitudini, omnium gratias agentium facultatem excedenti, & aciem ingenii perſtringenti. Et certe ſi bene novimus veſtræ paternitatis ſolertiſſimam exactiſſimamque ſapientiam, non gratias expectetis, quæ vires ſuperant. Sed his contenti eſtote, quas geſtienti affectu (licet impares) referimus, ſatisque futurum ſperamus, ſi non rei tamen vobis, quod noſtras operas veſtris commodis ac honoribus non defuturas pollicemur. Noſque univerſos & ſingulos veſtris voluntatibus morigeraturos ſpondemus. Altiſſimi propitiatio veſtros greſſus feliciter regat juxta vota. Datum in Congregatione noſtræ Facultatis apud S. Maturinum ſuper hoc celebrata die 9. menſis Nov. Humiles veſtri Decanus, ceterique magiſtri Facultatis Theologicæ Studii Pariſienſis.*

publice deploravit, noſtrumque *Alliacenum optimi* illius *inſtituti nomine* egregie *commendavit.* (*dd*)

Poſthæc, cum *ab immenſa Cancellariatus Pariſienſis Academiæ cura*, & ancipiti ac intricato adverſus Benedictum dimicandi negotio eſſet *liberatus*, in Eccleſia Cameracenſi Epiſcopali functus officio, deliteſcere tranquillius ſuſtinuit. Interea ſub Gerſonis Cancellarii directione magnas cum Benedicto concertationes vidit *abſens*. Obedientiam, Pontifici alias exhibitam, regio edicto Benedicto ſubtrahi, & A. 1398. d. 27. Julii per Ægidium Campenſem, ſuum olim Collegam Theologum, Pariſiis publicari, non ſine animi quadam ægritudine accepit. Arma quoque adverſus refragantem Benedictum regis juſſu ſumpta ægro animo volvit.

Abſens vidit certamina Pariſienſium cum Benedicto.

Donec A. 1403. alia iterum Benedicto affulgeret fortuna, quem Rex Gallorum pro Papa recipiendum priſtinaque obedientia de novo beandum decreverat. Quæ non poſtrema Cameracenſis noſtri Epiſcopi voluptas.

Maxime, cum & Alliaco ipſi hæc contingeret ſparta, ut Pariſiis in magna celebritate *Benedictum XIII. Regis auſpiciis reſtituendum ſolenniter pronunciaret* ac publicaret, ſub certis conditionibus ac Benedicti pollicitationibus, de Concilio præcipue proxime pere-um indicendo, ac rebus omnibus controverſis in illo conficiendis.

Benedictum reſtitutum gaviſus.

Ex quo negotium mox à Rege datum Archi-Epiſcopo Aquenſi & noſtro *Epiſcopo Cameracenſi*, qui ad Benedictum commigrarent, promiſſorum memorem eſſe juberent, eumque hortarentur, qui quæ promiſiſſet præſtaret. Verum, quod Benedicti animus plane non eſſe cognoſceretur promiſſa implendi, absque fructu hi legati revocati ac reverſi. Ut & Rex alia cepiſſet conſilia, ni Benedictus denuo ſpopondiſſet fidem ſuam de pace omni modo paranda.

Magna religioſitas impulit tunc *Alliacenum Epiſcopum*, ut A. 1405. *Genuæ* agens, oratione publica (*ee*) Benedictum XIII. inſtigaret ad indicendum, ut *Feſtum Trinitatis* ubique feſtiviſſime celebraretur. Qui-

Feſtum Trinitatis ſolenniter celebrari ſuaſit.

(*dd*) *Fiat*, inquit, Tom. II. Op. fol. 42. lit. y. *executio decretalis illius qua in omni metropolitana Eccleſia ſcholam Theologiæ conſtituit. Nec videtur ſchola mendicantium ſatis eſſe. Expediret amplius, ut hac inſtitutio, cujus quotationem, ſicut & aliarum, dominis juriſtis linquo, extenderetur ad Eccleſias cathedrales & alias collegiatas notabiles: Sic ut una prabenda eſſet ad officium hoc ſalutiferum ſpecialiter & irrevocabiliter applicata. Quemadmodum Dominus noſter Benedictus,* PROCURANTE PRÆCEPTORE MEO INCLYTO DOMINO CAMERACENSE, *conſtituerat. Sed neſcio quo pacto tam ſanctum opus è mediis ut dicitur manibus elapſum eſt. Concedebatur ut legentes & ſtudentes perciperent certis diebus & horis diſtributiones quotidianas, hac ratione, qua intendentes temporalibus Eccleſiæ commodis ſine ulla contradictione recipiunt.*

(*ee*) Habetur hæc oratio Alliaci, *Janua* vel *Genua* habita, de religioſo cultu Feſti Trinitatis, in Oper. Alliaci Tom. I. Argent. 1490. Ubi etiam adjecta eſt ex illa oratione Alliacena nata *Conſtitutio Benedicti XIII.* de magna celebritate Feſti Trinitatis in Chriſtiano orbe impoſterum ſervanda pari cum feſto Nativitatis & Reſurrectionis Chriſti gradu. Dat. Januæ, Cal. Julii Anno 1405.

Digitized by Google

Quibus votis Alliacenis locum dedit Benedictus, ut poſtea hoc feſtum antea ſine celebritate cultum ex decreto ubique religioſe coleretur. Quod & in hunc usque diem celebratur.

A. 1406. Cum Galli in curia regia cum Academia Pariſienſi hoc ſedulo multis congreſſibus agerent, ut diſſidia Pontificum tollerent: (*ff*) Alii ex decreto Regis obedientiam Papæ iterum denegandam ſuaſerunt, quales præcipui erant de Academia Pariſienſi: *Petrus verò noſter, Epiſcopus Cameracenſis, partes Benedicti tuitus, Concilium Generale multis diebus ſuaſit*, in quo lites illæ Eccleſiaſticæ optime ſopirentur aut extinguerentur. (*gg*)

Oratione pro Benedicto habuit.

(*ff*) Dupuy p. 297. Les Prelats & Eccleſiaſtiques de France furent mandez, pour ſe trouver à Paris à la S. Martin. Il fut queſtion de ſcavoir comment l'on travailleroit en cet aſſemblée. Le Roy en ſon Grand Conſeil ordonna, qu'on élieroit douze Theologiens & Canoniſtes, dont les uns ſouſtiendroient le faict du Pape, & qu'on ne luy devoit faire ſouſtraction, les autres aut contraire pour l'Univerſite. Cela fait, le Roy avec ceux de ſon Sang & de ſon Conſeil aviſeroit ce qu'il auroit à faire. Cét expediens pleut à tous, & furent choiſis les douze ſuivant l'intention du Roy.

(*gg*) Deſcripſit hæc fatà *Launojus f.* 473. hoc modo: *A. M CCCC VI. quo Pontifices ſedebant duo, Avinione Benedictus XIII. & Romæ Innocentius VII. Benedictum alii tuebantur, deponendum alii contendebant, uti Eccleſiaſticæ diviſionis autorem. Rex autem cum id animadverteret, ſtatuit, eligendos eſſe viros XII. qua Theologos, qua Juris Canonici Antiſtites, quorum uni cauſam Benedicti defenderent, alii verò acriter impugnarent. Quod judicii genus omnibus arriſit. Tunc Cameracenſis Epiſcopus Benedicti factum propoſuit, tenuitque & rem eſſe tanti, ut congregatum ex univerſa Eccleſia Concilium exigeret, & allatas ab aliis extinguendi ſchiſmatis vias nec rationi conſentaneas videri nec iniri poſſe. Hic tractatus MSCtus extat in Bibliotheca S. Victoris & à Joh. Juvenale Urſino indicatur in Hiſtoria Caroli VI. Regis.*

Dupuy p. 305. Le onziéme enſuivant, qui parla, le Roy preſent, Pierre D'Ailly Evéque de Cambray propoſa de la part du Pape, & dit, qu'il êtoit neceſſaire, que le Concile Generale de cette obeïſſance fuſt aſſemblé. Qu'il s'étonnoit, comme ceux, qui avoient parlé avant luy, avoient été ſi oſez, que d'appeller le Pape hereſiarche. Sur quoy le Patriarche d'Alexandrie ſe leva, dit qu'il avoit pû ainſi appeller, en ayant des exemples. Et apres quelques conteſtation il continua, & dit, que la promeſſe de Monſieur d'Orleans n'obligeoit Benedict. Que c'étoit une maxime, que les Conciles generaux n'ont point d'efficace, s'ils ne prennent authorité du Pape. Remarque, que quand l'on traitta de l'erreur de Jean vingt-deux de la Viſion bien-heureuſe, le Roy envoya à la Faculté de Theologie, & non pas à l'Univerſité: Que la Faculté luy envoya 26 Maitres & Docteurs, qui opinerent, & leur reſolution fut executée par le Roy. Que l'Univerſite ne devroit point en ce faict prendre une ſi grand part qu'elle y prend. L'Evéque de Cambray ayant achevé, la compagnie ſe leva.

Idem p. 308. Le lendemain l'Evéque de Cambray, qui tenoit le party du Pape, dit, qu'il avoit charge de faire deux requeſtes. L'une, que puisque l'on avoit lu la lettre de la ſouſtraction qu'il ſupplioit auſſi que

Digitized by Google

Re tanta ultro citroque expenſa, in publico tandem illo conſeſſu definitum: Requiri *Concilium Generale pro reformatione Eccleſiæ in capite & in membris*, & obedientiam Benedicto plane ſubtrahendam, Eccleſiamque Gallicanam priſtinæ libertati reſtituendam. (*bh*)

Anceps tunc regni Gallici erat fortuna, partim ex motibus civilibus, partim ex turbinibus illis Eccleſiaſticis, quibus nec conſilium nec remedium videretur dari ſufficiens. Suſtinuit & hanc curarum molem inter alios non poſtremus, Epiſcopus Cameracenſis, Alliacus, qui magna conſiliorum pars erat, adeoque & dubii eventus periculum expectare cogebatur. Non mirum adeo, quæſiviſſe tunc Alliacum apud amicos, viros doctos ac prudentes, ſolatii remedia, quibus animum quaſſatum & in dubia illa rerum civilium ac ſacrarum tempeſtate disjectum refocillaret atque erigeret. Non defuit in hac publica calamitate Alliaceno *Gerſon Pariſienſis Cancellarius*, qui variis *epiſtolis* animum Alliaci feſſum refocillare atque erigere contendit. Habentur illarum aliquæ *Tom. IV. Operum Gerſonis.* Una illarum hoc triſte agnoſcit initium: *Ex literis binis Tuæ dignationis, Reverende Pater ac præceptor optime, palam facta eſt anxietas animi tui, eo quod Zelus domus domini & reipublicæ ſalus comedit te. Vere quicquid video, inquis, mihi grave eſt & pene importabile. Propterea commovet parvitatem meam tua dominatio, ut de ſuavi jugo Chriſti ſcribam aliqua &c.*

Triſtis ob regni ex Eccleſia triſtia fata. A Gerſone ſolatium quæſivit.

A Clemangio erectus.

Nec defuit cum aliis candidiſſimus *Clemangius*, hactenus in Benedicti curia magnæ autoritatis Secretarius, verùm ob difficilia & aſpera illa fata regni & Eccleſiæ ex curia utraq; digreſſus. Hic *Lingonâ* pulchellam ac penetrantem dedit epiſtolam ad Alliacum, Camer. Epiſcopum, qua in turbis illis Eccleſiaſticis, ex Benedicti repudio, nunc revocato, nunc iterum reſuſcitato, ortis, jactatum Epiſcopi animum erigeret. (*ii*)

Clemangium affli-

Quemadmodum & *Clemangius*, pro amicitiæ jure, in ſuis adverſitatibus, Alliacenis haud minoribus, ab æmulis excitatis, dum ex

l'on leuſt celle de la reſtitution. L'autre, qu'ils étoient commis par le Roy pour ſouſtenir ce party, & qu'il en avoit commendement, qu'il n'en pouvoit étre recherché en façon du monde, neant moins qu'il avoit ſceu qu'en une congregation de l'Univerſite on avoit parlé de proceder contre luy, que Jean Petit avoit été deputé de parler ſour ce faict, que ſes compagnons deputez comme luy n'oſoient plus parler, ſupplia l'aſſemblée d'enjoindre à l'Univerſite de ne paſſer outre, ſi non en preſence du Roy, & proteſta d'appeller en cas, que l'on voulut proceder ailleurs.

(*bh*) Dupuy p. 314. Il fut aviſé qu'il étoit neceſſaire d'avoir une Concile general pour reformer l'Egliſe tant en chef qu'en membres, & qu'il ſeroit fait ſouſtraction à Pierre de Lune dit Benedict, & que l'Egliſe de France ſeroit retablie en ſes anciennes libertez, & que pour la proviſion des benefices il en ſeroit uſé comme durant la premiere ſouſtraction.

(*ii*) Habetur hæc Clemangii ad Alliacum Cameracenſem Epiſcopum conſolatoria epiſtola in editione Lydiana f. 104. ſeqq.

Digitized by Google

ex curia Benedicti ſponte emigrare ac latibulum contra inſidias æque ac calumniarum ſpicula quærere fuit coactus, Alliaci Epiſcopi colloquia & conſilia enixe ambivit, ex conſtantia Alliacena & exemplum & animum parem ſumpturus. (*kk*) *Clemangius ab Alliaco afflicto ſolatiũ petiit.*

(*kk*) Digniſſima candidiſſimi *Clemangii ad Alliacum Cameracenſem* tunc adhuc *Epiſcopum* epiſtola, ex eremo ſua apud Fontem in Boſco perſcripta, quæ legatur integra. Pingit enim eleganter mutuum utriusque affectum & ſuave amoris reciproci vinculum. Et eſt Alliacenæ fortunæ ab æmulis invidisque vehementer exercitæ ſed ubique ſuperioris magisque ornatæ viva imago. Eſt autem in MSCto Wofenbuttelensi & hæc inſcriptio: *Ad Petrum Epiſcopum Cameracenſem, de deſiderio ſui colloquii, & ſuper vitæ curſu, in tantis turbinibus æmulorumque inſidiis agendo, ſui habendi conſilii.* Epiſtola in iſthoc MSCto hæc legitur: *Summo Tuæ reverendiſſimæ meritoque dilectiſſimæ paternitatis intuendæ deſiderio affectus, ceteros nuperrime amicos Pariſiis vidi, non minorem paſſus animo mæſtitiam, quod te illic videre non dabatur, quam ex aliorum omnium conſpectu compertáq; proſperitate lætitiam mente ceperam. Sed illum ex tua abſentia conceptum dolorem certa de tuo felici ſtatu amicorum teſtimonia lenierunt. Paucis quippe antea diebus te illic fuiſſe, tum corpore quidem ſoſpitem tum illo tuo erecto animo alacrem atque intrepidum, ajebant. Quod ubi illorum ex ore perdidici, me miſerum, inquam, qui tum non affui, pauloq; ocyus venire properavi! Ut ex illo jucundiſſimo amicorum numero gregeq; feſtiviſſimo unus ille in meo adventu minime defuiſſet, quem unum maxime adeſſe optaveram. Multa autem erant, propter quæ tuum deſiderabam colloquium. Primum quidem, ut ex te liceret agnoſcere, quænam tui de rebus communibus eſſet animi ſententia. Res dico Eccleſiæ regniq; noſtri. Quæ etſi multis retro temporibus ſævis agitatæ fuerint turbinibus, graviſſimaque tempeſtate disjectæ, tanta tamen nunc undarum moles inſurgit, ut prioribus jam conquaſſata inſultibus ſub tanto rurſus ingruentium impetu malorum nullo modo durare poſſe videantur. Deinde, ut, quisquis ruentem ac præcipitem rempublicam caſus exciperet, tuam perſpicaciſſimam ſolertiam ſuper curſu vitæ agendo, privataq; quantum fas eſſet in publicis cladibus ſalute communienda atque tuenda, conſulerem. Quamvis enim ex re publica occidente privatæ etiam cujusq; copiæ plerumq; occidere ſoleant, & ex univerſali ruina publicoq; incommodo pauca ſubtrahi poſſint temporalia bona: Sunt tamen quædam bona excellentiora, quæ nulla vis hominum auferre poſſit, nulla adverſitas vel calamitas eripere, in quibus, non in fortunæ ludibriis, ſuam ſapientes ſalutem conſtituunt. Ex te itaq;, quem in numero ſapientum, ſi quid habent ſapientiæ noſtra merito poſſunt tempora deputare, magno diſcere cupiebam affectu, quibus armis inſtructi, in arcemq; muniti ſſimam præſidiumq; firmiſſimum rationis ac conſtantiæ introducti, tantos foris obſtrepentes tumultus, tantas minas, tantos furores, tanta undiq; incurſantia pericula, quibus mundum quati videmus, ex ſtabili aliqua poſſemus ſpecula infracto imperterritoq; animo contemnere. Eſt poſtremo & alia cauſa, etſi minus gravis, non tamen injuſta, cur tuum tantopere congreſſum conſpectumq; expeterem: Quod propter generalem malorum ſortem, cunctis ex ſcandalo reipublicæ metuendam, pleriq; adverſum me nominatim acerbiſſimas his temporibus exercent inimicitias, & hoſtili in me animo odioq; graſſantur. Viderint illi, quam recte hoc faciant. Quibuslibet tamen ex cauſis hoc ſuſceperint, non immerito te coram affari, teq; etiam ſuper re illa conſulere volebam, ut tuo velut cæleſti quodam inſtructus oraculo ſciam, quibus poſſem artibus aut illorum ferre impetus, aut illudere, aut placando mitigandoque compeſcere. Ea enim vel præcipua ratio fuit, quare illuc ad viſendos amicos ipſorum hortatu me contuleram. Quan-*

Digitized by Google

Defuncto interea Romæ anno 1406. d. 6. Nov. Innocentio, electoque ibi novo Pontifice Gregorio XII. ſub conditione cedendi, ad pacem Eccleſiæ conciliandam: Anno proximo 1407. Galli in nova congregatione confirmarunt ſuperius de obedientia Benedicto ſubtrahenda & Eccleſiis Gallicis libertati priſtinæ aſſerendis decretum,

Legatus ad Benedictum.

legationemque ad utrumque contendentium Benedictum & Gregorium adornarunt. In horum magno legatorum numero & noſter Cameracenſis Epiſcopus ac Gerſon numerati. (Dupuy p. 318.)

His injunctum à Rege, ad ceſſionem illos pellicerent, eoque fine ad Savonenſe colloquium utrumque Papam invitarent, ubi utroque cedente novus eligeretur, additis minis: Ni Benedictus obtemperaret, tanquam ſchismaticum plane ab Eccleſia eſſe eliminandum.

Secreta colloquia habuit cũ Benedicto.

In qua legatione *Cameracenſis* noſter cum aliis nonnullis legatis regiis, *ſecreto auditus à Benedicto* d. 17. Maji (Dupuy. p. 327.) conſentientibus ceteris. Juſſitque Benedictus promiſſioni ſuæ de renunciando acquieſcere. Hi cum oſculo pedum ac oris dimiſſi.

Die 23. Julii & ſequentibus, *cum Gregorii Legatis* multum egit ac *diſceptavit Alliacus, ut* Gregorium ſubterfugientem ad Savonenſem tractationem perduceret. (*ll*) Etſi fruſtra.

Periculũ vitæ vix effugit.

Inter hæc cum Benedictus Bullis atrocibus ſe tueri contenderet, illi obſervati vel & capti, qui Benedicto faverent. Neque ſuſpicionem effugere potuit cum aliis *Cameracenſis Eipiſcopus, Petrus de Alliaco,*

quam plane in hac adverſitate domeſtica una me res magnopere recreat, ad æquioremq; tolerantiam me provocat, quod tecum & tam cum multis aliis clariſſimis viris ſpectabiliq; virtute probatiſſimis talia ab improbis illata injuſte patior, qui adverſus probos & innocentes unanimi videntur conjuraſſe impetu, non ob aliam ut reor cauſam, niſi quia ſuis nefariis furioſisq; conatibus adverſantur. Hanc enim rationem perſecutionis bonorum ipſi iniqui in libro ſapientiæ profitentur: Circumveniamus ergo, inquiunt, juſtum, quoniam inutilis eſt nobis & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, gravis etiam eſt nobis ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius. Oderunt hilarem triſtes, triſtemque jocoſi. Et uno generaliter verbo odioſi ſunt fere unicuique mores contrarii. Sed inter omnia odia hoc peſſimum, quo virtus odio habetur, quæ benevolentiæ & amicitiæ efficaciſſima auxiliatrix conciliatrixq; eſſe debuerat, niſi mores ſceleratiſſimi obſiſterent. Nec iſta quidem propter me dixerim, qui nihil egregium geſſi, quam propter te & alios multos magna virtute decoratos, quorum comparatione nihil verius ſum, qui nullam adhuc expreſſam virtutis imaginem, ſed nudam & tenuem umbram vix attigi. Sed neſcio quomodo ad impares diſſimilesq; ſibi mores obterendos improborum ſemper exardeſcit ſtudium, & quos aut natura oderunt, aut imitari nolunt, ne virtutis ſibi ſplendore præfulgeant, vel plane delere contendunt, vel fictorum objectu criminum denigrare. Quanquam quod ad Te pertinuit, tu cunctas illorum inſidias quas adverſum te moliti ſunt, egregie pulcherrimeq; fruſtratus es, contortaq; per illos in te tela viribus atq; efficacia vacuaſti, non hoc ſolum tempore ſed & nunc & ſemper alias & quoties te oppugnare adorti ſunt. Clarior autem illuſtriorq; tua ex illorum infeſtatione ſemper virtus emerſerat, dumq; illam labefactare conati ſunt, toti orbi celeberrimam reddiderunt. Vale, datum apud Fontem in Boſco.

(*ll*) Dupuy p. 334 & 335.

liaco, Galli verò ſuum Neutralitatis decretum vicinis Regibus Imperioque Romano-Germanico communicarunt. Et parum abfuiſſet, quin Alliacus noſter difficilia ob favorem in Benedictum expertus fuiſſet fata. (Dupuy p. 352.)

Coactum tandem anno 1409. ex voto Alliaceni *Piſis concilium Univerſale.* Hujus pars magna (*mm*) Cameracenſis noſter fuiſſe fertur Epiſcopus, ſexagenarius. Vidit tunc utrumq; Pontificem Gregorium XII. & Benedictum XIII. abſentes ſede moveri, ſubſtituique *Alexandrum V.* in Concilio Piſano præſentem Cardinalem. Erant hujus *Alexandri V.* ante Pontificatum *in Piſano Concilio promiſſa aurea de reformatione Eccleſiæ* à ſe ſuſcipienda. Quam impenſe verò ob hæc promiſſa gaviſus cum aliis Alliacus, tam vehementer doluit ſpem fruſtratam. Quamprimum enim Alexander V. in ſedem evectus, *conſtitutiones Bonifacianis pejores* aut diriores feciſſe deprehenſus. Quod cruciavit & Cameracenſem noſtrum. *Conciliū Piſanum vidit.* *Alexandri V. artes abominatus.*

Sequenti verò anno 1410. cum brevi regimine Eccleſiaſtico potitus eſſet *Alexander V. obiit,* locumque occupanti reliquit Cardinali Balthaſari, Papæ *Johanni* 23. Hujus *novi Pontificis* æque diras imo adhuc *graviores conſtitutiones execratus* mox *Cameracenſis* cum Gerſone. *Johannē 23. ferre non potuit.*

Variis ſcriptis, ab *Alliaco* Epiſcopo ſene & *Gerſone* Cancellario hoc *de miſerabili Eccleſiæ ſtatu ſub novo hoc Pontifice Johanne* 23. editis, tum dolorem ſuum ſunt teſtati, tum *ex Concilio Univerſali remedia* eſſe petenda ſtatuerunt. Hujus generis opuſcula *Gerſoniana* ac *Alliacena*, hoc anno 1410. ſcripta, ſupra *Parte V. & VI. ex MSCtis* exhibuimus. *Eccleſiæ miſeriam deploravit.*

Maxima præcipue *ſollicitudo* utriusque *ex Imperio tunc vacante. Ruperto* namque defuncto, & *Jodoco* vix electo iterum ſurrepto, Imperatore nullo gaudebat Imperium, nec adeo Eccleſia Advocato ſuo univerſali.

Præterquam verò quod *difficultates reformandæ Eccleſiæ ingentes* præviderent, abſente Imperatore, hoc vehementer urgere cœperunt: IMPERATORIS ROMANO-GERMANICI ESSE ECCLESIÆ SALUTI INVIGILARE, PACEM ET TRANQUILLITATEM EJUS PROCURARE, AC CONCILIUM UNIVERSALE CONGREGARE. *Imperatoris Romani gloriam tuitus eſt.*

A. 1411. Cum *Johannes* 23. intelligeret, *Concilium univerſale* SIGISMUNDI Imp. juſſu eſſe *congregandum,* cum præſertim in Concilio Piſano proximo hoc eſſet definitum, videri voluit hoc agere.

Quod autem in ſuas partes eſſent pelliciendi viri quique doctiſſimi, credidit è re ſua fore, ſi hunc *Alliacenum Epiſcopum Cameracenſem* uberiori dignitatis ſplendore faſcinaret ac ſibi devinciret.

Quam-

(*mm*) Launojus Tom. II. f. 474. *Subductis tandem aliquando momentis omnibus, ſeu qua Cameracenſis Epiſcopus nervoſe diſſeruit, ſeu qua pernicioſum illud diſſidium attinent, Anno* 1409. *generale congregatum eſt Piſis concilium, cujus pars magna, decus atque ornamentum fuit.*

Digitized by Google

Cardinalis creatus.

Quamobrem hoc anno *Cardinalitiam purpuram* ei ſexagenario majori contulit, ratus, (*nn*) hac purpura oculos *Epiſcopi* hujus *Cameracenſis* oculatisſimi clauſum iri, ne maculas domini Johannis videret amplius. Quamvis autem *Alliacus* jam *Cardinalis* audiret, *integritas* nihilominus *pectoris* non permiſit, ut Johanni 23. adularetur. Quin potius data occaſione tanto generoſius ejus in Eccleſiam injurias detexit, quanto turpius eſſe meminiſſet vitia diſſimulare ejus, qui corruptione mera turpiorique medio ſilentium venari, quam ſeſe emendare maluiſſet.

Integritas animi illibata.

Concilium Romanum irritum accepit.

Cum proinde anno 1412. Papa Johannes crederet, ſe & vota publica fallere & ſpei communi qualitercunque ſatisfacere poſſe, ſi *Romæ* aliquod *Concilium* videretur congregare, hoc negotium aggreſſus eſt. Ceterum, cum Gallorum ſumma inter eruditos capita, *Alliacenus* & *Gerſon*, dudum monuiſſent, *Romæ* vel *Bononiæ* congregandum à Papa Concilium non fore Eccleſiæ ſalutare ac proficuum, utpote omni dicendi libertate omnino privatum; iidemque ſtatuiſſent, tale Concilium utique eſſe repudiandum: In Romano iſthoc Concilio Johanneo Cameracenſis noſter non comparuiſſe legitur. Neque dubium, quin, tametſi Cardinalis, omnes vias elabendi & honeſte evadendi quæſiverit, ad Concilium illud Romanum ne migraret. Sicuti & ſponte ſua mox diffluxit inane hoc Concilium, vix ac ne vix quidem inchoatum.

Reformationem Eccleſiæ urſit.

Mox anno 1413. Cum *Sigismundus Imperator* animadvertiſſet Johannis fucum & genuini Concilii generalis congregandi vel tarditatem vel neglectum, eundemq; variis legationibus ad *Concilium aliud generale in Germania Conſtantiæ cogendum* invitaſſet aut pellexiſſet: Noſter *Alliacus Cardinalis* cum aliis priora vota *de Reformatione Eccleſiæ in capite & in membris* repetere ac fuſius declarare cœpit. Inter præcipua illius *in Concilio univerſali inſtanti ſuſcipiendæ Reformationis momenta* urgebat Johannis XXIII. nefanda facinora, ob quæ ſede movendus eſſet, novo Pontifice electo.

Legatus Papalis ad Germanos.

Quod autem Johannes vel diſſimularet hanc Alliaceni contentionem, ſibi licet exitioſam, vel nondum vidiſſet aut legiſſet, hunc *Cardinalem Cameracenſem ad Germanos anno 1414. ablegavit. Legatus* igitur *in Germania Junio & Julio menſibus Baſileæ* egit, Eccleſiæ negotia curans, Scripturæ ſimul explicandæ incumbens. (*oo*)

Sub

(*nn*) Dies feſtivus, quo ad dignitatem hanc Cardinalitiam promotus, deſignatur à *Launojo f.* 474, & ex eo à *Warthono in Append. Hiſtor. Lit. Cave f.* 70. VII. Iduum Junii. Aſt in tabula Eccleſiæ Cameracenſis publica *menſe Majo* Cardinalis creatus memoratur. Niſi forte hic deſignatio, ibi publica pronunciatio aut creatio contigerit. Neque tanti refert diem noſſe.

(*oo*) Launojus Tom. I. f. 121. *Petrus Alliacus* Anno 1414. *per Germaniam Apoſtolicæ legationis munere defungitur. Hinc viros & in Eccleſia & in Imperio primarios ad curandam Eccleſiaſticæ diſſenſionis ſedationem cohortatur. Inde ſubciſivis horis, cum verſaretur Baſileæ, in Pſ.* 42. 4. *Id. Junias: In Orationem Dominicam pridie Nonas Quintiles: In ſalutationem Angelicam* 4. *idus ejusdem menſis edidit Commentarios, quibus homines ad Timorem Dei & pietatem informentur.* Conf. *Tom. II. f.* 474. Habentur hæc opuſcula Baſileæ ſcripta *Tom. I. Operum.*

Digitized by Google

Sub finem *hujus anni*, cum indictum *Concilium œcumenicum ſub cœlo Germanico Conſtantiæ* congregaretur, illucque jam confluerent cum Papa Johanne 23. Cardinales, ac ex omni orbe Principes & Epiſcopi, cum infinita nobilium doctorumque aliorumque hominum turba: *Ad* iſtud *Conſtantienſe Concilium* ſtatim quoque ſe contulit inclytus noſter *Petrus*, *Cameracenſis Cardinalis*, *ſexaginta quatuor annos natus.* *Ad Concilium Conſtantienſe commigravit.*

In principio hujus Concilii, cum Johannes 23. Concilii negotia pro ſuo arbitrio diſpoſiturus ac aliò deflexurus Huſſum ad Concilium pertraxiſſet, ejusque cauſam ſtatim aggreſſus eſſet, *abſente adhuc Sigiſmundo Imperatore*: Alliacenus apud Papam comparentem aliquoties *Huſſum vidit ac audivit.* *Huſſum in Concilio audiri.*

Die 7. Decembr. in Congregatione Cardinalium & aliorum Prælatorum *Cardinalis* noſter *Alliacus ſchedulam* obtulit, articulos in Concilio Conſtantienſi obſervandos atque urgendos complexam. In quibus hæc quoque ſunt momenta: *Obligari Papam, Cardinales, & Prælatos, per Concilium Piſanum, ac per jus naturale & divinum, ut in præſenti Concilio Conſt. omnibus modis efficiant, ut perfecta ac integra reddatur unio Eccleſiæ, & fiat debita ejus reformatio in capite & in membris.* Deinde, *ſi qui pertinaciter aſſererent, præſens Conſtantienſe Concilium eſſe diſſolvendum, aut ejus continuationem in aliud Concilium eſſe prorogandam, in quo deſiderata unio & reformatio perficerentur, in caſu, quod in Conſt. Concilio hæc non fierent, hos eſſe fautores ſchiſmatis & de hæreſi vehementiſſime ſuſpectos.* Porro Concilii Piſani autoritatem eſſe maximam, & Conſtantienſe Concilium non eſſe niſi continuationem Concilii Piſani, ut ſit una eademque utriusque autoritas, nec opus eſſe, ut Piſanum prius confirmetur in Conſtantienſi, eamque petitionem prorſus eſſe repudiandam. (*pp*) *Argumenta rerum in Concilio tractandarum reliquis Cardinalibus obtulit.*

Paulo poſt, cum prima omnium ſeſſio Generalis ingrueret, *Cameracenſis Cardinalis*, noſter *Alliacus*, in Collegio Cardinalium, ad illuſtrandos ſuperiores articulos, de unione ac reformatione, alios adjecit atque communicavit. Scil. ad ceſſionem inducendos omnibus modis eſſe contendentes Papas. Quod ſi fieri nequeat, prorogandum eſſe Conſt. hoc Concilium. Et ad redimendam vexationem multorum, eligi poſſe aliquos de qualibet Natione, in quos poſſet transferri tota autoritas Concilii Generalis, ſicut aliàs legatur factum. Ex quibus de ſpontanea quoque Johannis 23. ceſſione articulus uberius illuſtratus mox Johanni huic Papæ nomine Concilii oblatus, & prolixius poſtea diductus & frequenter repetitus, donec ab adventu Sigismundi Imperatoris publice res conficeretur. (*qq*) *Alios articulos pertractandos in Concilio exhibuit.*

Ex quo *Johannes Gerſon*, *Pariſienſis Cancellarius*, *Regis Gallo-*

(*pp*) Habentur hæc omnia integre *in antiquiſſimo Codice MSCto VINDOBONENSI.* Unde petita alio hujus operis Tomo plene exhibebimus.

(*qq*) Et hæc continentur in laudato *codice MSCto VINDOBONENSI.*

Cum Gerſone familiariſſime in Concilio vixit.

rum Legatus ad Concilium venit, conjunctiſſime Noſter Alliacus cum illo vixit. Conſiliorum plerorumque uterque particeps, & iniquorum quorundam Concilii fatorum ſpectator æque triſtis. Quæ familiaris converſatio & fida rerum communicatio effecit, ut, cum Gerſon, finito Concilio, ſententiam ſuam de rebus fatisque Concilii Conſtantienſis exponere conſtituiſſet, in Alliacum Cardinalem ſibi familiariſſimum, omniumque rerum geſtarum optime conſcium, hanc operam devolvere ſatius judicaret. (*rr*)

A. 1415. cum jam adventaſſet *Chriſtianiſſimus Imperator Sigismundus*, luſum in *Brigittæ Canoniſatione* publicum primùm ſpectavit.

Papam Johannẽ ſede moveri vidit.

Poſthæc, quod dudum cum Gerſone exoptaverat, atque vehementer in Concilio urſerat, *Johannem* 23. *ſede Papali moveri*, tribus Pontificibus tunc viventibus repudiatis, hanc rem ex voto ſuo publice jam agi gaviſus eſt.

Quippe quod *in prima publica Conciliari ſeſſione* iſtius anni, poſtquam Imperator venerat, *ceſſio Johannis* 23. enixe dudum quæſita feliciter impetrata eſt. Dici non poteſt quantum hoc pepererit gaudium uti Imperatori ceterisque Principibus ac Nationibus, ita & in primis *Alliacenſi* noſtro Cardinali ac *Gerſoni*, qui dudum hoc ſuaſerant & optaverant.

Pericula in Concilio ſuborda ſenſit.

Sed & ſenſit hoc gaudium turbari artibus Johannis 23. qui, cum ſe ſerio throno dejectum intelligeret, ope Friderici Ducis Auſtriæ è Concilio elapſus varias difficultates Concilio paravit: Imò cruentis bellis anſam ſub Concilio dedit.

De fuga Papæ proteſtatus.

Quare ſtatim *d.* 26. *Martii* in publica ſeſſione noſter *Petrus* præſente Sigiſmundo Imperatore cum Franciſco de Zabarellis Cardinale Florentino proteſtatus eſt contra fugam Papæ, & Concilium continuandum eſſe monuit.

Præſes alicujus ſeſſionis fuit.

Abſente verò è Concilio Johanne, cum decretum eſſet, Concilium utique eſſe continuandum, ſeſſionibus inſtitutis, *Alliaceno* per vices *præſidium*, Concilii autoritate, *loco Papæ, oblatum.*

Motæ tunc *in primis* illis *ſeſſionibus* quæſtiones arduæ, *autoritatem Concilii & Papæ* concernentes, decretaque illis de rebus facta atque publicata, *Alliaceno* cooperante.

Judex cauſæ Huſiticæ.

Poſthæc cum illo anno *Huſſus* jam in vinculis detentus produceretur, Alliaceno negotium datum, *Huſſum convincendi.* (*ss*)

Sub

(*rr*) In Dialogo Apologetico Gerſonis, Tom.III. Operum Gerſ. fol. 56. lit.z. *Sua fuit inſuper Converſatio aſſidua cum illo præceptore ſuo, quem ſapientiſſimum & prudentiſſimum nemo dubitaverit, Cardinalem Cameracenſem dico: Poterit ille multo doctius & ſalubrius, cum autoritatis pondere, ſuper hac re vel verbo vel ſcripto tradere quæ cognovit.*

(*ss*) Qua animi moderatione in hac cum Huſſo inſtituta publica concertatione ſit uſus, nomine Huſſitæ alicujus refert ex Bzovio Launojus, f. 474. Examinatis dictis teſtium, *ait*, & recitatis articulis erroneis in Patrum conſeſſu, Cardinalis Cameracenſis judex cauſæ deputatus à Concilio, dixit ad Johannem Hus: En viæ duæ propoſitæ ſunt tibi, ut ex his eligas unam;

Aut

Sub finem ejusdem anni, quando *in Concilio Conſtantienſi* agitata eſt juſſu Gallorum Regis per Gerſonem intricata & difficilis quæſtio, duobus annis ſuperioribus 1413 & 1414 Pariſiis *in Concilio Gallorum nationali* (*tt*) prolixe diſcuſſa, quam Theologus Gallus *Johannes Parvi* moverat, de jure ſubditorum ac vaſallorum in Principem ſuum tyrannum interficiendum: *Petrus Alliacenus* noſter *Cardinalis Cameracenſis* illam Johannis Parvi ſententiam tanquam impiam ac in Principes injurioſiſſimam ſolenniter damnandam ſtatuit. (*uu*) Sed & deprehendit in illa cauſa Vir integerrimus, non veritati locum ſemper eſſe, ſed vim veritate ſæpe exiſtere ſuperiorem. Etſi enim magno ſtudio hoc Johannis Parvi dogma cum Gerſone aliisque Theologis damnatum cuperet in Concilio hoc univerſali, ſicut rejectum erat paulo ante in Gallia: Imo ex Sigismundi Imperatoris decreto atq; mandato damnari jam cœptum eſſet, decreto publico hanc in rem facto: (*xx*) Nihilominus tamen Burgundiones aut Ducis Burgundiæ aſſeclæ vehementer in Concilio reſtiterunt. Adeo ut Petri de Alliaco & Gerſonis vota ab adverſa parte refellerentur atque perſtringerentur. Sicuti inter alios *Johannes de Falckenberga* (*yy*) *Theologus*, peculiari ac prolixiore ſcripto ſententiam Petri de Alliaco, alioque Gerſonianam, Alliacenæ parem, vellicavit. Eoque hæc rediit contradictio, ut ob potentiam artesque Burgundionum controverſia ſenſim diſſimularetur à quibusdam Cardinalibus, ab ipſoque tandem Papa Martino V. declinaretur. (*zz*) Quod vehementer momordit & Petrum de Alliaco & Gerſonem.

Johannis Parvi Theologi ſententiã in Principes injuriam in Concilio damnavit.

Adverſarium in Concilio habuit Johannẽ de Falkenberga.

Aut te offeras omnino totum in poteſtatem & gratiam Concilii, ejusdemque decretis ſuper hac re acquieſcas: Ita namque fiet, ut Concilium ob honorem Domini noſtri Regis Romanorum nunc præſentis ac fratris ejus Bohemiæ Regis, clementer acturum ſit tecum: Aut ſi ex dictis articulis quosdam tenere ac defendere intendas & deſideres aliam audientiam, concedetur tibi quidem: Sed tunc ſcias, hic eſſe magnos & illuminatos viros, qui fortiſſima habent adverſus articulos tuos fundamenta. Et verendum eſt, ne inde gravioribus involvaris erroribus. Id conſulendo dixerim tibi, non ut judex.

(*tt*) Acta hujus Concilii Nationalis Gallici de cauſa Johannis Parvi habentur in AUGUSTA WOLFFENBUTTELENSI BIBLIOTHECA, magnis *Codicibus MSCtis* comprehenſa.

(*uu*) in Actis Concilii Conſtantienſis de hac Johannis Parvi controverſia, quæ itidem magnis *MSCtis codicibus* abſolvuntur, qui in *Auguſta Wolffenbuttelenſi* ſuperioribus ſunt juncta, exhibetur hæc Alliaci publica Concilio Conſt. propoſita de Johannis Parvi dogmate ſententia. Quam, ſi Deus vires & vitam largietur cum plerisque Actis peculiari hujus operis Hiſtorici Tomo aliquando recenſebimus.

(*xx*) Quod *ex Sigismundi Imperatoris voluntate in Concilio factum* contra Johannis Parvi doctrinam *decretum* refertur à *Gerſone in Apologia.*

(*yy*) *Monumentum hoc Johannis de Falkenberga* pro Johanne Parvi, *Alliaceno* Cardinali in Concilio Conſtantienſi *oppoſitum*, habetur in *Codice MSCto Auguſtæ Wolffenbuttelenſis*, unde ſuo tempore alio Tomo hujus operis repetemus.

(*zz*) Non diſſimulavit has artes *Gerſon* in laudata *ſua Apologia.*

Digitized by Google

Iniquos in Concilio judices expertus.

ſonem. Ut & in ipſo Concilio de corrupro judicio conquererentur, finitoque Concilio concoquere hanc veritati illatam injuriam non poſſent: Qui palam hosce judices accuſarent iniquitatis, qui perſonarum reſpectu faſcinati hos damnarent infirmiores, alios abſolverent potentiores, qui *Huſſum* cremaſſent, *Wicleſumque* damnaſſent, *Johannem Parvi* elabi ſinerent. *(aaa)*

Scripta in Concilio edidit.

Porro anno 1416. cum *Reformationis* caput in Concilio tractaretur, peculiaribus ſcriptis de *Autoritate Eccleſiaſtica* & *Reformatione Eccleſiæ* palam expoſuit, ſenex ſexaginta quinque annorum, quid intereſſet Eccleſiæ, moniturus. *(bbb)*

Feſtum Trinitatis commendavit.

Devotio, pro communi illius temporis in externarum ceremoniarum ubertatem affectu, pellexit Alliacum quoque, ut, qui ante paucos annos *Feſtum Trinitatis* celebrari per Benedictum curaverat, nunc in Concilio *Joſephi Feſtum* *(ccc)* peculiari ſcripto commendaret. Quem imitatus Gerſon, multis in Concilio Conſt. concinnatis libris ac epiſtolis hanc in rem facientibus, quæ habentur Tomo IV. operum Gerſonis.

Orationes in Concilio habuit.

Poſtquam A. 1417. Electio novi Pontificis quæſita ac tentata, Cameracenſis noſter prope ſeptuagenarius *orationes* habuit varias *de Reformatione Eccleſiæ in capite & in membris.*

Scripſit tunc etiam V. Non. Octobr. *de modo & forma eligendi Papam.*

Electioni Papæ interfuit.

Electioni dum *interfuit* ſenex, Cardinalis, Martino V. electo, *reformationem capitis fruſtraneam* eſſe expertus eſt.

Soluto dein anno 1418. per Papam Martinum V. *Concilio, ad Camera-*

(*aaa*) *Gerſon* pluribus hoc proſecutus eſt in memorata *Apologia*: *Petrus* autem noſter *Cardinalis* in ipſo Concilio variis *orationibus* acriter injuſtos hos judices & callidos machinatores perſtrinxit. Videri hanc in rem poterit *Oratio ſolennis Cardinalis* noſtri *Cameracenſis*, habita publice in Concilio Conſtantienſi A. 1417. die Dominico medio Quadrageſimæ, Tomo I. Operum ejus, Argent. 1490. Ubi bilem ſuam effudit in iniquos illos juſtæ cauſæ tortores.

(*bbb*) Publice in Concilio in celebri conſeſſu prælecta atque publicata ſunt illa *Alliaci opuſcula*, Eccleſiæ fortunam ac ſalutem concernentia. Illud, *de Autoritate Eccleſiaſtica*, d. 1. Octobr. in Eccleſia S. Pauli. hoc *de Emendatione Eccleſiæ* d. 1. Nov. ejuſdem anni Concilio oblatum. Quod & alii omnes ſcriptores memorant. Sanctesius lib. De Euchariſtia, Rep. X. Cap. X. recenſente Launojo, Tom. II. f. 475. ita ſcribit: *Inter Doctores Concilii Conſtantienſis quaſi lumen emicabat vir inſignis Petrus de Alliaco, Epiſcopus Cameracenſis, qui Synodo librum ſuum de Emendatione Eccleſiæ obtulit.*

(*ccc*) Monet hoc Launojus f. 475. *Alterum* opuſculum ab *Alliaco in Concilio editum eſt De duodecim honoribus beati Joſephi, qui eo ſeculo majori quam antea veneratione coli cœpit. Memini me legere Manuſcriptum Turonenſe Breviarium, in quo nocturnarum vigiliarum lectiones ex illo libello ſumerentur.* Habetur *hoc ſcriptum Tom. I. Op. Arg.* 1490. Quod autem illa tempeſtate *magnus dierum Feſtorum* creſceret *numerus*, *Clemangius* hoc nimis feſtivum, ac veræ Chriſtianæ rei, in ſincera pietate ac interno magis Dei cultu poſitæ, non parum adverſum judicavit, edito hanc in rem A. 1413. pulchro opuſculo, *De novis celebritatibus non inſtituendis.* Habetur in operibus Clemangii editionis *Lydianæ.*

Digitized by Google

meracenſem ſuam Eccleſiam reverſus eſt. Doloris ampliſſimam materiam non ſolùm *ex irrito in multis Concilii eventu*, ſed & ex *Pariſienſis Academiæ ruina* invenit.

A Concilio Cameracum reverſus, triſtia vidit fata.

In reſtaurandum ac beandum dotandumque *Navarrenſe Collegium* multa contulit beneficia (*ddd*) Cameracenſis, ſeptuagenario major. Ut gratiam referret Domui, in qua & doctrinam & honores olim conſecutus ampliſſimos.

Splendidũ collegium Pariſiis ſuſcitavit.

Inter alia in reſuſcitandam Academiam beneficia numeratur, quod *nobile Collegium*, magnificum ædificium, de hujus ſui Conditoris nomine dictum *Domus Alliaci*, extruxerit. (*eee*)

Gerſonis exilium deflevit.

Amiciſſimos ſibi multos *viros* & *cædi* & torqueri *Pariſiis* miſerrime, per Burgundiones, ſuo cum dolore vidit, qui ipſe vix ſalvus evaderet. *Gerſonis* quoque integerrimi Viri *exilium* deploravit, cui in exilio magno fuerat ſolatio Alliacus in Gallia à cæde ſervatus. (*fff*)

(*ddd*) *Circa hoc tempus obſervandum mihi videtur*, inquit *Launojus Tom. II. f.* 475. *quod ad illius gloriam non mediocriter conducit. Tot quippe & tanta bona cum in libris atq; ædificiis, tum in reditibus regio Navarræ Gymnaſio identidem contulit, ut ducentis abhinc annis & triginta fundator alter exiſtimetur.*

(*eee*) Quod *Spondanus* in Annalibus Eccleſiaſticis notaverat, *ab Alliaco extructam* quoque eſſe *Bibliothecam*, repudiat *Launojus*, ac pro opere Caroli VII. Regis habet, cujus & nomen μονόγραμμον Bibliothecæ feneſtris vel centies ſit inſcriptum, & ſtatua in occidentali turbinati parietis cono erecta conſpiciatur. Quid ſi verò Alliacus & conſilium Bibliothecam inſtituendi dederit, & libros non paucos ſuppeditaverit, quod fatetur Launojus, Rex locum dederit domumque ſuſcitaverit atque ſedem ornaverit? *Condidit*, inquit Launojus, *ingentem illam domum, in idonea cubicula duodecim tributam, quæ ad Septentrionis regionem communi areæ imminet, quæq; à ſui Conditoris nomine Domus Alliaci in Collegii Regeſtis appellatur.*

(*fff*) Hanc *Alliaci ſervati fortunam* his in exilio ſuo ſpontaneo ornavit metris Gerſon.

Adv. Eheu, perurgent, *monice*, monice,
Anni nefaſti, ſanguinei, & necis.
Civilis enſis cuilibet imminet,
Qui juſte vivit, vera vel edocet.
Monic. Me me fruaris, *advena*, conſule
Hac in ruina peſtiferæ vicis.
Ad te redito ſolus in otia.
Eſto virilis, vim facito tibi.
Mens in ſuperna ſe levet ocior
Odas canoras pſallat alacrior
Quales Sophiæ dictat amor pius,
Non quas libido ſordida ſuggerit,
Quas muſa garrit ſcenica crebrius,
Ut cor malignis urat amoribus.
Curæ, coquentes anxia pectora,
Triſtes abibunt, credito, longius,
Nam ſpiritus cor viſere cœlitus
Gaudet, quod almum perſonitat Deum.

Digitized by Google

Pontifici reſponſa dedit.

A. 1422. cum Wratiſlavienſes Pontificem Martinum V. obſecraſſent, cauſam apud illos controverſam de cenſibus ac reditibus alienandis ac vendendis componeret, Pontifex conſultis inter alios Petro Alliaco Cardinale & Gerſone, ex ipſorum ſententia, quam recenſuit *Launojus Tom. I. f.* 129. litem diremit, Bulla in hanc rem publicata, quæ habetur inter *Extravagantes communes lib.* 3. *tit.* 5. *cap.* 1.

Legatus Papalis in Germaniam inferiorem.

Senex ſeptuagenario major altera vice à Pontifice Martino V. *in Germaniam ablegatus* eſt, quo officio proxime ante Concilii Conſtantienſis tempora jam erat functus. In qua *legatione ad Germanos* vita tandem quoque functus eſt.

Teſtamentum condidit.

Morti igitur *vicinus*, anno 1425. ſenio confectus, ſeptuaginta quinque annos natus, *teſtamentum* condidit, quo corpus ſuum ſub altari parvo Chori Eccleſiæ Cameracenſis recondi mandavit. Præterea *Cameraci* in Eccleſiis, & *compendii* in patria ſua in variis Eccleſiis, & *Pariſiis* tum in æde regia tum in Collegio Navarræ, ut & in Eccleſiis *Sueſſionenſi*, *Noviomenſi & Anicienſi* ſacra funebria fieri juſſit.

Legavit multa Eccleſiis.

Certam pecuniæ ſummam *legavit* Noſocomiis & pauperibus Eccleſiis, quæ in patria *Compendii*, *Cameraci*, & ad illas urbes conditæ.

Non immemor familiæ.

Juſſit denique, id omne quod *opum* ſuarum ſupereſſet, in tres dividi partes. Quarum una ad *juſtorum* in Eccleſiis Pariſienſi, Sueſſionenſi, Noviomenſi, Anicienſi, S. Antonii Compendienſis, & Navarrici Collegii, *funebrium* conſtitutionem impenderetur, altera in *pauperum adoleſcentularum* generis potiſſimum ſui *matrimonium* inſumeretur, tertia propinquioribus quatuor *hæredibus* traderetur. (ggg)

Poſthæc & longæ vitæ & multis laboribus finem impoſuit, quando

Adv. At cum ſodales mors mihi ſuſtulit,
Cum Pallas arcem vix habitet ſuam,
Quæro, ſonabunt cui mea cantica,
Nervi loquentes, quos lyra temperat?
Mon. Omitto Muſas, angelus audiet
Sanctique tecum! Nonne ſatis tibi?
Nec prorſus omnes mors tulit effera.
PETRUS ſuperſtes, quem ſapientia
Totum replevit, CARDO dedit ſibi
Nomen ſtatumq;. Sufficit unicus,
Carmen melodum cui reſonet tuum.
Vivit *Gerardus*. Quis rogo par ſibi?
Qui *veritatis exul amore* fit.
Noſtri *Clemangis* dulce ſapit ſtilus.
Ætas novellam progeniem dabit
Pro patribus, quos perdidit Atropos.

(ggg) Verba Teſtamenti recenſuit *Launojus Tom. I. f.* 131. Ubi & executorum Teſtamenti longam conteſtationem, legatorumq; Alliacenorum curatam recenſionem, ſcriptam Cameraci A. 1429. d. 18. Apr. attexuit. Conf. Tom. II. f. 475. 476.

Digitized by Google

quando hoc ipſo *anno* 1425. *d.* 9. *Octob.* ex hac vita emigravit vir religioſisſimus, *annos natus ſeptuaginta quinque.* (*bbb*) *Obiit A. 1425.*

In legatione vero, nomine Pontificis Martini V. in *Germaniam*, eamque *Inferiorem*, quod diem obierit, manifeſte refert monumentum ejus, in Cathedrali Eccleſia Cameracenſi ſpectandum, his verbis: IN GERMANIA INFERIORI *pro ſede Apoſtolica legatione fungens moritur IX. Octobris M CCCC XXV.* Non igitur in ſua Cathedrali Eccleſia Cameraci, ſed ab inde legatione Papali abſtractus, extra Epiſcopalem ſedem vitam clauſit. Id quod etiam exinde manifeſtum, quod *corpus defuncti Cameracum* fuerit *deportandum.* Locus autem Germaniæ inferioris, ubi defunctus, in monumento illo non eſt expreſſus. *In Germania Inferiori.*

Quod verò *Aubertus Miræus*, *Hoffmannus in Lex. Univ. Launojus*, *Tom. II. f.* 480. referunt, Alliacum *Avenioni* fuiſſe mortuum, undecunque demum hauſerint, pugnare omnino cum ipſo Cameracenſi videtur monumento. (*iii*) Niſi fallat *Avinionis* appellatio, ut alius ſit urbis in inferiori Germania aut Belgio character. Quid ſi ſit *Avenna*, parva urbs in *Hannonia*, adeoq; Inferiori Germania, *Aveſne*, haud longe à *cameraco* diſſita? Quo forte æger ex Germania ulteriori delatus expiraverit ante, quàm Cameracum plane attingeret grandævus.

Exuviæ ex Germania Inferiori *Cameracum deductæ*, in Eccleſia Cathedrali pone majus altare ſunt *reconditæ.* *Exuviæ Cameracum deductæ.*

Uti ex Teſtamento in variis Galliæ Eccleſiis *ſacra* pro Alliaco *facta*, ita & æterna paſſim Cardinali defuncto ſunt ſuſcitata ***monumenta***, indelebilia meritorum virtutisque probatiſſimæ teſtimonia. *Sacra paſſim pro eo facta.*

Pariſiis in Baſilica Collegii Navarrenſis Epitaphium ***imaginem*** *Cardinalis* hujus refert purpura Cardinalitia amicti, quæ omnium ſpectantium oculos poſt fata ferire atque in admirationem cunctos rapere publica autoritate debuit; hac addita inſcriptione: ***Memoriæ Reverendisſimi in chriſto Patris Domini Petri de Alliaco, tituli quondam S. Chryſogoni Cardinalis Presbyteri, Cameracenſis Epiſcopi, hujus pridem Domus Præceptoris ſeu Magiſtri ac benefactoris amplisſimi, cujus geſta atque legata in literis ſuper his confectis atque tabellis ſuppoſitis continentur.*** Quæ memoratur tabula, largitionum ***Compendii*** hujus maximarum breve compendium complexa, videri poteſt apud Launojum Tom. I. f. 134. ſeqq. (*kkk*) *Monumentum ejus Pariſienſe.*

Præter-

(*bbb*) Launojus Tom. I. f. 129. *Anno poſtquam vaſtatum eſt à Burgundionibus Collegium, ne quid illius infelicitati deeſſet, in Germania lux Eccleſiæ magna extincta eſt Petrus Alliacus, cum ibi legatione Apoſtolica defungeretur, Cameracenſis Epiſcopus & tituli S. Chryſogoni Presbyter Cardinalis. Hoc nomen pietatis nomen eſt & Eccleſiaſticæ eruditionis.*

(*iii*) Pugnare ſecum videbitur *Launojus*, qui l. c. *T. II. f.* 129. *in Germania* Aliacum defunctum dixerat, *Tomo II. f.* 480. *Avenioni* obiiſſe memorat: Niſi forte concilietur modo ſimili à nobis ſuppeditato.

(*kkk*) Initium monumenti illius Navarrici hic notare libet, ex quo conſtet, quantum apud Gallos Alliacenæ virtutis ac benignitatis fuerit pretium. *Fundationes,*

Digitized by Google

Symbolū ejus.

Præterea *ſymbolum Cardinalis* imagini adjectum : *Veritas vincit.* (*lll*)

Monumentum Compendienſe.

In patria etiam, *Compendii*, in Eccleſia B. Antonii, in perpetuam viri memoriam, & patriæ laudem perennem, *epitaphium* ſuſcitatum, quo Cardinalis noſter Petrus Alliacus, cardinalitio habitu veſtitus, inter parentes ſuos poſitus, quibus utrumque filii latus clauſum conſpicitur, ſingulare patriæ decus ac ſempiterna gloria.

Monumētum Cameracenſe.

Similiter *Cameraci* in Eccleſia Cathedrali Epiſcopi ſui incomparabilis ſanctam memoriam conſervarunt Cameracenſes hoc monumento: *Magiſter Petrus de Alliaco, Doctor Theologus, apud Compendium humili loco natus, per varios gradus conſcendens, primum Pariſienſis Academiæ Cancellarius, & Johannis Gerſon ſimiliter Cancellarii Magiſter: Item Capellæ Palatii Regii Theſaurarius: Deinde Cameracenſis Eccleſiæ major Archi-Diaconus factus eſt, & ſuſceptus*

---

tiones, erogationes & inſtitutiones Reverendiſſimi in Chriſto Patris domini Petri de Alliaco, Cardinalis Presbyteri tituli S. Chryſogoni, Cameracenſis Epiſcopi, hujus quondam Domus Præceptoris ſeu Magiſtri ac benefactoris munificentiſſimi. Reverendiſſimus in Chriſto pater dominus Petrus, dictus de Alliaco, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ tit. S. Chryſogoni Presbyter Cardinalis, Anicienſis, ac deinde Cameracenſis Epiſcopus, Doctorq́; Theologus eruditiſſimus, utpote dum viveret Aquila Franciæ appellatus, atque aberrantium à veritate malleus indefeſſus, hujus quondam Domus Præceptor ſeu Magiſter, ac deinde Pariſienſis Cancellarius, natione Compendius, ipſiusque domus à præceſſoribus ſecundus fundator vulgatus: Quippe qui, poſt multa donaria neceſſaria videlicet ſuis ope & opera erecta, ac ſingulariter præcipue Domus Theologorum conſtructionem, ac deinde librorum ſeu codicillorum tam in hac Capella, quam in Bibliotheca ſeu libraria, nedum à ſe ingenio ſtudio & induſtria dictatorum, ſed etiam præceſſorum doctorum doctus ſcriba in regno cœlorum, proferens de theſauro ſuo nova & vetera, affluam erogationem --- magnificus largitor ac liberaliſſimus diſpenſator nobis donavit &c.

Dolendum verò claudi iſthanc tabulam obſcuris & infelicibus rithmis, eleganti genio Alliaci diſparibus, qui epicedion referre debebant:

Funera quæ captat, hinc felix, urbs Cameraci,
Munera contrectat ejus Venerandi Aliaci.
Hæc Domus; In qua auctus & tanto eſt ſchemate fultus,
Ut ſtudiis clarus claros ſuperaret; Adeptus
Eccleſiæ gradibus apicem, usque ad Cardinalatus.
Quis non ingratus larga attulit, ut legis intus:
Exemplo exemplum dans ædem augereq́; templum.
Quem jam cum ſanctis ideo Deus adjice cœlis. *Amen.*
Qui legis, hic claude, diſcedens claudere gaude,
Quo ſic continuo ſtem quoque perpetuo.
Veritas vincit.

(*lll*) Quod ſi *epitaphium*, quod vocat Launojus f. 479. *breve*, his verbis conceptum: *Hic jacet reverendus Pater Dominus Petrus de Alliaco, Theologiæ Doctor, quondam Epiſcopus Cameracenſis, orate pro eo*, ſit lapidis ſepulchralis inſcriptio, exiguum lapidis ſpatium facile prohibuerit addere alia deſignata, veluti quod Cardinalis fuerit & Legatus poſtremo Apoſtolicus, & ſimilia. Sicuti in lapidibus ſepulchralibus ſæpe brevius deprehenditur lemma, quàm præſcriptum fuerat. Ut Launojo eapropter ſollicito & hic eximii queat ſcrupulus.

Digitized by Google

ptus XXVII. Maji M CCC XCI. *moxque à Pontifice Maximo Benedicto XIII. ad Anicienſem Epiſcopatum promotus, & poſt ſeſquiannum ad Cameracenſem Eccleſiam, jam ſeptem menſibus ab Andreæ de Luxemburgo deceſſu vacantem translatus, initio menſis* (forte omiſſum *Julii*) *anno* M CCC XCVIII. (legendum XCVI.) *abſens per procuratores poſſesſionem adeptus. Ipſe ſequenti menſe Auguſto ad eam venit, illique præfuit annis fere XIV. Demum à Johanne XXIII. Pontifice Maximo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis tituli S. Chryſogoni creatus eſt menſe Majo* (forte legendum Junio) M CCCC XI. *In Germania Inferiori pro ſede Apoſtolica legatione fugens moritur X. Octob.* M CCCC XXV. *Exuviæ corporis ſequenti menſe Julio* (forte Nov.) *cameracum deportantur retro majus altare, & ibi conduntur.*

Viſitur præterea in eadem *Eccleſia Cameracenſi* memorabile & elegans ſuperiori junctum virtutis Alliacenæ teſtimonium, quod Clemangianum referat ſtylum atque genium. *Epitaphium Reverendiſſimi Patris Domini Petri de Alliaco, Theologi Doctoris, quondam Epiſcopi Cameracenſis.* *Epitaphium aliud Cameracenſe, Cardinali noſtro poſitum.*

Mors rapuit Petrum, petram ſubiit putre corpus:
Sed Petram Chriſtum ſpiritus ipſe petit.
Quisquis ades, precibus fer opem, ſemperque memento
Quod præter mores omnia morte cadant.
Nam quid amor Regum, quid opes, quid gloria durent,
Aſpicis: Hæc aderant nunc mihi, nunc abeunt.

Præclara hæc ingenii Alliaceni encomia, ab obitu ejus cumulata, non ſolum omnes viri docti, antiquæ virtuti literariæ pretium ponentes, in hunc usque diem quotidie repetunt, ſed & tanto cupidius augent, quanto melius ſera poſteritas virtutis antiquæ dignitatem ponderat ac veneratur. Imo ſi taceret orbis, & Alliaci Cardinalis, de Romano-Germanico etiam Imperio optime meriti, dememiniſſet, quod fieri ſane nequit, *monumenta* tamen *literaria Alliacena* ſua luce orbem nunquam non irradiarent, ſuoq; eloquio & ſacrum forum & principum curias implerent. Dum *Gerſonis* memoria erit ſalva, *Alliacus* quoque vivet. Et ſerior poſteritas impenſius adhuc manes horum colet, & ſi fas ſit, divorum numero accenſebit. *Monumenta ejus literaria.*

Edita, tum ſeorſim, tum voluminibus certis comprehenſa, haud longe ab inventa typographia illo adhuc ſunt quo vixit ſeculo *nonnulla*. Recenſita hæc à *Launojo*, *Warthono* & aliis. *Impreſſa aliqua.*

Revocata quoque ſæpius *in lucem* ſequentibus his ſeculis *aliqua*. Verùm non viſus eſt hactenus, qui vel omnia vel pleraque *Alliacena opera* congeſſiſſet, in certos Tomos digeſſiſſet, atque pro genio ac ornatu ſeculi noſtri inſtruxiſſet. Longa hæc orbis eruditi vota utinam impleat tandem aliquis, qui ſi non ſuæ ætatis, poſteritatis tamen, cujus intereſt hæc ſcire, rationem habeat. *In Tomos nondum digeſta omnia.*

Latent autem paſſim Alliacena non pauca, quæ typorum operam nondum ſunt experta, ſed in obſcuris tenebris deliteſcunt, injuſtos carceres & longæ oblivionis vincula ſuſtinendo. Indignum profecto, *Multa adhuc latent.*

Digitized by Google

hæc tantæ eruditionis ac uſus ſcripta, auro pretioſiora, ſic in umbra iniqua detineri, blattis ac tineis exedenda relinqui, ac corruptioni ſpontaneæ committi. Quanto plura elabuntur ſecula, tanto citius etiam effluit ſpes illa ſervandi: Cum præter intrinſecam ac inteſtinam corruptionem, non ſolùm foris flammæ & imperitæ manus incaute hæc abſumant, ſed & ipſa vetus ſcriptio ſenſim vel expiret ac deteratur, vel obſcurior cum annis fiat, oculosque poſterorum prorſus effugiat.

MSCta ejus per Bibliothecas ſparſa. Quædam MSCta Alliacena recenſuit *Launojus Tom. II. Hiſt. Navarr. f. 467. ſeqq. in Gallia* ſervata. Latent *alibi* plura. In Bibliothecis etiam Germaniæ exhibentur ſimiles reliquiæ Alliacenæ. Sicut in *Noſtra Academiæ Juliæ Bibliotheca* nonnihil eorum poſſideri, ex opuſculo ſupra Parte VI. exhibito ac ex MSCtis eruto patet.

Quo trahitur longior ætas, eo gravius & difficilius periculum premit hæc talia MSCta. Quandoquidem ex priſcorum ſeculorum vel modeſtia ipſi autores nomina ſua exprimere intermiſerunt, vel amanuenſes ac librarii partim ex imperitia, partim ex judicii tarditate illa addere neglexerunt. Quod grande eſt infortunium, quod MSCta urget, premit, ac tantum non plane opprimit. Sane ex eo fit, ut, autore ignoto, vel ſcripta non æſtimentur ac abjiciantur, vel meris ac lubricis poſterorum conjecturis exponantur.

Simile fere & nobis contigit in recenſione opuſculi, Parte ſuperiori VII. ex *MSCto antiquisſimo* magno labore eruti. *Inquiritur in autorem operis ſupra Parte VII. exhibiti.* Nimirum in *pretioſisſimo Codice MSCto*, & antiquitate ſua venerabili, & argumentorum ac ſcriptorum contentorum dignitate incomparabili, *nulla* præſentis monumenti à primo librario facta eſt *inſcriptio*, *nullaque autoris* facta *mentio*; qui forte credidit, lectoribus futuris æque, ac ſibi illa ætate erat, fore cognitum autorem illuſtrem. Quæ nimia fiducia fallat poſteros remotiores. Acceſſit dein *alia manus*, quæ hanc dedit fronti lucem: *Aviſamenta pulcherrima de Reformatione Eccleſiæ in capite & in membris fienda.*

Petrus de Alliaco creditus autor. Nos igitur, hoc præclarum *opuſculum anonymi Tomo huic I. Rerum Concilii Conſtantienſis* cum aliis antiquis ſcriptis nobilibus daturi, diu hæſimus, quibus non pateret via ad *autorem certum* penetrandi.

Non proinde aliud ſuperfuit remedium autorem indagandi, quàm conjectandi ac ex re tractata ut & ſtylo colligendi artificium.

Quod igitur conſtaret, Alliacum tempore Concilii Conſtantienſis plures de Eccleſiæ Reformatione ſcripſiſſe libellos, inque illorum com pluſculis cognitis idem fere tractaſſe argumentum parique fere ſtylo, uti in illo anonymi deprehenderetur: Hinc conjectura ſubiit ani mo, *Alliaco* & hoc opus inſigne atque memorabile deberi. Inprimis huc nos pellexit *appendix in MSCto Vindobonenſi* obvia, etſi à libro quoad rem nobis diſtincta viſa, in qua *autor anonymus* illo ſollicite eſſet uſus comparationis genere, inter ſolis, lunæ & aſtrorum lu cem in cœlo atque regiminis Eccleſiaſtici & civilis officia in terris, quod extra controverſiam *Alliacus* in ipſo Conſtantienſi Conci-

Digitized by Google

Concilio in ſolenni oratione fuſe erat proſecutus. Quam luculentam aliàs orationem Alliacenam, hoc dicendi ac illuſtrandi genus complexam, ſupra, ſub finem opusculi, ex antiquo codice exhibuimus.

Hæc igitur *noſtra tum* fuit *conjectura*, quæ effecit, ut Alliaco interea dandum crederemus quod genium ac ſtylum ejus referret, donec major aliquando lux *autori genuino* alluceret, vel major conjiciendi felicitas obtingeret. Uti Alliaco plane aſſerere opus haud ſuſtinuimus, meticuloſiores in re obſcura & ancipiti.

Ne autem & aliam, forte *feliciorem conjecturam* hic prætereamus, quid rem diu noctuque penſitantibus nobis inciderit pro *autore aurei illius opuſculi* cognoſcendo, candide exponere lubet. Ut ſagacioribus aliis uberior & amplior rimandi detur anſa. *Conjectura nova.*

Scilicet, THEODERICUS à NIEM, *Weſtphalus*, *Paderbornenſis*, *Epiſcopus*, ut fertur, *Verdenſis ac Cameracenſis*, curiæ Romanæ, ſub multis Pontificibus toto pene ſchiſmatis illius tempore ante Concilium Conſtantienſe, miniſter haud poſtremus, ſecretioribus Pontificum negotiis adhibitus, ſui erga Eccleſiam amoris & erga Imperium Romano-Germanicum, ſub quo natus, devotionis fuit tenaciſſimus. Quæ affectionis in Deum & Magiſtratum ſemel conceptæ tenacitas ac infracta mentis conſtantia in antiquis jam olim laudata Weſtphalis. Hic ergo Weſtphalus, *Theodoricus à Niem*, infortunii Eccleſiaſtici illa tempeſtate communis impatiens, ac læſorum jurium Imperii Romano-Germanici pertæſus, varia illo tempore ad viros doctos & illuſtres ipſosque Principes dedit ſcripta, quibus fideliter conſuleret. In his refertur opuſculum, à *Simone Schardio* in *Syllogen Hiſtorico-Politico-Eccleſiaſticam f.* 247. relatum, hoc tit. Privilegia & jura Imperii, circa Inveſtitura Epiſcopatuum & Abbatiarum, reſtituta à Papis Imperatoribus Romanis, & ſimul variæ hiſtoriæ, ad eorum illuſtrationem utiles, per *Theodericum à Niem*. Hujus *opuſculi Niemiani* venditatam *præfationem*, dum ob ſcripta Niemii plenius cognoſcenda illud opuſculum denuo nuper evolvimus, convenire ſenſimus cum *appendice* laudati noſtri opuſculi, neque differre niſi unâ alteraque vocula, quam vel Schardio vel nobis MSCtorum ambiguitas dictasſet. Hoc quoque diſcriminis incidebat, quod à Schardio ille *Niemianus diſcurſus de autoritate ſupremoque jure Imperatoris* pro præfatione operis habeatur, qui in Codice MSCto Vindobonenſi nude exhiberetur, absque opere ipſo à Schardio ſubjuncto. Sicuti & *Epiſtolæ* alicujus verba eſſe palam dicuntur. Præterea in CODICE MSCto VINDOBONENSI plura ad *eandem Epiſtolam* pertinentia exprimuntur, à nobis inde deprompta, quæ in Schardiana præfatione non leguntur. Ut, ſi conjectura quid valeat, videatur non tam eſſe præfatio operis, quàm ſeparatum quoddam opuſculum alteri cuipiam viro magno ſubmiſſum, & id quidem à Schardio non integrum inventum ac recenſitum. Quemadmodum nec nos aſſeveraverimus, etiam cum illo Auctario Codicis Vindobonenſis *epiſto-*

Theodericus à Niem Weſtphalus autor videtur potius libri ſupra Parte VIII. editi.

piſtolam vel *diſſertatiunculam Niemianam* adhuc eſſe integram atque perfectam. Viderint hoc, quibus ſimiles inſpicere *Codices MSCtos antiquos ad Concilium conſtantienſe pertinentes dabitur.*

Conſonum huic & alterum ſcriptum *Theodorici à Niem, à Goldaſto* expreſſum *Tomo II. Monarchiæ S. R. Imperii, f.* 1381. *Exhortatio* nempe *ad Dn. Rupertum Romanorum Regem, ut ſurgat à diuturno ſomno, &, ut extirpetur ſchiſma Pontificium ab Eccleſia & jura Imperii reformentur, intendat.*

Theodorici à Niem Opus de Reformatione Eccleſiæ, idẽ eſſe videtur, quod Parte VII. *Petro de Alliaco adſcriptum.*

Quandoquidem igitur *Appendix illa Partis VII. ex MSCto Vindobonenſi* debebitur huic *Theodorico à Niem*, magno tum temporis Viro, forte eidem Niemio opuſculum ipſum Partis VII. acceptum fuerit ferendum. Idque ex eo videbitur robur accipere, quod memorent Viri clariſſimi, Geſnerus & alii, *Opus* THEODERICI *à* NIEM *MSCtum in* BIBLIOTHECA CÆSAREA reperiri DE REFORMATIONE ECCLESIÆ ROMANÆ. Veroſimile adeo, eſſe laudatum illud monumentum, ſub charactere *Aviſamentorum pulcherrimorum de Reformatione Eccleſiæ in capite & in membris fienda, in MSCto* VINDOBONENSI deſignatum, & à nobis *Parte VII.* ſub umbra Petri de Alliaco ex laudatiſſimo *MSCto Vindobonenſi* recenſitum, huic THEODERICO *à* NIEM reddendum. (*mmm*)

Neque verò adverſum lectori videbitur, in antiquis ejusmodi & pene ſepultis rebus, minutisque rerum, ut videntur, circumſtantiis, *genuinis* nempe *autoribus* eorumque virtutibus cognoſcendis atque diſtinguendis, pluſculum operæ impendi. Magna enim libro affunditur lux ex ipſius ejusque magni autoris oculis. Intueri frontem ſcriptoris, ejusque colores obſervare, dum liber inſpicitur, eſt magnum operi conciliare lumen. Genius autoris cognitus, eſt optimus in legendo commentarius.

Neque alienum fuerit, in auctore reſuſcitando, atque ex pulvere revocando ſuæque integritati reſtituendo, feliciorem exiſtere diem unum altero. Habemus ſæpe libri autorem, etſi hæſitabundi, quandoque certiſſimi, quem mox linquimus, veriore ſubſtituto. Magnum ſane in inventione eſt fortunæ præſidium, cui, quæcunq; ſit, indignari nefas.

Plura in aliis Viris clariſſimis hujus *fortunæ haud repudiatæ* daremus exempla, dum veſtigiis aliquibus cognitis, profundius tandem *in intimam antiqui ſtatus cognitionem* penetrarunt, ſi locus eſſet. Sane quid in tenui umbra nobis ipſis contigerit, alio liceat illuſtrare exemplo, in ipſis his rebus antiquis Concilii Conſtantienſis adornandis haud infeliciter oblato.

In univerſo nempe *opere hoc, res Oecumenici Concilii Conſtantienſis complexo,* ex arbitrio SERENISSIMI DUCIS RUDOLPHI

(*mmm*) Atque ita rectiſſime porro auguratur illuſtris *Meibomius Tom. I. Rerum German. f.* 3. hoc de *Reformatione Eccleſiæ opus Nimianum*, in MSCto codice Cæſareo conſpicuum, non eſſe idem cum illa *ad Imperatorem Rupertum Epiſtola Nimiana*, quam ſtitit Goldaſtus. Id quod manifeſte docebit collatio utriusque, hujus à *Goldaſto* alterius *à nobis* ſupra expreſſi operis.

Digitized by Google

PHI AUGUSTI, agmen Scriptorum antiquorum ducere debuit THEODERICUS VRIE, *Theologus Auguſtinianus ordinis Eremitarum, Provinciæ Saxoniæ.* *Hiſpanus* hic habitus à Scriptoribus Italis aliisque ſequacibus, uti in vita ejus monuimus *Parte I. fol.* 222. Verùm interea dum fruſtra per literas quæſivimus ubi terrarum vixiſſet, conjecimus *Germanum* fuiſſe, qui ex *antiquæ Saxoniæ* ſive *Weſtphaliæ* cœlo auram traxiſſet, & vel in ipſa *patria mea Oſnabrugo* egiſſet.

Theodericus Vrie non Hiſpanus ſed Germanus.

Neque vanum ſed *fortunatiſſimum* fuiſſe *augurium*, poſt longum & ſollicitum ſcrutamen nos docuit JOHANNES SCHIPHOWERUS, MEPPENSIS, WESTPHALUS, ejusdem ordinis cum Theoderico Vrie *Theologus, Auguſtinianus*, qui in eodem plane quo Theodoricus noſter Vrie egit Oſnabrugenſi Collegio, eodemque quo Vrie claruit ſeculo. Notavit hic aperte in *Chronico Archi-Comitum Oldenburgenſium, Tomo II. Rerum Germanicarum Illuſtris Noſtri* MEIBOMII, *fol.* 172. inclaruiſſe THEODERICUM VRIE in WESTPHALIA, antiqua Saxonia, & quidem in ipſa OSNABRUGO, ubi in Collegio Auguſtinianorum *Theologi Profeſſoris* munus cum laude obierit. Digna omnino ejus, quæ hic legantur verba, quod inſigniter illuſtrent conjecturas non prorſus vanas in obſcuris & reconditis antiquitatis ruderibus. *Vixerunt*, inquit Schiphoverus, IN CONVENTU OSNABURGENSI *ordinis Fratrum Eremitarum Divi Patris Auguſtini duo luminaria mundi. Primus fuit venerabilis lector Johannes de Widenbrugge, Vir ſincerus & doctus. Quis eo clarius librum Eccleſiaſten explanarit penitus ignoro. Quem librum Vaniloquum intitulavit & in duas partes diviſit. Sermones multos ad clerum & ad populum dereliquit. Secundus fuit doctiſſimus Lector* DIDERICUS VRIGE, *qui fuit* VIR MAGNÆ SCIENTIÆ ET SANCTITATIS. *Et in Scripturis reliquit* LIBRUM DE CONSOLATIONE ECCLESIÆ, *qui incipit: Regi Regum cura exemplum. Quem librum* IMPERATORI SIGISMUNDO *poſt Concilium Conſtantienſe propinavit, in die SS. Philippi & Jacobi, ſicut ipſe fatetur in Poſtillis ſuis ſermone, qui incipit: Simile eſt regnum cælorum homini qui ſeminat bonum ſemen: Coſmologion, ſive librum apum: Tractatum de Conceptione immaculatæ virginis: Sermones multos de feſtivitatibus virginis glorioſæ: Sermones æſtivales & biemales ſuper Evangelia. Scripſit ſuper decem præcepta. Item de intenſione ac remiſſione formarum contra Marſilium de Padua: Logicam magnam & parvam: Quadrageſimale egregium, quod habetur Coloniæ noſtra in libraria, & multa alia, quæ ego videre non merui.*

Johannes Schiphoverus, Weſtphalus, Theologus & Hiſtoricus.

Theodericus Vrie Oſnabrugenſis Weſtphalus, Theologus & Hiſtoricus.

Scripſit Hiſtoriã Concilii Conſtantienſis ſupra parte I. exhibitam.

De cetero, ut in viam redeamus, uti *MSCta Alliaci Opera*, ſui temporis hiſtoriam & fata Eccleſiæ ſpectantia, ex tenebris in lucem protrahi dignum & æquum eſt, ita & *edita cum MSctis reliquis* tanto curatius omnino *conferenda*, quanto magis ſæpe edita à MSCtis differunt, ſive deſcribentium lapſu ſive codicum MSCtorum

quo-

Digitized by Google

quorundam, quibus alii editores uſi, vitio. Sane ipſi deprehendimus, dum præſentis, hac parte VIII. proditi operis editionem primam cum nobili & integro *MSCto Vindobonenſi* contulimus, olim omiſſa partim, partim à mente autoris deflexa, quæ vel in MSCto illoc tunc deſiderata aut librariorum incuriâ in prima editione detorta. Optandum itaq; eſſet, Viri eruditi excuterent ſedulo ſcrinia publica, ut ab interitu ſervatis & Alliacenis & aliis antiquioribus MSCtis, ederentur rariora, & decenti ornatu inſtructa ac munita ad poſteros commode propagarentur. Quod noſtrâ ætate, in poſteros amore, & in publicam ſalutem ſtudio dignum.

Digitized by Google

Incomparabiles hi
REEFORMANDÆ ECCLESIÆ
CANONES
Scripti
CONSTANTIÆ GERMANORUM
In Concilio œcumenico
A. M CCCC XVI.
Cal. Nov.
ac ſummis Concilii Aſſeſſoribus
ſolenniſſime
exhibiti
ab
Illuſtri Concilii Capite
PETRO DE ALLIACO
CARDINALE CAMERACENSE
Imperante
CHRISTIANISSIMO CÆSARE
SIGISMUNDO.

Redin-

Digitized by Google

Redintegratum
Memorabile hoc
Cardinalis opus
In ACADEMIA JULIA
A. M. DC. XCVI.
Menſe Octob.
ex admirabili Codice MSCto
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ
CÆSAREÆ VINDOBONENSIS
Auſpiciis
Sereniſſimi Brunſvicenſium
Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI,
Inexplicabili
Gratiâ
IMPERATORIS
INVICTISSIMI
LEOPOLDI
MAGNI.

Digitized by Google

TOMI I. PARS IX.

ANONYMI,

ut videtur

FRANCISCI DE ZABARELLIS

Cardinalis Florentini

Qui in Concilio Conſtantienſi eminuit

CAPITA AGENDORUM IN CONCILIO GENERALI CONSTANTIENSI DE ECCLESIÆ REFORMATIONE.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG. DUCIS &c.

Ex *antiquiſſimo Codice MSCto*

AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS

eruta ab

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Jul. Profeſſore.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

Digitized by Google

JO. FRANCISCUS POGGIUS
FLORENTINUS
In Oratione funebri Cardinalis
FRANCISCI ZABARELLÆ,
in Conſtantienſi Concilio defuncti.

* † *

Ejus præſentia
In omni re in Concilio Conſt. valebat.
Ut nihil agi poſſe videretur
ubi ipſe non eſſet:
Qui & celeriter res animo comprehendere
& faciliter poſſet Concilio explicare.
Itaque deputabatur fere ad ſingula,
Verbaque ejus pro ſententia habebantur.
Illud verò ſumme laudabatur,
quod ea,
quæ multi variis ex cauſis dicere neſcirent,
ſolus hic apte loqueretur.
Nemo enim liberius in hoc Concilio
locutus eſt unquam,
nemo fidentius.
Deum plus verebatur quam homines,
animæ ſalutem corpori præferens.

Digitized by Google



Chriſtiano Lectori
S. D.
HERMANNUS von der Hardt.

LOcupletiſſimos jam dedimus teſtes triſtium Eccleſiæ fatorum circa tempora Concilii Conſtantienſis, eoſque vivos rerum illarum omnium ſpectatores: *Theodericum Vrie, Oſnabrugenſem Weſtphalum*, Ordinis Eremitarum D. Auguſtini in Oſnabrugenſi Conventu Profeſſorem, magnæ doctrinæ & ſanctitatis Theologum, teſte Schiphowero, multis ſcriptis inclytum: *Nicolaum de Clemangiis, Catalaunenſem Campanum*, oratorem elegantiſſimum: *Johannem Gerſonem*, itidem *Campanum*, Theologum Chriſtianiſſimum: *Petrum de Alliaco, Compendienſem*, Cardinalem prudentiſſimum: Quin & *Theodericum de Niem, Paderborna VVeſtphalum*, Epiſcopum Verdenſem ſagaciſſimum.

Et hos quidem *his ſuis reliquiis* hactenus orbi noſtro haud ſatis conſpicuos invenimus, ſed ex ruderibus monumentorum vetuſtate collapſorum, ex *antiquiſſimis* inquam eruimus *MSCtis, Vindobonenſibus Cæſareis, Brunſvicenſibus, VVolffenbuttelenſibus, Helmſtadienſibus, Norimbergenſibus*.

His *Germanis* ac *Gallis* alios ejusdem ævi Viros clariſſimos, ejusdem illius tempeſtatis ſpectatores ac interpretes integerrimos, ſub alio cœlo natos, addere æquum & juſtum eſt.

Anglis autem eiſq; quatuor hic jam aſſignandus locus. En ergo *Paulum Anglicum*, JCtum, Canonum religioſorum peritiſſimum,

Gualtherum Diſſe, *Anglum* Carmelitam Theologum, *Thomam Netterum*, Waldenſem Anglum, Carmelitam quoque Theologum, *Richardum Ullerſtonum*, Lancaſtrenſem Anglum, Oxonienſis Academiæ Theologum.

Qui omnes atque ſinguli, ejusdem auræ participes, ejusdem calamitatis conſcii, ejusdem de emendatione deſiderii conſortes.

PAULUS ANGLICUS, Decretum Doctor, circa tempora Concilii Conſtantienſis clariſſimus, corruptionis publicæ in Eccleſia illius ætatis miſertus, ſed & zelo correptus, anno 1404. Bonifacio IX. adhuc ſuperſtite, proxime ante Concilium Piſanum, Conſtantienſis Concilii ſecuti principium, magni momenti ſcriptum edidit, quod inſignivit *Aureum ſpeculum Papæ, ejus curiæ, Prælatorum & aliorum ſpiritualium.* Eodem, ſi recte memini ſeculo (puto enim me vidiſſe) in lucem ſtatim, inventâ vix typographia, prodiit. Edidit dein *Wolfgangus Wiſſenburgius* Theologus Baſileenſis, Baſileæ ex officina Johannis Oporini A. 1555. Unde hoc ſeculo hauſit *Goldaſtus*, inque *Tomum II. Monarchiæ S. Romani Imperii* tranſtulit, *f.* 1527. *ſeqq.*

Typographi lapſus in editione Goldaſtiana facile diſſimulabitur, dum pro anno 1404. ad annum 1444. opus relatum in margine, f. 1527. Probe enim Goldaſtus ex ipſo opere vidit veram temporis in autore ejusque ſcripto circumſtantiam, quam & expreſſius ipſe notavit, dum à ſuo, cum hæc ederet *Goldaſtus*, tempore, in principio hujus ſeculi anno 1414. *ante ducentos annos* autorem vixiſſe diſerte monuit. Quod exacte cum re omni quadrat. Sicuti & *VViſſenburgius*, anno 1555 ſcribens, à ſuo tempore *ante centum & quinquaginta annos* Paulum Anglicum floruiſſe notaverat.

Ceterum, cum hactenus nobis deſit *MSCtum* hujus opuſculi, legique impreſſum vel apud *VViſſenburgium* vel *Goldaſtum* poſſit, integrum recenſere animus non eſt. Suffecerit *breve* notaſſe *argumentum*, ut conſtet, conſpirare plane hunc *Anglum JCtum* cum coætaneis ſuis, quos alia tunc viderunt regna, ſive Gallis ſive Germanis, quos ſupra ſtitimus.

Inſcripſit opus Cardinalibus, univerſisque cleri capitibus, quin & omnibus Rom. curiæ miniſtris. Teſtatur ſtatim dolorem, quem ex Pontificum tunc viventium Benedicti XIII. & Bonifatii IX diſſidiis, nec non erroribus innumeris, illa ætate cumulatis, animo conceperit. A ſacerdotibus legem, ſed & ab iisdem legis contemptum natum conqueritur. Neque parcit in ipſa ſtatim præfatione Ro. curiæ, quam illo tempore à planta pedis usque ad verticem capitis erroribus excœcatam appellat, quæque errorum ſuorum veneno tunc inebriarit omnes fere mundi partes, ac ſi immenſam creatoris omnipotentiam Papa ad ſuum libitum poſſet limitare. Excuſat igitur ſuum facinus, qui auſus ſilentium rumpere & publicis illis obniti malis: Quod pauci ſint, qui palam hæc corripere velint; Principes vero mutuis etiam diſſenſionibus diviſi tantam Eccleſiæ corruptionem non attendant. Admonet dehinc univerſum clerum, qui è ſomno excitatus manum admoveat, & medelam

delam paret, ante quam exitium ingruat. Viam ſe illis moſtraturum ait. Corruptionis momenta hæc definit: Beneficiorum Eccleſiaſticorum diſtributionem ſimoniacam, & Indulgentiarum indulgentiam nimiam: Prava de Simoniacis negotiis in ſacris vel admisſis vel probatis ſtatuta ac judicia: Indeque immanem Ro. curiæ lapſum. Utque poſſet tanto aptius & vulnera detegere toto libro, remediaque ſuppeditare, colloquii formam inter Petrum & Paulum operi conciliavit.

Sic ergo *Parte I. Capite I.* agit de titulo ſacro, ſeu officio aut beneficio Eccleſiaſtico, unde originem trahat: Et eo quidem fine hoc ſollicite tractat, ut conſtet, quæ Chriſtianitatis ſit corruptio, & quod eam non niſi ſolius Dei virtus posſit emendare. Titulum Eccleſiaſticum dicit eſſe jus ſpirituale ex electione, confirmatione, inſtitutione, collatione, vel receptione canonica conſentiente proveniens, ad præſidendum alicui Eccleſiæ, monaſterio vel capellæ, ſeu ad aliquod divinum officium, aut aliud miniſterium Eccleſiaſticum circa aliquod, vel in aliquo eorum exercendum.

Hinc colligit: Eum, qui exercere illa ſacra officia non poſſit, eorum eſſe incapacem, cui ne Papa quidem licite conferre queat. Proindeque pueros, ad officia ſacra peragenda ineptos, de jure communi, plane eſſe excludendos, ut alii non ſint pro illis ſubornandi, qui pro illis ſacra faciant.

Cap. II. Enumerat ſeriatim Eccleſiaſticas functiones, Pontificatum ſummum Romanum, Epiſcopatum Alexandrinum, Antiochenum. Dubium movet de Eccleſia Hieroſolymitana, quæ videatur Romanæ præferenda. Verùm Romanam præfert, quæ aliorum omnium rationabiliter mater & magiſtra eſſe debeat. Poſthæc deſignat Patriarchas, Aquilegienſem & Gradenſem, alioſque inferioris gradus Eccleſiaſticos, qui ad exemplum viverent eorum, qui ab Apoſtolis electi viri boni, pleni ſpiritu ſancto & ſapientia, menſæ miniſtrabant, cum Apoſtoli interim verbum tractarent. Ex quo in ſuſpiria prolabitur, illo tempore Apoſtolicam vitam immutatam in Eccleſiaſticis conquerens, qui pro verbo menſam curare rectius didicerint. *Proh dolor*, inquit, *modernis temporibus Apoſtoli per contrarium dereliquerunt verbum Dei & miniſtrant menſæ. Hinc eſt etiam, quod multiplicatis reditibus Eccleſiæ, & poſtquam ad proprietatem devenimus dictorum officiorum, nomina quaſi ad ſola temporalia commoda translata videntur: Et non officia ſed beneficia nuncupantur, ex eo, quod unusquisque communiter quærit quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, ad amplius temporalia obtinenda quam divina miniſteria exercenda.*

Cap. III. De legitima diſſerit ac illegitima officiorum Eccleſiaſticorum ambitione. Illegitime interdum quæri, ſed quæſita posſe juſte poſſideri. Injuſte alia quæri & injuſte poſſideri: Ut & juſte quæri ac juſte posſideri. Illo tempore in Ro. Curia promotos raros eſſe qui juſte quæſita juſte poſſideant officia ſacra. Conditiones recenſet, antecedentes, concomitantes & conſequentes, muneris ſacri legitime quærendi ac obtinendi.

Digitized by Google

Cap. IV. Electionis juſtæ exilium deplorat. Reſervationes Papales, per regulas Cancellariæ definitas, fuſe repudiat. Exceptionem, in honorem curiæ hæc reſervari, ſolvit, non honorem curiæ præferendum eſſe ſaluti totius Germaniæ, Italiæ &c. Omne id reſervandi jus Pontificibus denegat, utpote majorum conſtitutionibus e diametro oppoſitum. Aliam exceptionem: illam reſervationem facere ad lites plurium de electione contendentium componendas, ſolvit: Reſervari etiam, ubi omnis lis exulet.

Cap. V. Deteſtatur *Simoniam* curialium, qui functiones ſacras auro metiri illo tempore ſoliti. Cathedram apoſtolicam decere non vendere ſed regere & fideliter diſpenſare. Nullam virtutem, electionemque, vel divinam, locum habere, qui pecuniæ cedat. *Si etiam*, inquit, *per inſpirationem Dei notoria eſſet de aliquo facta electio, & perſona quantumlibet utilis, docta atque ſancta, niſi dederit pecunias, vel de ſolvendo prius pacta fuerit, quaſi ſupervacua pro ſua confirmatione, aut aliàs pro quocunque Eccleſiaſtico beneficio laborabit.* Deplorat, ex illo turbido venalique foro proruere in Eccleſiam ineptos antiſtites. *Nonne totum hoc*, inquit, *ſua venalitate tota curia Ro. propagavit, cum ſic exorbitantes promoventur epiſcopi inutiles, idiotæ, ſcandaloſi, ambitioſi, ſubditis violenti; aliisque beneficiis Eccleſiaſticis, tam curatis quam non curatis, ſine differentia diſcretionis perſonarum & inaniter præficiuntur lenones, coci, ſtabularii equorum & pueri. Tot ibi fiunt pactiones, tot quotidie interveniunt ſolutiones, quot, ſine omni timore & verecundia, tractatores ſeu mediatores, ſimoniæ quaſi forum conſtituentes publicum. Jam pro ſignatura Papæ ſuper tali beneficio vel gratia debes tantum: jam pro diſpenſatione ſuper talibus incompatibilibus tantum: Pro tali indulto, tantum: Pro abſolutione à tali excommunicatione vel irregularitate tantum: pro talibus indulgentiis tantum, &c. publice paciſcuntur & foriſant.* Et *ille plus diligitur, qui aſtutiori ſollicitudine, & majori aſtutia plures ſimplices decipit, & plures denarios ſcit venari. Tot & tantæ fiunt etiam exorbitantes* gratiæ, ſed revera *multo verius dicerentur* mercantiæ, *quæ nunc fiunt, & appellantur* de die obitus, *nunc* dies obitus cum declaratione, *nunc*, perpetuum ſilentium, *nunc* clauſula anteferri *vel* antelationis, *nunc* de proprio motu Papæ, *nunc* de clauſula ceterorum quæ tollit jus quæſitum. *Nunc fiunt anticipationes datarum, nunc datæ Cardinalium conceduntur, nunc datæ Papæ, jam revocantur, jam immutantur, jam ad certum tempus duraturæ limitantur, jam renovantur, jam prælati de una Eccleſia ad aliam transferuntur, jam beneficiis ſuis propter pecuniam ſpoliantur. In omnibus his tota devotio conſiſtit, ut denarius acquiratur.*

Damna ex hac venundatione oriunda enumerat, cleri avaritiam, ambitionem, lites, homicidia, bella. *Non hoc eſt cuſtodire*, ait cum Bernhardo, *ſed perdere* Eccleſiam, *non eſt defendere ſed exponere, non eſt inſtituere ſed proſtituere, non eſt paſcere gregem Dominicum*

cum, ſed mactare & devorare. Nec rectores ſed deſtructores dici debebant tam promoventes quam promoti.

Cap. VI. Vias legitimas commendat ad officia penetrandi; Si ſincere intendatur honor Dei & ſalus proximi, mediaque debita adhibeantur, juſta electione, legitima patroni præſentatione, & ſufficienti examine. Deinde, ſi quis etiam optimo fine ambiat munus ſacrum ſive beneficium, conſcius autem vel inſcius offerat aut offerri ſinat patrono pecuniam, urgeri conſanguinitatem, preces, devotionem, adulationem, quæ hic magis attendat, quam perſonæ dignitatem, jus omne in officium eſſe irritum.

Cap. VII. & Cap. VIII. Multis hoc probat argumentis & dictis ex Scriptura petitis, ut & ex Jure Canonico depromptis, ſana ratione etiam conſulta.

Cap. IX. Simoniacos in periculo damnationis verſari docet, niſi injuſte acquiſita ſua officia deponant. Quod aliàs pœnitentiam agere non poſſint. Parem cum ſimoniacis ſubire rationem illos, qui vel ob ſolam cognationem vel alio quodam civili reſpectu ſint promoti. Varii de his rebus Canonicorum ſcrupuli fuſe excutiuntur.

Cap. X. Et illos damnationis periculum incurrere exiſtimat, qui ſint Simoniacorum, vel Epiſcoporum auri ope promotorum officiales aut vicarii, niſi renuncient.

Quod enim ipſe Simoniacus nullum jus habeat, non poſſe quoque eum aliis inferioribus jus ſacrum dare. Sic adeo, ſi ſciant Epiſcopum ſuum eſſe ſimoniacum, & hos inferiores participare in functione ſacra de ejus ſimonia. Imo totam familiam ejus, prælatos & canonicos ſubjectos, participes eſſe. Ab his igitur, ſi Simonia ſit notoria, ſacramenta ſumi non poſſe, niſi caſu neceſſitatis.

Parte II. Cap. I. Scrupulos eximit, ab illis injectos, qui Simoniam Ro. curiæ pallient & excuſent: Magnos ſcilicet & multos doctores eſſe qui obſtent: Eosq; diſtinguere inter Simoniaca ex conſtitutione Eccleſiæ & talia ex jure divino.

Quam diſtinctionem rejicit tanquam ſuperſtitialem, quæ multis anſa fuerit damnationis.

Cap. II. Scripturæ S. V. & N. Teſt. teſtimoniis memorabilibus confirmat, nullum jus eſſe Papæ ulla ſacra vendendi aut pro pecunia diſtribuendi. Eo quod gratis à Deo acceperit, & gratis eſſe reddenda.

Cap. III. Decretis generalium conciliorum idem roborat, nempe interdictam eſſe omnium ſacrorum officiorum venditionem. Non poſſe autem Papam contra œcumenica concilia diſpenſare.

Cap. IV. Variis rationibus ex naturæ ordine ac jure petitis evincere laborat, Papæ illud jus de ſacris officiis illo modo, auro interveniente, vel ſimili arte adhibita, diſpenſandi non competere. Dubia quoque mota ſolvit.

Cap. V. Multo ſtudio impugnat Canonicorum diſtinctionem inter ea quæ jure divino & quæ inſtitutione Eccleſiæ ſint ſimoniaca, quaſi hæc diſpenſationi ſint relicta; Nihil enim venditionis ullo modo vel præ-

prætextu vel nomine in ſacris officiis admitti. Neque conſvetudinem ullum parere præjudicium.

Part. III. cap. I. Hæreſin appellat, dicere, Papam licite poſſe pro officio ſacro recipere pecuniam. Indeque accuſat ſimoniæ curiam Ro. ipſosque Cardinales, ceterosque miniſtros. Mortalis hos etiam peccati reos facit.

Cap. II. Cardinales admonet, ſint memores ſui nominis, virtutum Cardinalium, prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis & juſtitiæ, neque auri fulgore ſe faſcinari ſinant. Quin nec admittant ſua disſimulatione, ut artes auratæ exerceantur in Eccleſia. Timoremque hæc emendandi illis excutere laborat.

Cap. III. Differit de poteſtate Papæ ejusque dicta plenitudine, an ſine cauſa Epiſcopum poſſit removere, an poſſit contra jus naturæ diſpenſare, ut & contra juramentum, contra divinam legem. Fidelem diſpenſatorem ex voto Chriſti deſiderat, ut & prudentem: Eumque infidelem appellat, qui miſſo communi bono amplectatur privatum: Imprudentem, qui ſine diſcretione & ſine cauſa diſpenſet. A jure communi non eſſe facile recedendum. Diſpenſationem autem eſſe communis juris relaxationem, factam cum cauſæ agnitione, ab eo qui jus habeat diſpenſandi. A communi vero jure ſine cauſa abire, eſſe non populo conſulere ſed nocere, non præſtare regnum ſed augere diſcrimen. Hanc vero juſtitiæ eſſe regulam, neceſſitati & utilitati publicæ conſulere. Unde concludit, Ro. Pontificem pro lubitu contrarium facere non poſſe, ſed rationabilem ſubeſſe debere diſpenſationis cauſam. Sic repudiat exorbitantes gratias, aliis præjudiciales, qui pecunias pro illis non ſolverint. Posſeſſores talium beneficiorum, à communi jure exorbitantium, aliis præjudicialium, in periculo damnationis verſari repetit, niſi auro ſive arte quæſita officia relinquant. Tales malæ fidei poſſeſſores eſſe, quæ nullo tempore præſcribat. Sic fuſe jam proſequitur, nullo modo contra jus divinum ac naturale poſſe diſpenſare Papam, in ſacrorum cura. Experientiam objectam, valere utique tales Papæ diſpenſationes ac ſacrorum diſtributiones, rejicit, quod ex externa forma & facto de jure non ſit judicandum.

Cap. IV. Examinat objectas regulas: Principem non teneri ſua lege: Conditorem conſtitutionis ex certa ſcientia contra ſuam conſtitutionem diſpenſare poſſe, ſine cauſæ congnitione: Papam ſub conditione & ad tempus, ſicut *velit*, poſſe beneficia concedere, ut apud ipſum ſit pro ratione *voluntas* inſtituentis. In his *voluntatem* ita explicat, ut notet, quod *velle debet*, *ſi neceſſitas ſuadeat.* Curate igitur inquirit in ſtatutorum pro vita hominum regenda indolem: Alia eſſe, quorum ſola voluntas conſtituentis ſit cauſa, quod ſcilicet Principi ſic placuerit: Et hæc jura mere poſitiva dici: Et in his apud Principem eſſe pro ratione voluntatem: Alià verò eſſe, quorum cauſa non ſit ſola voluntas, ſed dictamen rationis cogat aut lex divina: In his arbitrium diſpenſandi non conceſſum. Scrupulum injectum, ſic videri quod negetur plenitudo poteſtatis in Pa-

pa,

Papa, quæ ſit ſupra jus commune, exemplo Petri, qui in adminiſtratione major fuerit Paulo, ut Papa etiam contra Paulum poſſit diſpenſare: Eximit: Nefas eſſe, contra divinas leges diſpenſare, cum Chriſtus non venerit leges ſolvere ſed implere. In bigamia in caſu neceſſitatis poſſe diſpenſari concedit, ut & de matrimonio monachi aut monialis.

Claudit tandem hoc opuſculum voto, faciat hic liber pro poſteris inſtar Chronici, ut memores ſint fatorum Eccleſiæ ſub Bonifacio IX. Neapolitano, qui, cum hæc ſcriberet, annis fere quindenim Eccleſiæ præfuiſſet, diſſenſionesque papales annis 28. jam perduraſſent. Optat reformationem Eccleſiæ à Chriſto. Excuſat ſcribendi audaciam. Denique enixe deſiderat pro emendatione opem Concilii univerſalis.

Sub finem hujus operis non præterit *Wiſſenburgius*, & ex eo *Goldaſtus*, hoc *Pauli Anglici Speculum Aureum* in proceſſu Huſſi ſæpe commemorari.

Ex quo brevi argumento conſtat, idem Paulum Anglicum notaſſe, quod ceteri viri celebres, ſummi viri notaverant in ſui illius temporis Eccleſia, nempe *Simoniam Bonifacianam*, nimiopere cumulatam.

Neque quisquam illius ætatis ſcriptor extiterit, qui non aliquas huic malo delendo affuderit lacrymas. Erat ſane hoc præcipuum Concilii Conſtantienſis congregati & tanto molimine continuati momentum, quod non ipſi aliqui ſolum Cardinales, *Petrus de Alliaco, & Franciſcus de Zabarellis*, moverent, ſed & Principes ac Doctores vehementer urgerent.

Hinc in *Codicibus MS.tis antiquis*, ætatem Conſtantienſis Concilii attingentibus, variæ anonymorum hujus argumenti acerbiores etiam *querelæ* notantur. Quas omnes hic referre ac enumerare eſſet ingentes cumulare montes, nec nobis volupe eſt, nec vacat, nec neceſſe.

Ex pluribus unum nunc ſuffecerit exemplum, in *MSCto Codice* perantiquo *Lipſienſis Academiæ* obvium. *Paſſio in Romana curia ſecundum aurum & argentum. In illo turbine dixit Dominus Papa Cardinalibus ſuis: Quando venit filius hominis ad ſedem majeſtatis veſtræ, dicite ei: Amice ad quid veniſti? At ille diu morans & nihil dans: Ejicite eum foras ad tenebras exteriores. Cardinales verò dixerunt: Domine quid faciamus, ut pecuniam poſſideamus? Dominus Papa verò dixit: Quomodo legitis? Nonne ſcriptum eſt, Diliges aurum & argentum ex toto corde tuo & divitem ſicut te ipſum? Et hoc facite in meam commemorationem, & vivetis in æternum. Tunc venit pauper clericus ad curiam Romanam, qui oppreſſus erat ab epiſcopo ſuo, & clamavit voce magna, dicens: Miſeremini mei, miſeremini ſaltem vos Oſtiarii Domini Papæ, quia paupertatis onus tetigit me, peto, ut ſubveniatis paupertati meæ, & miſeremini. At illi dixerunt: Quid ad nos, paupertas tua ſit tecum in perditionem. Tunc verò pauper clericus ivit ad forum & vendidit tunicam, pellicium, pallium,* *gla-*

Digitized by Google

gladium & capucium. Primo dedit Cardinalibus, ſecundo miniſtris, tertio vero Oſtiariis. At illi dixerunt; Et quid hæc inter tantos? Et ejecerunt eum foras. Et flevit amare. Dominus Papa verò dixit: Non introibis gaudium Domini tui, donec reddideris ultimum quadrantem. Poſt multum verò temporis venit dives epiſcopus, impinguatus, incraſſatus, dilatatus, qui homicidium fecerat, & cum eo turba multa. Cardinales verò audientes, quod Epiſcopus venerat, occurrerunt ei, dicentes & clamantes: Adveniſti deſiderabilis, quem expectabamus in burſis noſtris. Tunc Epiſcopus miſit eis copiam auri & argenti. At illi dixerunt: Hic homo juſtus & ſanctus eſt, non ſicut ceteri qui ſpem non habent. Dominus Papa verò dixit: Amice aſcende ſuperius, & erit tibi triplo melius. Et ſic ſalvatus eſt homo in die illo. Unde erunt divites primi, & pauperes noviſſimi. Quia quantum habes tantum vales. Et ſi nihil habueris, in gaudium hujusmodi non intrabis. Subſcriptum nomen *Jo. Franck*, quisquis demum ille, ſive autor ſive librarius.

Ex quo à variis vario modo picto nimio tunc Curialium ac clericorum exceſſu natum erat illud quorundam in Conſtantienſi Concilio conſilium vel & deſiderium, Cardinalium ſtatum plane esſe eliminandum. Quod Petrus de Alliaco in *Canonibus Reformationis* ſupra *Parte VIII.* diſerte rejecit ac refutavit, *abuſumque tollendum* dixit, *non ſtatum.* Sic enim facile exceſſus delicti exceſſum pariat judicii aut cenſuræ.

Sicuti ejus erat indolis ac conditionis vehemens illa pro emendatione Eccleſiæ medicina, *Johannis Dorre*, viri eruditi, Licentiati, Presbyteri, in concilio præſentis, in alio *MScto Codice*, in Concilio ab illo ſcripto, notata: *Receptum pro Stomacho Sancti Petri & reformatione totali ejusdem, datum in Concilio Conſtantienſi. Recipe XXIV Cardinales, centum Archi-Epiſcopos & Prælatos, totidem de qualibet natione, & de Curialibus quantum habere potes. Immergantur in aqua Rheni, & ibidem ſubmerſi per triduum maneant. Eritque bonum pro ſtomacho Sancti Petri & totali ejus corruptione removenda.*

Magna profecto quorundam in Concilio hoc Oecumenico dicendi licentia, quam non dederit ſed extorſerit zelus ex nimia illius temporis corruptione.

Quod in excedente morbo Eccleſiæ excedens remedium & *cardinali Alliaco* haud placuiſſe jam ante monitum, cui inciderat illud Poëtæ: *Sit modus in rebus, ſint certi denique fines.*

Sed ad *Anglos* fatorum illius temporis nuncios redeundum. GUALTHERUS DYSSE, Anglus, Carmelita Theologus, ſub Bonifacio IX, Simoniæ exercendæ Magiſtro, clarus, ab eodem Pontifice in Aquitaniam, Hiſpaniam, Luſitaniam, miſſus, memorante *Antonio Poſſevino*, ut crucem adverſus infideles prædicaret, qui & Wiclefitas ſcriptis impugnavit, adeoque ſedulus fuit curiæ Rom. aſſecla, non potuit cauſam diſſidiorum ac corruptionis Eccleſiaſticæ ſilentio præterire, & ad ſeriam emendationem anhelare. Quare

Poëta

Poëta non infelix rythmis miſeriam illius temporis incluſit, ac *de Schiſmate Eccleſiæ* inſcripſit. Ex vetuſto codice membranaceo Bibliothecæ *Balthaſaris Lydii* eruit frater ejus *Johannes Martinus Lydius*, ac operibus Nicolai de Clemangiis attexuit.

Dummodo hoc opuſculum huic *Gualtero Dyſſe* debeatur, & conjectura Lydiana ſit juſta, cum abſque titulo invenerit, imo ab aliis *Hildeberto Epiſcopo Cenomanenſi* tribui ipſe non celet. Scripſiſſe quidem hunc *Gualtherum Dyſſe* librum *de Schiſmate Eccleſiæ* memorant *Geſnerus* ac *Poſſevinus*. An autem ille ſit, quem metricum dedit *Lydius*, diſpicere non vacat. Adſcribit eidem huic *Anglo* Carmelitæ Theologo *Lydius* alios etiam rythmos, ex antiquo codice à Flacio depromptos, & anno 1555. in Antilogiam p. 408 relatos, indeque à Lydio repetitos, in Simoniacum Curialem Romanum *Le Franco* ante Concilium Conſtantienſe compoſitos. Cui legere volupe eſt, *Lydium* inſpiciat licet.

RICHARDUS ULLERSTON, Anglus, ſuccedit, qui teſte *Warthono in Append. Hiſtor. Liter. Cave f. 86.* in Ducatu Lancaſtrenſi natus, Theologiæ apud Oxonienſes Profeſſor, familiaris Roberto (Ruperto) Halamo Epiſcopo Sariſburienſi. Quem *Rupertum* cur *VVarthonus Eccleſiæ Ro. Cardinalem* appellet, nos fugit. Sane, cum Concilio Piſano & Conſtantienſi interfuerit, *Cardinalium* numero nunquam accenſitus, nec ab *Ulricho Reichenthal*, nec *Gebhardo Dacherio*, Concilii ſpectatoribus ac fidelibus hiſtoricis, illis annumeratus. Nec ab *Anonymo*, accuratiſſimoque omnium in Concilio Conſtantienſi præſentium Virorum illuſtrium *collectore* in CODICE MSCto AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ in Cardinalium claſſem relatus, quin in *Archi-Epiſcoporum* cenſum conſtanter computatus.

Ab hoc igitur Archi-Epiſcopo Sariſburienſi, qui, cum Piſano ac Conſtantienſi Conciliis interfuiſſet, in hoc poſteriori diem obiit, Conſtantiæ ſepultus, ab hoc, inquam Patrono ſuo, Archi-Epiſcopo, circa Piſani Concilii tempora excitatus fertur *Richardus hic Ullerſtonus*, Theologus Oxonienſis, qui *de Reformatione Eccleſiæ Opus* conſignaret. Summa fide ac prudentia provinciam hanc ſibi demandatam Richardum obiiſſe ait Warthonus, utpote haud vulgariter literatum & ingenti diſciplinæ Eccleſiaſticæ denuo inſtaurandæ deſiderio tactum. Laudatum hoc opus *MSC tum*, quod inſcripſerit *Petitiones Richardi quoad Reformationem Eccleſiæ militantis*, ſpectari *Cantabrigiæ in Bibliotheca S. Trinitatis in fol.* obſervat *VVarthonus*, inſigniq; mactat elogio, *digniſſimum* appellans, *quod lucem aliquando videat, præſertim cum inter tot iſtius ævi de corrupto Eccleſiæ ſtatu tractatus, nullus adhuc in lucem prodierit ab Anglo conſcriptus autore, niſi quem Adverſarii hæreticum fuiſſe clament.*

Optaveramus quidem, noſtris committi manibus & hoc MSCtum, quod ornatum huic insereremus Tomo, ſuperioribus Germanorum ac Gallorum monumentis aſſociandum: Verum loci diſtantia voti hactenus compotes nos fieri non ſivit. Quod ſi verò *hoc præclaro*

munere nos tandem beari contigerit, commodo alio hujus operis Tomo decenter comtum Ullerſtonium, Angliæ literatæ decus, publico eruditorum conſpectui exhibebimus.

Interea genii hujus Anglici ſinceri ſed & religionis ſinceræ amantisſimi qui veſtigia cognoſcere diſcupit, huic paucula *ex MSCto opere Excerpta* dedit *VVarthonus*, *f.* 86. In his articuli ſunt ab Ullerſtono toto opere explicati ſequentes: *De ſummi Pontificis ordinata electione: De Simoniæ declinatione: De legis Chriſti exaltatione: Contra enormalem Eccleſiarum appropriationem: Pro idoneorum perfectione: Contra exemtiones; Contra diſpenſationes: Contra beneficiorum pluralitates: Contra appellationes: Contra privilegiorum abuſiones: Contra Apoſtaſiam Clericorum ſeſe ſecularibus negotiis immiſcentium: Contra Prærogativam Cantorum* (forte Canonicorum) *& officialium in curiis Dominorum reſidentium: Contra extorſiones univerſaliter: Contra ſuperfluum & nimis ſumptuoſum & inordinatum apparatum in Clericis & eorum familia: Pro cultu divino fructuoſius ampliando: Pro pace denique inter regna Chriſtiana ſummo opere procuranda.*

Addi his poterit THOMAS NETTERUS, *VValdenſis Anglus*, Carmelita Theologus, qui Piſano ac *Conſtantienſi Concilio interfuit*, acer Wiclefitarum impugnator, tantoque ſincerior corruptionis Eccleſiaſticæ ſui temporis cenſor, quanto minus in Huſſitas affectu vel imbutus vel eo pellectus.

Ceterum, *Ullerſtono, Anglo*, quem præcipue integrum hic ſiſtere ac lateri Gallorum atque Germanorum in hoc negotio antiquo jungere animus erat, *abſente*, obiter hos antiquorum illorum Eccleſiæ fatorum *teſtes Anglos* indigitaſſe ſuffecerit.

Ad *Italos* itaque tranſimus. In quibus ſummo jure principem ſibi vindicat locum FRANCISCUS de ZABARELLIS, JCtus ingenioſiſſimus, FLORENTINUS CARDINALIS eminentiſſimus. Qui aliis & *de Schiſmate* iſtius temporis componendo operibus inclaruit, in Concilio Conſtantienſi magno ſtudio *Emendationem quoque Eccleſiæ* quæſivit, maculis notatis, remediisque aptis deſignatis.

Johannes Franciſcus Poggius Florentinus, excellens in Concilio Conſtantienſi orator, hujus Cardinalis ingenium, voluntatem, ſtudium, in confuſis illa ætate Eccleſiæ rebus Concilii Conſtantienſis ope ordinandis atque ſolerter emendandis, prædicare ſatis non poteſt.

Memorat *Poggius*, in Oratione funebri, quam defuncto huic in Concilio Cardinali anno 1417. habuit, hunc *Cardinalem Florentinum* in legatione Papæ Johannis 23. ad Imperatorem Sigiſmundum effeciſſe præcipue, ut Concilio Oecumenico aſſignaretur *Conſtantia Germaniæ*. Inque illo tandem coacto hunc *Zabarellam Cardinalem* os prope Concilii perpetuum fuiſſe, quippe qui difficillimis quibuscunque negotiis & explicandis & expediendis adhiberetur, *Conſilia* hujus fuiſſe pro oraculis & *vota* ejus pro regulis.

O utinam verò in manibus noſtris jam eſſet hujus eminentiſſimi

Digitized by Google

mi *Cardinalis Zabarellæ Opus*, *Acta in Conciliis Piſano ac Conſtantienſi* complectens. Quod *MSCtum* ex *Thomaſino* memorat *VVarthon, in App. Hiſt. Lit. Cave, f. 74.* Foret hoc illuſtre Cardinalis hujus opus hiſtoricum hujus noſtri operis decus & lumen clariſſimum. Ingenium namque Viri acutiſſimum, jurisque doctrina incomparabilis, ſcribendi uſus expeditisſimus, judicii æquitas ſingularis, voluntatis bonitas excellens, experientia denique in ipſis his duorum Conciliorum negotiis exactiſſima, utpote quorum nobilis pars eminuit, ſpondent Actorum illorum maximam ἀκρίβειαν, diligentiſſimam circumſtantiarum curam, & reconditarum cauſarum ſolertiſſimum ſcrutamen.

Quid ſi in *Germania* adhuc alicubi in illuſtribus ac numeroſis Bibliothecis, vel & obſcuris ædium ſacrarum angulis, Bibliothecarum veterum reliquiis, ruderibus confuſis, lacerarum chartarum cumulis, ſcriniisq; ſqualore obſitis tineisque ſacris, deliteſcat?

Magna hujus temporis eruditorum ſolertia, cui nil videtur nunc manere recluſum, nil ſepultum, nil ambeſum, quod non eruat, reſuſcitet, ac ab interitu vindicet, incidet forte & in hunc *Zabarellæ* theſaurum.

Quemadmodum ipſe his diebus præter omnem ſpem atque opinionem incidi in varia *diplomata* antiqua *Bonifacii IX. Johannis 23. Martini V. Eugenii IV. concilii Baſileenſis*, ſimiliaque, cum ſuis Pontificum dictorum vel Concilii laudati *Sigillis*, nec ſpernenda alia antiqua *MSCta* monumenta. In quibus ſunt *Bernhardi Alamandi Epiſcopi Condomienſis* in Gallia opuſcula haud exigua nec vulgaria *de unione Eccleſiæ, tempore Schiſmatis* circa annum 1396 ſcripta. Quæ omnia in angello delituerant domus viduatæ ac novo hero nuper inſtructæ, peritura prorſus aut bibliopegis committenda, niſi æquo pretio redimendi matura mihi fuiſſet oblata occaſio.

Quod ſi tam fortunatus quis fuerit, ut & has in pulvere *Zabarellianas opes* reperiat, hanc erudite orbi gratiam faciet, ut benevole communicet.

Si autem & hic *Zabarellianus theſaurus* perierit cum aliis innumeris MSCtis omni pretio majoribus, in clauſtris olim Germanorum ædiumque ſacrarum forulis paſſim reconditis, ſed temporis, bellorum, ignorantium virorum, honeſtorum furum, vel & ineptorum puerorum membranis ludentium injuriâ abſumtis, laceratis ac perditis: *VVallenrodianam concilii Conſtantienſis hiſtoriam* & hæc *Zabarelliana Acta Concilii Conſtantienſis*, ſimul deplorabimus: Donec ſub alio forte cœlo cum Wallenrodio Zabarella reſurgat.

Quid ſi tamen ea jam nobis contigerit *felicitas*, ut, ſi non totum illud *Zabarellianum Actorum Opus*, aliquas tamen partes eo ſpectantes in *MSCtis* nobis oblatis jam deprehenderimus?

Sane in *Codice MSCto antiquisſimo*, Concilii Conſtantienſis ætatem attingente, in AUGUSTISSIMA BIBLIOTHECA CÆSAREA

REA VINDOBONENSI hactenus curate ſervato, reperimus in principio Concilii Conſtantienſis ſcriptum hoc monumentum: TRACTATUS AGENDORUM IN CONCILIO GENERALI CONSTANTIENSI. Autor quidem nullus notatus, quod infortunium pleraque antiqua MSCta premit: Nihilominus ex ipſo opere abunde videtur patere, *eminentem* fuiſſe *autorem*, eumque *Cardinalem*. Siquidem, quando de curia Ro. ſermo eſt, vel de Cardinalibus, ordinarie adhibet pronomen *nos*, *nobis*, collegiumque Cardinalium abſolute appellat *Collegium*, pro ſtylo curiæ.

In *Cardinalium* verò cœtu, quem illa ætate Rom. curia ſub Johanne XXIII. colebat, dum calamum qvæſivimus, cui laudatum opuſculum acceptum ferremus, non ſine cauſa viſi ſumus in ZABARELLÆ CARDINALIS *muſeum* deducti. Hunc JCtum excellentisſimum fuiſſe memores, hunc Concilii negotia præcipua tractaſſe, ac emendationem Eccleſiæ ſollicite quæſiviſſe conſcii, hunc conſcribendis, enunciandis, declarandis præcipuis momentis excelluiſſe convicti, *huic* EMINENTISSIMO AUTORI hoc *de Reformatione Eccleſiæ Conſtantiæ tractanda* opus reddendum eſſe conjecimus. Cardinalis ſane fuit, JCtus audiit, ſcriptis inclaruit, Conſtantienſi Concilio conſuluit. Quæ omnes notæ in hoc opere manifeſte ſeſe produnt.

Conjecturam hanc noſtram vel confirmabunt vel emendabunt, qui in laudatum *Zabarellianum opus integrum MSCtum* aliquando incident.

Celare in fronte hujus noſtræ recenſionis nefas putavimus, quem operis *Autorem* judicaremus, qui aliis curatius & felicius ſcrutamen lubentiſſime indulgemus. Si non noſtra, ſerior forte ætas inveniet, quod hactenus deliteſcit. Uti hæc ætas millena alia reperit, quæ majores dudum periiſſe autumaverant, aut non ſine formidine prodiderant.

De cetero in laudatiſſimo MSCto VINDOBONENSI Indiculus opuſculo huic eſt præmiſſus, qui ſumma capita vel argumenta exhibeat, ab ipſo utique autore conſignata, hoc tenore atque ordine:

Capitula tractatus agendorum in Concilio Generali Conſtantienſi.

DE fide Catholica & hæreſibus.
De præſenti ſchiſmate tollendo.
De proviſione adverſus futura ſchiſmata, ne eveniant, & de remedio adverſus illa, ſi eveniant.

De cul-

Digitized by Google

De cultu Dei & officio Eccleſiaſtico.
De ſtatu & poteſtate Romani Pontificis, & electione.
De ſtatu & officio Cardinalium, & illorum aſſumtione.
De ſtatu Romanæ curiæ.
De toto Statu Eccleſiaſtico *in genere.*
De Prælatis & clericis ordinandis & præficiendis.
De beneficiis conferendis, & de pluralitate beneficiorum.
Quod prælati & beneficiati reſideant, & ſua officia exequantur, & de diſpoſitione ſuper præmiſſis.
De vita & honeſtate clericorum & religioſorum, & de illorum exceſſibus corrigendis.
De viſitationibus.
De exemtionibus.
De Synodis generalibus, provincialibus, diœceſanis, & religioſorum.
De cenſuris Eccleſiaſticis, & de irregularitate.
De foro pœnitentiæ & caſibus reſervatis.
De Eccleſiaſtica jurisdictione, & exactionibus, atque abuſionibus, quæ per illa fiunt, præſertim in Francia.
De litibus breviandis, & locorum diſtantia.
De quorumlibet dubiis & in Jure & in Theologia decidendis.
De unione Græcorum.
Quod in cathedralibus Eccleſiis ſint præbendarii Doctorales Theologiæ, juris & alterius facultatis, juxta numerum præbendarum.
Et quod Doctores præbendati reſideant & legant.
De vacantiis prælaturarum & beneficiorum, & de impoſitione decimarum, & taxatione fructuum, & aliis etiam non concedendis rebus.
De patrimonio Eccleſiæ Romanæ.
De rebus & immunitatibus Eccleſiarum.

Capita hæc ſunt tractationis Conciliaris, indice *MScto* laudato. Neque verò in ipſo Opere, quo explicata illa momenta rerum in Concilio tractandarum, Autor eundem ſervavit ordinem, quem nonnihil mutavit. Ita quidem, ut nonnulla vel brevibus expoſita, vel indirecte indigitata ſolùm appareant. Neque enim auſimus affirmare, Autorem non abſolviſſe opus, vel librarium deſcribendo non confeciſſe.

Fruetur hæc *ætas noſtra* his aureolis.

Poſte-

Poſteritas quoque noſtrum agnoſcet ſtudium, pondusque rebus addet tum ex ſuo fructu hinc deprompto, tum ſimilibus MSCtis è tenebris erutis, atque ut lucem ferre poſſint, diligenter inſtructis, ac noſtris his annumeratis.

Ne quid vero præterea omitteremus, quod ad celſi hujus nobis viſi autoris commendationem pertineret, quod & Concilii Conſtantienſis res luculentius & hac in parte illuſtraret: Calci operis hujus adjicere libuit *geminam* præclaram Illuſtrium Autorum *Orationem*, *in Concilio Conſtantienſi* in funere hujus noſtri Cardinalis
publice habitam, illuſtres ſane ac vivas *virtutis Zabarellianæ*
in Concilio Conſtantienſi enitentis
ideas.

ANO-

FRANCISCI de ZABARELLIS
Cardinalis Florentini,
In Concilio Conſtantienſi effulgentis,

CAPITA AGENDORUM
IN CONCILIO GENERALI CONSTANTIENSI
DE REFORMATIONE ECCLESIÆ.

Ex antiquiſſimo Codice MSCto

AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.

CAP. I.
De Fide Catholica & hæreſibus.

Negotia fidei in Concilio Conſt. tractanda.

De Huſſi controverſia agendum in Concilio Conſt.

Gerſonis Compendiū Theologiæ Concilio Conſt. commendatum.

PRimum agendum in Concilio erit *de fide*, ut extirpentur errores, ſi qui pullulant.

Et ſic videbuntur quomodolibet, quæ ſunt inter *Magiſtros Pragenſes*, de erroribus & hæreſibus *Johannis Wicleff*, quæ multum pullulant ad præſens.

Item offeratur dicto concilio *tractatulus* quidam, *compoſitus per Cancellarium Pariſienſem*, tractans de generalibus principiis noſtræ fidei, per facultatem Theologiæ prius tamen examinandus, &, ſi opus fuerit, corrigendus, addendo & diminuendo &c. Ut ſingulis metropolitanis, & Epiſcopis conſequenter, ſervandorum in fide ſeries verbis & ſcriptis fidelius publicetur.

Et hoc expedit, imò neceſſarium eſt. Nam *in multis locis & diœceſibus quaſi ſine numero plurimi reperiuntur, qui vix de Deo aliquid intelligunt*, aut de articulis neceſſariis ad ſalutem.

Ignorantia doctrinæ Chriſtianæ notata.

Imo videtur, quod dictus *tractatus* correctus & examinatus, cum aliis ordinandis in forma, ſingulis Ordinariis locorum quorumlibet dirigi debeat in forma, ut in doctrina ejusdem inferiores dictorum Ordinariorum ſubditi inſtruantur.

Gerſonianum Theologiæ compendiū in Eccleſias introducendum.

CAP. II.
De quorumlibet dubiis in Theologia & in jure decidendis.

Doctrina Academiarum repurganda in Concil. Conſt.

Jus Canonicū eximendum.

Jus civile reformandum.

COnſtituantur *in concilio* aliquæ *poſitiones*, quæ reſpondeant *libris ſacræ paginæ & juris*, quibus Studia utuntur, & determinent dubia in eisdem reperta.

Revideanturque *Extravagantes*, conditæ à tempore Viennenſis Concilii.

Item *deciſiones rotæ* videantur, &, ſi opus fuerit, *reformentur*. Vel etiam de novo fiant *conſtitutiones* concludendi & *decidendi*. Et inter opiniones univerſas definiatur, quæ fuerit tenenda.

Item, quod ex nunc per *facultatem Theologicam* quatuor eligantur *nominales Doctores*, qui usque ad *generale Concilium* diligenter omnia puncta, fidem & mores concernentia, *in libris Doctorum Theologiæ* contenta, pervideant, punctaque tenenda, in quibus controverſiæ vertuntur opinionum, diſcutiant & determinent. Et hoc maxime convenit. Quia *in ſimplicibus* magna oritur indiſpoſitio, imo & *in literatis*, ex hujusmodi *diſcordia opinionum.*

Controverſiæ Theologorum examinandæ & componendæ in Concilio.

Digitized by Google

Cap. III.

De unione & reductione Græcorum detur modus.

De Eccleſia Græcorũ ac Latinorum redunienda cogitandum in Concilio Conſt.

ITem, quod *certi* eligantur *deputati*, qui modos & vias, ut *unio Græcorum cum Latinis* haberi poſſit, inveniant. Et per eoſdem *in concilio* aperiantur.

Cap. IV.

De præſenti ſchiſmate: Et de proviſione adverſus futura, ne ſimilia eveniant: Et de remediis eorundem.

Schiſmata Paparũ tollenda in Concilio Conſt.

CUm *à capite edenda* ſit *ratio*, videndum eſt primo, ſi *in papatu* factum fuerit *ſchiſma*, quod ſtatim tollatur.

De electione Papæ.

Item, quam cito *Papa* electus fuerit *introniſatus*, quod Cardinales non poſſint procedere ad aliam electionem.

Cardinales poſſe Conciliũ congregare.

Item quod poſſint ad locum tutum reducere, & *concilium congregare*, ubi de hoc erit determinandum.

De irrita Papæ electione.

Item conſtituatur, quod *electio Papæ facta in metu*, quæ poterit cadere in conſtantes, ſit ipſo jure nulla.

Cuſtos cõclavis in electione Papæ quis eſſe debeat.

Item, ſicut proviſum videtur per unam *Conſtitutionem Gregorii decimi, Decretal. VI. lib. I. tit. 6. cap. 3.* ut ad electionem Papæ, *in* electione, & *poſt* eandem, & præcipue, ſi electio fiat in urbe, ad *cuſtodiam conclavis deputaretur aliquis non Romanus*, & talis, qui ſit potens ad coercendum violentias adverſantium. Ille autem *cuſtos conclavis* jurabit in manibus collegii, quod fideliter aget incumbentia. Et juret ſub periculo animæ ſuæ, & ſub pœnis, de quibus in dicta conſtitutione Gregoriana.

Juramẽtum cuſtodis conclavis.

Juramentum Cardinalium tempore electionis Papæ.

Item *Cardinales*, antequam intrent conclave, ſimiliter *jurent*, in manu collegii, ſeu alicujus Cardinalis recipientis nomine Collegii. In quo juramento aſſeratur, quod putent, locum tutum eſſe, & quodſi ſentiant aliquid in contrarium, quod illud pandent. Et hoc affirment ſub periculo animæ, & ſub pœna excommunicationis, & perditionis omnium beneficiorum, etiam Cardinalatus.

Cardinales poſſe differre electionẽ Papæ.

Statuendum, inquam, eſt: Quodſi contingat fieri *tumultum* vel *metum* manifeſtum, *Cardinales* ſub pœna maledictionis æternæ, & ſub aliis pœnis in conſtitutione exprimendis, *ab electione abſtinebunt.* Et quamprimum commode poterunt, ceſſante periculo vitæ, etiamſi inveniant periculum facultatum, ſe transferant ad locum tutum, in quo *tuto & libere* poſſit electio celebrari.

Pœna tumultuantium in electione Papæ.

Ipſi autem *coincitantes tumultum*, vel *incutientes metum*, incidant in pœnas excommunicationis, anathematis, & alias graviſſimas pœnas in hujusmodi conſtitutione exprimendas. *Civitas* vero, *ubi hæc perpetrata* fuerint, per quinquaginta annos ipſo jure ſit *inhabilis ad faciendam electionem Papæ.* Et addantur etiam aliæ pœnæ ultra expreſſas in conſtitutione *Decretal. VI. l. 1. tit. 6. c. 3.*

Papa intruſus

Quantum autem ad *tempus poſt electionem*, diſponendum videtur, quodſi aliquis fuerit *intruſus*, id eſt, ſine canonica Cardinalium electione invaſerit papatum, vel, ſi etiam per metum manifeſtum, cadentem in conſtantem, fuerit electus, teneatur *abſtinere ab adminiſtratione*, ſub pœna maledictionis æternæ, & inhabilitatis ad omnes honores. Et exprimantur pœnæ graviſſimæ.

Abſtineat ab adminiſtratione.

Electio Papæ per metum irrita.

Item, fuit hactenus in diſputatione verſatum, an *electio Papæ per metum* manifeſte facta ſit *ipſo jure nulla.* Et pro tali habeatur ab omnibus, nec poſſit per approbationem Cardinalium & omnium ſequentem approbari, ſed oporteat de novo electio fieri, ſervato ordine conclavis.

Machinis Papæ intruſi obviandum.

Præterea, quia *multa ſunt viæ ad machinandum*, & ne prætenſus intruſus poſſit apud Chriſtianos fraudes machinari,

Digitized by Google

nari, vel fatendo, quod Cardinales ad ejus electionem per metum acceſſerint, vel ejus intentioni contradixerint: Aliter ſcribatur Prælatis, Principibus & Comitibus, qualiter ſe habeat veritas. Vel aliquid aliud ordinando, in ſublevationem veritatis, videtur ordinandum, quod, ſi electio facta fuerit in urbe, vel alia terra, quæ ſit de temporali jurisdictione Romanæ Eccleſiæ, & in qua prætenſus electus ſeu intruſus habeat temporalem poteſtatem, teneatur ipſe, ſcilicet electus ſeu intruſus, intra certum terminum, puta duorum menſium à die inthroniſationis, mittere *Cardinales ad locum, in quo ipſe*, vel ſui fautores vel complices *nullam habeant temporalem poteſtatem*, ubi teneantur ſub juramento affirmare, an electio fuerit canonica, an non. Et de hoc conficiantur publica documenta, prælatis & Principibus, & toti mundo intimanda. Ita, ut mundo poſſit fieri clara fides, an ille ſit canonice electus vel non canonice.

Ne tamen ipſe ſic prætenſus electus remaneat ſine ulla Cardinalium ſocietate, poſſent cum eo remanere tres viri, unus de quolibet ordine, quos ipſum collegium duxerit eligendos. Vel, ſi videtur, poſſit remanere tertia pars Cardinalium vel quarta. Et primis redeuntibus iſti etiam mittantur modo prædicto.

Quando electus Papa cedere debeat.

Et hoc caſu videtur aliquibus, quod, ſi aliqui ex Cardinalibus dicant de intruſione vel metu, non ex hoc teneatur aſſertus electus *cedere*, niſi hoc *affirmetur à tribus partibus collegii ſub juramento*.

Si autem aſſertus electus non miſerit Cardinales modo prædicto, habeant locum ſequentes verſiculi.

Papam electum juramento eſſe obligandũ.

Inſuper ipſe *electus* teneatur in principio aſſumtionis *facere profeſſionem*, in qua *juret* aliqua ad hoc pertinentia. Et quæ, conſtituentur.

Et *niſi juret, ſit inhabilis ad adminiſtrationem*: Et teneantur omnes ſub pœnis graviſſimis exprimendis ſubtrahere ei obedientiam.

Et idem fiet, quantumcunque poſtea conſtiterit, quod in aliquo degeneret à tali juramento. Nec ipſe nec ejus commiſſarius vel alius poſſit eum abſolvere, niſi in mortis articulo, ſed ſolum *concilium generale*.

Quis abſolvat Papam, ſi à ſuo juramento declinet.

Item, *talem proviſionem* teneatur infra annum *intimare omnibus Catholicis*, ſub pœna privationis. Ita ut ſi non fecerit, ſubtrahatur illi obedientia.

Item, *ne contingat* aliquo electo vel ſe intrudente *ſchisma*, ſi alius ſe intruderet, vel ſi Cardinales alium eligerent, ſtatuatur: Quod tali *ſecundo intruſo vel electo* nullus obediat, ne habeant eum pro Papa, ſub pœnis graviſſimis exprimendis, ſi primò determinetur de primo intruſo, ſeu, ut prædicitur, per metum electo.

Quilibet Pontifex Romanus celebret Concilium Generale. In Concilio generali agendũ de reformatione Eccleſiæ. De futuro novo Concilio ſemper diſpiciendum. Imperator interſit concilio generali. Principũ præſentia in Concilio.

Præterea, quia ſperatur, quod, ſi quæ inconvenientia contingat in prædictis, poſſit convenienter ſedari *in concilio generali*: Et quia etiam conveniens eſt, ut *quilibet Romanus Pontifex ſaltem ſemel teneat* ipſum *Concilium, ubi tractatur de reformatione Eccleſiæ & omnium catholicorum in capite & in membris*: Ordinetur, cum primo quis fuerit electus, ſive canonice, ſive non, *de loco non ſubdito ipſi electo* ratione temporalis jurisdictionis, & *conſtituatur de loco concilii* pro futuro Pontifice. Et in illo concilio ſtatuatur *de loco alterius concilii*. Et ſic ſucceſſive.

Ad quod concilium teneatur etiam *Imperator* intereſſe, tanquam *defenſor Eccleſiæ*. Nec excuſetur, niſi ob gravem infirmitatem, vel metum morborum propter viarum diſcrimina. Et tunc mittat ſolutiores oratores.

De cæteris *Principibus* cogitetur, quid ordinandum ſit.

Si contingat, ut *pendente vacatione* papatus fiat *tumultus* vel *metus*, & hæc fiant, ut Cardinales moveantur ad eligendum aliquem in Papam, vel de loco, electio ſit ipſo jure nulla, & pro tali habeatur; Ne poſſit, poſtquam Cardinales egreſſi fuerint conclave, per ſequentem conſeſſum Cardinalium, etiam omnium, approbari: Sed *oporteat, de novo electionem fieri*, ceſſante tumultu & metu, & ſervato ordine conclavis.

Et, ut poſſit notum eſſe Catholicis omnibus, an *electio* ſit *facta libere*, teneatur electus infra duorum menſium ſpatium

tium à die electionis *mittere Cardinales omnes ad locum*, ipſi *electo* vel alicui ſui fautori vel complici *non ſubditum*, & manifeſte *liberum* & *tutum*. Et ipſi etiam Cardinales ſub obteſtatione divini judicii ire teneantur, & ibi palam & publice coram tabellione & teſtibus declarare, an electio fuerit facta canonice, & ſine tumultu & metu, an contra. Et de hoc conficiantur publica documenta. Et niſi electus hoc obſervaverit, lapſis duobus menſibus, non habeatur amplius Papa, & Cardinales libere poſſint alium eligere.

In Concilio Conſtantienſi pax Eccleſiaſtica reformanda.

Item aperiendi eſſent modi rationabiles, quibus *præſens ſchiſma* poſſet ſalubriter & convenientius terminari, & *pax Eccleſiaſtica reformari.*

Contra ſchiſmata Paparũ in Concilio generali providendũ.

Item ſanctorum Patrum ſequenda veſtigia, qui contra præcedentis Eccleſiæ ſchiſmata *in conciliis generalibus* futura remedia præviderunt, ne ſimilia ulterius orirentur.

Origo ſchiſmatis quærenda, origo diſſidiorum tollenda.

Eſſent primo conſiderandæ *principales radices & occaſiones præſentis ſchiſmatis*, ex quibus, & tamdiu proh dolor! firmatum, ut nullum aliud ſimile fuiſſe legatur.

Item, ut *tanti mali radices* exſtirparentur, eſſent contra eas, & earum *radices* ac *occaſiones*, convenientia remedia ſtatuenda.

Cauſæ tres ſchiſmatis Papalis ante Concilium Conſtant.

Ponamus ergo, exempli gratia, quod *tres* fuerint *radicales hujus ſchiſmatis cauſæ.* Prima, *Romanorum ſeditioſus tumultus*, ſecunda, Dominorum tunc *Cardinalium* longa, diſſimulata, tardaque allegatio ſui *metus*; Tertia, *ambitio papatus*, quia natio urbis (Avinion) diu papatum tenuerat, alia vero contra cupiebat Papam habere Romanum vel ſaltem Italicum.

Tria remedia oppoſita.

Contra hæc igitur his modis aut aliis *conventionibus* providendum eſſe videtur.

Sedes Papæ tuta ſit.

Contra primum, quod de cætero nullibi Romana curia reſideret, niſi ubi eſſet locus tutus pro habitatione Papæ & Cardinalium, ac pro electione futuri ſummi Pontificis a tumultu populari ſecurus.

Metus exceptio in electione Papæ non valeat.

Contra ſecundum, quod non liceat in electione, de ſummo Pontifice facta, *metus exceptionem* aliquatenus allegare.

Cardinales nõ ſint ex una natione. Ex omni natione eligendi Cardinales.

Contra tertium, quod amplius *de uno regno vel natione vel provincia non ſiant tot Cardinales*, ut poſſint in electione Papæ per pluralitatem vocum principatum ad libitum obtinere, *ſanctuarium* quaſi *hæreditarie poſſidere.* Sed *de omni natione* abſque perſonarum acceptione fiat electio.

Romana Eccleſia moribus prius reformanda.

Item, quod propter peccata noſtra timendum eſt hoc ſchiſma in pertinaci obſcuratione duraſſe, aliaque multa proceſſiſſe ſcandala: Ideo expediret, *Romanam Eccleſiam*, quæ caput eſt, omni *ſe prius in juſtitia & moribus formare*, ac deinde *ad reformationem cæterorum membrorum procedere.*

Præmiſſa Eccleſiæ Ro. reformatione, reliquarũ Eccleſiarũ reformatio rectius urgetur in Concilio.

Item *hac reformatione præmiſſa*, Romana Eccleſia ſacrumque concilium efficacius poterit exhortari Reges & Principes ſeculares ad *debitam reformationem*, & præcipue ad concordiam & pacem, cum ex eorum guerris & contentionibus jam vera Chriſtianitas afflicta ſit.

Expeditio in Palæſtinam commendatur.

Item, ſicut aliàs factum in quodam concilio Lugdunenſi, ita & nunc videtur ordinandum unum *generale paſſagium tranſmarinum*, non ſolum in ſubſidium terræ ſanctæ, ſed & etiam ad reductionem Græcorum & aliorum ſchiſmaticorum.

Ac per hoc veroſimiliter ſperandum eſſet, facilius principes induci poſſe ad pacem inter eos reformandam, vel ſaltem ad longævam treugam. Quod eſſet privilegium ad infidelium deſolationem, & exaltationem fidelium.

Ante Concilium Generale Commiſſarii ſtatuendi, qui articulos reformationis forment.

Item *ſuper* præmiſſis, aliisque *reformationem Eccleſiæ concernentibus*, *ante celebrationem concilii expediret* à ſede Apoſtolica *certos commiſſarios deputari*, qui examinata & diligenter diſcuſſa materia tradendorum, per eos digeſta referrent, priuſquam venirent in publicum, & maturius è generalis Sacri autoritate Concilii omnia concluderentur.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT V.

De cultu Dei & officio Eccleſiaſtico.

Sacra publica ne ſint nimis longa in templis, providendum in Concilio Conſt. Sacra fiant legitimè.

DE *breviando officium Eccleſiaſticum*, ſi videbitur, pro ſtudentibus vel legentibus, vel itinerantibus, vel laborantibus pro republica Eccleſiaſtica: Quod *officium eccleſiaſticum*, in ſingulis maxime cathedralibus, fiat *debitis horis*, cum *debita* & expauſata *modulatione*, & in convenientibus veſtibus ſecundum conſuetudinem Eccleſiaſticorum. Et ſerventur.

Feſta eſſe plura quà rei publica expedit.

Item circa *feſta*, quæ apud multos *plura* ſervantur, *quam expedit reipublicæ*, & pauperibus artificibus, & agricolis: Imo dant malas occaſiones peccandi per otium: Quia tunc juvenes nihil aliud faciunt, quam vacare laſciviis, tabernis, lupanaribus, aliiſque illicitis.

Feſtorum numerus minuendus.

Item videtur, quantum ad populum ſufficere ſervare *feſta*, quæ ſunt *in jure ſcripta*, & illorum celebrationem generalem conſtringere ad principalem Eccleſiam diœceſanam, & ad feſtum Eccleſiæ.

CAPUT VI.

De ſtatu & Poteſtate Romani Pontificis, & illius electione.

Pontifices aliqui nimia administrãdi libertate uſi.

Juramento cõſtringendus novus Papa.

Papa nil faciat ſine conſenſu Cardinalium.

QUia viſum eſt, *ex libertate immodica adminiſtrandi, qua uſi ſunt Romani Pontifices*, mala multa pullulare, fiat certa profeſſio & *juramentum*. Ut olim fiebat, ut patet in *profeſſione Bonifacii IIX.* De quo conſtat. Et addantur, quæ viſa fuerint Cardinalibus, vel duobus Cardinalibus. Et hanc profeſſionem & *juramentum* aſſumtus in Papam teneatur *præſtare*. Et in eo contineantur illa, quæ videntur gravia, quæ juret facere vel omittere, prout fuerint *facienda* vel *omittenda*. Et ſi facienda, juret *non facere ſine Cardinalibus*.

Papa agat cum conſilio Cardinalium.

Et ordinetur *de modo faciendi*. Ut talibus conſenſerint, vel per ſubſcriptiones priorum trium Collegii, ſcilicet per Epiſcopos, presbyteros, & diaconos, vel per alium modum. Ita, ut in his credatur aſſertioni Papæ dicentis: *Cum conſilio fratrum*, & de gravibus exemplis, ſcilicet in his quæ concernunt fidem.

Multa à Papa non facienda niſi in Concil. gener.

Item in concedendis privilegiis exemtionum, in alienationibus rerum immobilium, vel mobilium pretioſorum, in creationibus Cardinalium, in depoſitionibus eorum, vel alicujus ipſorum: *Quæ non faciat, niſi in concilio generali.*

Convocet Papa concilium generale ſingulis decenniis.

Item *de convocando Concilio generali*, *ſaltem ſemel infra decennium.*

Locus concilii per Papam nõ mutandus.

Et de concilio ſtatuatur *locus de futuro concilio, ne Papa poſſit locum mutare.*

Item, ſi contingat, quod aliqui Cardinales ſe opponerent electioni Papæ, ita, ut cum Papa remaneant minus quam duæ partes: Teneatur electus *intra annum celebrare concilium in loco, qui fuerit ſtatutus in præcedenti concilio.* Et, ſi non eſſet ſtatutum, *in loco non ſuſpecto, & in quo nullam habeat temporalem poteſtatem, ut ibi de electione libere judicetur.*

Prælati ſine cauſa non temere ſede movendi.

Item *de non privando* aliquem *prælatum, niſi citatum*, convicta culpa in judicio: Nec transferendo invitum.

Statuta Concilii Conſt. ſervanda.

Item de *obſervandis ſtatutis conciliorum, maxime hujus.*

Item de faciendis guerris & pacibus, & ſimilibus.

S. Papa Sanctiſſime Eccleſiæ regimen.

Utile *in hoc* multa talia exprimere: Ita, ut detur cauſa, ut, *ſicuti Papa dicitur ſanctiſſimus, ſic ſanctiſſime etiam regat Eccleſiam.*

Digitized by Google

CAPUT VII.

De ſtatu & Officio Cardinalium, & illorum aſſumtione.

Electio Papæ ſit ſincera.

QVia plurimi intereſt, quod *ſincera & pura mente* per Cardinales eligatur Papa, & *non carnali affectione*: Provideatur de ipſis *Cardinalibus*, ut veroſimiliter ſperari poſſit, quod eligatur modo prædicto.

Cardinales ex variis eligantur regnis. Ex uno regno nō niſi duo ſint aut tres. Roma aliqua ſit prærogativa.

Ubi videtur ſtatuendum, quod, cum *Papa debeat eligi melior & ſanctior ex tota congregatione Eccleſiæ*: Ita etiam *aſſumantur Cardinales* non de ſingulis locis paucis, ſed, ſi fieri poteſt, *de quolibet regno* ſeu regimine. Ita, ut *de una parte mundi non* poſſint fieri *plures quàm duo, vel tres*. Et in hoc aliquantulum honoretur *Roma* cum ſuo metropolitano, etiam in aliquo majori numero, non tamen exceſſive.

Papatꝰ ne ſit hereditarius uni nationi.

Ex hoc evitabitur, ut *papatus non fiat hæreditarius uni nationi* ſive genti.

Cardinales ſint docti. Vel nobiles.

Item non fiant *niſi docti* in ſacris canonibus vel ſacra pagina: Niſi forte ſint *de maxima ſtirpe*; aliqui *pauci*, qui maxime poſſint Eccleſiam juvare. Nec fiat, niſi habita ſcrutatione de voluntate ipſorum. Ita, ut præſumantur veroſimiliter acceptanei, nec minores annis, & nati de legitimo matrimonio.

Numerus Cardinalium.

Provideatur etiam de taxando *numero Cardinalium*. Ita, ut non excedant xxx. Aliis videntur xxiv. inſtar xxiv. Seniorum.

Reditus Cardinalium.

Item, ut habeant reditus taxatos & certos, puta xxiv *millia* pro quolibet.

Commendæ Eccleſiis damnoſa.

Item, ut habeant *reditus ſine ſcandalo*, id eſt, *non ex commendis*, per quas Eccleſiæ deſtruuntur. Ita ſcilicet deinceps non dentur commendæ beneficiorum. Eas, quas habent, poſſint tenere licite. Sed videant, ut iſta gubernentur, ut juſte nemo poſſit ſcandalizari.

Titulorū aureorum augmentum.

Sed aggregentur *reditus titulorum*, & quilibet valeat ſaltem mille. Et hoc uniendo aliis titulis & aliis beneficiis urbis dictæ Romanæ Eccleſiæ ſine ſcandalo, ac beneficiis diverſorum. Vel aſſignentur etiam *reditus*, ſupprimendo *in qualibet Eccleſia cathedrali unum beneficium*, & conſtituendo quamlibet Eccleſiam cathedralem de illorum reditu, ſecundum facultates beneficii ſuppreſſi.

Reditus Capellæ.

Dicunt etiam, quod bonum eſſet, *auferre reditus capellæ*, ad evitanda ſcandala. Et ut Cardinales tantùm ſint promti ad conſentiendum translationibus prælatorum. Aliàs videtur, quod tales reditus maneant cum limitationibus, ſcilicet providendo, ut, *ſi etiam bis vacet infra triennium*, vel, ſi videatur, quadriennium vel quinquennium, *non niſi ſemel exigantur primi fructus*.

Primi fructus rariꝰ exigendi ſi officiū ſæpiꝰ vacet.

Solutio primorū fructuum habeat moram.

Item *ad ſolutionem* eorum faciendam aſſignetur *triennium*, ita ut tertia pars ſolvatur in fine primi anni, ſecunda in fine ſecundi anni, & tertia in fine tertii anni.

Vacantias eſſe tollendas.

Dicunt aliqui, melius eſſe, *tollere ex toto* iſtas *vacantias*, quod provideri non poſſet, ut illa proxime dicta ſervarentur, ſi Papa vellet infringere, niſi ex toto ſervarentur *jura communia*, ut provideretur Eccleſiis, monaſteriis & beneficiis ordinaria forma.

Officia parvi laboris & magni fructus.

Item, quod *ſingulis titulis Cardinalium* xxiv. ut ſupra, uniantur *Eccleſiaſtica beneficia in diverſis regionibus, quæ non habeant magnam adminiſtrationem, ſed magnos proventus*, ut plura talia & ſufficientia reperiuntur. Quod *aliquando* Cardinales illa debeant & habeant *viſitare*.

CAPUT VIII.

De Statu Romanæ Curiæ.

Officia Romanæ curiæ.

STatuantur *officia Romanæ curiæ* in meritis & qualitatibus perſonarum. Et ſint *officia perpetua*, quæ non poſſint auferri invitis ſine culpa.

Item, quod quilibet teneatur *ſervare officium ſuum*, & ſic jurare, & ante certos.

Ordi-

Alta Eccleſia publica à Cardinali quodam conſignanda.

Ordinetur inter Cardinales aliquis, qui quæcunq; contingentia, quæ ſunt alicujus ponderis, & quæ cum ſolis Cardinalibus per Papam geruntur, *redigat in volumina.*

Paſtorum Eccleſiarū conſignent fata ſua Eccleſiæ.

Et *idem* fiat *inter parochianos.* Ita ut fiant *regiſtra autentica* de omnibus, *nec perdatur memoria temporum, quæ quantum ſit utilis, omnibus patet.*

CAPUT IX.

De toto ſtatu Eccleſiaſtico in genere.

Reformatio totius Eccleſiæ olim neceſſaria. Difficilis reformatio, ob exceſſuum multitudinem.

ET quum *reformatio Eccleſiæ in capite & in membris neceſſario facienda*, prout *juratum* eſt *in Piſano concilio*, a quo robur & autoritatem recepit ſtatus *noſter, difficulter fieri poteſt* ſine magna nota, exprimendo particulariter exceſſus, qui vix ſingulariter dearticulari valerent: Videtur expedientius, laudabilius & efficacius, ſi *generalia tranſiremus.*

Cauſa corruptionis Eccleſiaſtica quærenda.

Primum quidem conſiderandum videtur, quæ ſit *cauſa deformitatis Eccleſiaſticæ in capite & in membris*? Unde *vileſcat* apud vulgum & tantopere *Roma*, cum omnibus ſuis ſuppoſitis & *ejus curia*? Quare alias & maxime in ſpiritualibus & temporalibus patiantur opprobrium, vilipendium & jacturam? Quia

Si ſtatuta majorum ſervarentur nō eſſet opo reformatione.

excedunt exemplum patrum noſtrorum, qui *per concilia generalia*, decretales & conſtitutiones laudabiles, adeo *providerunt*, ut ſi bene ſervarentur, tota Eccleſia militans floreret, reformationis non indigeret, & eſſet in magno potentu.

Pœna ſtatutis addenda.

Sed quia *pœnæ ſufficientes* non fuerunt adjectæ, nec de *executoribus* ſufficienter proviſum, ideo omnia dilabuntur, & omnis provincia devaſtatur, & tendens ad perniciem & ruinam ſuam perit, Papæ & Prælatorum poteſtas contemnitur, & bona temporalia, ſeu reditus per defunctos relicti, deſtruuntur & funditus evacuantur.

Item, ut *conſtitutiones Johannis XXII.* circa officia Romanæ curiæ, & alia ſtatuta, quæ ſcripta ſunt, ſerventur ad unguem.

Idoneis officia committenda.

Item, ut nullus habeat officium, niſi ſit *idoneus* ad illud exercendum, & in propria perſona exerceat.

Non nimis multos miniſtros Ro. curiæ eſſe debere.

Item, ut non ſit tantus numerus *ſcriptorum & abbreviatorum.* Quia *plures* ſunt, qui *neſciunt ſcribere*, nec *dictare*, ſed fiunt ſolùm ad quæſtum.

Confirmationes officiorū Eccleſiaſticorū quomodo curare debeat Papa.

Aliis videtur melius, ut *confirmationes electionum* fiant per ordinationem in forma *juris communis*, ut de patriarchalibus, aut metropolitanis & exemtis Eccleſiis & monaſteriis atque locis aliis, per ſedem Apoſtolicam: Hoc etiam per eandem ſedem, quando cauſæ ad illam devolvuntur per *appellationem.* Et ita in totum *ſervabitur jus commune*, & *curia Romana ſatis habebit cauſas per appellationem.*

Annatas eſſe tollendas. Ob damna.

Item, ut omninò *ceſſent annatæ.* Quia per illas deſtruuntur Eccleſiæ & monaſteria, & ſeqvuntur animarum pericula. Quia communiter Prælatus excommunicatur per illas.

Diſpenſationes eſſe reſtringendas.

Item, ut provideatur *adverſus diſpenſationes* contra *jura communia*, maxime contra generalia concilia. Item videantur illa omnia, & apponantur pœnæ.

Simoniæ quoq; pœna ſtatuenda.

Item circa *electiones factas* provideatur contra violentas impreſſiones, pacta, preces & *Simonias*, per *pœnas*, graves etiam, molliores aliàs.

Conſtitutiones & pœnæ prælegēdæ in electionibus & collationibus.

Quæ proviſio & pœnæ legantur in ſingulis electionibus faciendis. Et ſimiliter fiat in collationibus beneficiorum, vel per ordinariam viam. Et ut in quolibet beneficio conferendo, collato vel præſentato, teneantur illa facere legi coram ſe, *qui confert beneficium*, ut ſaltem motu pœnæ terreatur ne malè conferat, & *ſuſcipiens*, ne male ſuſcipiat. Etiam legantur electo, quando ei præſentabuntur.

Abuſus poteſtatis ſecularis.

Item *declarentur jura*, circa illa maxime *decretalis lib.1.tit.6.cap.43.* quoad ſecularis poteſtatis abuſum. Et *pœna*, ſi opus eſt, augeantur. Etiam extendatur illa conſtitutio ad preces & cetera illicita.

Item,

Digitized by Google

Indigni non ad officio ſacru promovendi.

Item, ut etiam circa *promotiones* & proviſiones *de indignis*, fiat juxta *Decretal. lib.1. tit.6. cap.7.*

Reformationis in Concilio Conſtant. quæſita commoda.

Ex hoc ſeqvuntur *commoda infinita.* Nec juribus Romanæ Eccleſiæ derogatur quando poſſit diſpenſare, ſtatuere, & gratias facere, quando ſibi videbitur, cum bona deliberatione faciendo.

Ex reformatione gloria Pontificis.

Reformatio efficax in Concilio Conſt. quæſita.

Primum igitur, licet multi detrahant & obloquantur contra Romanam Eccleſiam & Dominum noſtrum, tamen iſtud daret illi tantam gloriam, ut nullus tantam habuerit à quinquaginta annis ante. Cum non fuerit facta per aliquem tam *notabilis, fructuoſa, efficax reformatio.* Quæ tanto laudabilior & formoſior eſſet, quanto *Eccleſia* nunc eſt præ cæteris temporibus *deformata.* Nec tunc eſſet eis onerofa proviſio, quæ fieret per ſtatuta dominorum.

Principes olim id Eccleſiæ præſtiterũt, quod Eccleſiaſtici neglexerũt.

Secundum eſt, ut illa, quæ cogitant facere Reges, Principes & Prælati, in *noſtram* confuſionem, & Eccleſiæ Romanæ, & honoris & poteſtatis ejus, & faciunt finaliter, tam per ordinationem ſtatutorum regiorum, quam conciliorum provincialium, ſynodalium & capitulorum, *nos* præveniremus, & *nobis* totum aſcriberemus ob unitatis gloriam & honorem.

Ex reformatione ad Eccleſiaſticos ſacra redirent officia.

Ex reformatione orituram magnam devotionẽ erga curiam Ro.

Tertium, ut regiones, regna, quæ licet *nobis* obediant verbo, effectu vero nihil, quia Prælati quaſi ubique, niſi in regno Franciæ, volunt de omnibus diſponere, & vivere ſicut Papa, *nobis* tunc obedirent, & cum laude *noſtra* venirent ad concilium, ut tenentur de jure; Nec eſſet dubitandum, quin potius *timerent concilia generalia:* Etiam, ſi fuerint de ſeptennio in ſeptennium, propter eorum exceſſus. Et plus timerent illud examen, quam *nos*, quia *jura communia ſervaſſemus.*

Veneratio Conciliorum Generalium.

Concilia provincialia celebranda.

Item etiam cogerentur celebrare *concilia provincialia*, & capitula generalia, prout jura ſenſerunt, &, ſi non facerent, punirentur.

Neglecta concil. provin. alia ſu corruptionis cauſ.

Et de hoc etiam fuit ſtatutum *in concilio Piſano.* Quia omiſſio iſtorum eſt *cauſa deformationis Eccleſiæ,* In quibus negligentiæ ſingulorum, etiam Dominorum magnorum inſolentiæ & exceſſus corrigantur, & arceantur à committendis. Maxime ſi ſit proviſio, ut in conciliis eſſet aliquis pro parte Domini noſtri Papæ.

Literatorum defectus.

Jura ſervanda.

Quartum, quia depreſſio Romanæ Eccleſiæ & Eccleſiarum particularium cauſatur etiam *ex defectu* hujusmodi *literatorum*, qui non curant ſtudere, *cum jura non ſervantur*, etiam per illos, *qui fecerunt canones*, nec per executores eorum, cujusmodi ſunt Epiſcopi. Si verò videantur *jura ſervari*, omnes cogerentur addiſcere & ſtudere, & in conſiliis Principum ſcirent ſuadere, quæ ſit pœna infringere Eccleſiaſticas libertates: More vero conſiliarii magnificarent & declararent, quanta ſit poteſtas Romani Pontificis, quæ hodie ignoratur, contemnitur, & vileſcit.

Conſiliarii Principum eruditi.

Quintum, quod Reges & Principes, & eorum curiæ, qui non curant, ignorantiâ cenſurarum & jurium, infringere Eccleſiaſticam libertatem, tunc timerent non *Papam*, nec *collegium*, ſed *conſtitutiones conciliorum generalium & ſcripta juris communis:* Quia *bene literati* eſſent *in conſiliis Principum*, & ſcirent ſuadere quæ ſit pœna, infringere Eccleſiaſticas libertates. Modò vero conſiliarii hujusmodi non ſunt ut plurimum literati, & ſi ſunt, ibi laxant multum habenas.

Beneficia indignis collata.

Sextum, quod *Ordinarii*, qui *ſæpe diſpenſant contra canones*, per importunitatem, corruptionem vel metum, vel *conferunt beneficia minus dignis*, ſive diſpenſant, *excuſarentur* apud ſupplicantes inique & eos quodammodo cogentes.

Septimum, quia Papa cum collegio, qui coguntur, ad preces principum, quæ viribus æquipollent, facere *promotiones de perſonis* interdum *minus dignis*, excuſarentur apud eos, Deum & homines. Et nihilominus, quia *electiones* examinarentur diſtrictius, & paucæ eſſent canonicæ: Tunc poſſet plus, quam nunc & liberalius Papa, cui voluerit, providere. Nec propter hoc ligarentur manus ejus, neque ejus poteſtas arctaretur, niſi de honeſtate, quin certo caſu & neceſſitate.

Octa-

Octavum, quod eſſet relevatio magna *Domini noſtri*, quando dirigerentur *jus commune & laudabiles conſuetudines ſervata* in curia tempore Gregorii & Urbani V. Per hoc apparebit, quod vult, quod totus clerus vivat ſecundum ſanctiſſimas ordinationes, *ſecundum ordinationes ſacrorum conciliorum*, & jurium, quæ in ſcholis leguntur. Et vitabimus unum magnum inconveniens, & magnam difficultatem. Quia in conciliis non ſpecificabuntur *defectus curiæ*, nec *defectus Prælatorum*, & *clericorum & religioſorum*, & *Principum & laicorum*. Quæ *omnia indigent reformatione*. Si ſpecificarentur, non eſſet ſine confuſione, & ſcandalo. Providere autem aliter non poſſent, niſi ſpecificarentur. Sed eſſet nimis prolixum.

Magna olim opus reformatione.

Nonum commodum eſt: Quia per hoc vitamus unam magnam difficultatem & redargutionem: Aut providebimus diminute, dimittendo multa, in quibus ſunt *infiniti exceſſus*, & reprehendemus, quæ neſcimus, vel non voluimus ſufficienter providere.

Decimum, quod illi, qui tangentur, dulcius & humilius tolerabunt conſtitutiones & pœnas ordinandas, quum videbunt, quod nihil eis injungatur, niſi id, ad quod *de jure communi* tenebantur. Quæ, ſi ſine iſto colore & titulo expreſſo eis injungerentur, moleſte ferrent, nec æquanimiter tolerarent, & forte non obedirent. Nunc vero omnes Principes & laici faciunt parce pro *nobis*.

Pœna leviores ſi ... de jure communi.

Nec obſtat, quod *reſervationes tollerentur*. Quia *de jure* quammultæ ſunt, quæ remanent, ut *Extravagantes, Execrabilis*. Et beneficia vacantia apud ſedem, vel ad duas dietas devoluta, vel litigioſa, vel incompatibiliter detenta, ſunt *de jure communi* reſervata.

Reſervationes pleraſq; tollendas eſſe. Manere reſervationes aliquas de jure communi.

Item illa, in quibus manum appoſuerit Papa per *diſpenſationem*, privationem, translationem, caſſationem electionis, vel renunciationem, etiam ubicunque fieret.

Item *beneficia venientium ad curiam*, vel *recedentium*, infra duas dietas *morientium*. Et idem de beneficiis illorum, qui cauſa peregrinationis, recreationis, infirmitatis, vel alia, recedentes de curia, intra duas dietas moriuntur.

Item beneficia vacantia per aſſecutionem. Et præterea poſſet uti reſervationibus, ſicut ſibi placeret *in terris Eccleſiæ*, & etiam mandare, ut hæc conſtitutio: *Ad regimen*, & aliæ *Johannis & Benedicti*, pro *jure communi tenerentur*.

Nec obſtat, quod *expectationes* non darentur. Quia primo *de jure communi* Eccleſiæ & curatores poſſunt gravari de uno: Et darentur cum clauſula antiqua: *Si pro alio non ſcripſerimus*. Et poſſet aliquantulum plus extendi.

Expectationum limitatio.

Item *de jure communi* poteſt bene Papa ex cauſa *unum beneficium* vel dignitatem *reſervare* in Eccleſiis cathedralibus & collegiatis.

Item *prælati viſitarent ſedem Apoſtolicam*, ut tenentur, & a multis illicitis abſtinerent. Et dum veniunt ad curiam, injungeretur eis ſerio. Et tunc cognoſcerent, quid ſit Papa, & recognoſcerent Dominos Cardinales.

Prælatorũ obligatio Romam eundi.

Præter vero prædicta reſtant *multa cauſæ*, tam in curia, quam extra *reformanda*, quæ *in jure communi* clare non comprehenduntur. Ex quibus aliquæ *debent reformari*, *conſtitutione edenda*.

Et aliquæ *indigent reformatione* per viam *conſtitutionis generalis* ſcribendæ, & *de concilio generali approbanda*. Et quæ talia ſint, poterunt dividi *per multas ſeſſiones*.

Multa olim reformanda tempore Concilii Conſt. in & extra curiam Ro.

Quia vero *jura parum prodeſſent*, *niſi executioni demandarentur*, expedit, aggravare *pœnas in jure ſcriptas* contra canonum transgreſſores, & dare *executores* eorum. Alias fierent *exceſſus*, ſicut & non putarentur; nec aliquis ſummo Pontifici nunciaret.

Jura non juvant, niſi ſerventur. Pœna legibus jungenda.

In quo inter cætera proderit, ut cogantur *concilia celebrare provincialia*, & *capitula generalia*, prout eſt per ſacros canones ordinatum. Et ibi ſit ſemper in ſingulis unus *nuncius Apoſtolicus*, qui Romano Pontifici referat dubia, quæſtiones, accuſationes & concluſiones

Concilia provincialia celebranda.

CAPUT X.

De Prælatis & Clericis ordinandis.

Epiſcopi ordinandi.

COmpellantur Archi-Epiſcopi, & Decani, Præpoſiti, Archidiaconi & alii Prælati infra tempus debitum *ſuſcipere ordines* debitos. Et fiat conſtitutio pœnalis, etiam ſine alia monitione.

Non fiant ſacerdotes niſi bene morati & docti.

Inducantur potiſſimum Archi-Epiſcopi & Epiſcopi, ut nullatenus aliquos ad ſacros ordines, præcipue *ad ordinem ſacerdotalem admittant* vel promoveant niſi *bene morigeratos*, & ſufficienter *doctos*, inſtructos in his, quæ ſunt hujusmodi ordinum: *Oſtendendo pericula*, quibus ſe exponunt, & *ſcandala*, & mala, imo & multiplicia honoris Eccleſiaſtici ſeu virorum Eccleſiaſticorum *decrementa, ex* hujusmodi *indignorum promotione ſuborta*, ac etiam periculum animæ illius, qui hujusmodi promotioni ſe exponit, cujus *periculi promotor*, ſcilicet *Epiſcopus*, principale eſt principium. Practicari tamen poſſet ſine generali concilio *per concilia provincialia ſynodalia.*

Indocti ſacerdotes ſunt periculum & ſcandalum Eccleſiæ.

Item, ut hujusmodi Prælati, promotores, ſecure poſſint *committere officium* ſuum *viris probis & honeſtis*, ſufficienter *doctis* & inſtructis: In his, quæ ſunt *circa* hujusmodi & ordinum *examinationem neceſſaria*, ſub certis & magnis pœnis *examinando* committant.

Examina Candidatorum neceſſaria.

Expectantiis limites Papales.

De *expectativis* detur modus, per quem valeant. Ita tamen, ut non exhauriantur Ordinariorum collatorum & præſentatorum ſeu electorum poteſtates: puta, ut non valeat expectantia de beneficio, quod eſt ſolum *unum* collatori, ne privetur uno lumine.

Si autem habet *plura* conferre, valeat expectativa. Sed poſt unam expectativam non poſſit aliis immediate continuari. Quæcunque clauſulæ ſint in locis poſitæ, ſecundum ordinarios *libere reformentur.*

Beneficia ſimoniace accepta.

De *beneficiis obtentis ſimoniace in curia Romana, vel extra*, quod poſſint libere conferri & impetrari.

Et quod *habentes de facto*, teneantur ad reſtaurationem perceptorum. Et ad hanc teneantur prælati procedere ſub pœna perjurii. Nam hoc eſſet addendum in juramento Prælatorum.

Promovendi graduati, nobiles, docti, bene morati.

Item ut nulli, niſi *graduati*, vel *nobiles magna nobilitate*, ad Eccleſias cathedrales admittantur: Nec beneficia curata niſi *docti* competerent, & *moribus probati.* De quo judices ad hoc aſtringuntur *ſub pœna excommunicationis*, a qua nullus poſſit abſolvere, niſi ſummus Pontifex, vel *ſub pœna privationis* omnis honoris Eccleſiaſtici, vel beneficiorum, ſi votum non fecerint examinationis vel probationis.

Jus commune ſervandum in Officiorum ſacrorum collatione.

Alias videtur, quod ex toto ſervetur *jus commune* in collatione beneficiorum. *Quod ſi remaneat una ſcintillula gratiarum expectativarum, creſcit ſtatim in flammam.* Sed ponantur pœnæ Ordinariis male conferentibus, & ſtatuatur, quod certa beneficia non poſſint dari niſi *literatis graduatis.* Reſervetur aliquis numerus etiam beneficiorum in ſingulis collationibus, ſecundum numerum beneficiorum illius collationis, de quibus Papa poſſit diſponere.

Item, ultra *reſervationes juris*, fiant aliquæ: Non tamen de majoribus dignitatibus poſt pontificales in cathedralibus, vel de principalibus collegiatis: Quia illas magnis expedit dari *ſecundum jus commune*, ut communiter ſunt electivæ.

CAPUT XI.

Quod Prælati & beneficiati reſideant, & ſua Officia exequantur: Et de diſpenſationibus ſuper præmiſſis.

Pluralitas officiorum reſtringenda.

DE *diſpenſatione* ſuper pluralitate & incompatibilitate beneficiorum videatur, ut non concedantur alicui ultra certum numerum, ne unus occupet

Digitized by Google

cupet infinita, & alter fame pereat, & videtur ſervanda conſtitutio; *Execrabilis.*

Prælati ſuis Eccleſiis præſint, nec diu ab Eccleſiis abſint.

Item, circa iſta videtur omnino eſſe providendum, ut *in provincialibus conciliis* ſtatuatur, inhibendo prælatis, ſub pœna excommunicationis, ne à ſuis diœceſibus per tot & tanta tempora recedentes negotiis ſecularibus Regum & Principum temporalium inſudarent, ſed in ſuis diœceſibus reſidentes Regibus & Principibus temporalibus poſcentibus conſilium per ſcripta darent, vel per ambaſiatores, & in caſu arduo in propria perſona venirent, & peracto negotio ad propria redirent.

Item videatur de obtinentibus dignitates, quibus injungitur *cura animarum*, etiam capitulorum, Eccleſiarum, & qui habent *in capitulis reſidere*, ut cum talibus *nullatenus diſpenſetur.*

Paſtores ne diſſimulent peccata auditorũ.

Item inducantur *peccata ſuorum ſubditorum diſſimulantes*, nec omnia corrigentes, ſed in eiſdem ſuſcepta peccata colorantes: Non *paſtores* ſed veriſſimi bonorum ſpiritualium & temporalium ſuorum ſubditorum ſunt cenſendi *raptores*, ac ſuorum omnium crudeles occiſores: Oſtendendo etiam pericula, quibus ſe exponunt & ſuas oves. HODIE enim TALIA OMNIA VENALIA SUNT, & PECUNIIS REDIMUNTUR.

Venalia ſunt omnia.

Item circa hoc videtur hoc modo fore providendum in *generalibus conciliis*: Statuetur, inhibere omnibus & ſingulis ſub pœna excommunicationis, ne talia permitterent, ſed ad hujuſmodi peccata punienda procederent, ſecundum modum & formam in jure contentam.

Scelerati non impune dimittendi.

CAPUT XII.

De Vita & honeſtate Clericorum & religioſorum, & de illorum exceſſibus corrigendis.

Moniales ne fiant ante ætatem.

PRovideatur, quod pueri & *puellæ non obligentur religioni, niſi ſint in plena pubertate, propter nimios lapſus*, qui in hujuſmodi accidunt.

Clerici concubinarii corrigendi.

Item, circa *concubinarios* provideatur cum effectu.

Aliàs ſic negligendo *præſtaret permittere conjugium clericis.* Et *de hoc etiam diſponetur.*

Nimia clericorũ pompa moderanda.

Item Domini *Prælati* & alii viri *Eccleſiaſtici* ut vitam ſuam ducant ſecundum *ſanctorum Patrum* noſtrorum prædeceſſorum *ſanctiones*, nimium *faſtum* & *pompas* nimias reprimentes, non familias tot multiplicantes: Oſtendendo pericula, quibus veriſſime ſe exponunt, non ſecundum hujuſmodi ſanctiones vitam ſuam ducentes.

Epiſcopi doctos habeant clericos.

Item inducantur, ut ſecum *clericos doctos & bene morigeratos* habeant, ſtipendia bona ipſis miniſtrantes pro pluribus aliis famulis inutilibus. Ad eorum officium prætermiſſum vel omiſſum multa dicenda ſunt.

Habitus clericorũ ſit modeſtus.

Item omnes *Eccleſiaſticæ perſonæ*, etiam *Cardinales*, obſervent canones circa formam & colores veſtium, & tonſuras, & cappellas. Quia hodie multæ ſunt deformitates, etiam in religioſis. Quorum plures *Abbates* aliquando portant auratas, argenteas, & alias pretioſas de ſerico, & in equis ornamenta & phaleras, inſtar militum. Et apponantur *pœnæ*, ne talia fiant.

CAPUT XIII.

De Viſitationibus.

Viſitationes Eccleſiarum olim quæſtuoſæ.

ITem proponatur, ut diligenter & utiliter, *plus ad animarum commodum, quam pecuniarum extorſiones*, fiant per prælatos *viſitationes.*

Gerſonis opus de viſitatione Eccleſiarũ commendatum.

Et offeratur præfato concilio quidam *tractatulus, in Concilio Rhemenſi provinciali compoſitus*, tractans de *particulari modo viſitandi, Eccleſias particulares* refor-

reformandi: Prius tamen examinandus, &, ſi opus fuerit, corrigendus, addendo vel diminuendo, ſi quæ fuerint. Inde *per diœceſes* ſcripto & verbo *divulgetur* per eos.

Caput XIV.

De ſynodis generalibus.

Conciliū generale ſæpe congregandū.

Congregetur *generale concilium* ſaltem in capite decem annorum. Et de hoc ſupra.

Contra ſtatuta Concilii generalis non eſſe diſpenſandum.

Quod *contra ſtatuta concilii non poſſit diſpenſari* niſi in alio concilio, niſi forte ex magna neceſſitate, & tunc conſentientibus duabus partibus Cardinalium.

Prælati adConcilium Generale veniant.

Item, quod Prælati vocati ad concilium non poſſint venire per ſubſtitutos, niſi ex cauſa gravis morbi. Et aliæ cauſæ non acceptentur, niſi approbentur & concilio. Et contra contumaces in non veniendo procedatur, usque ad privationem beneficiorum faciendam.

Oratores regum ac Principū ſint inConcilio generali.

Si in concilio videbitur, quod ultra prælatos interſint *oratores Regum & Principum*, ſi voluerint: Et de hoc requirantur: Præcipue autem *Imperatoris*, *qui etiam ex debito officio deberet perſonaliter intereſſe.*

Profeſſores Academici ad Conciliū generale vocandi.

Item, quia multum expedit, ut interſint *viri docti*, vocentur *de quolibet generali Studio* aliqui famoſi, vel in canonibus vel in ſacra pagina, prout Studia in his abundant.

Caput XV.

De ſynodis provincialibus & diœceſanorum.

Concilia Provincialia non negligenda.

De *ſynodis provincialibus* & de diœceſanorum, ut apponantur *pœna* graviſſimæ Prælatis, ſi omittant. Et idem de *ſynodis Abbatum & religioſorum*, qui ipſas omiſerunt. Quia ex hoc cauſatur materia delinquendi.

Item, ut *provincialia* fiant *concilia*, etiam *religioſorum*, ſecundum modum *& formam in jure contentas*. Et ut non ſit defectus in eorum celebratione.

Johannis 23. conſtitutio An. 1412. Romæ facta.

Aviſentur autem modi honeſte cohortandi metropolitanos atque ſuos ſuffraganeos, & alios ſubditos, ut vocent ſuos inferiores, ut compareant. Præter modos in jure ſcriptos fuit *facta in urbe anno tertio Domini noſtri Johannis conſtitutio* pœnalis opportuna, quam debet habere *Dominus Piſanus*.

Statuta Synodalia ſæpius publicanda.

Item, ut *ſtatuta ſynodalia* ut & *provincialia*, ipſos laicos ſubditos concernentia, aut aliquando ligantia, certis diebus in anno à curatis parochialibus ipſis laicis *explicentur*, & in tabulis publicis verbis maternis *conſcribantur*.

Statuta conſervanda ſcripto.

Statuta autem concernentia aut ligantia Eccleſias majores vel minores, religioſos & non religioſos, ſolutos & non ſolutos, *in ſcripta redigantur*, & ſingulis Eccleſiis parochialibus aliis, in verbis latinis aut maternis *communicentur*.

Iſte articulus practicari poteſt per præfata concilia ſine generali concilio. Et utique expedire videtur. Quia *propter* hujusmodi *ſtatutorum ignorantiam* qnamplures ſunt hujusmodi *ſtatutorum transgreſſores* in eorum præjudicium.

Caput XVI.

De exemtionibus revocandis.

Exemptiones revocanda.

De *exemtionibus* revocandis; aliquibus *ex toto*: Ut, ſi ſint Eccleſiæ, quæ non ſubjacent alicui regioni vel ordini: Aliquibus *ex parte*, ſcilicet reducendis ordini communi, *Sexto Decretal, lib. I. tit.* 4. *cap.* 1. Deinceps concedendæ non valeant, contra formam dicti capituli; niſi aliter decernatur *in Concilio*.

Circa

Circa hoc multum attendendum, ſcilicet circa *exemptiones capitulorum* & perſonarum Eccleſiarum cathedralium, maxime *in regno Franciæ*, in quo *pene omnes exemti* ſunt. Quia illas tollere eſſet remederi multa ſcandala.

Sed exemptiones à metropolitanis poſſent revocari certis modis. Quia grave eſt, devenire ad ſedem Apoſtolicam pro qualibet cauſa.

Item de *exemptionibus* generalibus *ordinum*, utpote Hieroſolymitani, & ſimilium, expediret dari in ſingulis provinciis judices Apoſtolicos: Quia in illis exemtionibus multa ſequuntur ſcandala, & in aliis perſonis & in rebus.

Caput XVII.

De cenſuris Eccleſiaſticis, & irregularitate.

Excommunicationes ſint rariores.

PRoponatur, ut quicunque Domini & judices ſpirituales, ordinarii & delegati, non tam leviter in ſuos ſubditos ferant *excommunicationis ſententiam*, potiſſimum in cauſis debitorum temporalium, & levium injuriarum.

Item proponatur, ut merito à multitudine excommunicatorum ad unitatem Eccleſiæ reducantur. Ut in primis ſynodalibus conciliis celebrandis ſtatuatur præcipere omnibus & ſingulis curatis parochialibus, ſub pœna excommunicationis, ut ad ſe ſucceſſive vocent parochianos excommunicatos, & de cauſa excommunicationis & permanentia quærant: Et prævia informatione debita, ad judices officiales veniant, ad præfata in potentia informantes: Quibus informatis prælatos excommunicatos ad ſe vocent, partibus etiam convocatis; Et ad præſtanda, ut melius conformiter ad jura fieri poterit, beneficii abſolutionis ſtatuta, ſub pœna excommunicationis, præfati officiales teneantur.

Compendium juris faciendũ de variis caſibꝰ pœnalibus Eccleſiaſticorum.

Item eligantur *quatuor viri nobiles, diſcreti*, qui *omnia juris volumina*, nova & antiqua, *revolvant*, *extrahentes* ex eis omnes *caſus* expreſſos & determinatos, *in quibus* viri Eccleſiaſtici, majores & minores, religioſi & non religioſi, ſoluti & non ſoluti, atque laici, viri, mulieres, ipſo jure *pœnas juris incurrerint*, pœnam ſcilicet excommunicationis, ſuſpenſionis, & irregularitatis, & ſic de aliis: Ut ex eis *ſpecialis* poſſit componi *libellus in generali concilio, quoad ſingulos hujusmodi caſus viſitandos*. Et ſi aliqui ſint oneroſi & inutiles, revocentur; & neceſſarii roborentur. Illud videtur expedire ex hoc, quod *ſecundum temporum diſpoſitionem & varietatem* neceſſe eſt, & *neceſſitas* ſumma, ut *ſtatuta humana poſſint variare.*

Liber ille Concilio Conſt. offerendus.

Examinandus.

Item quod *præfatus libellus* vel *tractatus*, de quo ſermo, *per generale concilium viſitandus*, poſtea viſitatus ſingulis Eccleſiis, & earum prælatis communicetur.

Introducendus.

Iſti duo articuli expedire videntur: Quia quamplures ſunt viri Eccleſiaſtici & laici, hujusmodi pœnis involuti ignorantes, ex hoc ſuam non procurantes reconciliationem.

HÆc ſunt, quæ in *MSCto VINDOBONENSI* ſub nomine *Agendorum in Concilio Generali Conſtantienſi* exhibentur, autore, ut nobis quidem hactenus videtur, *Cardinale Franciſco Zabarella*.

His absq; omni intervallo ſubnectuntur ſtatim nonnulla *Gerſoniana*, quæ de eadem agunt materia, quam jam jam tractaverat Cardinalis, nempe *de Excommunicatione limitanda ac reſtringenda.* Apparet autem, hæc ab ipſo Cardinale eſſe excerpta ex Gerſone, & confirmandæ atque illuſtrandæ ſuæ ſententiæ cauſa allata. Sicuti magnæ autoritatis *Gerſonem* apud hunc fuiſſe Cardinalem ex eo apparet,

Digitized by Google

paret, quod pluſculos *Gerſonis* libellos, *Theologiam* ejus *dogmaticam*, & *De Viſitatione Eccleſiaſtica*, tanti fecerit, ut univerſo Concilio Conſtantienſi offerendos judicaret, atque publica Concilii autoritate in Eccleſias introducendos. Vid. ſupra *Cap. I. & XIII.*

Quia autem hæc *Gerſoniana* paucula ſunt à Cardinale excerpta ex ejus libro *De vita ſpirituali animæ, Lect. IV. Coroll.* 14. quæ habentur *Tomo III. Op. f.* 62. *lit. S.* cum his MSCtum conferre non intermiſimus.

Quod igitur hæc *Gerſoniana* calamo excerpentis ac loco teſtimonii adducentis ſint hic jam facta *Zabarelliana*, omittere atque ab opere ſuperiori præſcindere nefas putavimus. Sequens itaque illis præmittitur in *Vindobonenſi Codice MSCto* inſcriptio:

Sequuntur plures *Concluſiones in materia ferendæ excommunicationis ſententiæ*, poſitæ per Magiſtrum *Johannem Jarſſana Cancellarium Pariſienſem.*

PRima propoſitio: Expediens videtur, nullam excommunicationis ſententiam ferri niſi pro manifeſta contumacia, quando ſe monſtrat aliquis audire Eccleſiam non paratum. Ratio. Quoniam dum ſemper eſt paratus audire Eccleſiam, cur habebitur ſicut hæreticus (Edit. Argent. 1494. ethnicus) *& publicanus? Cur ab eadem præſcindetur? Hoc tenet Scotus.* (in IV. Sentent. diſt. 25.) *In decima diſtinctione allegat de hoc textum Chriſti, in quo fundata eſt autoritas excommunicandi & correctionis fraternæ. Et hinc ſumitur validum à contrario ſenſu argumentum.*

Excommunicatio hominum irrita ſæpe apud Deum.

Juxta hoc videre eſt, qualiter impoſſibilitas parendi mandatis Eccleſiæ facit, ut quis apud Deum nulla ſit excommunicatione ligatus. Quod ſi talis impoſſibilitas notoria ſit, impedit, ne quis poſſit ab Eccleſia per excommunicationis ſententiam juſte ſeparari. Et (Ad) *hoc videtur uſus Eccleſiæ, dum quis excommunicatus pro debitis, abſolvitur, dum cedit bonis ſuis omnibus, qui facit in hoc ultimum ejus quod poteſt.*

Injuſte aliqui excommunicantur.

Certum eſt, (Ceterum) *dum aliquis ex ignorantia, quanquam culpabili, aut infirmitate & paſſione vitioſa, non tamen contumaciter fecerit aliquem actum, pro quo ſtatuta eſt ſententia excommunicationis latæ ſententiæ ab aliquo Prælatorum, videant Juriſtæ & judices, ſi talis poſſit dici excommunicatus ipſo facto, cum ſemper ſit & fuerit promtus ſtare correctioni Eccleſiæ ſuper delicto ſuo, prout ſupponitur, quia non ex contemtu clavium & juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſed aliunde motus, ut dictum eſt, malum fecit. Non enim qualibet inobedientia pro contumacia reputatur.*

Non facile quempiam pro excommunicato habendum.

Secunda propoſitio: Videtur expediens, ut nullus teneretur alium vitare, quantumcunque excommunicatum à jure, niſi poſtquam denunciatus fuerit eſſe talis à ſuo judice. In omni quippe alio caſu fere poteſt homo rationabiliter præſumere, proximum ſuum non excommunicatum eſſe. Et oppoſitum faciens exponit ſe frequenter diſcrimini peccati mortalis, alienum ſervum temerarie judicando. Exempli gratia, video fortem (ſortem) *interficere ſacerdotem aut eum vulnerare. Si judico fortem excommunicatum, poſſum errare. Quia vel à judice potuit habere mandatum, ut hoc faceret, vel ebrietas aut furor eundem excuſat, aut aliquid aliud intervenit, propter quod in judicio contentioſo, cum ad illud venerit, abſolvetur.*

Præterea, quicquid ſit in præſentia facti, neſcio tamen infra biduum, an à ſuo judice fuerit abſolutus: Quam abſolutionem neque mihi, neque cæteris tenetur nunciare. Secus eſt, dum judicialiter eſt condemnatus. Quia judicio publico debet abſolvi, ſi non vult evitari.

Petro de Alliaco à Gerſone laudatus.

Quæreret aliquis: Quid operantur excommunicationis latæ ſententiæ per canones? Reſpondeo, ſicut accepi à Præceptore meo, eas

ſan-

tantundem operari, ut abſque proceſſu alio judiciali aut nova conſtitutione, poſſit judex ſtatim probato facto vel confeſſato ferre juris ſententiam, & eandem publicare. Non ſic, ubi canones eſſent ſolum ferendæ ſententiæ. Quoniam monitiones & proceſſus ſecundum terminos juris præequirerentur multiplices.

Ex eadem ratione videtur, quod nullus parochianus debet evitare curatum ſuum a ſuis miniſteriis publice ſeparando, niſi prævia ſuperioris ſui fuit ſententia publicata (publicatus.) *Debet enim tolli, quantum poſſibile eſt, a ſubditis occaſio rebellionis & temeraria dijudicationis cujuscunque alterius, quoniam iſta ſunt peccata graviſſima. Sed dare licentiam, vel præceptum, conſenſum,* (conſultum) *ut ſubditi vitent curatos ſuos, non prævia ſententia & publicata, eſt eos prædictos peccatorum periculo exponere.*

Laici facilles movent ſuſpiciones de clericis.

Cum laicis clerici ſint infeſti, poterunt leviter dicere de ſuis curatis, quod ſint fornicatores publici, ſi forte colloquium, vel conſortium modicum viderint apud eum cum mulieribus.

Rurſus, etſi curatus fuerit heri fornicator poterit tamen pœnitere, ut ſecundum judicium ſui ſuperioris & confeſſoris, obtulerit, ſe dimiſſurum concubinam ſuam, tempore & loco. Quia non (ſubito tenetur ſemper hoc facere. Sicut nec pœnitens aſtringeretur removere) *ſubito à ſe quicquid ſit* (fuit) *aut eſt occaſio peccati. Tunc parochianus vitando, iſtum vere abſolutum, quomodo non peccabit? Non autem debet leviter ſuſpicari, nunc aut alias, quod vero careat beneficio abſolutionis, niſi dum per ſententiam judicis fuerit ut talis promulgatus. Sed tunc tamdiu vitabitur, quoadusque fuerit publica denunciatione* (noviter) *abſolutus.*

Adde, quod ſtabit tunc eſſe diem dominicum, dum parochianus primo incipiet ſuſpicari vel judicare, quod curatus ſuus ſit fornicator, & ita vitandus. Quid aget in hoc caſu? An vitabit eum? Et hoc erit contra præceptum Eccleſiæ de audiendo miſſam die Dominico: Quia aliam, ut ſuppono, non poterit illo die procurare: Aut communicabit? Et hoc erit contra conſtitutionem (conſcientiam) *& ædificabit ad gehennam.*

De clericis [illegible]

Poterit etiam falli, ut dictum, de impœnitentia ſacerdotis forte pœnitentis & abſoluti judicando. Imo enim potius debet judicare pœnitentem & bonum, quam oppoſitum: Cum [ſubito] *potuerit à Spiritu ſancto viſitari, & pœnitere, confeſſionem actu loco* (vel voto) *perficere.*

[illegible] cis non temere ut[illegible] mus judicandum.

Poſtremo, quis non videat, hanc licentiam eſſe fomitem ſchiſmatis inter ſubditos, aliis dicentibus de curato, quod bonus ſit, aliis non, ſed vitandus. Quia (nec eſt par omnium affectio, nec par diſcretio) *nec par eorum quæ juris & facti* (ſunt) *cognitio.*

Objicietur fortaſſe nobis illa Decretalis cum ſuis gloſſis de Cohabitatione clericorum & mulierum: Ubi per argumentum à contrario ſenſu trahitur, quod fornicator notorius, qui ſcilicet (nulla) *tergiverſatione negari poteſt eſſe talis, vitandus eſt, etiam non expectata ſuperiorum ſententia. Hic [illegible] mus aliqua, quod [illegible] oppoſitum & Prælatorum tolerantia, quæ [illegible] executa eſt hanc decretalem in curatos [illegible] tos, interpretata ſunt illam legem non eſſe ſervandam, vel quod ante ſententiam ſuperioris, quamdiu toleratur, nihil propriæ deberet ita notorium crimen a ſubditis reputari, quin aliqua poſſit tergiverſatione celari* (negari.) *Juſte quidem, aut propter inſpiratam* (inſpirantem) *gratiam, ut dictum eſt, quæ neſcit in viſitando tarda molimina, aut quia neſcitur operantis intentio vel* (aut) *cauſa. Nonne poſſet mulier in caſu frequentari a curato pro ſua converſione, ſicut egerunt aliqui ſanctorum circa publicas meretrices. Sic presbyter etiam meritorie tradi poſſet morti. Ad hoc facere videtur Decretalis, immediate præcedens: Multa inſuper decreta, quæ non loquuntur in hac materia, niſi de ſacerdotibus ſententialiter condemnatis, ſi bene videantur, aut ſi aliqua ſonant aliter, poteſt eis non incongrue interpretatio* (talis aptari. Et videant, obſecro, oppoſitum ſentientes, quam) *irrationabile ſit, ut Prælatus communicet cum curato parochiali, ſaltem dum tolerat eum ſciens eſſe talem, & parochiani eundem evitare, non dico poterunt, ſed debebunt.*

Quod ſi quæſierit aliquis: Quid valebit igitur illa diſtinctio famoſa inter fornicatorem notorium & non notorium? Plane ad hoc, quod notorius poteſt abſque alio juris ordine protinus condemnari per judicem, alius non niſi teſtibus legitime (legitimis)

Digitized by Google

(legitimis) *juris ordine præconvictus* (prius victus.)

Juxta hoc forſitan elici poteſt intellectus, quod debet fornicarius notorius evitari, quia ipſe poteſt aut debet ſtatim judicaliter pro evitando judicari. (Judicari) *dico, non à ſubditis ſed prælatis. Conſuetudo imo & utilitas publica videntur pro hac interpretatione militare, & hanc reddere non diſtortam.*

Pro dictis omnibus ſunt gloſſæ ordinatæ (ordinariæ) *Auguſtini & Ambroſii, ſuper illo 1. Cor. V. capitulo: Si quis frater nominatur.* *Similia* (Similiter) *diceremus de ſententiis promulgatis generali modo loquendi,* (absque) *nominum expreſſione,* per Eccleſias. *Ut dicendo: Excommunicamus, omnes ſacrilegos, omnes, impedientes juſtitiam Eccleſiaſticam, omnes, qui talem rem ſurripuerunt &c. Talis modus loquendi generalis & conſenſus* (confuſus) *non ligat, ut videtur, gentes ad vitandum illos, quos in particulari tales cognoverunt, niſi per judicium tales eſſe nominatim promulgentur. Non enim parem habet efficaciam generalis modus loquendi cum ſpeciali. Sicut ſacerdos literatus poteſt dicere, quod omnis fur ſit ſuſpendendus, nec irregularitatem incurrit, quæ innodaretur, ſi diceret, hic fur ſuſpendio deberet* (meruit) *interimi. Aliæ cauſæ patent ex prædictis.*

De excommunicatione generali in Eccleſiis.

Denique ratio ad propoſitionem eſt, quando magna pœnitentia (pœna) *eſſet, magnum inſuper diſcrimen conſcientiæ* (conſcientiarum) *apud innocentes, ſi per* (propter) *aliorum delicta ipſi* (paſſim) *& abſque judicio tenerentur excommunicati. Audivi de* (Papa) *Urbano V.* (quod gloriabatur, ſe Papam eſſe, ob hanc præcipue cauſam) *quod nullis pœnis excommunicationis & irregularitatis erit* (erat) *obnoxius, qui* (ſi dilexiſſet proximos ſuos ſicut ſe ipſum, & hoc advertiſſet,) *relaxaſſet fortaſſe tot laqueos, tot onera, tot pericula aliorum cervicibus, ut aliquali etſi non pari ad ipſam libertatem* (ad ipſum libertate gratulari potuiſſent.)

De Papa Urbano V.

Hæc ſunt cum *Zabarelliana* tum *Gerſoniana*, in laudatiſſimo *Codice MSCto* ſervata. Judicium aliis eſto relictum, *integrumne opus* ſit *Zabarellianum*, an aliquid forte deſideretur. In ſimile MSCtum qui inciderit, certius judicium feret, & vel calculum nobis dabit, vel quæ reſtant exhibebit. Decimus fideliter quod invenimus.

Præterea, cum inſtituti noſtri ratio requirat, ſubnectere opuſculis his *autorum vitam*, aut *virtutum* quibus excelluere, ac *fatorum* quibus jactati, recenſionem: Contentos hac vice lectores curioſos fore confidimus luculenta *gemina Oratione funebri*, dicta à viris clariſſimis in ipſo Concilio Conſtantienſi in laudem defuncti Conſtantiæ hujus *Cardinalis Franciſci Zabarellæ*.

En ergo primò loco elegantiſſimum in Conſtantienſi concilio Oratorem *POGGIUM FLORENTINUM.*

)✲(

JO. FRAN-

VITA
FRANCISCI ZABARELLÆ,
Cardinalis Florentini,
eleganti Oratione
JOHANNIS FRANCISCI POGGII FLORENTINI,
Clariſſimi in Concilio Conſtantienſi Oratoris,
In laudato Concilio A. MCCCCXVII.
in Cardinalis funere deſcripta.

ETſi plurimo luctu doloreque impedior, Patres Conſcripti, quem ex *optimi præſtantiſſimique viri* morte una vobiſcum ſuſcipio: Tamen non *doloris* tantum mei quantum *officii* rationem me habere oportet. Celebratur hodie funus *hominis ſanctiſſimi, deoque optime meriti.* Cujus gloriæ ſi hoc in loco deeſſem, vereor ne ingrati nomen ſubirem. Itaque in *publicum munus*, quod extremum à nobis mortuo præſtatur, æſtimavi mihi etiam *privatim* aliquid honoris eſſe adjiciendum. In quo ſi vobis minime ſatisfecero, numquid illius amplitudini, quæ maxima eſt, debeatur? Sed quid facultas mea dicendo conſequi poſſit, animum quæſo advertite. Illud enim arbitratus ſum, cum hæc, quæ in mentem veniunt, paucis recenſuiſſem: Et ſatisfacturum me deſiderio meo, & ſimul quaſi materiam quandam præbiturum reliquis, majora atque ampliora quædam dicendi. Non enim uſitato genere orationis, non mediocri eloquentia virtus ejus contenta eſt, ſed poſtulat excellens ingenium, atque exquiſitum & eximium dicendi genus.

Nam per Dei immortalis religionem, cujus hic fuit propugnator acerrimus, quis niſi ſingulari ingenio & eloquentia pene divina, illius poſſit in omni vita laudes, non ſolum ornare verbis, ſed enumeratione complecti? Multos vidi, multos cognovi ipſe *ætatis noſtræ excellentes viros*, qui *præditi* eſſent *una quapiam virtute ſingulari*: In quo vero *omnes virtutes* omnem vim ſuam expreſſiſſent, præter hunc cognovi neminem. Nam ſive *ſtudia doctrinæ*, & omnem ſcientiam rerum quam *ſapientiam* vocant, ſive *prudentiam, humanitatem, fortitudinem, liberalitatem, gravitatem morum* quæſieritis, & *vitæ integritatem*: Procul dubio nullum reperietis cum hoc viro (pace aliorum dixerim) ne longo quidem intervallo comparandum.

Quare à vobis peto, Patres Conſcripti, cum pauca *de ipſius vita & moribus*, prout tempus feret, dixero, me *de virtutibus ejus* dicentem benigne, ſicut cœpiſtis, attenteque audiatis.

Ortus FRANCISCUS ex *Patavio*, ut ſcitis, urbe inter Italas longe antiqua & nobili: *parentibus honeſtiſſimis* ac ſe dignis. Quorum

Patriâ Patavin. Italus. Parentes honeſtiſſimi.

Digitized by Google

Educatus ſancte. Literis ſe dedit. Juris ſtudium excoluit. In eo excelluit.

rum diligentia *ſancte domi enutritus*, cum primum per ætatem licuit, *ſponte ſua totum ſe litteris dedit.* Et cum varia eſſent genera diſcendi, in quibus multa cum laude poſſet verſari: Tamen præclariſſimam atq; utiliſſimam vitæ mortalium cum videret *juris ſcientiam ac legum*: Omnem ſuam curam ad illas convertit. Atq; in eis ita *excellens evaſit*, ut non ſolum noſtri, ſed etiam ſuperioris temporis homines longe anteiret.

Alia ſtudia nõ neglexit.

Nec tamen alia ſtudia neglexit. Nam propter *acumen mentis atque ingenii* addidit quoque ad legum ſcientiam & *reliquarum artium cognitionem.*

Adoleſcẽtia modeſtia. Juvenis autoritate ſenili.

Adoleſcentiam tanta *modeſtia* compoſuit, ut *juvenili ætate auctoritatem obtineret ſenum.* Laſcivias omnes & blandimenta corporis, quæ illa ſecum fert ætas, adeo eſt aſpernatus, ut *perpetuam* elegerit ſervaveritque *caſtitatem.* In quo non mortalium ſed cœleſtium imitatus eſt naturam.

Profeſſor. Docere cœpit.

Cum vero ad *virilem ætatem* perveniſſet, exiſtimans non ſolum ſibi ſe natum eſſe, ſed procreatum quoque *ad utilitatem cæterorum:* Palam *cœpit docere*: non tam quæſtus gratia, quem ſemper ille contempſit ac pro nihilo habuit, quàm *officii* & *communis utilitatis, quo laborum ſuorum fructus ad multos perveniret.*

Ex ejꝰ diſciplina doctiſſimi viri orti. Adamatꝰ ab omnibꝰ eruditis.

Igitur *ex ipſius ſchola* veluti ex uberrimo fonte ſapientiæ innumerabiles *præclariſſimi viri emerſere.* Concurrebant ad eum undique ex toto fere terrarum orbe qui recte ſapere volebant. Quia non ſolum *notitiâ legum*, quod ipſum erat ſatis, ſed quod eſt egregius, *vitæ exemplo* inſignem intuebantur. Natus enim ad decus & honeſtatem *vir ſanctiſſimus.*

Virtuti deditiſſimus. Decorum in tota vita ſpectavit. Lenis. Benignꝰ. Humanus. Aditꝰ ad eum patuit facilis. Sermone lepidus & facundus. Luctã adoleſcens amavit.

Inprimis habuit præcipuam *curam virtutis colendæ.* Nec minorem *vitæ bene agendæ rationem* habuit, quàm comparandæ doctrinæ. Summa *integritas*, *continentia*, *gravitas*, *vitæque moderatio*, adeo in omni vita *decorum* illud ſervavit, ut ne leve quidem dictum factumve in eo reperiatur indignum viro bono & gravi. Natura fuit *clemens*, ut qui nihil tam obliviſceretur quàm injuriam. *Mores faciles*, ad *lenitatem* proni. Nam *ſeveritatem* magis *ex diſciplina* contraxerat, quam natura. *Benignitate* atque *humanitate* fuit tanta, ut omnium videretur quaſi *communis parens.* Patuit ſemper ad eum *aditus* etiam *minimis.* *Audiebat benigne* omnes, *comiter reſpondebat.* *Vultu* erat *gravis*, ſed cui ineſſet *multa urbanitas.* *Sermone lepido ac facundo*, quo uſque adeo delectabamur, ut ex ejus ore *melle dulcior* (ſicut de Neſtore inquit Homerus) fluere videretur *oratio.* Amavit perſæpe *facetias* ac *jocos* verborum, animi relaxandi gratia. Nam vel ludendi vel exercendi corporis nullam habuit curam, præterquam *luctæ*, cui in adoleſcentia ad valetudinem aliquando, idque modice indulſit. *Benevolentiam in diſcipulos* ſuos tantam oſtendit: Ut *quos videret pronos ad virtutem* (nam vitiorum hoſtem ſe præbuit acerrimum) *haberet loco filiorum*, quos fovebat, erudiebat, enutriebat, non ſecus ac boni frugique parentes ſolent.

Quod

Quod autem meo judicio plurimum æſtimandum eſt, ſimplex fuit & *apertus*, *nullius rei ſimulator aut diſſimulator*, ſed *cultor veritatis*. Unde illud Socratis ſemper in ore habuit, facile homines ad virtutem evaſuros, ſi tales eſſe curarent, quales vellent videri. *Cibi* fuit *parciſſimus*, & *modici ſomni*. Nam *lucubrabat aſſidue*, lectioni intentus. *Tempus* enim per ſocordiam *diffluere non ſinebat*. Præter hæc *diſputabat frequenter in ſcholis*, ingenii acuendi gratia. Quo ſtudio & diligentia incredibilem rerum omnium ſcientiam eſt conſecutus.

Aperti animi fuit. Veritatem amavit. Victus parcus. Diſputavit frequenter in Academ.

In hoc otio & vita diutius verſatus, cum *ejus nomen longe lateque ferretur* (Erat autem ingens tum *prudentiæ*, tum *probitatis* ſuæ conſtans *fama*) eos etiam qui nunquam eum vidiſſent ad ſe diligendum alliciebat.

Inclaruit ex prudẽtia & probitate.

Igitur pellectus eſt *Johannes*, qui tum erat *pontifex maximus*, ut eum nequicquam tale expectantem *præficeret Eccleſiæ Florentinæ*. Eccleſiæ inquam ejus urbis, quæ inter cæteras potiſſimum floreret. Ut non tam *Epiſcopi* nomine eum cohoneſtare velle videretur, quam *titulo magnificentiſſimæ civitatis*. Cui adeo charus fuit, ut nunc quoq; *Franciſci Epiſcopi* nomen in ea ſit celeberrimum.

Epiſcopus Florentinꝰ à Johanne 23. conſtitutus.

Inde conſiderans *Pontifex* non ſatis eſſe factum vel virtuti illius, vel hominis conceptæ opinioni, ipſum *Cardinalem* appellavit *Florentinum*. Et quod multi precibus, divitiis, ambitione, quidam nobilitate & virtute majorum, nonnulli nomine adipiſcuntur, hic *virtute propria* adeptus eſt, cum hanc tam inſignem dignitatem nullius interceſſione ultro ad eum Pontifex detuliſſet. Nam *in quo virtus* erat, reliqua illi omnia adeſſe putabantur. Non enim poſtulantibus amicis, non patriæ quærenti, non imaginibus majorum, non opibus tributum eſt *decus illius honoris*, ſed *ſapientiæ*, *virtuti*, *& ſanctimoniæ vitæ*, *quibus tunc Romana Eccleſia permaxime indigebat*. Magna laus acceſſit Pontifici, cum intelligerent homines, in *virum bene meritum* (*quod raro admodum videmus fieri*) *collatam* eſſe *ampliſſimam dignitatem*. Illa quidem vere appellatur *dignitas*, quæ confertur ultro *in hominem dignum*, non quæ precibus aut pretio eſt emendicata.

Cardinalis Florentinus creatus à Johanne 23. Non ambivit hos honores, ſed meruit.

Hinc mirificam ejus viri *probitatem* cognoſcite. Solent hi ſublimes honores ac ſubitanei paulum inflare homines & inſolentiores reddere. Difficile eſt enim in rebus ſecundis ac magna licentia non egredi officii metas. Adeo quidam efferuntur, ut nedum alios ſed ne ſe ipſos quidem ſatis cognoſcant. Priorum familiaritatum obliviſcuntur, nec comparant novas. Non qui ipſi ſint reſpicientes, ſed quid poſſint. Non bonorum ac malorum, ſed divitum & pauperum diſcrimen habentes. Ita priores mores exuunt, ut merito circes pocula ſumpſiſſe videantur. At vero *Franciſcus* noſter longe abfuit ab iſtorum perverſitate. Nihil de anteriori conſuetudine immutavit. Nihil elatus eſt. Conſervavit ſe integrum. *Humanitatem* vero, *clementiam*, ac *liberalitatem* etiam auxit. Nam quo plus poterat, eo diligentius incumbebat, ut quam plurimis ferret fructum. *Tunc* enim *maxime bonitatem exercendam eſſe* dicebat, *cum bene agendi poteſtatem haberemus*, quæ raro Principibus deeſſe ſoleret. *Veteres amicos* adeo dile-

Magnis his honoribus non elatus. Priſtinos mores bonos in honoris culmine retinuit. Veteres amicos conſtanter dilexit.

Dignitatẽ nõ ex pompa ſed mãſuetudine æſtimavit.

dilexit, ut ne quorundam immutatione animum ipſe ſuum mutarit, *dignitatem auctam* eſſe dicens *non perſonam*. Non in faſtu, non in pompa & oſtentatione decorem dignitatis ſitum ducebat, ſed *placabilitate animi* ac *manſuetudine*. Itaque is unus erat maxime, ad quem docti homines, & muſarum amici ſine faſtidioſo ſtomacho poſſent adire.

Laborum patientiſſimus.

Hinc ſi vellem ſigillatim diſcutere *actiones* ejus, & *labores*, quos pertulit tum pro multorum ſalute conſervanda; tum pro communi cauſa Chriſtianorum, recenſere, longa mihi eſſet habenda oratio. Illud præterea vereor, ne quo plura enumerem illius benefacta, eo magis recrudeſcat dolor, qui & me impediat a dicendo, & vos reddat in audiendo tardiores. Quamobrem pertranſibo ea, quæ ad ſingulos ſpectant, & cum alio feſtinet animus, ea ſolum percurram, quæ pertinent *ad publicam cauſam*. Quæ licet vobis ſint notiſſima, tamen abſque ignorantiæ culpa nequeunt prætermitti.

Publicam cauſam ſedulo egit.

Ad Concilii œcumenici convocationẽ electus.

Locũ Concilii univerſalis commendavit Conſtantiam Germaniæ.

Nam ſimul ut eſt factus *Cardinalis*, videns ſe *in publici concilii convocationem delectum*, omnem quoque meditationem ſuam in procuratione *cauſæ publicæ* collocavit. Quod & multis in rebus antea oſtendit, & tunc præſertim cum *ad deligendum locum pro præſenti concilio* miſſus eſt. Nam fuit inprimis *auctor hujus loci ſtatuendi*, qui diſcordiis & diſſenſionibus fidelium fatalis eſſet futurus. Qua in re licet pauliſper eum opinio ſua fefellit, tamen *non rerum eventu metienda ſunt conſilia hominum, ſed ratione*. Nam ut Cicero dicere ſolebat: *Recta ſententia ne infecta quidem cauſa vituperanda eſt.* Ille tamen *qua mente delegerit hunc locum* poſtea deſignavit, cum neque aperta odia multorum neque quorumvis ſimultates extimeſceret, quo minus inſtitutum iter ad Eccleſiæ unitatem proſequeretur. In quo utinam plures nactus eſſet *imitatores conſtantiæ* ſuæ, non hic tam diu hæſitaremus, ſed loco conſtituto.

Pontificẽ 23. Concilium Conſtantienſe ſubterfugientẽ admonuit.

Cum jam tempus præſcriptum propinquaret, *Pontifex* autem *partim dubitare videretur, partim tergiverſari*: Quæ cohortationes ejus fuerunt, quæ preces, quæ monitiones! Cum *ſe ſolum huc venturum* diceret, *ne falleret promiſſam fidem.*

In Conſtãt. Concil. publica negotia ſummo ſtudio curavit.

Verba ejus pro decretis habita.

Liberrime in Concilio diſſeruit.

Quo poſtquam ventum eſt, quid ab hoc prætermiſſum? quid non *actum ſumma cum diligentia, ut* hæ *radices ſchiſmatum*, quæ longius creverant, funditus *evellerentur*? Nullum tempus ab hoc negotio ſibi vacuum dedit. Nunquam deſtitit, nunquam ceſſavit ſollicitare, inſtare, exequi omnia quæ eſſent ad pacem, & diſſidia ſummovenda. *Ejus præſentia tantum in omni re valebat, ut nihil agi poſſe videretur, ubi ipſe non eſſet: Qui & celeriter res animo comprehendere & faciliter* poſſet *concilio explicare*. Itaque *deputabatur fere ad ſingula. Verbaque ejus pro ſententia habebantur.* Illud vero ſumme laudabatur, quod ea quæ multi variis ex cauſis dicere neſcirent, ſolus hic apte loqueretur. *Nemo* enim *liberius in hoc concilio locutus eſt unquam, nemo confidentius.* Deum plus verebatur quam homines, animæ ſalutem corpori præferens. *Hujus* tantum in rebus agendis valuit *auctoritas* & ſollicitudo, ut ſi verum fateri volumus, neceſſe ſit *potiſſimam partem* exoptatiſſimæ *unionis* quam manibus ipſis jam tenemus, nos *huic viro acceptam ferre.*

Qui

Digitized by Google

Qui cum hæc tam ampla jeciſſet fundamenta, perficiebat ſummo ſtudio inceptum opus. Atque id magna ex parte ſua impenſa abſolviſſet, ſi longior fuiſſet vita. At illum, cum ſuperioris partem egiſſet optime, in extremi actus, ut boni poetæ ſolent, perfectione laborantem fata interceperunt. Nec vero dubium eſt, quin ſi vixiſſet diutius *ſummo ſacerdotio functus eſſet.* Nam omnes, ſummi, infimi, mediocres, illud *culmen pontificium ad eum uno ore deferebant*, illum maxime dignum aſſeverantes, qui eccleſiaſticæ reipublicæ gubernaculum teneret. *Papali dignitate dignus.*

Expoſui vobis breviter *ejus vitam*, tum *bene inſtitutam*, tum *exactam ſanctiſſime.*

Nunc ad reliquam partem, quæ mihi *de virtutibus ejus* propoſita erat, veniendum eſt. De quibus tamen parce ac modice dixerim. Nolo enim cauſam agere virtutum, ſed *Franciſci propriam bonitatem* exponere. Ut & *honor debitus* ei reddatur, & reliqui ex hac virtutum ejus commemoratione incendantur ad gloriam. Harum cum *aliæ* dicantur à ſapientibus *in agitatione mentis* verſari, & veri perſpicientia, *aliæ in actione*: In omnibus *Franciſcus* facile *tenuit principatum.* *Virtutes Cardinalis Zabarellæ.*

Nam & *ſapientiâ* & *prudentiâ* fuit tantâ, quantâ hujus ſeculi nemo fere alter. Ut omnem vitæ curſum ad *honeſti* normam duxerit. *Sapientia & prudentia magna.*

Primum quidem *omne doctrinarum genus*, quibus ad ſcientiam pervenitur, indagavit, cognovit, percepit. Ut enim *à grammaticis* recedam, in quibus fuit peritiſſimus: *Rhetorum* præcepta ſummopere didicit, tantamque adeptus eſt in dicendo facultatem, ut *orator bonus* haberetur, etiam ab his, qui aures in ea re ſatis habent eruditas. Audiſtis enim *perſæpe* illum *verba facientem*, etiam *ex tempore*, quæ magna eſt in oratore difficultas. Audiſtis non orationem, ſed quaſi fluvium quendam redundantem, tum *verborum copia*, tum *gravitate ſententiarum.* Huic adjecit, ornamenti gratiâ, & *poetarum & hiſtoricorum cognitionem*: Quos magis *tenebat memoria*, quam hi, qui totam in illis ætatem conſumunt. In *Logica* vero cum multum operæ poſuiſſet, contulit ſe ad *Philoſophiam*, ex qua juris diſciplina, ut Ciceroni placet, haurienda eſt. Et cum univerſam percepit, tum *eam partem maxime quæ pertinet ad mores*, & qua boni efficiuntur viri. Cujus inſtitutis omnes actiones & privatas & publicas accommodavit. Hinc vertit ſe ad *Theologiam*, in qua tantum ſtudii poſuit, ut doctiſſimis in ea viris compararetur. Reliquis *artibus* quæ *liberales* dicuntur, tantum indulſit temporis, ut de eis poſſet diſerte copioſeque loqui. Erat enim in Viro *ſumma vis ingenii*, *memoria* permagna, *legendi* vero tanta cura ac *ſollicitudo*, ut quicquid otii à publicis privatisque negotiis ſupereſſet, id totum in lectionem conferret. *Summæ fuit eruditionis. Extempore ſæpe in Concilio orationes habuit. Poëtas & Hiſtoricos perſcrutatus. Moralem doctrinã adamavit. Theologiã ſedulo excoluit. Memoria tenax. Legendi cupido infracta.*

Sed omnia mihi rite conſideranti genera ſtudiorum, nihil nobilius, nihil majus videtur ei tribui poſſe, quam *ſcientia juris, & divini & humani*, quam præ cæteris tanquam peculiarem fundum excoluit atque ornavit. At quantum profuerit tum ſingulis, tum univerſis qui delectantur *legibus*, præſertim *pontificiis*, declarant *commentaria ipſius, edita* in eam facultatem, adeo comprobata omnium *Juris divini & humani peritiſſimus.*

conſenſu, ut non *interpres juris*, ſed tanquam Solon *conditor legum* fuiſſe videatur. Qua ex re una immortalem ipſi gloriam & ſempiternum nomen paratum videmus. Nihil præclarius excogitare potuit vir ſapientiſſimus, nihil divinius, quam nobis *ejus artis difficultates patefacere*, qua maxime ſalutaris & uſui mortalium eſſet neceſſaria. Nam ſic habetote, Patres Conſcripti, certum eſſe atque exploratum, *omnem vitæ noſtræ rationem actionemque legum ſcientia & diſciplina contineri.* Nulla quidem ſocietas hominum, nulla conjunctio, nulla civitas conſtare poſſet, niſi gubernaretur *legibus*; quæ recte conſueverunt a ſapientibus appellari *mœnia civitatum.* Itaque in eis qui plurimum excellunt, permagni viri haberi ſolent. Pulchrum eſt enim & gratum omnibus, ut refert M. Tullius, in ea *ſcientia* laborare, quæ ſit *multis profutura*, quæ jubet ea quæ facienda ſunt, prohibetque contraria. Ipſarum quoque utilitatem ipſe Tullius alio in loco majorem in modum extollit. Inquit enim: *Hoc eſt vinculum dignitatis, qua fruimur in re publica, hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis.* Mens & animus, & conſilium & ſententia civitatis, poſita eſt in *legibus.* Ut corpora noſtra ſine mente, ſic civitas ſine *lege*, ſuis partibus, ut nervis & ſanguine & membris, uti non poteſt. Legum *magiſtri*, magiſtratus, legum *interpretes*, judices, legum denique omnes *ſervi* ſumus, ut *liberi* eſſe poſſimus. Quorſum igitur hæc de legibus? Ut intelligant omnes, quantas gratias debeamus ei jure, qui ferme vitam omnem occupavit, tum in docendis legibus, tum in earum obſcuris atque ambiguis ſenſibus enucleandis.

Juris nodos ſolvit.

Jurisprudentia optimum vitæ præſidium.

Neque tamen legum magis quam *morum* fuit *magiſter*, nec juris obſervantior quam *æquitatis.* Docuit autem, quod potuit vivens. Et cum cerneret vitæ tempus breve ac incertum, rerum vero difficultatem permagnam, effecit, ut *doctrinæ ſuæ* extarent *monumenta*, quibus facilior pateret ad diſcendum via.

Non ſemper rigore juris ſed & æquitatem ſpectavit.

Dixi de ſtudiis, ſcientiæ. Venio nunc ad eam quæ *una virtus* eſt *in hominum ſocietate maxime neceſſaria*: *Prudentia* ſcilicet, quæ hunc maxime illuſtravit. Quis enim *in exquirendis conſiliis* acutior fuit, ſolertior *in capiendis*? Erat in eo *uſus* atque *experientia rerum* plurimarum incredibilis. Multa tenebat *præteritorum* monumenta, *antecedentia connectens præſentibus.* Quid *in re dubia* facto eſſet opus, facile conjiciebat. Nemo ad eum conſultor adiit (plures autem quotidie accedebant) quin ſibi bene conſultum putaret. Erat *animus in conſulendo liber*, omni cupiditate ac perturbatione vacuus. Itaque tantam fuerat *auctoritatem ex eo conſecutus*, ut *ſi forte errore aliquo* (prout fert fragilitas noſtra) *paululum laberetur*, tum proinde acciperent ac ſi factum id eſſet ſumma cum ratione. Concepta erat opinio prudentiæ longo tempore obfirmata, ut omnia ab eo optimo atque exquiſitiſſimo conſilio & dici & fieri putarentur. Quare auſcultabantur ipſius *dicta* tanquam *oracula* cujusdam, omnia modo & ratione metientis.

Prudentia eminuit. *Uſu & experientia polluit.* *In re ancipiti promptus.* *Magna ex eo autoritatis.* *Dicta ejus pro oraculis habita.*

Juſtitiæ vero virtutum omnium parentis (ut eas quoque percurram quæ poſitæ ſunt in actione vitæ) amantiſſimus fuit & ſervantiſſimus.

Juſtitiæ tenaciſſimus.

ſimus. Nihil ab eo inique dictum reperitur, nihil impie factum. Vixit ad præſcriptum rationis. *Nunquam deflexit mentem ab æquitate,* nunquam progreſſus eſt longius, quam *honeſtas* dictaret. *Fidem* ſemper *inviolatam ſervavit.* Neminem læſit unquam. *Nullum afflixit injuriâ*, ne tunc quidem cum eſſet laceſſitus. Quin *multos ab injuriis tutatus eſt*, quos honoris cauſa taceo, qui niſi his obſtitiſſet ingenti fuiſſent affecti calamitate. Hæc enim erat ipſius & magna laus, ut nihil ſibi antiquius exiſtimaret, quam *oppreſſorum cauſam ſuſcipere ac tueri.*

Æquitatis obſervantiſſimus. Fidē datā ſervavit. Neminem læſit. Læſos defendit.

Quid loquar *de liberalitate ejus ac beneficentia*? Vereor ne quis ſit iniqvus probitatis judex: qui forte putet me oſtendendi ingenii cauſa hæc tam multa *de Franciſci virtutibus* dicere. Atqui ita me omnipotens amet DEUS, ut vere & ex animi ſententia loquor. *Nil ſimulatum* profertur, *nil fictum.* Narrantur iſta à me, & quidem debilius quam rerum majeſtas ac pondus requirat. Neque enim eſſet quicquam tam magnificum dictu, quin id virtus ſuperaſſet ſua. Velut hæc ipſa, de qua loquor, *liberalitas* major erat quam à me verbis explicari queat. Non ſolum *familiaribus* ſubvenit & *amicis* quos ſenſerat premi egeſtate, ſed *ignotos* quoque *ſublevabat.* Bona ejus erant propoſita *omnibus*, præſertim his, *qui bonitatis ſpeciem aliquam præ ſe ferebant.* Scio enim eſſe nonnullos ex his qui hic ſunt, *quos juvit pecunia*, cum eos admodum raro vidiſſet. Nulli poſtulanti denegavit. Invitabat quoque ſæpius ad petendum quos ſuſpicabatur indigere, *ſe ipſum defraudans & vitam ſuam, ut ſuſtentaret inopes.* Non enim abundabat opibus, ut ſcitis, ſed charitate & miſericordia, quibus eos qui dicuntur ditiſſimi ſuperavit. Nullam rem magis *deteſtabatur*, quam *avaritiam*, quam malorum ſemen omnium & cauſam eſſe dicebat. Illamque Ciceronis ſententiam uſurpabat ſæpiſſime: *Nihil eſſe tam anguſti animi, quam amare divitias.* Nihil honeſtius magnificentiusque, quam pecuniam contemnere, ſi non habeas: Si habeas, ad liberalitatem beneficiaq; conferre. Græco etiam proverbio utebatur: Amicorum inter ſe communia omnia eſſe. Itaque erat quaſi quoddam *aſylum*, ad quod *pauperes* omnes honeſte confugiebant. Nam *in referenda* quidem *gratia* fuit *diligentiſſimus.* Imitatus agros fertiles, qui plus ſemper reddant, quam acceperunt.

Liberalis ac beneficus. Erga amicos benignus. Erga pauperes largus. Bonis licet ignotis nō defuit. Se ipſum fraudavit, ut ſervaret alios. Miſericors. Avaritiæ inimicus. In referēda gratia diligentiſſimus.

Jam vero *modeſtia morum, victus temperantia, continentia vitæ*, ita in eo vigebant, ut nunquam ne parvula quidem nota ejus fama labefactaretur. *Sobrietas* peculiaris erat. Domus ſuæ *frugalitatem* magiſtram & ducem habuit compoſite vivendi. Non ſumptuoſis conviviis operam dabat, non indulgebat deliciis, non luxui, ſed *temperantiæ & moderationi.* Utebatur quidem victu ornate, ſed communi. *Paucis* erat *contentus*, & his quæ eſſent ad naturæ ſuſtentationem. Non arbitrabatur ſe natum ad paſtum & ſervitutem ventris, ut plæroſque ex majoribus videmus, ſed ad laudem & gloriam & honeſtatem. Voluptates autem corporis (quas Plato malorum eſcas appellat) exhorruerat in omni vita, tanquam exitialem ac pernitioſam peſtem. Nam *oris moderationem gravitatemque* tantam ſervavit, ut

Temperās. Continēs. Nulla vitæ macula inuſta. Sobrius. Frugalis. Convivia ſumptuoſa fugit. Paucis contentus. Ore caſtus ac gravis.

nullum

Animo fortis ac conſtans. Adverſis nō fractus. Conſilii compos. Pericula non fugit. Metū excuſſit. Nec precibus nec minis à vero abſtrahi potuit. In publicis diſſenſionib9, in Concilio Conſtantienſi subortis, animoſus, & circūſpectus. Cygnea vox in Concilio. Mortis præſagiū.

nullum *verbum* ex eo prodierit non *grave*, non *plenum honeſtatis*, non dignum ſummæ auctoritatis viro.

Attendite nunc ad eam quæſo, quam vos ipſi aperte conſpiciebatis, *fortitudinem animi & conſtantiam.* Nam ſi fortis eſt & conſtantis viri, *non perturbari rebus aſperis*, ſed *prudenti animo uti & conſilio*, ut ſapientes volunt, quis eo fortior, conſtantior reperietur? Qui nullum horruit diſcrimen, nullum ſubterfugit periculum, nullam vim extimuit, ne tunc quidem, cum multi timerent, quo minus mente imperterrita conſtans & firmus eſſet in his rebus, quæ ſibi honeſtæ videbantur. *Metus* ſæpe *injectus* eſt, nunquam tamen *ad eum pervenit.* Homo ita erat ad virtutem inſtitutus, ut *neque flecti precibus, neque terrore ab recta ſententia* poſſet *deturbari.* Mitto vetera multa, quæ longum eſſet referre.

Quid ille paulo ante vobis inſpectantibus fecit? Mementote illius *turbulentiſſimi diei*, P.C. & eum ponite ante oculos veſtros, *illius temporis* ut vere dicam *tumultum*, cum frequentes omnium ætatum, ordinum, nationum homines in illam concionem conveniſſent. Revocate animis veſtris gravitatem rei (de ſuprema enim ſalute agebatur,) *diſſenſiones & varias multorum ſententias* ac *nonnullorum trepidationem.* Quis enim fuit vultus? Quanta ſignificatio animi & conſtantiæ? Qualis illa oratio? Quam plena dignitatis & prudentiæ? Cum nunc moneret, nunc hortaretur, nunc acriter objurgaret eos, quorum opera hi diſcordiarum fluctus excitabantur. Stupebant omnes, admirabantur tantam vim dicendi fuiſſe in eo, quem propter adverſam valetudinem vix loqui poſſe credebant. *Cygnea vox* illa fuit *& futuræ mortis præſagium.* Nam dixit luculentius quam antea unquam. Et poſtremis verbis clamans inquit, *eam orationem ſuum fuiſſe teſtamentum*, cum ſeſe ita comparaſſet, ut in unitate Eccleſiæ vellet animam profundere.

Ornamētum fuit concilii. Lumen ſeculi.

O virum ingentem, & fama dignum immortali! Quænam tanta eſſe poſſet copia dicendi, ut te digne ornaret pro meritis operum tuorum! Tu perfugium calamitoſorum, ſubſidium inopum, bonorum ſuſtentaculum fuiſti. Tu ſplendor Italiæ, decus nationum, *ornamentum concilii*, *lumen ſeculi* extitiſti. Tu ſanctiſſimum omnium virtutum exemplar, oſtendiſti, quid reliquis agendum eſſet exemplo tuo: Et vitam præclaram ipſa morte reddidiſti, eorum gloriam & laudem adeptus, qui quondam *pro ſalute patriæ mortem obiere.*

Laborib9 & continuis pro publico bono vigiliis exhauſt9. Graviſſimo morbo affectus ſenex.

Sic enim exiſtimandum, Patres Conſcripti, continuis *laboribus* ac *vigiliis*, quos nimios ſuſcepit in iſta reipublicæ procuratione, & ultra quam ferre poſſent ætatis ſuæ vires, hunc virum *ſuccubuiſſe.* Ex quibus cum in *graviſſimum* incidiſſet *morbum*, victus amicorum precibus, delatus eſt ad balnea, vix reſpirans. Ubi cum paululum recreatus videretur, non expectavit firmam valitudinem. *Rediit ad* opificium ſuum & *labores conſuetos.* Nam dum flagitabatur ab omnibus reditus ejus, tum ſcelus putabat ſe commiſſurum, ſi vel parvo tempore deeſſet publicis commodis. Itaque *rediit*, & adeo *inanis virium*, ut opus eſſet, ſi quem ad locum proficiſci vellet, aliorum manibus

Digitized by Google

nibus ſuſtentari. Videbamus *pallorem vultus, oris macilentiam*, ac *totius debilitatem corporis*, non ut hominem, velut ſimulacrum viventis, & tanquam ſpirantis effigiem aſpiciebamus. Mirabanturque *in membris adeo infirmis* tam *firmam vigere mentem*. Sed *ſuperabat animi vigor corporis imbecillitatem*, & ſibi pulchrum ducebat, eo certamine mortem oppetere, ex cujus victoria pax orbi terrarum parabatur.

Itaque cum *vis morbi* ingraveſceret in diem, nullum autem ſibi requiem daret, nihil ſibi parceret, nihil indulgeret, vigilando, conſulendo, laborando, *mole rerum ac laſſitudine confectus expiravit*. Atque ita expiravit, ut nequeam, recordatione illius temporis quo reddebat animam, continere lachrymas. Oculis ipſis, & aſpectu nos hortari, & *lachrymis quas plurimas fudit* commonefacere videbatur, ut inſtar ſui cauſam publicam ſuſciperemus. Quo tempore eum nemo vidit quin *uberrime fleret*. *Laborum mole extinctus, Conſtantia in Concilio.*

O diem calamitoſum & mœſtitiæ plenum, quo te amiſimus, *Franciſce!* Et qualem amiſimus virum! Miſerum me atque infelicem, quid agam? Quid clamem? Aut querar, tali orbatus patre? Miſeros etiam tuos omnes, ad quos deferetur tam crudelis nuncius mortis tuæ! Sed nos miſeriores, qui aſpectu ipſo torquemur, luctu & mœrore confecti. O flebilem fragilitatis humanæ conditionem! Te non amplius aſpiciemus? Tene, chare parens, amplius videre, audire, colloqui non licebit? Tune a nobis tam ſubito eriperis? O, rem mœſtam & acerbam intuebor? Intuebor, ſaltem dum adeſt. Neque a te oculi dimovebuntur mei, quoad illud *extremum vale* dictum erit.

Quid ego nunc vos deteſtor, mortem acerbam, & inexorabilem vim fatorum, quæ tam impias manus in tam pium virum injeciſtis? Voſne in tanta mole agendorum, in tanta expectatione rerum, tam iniquo tempore, tantum auxilium nobis eripere potuiſtis! Voſne decuit nullorum hominum habere diſcrimen? Nonne ſatius fuerat, cum tot nepharii, improbi, ſeditioſi (quorum magna ſemper eſt copia) *in hoc Concilio* verſarentur, qui omnia permiſceant, ac perturbent, nonne inquam hos omnes ſatius erat perditum ire, ex quorum interitu ſalus parabatur orbi, quam hunc virum privari vita, ex cujus incolumitate ſalus omnis pendere videbatur?

Sed omittam *lamentationes* & *fletum*, non quidem noſtra cauſa, quibus perpetuo dolendum erit, ſed illius, qui, hoc exutus concreto corpore & mortali, cœlituum fruitur concilio. Nam ſi *ampla patuit ſemper virtuti ad cœlos via*, profecto *animus ſacer atque immortalis*, omni cultus virtute ad cœlos evolavit, & in numero ſedet beatorum.

Nunc illud ſupereſt, ad quod animadvertatis oportet, Patres Conſcripti, ut quoniam *vir hic optimus in reipublicæ munere interiit*, eum quoque *publicis honoribus decoremus*, qui ſint ad nomen poſteritatis ſempiternum. Et quoniam *pompa funeris haberi ſatis digna non potuit, propter difficultatem temporum*, diligentior habenda eſt ratio *monumenti*. Curandum eſt enim, ſi grati volumus exiſtimari, ut *ſepulchrum* illi *ex publico ære ædificetur* quam magnificum, in quo ſcribatur *Pompa funebris in Conc. pro temporis conditione nō magna ſed honeſta. Sepulchrū jure condendū.*

Digitized by Google

tur breviarium geſtorum ejus, prout ſolitum eſt fieri his qui pro patria occubuiſſent. Superimponenda eſſet ſepulchro *aurea ſtatua* more priſcorum, cujus baſi eſſet inſcriptum: *Parenti patriæ.* Sed quia hic mos venit in deſuetudinem, ſatis erit conſtitui *ſepulchrum*, ornarique ad modum majorum noſtrorum, cum *inſcriptione bonorifica*, quæ ſit ad honorem ipſius, & ad imitationem poſterorum. Nam quamvis ipſe ſibi vivus *monumentum* extruxerit *ære perennius*, quod nulla unquam diſturbatura ſit vetuſtas, tamen *gratitudinis* veſtræ erit, in virum de vobis benemeritum veſtri *judicii memoriam* extare. Ut una cum gloria ſua veſtrique officii perpetuo ſit *fama* conjuncta.

Quod reliquum eſt, vos oro obteſtorque, Patres, primum, ut *illius virtutem imitari* velitis in omni vita quem tantopere comprobatis: Deinde ut *ejus memoriam* veſtris animis defixis perpetuo *conſervetis*.

Lectori S.

ORatori Florentiſſimo, *Poggio Florentino*, jungendus *alius celebris Cardinalis Florentini Encomiaſtes.* Interfuit & hic Concilio, qui res Cardinalis in Concilio geſtas coram perſpexit. Quis vero ille, hactenus non conſtat. Nec enim in *Lipſienſi MSCto* nomen autoris expreſſum. Fortaſſis eadem hæc Oratio habetur in *Codice MSCto Augiæ divitis*, in quo magnus orationum numerus, quas Viri illuſtres in Concilio Conſtantienſi de variis cauſis ſolenniter habuerunt, eſt comprehenſus. Neq; dubium, quin *autorum nomina* ſua ſingulis orationibus ibi ſint aſſignata. Qualem *Oratorum in Concilio Conſt. clarorum longam ſeriem* ſupra *Parte VIII. in Præfatione* pertexuimus, *alioſq;* præterea in *noſtris* oſtendimus *MSCtis*. Eſt autem hæc in *Codice MSCto Lipſienſi* inſcriptio: *Collatio facta in Exequiis Reverendiſſimi Domini Cardinalis Florentini, defuncti Conſtantiæ Anno Domini* 1417. *die* 2. *Octob. tempore Concilii Conſtantienſis.* En ergo.

ORATIO
ANONYMI,
in Exequiis
FRANCISCI ZABARELLÆ,
Cardinalis Florentini,
A. 1417.
Conſtantiæ Germanorum in Concilio Univerſali
habita.
Ex antiquiſſimo Codice MSCto
BIBLIOTHECÆ PAULINÆ ACADEMIÆ LIPSIENSIS.

P*Ræſtantiſſimi Domini Patres, almo honore & cultu digniſſimi, cæterique doctiſſimi viri.* Dum veris lacrymis ora rigabam, & quod ſæva fatorum ſeries in præſenti caſu diſpoſuit humanitus criminarer, cum *laureato Petrarcha* celebrius (f. crebrius) replicans: *Dii, qualem hominem, quid divite cœlo terræ ſubtrahitis brevi minus egenti?* Ex templo ratio aſtitit, mœſtum erexit, lacrymas terſit, idque Apoſtolicum menti objecit, quod ſacer ille *Paulus* ſcribit ad Corinthiacam

thiacam Eccleſiam, *Abſorpta eſt*, inquiens, *mors in victoriam*, 1. *Cor. XV.* Doctor eximius *Auguſtinus* quantam ex devicta morte victoriam genus conſequatur humanum *libro ſuo de Civitate Dei XIII.* referat, ita dicens: *Deus tantam gratiam humano generi contulit, ut mors, quam vitæ conſtat eſſe contrariam, inſtrumentum fieret, per quod transferremur ad æternam felicitatem.* Ex quibus Doctoris verbis patet, quod *triplicem victoriam ex morte* quisque juſtus conſequatur: Quemadmodum eſt *victoria contra carnem*, eſt *victoria contra mundum*, & eſt *victoria contra Diabolum. Ambroſius* ſuper 1. *Apoc. Exivit Vincens ut vinceret.* *In morte victoria.*

De felici tranſitu præclaræ memoriæ *Reverendiſſimi Patris & Domini, Domini Cardinalis Florentini digniſſimi*, textus præbet flentibus ſolamen. Equidem primo, *ob immutationem vitæ certioris, in depoſitione corporalis ſarcinæ.* Quod Deus tantam gratiam humano generi contulit, ait *Auguſtinus.* Propter quod & *à Reverendiſſimo Domino Cardinali* præfato, ut inquit thema, *abſorpta eſt mors in victoriam. Conceſſa eſt tibi victoria*, dicitur illi. 2. *Reg. XII.* *Funus Cardinalis Florentini. Fructus ex morte, vita melior.*

Præbetur deinde flentibus ſolamen & ſecundo, *ob collationem ſtatus melioris, in depoſitione temporalis miſeriæ.* Propter quod & mortem conſtat vitæ eſſe contrariam, ait *Auguſtinus.* Unde & a *Reverendiſſimo Domino Cardinale* præfato, ut inquit thema, *abſorpta eſt mors in victoriam, quæ vincit mundum.* 1. *Joh. V.* *In morte finis miſeria.*

Præbetur tandem flentibus ſolamen & tertio, *ob adeptionem fructus plenioris, in ſeparatione criminalis culpæ.* Propter quod mors inſtrumentum fit, per quod transferimur ad æternam felicitatem, ait *Auguſtinus.* Unde & *a devotiſſimo Cardinale* præfato, ut inquit thema, *abſorpta eſt mors in victoriam. Reduxit me gaudentem*, ſupple, ad Deum, *victoria ſua*, inquit de ipſo ſpiritus ejus, *Judith. XIII.* *Mors via ad vitam.*

Ex quibus patere jam poteſt, quod prætendere volebat aſſumtum verbum, quod pro felici tranſitu *tam præclari Domini* introduxi in propoſitione primaria: *Abſorpta eſt*, inquiens, *mors in victoriam.* Quod erat principale propoſitum.

Præmiſſis igitur his, de felici tranſitu præcolendæ memoriæ *Reverendiſſimi Domini Cardinalis* præfati præbetur primo flentibus ſolamen *ob immutationem vitæ certioris, in depoſitione corporalis ſarcinæ.* Nempe præſens *vita*, qua vivimus, ſi tamen vita dicenda eſt, tam *brevis* eſt, eſt tam umbrata, in ſperantibus in eam, ut ante defluat, quam veniat, ante deficiat, quam cognoſcatur. *Ambroſius* in *ſermone de martyribus*: *Equidem homo natus eſt de muliere, brevi vivens tempore, quaſi flos egreditur & conteritur, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Job. XIV. Omnis nos hora per tacitos fallenteſque contractus applicat. Cito, & in hac turpiſſima perpetuitatis cogitatione, diſtricte perfeſtinantis ævi momento permorimur. Quintilianus Declamatione tertia.* Quotidie enim morimur. Quotidie aliqua pars vitæ demitur. Et tunc quando creſcimus, & vita decreſcit. *Moralis Seneca* 32. *epiſt.* Propter quod concluditur, quod vita noſtra ſit vapor, admodum parvens, qui cito exterminabitur. *Jac. III.* *Vita hæc cito effluit.*

Vita reſtat melior.

Ergo, ſi homini *ſupereſt vita*, erit longior & *melior*. Quod *Philoſophorum* magnorum argumento, & ex *vatum* reſponſo, & *Prophetarum* divinis vocibus diſcimus. Profectò *hanc vitam præſentem contemnere ſapientis eſt*, cujus omnis jactura in morte terminatur, *Firmianus Lactantius Inſtitutionum contra gentes lib.* 3. *cap.* 9. Quinimo, ſi

Vitam præſentem contemnit ſapiens.

ineſt homini ratio, piiſſimis vocibus optandum eſſet, ſi divinæ placeret pietati, ut nos mundana cuſtodia abſolutos ſuperioris partis naturæ reſtituat. *Mercurius Triſmegiſtus ad Eſculanum.* Non enim ut animalia rationis expertia, ſic creatus eſt homo. Sed erecta corporis forma admonet eum, quæ ſurſum eſt vitam quærere, non ſuper terram. *Auguſtinus de Civit. Dei.* Sunt certe homines hac lege generati, ut mentem ſuam divinis ſenſibus repleant, ut perinde ſuo creatori abſque admixtione terrena ſerviant, prout unicuique ex ſua deſtinatione temporis reſtat. De *immortalitate animæ ad Euſebium.* Ex quo, velut ex fundamento, *de inexpectatæ ac maturæ mortis eventu communis hominum querela* repellitur. De quo in *lib. De brevitate vitæ ad Paulinum moralis Seneca* ita ſcribit: Major pars hominum, Pauline, de naturæ malignitate conqueritur, quod in exiguo ævi gignamur, quod hic

Vita hæc longa ſatis, rectè collocata.

tam velociter tam rapide data nobis temporis ſpatia decurrant: adeo, ut, exceptis paucis, cæteros in inchoatæ vitæ apparatu vita deſtituat. Nec huic publico, ut opponantur, malo turbatiſſimum & impudens genus ingemuit: Clarorum quoque virorum hic affectus querelas evocat. Et reſpondet: Magna & in multarum rerum conſummatione *large vita data* eſt, ſi *tota bene collocaretur*. Sed ubi per luxum & negligentiam defluit, ultima neceſſitate cogente, quam ire non intelleximus, tranſiiſſe ſentimus. *Non accepimus* brevem vitam, *ſed facimus*: Nec inopes ejus, ſed prodigi. Cui tamen querelæ fidelius ac devotius *Petrus* obviat *Damianus*, *in Sermone de præventa morte*, ubi ait: Quid mirum, ſi ex hac mortali vita ad immortalitatis certitudinem fideles ſuos varia evocat divina bonitas, alios ætate, alios meritis, alios diverſis moriendi generibus præveniens. Neque eos aliter dilexiſſet, ſi ea, qua vocati ſunt, vocatione non emigraſſent.

Ex cujus dictis evidenter elicitur, unde aliqui in pueritia, alii in juventute, plures in ſenectute, ſive ſub diverſis dierum ætatibus, ſive ſub modis moriendi diverſis, , ad vitam transferantur futuram. Quoniam, dum melius reperiuntur diſpoſiti, ad certiorem vitam evocantur electi, ut ibidem ab eodem concluditur. Hæc enim inventa jam eſt hora, in qua tranſiens Dominus ſuis miniſtrat electis, quando ſive in ſecunda vigilia, ſive in tertia vigilia venerit, & ita paratos invenerit, beati ſunt ſervi illi. Vid. *Luc. XII.* cum ſuis gloſſis.

Ergo *præclariſſimi Domini*, potiſſimumque *chari & domeſtici ejus*, qui de lapſu tam *pretioſi Eccleſiæ cardinis*, de morte *tam præclari*

Memoria vitæ bene actæ æterna.

viri contriſtati eſtis, conſolemini invicem verbis iſtis 1. *Theſſal. IV.* Equidem, ſi brevis à natura nobis vita data eſt, & *memoria bene redditæ ſempiterna*. *Ambroſius* ſuper illo: Vitam petiit à te, & tribuiſti ei in ſeculum ſeculi. *Pſ.* 22. Quis enim *tanti viri* vitam, cujus memoria in benedictione eſt, *Eccleſ.* 47. cujus laus per omnem Eccleſiam, 2. *Cor. IV.*

Digitized by Google

IV. per mortem carnis defeciſſe dicere audeat? Non deficit vita, quæ in melius immutatur. *Gloſſa ſuper illud Apoſtoli ad Corinth*: Omnes quidem moriemur, ſed non omnes immutabimur. 1. *Cor XII.*

Quanto potius ii vivere dicendi ſunt, qui ita vivendum eſſe operibus cenſuerunt, ut ad meliorem certioremque vitam meritis transferrentur, *Firmianus Lactantius in lib de vero cultu, c.* 12. Non ergo, amici, non ergo illa ſumma vita dicenda eſt, quæ corpore & ſpiritu continetur. *Illa*, inquam, *eſt ſumma vita, quæ vigebit memoriâ ſeculorum omnium*, quam poſteritas alet, quam æternitas ipſa ſemper tuebitur, *Petrus Damianus de vita Pauli.*

Verùm, quia in moralibus particularia movent, quemadmodum univerſalia in ſpeculabilibus, ut declarat *Euſtachius, ſuper primo Ethicorum* 44. *commento*: Illa itaque dum inſpiciuntur attentius, *rerum teſtimonia* probant.

Et ut paucis cuncta complectar, *ejus vita*, ſi recte ſentio, in quatuor refulgebat. Nam refulget in *virtutibus*, refulget in *doctrina*, refulget in *fama*, refulget in *laudibus*.

Vita præclara Cardinalis Florentini.

Refulget in *virtutibus*, in illis potiſſimum, ad quas cæteræ referuntur, quæ *morales* ſeu *civiles* dicuntur. De quibus in ſuo *de Somno Scipionis Macrobius* ait: Boni viri reipublicæ conſulunt, urbes tuentur, parentes venerantur, liberos amant, cultum ſalutis gubernant, ſocios circumſpecta providentia protegunt, juxta liberalitate devinciunt, hique ſuo mœrore alios faciunt mœrentes.

Virtutibus decoratus.

Nam ſi de ejus *juſtitia* quæretur, in ſcientiæ rectitudine, tanta de eo percipies, ut *contra dictamen conſcientiæ nunquam conſilium dediſſe, nunquam tuliſſe ſimoniam*, ſuorum confeſſorum teſtimonio comprobetur. Et *quod mirabilius in juriſperito* apparet, illis quatuor, quibus ſecundum *Iſidorum* pervertitur judicium, & juſtitia ſepelitur, ita caruit, ut à juſtitiæ corruptoribus, ab iis, *qui venale ſtatuunt genus humanum*, velut hoſtis evitaretur. Hæc quatuor, *timor, odiumque, dilectio*, atque *cenſus*. XI. *q. III. cap.* 78. Nam *timorem non habuit*. Cum nihil niſi turpia timeret. *Odio caruit*, cum injuriarum oblitor cunctos in charitate dilexerit. *Amorem poſtpoſuit privatum*, cum non fuerit acceptor perſonarum. *Cenſum contemſit concupitum*, cum fuerit erogator eleemoſynarum. Probant primum *domeſtici*, ſecundum *procuratores & advocati*, tertium probant *conſangvinei & affines*, quartum vero probant *pauperes*. Unde *Paduæ*, ubi multo tempore legendo, ſcribendo, diſputando, ſcholas in utroque jure glorioſiſſime rexit, non ſolum doctrinæ, ſed materiali cibo ſcholares pauperes & egenos non ſine magnis ſumtibus & expenſis, velut *pater pauperum*, nutriens confovebat. *In Romana* vero *curia*, præſertim *in loco præſentis concilii*, quid circa *pauperes* egerit, dicant *pauperes Epiſcopi*, dicant *miſerabiles clerici*, quibus non tantum de ſibi neceſſariis, cum *pauper Cardinalis* exiſteret, ſed & de aliunde mutuatis providebat aſſidue. Ita ut admirative cum ſcriptura diebus maxime currentibus dicere habeamus: *Quis eſt hic, & laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vita ſua.* Nam poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecuniæ theſauris. Ideo ſtabilita

Juſtus. Conſilia dedit integerrima abſq; omni conſcientiæ vulnere. Metu expers. Amore nō faſcinatus in judicio. Munera nō captavit. Profeſſor Juris in Academia Paduana floruit. In Concilio Conſt. pauperes aluit. Avaritiā fugit.

ta ſunt opera illius in Domino, & eleemoſynas ipſius enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum.

Temperans. Cælebs. Caſtus. Parcus ei victus. Noctes inſomnes.

Si verò *de temperantiæ* ipſius moderamine ſcire velis, teſtentur abſtinentiæ, teſtentur jejunia, teſtentur ſobrietas, caſtitas. Quæ ipſum non tam *cælibem*, ſed, quod pauciſſimis datum eſt, ſupradicto ſuorum confeſſorum teſtimonio, *virginem* præſervaverunt. Novit quippe devotiſſimus Dominus, quod *abſtinentiæ, jejunia, vigiliæ* ſint, *ſalubria caſtitati*, quibus nonſolum libidinum incendia mortificantur, ſed fere extinguuntur, ut *ad fratres de monte Dei* devotus ſcribit *Bernhardus*. Inde enim *in die raro niſi ſemel cibum ſumens*, noctes ſacris vigiliis & lectionibus occupabat, illud *Hieronymi ad Ruſticum monachum* mente ſæpius revolvendo: Ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis.

Animo conſtans in adverſis. Diſſenſiones Pontificum ſedatum ivit.

Fortitudo verò ipſius, cujus proprium eſt, vitam ſupra periculi metum agere, in proſecutione unionis Eccleſiaſticæ ſatis apparuit. Maxime *in caſibus arduis præſentis concilii*, in quibus nemo ſecurior, nemo audacior. Ita, ut *in tanta perturbatione rerum potius eligeret feliciter mori, quàm cum injuria Dei, cum Eccleſiæ detrimento feliciter vivere*. Ob hoc enim tanta veneratione celebrabatur à doctis, ut *quaſi à cœlo datus ad ſchiſma inveteratum removendum, ad unionem Eccleſiæ concludendam* videretur. Neque mirandum. Ut enim verbis utar *moralis Senecæ* in *De Clementia ad Neronem*, ſi videris hominem imperterritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adverſa felicem, mediis tempeſtatibus placidum, nonne ſubibit te veneratio ejus? Nonne dicis: Hic de cœlo venit, Vis iſtud. Iſtud enim de divina providentia deſcendit. *Non poteſt res tam alta ſine adminiculo Numinis fieri*. Sit certe fortitudo & decor indumentum ejus. *Proverb. ult.*

Prudentia polluit ſingulari.

Sed ſi *prudentiam* tanti viri ſectemur, prudentia tanta illi erat, non illa quidem carnis, quæ ſecundum Apoſtolum inimica eſt Deo, *Rom. VIII.* ſed quæ præſtituit finem virtutibus moralibus, illaſque connectit, cum plenitudine, cum diligentia, quæ ad ipſam pertinent, prout declarat *Sanctus Thomas II. 2dæ q. IV.* Utique per ipſum agenda, quæque dicenda, quæque tractanda erant, glorioſo fine perfecit. Unde & propter ipſam illi inerat ratio, intellectus, circumſpectio, providentia, docilitas, & cautio. Quæ partes ſunt ipſius, ſecundum Platonem & Macrobium ubi ſupra.

Ex *hujus* ergo *vita in virtutibus refulgente* de ipſo cum ſcriptura habemus concludere, quod ſit mortuus, & quaſi non ſit mortuus. Reliquit enim ſimilem potius vitam, videlicet in virtutibus refulgentem, *Eccleſiaſt. III.*

Eruditionis Zabarelliana teſtes monumenta ejus literaria.

De refulgentia vero vitæ ipſius in doctrina, *libri* loquantur *ab ipſo editi, apparatus, tractatus, conſilia, quæſtiones, epiſtolæ, ſermones, aliaq; opuſcula* curioſa, in quibus vita vivet, & non morietur, *Ezech. XVIII.* Ob hoc docti Viri atq; juſti, & nullam aliam ob cauſam vivere optaverunt, ut videlicet docendo aut ſcribendo aliquid efficerent quod vita dignum eſſet, ut ait *Lactantius*. Numquid non propter hoc *Paulus* cum ſuis epiſtolis vivit? Numquid *Hieronymus* in Bibliis, quæ tranſtulit, & ſuis libris? Numquid *Auguſtinus* in libris & doctrinis ſuis, cæteriq; doctores? Quinimo hi vivunt, qvum eorum verba, ſpiritus & vita ſint. *Joh. VI.*

Inclaruit

Refulgentiam vero vitæ ipſius in *fama* conteſtetur *Italia*, conteſtetur *Romana curia*,

curia, parum dixi, *tota* conteſtetur *Eccleſia*, apud quam tam celebris habebatur, ut omnium judicio *ſummo ſacerdotio dignus* eſſet.

Per totam Eccleſiã.

Verùm, quia non ſolum ratione *doctrinæ* ejus *fama* perhibuit, ſed ratione *recte factorum, magnorumq; in rempublicam meritorum*, & potiſſimum *in præſenti ſacro Concilio*, ubi ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt: Inde ejus fama tam optimi cujusq; viri quàm multitudinis teſtimonio comprobatur. Ob hoc vivet in Regibus, vivet in Principibus, vivet in Prælatis, vivet in ſubditis, vivet in communitatibus, vivet in univerſitatibus, vivet in Doctoribus, vivet in ſcholaribus. Ita ut illi dicat Scriptura: Vivat in noviſſimo vita tua, *Eccleſiaſt. IV.*

Magna ejus in rempublicam ſacram merita.

De refulgentia tandem vitæ ejus in *laudibus*, cum *laus* ſit *ſermo elucidans magnitudinem virtutis*, ut dicit *Philoſophus primo ſuorum Rhetoricorum VI.* quod neque tanti ſum, ut valeam, neq; tanti, ut queam tam præclari viri dignas perſolvere laudes, cum Salomone dicam in *Proverb.* Laudent illum in portis opera ejus, *Proverb. VI. In portis*, quæ extrema ſunt domus, hoc eſt, in extremis vitæ, hoc eſt, *in morte.* Nam nos ita admonet ſermo divinus; Ne laudaveris hominem in vita ſua, *Eccleſiaſt. VI.* ſecundum antiquam translationem, acſi aperte dicatur, *in portis. Ambroſius* ſuper eodem verbo *in ſermone de confeſſore.* Hujus profecto viri merita, quia in vita condigna laude non fuerunt præmiata, dignum eſt, ut poſt mortem ampliori laude efficiantur munita. Ut de quibusdam juſtis *in tertio dialogo Gregorius* ſcribit; Papa plus cognoſcetur poſt mortem, quam fuerit appretiatus in vita. Nam privatio in moralibus magis ſcire habitum facit, ut dicit *S. Thomas in quæſtionibus de malo, q. 5. art. 2.* Ut ſic ex fructu operum ſit laus ejus in Eccleſia ſanctorum, *Pſ. ult.*

Magnam poſt fata laudem meruit.

En ergo chari & domeſtici ejus. Quoniam mors terribilis eſt *eorum*, quorum cũ morte omnia extinguuntur, non *quorum laus emori non poteſt*, ut ſcribit *Cicero in ſuis paradoxis*; cum ſit ejus memoria in laude *Eccleſiaſt. II.* Quinimo laus ejus in laudem, & nomen, *Sophoniæ III. Cap.* maximeque in conſpectu totius Eccleſiæ: In præſentia ejus, qui diem clauſit extremum, ſiccate lacrymas, mœſtitiam deponite. Equidem, ſi exceſſit *devotiſſimus Dominus* terminos, inter quos cernitur, excepit illum vera, æterna pax, non paupertatis metus, non divitiarum cura, non libidinis pervolutatione animus carpitur, ſtimulis inceſſitur, non invidiâ felicitatis alienæ tangitur, non lue premitur. Tandem ibi conſiſtit, ubi nil eum pellat, nil eum repleat. *Moralis* item *Martialis*, & ſimiliter *Petrus Damianus ſermone quo ſupra.* Equidem, ſi tam ex divinis quam humanis ſcripturis omnibus, qui patriã conſervaverunt, adjuverunt, auxerunt, certũ eſt, eſſe in cœlo, definito loco, ubi beati ſempiterno ævo fruuntur, ut *in 4to de republ. Cicero* ſentit: Multo magis hi, qui pro Eccleſiæ conſervatione, pro Eccleſiæ reparatione laborantes aſſidue, *in laborando mortem incurrerunt.* Sic enim & *devotiſſimus Dominus* coronabitur, quia legitime certavit, *ſupra Cor. II.* ita, ut cum Paulo tandẽ ſibi dicere licuerit: Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo, & in poſterum repoſita eſt mihi corona juſtitiæ 2. *Tim. IV.* Bonum, inquit, certamen certavi, carnem, mundum & diabolum evincendo: Curſum conſummavi, ſtatum mortalis vitæ laudabiliter terminando: Fidem ſervavi, commiſſa fideliter & diligenter exequendo. *Gloſſa ſuper eadem.* Sed quia, *qualis quisque in vita fuerit, finis oſtendit*, ut *in Synonymis* dicit *Iſidorus*: Inde Dei bonitas multiplicatur ad bonitatem & augetur ad ſalutem. Poſtquam de ipſo in purgationem culparum, ad exitationem virtutum, in cumulum meritorum, *longa ægritudo* & pœnoſa *experimentum tolerantiæ* dedit, reliquit exemplum: Receptis Eccleſiæ Sacramentis devotiſſime, *lacrymisque perfuſis*, ipſum in lucis ac pacis regionem conſtituit, aut in re, aut in propinqua ſpe, ut ex operibus vitæ pie credendum eſſe non dubitamus. Sic enim factus eſt in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion, Pſ. 75.

Beatus.

Inter labores ſuccubuit.

Graviſſimo morbo in Concilio correptus.

Inter lacrymas expiravit ſenex.

Quare vos amici & chari ejus, quia *levis eſt dolor, qui capere conſilium poteſt*, ut in Trojadis tragœdiis ait, de felici tranſitu præcolendæ memoriæ *tam devoti Domini*, quod Apoſtolicã verba vos admonent, nolite contriſtari, ſicut cæteri, qui ſpem

non

Digitized by Google

non habent 2. *Theſ. IV.* Et hoc, ut videri potuit, ob immutationem vitæ certioris, ob collationem ſtatus melioris, ob adeptionem fructus plenioris. Propter quæ ab ipſo *devotiſſimo* præfato *Domino*, ut inquit thema, abſorpta eſt mors in victoriam Quam victoriam nobis concedere dignetur ipſe Dei filius, qui vivit in ſecula ſeculorum benedictus, Amen!

Nobiliſſimum
hoc
De Reformatione Eccleſiæ
in Concilio Conſtantienſi
Opuſculum
Eminentiſſimi
CARDINALIS FLORENTINI
FRANCISCI ZABARELLÆ,
Clariſſimi in Concilio luminis,
Ex antiquiſſimo ac inæſtimabili Codice MSCto
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ
VINDOBONENSIS
erutum lucique datum
In Academia Julia
Anno MDCXCVI.
ſacratiſſimo Leopoldi die
15. Novemb.
Auſpiciis
Sereniſſimi Brunſvicenſium
Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI,
Auguſtiſſimâ Gratiâ
POTENTISSIMI CÆSARIS
LEOPOLDI
PII, FELICIS.

Digitized by Google

TOMI I. PARS X.

ILLUSTRIS COLLEGII

REFORMATORUM CONSTANTIENSIUM DE ECCLESIÆ REFORMATIONE STATUTA.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

Ex *antiquisſimis Codicibus MSCtis*

AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ

VINDOBONENSIS

recenſita ab

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Jul. Profeſſore.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

Digitized by Google

Actorum Concilii Conſtantienſis
Codices MSCti
VINDOBONENSES, BRUNSVICENSES, LIPSIENSES,
ad Anni 1417. d. 30. Octobr.

Sacroſancta
Generalis Synodus
Conſtantienſis
in Spiritu S. legitime congregata
Univerſalem Eccleſiam repræſentans
ſtatuit & decernit,
Quod futurus Summus Pontifex
per Dei gratiam de proximo aſſumendus,
cum hoc ſacro Concilio
vel deputandis per ſingulas nationes
debeat reformare Ecclesiam
in capite et curia Romana
ſecundum æquitatem
& bonum regimen Eccleſiæ,
antequam hoc ſacrum Concilium diſſolvatur,
super materiis ARTICULORUM
alias
PER NATIONES
IN REFORMATORIO
OBLATORUM.

Digitized by Google



Chriſtiano Lectori
S. D.

HERMANNUS von der Hardt.

EX voluntate SERENISSIMI BRUNSVICENSIUM DUCIS, RUDOLPHI AUGUSTI, ſtitimus hactenus Clariſſimos veteres Autores, THEODERICUM VRIE, Germanis vindicatum, ac Weſtphalis nunc tandem aſſertum, THEODERICUM à NIEM, itidem Weſtphalum, NICOLAUM de CLEMANGIIS, JOHANNEM GERSONEM, PETRUM de ALLIACO, Gallos, PAULUM, Anglicum, breviter delineatum, FRANCISCUM ZABARELLAM, Italum: Qui ſui ævi faciem apertiſſime deſcripſerunt, Eccleſiæ ſui temporis fortunam ingenue nunciarunt, ac *fundamenta & principia Concilii Oecumenici Conſtantienſis* plane pleneq; detexerunt. Interfuerunt hi omnes atque ſinguli arduis illis negotiis publicis, Eccleſiæ ſalutem & tranquillitatem concernentibus.

Sacrorum officiorum venundatio, quam *Simoniam* appellant, prima atque potior fuit *anſa* infandæ *corruptionis*, quæ totam Eccleſiam omnemque rem publicam olim afficeret. Hinc omnis generis artes pravæ ortæ, *imperitia* atque *vitiorum colluvies* ſub auri fulgore colorem nacta, *ignari* atque *inepti ad ſacra admoti*, variis fraudibus atque ſceleribus locus redemptus. Ut *ex clero maculato* atque vitiato civilis ordo animam traheret haud beatiorem. Unde omnis deformitas cujuscunque regiminis, remota vitiis repagula, laxatæ cupi-

Digitized by Google

dini habenæ, flamma odiorum bellorum atque litium tædis data, cunctaque extra juſtitiæ & decoris orbitas ejecta.

Hinc bonorum quorumcunque virorum, qui illis fluctibus jactati quidem at non ſubmerſi atque abſorpti, publici boni amantes, *ſuſpiria*, *vota*, *deſideria*, *monita*, *conſilia*, publica ac privata. Quæ pectorum æſtuantium incendia, & ad emendationem propenſiſſimos motus, pro ſui ſeculi ſtylo *AVISAMENTA PRO REFORMATIONE ECCLESIÆ* plerumque appellabant.

Hujus ſunt generis ardua ac *præclara ſcripta*, à ſummis iisque prudentiſſimis & maximæ autoritatis viris, tum *proxime ante Conſtantienſe Concilium* tum *in ipſo illius flore* prodita, univerſoque orbi palam expoſita, quæ *ex MSCtorum ruderibus* eruta exhibuimus ſupra.

Addi ſane illis plura poterant ejusdem ponderis *monumenta antiqua*, pari ratione *è MSCtorum penetralibus producenda*, atque pro noſtri ſeculi cultu exornanda, modò non immenſa laboris moles, ſaxa, quibus ſepulta iſthæc divorum corpora premuntur, effodiendi, movendi atque magno niſu devolvendi, reſpirare juberet, & in aliud tempus aliudve opus cetera differre ſuaderet.

Acquieſcemus nunc igitur his, quando CARDINALI ZABARELLÆ, *Italo*, junxerimus CARDINALEM ALAMANUM, *Italum.* Ut geminum & *Italia* in hac re teſtem dediſſe appareat, æque ac *Germania*, *Gallia & Anglia* dederunt.

In *Actorum Concilii Conſtantienſis* nunquam ſatis laudando *Codice IV. MSCto* AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS exhibentur ALAMANI ADIMARI CARDINALIS PISANI, in Concilio Conſtantienſi præſentis, paria ſuperioribus *de Reformatione* monita publica, in Concilio laudato oblata. Tenor eorum in laudatiſſimo *MSCto* hic eſt.

Ipſa die Beati Auguſtini
oblata
per
DOMINUM CARDINALEM PISANUM.
De gratiis & proviſionibus.

IN Collatione beneficiorum primo attendatur ad dignitatem perſonarum, maxime circa ſcientiam. Quod ad Epiſcopatum nullus eligatur vel promoveatur, niſi ſit perſona ſublimis, vel Doctor in Theologia vel Jure. Attendatur tamen qualitas regionum. Quia alicubi ſunt ita tenues reditus Epiſcopatus, quod forte hoc non poterit obſervari. Ad Abbatias autem non videtur tantum ſed requiritur gradus ſcientiæ. Quia aliquando ſcientia præbet materiam evagandi, quantum bona adminiſtratio & bona ſolertia ad divinum cultum, & honeſtas in obſervantia regulari.

Inpri-

Digitized by Google

In primis etiam dignitatibus poſt Pontificalem & curatis cathedralibus ſoli doctores & licentiati in Theologia vel Jure: In aliis dignitatibus Eccleſiarum Cathedralium, & in principalibus, ut Collegiatis & Curatis magnis, iidem vel Baccalaurei in Theologia formati, ſi poſſunt reperiri. Aliàs habeatur reſpectus ad æquivalentias.

In qualibet etiam Cathedrali Eccleſia ſit certus numerus præbendarum, ad quas non poſſint niſi prædicti ultimi ullo modo aſſumi. Et ſupradicti gradus ſcientiæ requirantur ſive per ordinarios ſuos, ſive per expectativas, ſive per electionem, ſive proviſionem Apoſtolicam. Aliàs nulla ſit proviſio. Habeatur tamen ratio etiam nobilitatis tam ad Epiſcopatus quam ad alias dignitates, ſecundum quod videbitur expedire.

Item Conſideratio regionum, ut ſupra.

De gratiis Expectativis videtur, quod principaliter Papa det gratias in communi forma pauperum in Datis conſueta, & paribus in Datis præferantur. Quia ſunt juſtitiæ potius quam gratiæ. Videtur, quod de beneficiis infra decem marcarum in captione Papa non habeat ſe intromittere.

Item det Rotulos ordinatos pro familiaribus ſuis, pro officialibus, pro Regibus, pro Univerſitatibus, pro familiaribus Cardinalium, pro Ducibus, & aliis conſuetis. Sed in certo numero, & cum moderamine debito, ſecundum ordinem obſervatum tempore Urbani quinti & Gregorii XI.

Ultra Rotulos per totum primum annum poſſit ſecundum exigentiam meritorum & ſtatuum dare Expectativas. In primis Datis, ſecundum quod moderate ſibi videbitur, poſt annum verò primum nullam niſi ſub Data currenti.

Item quod non dentur Expectativæ, niſi ad unum beneficium tantum & unam collationem, niſi eſſet infra ſummam XL florenorum, & tunc ad duo; vel diſtinguantur regiones, ubi detur ad unum vel duo vel plura, ſecundum conſuetas regulas Cancellariæ.

Item non dentur Expectativæ ad Prioratus conventuales, nec ad dignitates electivas.

Item fiat conſtitutio, quod certus locus maneat liber Ordinariis, ſed quod ſimiliter ſcientiæ conferant, ut ſupra. Et alia proviſio ſit nulla.

Item quod major in gradu ſcientiæ præferatur in pari Data, & diœceſanus non diœceſano.

Item in beneficiis vacantibus minoribus utatur ſolum Reſervationibus juris ſcripti & Extravagantis Ad Regimen, *quæ ita moderata eſt, & conſueta, ut pro jure ſatis reputari poſſit, aut quia in Extravagante fit mentio de Eccleſiis Cathedralibus.*

Item in Epiſcopatibus aut Abbatiis minoribus, usque ad C. florenos, libera ſit electio, ſed Papa confirmet.

Communia ſervitia prælaturarum ſolvi non poſſint, etiam à volentibus, ante annum. Et fiat talis conſtitutio, ut ſervetur ex neceſſitate. In fine anni à die anni habitæ poſſeſſionis ſolvatur medietas, & alterius anni altera medietas. Et ſi bis in anno vacaverit, non ſolvatur, niſi ſemel. Et Eccleſiæ ac Monaſteria, quæ ſunt indebite taxata, debite taxentur.

Provideatur de ſtatu Cardinalium, quantum, & unde.

Hæc illa in *MSCto Vindobonenſi CARDINALIS PISANI de Reformatione Conſtantienſi monita.*

Ex quibus ac ſuperioribus omnibus abunde patet, *eruditionis* permagnam *in* glorioſo hoc & *erudito Concilio, ſub Imperatore literatiſſimo, habitam* fuiſſe *rationem.* Ut jure dici poſſit, *Reformationem Conſtantienſem* eruditionis fuiſſe gloriam, præſidium ac decus magnum. Præcipuum quippe *Reformationis Conſtantienſis momentum* fuit, ut *eruditi ac probi viri* Eccleſiaſticis functionibus præficerentur, ſepoſitis ac remotis rudibus ac ineptis maleque moratis. Ut *ſcientiæ* ac *doctrinæ* nullum unquam illuſtrius potuerit parari *præſidium,* quam his lautis præmiis in Concilio Conſtantienſi propoſitis. Jucundiſſima illa *ad virtutem ac eruditionem calcaria.* Qua ratione haud injuria dicetur, *Conſtantienſi reformatione* optima *literarum ſtudia* fuiſſe in Eccleſia *ſuſcitata,* ornata, animata, ſota atq; conſervata. Si non alius, is ſane *uſus* hujus univerſalis Concilii ac *Reformationis* quæſitæ atque definitæ maximus: *Literarum vita.*

Ceterum, ſic ſcopus quidem erat Conſtantienſis Concilii primus ac præcipuus, in quem cetera Concilii negotia omnia contenderent, *Univerſalis Eccleſiæ reformatio,* aut *morum Eccleſiaſticorum emendatio.* Inane autem fuiſſet omne totius Chriſtiani orbis *deſiderium,* vanaq; *ſpes* communis, tot publicis monumentis expoſita, niſi *manum tandem admovere in Concilio* cœpiſſent.

Quapropter arduum hoc *Emendationis Eccleſiaſticæ negotium* rediit primùm in totius cleri caput, ipſum *Pontificem* JOHANNEM XXIII. œcumenico huic Concilio in principio præſentem atque præſidentem. Verùm hic, ſibi male conſcius, tantum abeſt hanc rem aggredi fuerit auſus, ut potius omni ſtudio *hoc Concilii opus eludere* ſtatuerit. Ex quo factum, ut primis Concilii menſibus, abſente adhuc IMPERATORE SIGISMUNDO, moras necteret, &, quid faceret, dubius hæreret. Quod ergo inane tempus difflueret, abſque ſpe fructus, IMPERATOR, poſtquam advenerat, cum natione Germanica, imo & cæteris nationibus, *deſideratam impendio Eccleſiæ reformationem ſtatim urgere,* & ad hanc ſuſcipiendam Papam excitare atque compellere cœpit. Veruntamen *Johannes fugâ ſuam ſalutem quærere maluit, quàm reformatione ſalutem Eccleſiæ parare* ac promovere. Vehementer doluit tota Eccleſia, ſub œcumenici Concilii protectione Conſtantiæ præſens, hac *Papæ fugâ in fugam agi Eccleſiaſticam Emendationem.*

Quare non intermiſit Concilium, inter *delicta Johannis* publice expoſita connumerare has deteſtabiles *inſidias, Reformationi ſacræ poſitas,* quam prorſus *extinctam* cuperet. Siquidem A. *M CCCC XV. die XXV. Maji, die Sabbati, in publico* & ſolenni totius *Concilii*, Imperatoris Sigismundi, Electorum ac Principum Imperii, Cardinalium, cæterorumque Magnatum *conſeſſu,* inter articulos, Johanni Papæ fugitivo oppoſitos, per *Henricum de Piro & Johannem de Scribaniis,* JCtos, promotores ac procuratores Concilii, ordinarios ſoleniter ſunt

Digitized by Google

oblatæ, ac per *Andream, Electum Poznanienſem*, palam pronunciatæ *querelæ publicæ*, quibus *pertinax & callidum* JOHANNIS PAPÆ STUDIUM, REFORMATIONEM ECCLESIÆ ELUDENDI atque EXTINGVENDI, detegeretur.

Expoſitum fuit tunc ante omnia, in conſpectu totius Chriſtiani orbis, qua ſollicitudine, fide, atque animi præſentia SIGISMUNDUS IMPERATOR in Laudenſi civitate, ante initium Concilii, admonuerit atque excitaverit *Johannem XXIII. Papam*, qui vitam moresque ſuos primum emendaret, dein totius etiam *Eccleſiæ reformationem à capite ad calcem* procuraret. Verba publica hæc ſunt, uti in ACTORUM CONCILII CONSTANTIENSIS CODICIBUS MSCtis BRUNSVICENSIBUS, LIPSIENSIBUS, GOTHANIS, exhibentur: *Horrida & deteſtandorum criminum Domini Johannis Papæ antedicti fama imo infamia crebris & in conſummationem multiplicatis vicibus non ſolùm ſemel ſed pluries & ſæpe Chriſtianorum Principum totiusque populi Chriſtiani prob dolor aures penetravit, in tantum, quod Sereniſſimus & Invictiſſimus Princeps, Dominus* SIGISMUNDUS, *ROMANORUM & UNGARIÆ REX SEMPER AUGUSTUS, in Lombardia exiſtens, ad civitatem Laudenſem applicuit, dictumque* JOHANNEM *PAPAM ibidem advenientem humili & devota prece rogavit, quatenus, attento, quod quaſi totus mundus in ejus perſona ſcandalizatus ſit, ſuaque crimina mundus diſſimulare non poſſet,* MORES ET *VITAM EMENDARET IN MELIUS, & ad unionem ſanctæ matris Eccleſiæ tunc & nunc tripertitæ, ſummis vigiliis & cura intendere dignaretur, ut aſtrictus per Concilium Piſanum tenebatur, & CONCILIUM GENERALE in aliquo loco ſecuro cuncto populo Chriſtiano & commodoſo, indiceret, ſuaſit, &* UT ECCLESIAM IN *CAPITE ET IN MEMBRIS REFORMARET, etiam devote ſupplicavit.*

Publice porro monitum, conſenſiſſe tunc Johannem Papam, ac vota atque deſideria Imperatoris Sigismundi audiviſſe, *emendatione vitæ ſuæ promiſſa*, & *Concilio Conſtantienſi* pro reliquo opere conficiendo *indicto*. Verba in *MSCtis* ſunt hæc: *Dictus Dominus* JOHANNES *PAPA XXIII. precibus dicti Sereniſſimi Principis, ROMANORUM ET UNGARIÆ REGIS, in parte condeſcendens, A VITIIS hujusmodi SCANDALOSIS, ET PRÆSERTIM SIMONIACA HÆRESI ABSTINERE SPOPONDIT, & hanc civitatem Conſtantienſem pro loco multitudinis capace, alias habili & idoneo pro Concilio Generali celebrando elegit, & A. Domini MCCCCXIV. & in menſe Novembris inchoandum indixit & per mundum publicavit. Et ſic fuit & eſt verum, publicum & notorium.*

Ulterius propoſitum publice, poſtquam *in Concilio* ſolenniter invitatus, Papatui cederet Johannes, quod ſe id facturum jurato promiſerit, quod & *pollicitus ſancte ſit, ſe in omnibus, quæ ad reformationem Eccleſiæ in capite & in membris pertinent, Concilii decretis acquieturum.* Verba in *MSCtis* ſunt: *Denunciant, ponunt, & ſi neceſſe eſt probare*

bare intendunt dicti procuratores & promotores, quod Dominus JOHANNES PAPA XXIII. SE HUIC SACRO CONCILIO SUBMISIT, ET EJUS SENTENTIÆ AC JUDICIO IN OMNIBUS ET SINGULIS, QUÆ PERTINENT AD REFORMATIONEM ECCLESIÆ TAM IN CAPITE QUAM IN MEMBRIS, STARE PROMISIT. *Et hoc eſt verum, publicum, notorium, & manifeſtum; Et ita ab omnibus publice tenetur & reputatur.*

Poſt hæc nunciatum publice, quod, cum fugam occultam moliretur, monitus, ac retentus à fuga fuerit precibus atque obteſtationibus Imperatoris, ſed nihilominus mox clam è Concilio aufugerit *deſideratam Eccleſiæ Reformationem eluſurus* atq; peſſundaturus. Verba in *MSCtis* ſunt: *Dictus Dominus* JOHANNES PAPA VIDENS, CONCILIUM hujusmodi ET TOTUM MUNDUM ad ſanctæ Eccleſiæ Dei, jam triginta octo vel circa annis ſciſſæ & diviſæ unionem & redintegrationem, nec non extirpationem hæreſium & vitiorum, ac *ad* IPSIUS ECCLESIÆ IN CAPITE ET IN MEMBRIS REFORMATIONEM ANHELARE, *diabolico ſpiritu inſtigatus, hoc ſacroſanctum* CONCILIUM DISSOLVERE *quærens*, UT REFORMATIONEM ECCLESIÆ, *hæreſium atque ſchiſmatum extirpationem, prædicta, evadere &* IMPEDIRE POSSET, ET SUAM MALAM VITAM CONTINUARE, AD PRÆTERITA VITIA ET AMBITIONES REINCIDENS, *contra vota, profeſſa, promiſſa, ac Deo & Eccleſiæ jurata, id facere facto renuit, & nuper hoc anno domini milleſimo quadringenteſimo decimo quinto, die Mercurii, viceſima Martii, in nocte tenebroſa, habitu indecenti & diſſimulato, laicali more, non ut Romanum decuit Pontificem, gregem ſibi commiſſum ut mercenarius deſerens,* AB HOC SACRO SANCTO GENERALI CONSTANTIENSI CONCILIO *contumaciter ſe abſentando,* AUFUGIT *& receſſit, in ſcandalum Generalis Concilii & totius populi Chriſtiani. Ita fuit & eſt verum, publicum notorium & manifeſtum.*

Deinde palam expoſitum Concilio, quod, cum à fuga multis precibus ac monitis eſſet retrahendus, plane renuerit, ac longiore fuga longius à Concilio receſſerit, *ut nullam Reformationis Eccleſiæ à ſe ſuſcipiendæ ſpem relinqueret.* Verba in *MSCtis* ſunt: *Dictus Dominus Johannes Papa, in reprobum ſenſum datus, monita hujusmodi, more aſpidis aures obturantis, ne audiat, obaudiens, ſe in craſtinum reſponſum dictis Ambaſiatoribus & legatis velle dare aſſerens, ipſos ex tunc redire juſſit: Nec craſtino expectato poſt medium noctis, ante diluculum, non dato reſponſo, ad oppidum Neuburg aufugiens ſe tranſtulit habitu transformato. Et ſic* SACRUM CONCILIUM DISSOLVERE, *unionem &* REFORMATIONEM ECCLESIÆ, *extirpationem hæreſium, & vitiorum,* IMPEDIRE, UT SUAM VITAM DETESTANDAM CONTINUARE POSSET, *quæſivit, prout & continuavit, imo in profundum malorum dedecus pejora prioribus committere non expavit, ſupradictis monitis, precibus & requiſitionibus minime condeſcendens. Et ſic fuit & eſt verum, publicum & notorium.*

Ta-

Tametſi verò ſe ſubduxiſſet Johannes Concilio Univerſali & deſideratiſſimæ *Reformationi Eccleſiæ*, non intermiſit tamen Concilium ſuum facere officium. Quamobrem cum *die* 29. *Menſis Maji*, in fugitivum ac reformationis Conſtantienſis hoſtem Johannem Papam ſolennis ferretur ſententia condemnatoria, *ſalvum Concilii de Eccleſiæ reformatione ſcopum* diſerte pronunciarunt.

Hoc enim primi ſtatim decreti, ut priorum, frontiſpicium eſſe debuit: *Sacroſancta Generalis Conſtantienſis Synodus, Eccleſiam Catholicam repræſentans, ad extirpationem præſentis ſchiſmatis & errorum,* ECCLESIÆq; REFORMATIONEM IN CAPITE ET IN MEMBRIS FACIENDAM, *in ſpiritu ſancto legitime congregata &c.*

Poſtquam igitur *Johannes Papa* abierat, evaſerat, eruperat, exceſſerat, imo valere juſſus erat, Conciliumque *ſuum in reformatione Eccleſiæ officium* ſedulo & fideliter facere conſtituerat, extemplo conſtituti ex omnibus Nationibus ipſoque Cardinalium Collegio aliqui, quorum nunc eſſet, *reformationis Eccleſiaſticæ negotium tractare.* Conſtitutio in *MSCtis* hæc eſt: *Hæc ſacroſancta Conſtantienſis Synodus in ſpiritu S. legitime congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans, pro celeriore extirpatione hæreſium &* SACROSANCTÆ ECCLESIÆ REFORMATIONE *ſpecialiter deputat & eligit Reverendiſſimos in Chriſto patres & Dominos infra ſcriptos, ſcilicet,* JORDANUM DE URSINIS, ANTHONIUM AQUILEGIENSEM, PETRUM CAMERACENSEM, ET FRANCISCUM FLORENTINUM, *ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ* CARDINALES. *Pro* NATIONE ITALICA *Reverendos Patres, Dominos Concordienſem, Alexandrinum & Laudenſem, Epiſcopos, & Electum Premienſem. Pro* NATIONE GALLICANA, *Epiſcopum Gebennenſem, Abbatem Gemeticenſem, Abbatem de Claravalle, Urſinum de Tallenande. Pro* NATIONE ANGLICANA, *Magiſtrum Wilhelmmum Eling, Magiſtrum Wilhelmum Korff, ſacræ Theologiæ Profeſſores, Magiſtrum Hugonem Howetz & Johannem Welles, decretorum Doctores. Pro* NATIONE GERMANICA, *Electum Poznanienſem, Nicolaum Dinkelspuhel, Theodericum de Monaſterio, ſacræ Theologiæ Profeſſores, & Bertholdum Wildungen ſacri palatii Apoſtolici cauſarum auditorem:* AD AUDIENDUM EXAMINANDUMQUE CAUSAS, *in ipſis juridice procedendum, quorumcunque hæreſium & errorum,* IN *fide catholica &* MORIBUS, *undecunque habuerint vel habeant originem, ut ſalubriter extirpentur, &* CONTRA QUASCUNQUE PERSONAS, CUJUSCUNQUE FUERINT STATUS AUT DIGNITATIS, *etiamſi* PONTIFICALI *vel alia quavis Eccleſiaſtica vel ſeculari præfulgeant dignitate, de iiſdem ſuſpectas, petitiones, accuſationes, declarationes, eisdem propoſitas & proponendas, recipiendum, partes vocandum, & in hoc ſacro Concilio & extra citandum & publicandum, & alias ſervatis ſervandis procedendum, prout exigentia fidei & juris ordo poſtulabit, nec non omnia & ſingula faciendum & exercendum quæ in præmiſſis & circa præmiſſa neceſſaria fuerint, ſeu etiam quomodolibet* opor-

oportuna, cum omnibus incidentibus emergentibus & connexis, usque ad concluſionem ipſarum cauſarum excluſive. Sic tamen, quod ſi omnes intereſſe non poſſint aut non velint, duæ partes ipſorum prædicta libere exequantur.

Quæ ipſa conſtitutio fundamentum eſt celebris *Collegii Reformatorii Conſtantienſis*, de quo poſtea plenius. In deſideratam enim Eccleſiæ reformationem, quoad ſumma ac ima Eccleſiaſticorum capita, illa Concilii provida cura ſimul collimabat. Huſſi enim controverſia ſeorſim ab aliis deputatis jam tractata, porro ab eisdem ſeparatim verſari atque confici debebat. Quod & in fine conſtitutionis ſuperioris de Collegio Reformatorio diſerte adjectum his verbis: *In cauſa verò hæreſis contra Johannem Huſſ, jam diu ventilata, quæ circa concluſionem exiſtit, per judices & deputatos hucusque, in ea ulterius cognoſcatur & procedatur per eosdem.*

De cetero, confirmato Concilii *de Reformatione ſuſcipienda* negotio, *Gregorius XII.* Pontifex alter, eo etiam inducendus erat, qui hoc *Reformationis Conſtantienſis opus* non turbaret ſed probaret. Quapropter mox, Johanne remoto, hujus *Gregorii* calculus quæſitus eſt ac obtentus, ejusque *de ſanctiſſimo Reformationis quoque ſcopo ſententia* ſolenniter prælecta, hoc tenore: *Quia ſanctiſſimus Dominus noſter, Dominus* GREGORIUS PAPA XII. *audivit & intellexit, atque multipliciter eſt informatus de celebri fama hujus ſacræ congregationis pro Generali Concilio Conſtantienſi in Chriſti nomine congregatæ: Idcirco idem Dominus noſter,* AVIDUS ECCLESIASTICÆ UNIONIS ET REFORMATIONIS *ac extirpationis hæreticæ pravitatis, commiſſionem fecit, prout in eisdem literis nunc lectis dignoſcitur contineri. Cujus quidem commiſſionis & mandati vigore Ego Johannes, miſeratione divina tituli S. Sixti Presbyter Cardinalis, Raguſinus vulgariter nuncupatus, pro me & collegis meis in hac parte hic exiſtentibus, in nomine Patris & Filii & Spiritus S. autoritate ipſius Domini noſtri, quantum ad eundem ſpectat,* UT PRÆDICTA SANCTA UNIO, REFORMATIO, *ac hæreticæ pravitatis extirpatio,* DEO AUTORE MELIOREM SORTIANTUR EFFECTUM, *& ut ſub diverſorum profeſſione paſtorum diſſidentes Chriſtiani in unitate ſanctæ matris Eccleſiæ & caritatis vinculo conjungantur, iſtud ſacrum Generale Concilium convoco, & omnia per ipſum agenda authorizo & confirmo. &c.* Uti memoratur in *Codicibus MSCtis BRUNSVICENSIBUS, GOTHANIS, LIPSIENSIBUS*, quibus pleniora *Acta Concilii Conſtantienſis* comprehenſa.

Similiter & SIGISMUNDUS IMPERATOR, cum Concilio opem jurato ſponderet, ac remoto utroque Pontifice, Johanne & Gregorio, id ſe effecturum ſancte promitteret, quo finis ac ſcopus Concilii certiſſime obtineretur, ſalvaque Concilii autoritas perſtaret, inter alia expreſſam *Reformationis parandæ* fecit mentionem, ſeque in eam procurandam incubiturum palam teſtatus eſt, his inter alia uſus verbis, uti habentur in laudatis *Codicibus MSCtis*: *Nos, qui tanquam* ROMANÆ ECCLESIÆ ADVOCATUS, DICTI CON-

Digitized by Google

CONCILII PROTECTOR AC ETIAM DEFENSOR, *ipſius Ro. Eccleſiæ celerem proviſionem totis præcordiis affectamus, & dictæ ſanctæ Synodi ſtatutis & ordinationibus colla noſtra ſubmiſimus, ejusdemque in omnibus parere & intendere volumus ut debemus, animo deliberato, ex certa ſcientia, tenore præſentium verbo Regio promittimus, & nos obligamus, quod omnem ad hoc operam efficaciter impendemus, & bona fide Catholica curabimus, & quantum in nobis eſt legaliter faciemus, quod* DICTA SANCTA SYNODUS NON DISSOLVETUR, *ſed in ſuo robore conſervabitur, manutenebitur,* QUOUSQUE *dicta electio largiente altiſſimo fuerit celebrata, ac* SPIRITUS PARACLITI VIRTUS ALTO SUO ETIAM SECRETO CONSILIO EIDEM SANCTÆ SYNODO CONCESSERIT SPIRITUM UNITATIS, AD FELICEM CONSUMMATIONEM REFORMATIONIS EJUSDEM ECCLESIÆ SANCTÆ SUÆ. *Præſentium ſub meæ Majeſtatis ſigilli appenſione teſtimonio literarum, datum Conſtantiæ, Anno Domini M CCCC XV. quarta die Julii, regnorum noſtrorum Hungariæ &c. XXIX. Romanorum electionis Quinto, Coronationis verò primo.*

Sic igitur, ſede motis Pontificibus ſummis, Johanne & Gregorio, arduum illud *Eccleſiaſticæ reformationis opus* Concilii Univerſalis ipſiusque Imperatoris Sigiſmundi humeris incubuit.

Et ab his quidem grave mox *d. 25. Julii* decretum in illos formatum, qui vigorem Concilii infringere tentarent, ſicque *reformationi obicem ponere* non vererentur. Initium decreti, uti in *MSCtis* illis *Codicibus* legitur, hoc eſt: SACROSANCTA SYNODUS GENERALIS CONSTANTIENSIS, *univerſalem Eccleſiam repræſentans, in ſpiritu ſancto ad extirpationem ſchiſmatis hæreſiumque & errorum, nec non* IPSIUS ECCLESIÆ IN CAPITE ET IN MEMBRIS DEBITAM REFORMATIONEM LEGITIME CONGREGATA, *ad futuram rei memoriam.* &c. Dein ipſi pacis Concilii & Reformationis Eccleſiaſticæ in Concilio quæſitæ turbatores quibus pœnæ graviſſimæ indicuntur, hoc deſcribuntur colore: *Nonnulli iniquitatis filii, perditionis alumni, hujusmodi cenſuras vilipendentes, ac hujus ſacri concilii, extirpationis ſchiſmatum hæreſium ac errorum,* IPSIUSQUE ECCLESIÆ REFORMATIONIS PERTURBATORES, *diabolico ſpiritu inſtigante, nec dignitati nec ordini deferentes, Dei timore poſtpoſito, nefariis & ſacrilegis auſibus, nonnullas perſonas Eccleſiaſticas & ſeculares, etiam Pontificali dignitate præditas, ad ſedem Apoſtolicam ſeu Romanam curiam ſeu præſens ſacrum generale Concilium in Civitate Conſtantienſi Provinciæ Moguntinenſis, ubi nunc Ro. curia exiſtit, in ſpiritu S. legitime congregatum, venientes aut recedentes ab iisdem, invadere, capere, aut arreſtare, detinere, incarcerare, mutilare, occidere, & ſpoliare bonis ſuis, vel injuriis affligere quam plurimis, & alias male tractare, temeritate propria præſumſerunt & dietim præſumunt, in apoſtolicæ ſedis & ſacri Concilii vilipendium & contemptum, ac ſedationis ſchiſmatis,* REFORMATIONIS ECCLESIÆ ET CORRECTIONIS MORUM, *nec non hæreſium &*

errorum prædictorum extirpationis DISTURBIUM, *ſuorumque animarum plurimarum ſcandalum & periculum. &c.*

Reſtabat, ut *Rex Arragoniæ*, qui cum aliis Hiſpanis partes Benedicti hactenus tuitus, Concilium Conſtantienſe pro legitimo univerſali Concilio haberet, quod antea amore Benedicti detrectaverat, ſcopumque Concilii, *Reformationem* inter cetera *Eccleſiæ* agnoſceret & confirmaret.

Id quod etiam mox feliciſſime confectum. Ex quo enim SIGISMUNDUS IMPERATOR A. 1415. è Concilio in Hiſpaniam emigraverat, cum Rege hac de re coram amiciſſime acturus, id ex voto effecit, ut ſtatim *d.* 13. *Dec.* illius anni, ex Ferdinandi Arragoniæ Regis propenſiſſima in rem ſacram ac reformationem voluntate, Narbonæ conſignaretur amiciſſimus conſenſus inter Sigismundum Romanorum Imperatorem cum toto Conſtantienſi Concilio, ac Ferdinandum Arragoniæ Regem, reliquosque Principes Benedictum hactenus ſecutos, de Concilii Conſtantienſis legitima dignitate atque autoritate, ejusque ſanctiſſimo & *reformandi ſcopo.* Verba, quibus *Conſtantienſe Reformationis negotium* communi conſenſu probaretur ab Imperatore ac Arragoniæ Rege, cum utriusque partibus, hæc erant, uti exhibentur in *MSCtis VINDOBONENSIBUS, LIPSIENSIBUS, aliisque. Dictæ convocationes fiendæ per Duos de Concilio Conſtantienſi & etiam per dictos dominos Reges & alios &c. nec non congregatio & conſtitutio Concilii generalis fienda per dictos dominos reges & ceteros de obedientia dicti Dn. Benedicti &c. poſſunt fieri & fiant generaliter, ut deferatur honori Concilii Conſtantienſis jam dicti, ſcilicet: Pro extirpatione ſchismatis & hæreſium, pro ſancta unione Eccleſiæ,* PRO REFORMATIONE UNIVERSALIS ECCLESIÆ IN CAPITE ET IN MEMBRIS, *& pro unico eligendo Paſtore, & pro aliis cauſis rationabilibus, quæ ad generale Concilium de jure pertinent & ſpectant.*

Cum porro in eadem illa *unione inter Imperatorem & Arragoniæ Regem* quoad Concilii autoritatem & negotia, monerent Hiſpani, ne in Concilio iſthoc ageretur de Regis ac Principum Hiſpanorum perſonis, Benedictum hactenus ſecutis, repeterunt ac diſtincte determinarunt Concilii Conſtantienſis negotia, & in illis *univerſalis Eccleſiæ reformationem*, his uſi verbis, teſtibus *MSCtis: Ad partem promittatur & firmetur per Sereniſſimum Dominum Imperatorem & per dominos prænotatos prælatos & ceteros ſpectabiles viros hic miſſos etiam ex parte Dominorum de dicto Concilio Conſtantienſi, nomine dicti Concilii & etiam proprio, mediante publico inſtrumento cum juramentis, quod in Concilio Conſtantienſi uniendo & conſtituendo, ut præfertur, non tractabuntur, ordinabuntur, ſtatuentur, vel fient tractari, ordinari, aut fieri permittent, directe vel indirecte, aliqua concernentia aut tangentia dictos dominos Reges, Principes, prælatos, & alios de obedientia dicti domini Benedicti, vel aliquem ex eis, niſi ſolummodo duntaxat* CAUSA *ejectionis dicti Dni Benedicti, & electionis futuri ſummi Pontificis, &* REFORMATIONIS ECCLESIÆ IN CAPI-

CAPITE ET IN MEMBRIS, & cauſa hæreſium, cum dependentibus emergentibus. Quæ omnia ſequenti ſtatim menſe, np. *A.* 1416. *d.* 13. *Januar.* publice à Legatis Concilii reverſis prælecta atque publicata ſunt.

Poſtquam igitur, remotis tribus illis Pontificibus, *Johanne* 23. *Gregorio* 12. & *Benedicto* 13. grande ac difficile *Reformationis negotium*, conſentiente univerſo orbe, in Concilium Conſtantienſe redundabat: Aggredi magno animo jam tandem, ſecundo Concilii anno, rem tantam cœperunt Chriſtianæ reipublicæ Antiſtites, Conſtantiæ congregati.

Ceterum in infinito hominum, maximorum, minimorum, in Concilio præſentium numero, qui centena millia interdum præſtaret, quis aptus de perdifficili hoc argumento agendi, conſultandi, definiendi, confirmandi modus? Profecto, ſi unquam, certe in graviſſimis negotiis Concilii hujus ſplendidiſſimi conficiendis admirabilis eluxit ſapientia. Univerſa hæc abſque tumultu in totius orbis præſentis compendio conficere, vim mentis plus quam humanam arguit. Uti extiterunt in Concilio hoc Conſtantienſi, qui hoc devote agnoſcerent, Deique imperſcrutabilem gubernationem ac providentiam adorarent atq; celebrarent. Cujus indicia ac veſtigia, à *Theoderico Vrie* in ſua *Concilii Conſtantienſis Hiſtoria* frequenter prodita, ſed & brevi penicillo delineata in *Codice MSCto LIPSIENSI* legimus ſub hoc charactere, in Oratione ut apparet publica in Concilio habita expreſſo:

Nomina propria

Nationum quatuor Concilii Conſtantienſis.

PErpendite provide, o ſacri Patres, quod non excellentia aut ſolemnitas Gallicorum, *non audacia aut acuitas* Anglicorum, *non aſtutia aut partialitas* Italicorum, *non inſtantia aut importunitas* Germanorum, *illud quod factum eſt, & quod nunc in manibus eſt ut fiat, præcipue, ſed ſolum inſtrumentaliter hoc effecit. Quoniam, ut verum fatear, non Alexandri potentia, non Salomonis ſapientia, non Abaſveri opulentia, non Pharaonis duritia, non Holofernis militia, non Maccabæorum audacia, ſed nec Abitophelis conſilium aut prudentia, præſens nogotium perficere valuiſſet. Relinquitur igitur ut planiſſime, quod noſtrum auxilium ſit a Domino, qui fecit cœlum & terram, juxta thema aſſumptum:* Sufficientia ex Deo eſt, 2. *Tim.* 3.

Quandoquidem verò divina providentia hominum utitur miniſterio, è re fuerit brevibus ſubindicare, quo ordine quibusve machinis Concilii magni Aſſeſſores & *hoc in Reformationis negotio* ſint uſi. Ut igitur res ab ovo repetatur, ſcire juvat, quod *in exordio Concilii Conſtantienſis*, abſente adhuc Sigiſmundo Imperatore, cum inter Cardinales ceterosq; jam præſentes viros eruditos ac illuſtres de negotiis Concilii ageretur, *A.* 1414. *d.* 7. *Dec.* CARDINALIS CAMERACENSIS in congregatione Cardinalium & aliorum Prælatorum,

 inter

inter alios articulos obtulerit & ſequentes de *ſcopo Concilii*, *Reformationem* etiam *Eccleſiæ attingente*, qui in *MSCto Codice* antiquiſſimo *Actorum Concilii Conſt. Parte II.* in BIBLIOTHECA CÆSAREA VINDOBONENSI aſſervato deſignantur:

Sacrum Concilium Piſanum obligat dominos Papam & Cardinales ad hoc, ut IN PRÆSENTI CONCILIO, modis & viis rationabilibus TRACTENT DE perfecta & integra unione ECCLESIÆ, ſive pace, & ejus DEBITA REFORMATIONE IN CAPITE ET IN MEMBRIS.

Ad hoc non tantum obligat dictum Concilium Piſanum, ſed etiam jus naturale & divinum.

Ad hoc etiam obligantur prælati Eccleſiæ, ad præſens Concilium convocati vel etiam congregati.

Illi, QUI pertinaciter ASSERUNT, dictum CONSTANTIENSE CONCILIUM DEBERE DISSOLVI, ſeu *CONTINUATIONEM AD ALIUD CONCILIUM PROROGARI, UBI DICTA UNIO ET REFORMATIO finaliter CONCLUDANTUR, in tantum quo in præſenti non fiat, ſunt FAUTORES SCHISMATIS, & de hæreſi vehementiſſime ſuſpecti.*

Petitio, quod Concilium Piſanum per præſens Concilium confirmetur, antequam in ipſo plane congregato agatur DE VIIS ET MODIS dictæ unionis & REFORMATIONIS ECCLESIÆ, non eſt de præſenti admittenda ſeu tractanda.

Ad quorum articulum primum de argumento & *ſcopo Concilii Conſtantienſis*, etiam *quoad reformationem Eccleſiæ*, additur in Codice laudato MSCto Vindobonenſi in margine ratio his verbis: *Tam ratione juramenti præſtiti in Concilio Piſano, quam determinationis Seſſionis XIX. ſeptima die Auguſti celebratæ, ubi fuit CONTINUATIO ejuſdem CONCILII decreta PRO REFORMATIONE ECCLESIÆ UNIVERSALIS.* Quia *SINE ILLA, TANQUAM PRINCIPALI, EXTERMINATIVA SCHISMATIS, NON EST PAX PERFECTA ET NEQUAQUAM UNIO ECCLESIÆ CONSUMMATA.*

Ad quartum etiam articulum additur ratio in margine *MSCti*: *Ratio, quia PRÆSENS CONCILIUM PRINCIPALITER ORDINATUR AD EXTIRPATIONEM SCHISMATIS, ET REFORMATIONEM ECCLESIÆ. Hunc autem finalem effectum qui tollunt, de hæreſi ſunt ſuſpecti, quia ſchiſma eſt diſpoſitio trahens ad hæreſin.*

Conſtituto proinde *totius Concilii fundamento*, ipſorum Cardinalium ope manuque, *in Reformationem* æque *Eccleſiæ* ac ſchiſmatis Papalis compoſitionem *redundante*: *Modus* porro *agendi & ad finem hunc contendendi* ſtatim delineatus, atq; viris in Concilio ſummis atq; doctiſſimis exhibitus. In *CODICE MSCto VINDOBONENSI Actorum Concilii Conſt. Part. I.* exhibetur publica illa *ordinis conſultandi conciliaris* definitio. Unde aliqua huc pertinentia momenta repetiiſſe juvabit.

Sche-

Cedula præſentata in Congregatione Doctorum in Theologia. Et continet utilem informationem & conſiderationem ſuper ordine procedendi in Concilio Conſtantienſi.

QUia Chriſti fidelibus, congregandis in Concilio Generali, dari debet plena ſecuritas & ſecura libertas, ut ſit animus in conſulendo liber, juxta verbum Saluſtii; Ideo ad hunc finem & ut in rebus agendis ordo debitus obſervetur, illa expedire videntur, quæ ordine ſequuntur. Primo, quod per Concilium deputentur certi nobiles viri, qui ſint PROCURATORES CONCILII ET PROMOTORES *rerum agendarum, videlicet ſuper pace & integratione Eccleſiæ, & unionis, &* SUPER EJUS UNIVERSALI REFORMATIONE, TAM IN CAPITE QUAM IN MEMBRIS. *Sic enim decretum fuit in Concilio Piſano. Ubi etiam tales Procuratores ſeu Promotores fuerunt deputati.*

Item, cum prædictis deputandis dentur certi nobiles viri, tam in divino quam in humano juribus periti, qui eſſent CONSILIARII SEU DIRECTORES *rerum agendarum, & quorum conſilio dicti procuratores habeant omnia deliberanda proponere & promovere, ut in Seſſionibus ſuper propoſitis in deliberando liberius & ordinatius procedatur, ſicut in Concilio Piſano.*

Item, quod inter duas ſeſſiones, dicti Conſiliarii & promotores de pluribus Nationibus eligendi, ut excludatur acceptio perſonarum, debeant certis diebus convenire ad audiendum omnes & ſingulos, qui SUPER UNIONE ET REFORMATIONE ECCLESIÆ *aliqua verbo vel ſcriptis voluerint exponere, in Concilio proponenda: Ut in talibus evitetur confuſio, & ordo conveniens ſervetur, nec aliquis quantumcunque parvus ab audientia excludatur, quia ſæpe Deus revelat parvulis, quæ Chriſto teſte abſcondit à ſapientibus.*

Item, in ſeſſionibus ſuper propoſitis per dictos promotores ſervanda erit debita GRAVITAS IN DELIBERANDO, *ut quod in una ſeſſione proponitur, in alia concludatur, & in* EXEQUIRENDO VOTA SINGULORUM, DEPUTANDI *erunt quidam* NOBILES VIRI ET PRÆLATI, *qui cum Notariis* VOTA RECOLLIGANT ET PUBLICE REFERANT, *notando majorem & ſaniorem partem, ubi non eſſet plena concordia. Et in hoc & aliis præcedentibus notetur modus procedendi, quem ſervarunt ſancti patres noſtri in Conciliis antiquis.*

Item dato bono ordine procedendi, agendum eſt de materia prima tractanda. Et videtur, quod inchoandum ſit AB UNIONE *ſeu pace* ECCLESIÆ, SINE QUA VIX FIERI POTERIT REFORMATIO IN ALIIS UTILIS ET GENERALIS.

Prædicti quinque modi & articuli hujus ſchedulæ ſuper modo procedendi, præſentati fuerunt coram Domino noſtro Papa in Generali congregatione, ex parte Theologicæ Facultatis.

Item, quod principaliter agenda primo TRACTARENTUR PER DEPUTATOS, *informationibus vocalibus & ſcriptis, & hæc* SUPER

PER REFORMATIONE UNIVERSALIS ECCLESIÆ, de quibus poſtea Concilium informarent.

Ita ergo juxta hanc rerum in Concilio agendarum formam non ſolum conſtituti duo Viri clariſſimi, *Henricus de Piro, Licentiatus in Decretis & Henricus de Scribanis, cauſarum & negotiorum in hoc Concilio publici promotores ac procuratores*, ſed &, indignante licet Papa Johanne, omnia Concilii membra, boni ordinis cauſâ in conſultando ac diſcernendo, diſtincta in *quatuor nationes, Germanicam, Gallicam, Anglicam & Italicam*, donec poſtremo & *Hiſpanica* accederet. Parque jus votorum Nationibus datum, omnis confuſionis vitandæ cauſa, ut quælibet natio unam duntaxat haberet vocem ſeu unum votum publicum, adeoque in toto Concilio non niſi *quatuor vota quatuor Nationum* exiſterent. Quælibet verò Natio iterum diſtributa in certos *deputatos*, cauſarum ſcrutatores. Quibus datus *præſidens* ſeu præſes, quod officium ſingulis menſibus mutatum, teſte *Theoderico Vrie, Hiſt. Concilii Conſt. lib. 6. diſt. 6. fol.* 158. Sic facilis & brevis in qualibet natione rerum conſultatio, facilisque concluſio, quin & prompta cum aliis nationibus deliberatio atq; conſenſio. *Curatior* autem *modus ſuffragia dandi, colligendi*, in qualibet natione *ponderandi*, ſed & *cum aliis nationibus conferendi*, à *NATIONE GERMANICA* publice eſt commendatus, *A.* 1415. *d.* 14. *Martii* hoc tenore, ut in *MSCtis* habetur VINDOBONENSIBUS, BRUNSVICENSIBUS, LIPSIENSIBUS, aliisque, hac forma:

Edita ſeu ſtatuta quædam capitula per Nationem Germanicam.

C*Um hac ſancta* ſynodus *tam ſolenni utriusque ſtatus Principum & ſapientum numero, ſed &* arduiſſimis Eccleſiæ cauſis *& neceſſitatibus* congregata *ſit in Domino, & retroactis temporibus vix fuerit, & veroſimiliter noſtro ævo* nulla ſimilis *ſit* futura: *Summo opere habet intendere, ut in toto ſuo proceſſu, nedum errorem vitet, calumniari nitentibus obviare valeat, ſed & factum recti tramitis exemplum relinquat. Et præcipue* natio noſtra Germanica *in hoc ſolicitior eſſe debet, ut veterni ſive oblivionis notam aboleat, qua quaſi inconſulta furore duci dicitur, non conſilio regulari.*

Ad quem proceſſum legitimum ac decentem *inter plurima unum videtur maxime neceſſarium: Ut videlicet* omnia in concilio definienda, decernenda, ordinanda & ſtatuenda, *& alia quæcunque ardua, totius* nationis deliberationem *urgentia, poſtquam* per deputatos nationum *ſufficienter fuerint aviſata, & cum aliarum nationum deputatis tractando concordata*, in totius nationis deliberationem *proponantur particulariter & diſtincte.*

Et dato *ad minus* unius noctis intervallo ad deliberandum, *juxta rationabilem* deliberationem ejusdem nationis *prius factam in craſtino ſcrutentur diſtincte* vota ſingulorum: *Aut* vocaliter, *ut quilibet alterius ſententiam & motiva audiens de veritate & rationabiliori ſententia informari valeat; Vel* in ſcripto, *ſic tamen, quod ſchedulæ omnes publice legantur, pari de cauſa.*

Et ex pluralitate votorum *ex decreto concilii computandorum concors ſententia* concluſa *per deputatos nationum cum aliarum nationum concluſionibus ſimilibus* conferatur.

Et ſi inveniatur omnium nationum concordia, *tunc* concluſa, ſigillis clau-

clauſa, præſentetur *eis, qui* in Seſſionibus *definita habent* approbare nomine nationum. *Qui tunc palam aperientes ſigilla, de verbo ad verbum audiant. Pronuncians omnino ſervet* eundem tenorem. *Et ſic habeant approbare*, placet *reſpondendo. Si vero tenorem mutatum ſenſerint, habeant dicere*: Non ſic placet nationi, ſed placet ſic: *Exprimendo ſententiam ſecundum tenorem ſchedulæ ſibi datæ.*

Si vero ſententiæ nationum deputatis apparent diſcordes, tunc ſingularum nationum deputati pro ſua parte quiete, pacifice, & charitative ſuadeant, ex adverſo reliquarum nationum deputati reverenter audiant. Ut ſic motivorum validitudo & concluſionis veritas, & definiendorum æquitas clarius eluceſcat. Nec quoque una natio rationabilioribus motivis alterius condeſcendere dedignetur. Quia in hujuſmodi collativo tractatu non triumphus victoriæ diſputando, ſed rei veritas, & Eccleſiæ utilitas, honorque Dei principaliter quæri debet.

Cumque omnium nationum deliberationes per deputatos ad concordiam redactæ fuerint, iterum in natione fiat per ſingulos inductio authentice, præſentibus notariis. Et ſecundum ſententiam majoris partis publice & authentice concludatur. *Ipſaque concluſio authentice per notarios* conſcribatur. *Et clauſa ſub ſigillo præſidentis in natione, procuratori nationis, ejus nomine in Seſſione publica approbare per Placet*, præſentetur. *Qui cum eiſdem ſchedulis* in ſeſſione concilii *agat, ut ſuperius eſt expreſſum.*

Iſte modus procedendi *licet ſit* laborioſus, *tamen eſt valde* neceſſarius & fructuoſus.

Primum, ut aliis nationibus ipſum ſtricte ſervantibus conformemur, ne ab eorum diligentia ac providentia reprehenſibiliter deficere videamur.

Secundo, cum hodie non deſint calumniatores ipſius proceſſus concilii, & plures magni & parvi veroſimiliter exſurgent: Eo quod maxima res Eccleſiæ, omnium ſtatuum perſonas tangentes, reſtant tractandæ: Non eſt vitandus labor, quo ipſorum poſſint excludi calumniæ. Excluderetur enim calumnia, quam Dominus Papa in inſtructionibus Ducibus Bavariæ & Aureliani inſinuavit, aſſerens, ſcrutinia votorum illegitime fieri per nationes. In quibus aſſerit colligi vota indiſtincte, tam pertinentium, quam non pertinentium ad concilium, imo perſonarum vilium & exilium, vota auiſtitum ſuis clamoribus obruentium. Item excluderetur calumnia de conſpiratione nationum: Similiter de impreſſione violenta, cum quilibet ſic libere ſine impreſſione funderet ſua vota. Sicque fieret legitime ſcrutinium per ſingula capita in natione, & in ſeſſione publica per nationes. *Nec ſic admitterentur vota impertinentium concilio, nec ſubſtantiales eidem ſuis vocibus fruſtrarentur. Ad idem valde expediret, quod per totum concilium determinaretur authentice, qui debeant habere vota in concilio, & quorum vota ſint in nationibus & in concilio computanda, & quod ſolum talium vota in nationibus ſcrutentur, & ad concludendum ex ſcrutinio numerentur. Quodque* noſtra natio Germanica *in hoc conformet ſe laudabili* obſervantiæ nationis Gallicanæ, *quæ in ſuis congregationibus diſtinguit non habentes voces ab habentibus, & in loco ſedendi. Sed & habentibus vota ordinate aſſignat ſua loca in cæteris ſcamnis ſecundum ſuorum gradum & ordinem dignitatum: Et diſtincte ſub teſtimonio notarii publici vota colligit per ſingulos, qui debent habere voces: Et concludit ſecundum ſententiam majoris partis.* Nec in ſeſſione aliquid admittit, niſi prius fuerit in natione legitime præconcluſum.

Satisfieret ſic etiam juribus, ſi quæ ſonare videntur de ſcrutinio *habendo* per capita ſingulorum: *Quia hoc fieret in nationibus: Et per procuratores nationis ſingulorum vota in ſeſſione præſentarentur.*

Quarto ex tali legitimo modo procedendi multum firmari poterit autoritas concilii, *& omnis ejus definitio, ſeu decretum. Nam ſic quilibet ea, quæ priori voto approbavit, tanquam ſua propria firmius poſtea tenebit, & ex motivis in natione collative auditis ea animoſius defenſabit. Sed ſecundum modum hucusque ſervatum poſſet contingere, quod ſoli deputati, imo nec omnes ipſi, ante ſeſſionem definienda præſcirent. Et ſic ea alii minus gratuite acceptarent. Imo quandoque definiendo nec majorem partem concor-*

diter contingeret conſentire. Quemadmodum nuper accidit, quod tota natio Gallicana de articulis ducentis & ſexaginta ipſius Wicleff ſe aſſeruit nihil ſcire.

Quinto, ſic vitarentur ſuſpiciones ſiniſtræ & ſuppoſitorum nationis diſſenſiones mutuæ, quæ hucusque ſervato proceſſu veroſimiliter orirentur.

Sexto, quia ſic vere & ſecure, habito tali ſcrutinio in nationibus, dici poſſet; Placet toti ſynodo, *quia ratione majoris partis conſentientis. Quod utique ſic fieri non poteſt, cum taciturnitas non ſemper haberi valeat pro conſenſu. Et præſertim, quia forte ſæpe multi diſſentientes tacent propter verecundiam vel contentionem vitandam, vel quia non ſperant, ſe poſſe proficere.*

Septimo, quia ſic non in vanum fatigaretur tota natio multis propoſitionibus, ſchedulis & aviſamentis, *quæ hucusque ſæpe præſtiterunt impedimenta utilioribus & magis neceſſariis. Quia, hoc ſervato ordine,* deputati nationum *juxta primam ejus ordinationem* viderent *hujusmodi* ſchedulas *&* aviſamenta *ab aliis oblata, undecunque, & quacunque ſuo tempore ad nationem ordinate deducerent. Quæ ſuper eis deliberatione & cum maturitate debita responderet, & conſequenter per ipſam omnia authentice & utiliter diſponeret.*

Octavo, per iſtum legalem modum procedendi provocarentur ſinguli ad ſollicitudinem deliberandi, omniumque excitarentur ingenia, & ſimpliciores a peritioribus diſcerent, & vix poſſet indeprehenſa falſitas evadere, ſi omnium exponerentur examini, & quilibet conſiderando circa ea diligentiam adhiberet.

Sed & valde hoc modo conſervaretur concilium indiſſolutum. Quia omnes reputarent ſe ad aliquid utiles, qui ſic, cum videant, ſe in nullo requiri, æſtimant *ſe inutiles, imo otioſe perdere tempus & expenſas, nec hic degendo ſervire ſe Deo, nec prodeſſe Eccleſiæ, aut proprium meritum augere: Imo præ illo affecti tædio, quærunt occaſionem recedendi. Et forte aliquando ex induſtria revocationes ſuperiorum ſuorum procurant. Et ſi remanere coguntur, inviti remurmurant, & afficiuntur ad omnia, quæ in concilio peraguntur.*

EX quibus ad oculum patet, univerſa negotia in Concilio tractata, primum in Nationibus fuiſſe agitata, ponderata, & Nationali conſenſu definita atque concluſa: Poſthæc autem per Nationum deputatos in publica Concilii ſeſſione oblata, publicata, atque ſolenni confirmatione roborata. Ut nil *Conciliariter* definiretur, niſi *Nationaliter* prius eſſet, quatuor nationibus ſemper concurrentibus, concluſum. Quo pacto *Conciliare decretum* nil fuit aliud, quam publicatio atque *confirmatio* ejusdem *decreti Nationalis.*

De cetero, quandoquidem *permulta* erant *negotia*, diverſis *diverſi* aſſignati à Concilio *Nationum deputati*, qui in rem inquirerent, in nationibus proponerent, atque collectis votis definirent. Nationum Deputatis juncti & certi *Cardinalium deputati*, iiq; pro rerum diverſitate alii atque alii.

Ita ergo, poſtquam ex Pontificibus contendentibus primus Johannes 23. remotus, certi à Concilio ſtatim definiti *Cardinalium & Nationum deputati, qui Reformationis præcipue negotium tractarent*, ut poſtea dicetur plenius.

Exceperant ſane initio non ſine motu viri magni *adverſus Cardinales, quorum nemo eſſet admittendus ad Reformationis negotium in Concilio tractandum*; Eò quod de ipſis etiam, eorumque ſtatu, imo de eorum capite ac promotore Papa, in Reformatione ageretur: Non poſſe verò eosdem eſſe reos ac judices. Hinc illa inter alias *con-*

cluſio

cluſio propoſita in Concilio, cum Johannes Papa aufugiſſet, multique Cardinales & aulici Papam eſſent fugientem ſectati, quæ habetur cum aliis in *CODICE MSCto AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS*, & quidem *PARTE I. ACTORUM CONCILII CONSTANTIENSIS, fol.* 112. *Veritas eſt, quod NEQUAQUAM in hoc ſacro Concilio debeat INTERESSE Papa & CARDINALES, ſeu in tractatibus quæ fiunt in eodem concilio. Et ratio eſt, QUIA IBI AGENDUM EST DE REFORMATIONE ECCLESIÆ IN CAPITE ET IN MEMBRIS PRINCIPALIORIBUS, SIVE DE PAPA ET CARDINALIBUS IPSIUS. Sed illi nec poſſunt nec debent eſſe judices in proprio facto, & per conſequens Eccleſiam ipſam non reformabunt in illis, remanente deformitate etiam in ceteris membris.*

Adverſus quam contra Cardinales in Reformatione factam objectionem reſpondere ſtuduerunt Cardinales, dubio iſthoc ſoluto. Siquidem inter *articulos à Collegio Cardinalium Concilio itidem oblatos*, præſente Sigiſmundo Imperatore, recenſiti ſequentes *Apologetici*, qui cum ceteris habentur in *CODICE MANUSCRIPTO LIPSIENSI.*

Nona Concluſio: Romana Eccleſia tantam habet autoritatem, ut ad eam pertineat alia Eccleſiæ membra reformare. Nec in ejus reformatione eſt à Concilio generali repellenda, ſed veneranter audienda, ſicut & cetera membra Eccleſiæ, quando agetur de reformatione totius corporis, in capite & in membris.

Decima Concluſio: Romana Eccleſia totumque Generale Concilium ad plenam membrorum Eccleſiæ reformationem debet unanimiter convenire, & unicuique ſtatui in ejus Reformatione audientiam dare, & de ſe ipſo definitivum communicare judicium, juxta illud Apoſtoli: Si nos ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.

Ad quam Cardinalium exceptionem reſpondit Concilium, teſte *MSCto LIPSIENSI: Verum eſt, cum diſtinctione ſuperius tacta in gloſſellis, ſcil. quando non agitur de eorum reformatione.*

Corollarium Cardinalium: *Unde patet, quod vanæ voces non ſint in hoc Concilio audiendæ quorundam populorum, loquentium atque dicentium: Nos vocabimus Cardinales, quando nobis videbitur, ſed non quando de eorum reformatione agetur: Cum tamen ad Cardinales magis pertineat, illos vocare, & judicialiter reformare, quam è contra. ET IN ECCLESIASTICI STATUS REFORMATIONE, ſicut Prælatorum, Capitulorum, Religioſorum, & univerſitatum, SINGULI AUDIENDI ſunt, NEC A CONCILIO REPELLENDI, ſed magis ad mutuam charitativam correctionem inducendi.*

Et ad hanc Cardinalium exceptionem reſpondit Concilium, indice eodem *MSCto LIPSIENSI: Non ſunt vanæ voces illæ, aut quia Papam inhabilem elegerunt ſeu minus idoneum: Et de hoc agitur in Concilio forſan: Vel agitur, quod Papa diffamatus de aliquo crimine ſe purget, ſicut fecit* Nicolaus Papa IV. *qui ait:* Nos ſi incompetenter aliquid egimus, & in ſubditis juſtæ legis tramitem non conſer-

vavimus, Veſtro, ac miſſorum Veſtrorum cuncta volumus emendare judicio. Quoniam, ſi nos, qui aliena corrigere debemus peccata, pejora committimus, certe non veritatis diſcipuli, ſed, quod dolentes dicimus, erimus præ cæteris erroris magiſtri. &c. *Ita ſcribit Ludovico Imperatori idem Papa, ut legitur 2. quæſt. 7. cap. 41. Idem Hieronymus refert in libro Virorum Illuſtrium, videlicet, quod Damaſus Papa à ſubditis accuſatus de adulterio cum 42. epiſcopis ſe expurgaverit. Item de ſupradicto Symmacho Papa legitur:* In Romana Synodo dignitate ſua exſpoliatus prius in ſtatum priſtinum reddi decernitur, ut tunc veniret ad cauſam, & ſi ita recte videretur, accuſantium propoſitionibus reſponderet. Digna res eſt viſa maximo numero ſacerdotum, atque meretur effectum. *2. quæſt. 7. c. 41. in gloſſa circa finem. Et cum tales venerabiles ſummi Pontifices antiquitus accuſati aliquo crimine ſe publice expurgarunt, & etiam aliqui eorum ſe ſubmiſerunt judicio Romanorum Imperatorum, vel Regum, vel Generalis Concilii, ut ſuperius patet; Quare non moderni Pontifices, diffamati etiam de criminibus idem facere teneantur? Ratio nulla, quod elicitur ex Evangelio. Debent enim ſequi humilitatis exempla Chriſti, qui dixit:* Si male locutus ſum, perhibe teſtimonium de malo, ſi bene, cur me cedis. *Nullus enim eligitur ad illicita perpetranda.*

Sed & hæc liticula *de Cardinalibus ad Reformatorum in Concilio Conſtantienſi Collegium admittendis*, compoſita tandem, ut publico Concilii decreto *par Cardinalium numerus* numero deputatorum ex ſingulis Nationibus quaternario *ad Reformatorium deſtinaretur.*

Hoc autem expedire in iſta lite apparet Concilio viſum, ut in ſeligendis & ad Reformatorium denominandis Cardinalibus illi prætermitterentur, qui partes Johannis 23. nimis pertinaciter ſecuti, fugæ quoque Papæ participes facti erant. Illi verò ſelecti & Reformatorio ſacrati, qui à partium ſtudio alieni, & ipſius quidem Johannis vitæ ac facinoribus infenſi, Reformationis jam ante avidi cupidiq; viſi aut deprehenſi, viri integri ac juſti atque incorrupti. Quales erat præcipue PETRUS DE ALLIACO, CARDINALIS CAMERACENSIS. Qui à primis Johannis Papæ annis reformationem Eccleſiæ in capite & in membris acriter urſerat, ipſiusque Johannis facinora diſſimulare detrectaverat, neque in electione Papæ Johannis Cardinalium charactere adhuc inſignitus, utpote à Johanne demum Cardinalis creatus, adeoque indigni Papæ creati haud reus. Par conditio FRANCISCI ZABARELLÆ, CARDINALIS FLORENTINI, juris æquitatisque tenaciſſimi religioſiſſimique. Qui ſimiliter haud conſors fuit creationis Johannis Papæ, quippe à quo ſerius demum Cardinalis creatus, quiq; magnum reformationis deſiderium abunde teſtabatur. Devotionis atque ingenui deſiderii & ad juſtitiam obtinendam enixi ſtudii index in ZABARELLA CARDINALE erit *ardentiſſima ejus oratio*, quam in publica Concilii ſeſſione, eaque poſt Johannis Papæ fugam primâ, clare ad Deum

um ſudit, hoc tenore, ut in *MSCto CODICE VINDOBONENSI Actorum Concilii Conſt. Parte II. f.* 218. habetur:

Aſſumus domine, Sancte Spiritus, aſſumus quidem, non peccatorum immanitate detenti, ſed in nomine tuo ſpecialiter congregati. Veni ad nos, & eſto nobiscum, & dignare illabi in cordibus noſtris. Doce nos quid agamus, quo gradiamur, & oſtende quid efficere debeamus: Ut te auxiliante, tibi placere valeamus. Eſto ſalus geſtorum, & effector judiciorum noſtrorum, qui ſolus cum Deo Patre & ejus Filio nomen poſſides glorioſum. Non nos patiaris perturbatores eſſe in ſacro, qui ſumme diligis æquitatem. Non in ſiniſtris nos ignorantia trahat: Non favor flectat, non acceptio munerum, non perſonæ, nos corrumpant. Sed junge nos tibi efficaciter, ſolius tuæ gratiæ dono: Ut ſimus in te uniti, & in nullo declinemus à vero. Ut ſicut in nomine tuo ſumus collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderamine juſtitiam pietatis. Ut & hic à te in nullo diſſentiat ſententia noſtra, & in futuro pro bene geſtis mereamur præmia ſempiterna. Amen. Digna Cardinale Oratio, digna Reformatore devotio.

De cetero veroſimile, ut res omnis curate ponderata arguit, illos viros, qui Cardinales à Reformatorio Conſtantienſi excluſos vellent, in illos præcipue collimaſſe, qui electionem Johannis gubernaſſent, adeoque participes eſſe viderentur mali illius fati. Neque adeo declinarint illorum Cardinalium in Reformatione ſocietatem, qui ab illis fatis eſſent alieni. Quin potius, hoc eorum fuiſſe votum apparet, ut hi Cardinales jungerentur ſibi nationumque deputatis aut deputandis, qui à partium ſtudio eſſent liberi ac immunes. Quo pacto voti ſui compotes facti, quando illi à Concilio delecti ad Reformationem communem Cardinales, quos optaſſent Nationes earumque primates.

Sic definitum tandem REFORMATORIUM, aut ILLUSTRE REFORMATORUM IN CONCILIO CONSTANTIENSI COLLEGIUM, publica quidem totius Concilii autoritate. Conſtitit hoc *Collegium* ex ſelectisſimis in toto orbe viris, omni eruditione ſacra & civili imbutis. *Cardinales* quippe, *Epiſcopi*, & *Doctores*, iique *Theologiæ* ac *Juris*, ad hoc Reformationis negotium ſolenniter deputati. Ut neque doctrina, neque autoritas, ſed nec voluntas, integritas, atque ardor deeſſent.

Et ex ſingulis quidem Nationibus, quarum quatuor tunc numerabantur in Concilio, pro ſolerti totius orbis partitione, Germanica, Gallica, Anglica & Italica, aliqui deputati, ne ulla conquerendi ſupereſſet anſa. Sed & prudenti conſilio ſtatutum, ne una natio alteram votorum numero ſuperaret, adeoque pro arbitrio

bitrio ſuo, votorum etiam copioſiore numero redempto, negotium inſtrueret. Indeque *paria* nationibus omnibus aſſignata aut conceſſa *vota*, quando *ex qualibet Natione quatuor viri delecti*, qui cum rem in tota natione & inter ſe expediviſſent, atque ſtatuiſſent, pro una illius nationis per quatuor deputatos facta concluſione una duntaxat unicuique nationi ſummaria vox ſuperfuit. Ita ergo facili negotio *quatuor vota quatuor nationum* conferri, digeri, atque in unam tandem communem ſententiam aut concluſionem efformari poterant. *Venerabile* proinde hoc *Reformatorum Collegium* ex *ſedecim Viris Illuſtribus* conſtitit; Quorum quatuor *Cardinales*, quatuor *Germani*, quatuor *Galli*, quatuor *Angli*, quatuor *Itali.*

Conſtitutum, quoad *prima* certe *ejus fundamenta*, publice ac ſolenniter venerandum hoc *REFORMATORIUM CONSTANTIENSE A. M. CCCC. XV. XV. Junii, die Sabbati*, in Cathedrali Eccleſia Conſtantienſi, in ſolenni Seſſione, præſente *SIGISMUNDO IMPERATORE*, ceterisque Magnatibus. Quam conſtitutionem dedimus ſupra. Etſi enim illa Commiſſio primitus occaſione controverſiæ Burgundicæ, in cauſa Doctoris Johannis Parvi, Theologi Galli, ſtatueretur, ut diſerte monetur in *CODICE MSCto VINDOBONENSI Actor. Concilii Tom. IV. f.* 80, b. quam ob cauſam Burgundi præſentes contra Commiſſarium Cardinalem Alliacenum ſtatim excipiebant: Quod additur in *MSCtis BRUNSVICENSIBUS* aliisque: Nihilominus tamen iſthæc *Commiſſio* ſedecim Virorum Illuſtrium non unam duntaxat cauſam Burgundicam Johannis Parvi concernebat, ſed *generalis* erat, referenda ad illius cauſæ inquiſitionem non magis quam *ad Reformationem univerſam*, in Concilio tractandam. Sicut & hoc fine (1.) in decreto expreſſa fit mentio *Reformationis.* Accedit (2.) quod *de duobus* illis *Cardinalibus* manifeſtum, *Petro de Alliaco & Franciſco Zabarella,* quod Reformationis negotio poſtmodum interfuerint. *Neque* (3.) *alia Reformatorii* hujus conſtitutio aut ſpecialium horum Commiſſariorum *denominatio facta deprehenditur.*

Etſi verò ſerius, ſequentibus demum annis, XVI. & XVII. *Reformationis negotium* inter Nationum Deputatos *in Reformatorio* cum zelo agitaretur, uti *Statuta Reformatorum* hac & ſequentibus *Partibus* à nobis exhibenda teſtabuntur: Impedivit partim cauſa Petri de Luna, ſchiſmatisq; maxima ex parte prius componendi, partim cauſa Burgundica Johannis Parvi, partim *Hieronymi Pragenſis,* ſimilesque, quæ in Concilio ante videbantur conficiendæ. Præterea Sigiſmundus Imperator, Reformationis aſſertor acerrimus, diu à Concilio in Hiſpania, Gallia & Anglia aberat, cumque eo aliqui ex Reformatorum Collegio delecti legati Concilii, in Hiſpaniam digreſſi. Quod autem & *Cardinalis Piſanus* dein fuerit in iſthoc Collegio deprehenſus, ex eo colligitur, perſonas aliquas mutatas etiam annis ſequentibus fuiſſe: Uti mille caſus mutationis contingere poſſunt, ut unus in alterius ſuccedat locum. Sicut in ipſo illo Deputatorum Collegio pro Epiſcopo Alexandrino defuncto ſubſtitutus Epiſcopus Ariminenſis, teſte *MSCto VINDOBONENSI, Actorum Concilii Conſt. Tom. IV. f.* 118. *b. ad Anni*

1417.

1417. *ultimam menſis Martii*, his verbis: *In eadem ſeſſione in cauſis fidei generalibus loco Epiſcopi Alexandrini defuncti ſurrogatus fuit dominus Hieronymus, Electus Ariminenſis.*

Quin veroſimile eſt, cum tardius hoc *Reformationis negotium* hactenus per primos duos Concilii annos eſſet ac ſomnolentius tractatum, *renovatum* eſſe ac denuo conſtitutum *Reformatorum Collegium*, controverſiâ Papali inter Concilium & Benedictum Papam compoſita & finita, ſive ſervatis, ſive mutatis quibusdam Reformatorii membris. Quod ſubindicare videtur *Gobelinus Perſona*, *Coſmodromii cap.* 96. *Poſt hoc*, inquit, (nempe ſede motum in Concilio Conſtantienſi Petrum de Luna) *electi ſunt viri literatiſſimi ex omnibus illis nationibus, qui nomine totius Eccleſiæ Reformationem ſtatus Eccleſiæ ordinarent & conſcriberent.*

Ipſe vero *ſpectabilis* in Oecumenici Concilii publico conſpectu conſtituti REFORMATORII *locus*, *Collegiive Reformatorum* ſplendidus *conſeſſus*, etſi non iisdem ſemper clauderetur terminis, cum quælibet natio pro ſe coiret ac conſultaret, plerumque tamen in communi Nationum Conſultatione *theatrum Reformatorii* præſtitit Cœnobium *Minoritarum*, in quo Natio Germanica ordinarie congregabatur. Et quidem *in ampliſſimo Cœnobii illius Refectorio* præclaræ hæ, ut aliæ in aliis negotiis arduæ ſeſſiones, Nationum Deputatis ac Cardinalibus præſentibus, ſunt habitæ.

Poſt longas autem *Conſultationes* ſingularum nationum *de Reformationis Eccleſiaſticæ articulis*, inter frequentia etiam virorum magnorum *publicis ſcriptis prodita de Reformatione conſilia*, qualia *Gerſoniana*, *Alliacena*, *Niemiana*, *Zabarelliana*, *Alamaniana*, ſupra vidimus, aliaq; haud diſſimilia ſequentibus partibus atque Tomis exponemus: *Communes* tandem collectæ *Reformatorii ſententiæ* aut concluſiones, ſecretariis publicis præſentibus.

Communia vero hæc de *Nationalia in Conſtantienſi Reformatorio* facta de Eccleſiæ Reformatione *ſtatuta*, ab ipſis Concilii aut Conciliaribus decretis non differebant, niſi ſolennitate, celebritate, publicoque deputatorum in Concilii publica ſeſſione applauſu.

Quando enim Nationaliter aliqua erant concluſa, Conciliarium decretorum nomen induebant, ſi in publica ſeſſione exhibita & confirmata eſſent. *Publica* namque *ſeſſio inſtar confirmationis* fuit aut *executionis*.

Et quidem vel *eadem* plane *Nationalia decreta* iisdem verbis in publica ſeſſione ad confirmandum prælecta, vel ob temporis brevitatem *brevius illorum argumentum* conceptum atque publicatum. Ita ut argumento iſthoc conciſiore publicato atque confirmato, ipſa fuſiora ac pleniora iſthæc decreta Nationalia exhibita publice atque conciliariter roborata & confirmata haberentur ac cenſerentur.

Hic jam ſilentio præteriri non poteſt, quod *in Actis Concilii Conſtantienſis, impreſſis* æque ac *MSCtis*, in notatione publicæ ſeſſionis *Anni* 1417. *d.* 30. *Octob.* expreſſe allegentur *ſtatuta NationaliaReformatorii Conſtantienſis*, utpote quorum *ſummam brevem* in publico illo

co illo conventu Conciliari Nationes expoſuerint, eoque conciſo eorum argumento *pleniora* illa *Reformatorii decreta* palam exhibita voluerint. Verba memorabilia ſolennis Concilii in publica laudata ſeſſione propalata, ſunt, prout in Codicibus MSCtis VINDOBONENSIBUS, BRUNSVICENSIBUS, LIPSIENSIBUS, memorantur: *Sacroſancta Generalis Synodus Conſtantienſis in Spiritu S. legitime congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans ſtatuit, & decernit, quod futurus ſummus Pontifex per Dei gratiam de proximo aſſumendus, cum hoc ſacro Concilio vel deputandis per ſingulas nationes debeat reformare Eccleſiam in capite & curia Romana, ſecundum æquitatem & bonum regimen Eccleſiæ, antequam hoc ſacrum Concilium diſſolvatur, ſuper MATERIIS ARTICULORUM ALIAS PER NATIONES IN REFORMATORIO OBLATORUM.*

Ejusdem *Conſtantienſis Reformatorii*, ac ſtatutorum ejus, diſerte quoque meminit *GOBELINUS PERSONA, WESTPHALUS*, illius temporis motibus præſens, Johannis 23. Papæ aulicus, reformationis Eccleſiaſticæ cupidiſſimus, in ſuo *Coſmodromio, cap. ult. Petebatur*, inquit, *fieri Reformatio Eccleſiæ, tam in capite, quam in membris, prout IN REFORMATORIO PER AD HOC ELECTOS CONCEPTUM FUERAT.*

Eadem quoque *Reformatorii decreta* deſignavit *Martinus Papa V.* qui *A.* 1418. *d.* 21. *Martii* diſertis verbis probabat *tum lecta publice in illa ſeſſione, tum CONCORDATA CUM SINGULIS NATIONIBUS CONCILII.*

Porro *Reformatorii* memorati *ſtatuta aliqua* ſolenniter ſunt publicata in Conciliari ſeſſione atque confirmata *A.* 1417. *die IX. Octob.* alia ſunt denunciata ſolenniter *die* 30. *Octob.* ejusdem anni.

Quandoquidem autem pars aut *ſumma* duntaxat *brevis* illorum *in Reformatorio factorum ſtatutorum* publice eſt expoſita, ubi tandem ſunt *integra atque plena Reformatorii* illius *Conſtantienſis ſtatuta?* Intereſt profecto, noſſe *plenam* illam *Reformatorii ſententiam*, ad quam collimarunt Concilii Aſſeſſores in ſolenniſſima confirmatione. *Pars* hæc *Hiſtoriæ Concilii Conſtantienſis* tantum non princeps atque *potiſſima.* Nervus enim hic totius Concilii, imo ſumma deſideriorum totius illius orbis. Ubi ergo, inquam, illa Reformatorii Collegii *decreta* atque vota *Nationalia?* In nullis ſane Codicibus impreſſis hæc videre hactenus contigit. Ut nobilis Actorum pars, à qua hiſtoriæ momentum haud poſtremum penderet, hactenus exulaverit.

Spondanus etiam hæc deſiderat. Quemadmodum multa inſignia rerum tunc geſtarum pondera temporis injuria perierunt.

Sed en, *divinâ* factum *providentiâ*, ut *IN GEMINO CODICE MSCto VINDOBONENSI*, hæc *Concilii Conſtantienſis monumenta præſtantiſſima*, cognitu digniſſima ac ſumme neceſſaria, aſſervarentur. *GERMANIÆ* hæc gloria eſt, *ſub cælo Germanico* aureas has Concilii partes atque reliquias eſſe conſervatas. Cæſareæ Majeſtatis, Chriſtianiſſimi pectoris, Auguſtiſſimi in orbe Chriſtiano Capitis,

Digitized by Google

tis, & armis & literis Invictiſſimi Herois, LEOPOLDI MAGNI, incomparabilis eſt gratia, Hiſtoriam Germanicam, hiſtoriam Concilii, hiſtoriam Majorum, & hac parte augeri nunc atque illuſtrari.

Sereniſſimi Brunſvicenſium Ducis, RUDOLPHI AUGUSTI, ſapientiſſimi Senis ſeptuagenario majoris, Principis literatiſſimi, qui in Germaniam illuſtrandam, in Imperium Romano-Germanicum ornandum, in gloriam majorum augendam, in ſalutem publicam roborandam, in æternum denique literarum decus conſervandum, celſiſſimo fertur animo, hæc eſt ſollicitudo atque cura Principe digna, ut & hæc *Hiſtoriæ Germanicæ momenta*, nobiliſſima hæc *Concilii Conſtantienſis monumenta*, cum ceteris decenter adornata, lucem videant publicam. Periiſſet *inæſtimabilis* hic *hiſtoriæ Germanicæ theſaurus* facile, vel ætatis lapſu, vel flammæ inſidiis, ni *Deus* caviſſet, *Germania* cuſtodiviſſet, *Imperator* dediſſet, *Brunſvicenſium Dux* adverſus interitum præmuniviſſet. *Divinam* itaque *providentiam* admiraberis, Optime lector, *Germaniæ* felicitatem prædicabis, *Cæſaris* manum clementisſimam adorabis, indefeſſum *Ducis* in publicam rem ſtudium coles.

Hoc age, erudite lector, his utere, *divinis*, *Cæſareis* atque *Ducalibus beneficiis*, *DEO*, *CÆSARI*, atque *DUCI* gratus.

Quod ſi & noſtri laboris non dememiniſſe velis, ſcias, ***tergemina*** nos offendiſſe in laudatisſimis *CODICIBUS MSCtis VINDOBONENSIBUS monumenta*, quæ ad laudatum *Conſtantienſis Concilii* ***Reformatorium*** pertineant. ***Primum*** refert ***articulos Reformationis***, in Reformatorio Concilii oblatos atq; ponderatos, ut & ***concluſiones*** factas. Et eſt inſtar ***Protocolli Conſtantienſis Reformatorii. Alterum*** eſt breve præcipuarum conſtitutionum ***compendium. Tertium*** exhibet plenum & nitidum ***Syſtema conſtitutionum Reformatoriarum Conſtantienſium, digeſtum juxta Codicis juris Canonici aut Decretalium quinq; librorum ordinem.*** Quæ res magnam autorum poſtulavit ingenii vim, ſolertiam, atque induſtriam. Ut verò publicæ rei & ***Hiſtoriæ Germanicæ*** illuſtrandæ fiat ſatis, tria hæc Reformatorii Conſtantienſis monumenta *hoc Tomo* exhibebimus.

Primum proinde *monumentum Reformatorii* ***Conſtantienſis*** hac Parte ſiſtimus. Quo de porro te ſcire convenit, Lector erudite, ***geminum exemplar*** & hujus opuſculi in *MSCtis Codicibus AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS* nosreperiſſe. Quorum primum in *Actorum Concili. Conſtantienſis Parte I.* alterum *Parte IV.* continetur. Non autem niſi ordine fere decretorum nonnulliſque formis diſcrepant. Quod tamen diſſimulari non oportere credidimus. Quapropter, ſicubi eſſet notabilis diſcrepantia, ſub finem paginæ, *notarum* inſtar, referre placuit. Quod lectori non ingratum fore confidimus.

Diſcrepantia hæc ***ex diverſis de eadem re conſultandi actibus*** orta. Unde ***geminum*** natum *Protocollum*, poſterius priore perfectius. Eſtque hoc præclarum fidei & integritatis teſtimonium, quod in diverſis

dice MSCto f. 121. clare ſatis annotatum his verbis: *Quæ inferius folio 3. in debita forma continentur.* Suntq; breviora illa, quæ nos Parte XI. dabimus.

Fatendum poſtremo, nonnullas temporis ac fatorum circumſtantias ſpeciales, poſt tot ſeculorum decurſum, oblivionis umbrâ tectas ac tantum non ſepultas eſſe. Unde vel conjectandi libertas, vel exilis ſpes qualiscunque definitionis hactenus nobis relicta. Utinam ante geminum ſeculum pleniora hujus memorabilis Concilii Oecumenici Acta congesſiſſent Viri eruditi, qui propius illam ætatem attingebant, quando in recenti hominum memoria pleraque hærebant, ac uberiora Manuſcripta reſtabant. Quid mirum, infandam hanc rerum profundisſime ſepultarum molem, quam ſera hac demum ætate effodere jusſi ſumus, non admittere ubique planam atque expeditam conjectandi aut definiendi aperteq; ſtatuendi viam? Mirabitur ſane, qui dubia & temporum & MSCtorum fata perpenderit, tam multa & tam præclara illius ævi pignora adhuc ſalva ad nos derivata.

Quæ etiam cauſa eſt, quare *Serenisſimus Princeps*, RUDOLPHUS AUGUSTUS, literarum æque ſcientiâ & inexplebili ſtudio, ac ſenili prudentiâ pellectus, arduum hoc & *Principe erudito atque magnanimo dignum conſilium* ceperit, de reconditis illis, diſperſis, abjectis, ignotis, perituris *hiſtoriæ Germanicæ monumentis antiquis* effodiendis, eruderandis atque reſuſcitandis. Viderat ſuis oculis, nec ſine dolore, *Dux optimus*, tot præclara antiquitatis monumenta diſcerpta, lacerata, inque cineres ſoluta. Quæ revocare nulla vis ingenii, nulla ſolertia, nulla ars poſſet. Cujus generis reliquias, Germanicæ præſertim hiſtoriæ, ſacræ & civilis rudera, chartarumque ſciſſarum lacinias, quoties intuetur, toties profecto ingemiſcit, ac infelicitatem vel temporum vel cuſtodum animo volvit. Celsisſimi itaque pectoris ſublimis genius, ac prudentiæ vis magna, *Ducem literatisſimum* movit, ut hanc hiſtoriæ patriæ partem, oblivione propemodum ſepultam, in Germaniæ gloriam, optimarumque literarum decus, ex tenebris eruere atque luci dare conſtitueret.

Magna quippe mentis acie *ſapientisſimus Heros* acute perſpexit, ni ponderoſis ejusmodi Germaniæ monumentis ſervandis, perpoliendis, atque publico conſpectui ſiſtendis, Principum mature accedat manus potentior, è manibus aliorum privatorum hominum omnium ſubito elapſuram molem reliquam. In tempore itaque ſuccurrendum eſſe ſtatuit *Dux ſagacisſimus*, ne cum MSCtorum antiquorum reliquiis ſpes recuperandi omnis plane tandem expiret. Quod igitur *primus* in hoc campo, in hoc Hiſtoriæ Germanicæ argumento prægrandi, & æque arduo atque difficili, ſit *occupatus magnus* hic *Princeps*, grata manu lætaque fronte admittet orbis eruditus hunc monumentorum, & antiquitate & magnarum rerum pondere inæſtimabilium apparatum. Tantoque lubentius alicubi feret vel con-

Digitized by Google

conjecturam noſtram in re abſtruſa atque deperdita, vel ſilentium, ſicubi nondum ad fundum ubiq; penetrarens, & immenſam circumſtantiarum omnium farraginem in remotis illis factis atque fatis haud plane detegamus & ſcrupuloſe explicemus.

Anſam ſibi à *grandævo Principe*, AUGUSTO BRUNSVICENSIUM DUCE, datam meminerit eruditus quisque, ad ſcrinia publica tabulasque occluſas, latentes, atque obrutas, quantocyus properandi, ſeſe in hæc ſepulcra profunde demittendi, inter oſſa majorum ſeſe totum abdendi, ea curate perluſtrandi, ſedulo convaſandi, atque cum illis in apertam lucem reſurgendi.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

aut Rubricarum Protocolli Reformatorii Conſtantienſis.

I. *DE Conciliis generalibus, & adverſus futura ſchismata.*

II. *Profeſſio Bonifacii VIII. Quæ hic ponitur, ut de cetero per aſſumendos in Pontifices ſummos fiat, additis illis, de quibus in ſequentibus conſtitutionibus, & quæ videbuntur addenda.*

III. *De gravibus & arduis per Papam non faciendis, niſi cum Cardinalium conſilio & conſenſu.*

IV. *Contra Simoniacos.*

V. *De numero & modo aſſumptionis Cardinalium: Et de qualitate aſſumendorum.*

VI. *Quod Papa etiam pro alio crimine quam hæreſi, ſi notorie ſcandalizet Eccleſiam, poſſit deponi.*

VII. *De Reformatione Curiæ & officialium ejus.*

IIX. *De ſpoliis prælatorum, de procurationibus, de fructibus medii temporis, per Papam nec inferiores Prælatos capiendis.*

IX. *Quod electiones & proviſiones de cetero non fiant per preces.*

X. *De non diſpenſando cum promotis ad Epiſcopatus vel Abbatiam, qui non teneantur promoveri ad ſacros ordines.*

XI. *De diſpenſatione ad incompatibilia.*

XII. *De pluralitate beneficiorum.*

XIII. *De præteritis diſpenſationibus quoad incompatibilia revocandis.*

XIV. *De reſidentia Epiſcoporum & ſuperiorum Prælatorum.*

XV. *De diſpenſatione ad Ordines.*

XVI. *De diſpenſatione ætatis Epiſcoporum, Abbatum, Curatorum & ordinatorum.*

XVII. *De litigantibus in Curia Romana.*

XIIX. *De decimis per Papam non imponendis.*

XIX. *De converſis ad fidem.*

XX. *De exemptionibus religioſis conceſſis.*

XXI. *De privilegiis inferiorum, ipſis conceſſis.*

XXII. *De ignorantibus idioma.*

XXIII. *De unionibus.*

XXIV. *De beneficiatis, citra Epiſcopos & Abbates, non reſidentibus.*

XXV. *De taxis Eccleſiarum reducendis ad debitum modum.*

Digitized by Google

XXVI. *Contra Simoniacos.*

XXVII. *De oneribus ſeu ſolutionibus pecuniarum, quas habeant ſubire, qui recipiuntur ad Canonicatum vel præbendam in Eccleſiis Cathedralibus vel aliis Collegiatis: Et ſpecialiter de Statutis vel juramentis, propter quæ recipiendi ſtant per multos annos, ut nihil percipiant: Et de litera* Vidimus.

XXIIX. *De tempore profeſſionis fiendæ.*

XXIX. *De Conciliis Provincialibus & Synodis Epiſcoporum.*

XXX. *De caſibus reſervatis ſedi Apoſtolicæ.*

XXXI. *De vicariis perpetuis in Eccleſiis inſtituendis.*

XXXII. *Quod Pontifices ordines, conſecrationes, & alia pontificalia, per ſe vel ſubſtitutos, gratis, ſine quacunque exactione pecuniarum celebrare teneantur, & quod non diſpenſent cum ordinatis per Simoniam.*

XXXIII. *Contra Concubinarios.*

XXXIV. *De veſtibus Clericorum.*

XXXV. *De promotionibus ad beneficia Eccleſiaſtica, quod graduati promovendi.*

XXXVI. *De peſſima conſuetudine cathedralium & regularium Eccleſiarum, quod in eis non admittantur, niſi de nobilium aut militarium genere procreati.*

XXXVII. *De fructibus indebite perceptis per prælatos.*

XXXIIX. *De iniquis ſtatutis Eccleſiarum & Monaſteriorum.*

XXXIX. *De exactionibus per principes impoſitis clericis.*

XL. *Quod revocetur Auditor Cameræ, qui eſt in Avinione. &c.*

XLI. *Contra Prælatos, qui non incedunt in habitu & tonſura decenti.*

XLII. *Quod Prælati habeant vicarios non idiotas ſed bene literatos.*

XLIII. *De juramentis capitulorum, præjudicantibus Eccleſiis.*

XLIV. *Quod Prælatus contra Prælatum non poſſit propria autoritate indicere bellum.*

REFOR-

Digitized by Google

REFORMATORII
in Concilio Conſtantienſi
DE
ECCLESIÆ REFORMATIONE
STATUTA GENERALIA,
ſive
Geminum Protocollum.
Ex antiquiſſimis Codicibus MSCtis
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.

CAPUT I.
De Conciliis generalibus, & adverſus futura ſchiſmata (*a*)

Damna ex neglectu Conciliorũ generaliũ.

QUoniam ex omiſſione generalium conciliorum errores & ſchiſmata, impreſſiones & ſcandala, in Eccleſia Dei damnabiliter hactenus ſucreverunt: Volentes futuris obviare periculis, hoc perpetuo (*b*) decreto ſtatuimus: Ut deinceps, ſaltem *de decennio in decennium, generalia concilia*, exceptis duobus primis futuris conciliis, quorum *primum* à *fine hujus concilii uſque ad quinquennium*, ſecundum vero à fine ſequentis concilii usq; ad ſeptennium, & deinceps de decennio in decennium, celebrentur, in locis, quæ ſummus *Pontifex* in fine cujuslibet Concilii, *approbante & conſentiente concilio*, vel, in ejus defectu, *ipſum concilium deputare* & aſſignare teneatur.

Singulis decenniis Conciliũ Generale celebrandum.

Pontifex novũ indicat Concilium approbante priore Cõcilio.

Ut ſic *per quandam continuationem ſemper* aut *concilium vigeat*, aut per termini pendentiam *expectetur.*

Perpetuũ fere concilium.

Quem *terminum* liceat ſummo Pontifici, de fratrum ſuorum conſilio, ob emergentes forte caſus, *breviare*: Sed nullatenus liceat *prorogare*. *Locum* autem deputatum *non mutet*, niſi forte ex evidenti neceſſitate, & de fratrum prædictorum, aut duarum partium conſenſu atque ſubſcriptione.

Anticipare terminum Concilii Pontifex poteſt, non differre.

Quam *mutationem* vel *abbreviationem* per annum ante præfixum terminum *publicare* & intimare teneatur.

Si vero, quod abſit, *novum ſchiſma* oriri contigerit, ita, quod duo vel plures pro ſummis Pontificibus ex quacunque cauſa ſe gerant, à die, quo ipſi duo vel plures inſignia pontificatus publice aſſumſerint, ſeu adminiſtrare cœperint, intelligatur ipſo jure *terminus concilii*, tunc forte ultra annum pendens, ad annum proximum *breviatus.*

Ob ſchiſma Pontificum termin' Concilii anticipandus.

Ad quod omnes prælati, & cæteri, qui ad concilium ire tenentur, ſub pœnis juris, & aliis per concilium imponendis, absque alia vocatione conveniant.

Nec non *Imperator*, cæterique *Reges* & *Principes*, vel perſonaliter vel per ſolennes nuncios, tanquam ad commune incendium extinguendum, per viſcera miſeri-

Imperator, Reges ac Principes Concilio interſint, ſi Pon-

(*a*) Hic titulus in *utroq; MSCto Vindobonenſi* comparet. In poſteriori tamen additur: *Aviſamenta, per XXXV. Cardinales, Prælatos & Doctores, in loco Reformatorii Conſtantienſis.* Quæ inſcriptio totius potius hujus libri aut Protocolli. Eadem quippe & primi Protocolli frons: *Aviſamenta Reformatorum Concilii Conſtantienſis.*

(*b*) In altero Codice MSCto legebatur *perfecto decreto*, lapſu ſane calami ſcriptoris.

Digitized by Google

tifices diſſideant.

miſericordiæ JEſu Chriſti ex nunc exorati, concurrant.

Diſſidentes Pontifices Concilium mature ipſi indicant.

Et *quilibet* ipſorum *pro Romano Pontifice ſe gerentium*, infra menſem à die, qua ſcientiam habere potuit, alium vel alios aſſumſiſſe papatus inſignia, vel in papatu adminiſtraſſe, *teneatur* ſub interminatione maledictionis æternæ, & amiſſione juris, ſi quod forte quæſivit in papatu, quam ipſo facto incurrat, & ultra hoc ad quaslibet dignitates active & paſſive ſit inhabilis, *concilium* ipſum ad terminum anni prædictum *indicere* & publicare; ac per ſuas literas competitori vel competitoribus, ipſum vel ipſos provocando ad cauſam, & cæteris prælatis & principibus, quantum in eo fuerit, intimare; nec non termino præfixo ad locum concilii perſonaliter ſe transferre; nec inde diſcedere, donec per concilium cauſa ſchiſmatis plenarie ſit finita.

Ad Concilium ipſi veniant.

A papatu interea abſtineant.

Qui, ſic electi, ſeu papatum tenentes, a die prædicta *in papatu nullatenus adminiſtrent. Nec interim eisdem* à fidelibus, niſi quoad conveniendum ad concilium, ſub interminatione divini judicii, quomodolibet *obediatur*.

Electio Papæ per vim metumque, irrita.

Quod ſi forte electionem Romani Pontificis *per metum* ſeu *impreſſionem* fieri contingat, ipſam *nullius* decernimus *efficacia* vel momenti, nec poſſe per conſequentem conſenſum etiam metu ceſſante ratificari vel approbari.

In Pontificum ſchiſmate Concilium generale rē componat.

Non tamen liceat Cardinalibus (c) ad aliam electionem procedere, niſi ille ſic electus forte renunciet, vel decedat, donec *per generale concilium de electione illa fuerit judicatum*.

In ſchiſmate novum Papam eligere prohibentur Cadinales.

Et ſi procedant, nulla ſit electio ipſo jure. Sintque ſic *eligentes* & *electus*, ſi ſe papatui ingeſſerint, omni *dignitate*, honore, & ſtatu, etiam papali, Cardinalatus & pontificali, ipſo jure *privati*, & inhabiles de cætero ad eaſdem.

Cardinalium Collegiū denunciet electionis vitium.

Sed liceat, imò & teneatur collegium totum, aut ſaltem major pars ipſorum, (Nam paucioribus in hoc caſu audientiam ad evitandum ſcandalum denegari,) *quam cito* ſine periculo perſonarum poterunt, etiamſi periculum omnium bonorum immineat, *retrahere ſe ad locum tutum*, & *metum* prædictum *allegare*. Nec ultra proximum futurum concilium ullo modo poſſint differre.

Præcipiti electione factus Papa ad Conciliū vocandus.

Teneantur inſuper, poſtquam ſe retraxerint, & metum allegarint, modo prædicto, *provocare* ſic *electum ad concilium*. Quod ſi ultra annum pendeat, a die provocationis hujusmodi, intelligatur ad annum, ut ſupra, ipſo jure terminus breviatus.

Novo ille Papa cum Cardinalibus ad Conciliū confluant.

Et nihilominus teneatur *electus ipſe*, ſub pœnis prædictis, *& Cardinales provocantes*, ſub pœna amiſſionis Cardinalatus & omnium beneficiorum ſuorum, quam ipſo facto incurrant, infra menſem à die provocationis, *concilium* ipſum, ut ſupra dicitur, *indicere*, publicare, & quam citius poterunt, intimare, & *ad locum concilii* tempore conveniente perſonaliter *ſe transferre*, & usque ad finem cauſæ expectare.

Teneantur quoque Prælati & cæteri, ut ſupra, *ad convocationem Cardinalium tantum, ſi forte electus convocare ceſſaret*, accedere.

Qui ſic electus, poſt provocationem prædictam, niſi in convocando concilium, ut præfertur, adminiſtrare in papatu non valeat. Nec ſibi a Chriſti fidelibus, ſub interminatione divini judicii, interim, niſi quoad conveniendum ad concilium, quomodolibet obediatur.

Quod ſi infra annum, ante diem indicti concilii contingant ſupradicti *caſus*, vel, quod *plures ſe gerant pro papa*, vel quod *unus per metum eligatur*, cenſeantur ipſo jure, tam gerentes ſe pro Papa, quam electus per metum, & Cardinales, ad dictum concilium provocati. Teneanturque in ipſo concilio comparere perſonaliter, cauſam exponere, & *judicium concilii expectare*.

Caſus de loco Concilii mutandi.

Sed ſi dictis caſibus contingentibus contingat forte *caſus* aliquis, quo *neceſſarium* ſit, *locum concilii mutare*, ut obſidionis vel guerræ aut peſtis, aut ſimilis:

Tenean-

(c) In priore *Codice MSCto Vindobonenſi* hæc inſeruntur: *ſub pœna amiſſionis Cardinalatus & omnium beneficiorum, quam ipſo facto incurrant.*

Digitized by Google

De jure novum Concilii locum definiendi.

Teneantur nihilominus tam omnes ſupra dicti, quam omnes Prælati, cæterique, qui ad concilium ire tenentur, *ad locum proximiorem*, qui ſit habilis ad concilium, *convenire*: Poſſitque *major pars prælatorum*, qui infra menſem ad locum certum declinaverint, illum ſibi & aliis *pro loco concilii deputare*, ad quem cæteri convenire teneantur, acſi a principio fuiſſet deputatus.

Conciliũ litem Paparum dirimat cauſamq; definiat.

Concilium præfractos in lite Papali puniat.

Concilium autem, ut præfertur, convocatum & congregatum, *de* hujusmodi *ſchiſmatis cauſa cognoſcens*, & in contumaciam electorum, ſeu gerentium ſe pro Papa, ſeu Cardinalium, ſi forte venire neglexerint, *litem dirimat, cauſamque definiat*; ac *culpabiles* in ſchiſmate procurando ſeu nutriendo, vel in adminiſtrando, aut obediendo, vel adminiſtrantibus favendo, ſeu contra interdictum ſuperius eligendo, vel calumnioſos in allegando metum, etiam ultra prædictas pœnas, cujuscunque gradus, ſtatus ſeu præeminentiæ exiſtant, Eccleſiaſticæ vel mundanæ, ſic *puniat, ut vindicta rigor tranſeat cæteris in exemplum*.

Hac conſtitutio in fine cujusqueConcilii publicanda.

Adjicientes, quod *in fine cujuslibet concilii generalis hoc decretum ſolenniter legatur & innovetur*.

Caput II.

Profeſſio Bonifacii IIX. *Quæ hic ponitur, ut de cætero per aſſumendos in Pontifices ſummos fiat; Additis illis, de quibus in ſequentibus conſtitutionibus, & quæ videbuntur addenda.*

Formula juramenti novi Pontificis, quã nominibꝰ mutatis præſtitit mox in Concilio Martino V. cũ additionibꝰ Concilii, A. 1417. d. 18. Dec.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Anno Dominicæ incarnationis, M CC XIV Indictione octava. Ego Benedictus Cagetanus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus, Cardinalis, & electus, ut fiam per Dei gratiam hujus ſanctæ Apoſtolicæ ſedis humilis miniſter, *profiteor tibi, Sancte Petre*, Apoſtolicorum Princeps, cui claves regni cœleſtis, ad ligandum atque ſolvendum in cœlo & in terra, Creator atque Redemtor omnium JEſus Chriſtus tradidit, inquiens: Quæcunque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis, *ſanctaque Eccleſia tua*, quam hodie tuo præſidio regendam ſuſcipio, quod, quamdiu in hac miſera vita conſtitutus fuero, ipſam non deſeram, non derelinquam, non abnegabo, nec abdicabo aliquatenus; neque ex quacunque cauſa, & cujuscunqte metus vel periculi occaſione dimittam, vel me ſegregabo ab ipſa; Sed *veræ fidei rectitudinem, quam*

Pontifex veram fi-

de à majoribꝰ acceptam vult tueri.

Chriſto autore tradente, per te, & beatiſſimum Coapoſtolum tuum Paulum, perque diſcipulos & ſucceſſores veſtros usque ad exiguitatem meam perlatam, *in* tua ſancta *Eccleſia reperi*, totis conatibus meis usque ad animam & ſanguinem cuſtodire: Tum *de ſancta & individuæ Trinitatis myſterio*, quæ unus eſt DEUS, quæque *per diſpenſationem, quæ ſecundum carnem* facta eſt, *unigeniti filii*, Domini noſtri Jeſu Chriſti, *& de cæteris Eccleſiæ Dei dogmatibus*, ſicut in univerſalibus conciliis & conſtitutionibus Apoſtolicorum Pontificum, probatiſſimorumque Eccleſiæ Doctorum ſcriptis ſunt commendata; Id eſt, quæcunque ad rectitudinem veræ noſtræque orthodoxæ fidei a te traditione accepi, ut conſervarem: Sancta quoque *octo univerſalia concilia*, id eſt, Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum primum, Chalcedonenſe quartum quoque & ſextum, item Conſtantinopolitanum & ſeptimum, item Nicenum octavum quoque, item Coſtantinopolitanum,

Servare doctrinã de Trinitate, Incarnatione, Aliosq; fidei articulos.

Concilia œcumenica Papa vult venerari.

(*d*) Reperitur in priore *Codice MSCto Vindobonenſi* in ſuprema ora paginæ, in qua hoc caput ſcriptum, hæc epigraphe: *Incipit materia Reformationis cleri, concepta in Concilio Conſtantienſi.*

Digitized by Google

tanum, usque ad unum apicem immutilata, ſervare & pari honore & reverentia digna habere: Et quæ prædicaverunt & ſtatuerunt, omnimode ſequi & prædicare, quæque condemnaverunt, condemnare ore & corde: Diligentius autem & vivacius, quamdiu vixero, omnia *decreta canonica prædeceſſorum* Apoſtolicorum noſtrorum Pontificum, quæcunque vel ſynodaliter ſtatuerunt, & probata ſunt, confirmare, & indiminuta ſervare, & ſicut ab eis ſtatuta ſunt in ſui vigoris ſtabilitate cuſtodire, quæque vel quosque condemnaverunt vel abdicaverunt, ſimili ſententia condemnare vel abdicare; *Diſciplinam* & ritum *Eccleſiæ* ſicut inveni, & à ſanctis prædeceſſoribus meis canonice traditum reperi, quamdiu mihi vita comes fuerit, illibata cuſtodire: Et indiminutas *res Eccleſiæ* conſervare, neque alienare, ſeu in feudum aut cenſum vel emphyteoſin dare quomodolibet, ex quacunque cauſa, ut indiminute cuſtodiantur operam dare: Nihil de traditione, quam a probatiſſimis prædeceſſoribus meis traditam & ſervatam reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere: Sed ferventer, ut eorum vere diſcipulus & ſequipeda, totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonice comperi, obſervare ac venerari: Si qua vero emerſerint contra canonicam diſciplinam, filiorum meorum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ *Cardinalium*, (cum quorum conſilio & conſenſu, directione & rememoratione miniſterium meum geram, & peragam,) *conſilio emendare*, aut patienter, excepta fidei aut Chriſtianæ religionis gravi offenſione, tua & beatiſſimi coapoſtoli tui Pauli patrocinante interceſſione, tolerare, ſacroſque canones & canonica inſtituta Pontificum, ut divina & cœleſtia (*d*) mandata, Deo auxiliante cuſtodire: Utpote *Deo* & tibi ſciens *me redditurum de omnibus*, quæ profiteor, & quamdiu vixero, egero, vel omiſero, diſtrictam in divino judicio *rationem*: Cujus ſanctiſſimæ ſedi, divina dignatione, te patrocinante, præſideo, & vicem interceſſionibus tuis adimpleo. Eris autem mihi in illa terribili die propitius hoc conanti & diligenter ſervare curanti. Adjutorium quoque ut præbeas obſecro, in hac corruptibili vita conſtituto. Ut irreprehenſibilis appaream ante conſpectum judicis omnium, Domini noſtri JESU Chriſti, dum terribiliter de commiſſis advenerit judicare, ut facias me dextræ partis participem, & inter fideles diſcipulos ac ſucceſſores tuos eſſe conſortem. Hanc autem *profeſſionem* meam, per notarium & Secretarium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ me jubente ſcriptam, propria manu *ſubſcripſi*, & tibi, beate Petre, & Apoſtolorum omnium Princeps, pura mente & devota *conſcientia* ſuper ſanctum corpus & altare tuum ſinceriter offero. Actum Romæ, menſe, anno & indictione, quibus ſupra, præſentibus &c.

Decreta majorum obſervare debet Papa.

Diſciplinam Eccleſiaſticā tueri.

Eccleſiaſtica bona conſervare.

Cardinalium conſilium in emendatione audire.

Papa de omnibus Deo reddet rationem.

CAPUT III.

De gravibus & arduis per Papam non faciendis, niſi modo infra ſcripto, ut ſequitur.

CUm *antiqui & laudabilis moris* fuerit, ut *majores Eccleſiæ cauſæ* per ſummum Pontificem *ſine Cardinalium* Sanctæ Romanæ Eccleſiæ *conſilio & aſſenſu diſponi non deberent*: Unde etiam cœtus Cardinalium in hac quaſi poſſeſſione eſſe dignoſcitur, quod eorum conſilio ſint per Romanos Pontifices ardua negotia pertractanda & terminanda: Ad quod etiam indicandum vetuſti moris fuit, *aſſenſum* ipſum *ſubſcriptionibus declarare*: Ideo præſenti decreto, *morem ipſum laudabilem renovantes*, ſtatuimus: Ut Romanus Pontifex *ſine conſenſu* & ſubſcriptione ſaltem majoris partis *Cardinalium* collegialiter facta,

Sine Cardinalium conſenſu nihil magni Papa unquam agere debuit.

Conſenſus Cardinalium in arduis Papæ negotiis ſubſcriptione deſignandus.

(*d*) In uno *Codice MSCto Vindobonenſi* legitur *Eccleſiaſtica*, in altero, *cœleſtia*.

Digitized by Google

Res fidei ſolus Papa non decernat.

facta, infra ſcripta de cetero *non diſponat*: Ut, *cauſarum fidei deciſiones*, ſanctorum *canoniſationes*, anni *Jubilai* reductionem ſeu de novo *indictionem*, erectiones, exterminationes ſeu ſuppreſſiones, diviſiones, ſubjectiones, uniones Eccleſiarum cathedralium, & monaſteriorum, promotiones Cardinalium, privationes, translationes invitorum Patriarcharum, Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum & Abbatum, ſalvo jure conſtitutionum ſuorum ordinum, privilegiorum perpetuorum & realium novas conceſſiones, exemtionum hactenus per Romanos Pontifices Eccleſiis, monaſteriis, collegiis, & aliis locis conceſſarum revocationes: (Exemtiones etiam novas & perpetuas Eccleſiis, monaſteriis ſeu capitulis usque ad proximum futurum concilium non concedat ſine cauſæ cognitione, & vocatis ordinariis. Quod tamen locum non habeat in Eccleſiis, monaſteriis ſeu capitulis de novo ædificandis ſeu conſtituendis, quæ poſſit eximere.) (*e*) Exemtiones ante præſens ſchiſma factas, alienationes bonorum, immobilium vel mobilium, pretioſorum, Ro. Eccleſiæ, vel aliarum Eccleſiarum, & aliorum locorum Eccleſiaſticorum, & piorum, privilegia perpetua, immunitates cenſuum, & quorumcunque jurium, & proventuum perpetuarum remiſſiones ſeu dilationes, vicariatus, & rectoratus terrarum Eccleſiæ Romanæ, conſtitutiones, fœdera pacis, bella, legationes de latere, ſeu vicariorum & nunciorum, autoritate legatorum de latere fungentium, deputationes, & quæcunque ardua, ſeu pertinentia ad ſtatum univerſalis Eccleſiæ: Decernentes, ut geſta præter vel contra formam præmiſſam ſint nulla ipſo jure, nec eis à catholicis in aliquo pareatur.

Vel fiat *prædicta conſtitutio* per modum *additionis ad profeſſionem Bonifacii VIII.* ſupra proxime poſitam, mutatis verbis *in primam perſonam*. Et hoc forte eſſet honeſtius, quam per conſtitutionem.

Additamenta profeſſionis aut juramenti Papalis.

Et poſſet *addi ad profeſſionem* etiam quod ſequitur, videlicet: Rectores ad regendum provincias vel civitates Eccleſiæ Romanæ, niſi Cardinales aut prælatos, non mittam: Vicariatum alicujus terræ Eccleſiæ, niſi ad triennium non concedam: Et ad cuſtodiendum caſtra vel Rockas [*arces*] Eccleſiæ Romanæ non mittam aliquem conſanguineum, vel affinem, nec aliquos alios ultra triennium duraturos.

Ad idem.

Diſcretio mater omnium virtutũ. Conſenſus Cardinalium Pontifici neceſſarius. Concilii conſenſus in majoribus rebus requiritur.

Quia decet Romanum Pontificem miniſterium ſuum cum *diſcretione, qua mater eſt omnium virtutum*, peragere, fratrumque ſuorum *Cardinalium* in magnis, & *Concilii generalis*, in majoribus, *conſilio & conſenſu* uti: Intendens *ſacroſancta generalis Conſtantienſis Synodus* Romanæ & aliarum Eccleſiarum, monaſteriorum & aliorum locorum piorum futuris diſpendiis, conſideratione præteritorum, Eccleſiam Dei ſcandalizantium, obviare, *ſtatuit*, *definit*, & *ordinat*: Quod deinceps ipſe Romanus Pontifex ſine *conſilio & aſſenſu generalis concilii* res, jura, reditus, poſſeſſiones, caſtra, civitates, villas, oppida, cenſus, penſiones, canones, ſeu alia bona quæcunque, immobilia vel mobilia, pretioſa, Romanæ & aliarum Eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum locorum Eccleſiaſticorum prædictorum, in perpetuum, ſeu ad tempus magnum, quod intelligitur decem annorum, contra juris formam non alienet, nec impignoret, ſeu de novo infeudet, & in emphytheoſin vel affictam aſſignet, nec penſiones, cenſus aut canones Eccleſiarum, monaſteriorum & locorum prædictorum remittat, aut ad ſolutionem eorum terminum ultra biennium pro-

Res à Papa non facienda ſine conſenſu Concilii univerſalis.

(*e*) In *priori Protocollo* MSCto Vindobonenſi non leguntur hæc, à voce *exemptiones*, usque ad, *dilationes*. In altero illo habentur inſerta.

litas negligentiæ id expoſcat: *Laici* autem, qui in hujusmodi culpabiles fuerint, excomunicationem incurrant ipſo jure.

CAPUT V.

De numero & modo aſſumtionis Cardinalium: Et de qualitate aſſumendorum.

Cardinales non ſint plures quā XVIII.

QUia plerumque *multitudo ſuperflua confuſionem inducere conſuevit*, ſtatuimus: Ut deinceps *numerus Cardinalium* ſanctæ Romanæ Eccleſiæ *decem & octo* non excedat.

Cardinales ſint viri docti & prudentes.

Sint autem viri in *ſcientia, moribus*, & *rerum experientia* excellentes, qui non minores ſint *triginta annis*, *Doctores* in Theologia, (*i*) ſaltem quatuor, reliqui in jure canonico, vel civili, præter admodum paucos, qui forte de ſtirpe regia vel ducali aut magni Principis oriundi exiſtant, non (k) affines ſeu attinentes alicujus Cardinalis viventis usque ad quartum gradum incluſive, nec de eadem ſtirpe, familia, domo, vel agnatione, nec de uno ordine religionis ultra unum, non illegitime nati, non corpore vitiati, non alicujus criminis aut infamiæ nota aſperſi.

Characteres legitimorū Cardinalium ex ſententia Conc. Conſt.

Electio Cardinalium qualis eſſe debeat.

Nec fiat eorum *electio* per auricularia vota ſolummodo. Sed illi ſolum eligi & aſſumi poſſint, in quos, *facto vero ſcrutinio ac publicato*; majorem partem Cardinalium *per ſubſcriptionem manus* propriæ conſtiterit collegialiter conſenſiſſe. Et apoſtolicæ literæ conficiantur exinde.

Qui etiam *modus ſcrutinii* & ſubſcriptionis obſervetur, quando aliquis ex Cardinalibus, vel alius, in *Epiſcopum Cardinalem* aſſumetur.

Et aliter celebrata *Cardinalium aſſumtio* ipſo jure non ſubſiſtat.

CAPUT VI.

Quod Papa etiam pro alio crimine, quam hæreſi, ſi notorie ſcandalizat Eccleſiam, poſſit deponi.

Sancta vita ſummum Pontificis decens.

ROmanus Pontifex quanto cæteris Eccleſiæ rectoribus præſidere, tanto debet *ſanctiore vita & clariori fama* fulgere. Si enim, qui ſingulis plebibus *ſuperintendunt*, tales eſſe debent, ut eorum exiſtimatione populus grex dicatur, qualem ſe exhibere debet, qui non uni populo, ſed univerſis, nec ſolum populis, ſed ipſis paſtoribus paſtor eſt poſitus? Dicente Domino Petro: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

Papa ſanctiſſimus ex officio.

Exhibeat ſe ergo *præſul* ille, qui jam *ſanctiſſimus ex officio* nominatur, ſicut *nomine*, ita *re ſanctum*.

Pontifex exemplū omnibus eſto.

Conſideret, quam difficile ſit tenere ſedem Petri: cum non ſolum *populis* ſed *prælatis* ſit poſitus in *exemplum*.

Doceat magiſtros.

Illuminet Eccleſiæ lumina.

Docere debet non ſolum diſcipulos, ſed etiam *magiſtros*. Elevet lumen ſuum in excelſo, qui *lumina cætera debet illuſtrare*. Sit ſol in mundo, qui in Eccleſia populos ut tenebras, prælatos ut ſtellas purgare debet, illuminare atque perficere.

Mente ſit mundiſſima.

Teneat *mentem* ſuam *mundiſſimam*, ſemperque Chriſto conjunctam in cœleſtibus, cujus vicariatus officio fungitur in terris.

Papa corruptus ſeverius puniendus.

Si autem, quod abſit, *vita & moribus* ſit *perverſus*, ſi oblitus dignitatis ſuæ, & relictis cœleſtibus *converſus ad terrena*, damna-

(*i*) In poſteriori hoc Protocollo, *MSCto Vindobon.* quæ inſerta habentur verba, *ſaltem quatuor, reliqui*, in priori non comparent.

(*k*) In priori Protocollo *MSCto* erat, *conſangvinei.*

Digitized by Google

damnabilibus & capitalibus criminibus ſe immiſceat: Conſideret, quod lucifer, quanto cæteris angelis clarior & perfectior eſt creatus, tanto ex perverſitate ſua *ſeverius* & irreparabilius eſt *punitus.*

Non in ultimum judicium omnia differuntur à Deo. Eccleſia per concilia generalia agit.

Nec confidat, ſolum divino ac *ultimo judicio* reſervari. Quod tamen quanto certius atque ſeverius, tanto debet humilius, trepidantiusque formidari. Quia & *per Eccleſiam*, quæ corpus eſt Chriſti, *Deus judicia ſua* etiam in hoc mundo *exercet*, & *concilia generalia univerſalem Eccleſiam repræſentant.*

Unde ſuper præmiſſis ſalubriter providere cupientes, *hoc decreto perpetuo declaramus* ac definimus: Quod ſummus Pontifex non ſolum de *hæreſi*, ſed & de *ſimonia*, & quocunque *alio crimine*, Eccleſiam Dei notorie ſcandalizante, de quo ſolenniter monitus, ſaltem per annum poſt monitionem incorrigibilis appareat, poſſit *per generale concilium puniri*, etiam *per depoſitionem à papatu.*

Pontificē Simoniacum vel alio crimine notatū per Conciliū generale eſſe plectendum. Admonendum prius Papā eſſe per Cardinales aut Concilia provincialia.

Monitione vero non qualibet, ſed per duas partes Cardinalium collegialiter, ſive per tria (*l*) concilia provincialia diverſarum trium nationum, ſub diverſis tribus Regibus exiſtentium, moneatur. (*m*) Teneanturque ſic monentes *monitionem* ſuam infra menſem *ſolenniter publicare.*

Caput VII.

De Reformatione curiæ & Officialium ejus, Rubrica.

De literis Papalibus expediendis.

Litera *Apoſtolica* tam *de gratia*, quam *de juſtitia*, expediantur per cancellariam. Nec eis adhibeatur fides in judicio vel extra, niſi *in cancellaria* ſint expeditæ. Quod appareat per *ſigna conſueta.* Exceptis duntaxat concernentibus negotia cameræ Apoſtolicæ, ut conſuetum eſt. Quæ tamen judicentur in eadem camera, & ſigna habeant conſueta.

De bullis Papalibꝰ.

Item quod in *bullis*, ubi dicitur, *de conſilio fratrum* &c. debeat eſſe *ſubſcriptio* ſaltem *trium priorum collegii*, ad probandum conſilium.

De Protonotariis curiæ Ro.

Protonotarii de cætero aſſumantur de conſenſu majoris partis Cardinalium. Et ſint *Magiſtri* in ſacra pagina, vel *doctores* in jure, aut *illuſtres*, & *in ſacris ordinibus* conſtituti, & non ultra *ſeptem*, ſicut antiquitus conſueverunt.

De Auditoribꝰ Cameræ Ro.

Auditores etiam aſſumantur de conſilio (*n*) majoris partis Cardinalium; (*o*) Et qui per (*p*) biennium in aliquo ſtudio generali, vel in curia per annum, poſt doctoratum *legerunt.* Qui habeant (*q*) *ſtipendia de camera* vel de be-

(*l*) In priori Protocollo, *MSC. Vindobon*, poſitum: *per tria diverſa Concilia diverſarum trium Nationum.*

(*m*) In priori Protocollo inſerta hæc: *Monitio canonica ac ſufficiens intelligatur.*

(*n*) In Priore Protocollo: *conſenſu.* Additurque expreſſe *in margine* prioris illius Protocolli, quod conſtitutionis formula prior paulum ſit mutanda. Qui modus præſcribitur hoc ſuffragio: *Placet. Cum hic vero dicitur*, de conſenſu, *dicatur*, de conſilio.

(*o*) In priore Protocollo hæc erant inſerta verba: *Et ſint Magiſtri in ſacra pagina*, quæ hic expuncta.

(*p*) In priori conſtitutione erat *triennium.* Verùm ſuffragiis effectum in Reformatorio, ut ſubſtitueretur in hac reſormata Conſtitutione, juxta tenorem novi Protocolli, *biennium.* Marginalis nota in priori Protocollo ſic continuatur ad præſentem conſtitutionem: *Et loco triennii ponatur biennium, vel annus in curia. Et quod examinentur etiam cum aſſumuntur.*

(*q*) Neque de hoc ſtipendio in priori conſtitutione quicquam. Aſt ſuffragia, in margine prioris Protocolli poſita, addere juſſerunt, his verbis: *Et quod habeant ſtipendia de camera vel de beneficio, conjunctim vel diviſim, florenos CCC.*

Digitized by Google

de beneficiis, conjunctim vel diviſim, florenos CCC. Et quod morentur ad liberatam Papæ, (r) non in domibus Cardinalium. Nec ſint ultra *ſedecim*, nec pauciores duodecim. Et jurent, non recipere poſt ſententias eſculenta & potulenta ultra valorem trium florenorum. (ſ) Nec ſtent cum Cardinalibus. (t) Unde & ſint de diverſis provinciis, & in ſacris ordinibus conſtituti.

De Scriptoribus literarum Papalium.

Scriptores literarum Apoſtolicarum & *pœnitentiariæ* aſſumantur cum diligenti *examine*, & non niſi prius facta reductione ad numerum conſuetum. (u) Et quod *non* ſint *conjugati*. Et non locent, ſed per ſe exerceant, ceſſante infirmitate. Et non habeant duplex officium ſcriptoriæ. Et quod hujusmodi officium non vendatur, non donetur, nec permutetur, niſi pro ſimili officio.

De Abbreviatoribus.

Abbreviatores etiam aſſumantur cum *examine*, & non ultra numerum *viginti quinque*. Et (x) *Auditor, ſigillator ac Regiſtrator, ſcriptores & procuratores pœnitentiariæ* ſint *ſacerdotes*, cum ſecreta delicta debeant audire.

De Pœnitentiariæ miniſtris.

Clerici cameræ non ſint ultra *ſex*, & *Doctores & Licentiati* in jure. (y) Et de diverſis Nationibus.

Clerici Cameræ ſint Juris Conſulti.

Correctòr literarum Apoſtolicarum ſit *unicus*, & *Doctor* (z) famoſus & excellens, qui ad minus legerit per tres annos in ſtudio generali, & bene expertus in in cancellaria.

Auditor contradictariarum ſit etiam *unicus*, & excellens *Doctor*, & aſſumatur de rota

(r) Neque de his in priori Deliberatione. *Vota* autem ulteriora huc reſpexerunt, in margine prioris Protocolli: *Et non quod ſtent cum Cardinalibus in domo.*

(ſ) Hæc quidem etiam in priori formula non habentur; deſumpta tamen apparent ex ſuffragiis adjectis, jamque notatis.

(t) Et hæc à priori Conſtitutione aberant: Per ſuffragia vero ſunt poſtea addita, uti in margine prioris Protocolli monetur: *Et quod ſint de diverſis provinciis, & in ſacris ordinibus conſtituti.* Sic tota prior conſtitutio, quæ in priore Protocollo, MSCti Vindob. habetur, hæc fuerat: *Auditores etiam aſſumantur de conſenſu majoris partis Cardinalium, & ſint Magiſtri in ſacra pagina, & qui per triennium poſt doctoratum legerint in aliquo ſtudio generali: Et quidem morentur ad liberatam Papa, nec ſint ultra ſedecim, nec pauciores duodecim. Et jurent non accipere poſt ſententias eſculenta & potulenta ultra valorem trium florenorum.*

(u) In priore Conſtitutione ſequentia illa omnia non extiterunt: Sed pro illis hæc lecta ſunt verba, uti in priore Protocollo exhibentur: *Qui erat centum & unus quoad groſſam, & viginti natuor quoad pœnitentiariam.* Verum ſecuta uberiora ſuffragia mutationem pararunt. Habentur illa ſuffragia in marginè prioris laudati Protocolli, his verbis: *Placet ille numerus uterque, quod ſint centum quoad groſſam, & 24. quoad pœnitentiariam. Nec poſſint vendi. Nec ſint conjugati. Nec ſcribant per alium, niſi cauſa neceſſitatis vel infirmitatis. Qua neceſſitas declaretur per ViceCancellarium, vel Pœnitentiarium. Et quod unus ſcriptor duo officia non habeat.*

(x) Neq; hæc prima tria officiorum nomina in priori deliberatione aut Protocollo comparent: Per *vota* autem, priori Protocollo attexta, acceſſere. Quæ ſuffragia ſunt: *Et addatur: Item de Auditore, ſigillatore & Regiſtratore.* Hinc adeo renovata conſtitutio eſt locupletata:

(y) Deſiderantur in priore ſtatuto hæc: *& de diverſis Nationibus.* Sunt autem ex additis in priore protocollo votis deſumta: *Placet, niſi reperiatur alias numerus ordinatus ante ſchisma: Et in fine addatur: Quod ſint de diverſis nationibus.*

(z) Aucta & hæc conſtitutio, addita aliqua circumſtantia. In priore namque propoſitione dictum: *& Doctor excellens in ſtudio generali &c.*

Digitized by Google

rota (*aa*) vel aliunde, dummodo ſit excellens in ſcientia juris.

Et idem de *Auditore Cameræ*. Sit Doctor probatus, bonæ ſcientiæ & expertus in curia.

Acoliti. *Accoliti* non ſint ultra ſex, (*bb*) & honeſti viri.

Subdiaconus. *Subdiaconus* ſit unicus, & magiſter in Theologia, vel Doctor in jure: Attento, quod magnæ cauſæ illi comitti conſueverunt.

Capellani commenſales. *Capellani commenſales* ſtent in domo Papæ, & ad liberatam, & incedant in habitu honeſto. *Capellani* vero qui dicuntur *honoris*, revocentur, (*cc*) niſi ſint Doctores in ſacra pagina, vel in jure & ſeculares. *Capellani honoris in curia Ro.* Et declaretur de novo quod non ſint exempti, etiamſi habeant proceſſus, & quod de cætero non dentur eis proceſſus de camera.

Referendarii. *Referendarii* non ſint ultra ſex, homines excellentes, in jure famoſi, & integerrimæ vitæ. Et aſſumantur de conſilio (*dd*) majoris partis Cardinalium, (*ee*) & de omni natione.

Pœnitentiarii. *Pœnitentiarii* ſint Magiſtri in ſacra pagina, vel bene periti & digni magiſterio, ætatis XL annorum ad minus. Et diſtribuantur per linguas ſecundum exigentiam. Et nihil exigant, vel ad dandum alliciant directe vel indirecte pro confeſſionibus, & ſub pœna. (*ff*) Sed a Camera habeant ſtipendia conſueta, & teneantur prædicare populo diebus conſuetis, ſc. dominicis & feſtivis.

In *audientia* contradictoriarum, & ſacri palatii Apoſtolici cauſarum, ſerventur ad unguem *conſtitutiones Johannis XXII.* Et ſimiliter in *cancellaria*. Et addantur pœnæ graviores. (*gg*)

Regiſtrorum in curia Ro. inſtructio. In *regiſtris literarum Apoſtolicarum* nihil recipiatur *niſi pro literis taxatis*. Et pro illis *nihil ultra taxam*. Et fiat expeditio *cito*, & ſub pœna. Et ſcriptores etiam habeant *ſalarium* de publico, ſicut

(*aa*) Ex ſuffragiis locupletatum & hoc decretum. In priori namque deliberatione hæc ſunt addita: *Placet: & in fine addatur: Vel aliunde, dummodo ſit excellens in ſcientia juris.* Id quod in poſteriori hac conſtitutione ex decreto additum deprehenditur.

(*bb*) Et hæc conſtitutio per nova ſuffragia emendata. In priori namque protocollo hæc habentur: *Accoliti non ſint ultra octo, & honeſti viri. Placet quod ſint ſex.*

(*cc*) Hæc quoque conſtitutio aliter novâ deliberatione eſt inſtructa. Erat enim prius hæc: *Capellani, qui dicuntur honoris, revocentur, vel ſaltem privilegia ipſorum, etiamſi habent proceſſus; quia ſub illa ſpecie prætendunt eximi à prælatis. Placet articulus uſque ad*, vel ſaltem. *Quod tollantur prima verba uſque ad finem. Et addatur: Niſi ſint magiſtri in Theologia vel in jure ſeculares, nec ſint exempti, etiamſi habeant proceſſus in camera, qui eximant.*

(*dd*) In priori protocollo lectum, *cum conſenſu*, quod, ut ſupra, in altera deliberatione mutatum.

(*ee*) Ultima hæc verba in priori conſtitutionum delineatione non habentur. Addita autem in hoc repetito examine ad exemplum aliarum ſuperiorum conſtitutionum, quibus eadem circumſtantia adjecta, de viris talismodi, in curia miniſtrantibus, *ex omni natione* legendis.

(*ff*) Adjecta & huic decreto poſt novam conſiderationem hæc appendix, quæ in primo protocollo non habetur. Clauditur autem prior conſtitutio his verbis: *ſub pœna privationis.* Quæ poſterior vocula in altera emendatione expuncta, pœnâ non determinata.

(*gg*) In priori Protocollo Reformatorii integer habetur paragraphus, in hac altera conſtitutionum reviſione omiſſus. Eſt autem hic: *Commiſſum eſt quatuor* (viris) *uni pro natione, qui examinent conſtitutiones prædictas. Et ut hic legantur nomina, ſunt: Epiſcopus Merſeburgenſis, Auditor Cameræ, Abbas Vandingenſis, & Robertus Appelton.*

Digitized by Google

ſicut conſueverunt. In *regiſtro ſupplicationum* nihil recipiatur pro ſupplicationibus regiſtrandis. Et ſi in manu regiſtratoris perdatur ſupplicatio, nihil recipiat de ſumto. Et fiat expeditio (*bb*) cito, & votiva, ſub pœna.

Taxa pœnitentiariæ. Et fiat *reductio taxa literarum Apoſtolicarum & ſacræ pœnitentiariæ* ad ſolitum, (*ii*) juxta conſtitutiones.

Promotiones ad ordines in curia prohibentur. Item nullatenus teneantur *promotiones ad ordines in curia*, niſi pro officialib' curiæ, qui continue reſederint in curia per annum cum bono examine, maxime de ſtatu; niſi ſint forte aliqui, habentes literas dimiſſorias a ſuis ordinariis, vel promoti in curia ad epiſcopatus vel abbatias (*kk*) vel ad beneficia requirentia ordinem. Et nihil recipiatur de ordinibus. Nec dentur dimiſſoriæ in curia: Vel extra quatuor tempora fiat. Nec dentur duo vel plures ſacri ordines ſimul, niſi promotis ad epiſcopatus vel abbatias, vel pro literis aliquid detur in curia vel extra.

Officialiũ Curiæ Ro. habitus. *Officiales curiæ*, ut ſcriptores, abbreviatores, procuratores, advocati, &c. incedant induti (*ll*) daphardis, ut antiquitus conſueverunt, & ſub pœna.

Linguarum Orientalium ſtudium in Ro. curia eſſe colendum. Item *in curia* (*mm*) *Romana continue vigeat* ſtudium tam in *Theologia*, quam in *utroq; jure*, & *in literis latinis*, *Græcis*, *Hebrais*, *Arabicis* & *Chaldais*, juxta Clementinam. Et habeant ſtipendium de camera. (*nn*) Et provideatur de executione.

Item habeant (*oo*) maliſchalkum nobilem, juſtum, & honeſtum, nec capientem lucra ignominioſa, ſicut aliquando conſueverunt.

Clerici ceremoniarum in Curia Ro. Item *Clerici capellæ* (*pp*) ſive ceremoniarum ſint tantum duo, qui ſint presbyteri, & probi ac experti in ceremoniis curiæ, & qui cognoſcant prælatos, & ſciant locare in ſeſſionibus, ſatis literati, & diligentes in officio ſuo.

(*bh*) In priori Protocollo legitur *fiat expeditio cita vel votiva*, quod an idem ſit cum eo, quod in renovata hac conſtitutione dicitur *cito & votiva*, viderint alii. Ni ſit differentia amanuenſis antiqui calamo tribuenda. Margini præterea prioris illius Protocolli additur hoc ſuffragium: *Placet. Sed quoad ſeculares notarios ſe informent illi quatuor, de quibus in C. XVII.* Videtur hoc ſuffragium reſpicere quatuor illos deputatos nationum, qui paulo ante ſub canone XVII. hujus *rubricæ*, *De reformatione curiæ Ro.* in priori illo Protocollo ſunt nominati. Ut videre eſt ſupra, in notis, ſub charactere. [gg]

(*ii*) Ultima hæc verba in priore protocollo non comparent.

(*kk*) In prioris Conſultationis ſuffragiis hic addidur: *Placet. Et in fine addatur: Vel beneficia requirentia ordinem. Ut nihil omnino recipiatur pro ordinibus, ſub pœna. Et non dentur dimiſſoriæ in curia, nec extra quatuor tempora fiant. Nec dentur per duos vel per plures ſacra eidem ſimul, vel eadem die, niſi promotis ad Epiſcopatus vel abbatias. Nec pro literis aliquid detur in curia vel extra.* Hinc aliam formam conſtitutio nacta.

(*ll*) Quod in priore codice legitur *tabardis*, idem utique cum illo poſterioris Codicis *daphardis*.

(*mm*) In priore protocollo legitur *in curia quotidie vigeat ſtudium tam in artibus quam in Theologia, quam etiam in utroq; jure.* In ceteris par eſt omnino quoad omnes linguas conſtitutio.

(*nn*) Clauſula notabilis, quæ in priore Conſtitutione non extitit, in reformata alterius Protocolli eſt adjecta: *Et provideatur de executione.* Quod monitum non magis ad ſalarium, quàm præcipue *ad linguarum illarum orientalium Profeſſionem* ſpectabit.

(*oo*) In utroque Codice MSCto legitur *maliſchalkum*.

(*pp*) In priori Codice ſcriptum *alias*.

Digitized by Google

(*qq*) Magiſter hoſpitii ſit miles grandævus, nobilis & Deo devotus, qui ſciat honorare dominos & nobiles venientes ad curiam , & tenere ordinatam domum , quoad laicos, cum omni honeſtate.

(*rr*) Examinator curiæ ſit prælatus honeſtus, doctor in jure , rigidus, qui non quærat lucra, ſed qui diligenter & fideliter examinet beneficiandos , ne promoveantur indigni, per ſe, & non per ſubſtitutum, & ſchedulam examinis ſubſcribat manu ſua. Et detur ſibi juramentum duplex, unum ſuper diligentia examinis, alterum , quod non recipiat pro examine ultra certam taxam. Et caveatur ne unus pro alio examinari ſe faciat. De taxa videri debet conſtitutio , ſi aliquid de hac caveatur. Sin autem , detur pro quolibet unus Carlinus , quorum decem faciunt unum ducatum.

(*ss*) De amplius non faciendo doctores bullatos. Eo multos perduxit *ambitio*, ut qui primas cupiant cathedras in ſynagogis , *gradum ſcientiæ* non labo-

(*qq*) Tota hæc conſtitutio habetur & in priore Protocollo , ſed locus leviter eſt mutatus. Additur nihilominus in priore illo Protocollo : *Placet : & remaneat in diſpoſitione Papæ de ſua familia.*

(*rr*) Hæc conſtitutio in priore Deliberatione hanc habuit formam : *Examinator curiæ ſit prelatus honeſtus, qui non quærat lucra, ſed qui diligenter & fideliter examinet beneficiandos, ne promoveantur indigni. Et detur ſibi juramentum duplex, unum ſuper diligentia examinis , aliud , quod non recipiat pro examine ultra certam taxam.* Additur porro huic decreto hoc ſuffragium : *Placet, & addatur, quod ſit doctor ; & quod adhibeatur diligens cautela in examinando, ne unus faciat examinari pro alio, & quod examinator per ſe ipſum & non per alium exerceat officium , & ſubſcribat ſe propria manu in cedula : Et quod de taxa ſolutionis examinis recipiantur quæſtiones, & ſi reperiantur diverſæ taxæ, recipiantur minores.*

(*ss*) In ſerie decretorum in priore Protocollo habentur ſequentia: *Item quod deinceps non fiant Magiſtri vel Doctores per bullam Apoſtolicam ſine examine , ſed in ſtudiis generalibus per rigorem examinis. Et ſi ſtudium fiat in curia, ſicut ordinatum eſt, poſſint fieri Doctores, ſicut in aliis ſtudiis generalibus. Sed fiat examen per Cancellarium ſtudii, quem Papa deputabit, adhibita ſolennitate magiſtrorum & doctorum in examine, ſicut in aliis ſtudiis eſt de more.* Quod decretum *De doctoribus Bullatis per Papam non faciendis* , hoc verborum tenore in redintegrato altero Protocollo plane eſt omiſſum. Nihilominus tamen, quia in priore illo Protocollo paulo poſt inter Conſtitutiones reliquas diſtincte adhuc ſemel & fuſius de eadem agitur materia, hoc expreſſo titulo : *Quod per ſedem Apoſtolicam nulli detur facultas de cetero Licentiandi aliquos ad gradum magiſterii ſeu doctoratus: Rubrica* : Veroſimile hinc fit, in Protocollo repetito priorem *illam brevem de Bullatis doctoribus conſtitutionem* ideo plane eſſe omiſſam, quod *uberior Conſtitutio* eſſet præſens. Etſi autem *plenior* illa *de Bullatis Doctoribus conſtitutio* alium in priore Protocollo habeat locum, in altero tamen huc eſt tranſlata, in locum prioris decreti brevis. Quem locum, in perfectiori poſteriori Protocollo obvium, mutare nefas putavimus. Ceterum, in ipſa hac pleniore Conſtitutione in utroque Codice levis eſt differentia. Scilicet in medio ad hæc : *multiplicatio magiſtrorum*, additur in priore, *& Doctorum*. Deinde, quando ſimiliter in priore Codice erat ſcriptum : *Volentes igitur huic morbo ſalubriter providere, ſtatuimus*, &c. in poſteriori Codice ac Conſtitutione nude dicitur, *ſtatuimus*. Nec non in fine Decreti in primo Protocollo additur : *Et idem intelligatur etiam de doctoribus ſecularibus.* Quæ appendix in poſteriori conſultatione non reperitur, quod ſuperioribus jam contineatur.

Digitized by Google

labore & ſtudio per ſcientiam quærant, ſed *à ſummo Pontifice per ambitionem impetrent*, cupientesque vocari Rabbi, ſatis habeant, ſi *per bullam Apoſtolicam* magiſterii ſui ſignum valeant oſtentare. Ex quo *contemtibilis multiplicatio magiſtrorum* exoritur, ſcientiæ margarita vileſcit, & *ſermo Dei, ex ore prolatus ignorantium*, populi indevotione contemnitur. Statuimus, ut nec legatis, nec nunciis Apoſtolicis, ſeu generalibus ordinum, aut aliàs cuicunque perſonæ præter *Cancellarios, in generalibus Studiis* ordinatos, detur per ſedem Apoſtolicam facultas aliquos ad gradum magiſterii ſeu doctoratus in quacunque facultate de cætero licentiandi vel aſſumendi. In *curia* vero *Romana, quæ privilegium ſtudii generalis cenſetur habere*, ita demum ad gradum prædictum licentiari & aſſumi poſſint, ſi in ſtudio dictæ curiæ curſum conſuetum auditionis & lectionis, repetitionum & diſputationum, in illa facultate perfecerint. Vel, ſi extra curiam, in aliquo ſtudio generali. De quo, & *eorum ſufficientia in vita & moribus*, ejusdem ſtudii Cancellarii, & doctores ſeu Magiſtri facultatis, per ſuas autenticas literas præſtent ſufficiens documentum. Et tunc *non per bullam*, ſeu commiſſionem ſpecialem, ſed aliàs per conſuetos officiales & Doctores Studii dictæ curiæ, cum *rigoroſo* etiam *examine*, tales etiam ad *licentiam* vel *doctoratum* ſeu magiſtratum aſſumantur.

Doctores bullati olim multi à Papa creati.

Incontemptum gradus & eruditionis.

Cancellarii in Academiis jus habent promovendi.

Curia Romana habet rationem Academiæ.

Promotiones doctorum legitimas in curia etiam Ro. poſſe inſtitui.

Aliter autem *licentia* vel *aſſumtio* hujusmodi *per bullam*, commiſſionem, ſeu facultatem Apoſtolicam facta, non valeat: *Nec* recipientes, *Licentiati*, *Doctores* aut *Magiſtri* de cætero *reputentur*.

Bullati Doctores in curia Ro. promoti, non habendi pro Doctoribus.

[*tt*] Item quod *officiales curiæ Romanæ* non permittantur publice nutrire concubinas, ludere ad taxillos, aut alias diſſolutiones facere, ſed ſint diſciplinati moribus, verbis & exemplis, ſic quod *curia ſit ſpeculum ſanctitatis* & norma. Alioquin absque diſſimulatione officiis ſuis priventur, ſi moniti non deſiſtant.

De *ſeſſionibus* [*uu*] & locis ordinandis *in curia Romana*. Diſputatum fuit de *loco protonotariorum*. Et auditis votis inventum fuit, quod fuerint vota XXIX. Et concordarunt in hoc, quod extra curiam protonotarii non præcedant prælatos. In curia vero protonotarii, ſi ſint in exercitio ſui officii, præcedant; Si autem non ſint in exercitio officii ſui, tunc X vota fuerunt, quod adhuc ſervaretur mos antiqvus. Reliqui dicebant, quod prælati præcedant.

De Protonotariorum autoritate in Curia Ro.

Circa conſtitutiones Johannis Papæ XXII. *quoad audientiam rotæ* videndo, addenda infra ſcripta, quoad *cappam*, & *rochetum*, portandum ſemper in publico per *auditores*, locum habeant, quando vadunt ad rotam vel audientiam, vel conſilia, ſeu miſſas & officia alia papalia, vel exequias & ſermones, & alios actus in curia publicos. Item quando (*xx*) vadunt equitando in curiam poſt Papam vel dominos Cardinales.

Auditorum in Audientia rotæ habitus.

(*tt*) Tota hæc conſtitutio de Concubinariis in aula Romana, in priore Protocollo non exhibetur. Huic porro decreto in *Codice MSCto atque Protocollo poſteriore* ſubjuncta ſunt nonnulla *monita Cardinalis Piſani de Gratiis & proviſionibus*, quod eruditis iſthæc debeantur beneficia. Hæc verò particularia Cardinalis monita ſupra in Præfatione jam exhibuimus. Neque in priore Protocollo comparent. Etſi ſumma eorum videatur inter reliquas Conſtitutiones poſtremo attexi in priore Protocollo, ut mox patebit.

(*uu*) In priore Protocollo nude ſcriptum, *de Seſſionibus ordinandis* &c. In margine verò, ubi in decreto monetur quod vota fuerint collecta, & auditi diverſum ſentientes in Reformatorio, additur tempus illius deliberationis. *Hi ſunt deliberati die Sabbati, Septimo ſeptembris.* Quod ad annum 15. vel 16. pertinebit.

(*xx*) In priori Protocollo alia clauſula cum cenſura: *Item in exequitando in curia poſt Papam vel Cardinales. Placet, dummodo non ſit tempus pluvioſum vel aliàs lutoſum, quod eis non poſſint uti.* Ex quo ſuffragio nova illa emendata conſtitutio.

Digitized by Google

Hæc tamen intelligenda ſunt dum non eſt tempus pluvioſum, aut lutoſum, quod eis uti non poſſint.

Item, quod *auditores* non ſint familiares Dominorum Cardinalium, nec debeant ad eorum expenſas morari etiam extra Cardinalium Domus.

Quod *cauſa auditorum* vel notariorum ſuorum vel advocatorum aut procuratorum *non committantur auditoribus* niſi de utriusque partis aſſenſu.

Quod *cauſam non audiant, in qua ſcienter conſilium dederunt*, niſi de conſenſu utriusque partis hoc ſcientis.

Quod eſculenta & potulenta vel *propinas*, poſt ſententias tantum mera liberalitate oblata, non *fraudulenter recipere* valeant, prout conſvetum eſt hactenus, licet non dicatur in conſtitutionibus. (*yy*) Et non recipiant ultra quam ſuperius in una conſtitutione fuerat expreſſum.

De Notariis. Quoad notarios quatuor, auditoris &c. addendum videtur, quod duos eligat auditor, alios vero Cancellarius (*zz*) Et in manus Camerarii jurent in camera auditor & notarii.

Quod de dictis (*aaa*) notariis auditor non teneat in domo niſi unum, pro commiſſionibus recipiendis. Et faciat inter notarios diſtributiones cauſarum more ſolito.

Quod *notarii* non ſcribant per alios, niſi in caſu infirmitatis, & tunc per aliũ conſocium, & non per ſubſtitutum.

Quod officium *notarii audientiæ rotæ, & notarii audientiæ cameræ*, ſive auditorum, non poſſint per eundem haberi ſimul: Nec unus notarius coram duobus auditoribus ſcribere in cauſis: Nec poſſint notarii Dominorum cardinalium eſſe in Rota ad ſcribendum coram auditore.

. Quod *notarii examinentur* per Vicecancellarium præſente Decano, & duobus de antiquioribus rotæ. Et approbati per eos admittantur tantum.

Quod notarii in *faciendo regiſtra non extendant* in regiſtro aliquod *inſtrumendum* procurationis, vel aliud, vel citationem, inhibitionem, vel earum executionem, niſi ſemel tantum. Et alibi in regiſtro referant ſe ad illud primo extenſum. Et in executione, ſeu relatione executionis, citationis & inhibitionis, ſimiliter. *Nec faciant proœmium* in productione inſtrumenti, in quo interſerant tenorem vel partem tenoris, &c. ſed dicant, *cujus tenor infra ſequitur*.

Quod auditores non conſulant ſcienter in cauſis in rota vertentibus, vel quæ verti ſperantur, (*bbb*) pro conſanguineis usque ad tertium gradum, vel etiam pro Eccleſiis, in quibus hujusmodi conſanguinei ſunt beneficiati, & tunc exeant rotam.

Quod *auditores* vel *notarii* cauſas non ſollicitent ſeu procurent in rota, etiam pro conſanguineis vel aliis.

Quod *auditores*, pronunciantes male appellatum & bene proceſſum per aliquem in curia, in caſu, in quo de jure fienda eſſet remiſſio, remittant ad judicem à quo.

Quod citationem & inhibitionem faciant in eadem litera, & pro uno taxentur.

Quod non ſint veloces ad inhibendum vel abſolvendum ad cautelam in cauſis de curia tantum. CAP.

(*yy*) In priori Protocollo hoc ponitur in fine ſuffragium: *Placet, dum non ultra quam conſtitutum eſt ſupra capite IV.* Unde natum novæ conſtitutionis augmentum. Vid. ſupra. f. 598. lin. 7.

(*zz*) In priori Conſultatione de Camerario quid erat monitum, his verbis: *Vel unum Cancellarius & alium Camerarius, in cujus manibus jurent in Camera auditor & notarii.* Quibus ſequens cenſura addita: *Placet quod tollatur de Camerario, quia non eſt de antiqua conſuetudine.* Hinc conſtitutionis illa mutatio ſubnata.

(*aaa*) In priori protocollo dicitur: *quatuor notariis.*

(*bbb*) In priori Conſultatione dictum erat: *niſi pro conſanguineis tertii gradus, vel Eccleſiis in quibus ſunt beneficiati, & tunc exeant rotam.* Addita ſententia: *Placet, usque ad tertium gradum pro conſanguineis.* Hinc mutatio facta.

Digitized by Google

Caput VIII.

De ſpoliis prælatorum, de procurationibus, de fructibus medii temporis, per Papam nec inferiores Prælatos capiendis. Rubrica.

Bona Prælatorum defunctorum non eſſe diripienda aut Eccleſiis ſubducenda.

Dudum fuit provide diſpoſitum, quod *non reſervarentur* de cætero *ſpolia Prælatorum ac clericorum decedentium*, nec fructus medii temporis Eccleſiarum ſeu beneficiorum vacantium, nec procurationes, quæ ratione viſitationis debentur Epiſcopis & aliis prælatis.

Verum, quod dictæ diſpoſitiones hactenus non fuerint plene obſervatæ, & à nonnullis poſſint in dubium revocari, an fuerint perſonales vel perpetuæ, volentes Eccleſiarum ac prælatorum diſpendiis providere, declaramus, diſpoſitiones ipſas fuiſſe & eſſe perpetuas, & per quoscunque ſummos Pontifices inviolabiliter obſervandas. Et nihilominus de novo ſtatuimus.

Et bonum forte eſt, adjicere pœnam, ut ſcilicet tamdiu *curia Romana quoad officia ſua remaneat ſuſpenſa*, donec per ſummum Pontificem hujusmodi *ſpolia* fuerint plenarie *reſtituta*. Dicta vero *ſuſpenſione* durante, officia ſua exercentes *excommunicationis* ſententiam incurrant ipſo facto.

Nec ſpolia, quæ etiam inferioribus prælatis penitus interdicimus, nec *fructus* aut proventus, qui vacantibus Eccleſiis, monaſteriis, aut quibuscunq; dignitatibus, beneficiis, adminiſtrationibus, aut locis piis medio tempore obvenerunt, nec *procurationes* ſupra dictæ, quæ ratione viſitationis prælatis, vel aliis quibuscunque dignitatibus, beneficiis, debentur, poſſint de cætero etiam per commiſſiones ſeu conceſſiones, eis jam forte factas, quas tenore præſentium revocamus, nomine ſummorum Pontificum cameræ apoſtolicæ reſervari, levari, aut quomodolibet participari.

Adjicientes, quod de cætero prælatis, & aliis, qui ex officio viſitare tenentur, *facultas* ſive licentia *viſitandi per procuratorem*, *nullatenus* per ſedem Apoſtolicam aut alium *concedatur*. Niſi forte ex cauſa infirmitatis, aut alia neceſſaria, perſonaliter viſitare non poſſint. Quæ ſpecialiter in literis exprimatur. Alias conceſſio nullius ſit roboris vel momenti.

Et *conceſſas* hactenus tenore præſentium *revocamus*: Conſtitutionibus, quæ circa fructus hujusmodi conſervandos, & procurationes, & taxationes ipſorum, per alios retro pontifices & generalia concilia provide factæ ſunt, in ſuo robore duraturis.

(ccc) Et nota, quod quibusdam viſum fuit, quod circa ſpolia, &c. adjicienda eſſet pœna, ut ſcil. tam diu curia Romana, quo ad officia ſua remaneat ſuſpenſa donec per ſummum Pontificem hujusmodi ſpolia fuerint plenarie reſtituta, dicta vero ſuſpenſione durante, officia ſua exercentes excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto. (*ddd*)

(*ccc*) Ultima hæc clauſula in priori Protocollo non habetur. Eſtq; in ipſa hac conſtitutione in utroque codice paulo ante jam expreſſa. Ut ſuperflua videri poſſet; ni ideo repetita forte dicatur, quod ſingulariter hoc notandum crederetur.

[*ddd*] Quæ in priori Protocollo ſequitur Rubrica ac longa conſtitutio: *Quod per ſedem Apoſtolicam nulli detur facultas de cetero, licentiandi aliquos ad gradum magiſterii ſeu doctoratus*, ſupra alio loco in poſteriori Protocollo jam eſt exhibita. Vid, ſupra f. 605. ſeq.

Caput. IX.

Quod electiones & proviſiones de cetero non fiant per preces. Rubrica.

STatutum felicis recordationis *Innocentii Papæ III.* editum in concilio generali contra electos, eligentes, ac electionibus conſentientes, per ſecularis poteſtatis abuſum, locum habere *decernimus* in proviſionibus quibuscunque, etiam per ſummum Pontificem faciendis, quoad proviſiones ipſas ac proviſionibus conſentientes.

Quomodo civilis magiſtratus ingerere poſſit Eccleſiis religioſos, precibus ſcil. Simoniacis.

Et nihilominus *decernimus*, electionem ſeu proviſionem, per ſecularis poteſtatis abuſum factam cenſeri debere, non ſolum ſi expreſſa vis aut metus fiat electoribus aut proviſori, ſed etiam preces literatoriæ vel vocales ſint tales, ut à tali vel talibus & taliter emanent: Quod, ſi non pareatur, poſſint electores, vel proviſor, ſeu proviſores, damna vel incommoda in perſonis ſuis, vel ſuorum, vel rebus vel Eccleſiis ſuis veroſimiliter formidare.

Et *publicetur hac conſtitutio in ſingulis ſynodis*, & *capitulis provincialibus*, vel *Epiſcopalibus* vel *regularibus*, & aliàs, ubi videbitur expedire, & ſpecialiter, cum fuerit ad electionem vel proviſionem procedendum. Et ubi in *Decretal. lib. 1. tit. 6. cap.* 43. dicitur de ſuſpenſione, dicatur, ipſo jure, & procurans preces, ultra pœnas prædictas ſit excommunicatus ipſo jure.

Alia Conſtitutio de eodem.

Simoniæ ſpecies in commendandis conſanguineis ad officia ſacra.

Si quis *vocales* aut *literales preces* quorumcunque ſecularium, quæ aut propter *conſanguinitatem*, vel aliàs Simoniam ſapiant, aut propter *potentiam* deprecantium impreſſionem, pro ſua electione aut promotione ad Epiſcopatum vel abbatiam, vel proviſione cujuscunque beneficii Eccleſiaſtici impetrare, uti, aut approbare, imò non expreſſe contradicere, & ſtatim, cum poterit, electoribus ſeu promotori, aut proviſori contradictionem ſuam non intimare præſumſerit: Electio, promotio vel proviſio nulla ſit, & ipſe ad Epiſcopatum ipſum, ſeu abbatiam, vel beneficium ea vice ſit inhabilis ipſo jure.

Simoniæ hujus pœna.

Simoniacæ preces.

Sapiunt enim ut plurimum *tales preces vitium ſimoniæ*, & cum à potentioribus ingeruntur, metum & tacitam impreſſionem inducunt.

Si quis etiam *Eccleſiam* quamcunque, ſeu *beneficium*, *poſt rem* contra ipſum in foro Eccleſiaſtico, in poſſeſſorio ſeu petitorio *judicatam*, & contra executorium judicati, per ſolam facti reſiſtentiam, per menſem à die ſcientiæ, *detinere* præſumſerit: Omni jure, quod in illo, vel ad illud ſibi forte competebat, & cæteris beneficiis ſuis ſit ipſo facto privatus. Sit præterea inhabilis ad omnes alias dignitates & Eccleſiaſtica beneficia obtinenda.

Eadem etiam pœna ipſo jure percellatur, ſi quis *ſuper Epiſcopatu*, abbatia vel beneficio quocunque Eccleſiaſtico *litem in foro ſeculari*, ſuper petitorio, ſeu poſſeſſorio *movere* præſumerit. Niſi forte poſt rem judicatam in foro Eccleſiaſtico, in vim executoriæ impetret brachium ſeculare, ab Eccleſiaſtico judice invocatum.

Non tamen prohibemus, quin judex, ſeu *Dominus ſecularis*, in ditione ſua, *etiam inter Eccleſiaſticas perſonas*, in rebus ac beneficiis Eccleſiaſticis, vim fieri vetet; Sed ſolum, ut de facto *vim arceat*, *ſcandala prohibeat*, cauſas ipſas tam poſſeſſorias, quam petitorias, ad Eccleſiaſticum judicem judicandas remittat.

CAPUT

Digitized by Google

Cap. X.

De non diſpenſando cum promotis ad Epiſcopatus vel abbatiam, quod non teneantur promoveri ad ſanctos ſacros ordines. Rubrica.

De diſpenſationibus Papalibus quoad conſecrationem Eccleſiaſticorum.

[*eee*] PApa non diſpenſet cum aliquo promoto ad Epiſcopatum vel Abbatiam, quod non teneantur ad ſacros ordines promoveri, vel ad ſacerdotium, vel conſecrari infra tempus juris, ſine conſenſu majoris partis Cardinalium, & cauſa rationabili in literis ſpecialiter expreſſa: Et tunc non ultra annum diſpenſet.

Et quod omnes tales *diſpenſationes* in præterito *facta per* Papam, *revocentur*, & currat tempus juris *à fine præſentis Concilii.* [*fff*]

Cap. XI.

De diſpenſatione ad incompatibilia. Rubrica.

Plura officia Eccleſiaſtica majora uni non eſſe committenda.

[*ggg*] EX nunc *revocentur* omnes *conceſſiones facta Epiſcopis* vel Abbatibus (*hhh*) à tempore Schismatis de beneficiis tenendis ultra Epiſcopatum vel Abbatiam. Niſi (*iii*) eſſet adeo exilis, quod non poſſint de ipſis ſuſtentari.

(*kkk*) Item *tales conceſſiones* in futurum *non fiant per Papam*, niſi ex cauſa evidenti, quæ in literis exprimatur, & cum conſilio ac ſubſcriptione dominorum Cardinalium.

(*lll*) Item, nullus *monachus* habeat beneficia *in diverſis religionibus.* Et revocentur conceſſa, ita, quod remaneant in beneficiis ſuæ religionis.

Cap. XII.

[*mmm*] *De pluralitate beneficiorum. Rubrica.*

Eruditionis beneficium.

QVod *Papa non diſpenſet*, *niſi* ex cauſa rationabili, expreſſa ſpecifice in literis, ſcilicet *propter ſcientiam vel nobilitatem*, vel exilitatem beneficiorum, ut in *Decretal. lib. 3. tit. V. cap.* 28.

Ad

[*eee*] In priori Protocollo hoc Statuti eſt initium: *Intentio quod Papa non diſpenſet.*

[*fff*] In margine prioris Protocolli ad hoc decretum additur: *De hac materia habes concluſionem* XIV. & XVI. *Septembris.*

[*ggg*] Et hic antea ſimile initium: *Intentio, quod ex nunc revocentur.*

[*hhh*] Inſerta renovato decreto verba: *à tempore ſchismatis*, ex ſuffragio.

[*iii*] Antea ſcriptum erat in ſtatuto: *Niſi forte Epiſcopatus vel Abbatia eſſet adeo exilis.*

[*kkk*] Hæc in priori decreto non fuerunt poſita. Sed ſuffragium in margine prioris Protocolli poſitum peperit hoc augmentum. Sunt autem in margine poſita: *Scil. tempore ſchiſmatis.* (Quæ verba paulo ante decreto novo ſunt inſerta.) *Citra & in futurum non fiant per Papam, niſi ex cauſa evidenti, quæ in literis exprimatur, & cum conſilio & ſubſcriptione dominorum Cardinalium. Ut habes VIIma Novembris.*

[*lll*] In priori Protocollo his hic præmittitur titulus: *De facultatibus religioſorum habes* XIX. *Octobris. Sed non concluſum.* Unde patet, quare in poſteriori Codice hæc non compareant.

[*mmm*] In priori Protocollo titulus hic erat: *De incompatibilibus ſecularibus, alias de pluralitate beneficiorum.*

Digitized by Google

Ad tria autem non diſpenſet, *niſi ex eminenti ſcientia*, vel *magna nobilitate*, & quia illuſtris: Niſi forte in partibus, ubi eſſent exilia beneficia, ut *in Apulia*, & in certis partibus *Hiſpaniæ*. Et ibi non ultra quatuor. In *Anglia* vero omnino caveat, ut non niſi ad duo ad plus diſpenſet. Et hoc etiam ex magna cauſa.

Prabendas majores plures uni non deberi.

Item quod *nullus* poſſit habere *ultra duas prabendas Eccleſiarum Cathedralium*, (*nnn*) non obſtante quacunq; conſvetudine. Nec poſſit diſpenſari per Papan niſi ex cauſa ſpecialiter expreſſa in literis, quæ ſit rationabilis & vera. Et quod non poſſint lucrari eadem die quotidianas diſtributiones, niſi in uno beneficio.

CAPUT XIII.

De præteritis diſpenſationibus quoad incompatibilia revocandis.

(*ooo*) REvocentur illæ ex toto, quæ non ſunt ſortitæ effectum. Sed ſortitæ effectum *reducantur ad duo* tantum. Ita, quod liceat habenti plura incompatibilia, *eligere* infra annum *duo*, *quæ malit*. Nec poſſit alia cum aliquo permutare.

CAPUT XIV.

De reſidentia Epiſcoporum, & ſuperiorum Prælatorum. Rubrica.

QUilibet ſummus Pontifex in principio aſſumtionis ſuæ proponat edictum, quod omnes *Archi-Epiſcopi*, & *Epiſcopi*, ſimiliter & *Abbates*, *jurent in promotionibus ſuis*, & alii *exemti*, quod teneantur *in propriis Eccleſiis*, monaſteriis, & dignitatibus, curis & adminiſtrationibus, *reſidere*. Et ſi ſteterint *per ſex menſes abſentes* ab Eccleſiis ſuis, vel monaſteriis, absque expreſſa licentia ſedis Apoſtolicæ, ſint ipſo jure privati Epiſcopatibus & abbatiis ſuis.

Epiſcopi & Prælati in ſuis vivant Eccleſiis.

Caſus, quibus poſſit Epiſcopus abeſſe à ſua Eccleſia.

Nec det Papa licentiam, niſi ex rationabilibus & juſtis cauſis, in ipſorum literis ſpecialiter expreſſis: Utputa, quia Romana curia indiget de præſentia ſua, vel quia tenentur proſequi cauſam Eccleſiæ ſuæ in curia vel alibi, vel, quia eſt *de conſilio alicujus Regis vel Principis*. Hoc tamen adjecto, quod pro conſiliis Regum & Principum ſint deputati, ad certum & determinatum numerum.

Intelligantur tamen *eſſe præſentes*, ſi morantur *in caſtris* vel *locis aliis vicinis* Eccleſiæ ſuæ infra diœceſin. Ita tamen, quod ſaltem in præcipuis feſtivitatibus & diebus ſolennibus, ſcilicet nativitatis Domini, circumciſionis, epiphaniæ, quadrageſimæ, paſchatos, aſcenſionis, pentecoſtes, in nativitate Sancti Johannis Baptiſtæ, aſſumtionis noſtræ Dominæ, & in aliis feſtis principali-

Caſus, quibus æſtimentur Epiſcopi in Eccleſiis ſuis vivere, etſi abſint.

[*nnn*] Novæ huic conſtitutioni inſerta: *Non obſtante*, usque ad, *vera*. Ex ſuffragio quidem, margini prioris Protocolli adjecto, quod tale eſt: *De hac materia habes Vta Novembris, quod quis non poſſit habere ultra duas prabendas Eccleſiarum Cathedralium, non obſtante quacunque conſuetudine. Nec poſſit diſpenſari per Papam, niſi cauſa ſpecialiter expreſſa in literis, & quæ ſit vera & rationabilis.*

[*ooo*] In priori Protocollo levis fuit differentia. Fuit enim hic tenor: *Revocentur illæ, quæ non ſunt ſortitæ effectum, in totum. Aliæ autem revocentur ad duo tantum. Ita quod licet habeat plura incompatibilia, poſſit eligere infra annum duo quæ malit, nec poſſit cum aliquo permutare.* In margine vero ſcribitur: *Similiter de iſto habes Vta Novembris, quod diſpenſationes de incompatibilibus ſecularibus, ſi non ſint ſortitæ effectum revocentur ex toto. Sed ſortitæ effectum reduci ad duo. Et inſtituti teneantur intra annum eligere quæ duo velint, nec poſſint permutare.*

Digitized by Google

cipalibus, ut conſecrationis ſeu dedicationis Eccleſiæ ſuæ, ſint præſentes in Eccleſia, & miſſas celebrent, ſi poſſint.

Similiter Epiſcopi teneantur ſub pœna, ponere ſimile *edictum* omni anno in Eccleſia ſua *pro Abbatibus* non exemtis, & aliis curatis & habentibus beneficia, requirentia reſidentiam de jure, conſvetudine, vel ſtatuto. Nec dent licentiam non reſidendi, niſi ex cauſa juſta & expreſſa, ut ſupra. Nec aliquid capiant pro tali licentia ſub pœna.

Inferiores Eccleſiaſtici, à ſuis officiis etiam haud abſint.

[ppp] Item quod *Abbates non poſſint abeſſe à monaſteriis* cauſa ſtudiorum: Quia debent eſſe ſcientes: Nec ideo, ut legant in aliqua facultate, quia utilius eſt, ut ſuſcepta monaſteria gubernent, quam quod ſcholaribus legant.

Item, quod non poſſint eſſe in officiis ſecularibus vel conſiliis Principum, nec propterea habere abſentiam: quia mortui ſunt mundo.

In conciliis provincialibus habeatur diligens *inquiſitio* & relatio de ſubditis ipſorum, ut puniantur, & de Epiſcopis & exemtis, qui per ſemeſtre non reſederint, vel negligentes fuerint, compellendo ſubditos ad reſidentiam, ut *per concilium referatur Papæ.* (qqq)

In Conciliis provincialibus inquiſitio.

CAPUT XV.

De diſpenſatione ad ordines, Rubrica.

QVod prælati ſervent *Capitulum XIV. Sexti Decretal. lib. I. tit. VI.*

Item, quod in literis exprimant, quod *niſi ſtudium* continuo *proſecutus* fuerit, *ceſſante ſtudio* diſpenſatio ipſa ceſſet. Et de facto revocent diſpenſationem, ſi habentes *relicto ſtudio* vel *intermiſſo* abutantur ipſa.

Studiorũ privilegium.

Et idem in literis de non reſidendo *cauſa ſtudii*, vel alia quacunque.

Papa etiam non det diſpenſationem, quod non teneantur ad ſacros vel ad ſacerdotium intra annum promoveri, niſi ex juſta cauſa & ſpecialiter in literis expreſſa. Nec tunc ultra annum concedat. Et in præteritum conceſſæ revocentur. Ita quod remaneant ad annum tantum.

CAP. XVI.

De diſpenſatione ætatis Epiſcoporum, Abbatum, curatorum & ordinum. Rubrica.

NOn diſpenſet Papa niſi in tribus annis infra ætatem juris. Ut in Epiſcopo, ſi explevit XXVII annum, in Abbatibus & curatis, ſi XXII attigerunt, & ſimiliter in ordine presbyteratus. Et hoc non fiat niſi ex cauſa rationabili, & ſpecialiter in literis expreſſa.

De ætate eorum, qui ad magna officia Eccleſiaſtica promovendi.

Præteritæ diſpenſationes revocentur, quæ non ſunt ſortitæ effectum. Si habentes ipſas hodie ſint infra dictas ætates diſpenſabiles, ſint revocatæ. Hoc adjecto, quod *diſpenſationes*, quæ dicuntur factæ *cum infantibus*, ad dignitates ſupra ſcriptas, etiamſi ſint effectum ſortitæ, ſint revocatæ. Quia contra jus naturale.

Diſpenſationes cũ infantibus ad officia ſacra prohibitæ.

In præbendis Eccleſiarum cathedralium ſtet regula Cancellariæ, quod non poſſint conferri, niſi exiſtentibus in XIV. Poſſit tamen conferre exiſtenti in XII, facta mentione de ætate.

[ppp] Inſerta hæc in renovata Conſtitutione, in priori Protocollo haud obvia: *Item quod Abbates -- legant.*

[qqq] In margine prioris Protocolli notatum: *De hac materia habes concluſionem* VII. *Novembr. & incipit Rubrica: De Epiſcopis & ſuperioribus Prælatis & Abbatibus non reſidentibus in ſuis Eccleſiis.*

Digitized by Google

Cap. XVII.

De litigantibus in curia Romana.

De litib⁹ Eccleſiaſticorum

NOn imponat Papa ſilentium litigantibus, nec extingvat litem, niſi cauſa cognita per ſententiam.

Nec reſtituat, contra rem judicatam, niſi ex cauſa legitima, & cauſa cognita.

in Curia Ro.

Cap. XVIII.

De decimis per Papam non imponendis.

Rubrica.

De decimis Papalib⁹ à clero haud

QVod *Papa non imponat decimam clero*, vel toti, vel ejus parti, *niſi in concilio generali, & cum conſenſu concilii.*

Poſſit tamen poſtulare caritativum ſubſidium cum charitate (*rrr*) quando res exiget.

exigendis.

Caput XIX.

De converſis ad fidem. Rubrica.

Bona converſorum Judæorũ non diripienda.

QUod *bona illorum, qui convertuntur ad* fidem, *non confiſcentur* per eccleſiam vel Principes, ſeu Dominos ſeculares, ſed eis remaneant.

Niſi ſint *de uſuris*, vel alias *male ablatis*.

Et tunc *incerta* eis libere remaneant. (*sss*)

Caſus.

Cap. XX.

De exemtionibus religioſis conceſſis.

Rubrica.

QVod omnes *exemtiones*, quibuscunque religioſis domibus, aut aliis locis, vel perſonis quibuscunque, *à tempore ſchismatis per Romanos Pontifices conceſſæ*, præter conſenſum ordinariorum, aut ſine cauſæ cognitione, *indiſtinctè revocentur*, caſſentur, irritentur & annullentur: Exceptis Eccleſiis vel locis noviter fundatis, & ſub conditione exemtionis etiam à tempore ſchiſmatis. (*ttt*) Exemptionibus tamen ſtudentium & generalium Studiorum ſemper ſalvis.

Academiarum beneficiũ.

Cap. XXI.

De privilegiis inferiorum prælatorum ipſis conceſſis. Rubrica.

QVod omnia *privilegia & indulgentiæ à tempore ſchiſmatis conceſſa inferioribus prælatis*, de utendo Pontificalibus, ſicut mitris, ſandaliis, rocheto, de benedicendo populo, & *dando indulgentias*, & hujusmodi, ad dignitatem Pontificalem pertinentibus, revocentur.

Et idem intelligatur de *Abbatiſſis.*

Item

[*rrr*] In priori Protocollo & hic erat inſertum: *Et de conſenſu Concilii.*

[*sss*] In priori Protocollo annexa hæc: *De ceteris relinquatur eorum conſcientiæ.*

(*ttt*) Prior conſtitutio clauditur voce *ſchiſmatis.* Verùm in margine hæc adjecta: *Et fuit dictum, quod habeatur advertentia de exemptionibus pendentibus ex neceſſaria cauſa, orta ante ſchiſma, & de exemptionibus Studentium in ſtudiis Generalibus.* Hinc appendix in nova conſtitutione de Academiis.

Digitized by Google

Cap. XXII.

De ignorantibus idioma. Rubrica.

ITem, nulli ad Eccleſias Parochiales promoveantur in aliquo regno, niſi idioma vulgare ejuſdem patriæ ſufficienter intelligant & loquantur. (*uuu*)

(*xxx*) Et ibi concluſum fuit, quod innovetur Conſtitutio Gregorii XI & extendatur ad Ordinarios. (*yyy*)

(*uuu*) Prioris conſtitutionis hoc erat initium: *Item quod nulli ad beneficia Eccleſiaſtica curata promoveantur.*

(*xxx*) Hæc clauſula in priore ſtatuto prioris Protocolli non comparuit. In margine tamen Protocolli iisdem verbis res fuit concepta; ſcil. *Concluſum, quod innovetur conſtitutio Gregorii XI. & extendatur ad ordinarios.*

(*yyy*) Sequens longa ſeries Conſtitutionum absque titulo aut Rubrica in priori ſuccedit Protocollo. Neque in novo Protocollo quicquam horum hic loci comparet. Prima autem ex his ſtatuta derivata videntur ex monitis *Alamani Adimari Cardinalis Piſani*, quæ ſupra in Præfatione recenſuimus. Ne quid igitur & horum omittamus, en prioris Protocolli faciem! *In collatione beneficiorum primo attendatur ad dignitatem perſonarum, maxime circa ſcientiam. Quod ad Epiſcopatum nullus eligatur vel promoveatur, niſi ſit perſona ſublimis, vel Doctor in Theologia vel in jure Canonico. Attendatur tamen qualitas regionum. Quia alicubi ſunt ita tenues reditus epiſcopatuum, quod forte hoc non poterit obſervari.* In margine hic additur: *XIII. Septembris concluſum, quod tota iſta materia referatur ad vacationes.*

Ad Abbatias autem non videtur tantum requiri gradus ſcientiæ, quia aliquando ſcientia præbet materiam evagandi, quantum bona adminiſtratio, & bona ſolertia ad divinum cultum, & honeſtas in obſervantia regulari. In margine: *Penultima Auguſti fuit concluſum, quod in magnis Abbatiis, maxime ſi habeant monaſteria ſub ſe, attendatur, quod ſint Doctores, ſicut in Epiſcopatibus. In aliis ſtetur literæ. Sed adhuc iſtius particulæ pendet deliberatio ex particula præcedenti.*

In primis etiam dignitatibus poſt Pontificalem, & curatis cathedralibus ſoli Doctores & Licentiati in Theologia vel jure. In aliis dignitatibus Eccleſiarum cathedralium & in principalibus, ut collegiatis & curatis magnis, iidem, vel baccalaurei in Theologia formati.

Item in qualibet Eccleſia cathedrali ſit certus numerus præbendarum, ad quas non poſſint niſi prædicti ultimi ullo modo aſſumi. Et ſupra dicti gradus ſcientiæ requirantur ſive per ordinarios, ſive per expectativas, ſive per electionem, ſive proviſionem Apoſtolicam. Aliàs nulla ſit proviſio. Habeatur tamen ratio nobilitatis, tam ad Epiſcopatus, quam ad alias dignitates, ſecundum quod videbitur expedire. Item conſideratio regionum, ut ſupra. In margine: *communiter placet iſta particula omnibus, ita quod habeatur conſideratio, quod Eccleſiæ ſint ſufficientes ad hoc.*

De gratiis expectativis videtur, quod principaliter Papa det gratias in communi forma pauperum, in datis conſuetis. Et quod paribus in datis præferantur literati, quod ſint juſtitiæ potius *quam gratiæ.* In margine: *Variæ fuerunt opiniones. Ac aliis & majori parti placuit textus, aliis quod limitentur, aliis, quod materia pro nunc remaneat indiſcuſſa. Et finaliter fuit concluſum, quod differatur.*

Item det rotulos ordinatos pro familiaribus ſuis, pro officialibus, pro regibus, pro univerſitatibus, pro familiaribus Cardinalium, pro ducibus & aliis conſuetis. Sed in certo numero, & cum moderamine debito, ſecun-

cundum ordinationem obſervatam tempore Urbani V. & Gregorii XI. Et ultra rotulos per totum primum annum poſſet ſecundum exigentiam meritorum & ſtatum dare expectativas, in primis datis, ſecundum quod moderate ſibi videtur, poſt annum vero primum nulla niſi ſub data currenti.

Item, quod non dentur expectativæ niſi ad unum beneficium tantum, & unam collationem tantum, niſi eſſet infra ſummam XL florenorum, & tunc ad duo, vel diſtingvantur regiones, ubi detur ad unum vel duo, vel plura, ſecundum conſuetas regulas cancellariæ.

Item non dentur ad prioratus, conventuales, nec ad dignitates electivas.

Item fiat conſtitutio, quod certus locus remaneat liber ordinariis. Sed quod ſimul ſcientiæ conferant, ut ſupra. Et alia proviſio ſit nulla.

Item, quod major in gradu ſcientiæ *præferatur* in pari data, & ideo *diœceſanus* non diœceſano.

Item beneficiis vacantibus minoribus, utantur ſolum reſervationibus juris ſcripti, & Extravagantis Ad regimen, *quæ ita moderata eſt, & conſueta, quod pro jure ſatis reputari poſſit.*

In Epiſcopatibus & abbatiis minoribus, usque ad centum florenos, libera ſit electio & confirmatio ordinariis: In majoribus libera ſit electio, ſed Papa confirmet.

Communia ſervitia prælaturarum ſolvi non poſſint, etiam à volentibus, ante annum. Et fiat talis conſtitutio, quod ſervetur ex neceſſitate. In fine anni, à die habitæ poſſeſſionis, ſolvatur medietas, & alterius anni altera medietas. Et ſi bis in anno vacaverit, non ſolvatur, niſi ſemel. Et Eccleſiæ ac monaſteria, quæ ſunt indebite taxata, debite taxentur.

Item, quod Papa pro tempore exiſtens in ſuis proviſionibus ad prælaturas, & alia beneficia Eccleſiaſtica, mentem habeat & gerat ſpecialem ad Doctores in Theologia, jure canonico, & civili. Et ipſis juxta eorum habilitates & ſufficientias ad gubernandum in ſpiritualibus & temporalibus, provideat, & eos promoveat inter alios. In margine: *Non detur. Quia non expedita, & pendet adhuc.*

Item, quod ArchiEpiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, & alii quicunq; ſpirituales, beneficiorum ſpiritualium collatores, *Doctores* in Theologia, jure canonico vel civili, necnon baccalaureos in Theologia, ad quæcunq; beneficia: Cum curia extra Eccleſias cathedrales exiſtentes, quamdiu aliqui hujusmodi Doctores, Magiſtri ſive Licentiati, ac in diœceſibus, ubi hujusmodi beneficia exiſtunt, non promoti, fuerint, ſemper unum ex hujusmodi beneficiis ex nunc ſimul vel ſucceſſive vacatura conferant, ſeu ad ea præſentent in forma juris de tempore in tempus. Qui quidem Doctores in Theologia, & alii prædicti, ſic promovendi, ſuper eisdem ſuis beneficiis reſideant, & ſuis doctrinis & exemplis populum informent in lege Chriſti, & ad hoc per ſuos ordinarios compellantur. Hic in margine: *XVIII. Novembris concluſum, quod ſtetur Capitulo, quantum ad id, quod ibi dicitur de reſidentia in locis Univerſitatum ſtudiorum. Illi tamen de natione Gallicana dixerunt, quod ſuper hoc contulerant inter ſe, ſed nondum erant concordes.*

Item ArchiEpiſcopi, Epiſcopi, in collationibus beneficiorum, in Eccleſiis cathedralibus & collegiatis, Doctores in Theologia, jure canonico, ſic habeant recommiſſos, quod in Eccleſiis cathedralibus dignitates & *beneficia, pro Theologia ſive jure canonico in eisdem Eccleſiis legendo fundata,* per hujusmodi Doctores in Theologia & jure canonico, non per alios quovis modo occupentur, juxta naturas & fundationes eorundem beneficiorum. Qui quidem *Doctores Theologiam & jura canonica in eisdem Eccleſiis*

juxta

juxta easdem naturas & fundationes *perſonaliter & continue legant. Additur & hic in margine*: Concluſum, quod ſtetur capitulo, & addatur, quod collatio aliis facta quam Theologo vel Canoniſtæ, ſit nulla. Item, quod prædicti Theologi & Canoniſtæ teneantur exequi id, quod eſt eis injunctum per fundatores. Et poſſint ad hoc per ſubtractionem fructuum compelli.

Præterea iidem Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi, alias dignitates, canonicatus & præbendas in ſingulis ſuis Eccleſiis Cathedralibus & collegiatis ſic conferant, quod, quamdiu aliqui hujuſmodi *Doctores*, *Baccalaurei*, ſive *Licentiati*, in ſuis diœceſibus nati & non promoti, ſeu unicum beneficium tantum habentes, reperiri poterunt *idonei*, inter quatuor hujuſmodi dignitates ſeu præbendas, per mortem ſive reſignationem in eiſdem Eccleſiis cathedralibus & collegiatis vacaturas, unam conferant alicui eorundem.

Et præterea alios hujuſmodi *Doctores & Licentiatos & baccalaureos* juxta *ſua merita*, *ſcientias* & habilitates, extra ſuas diœceſes natos, habeant in aliis collationibus ſuis ad hujuſmodi dignitates & præbendas in eiſdem Eccleſiis Cathedralibus vacaturas recommiſſos, juxta ſuas conſcientias, & ſecundum quod pro utilitate Eccleſiarum videbitur expedire. Et omnes *Doctores & Licentiati*, *Magiſtri & baccalaurei* prædicti, vigore præſentis ordinationis ſive decreti promovendi, ſupra beneficiis hujuſmodi juxta naturas & fundationes eorundem reſideant, & morentur, niſi habeant cauſam juridicam, ſive rationabilem ſuæ abſentiæ. Et ad finem, ut præmiſſa exequi valeant, Cancellarii vel Doctores univerſitatum pro tempore exiſtentes, de nominibus hujuſmodi Doctorum, Licentiatorum, ac Magiſtrorum, ac baccalariorum, ordinariis locorum, in quibus nati exiſtunt, certificent de tempore in tempus.

Item, quod *in qualibet Eccleſia Cathedrali ad minus quarta pars præbendarum ſit pro Doctoribus ſeu Licentiatis in ſacra pagina, jure canonico vel civili, aut in medicina, aut baccalariis in Theologia.*

Item quod *in qualibet alia Eccleſia collegiata* ad minus *quarta pars* præbendarum ſit *pro* dictis *Doctoribus*, *Licentiatis ac baccalariis* vel *pro Magiſtris in artibus, ac baccalariis in jure Canonico vel civili.*

Item, quod ad minus tertia pars *Eccleſiarum parochialium* ſit *pro graduatis* & aliis ſupra dictis. Sic tamen quod quoad Eccleſias parochiales exiſtentes in locis inſignibus, aut alias habentes magnas plebes, habeatur reſpectus ad Theologos & canoniſtas.

Item quod de *Epiſcopatibus* & aliis *prælaturis* non provideatur, niſi *graduatis*, aut alias *ſcientiæ eminentis*, aut *generoſis*, ſi tamen illi ſunt ſufficientis literaturæ.

Item, quod nati de diœceſi, in quibus ſunt hujuſmodi beneficia, præferantur extraneis, & magis graduatus minus graduato, niſi rationabilis cauſa aliud expoſcat.

Item quod nullum habens beneficium præferatur habenti, cæteris paribus. Item provideatur, quod per illam *proviſionem graduatorum* divinus cultus & ædificatio populi creſcat, & augeatur.

De Translationibus.

Translationes invitorum Patriarcharum, ArchiEpiſcoporum, Epiſcoporum ſeu Abbatum, ſalvo jure conſtitutionum ordinum ſuorum, Papa non faciat *uſque ad proximum futurum Concilium.* Licet, ubi immineret ſcandalum & periculum Eccleſiæ exſpectando celebrationem futuri proximi concilii generalis, licitum ſit Romano Pontifici, cum conſilio & conſenſu Cardinalium, ſeu majoris partis eorum, abſque translatione facienda de invito, ſcandalo hujuſmodi providere.

Additum & hic in margine: Hoc eſt in conſtitutione, quæ ſupra jam data, quæ incipit: Quia decet. *Alia nota marginalis:* xx. Auguſti fuit determinatum, quod non niſi in Concilio fiant, & quod ſic ſtatuatur.

Quod electiones, proviſiones & poſtulationes de cætero non fiant per preces. Rubrica, xi Septembris. Placuit, quod conſtitutio fiat eo modo & forma, quod non fiat inutilis vel periculoſa. Et fuerunt deputati pro forma dictandi *Reverendisſimi Cardinales Piſanus & Patriarcha Antiochenus.* Qui poſtea exhibuerunt ſchedulam, quæ incipit: *Statutum felicis recordationis Innocentii Papa III. &c. Additur & hic in margine:* Concluſio facta xi. Septembris.

Cap. XXIII.
De Unionibus.

Uniones de beneficiis cujuscunque ſtatus, ſive etiam de eccleſiis ſecularibus vel regularibus, *deinceps non fiant per ſummum Pontificem,* niſi ex cauſa rationabili & cauſa cognita. Et aliter factæ, ipſo jure ſint nullæ. Idem & fortius in Ordinariis.

Factæ autem in præteritum, quæ nondum ſortitæ ſunt effectum, indiſtincte intelligantur caſſatæ & penitus revocatæ.

Et idem de unionibus factis *de vicariis*, quæ intelligantur revocatæ, etiamſi effectum ſortitæ ſint.

Quæ vero *de aliis beneficiis*, ſive per ſummos Pontifices ſive Ordinarios factæ ſunt, & effectum ſortitæ, à tempore hujus nefandi ſchismatis, cauſa rationabili non ſubſiſtente, indiſtincte habeantur pro nullis, & ſint ipſo jure revocatæ. (*zzz*)

Item, revocentur omnes *literæ facultatum conceſſæ mendicantibus*, etiamſi ſortitæ ſint effectum, & etiam ſi per modum commendarum. Sed conceſſæ *aliis religioſis* pro beneficiis extra ſuum ordinem, ſi non ſint ſortitæ effectum, indiſtincte revocentur. Secus, ſi effectum ſortitæ ſunt. In futurum autem indiſtincte non concedantur. Et ſi concedantur, non valeant. (*aaaa*)

(*zzz*) In prioris Protocolli margine. *Detur. Iſta concluſio fuit facta XIX Novembr.*
Huic porro paragrapho ſubjunguntur *in priori Protocollo* ſequentia:

De Exemptionibus

Item quod omnes exemptiones &c. Iſta materia non eſt deliberata, prout apparet die Veneris XXII. Novembris.

Additur hic in margine: *Non detur.*

De Examine Ordinandorum

Fuit dictum, quod Ordinator teneatur examinare.

Etiam, cum examinatio pertineat ad alium ex privilegio vel alio jure, tunc ſi dubitet de idoneitate non tenetur eum admittere, niſi ſe offerat examinationi.

Et hic in margine: *Iſta materia non eſt diſcuſſa plene, prout habetur XIX. Octobr.*

De facultatibus religioſorum

Concluſum, quod facultates conceſſa religioſis non mendicantibus, pro beneficiis extra ſuum ordinem, revocentur, ſi non ſint ſortita effectum. Secus, ſi ſint ſortita. Dictum tamen fuit quod oportet conſiderare. Quia ſunt aliqui canonici regulares qui tenent habitum Canonicorum regularium, & tamen habent beneficium monachorum, & è contra.

Item de literis facultatum dicatur indiſtincte, quæcunq; habeant. Tamen iſta videnda ſunt in capite.

Additur hic in margine: *De iſta materia habes XX Octobris, & prout apparet, in fine non eſt concluſa.*

(*aaaa*) In margine prioris Protocolli: *Detur. De hac materia habes ultima Septembris concluſive.*

Digitized by Google

Cap. XXIV.
De beneficiatis, citra Epiſcopos & Abbates, non reſidentibus. Rubrica.

QVod *omnes habentes beneficia*, requirentia reſidentiam de jure, conſuetudine, vel ſtatuto, vel alia ſpeciali ordinatione, *reſideant*. Et moneantur per edictum publicum. Quod faciant Epiſcopi & alii Prælati, jurisdictionem habentes, in principio ſuæ inſtitutionis. Et repetatur hoc in ſynodis & *conciliis provincialibus*.

Et ſi absque cauſa rationabili & ſuperiorum licentia fuerint abſentes per ſex menſes, exequantur prælati pœnas juris contra ipſos.

Et ultra hoc dixerunt aliqui de ſpecialibus pœnis imponendis.

De licentia autem, quæ datur pro abſentia, quod nihil recipiatur pro ipſa. Et non detur, niſi cauſa rationabili & expreſſa. Nec habeatur pro rationabili, ſi ſtant in curia Regis vel Principis pro officiis voluntariis, in quibus ſtant propter lucrum.

Et ſi Epiſcopi vel alii jurisdictionem habentes fuerint negligentes in præmiſſis, fiat ſuper hoc *inquiſitio in conciliis provincialibus & generalibus* ad effectum, ut in primis redarguantur, & in generalibus puniantur.

Item etiam Papa in principio aſſumtionis faciat edictum publicum in Romana curia de reſidendo, ut ſupra.

Et *diſpenſationes* factæ contra præmiſſa ex toto ſint revocatæ. Nec in futurum concedantur, niſi ex cauſa rationabili & evidenti, & in literis ſpecialiter expreſſa.

Et ſpecialiter habeatur advertentia, quod non diſpenſetur cum illis, *qui ſponte juraverunt reſidere*.

Et quod habentes dignitates principales poſt Pontificales, teneantur ad reſidentiam (*bbbb*)

Cap. XXV.
De taxis Eccleſiarum reducendis ad debitum modum Rubrica.

Fuit propoſitum & dictum, quod materia in ſe erat bona & neceſſaria, ſed tamen *differenda uſque quo* per Dei gratiam *habeatur unio & unicus Pontifex in Dei Eccleſia*. (*cccc*)

Caput XXVI.
Contra Simoniacos.

COncluſum, quod expediens eſt, quod *per concilium procedatur contra aliquos*, ſaltem illos, qui ſunt de hoc publice diffamati. Et dentur judices zelatores veritatis & affecti ex conſcientia contra hoc crimen, qui contra prædictos, conſtanter, intrepide procedant, etiam ſummarie & ſine ſtrepitu & figura judicii, vel ad inſtantiam volentium agere, civiliter vel criminaliter, vel etiam ex officio, & omnibus modis juridicis, etiam per denunciationem vel inquiſitionem. Et hoc quoad *forum judiciale*.

Simoniaci plectendi.

Forum judiciale.

Sed quoad *forum pænitentiale*, quia multi dicuntur his turpibus illaqueati, tam clerici quam laici, & nonnulli etiam creduntur eſſe, qui forte faciunt ſibi conſcientiam, exiſtimantes, ſe hoc crimine contaminatos eſſe, etiam ultra, quam ſint: Ideo ad hoc, ut facilius inducantur ad pœnitentiam ſuper hoc agendam

Forũ pænitentiale.

(*bbbb*) Prius Protocollum ab initio decreti, in margine: *Detur. Hanc concluſionem habes VII. Novembris.*

(*cccc*) Hujus cenſura marginalis in priori Protocollo eſt: *Non detur.*

Digitized by Google

dam, volens *hoc ſacrum concilium* providere ſaluti animarum, ſtatuit *quoad tempora præterita*, quod, quicunque tales voluerint pœnitere, liceat eis eligere ſibi confeſſorem diſcretum, qui ſciat bene talibus conſulere, prout fuerit expediens.

Et ne contingat, *confeſſores* in hoc per ignorantiam errare, decernatur, quod ſint Doctores vel Magiſtri in ſacra pagina, vel in ſacris canonibus. Et iſtis ſic electis *conferatur à concilio plena poteſtas*, ita, quod poſſint ſecundum qualitatem criminis & devotionem confitentis, & aliis circumſtantiis attentis, hujuſmodi confitentes plene abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari, & ſufficienter conſulere, & providere prædictis & eorum ſtatui, habentes in hoc *omnimodam poteſtatem, quam poteſt tribuere concilium.*

Simoniacorũ pœnitentiũ abſolutio.

Intelligendo ſemper, quod quicquid per prædictos in præmiſſis geſtum fuerit, valeat quoad dictum *forum pœnitentiale* tantum, ſine præjudicio *fori judicialis*.

Et *judices* prædicti *deputentur per nationes*, unus pro natione, & unus de collegio Cardinalium, quem ipſum collegium voluerit deputare. (*dddd*)

CAP. XXVII.

Da oneribus, ſeu ſolutionibus pecuniarum, quas habent ſubire hi, qui recipiuntur ad canonicatum vel præbendam in Eccleſiis Cathedralibus, vel aliis collegiatis: Et ſpecialiter de ſtatutis vel juramentis, propter quæ recipiendi ſtant per multos annos, quod nihil percipiunt. Et de litera Vidimus. (*eeee*)

Canonicorum onera.

Concluſum erat varie. Tamen communiter inclinarunt in hoc, quod *onera, quæ ſunt ad cultum divinum*, & quod recipiendus ſolvat pluviale, vel quid ſimile, ſtent. Sed provideatur, quod ſolutio fiat de fructibus præbendæ. Et illud fiat cum effectu *ad utilitatem publicam.*

Si autem ſolvitur pecunia, quæ diſtribuitur inter canonicos, illud prohibeatur. Et ſi eſt conſuetudo *de faciendo paſtũ*, non cogatur recipiendus ad hoc. Et ſi etiam velit facere, non poſſit excedere florenum.

Item ſi conſuetudo habeat, quod *fructus primi anni* debeantur fabricæ, & *ſecundi anni* alteri loco vel perſonæ &c: Non extendatur talia ultra duos annos.

Diſtributiones autem quotidianæ ſine aliqua exceptione debeantur à die receptionis, ſi receptus deſervit in divinis.

De receptionibus verò, quæ fiunt *per expectativas*, quod etiam tunc nihil exigatur. Cum tunc non conſequatur præbendam, quæ non vacat: Vel forte, ſi vacat, alii concurrunt cum eo, ita, quod inter eos eſt lis, quis potior. (*ffff*)

CAP. XXVIII.

De tempore profeſſionis fiendæ Rubrica.

Quæ ætas admittenda ad monaſteria virorum ac feminarum.

Fuit concluſum, quod in religionib' licet poſſint recipi *pueri*, tamen ad profeſſionem non admittantur niſi plene *puberes*, ſcilicet, qui ſint *in* 18 *annos*, *& maxime quoad puellas.* Nec etiam obligentur ex profeſſione tacita ante dictam ætatem.

Et quod *novitii* non admittantur ad profeſſionem, niſi ſciant competenter legere & cantare, niſi in religione militari

(*dddd*) In margine prioris Protocolli: *Detur. Hanc concluſionem habes* XVI. *Nov.*
(*eeee*) In priori Protocollo brevior titulus itidem præmiſſus *De iniquis ſtatutis*. Quæ inſcriptio in margine quoque poſterioris Protocolli conſignata. Habeturque in margine prioris protocolli. *De hac Concluſione vide I. Octobris.*
(*ffff*) In prioris protocolli margine porro additur: *Detur.*

Digitized by Google

tari, ut ſancti Johannis, & ſimili.

Nec ad ſacros ordines admittantur niſi ſint profeſſi, & ſint competenter in Grammatica inſtructi. (*gggg*)

CAP. XXIX.

De Conciliis provincialibus & ſynodis Epiſcoporum. Rubrica.

Concilia provincialia ſint frequentia.

De emendatione morum agendum in Conciliis provincialibus.

FUit concluſum, quod *concilia provincialia fiant, ſaltem de triennio in triennium, & ſynodi Epiſcoporum ſingulis annis.*

In quibus agatur *de correctione morum* & aliis, ut eſt juris.

Et teneantur ArchiEpiſcopi & Epiſcopi per ſe ipſos, ſi non ſint legitime impediti. Et ſi omiſerint, ſint ſuſpenſi ab omni jurisdictione. Et devolvatur ad Capitulum cum emolumento ipſius, quod convertatur in utilitatem publicam Eccleſiarum, non privatam ipſorum de Capitulo.

Et ſi *metropolitanus* per quadriennium, & *diœceſanus* per biennium differant, tunc *in ſequenti concilio generali* poſſint, ſi videbitur, continuo privari dignitatibus ArchiEpiſcopatus vel Epiſcopatus.

Et ipſi teneantur ire *ad concilium provinciale* ſub pœna excommunicationis, quam incidant ipſo facto, niſi habeant cauſam rationabilem, quæ diſcutiatur in concilio, vel ſint ſuſpenſi à collatione beneficiorum per annum. Et devolvatur ad Capitulum ſuum.

Et *de loco concilii provincialis* ſtatuatur in præcedenti concilio provinciali.

Et *duret* ſaltem octo diebus vel decem. Aliqui dixerunt de menſe. De ſynodo vero, quod duret ſaltem quinque diebus. Nihilominus fuit dictum, quod illa materia latius tractaretur in ſequenti die. Poſtea tamen nihil fuit mutatum. (*hhhh.*)

CAP. XXX.

De caſibus reſervatis ſedi Apoſtolicæ.

PRopoſitum fuit *de caſibus reſervatis ſedi Apoſtolicæ*, in quibus abſolvit *major pœnitentiarius*, ſine ſpeciali mandato, quod committantur Epiſcopis. Vel ſaltem quod in partibus alicui daretur poteſtas circa hoc. (*iiii.*)

Concluſum per majorem partem, quod ſtetur juri communi.

Tamen aliqui dixerunt, quod *ſuper occultis* bonum eſſet providere. Et aliqui etiam dixerunt, quod vellent magis deliberare *de occultis*. *De notoriis* autem fuerunt omnes concordes, quod ſtetur juri communi. (*kkkk.*)

CAP. XXXI.

De vicariis perpetuis in Eccleſia inſtituendis. Rubrica.

ITem in ſingulis Eccleſiis appropriatis & unitis ſit *unus vicarius* alias *curatus perpetuus*, qui curæ inſiſtit Eccleſiarum, bene & competenter dotatus per Ordi-

(*gggg*) In margine Prioris Protocolli: *De hac concluſione vide IX. Novembris.*

(*hhhh*) In margine prioris Protocolli: *Hanc concluſionem habes X. Octobris, non tamen diſcuſſam, prout habes in fine.*

(*iiii*) In margine prioris Protocolli: *Detur.* Et in margine poſterioris: *Fiat, ad minus ad præſens.*

(*kkkk*) Et hic in margine prioris Protocolli: *De hac concluſione habes 25. Novembr.* Atque hic finitur prius Protocollum in Codice MSCto Vindobonenſi, Actorum Concilii Conſt. Parte I. f. 96.

Digitized by Google

Ordinarium, pro autoritate Apoſtolica, & hoſpitalitate tenenda, & oneribus incumbentibus ſufficienter ſupportandis: Revocatis literis Apoſtolicis, privilegiis, conſuetudinibus, præſcriptionibus, pactis, ſententiis latis, omnibus aliis, in contrarium facientibus quibuſcunque, tanquam irrationabilibus, & in præjudicium divini cultus conceſſis.

CAP. XXXII.

Quod Pontifices ordines, conſecrationes, & alia Pontificalia, per ſe vel ſubſtitutos, gratis, ſine quacunque exactione pecuniarum, celebrare teneantur: Et quod non diſpenſent cum ordinatis per ſimoniam.

Rubrica.

QVia à temporibus longis, humani generis hoſte procurante, nonnulli, imo multi Pontificali dignitate ſublimati, quibus ex debito Pontificalis officii competebat ſacrorum & inferiorum ordinum miniſteria, nec non conſecrationes & alia Pontificalia actuum exercitia, per ſe, *gratis, ſine quacunque pecuniarum exactione* celebrare, hujuſmodi exercitia, aliis *Epiſcopis titularibus*, pauperibus, & aliunde unde viverent non habentibus, interdum annua penſione ex pacto ſeu aliàs ſoluta, commiſerunt exequenda: Qui differenter ſecundum differentias ordinum aut rerum conſecrandarum, implicito vel explicito pacto, ab ordinatis vel conſecratis, aut de conciliatis rebus *pecunias* nedum *receperunt*, ſed & ſatis inhumaniter extorſerunt, *vitium ſimoniacæ pravitatis miſerabiliter & ſatis impudenter* nedum exercendo, ſed & alios recipientes hujuſmodi ordines, de conſecrationibus & reconciliationibus paciſcentes, damnabiliter maculando: Idcirco *ſacra ſynodus*, volens tale *vitium, tam evidenter Eccleſiam Dei ſcandalizans*, in quantum poteſt, *extirpare*, ſtatuit & decernit, quod quilibet ArchiEpiſcopus aut Epiſcopus præfatos ſuos actus Pontificales vel per ſe ipſum, ſi poterit, alioquin per ſubſtitutum Pontificem, & catholicam gratiam & communionem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ habentem, *gratis & abſque omni datione aut exactione pecuniarum pravia*, ipſi Pontifici, janitoribus, intitulatoribus, ſcriptoribus vel ſervitoribus, quomodolibet, cum pacto vel ſine pacto ſolvendarum, exerceat, & faciat taxam *literarum teſtimonialium*, quæ *formatæ* nuncupantur, pro quibus unus ſolus papalis groſſus aut ejus valor tam pro ſigillo & cera, quam ſcriptura ſolvi debet.

Epiſcopi titulares.

Simonia arta.

Concilii Conſtantienſe Simoniam omnem voluit extirpatam.

Vel, ſi Archi-Epiſcopum vel Epiſcopum ad extranea remotiora loca, pro conſecratione & reconciliatione Eccleſiæ, monaſterii, cœmeterii, altaris aut capellæ, proficiſci contingat, præciſe expenſarum & non ultra procuratione & ſolutione, duntaxat exceptis ordinatione & diſpoſitione, quod Epiſcopo ordinanti & conſecranti, reconcilianti, ſubſtituto, de reditibus menſæ ſuæ principalis taliter & tam ſufficienter provideatur, ne egeſtate gravatus ſibi in hujusmodi actibus ſimoniace quæſtum quærat.

Quod ſi ſecus actum fuerit, & quod pecuniæ ultra id, quod præmittitur, exigantur, dentur, aut recipiantur, ſit ipſe *ordinans*, vel alium actum Pontificalem exercens, tam *principalis* quam *ſubſtitutus*, ultra pœnas juris eo ipſo ſua Pontificali dignitate privatus & inhabilis ad eandem. Et taliter *ordinatus* ab officio ſuo ſuſpenſus tam diu, donec à ſolo ſummo Pontifice *in generali concilio* à tali ſuſpenſione relaxari mereatur.

Pœna Simoniacarum artium.

Et nihilominus, quod *hactenus* talis *damnatæ corruptionis abuſus nimium invaleſcens totum ordinem Eccleſiaſticum* miniſtrorum Dei ſimplicium *per ſimoniacam ſuorum ordinum receptionem* hinc inde per diverſas infecit mundi partes, ita *ut pauciſſimi reperiantur, qui non ſint vitio maculati* ſeu decepti: Idcirco *hæc ſancta*

Totus olim ordo Eccleſiaſticus Simonia infectus.

ſancta ſynodus, errantium multitudini compatiens, pia mater; omnes taliter *ex pura ſimplicitate promotos*, aut aliter ad ſacros ordines promoveri non potentes, a ſingulis excommunicationis & ſuſpenſionis ſententiis, quas taliter ordinati uſque ad præſens incurrerint, aut inciderint; ipſo jure, poſtquam coram taliter commiſſa aut debita ſuis confeſſoribus in foro conſcientiæ, & confeſſione expoſuerint, accepta ſecundum modum culpæ pænitentia ſalutari, ex nunc prout ex tunc *abſolvendos* & relaxandos decrevit, nec non *præſenti conſtitutione abſolvit & relaxat*. Super irregularitate ſeu inhabilitate quacunque, in officio ordinum ſuorum miniſtrando quamlibet hactenus contracta, pie & miſericorditer diſpenſando.

Diſpenſatio de Simoniacis ex mera ſimplicitate promotis.

CAPUT XXXIII.

Contra Concubinarios. Rubrica.

De Concubinaris clericis caſtigandis.

AD arcendum *concubinatus crimen*, & de *clero* penitus ad eliminandum, ſummo ſtudio per ſacros canones proviſum eſt.

Quia tamen quam plures Ordinarii & alii, ad quos pertinet, non adhibuerunt, nec adhibent diligentiam, quam haberent in eisdem proviſionibus: Crimen præfatum in multis locis cum maximo catholicorum ſcandalo, & in totius clericalis contemtum ordinis frequentatur. *Cui morbo hac ſacra ſynodus volens occurrere decernit*, ut deinceps omnes in ſacris ordinibus exiſtentes, vel religionem aliquam de apparatis profeſſi, *qui votum continentiæ*, ad quod ſe ſponte obligarunt, *concubinatus fœditate violarunt*, pœnis infra ſcriptis ipſo facto ſubjaceant. Ut videlicet, ſi habuerint beneficia ſecularia vel regularia, etiam ſi ſint epiſcopatus vel firmiora beneficia, & *concubinas notorie tenuerint*, niſi infra menſem prorſus à ſe removerint, ipſo jure intelligantur ſuis beneficiis *per hanc conſtitutionem* privati. Et poſſint ipſa beneficia libere per habentes poteſtatem aliis conferri & impetrari, vel aliis canonicis modis de aliis idoneis reformari.

Clericorũ Concubinariorum pœna.

Si vero beneficiati non fuerint, ſint ipſo jure inhabiles ad conſequenda quæcunque beneficia: Pœnis aliis à ſacris canonibus contra tales prædictos in ſuo robore remanentibus.

Quia vero circa evitationem talium diverſæ reperiuntur opiniones, aliis aſſerentibus, quod a *presbyteris notoriis concubinariis*, quam diu tolerantur ab Epiſcopis & aliis ſuperioribus, ita, quod per eos non eſt facta mentio ſpecialis, & nominatim quod evitentur, licitum ſit audire divina, & talia alia ſuſcipere Eccleſiaſtica ſacramenta ab eis; Aliis confirmantibus, ipſam notorietatem ſufficere, ut quilibet poſſit & debeat etiam alia monitione non præcedente tales evitare: Volens *eadem ſynodus* animarum ſaluti conſulere, & ſentiens, ex hujuſmodi evitatione, quam privati autoritate propria fecerunt, in nonnullis locis graviſſima ſcandala exorta fuiſſe, decernit, priorem opinionem, quæ *monitionem præcedentem* exigit, tanquam tutiorem & non ſcandaloſam eſſe præferendam. (*llll*)

CAPUT XXXIV.

De veſtibus clericorum. Rubrica.

STatutum felicis recordationis *Clementis Papæ V.* contra clericos, abſque rationabili cauſa *veſtes virgatas* aut *partitas* publice deferentes, editum *in concilio Viennenſi*, locum habere *decernit ſancta ſynodus* in omnibus clericis, etiamſi Pontificali præfulgeant dignitate, qui abſque cauſa ſimiles *veſtes viri-*

(*llll*) In margine poſterioris hujus majoris Protocolli in fine canonis hoc adjectum monitum: *Provideatur de executione.*

Digitized by Google

virides, *rubras*, *ſupra talum curtas*, *fiſſas*, *ſtampatas*, aut *manicas latas ultra palmam*, ſeu *foderaturam odoram habentes*, alias prohibitas in concilio generali, de cætero publice portare præſumant.

Adjiciens, ut ultra *pœnas* ibidem promulgatas, ordinarii locorum clericos ſibi ſubditos in præmiſſis excedentes, ſive exemtos, apoſtolica autoritate monere teneantur, ut veſtem talem habentes infra certum tempus dimittant, & tradant, pauperibus in eleemoſynam erogandam. Quod ſi poſt trinam monitionem non fecerint, beneficiis ſuis ſint ipſo facto privati. Vel ſi beneficium non habuerint, ſint omnino inhabiles ad idem.

Ordinarii vero, qui circa monitiones prædictas & executiones earum reperti fuerint negligentes, ſecundum negligentiæ modum per ſuperiorem proximum, etiamſi ſint Pontifices, appellatione poſtpoſita percellantur, ſive puniantur.

De viris eruditis ad officia ſacra promovendis.

(*mmmm*) Ad *Epiſcopatum* nullus eligatur vel aſſumatur, niſi *Doctor in Theologia*, *Jure Canonico*, vel *civili*, vel notorie ſufficiens Doctor reputatus. Excipe parvos Epiſcopatus, qui non aſcendunt ad quatuor Centum florenos, ut ſunt in civitatibus non inſignibus.

Ad *abbatiam*, ſi eſt caput ordinis, vel Prior Abbas, id eſt, ſi aliàs habens vel habere debens conventum XXV. monachorum, ſufficiat *licentia in jure canonico*, vel *baccalaureatus formatus in Theologia*, in minoribus auditio triennalis. Niſi eſſet *Ciſtertienſis* vel *Præmonſtratenſis ordinis*, in quibus competens Grammatica cum bona adminiſtratione ſufficiat.

In dignitatibus primis poſt Ponticalem, in cathedralibus, vel principalibus, collegiatis & aliis, jurisdictionem habentibus, *doctoratus*, vel *licentia divini vel humani juris* requiratur. In cæteris dignitatibus ſufficiat *baccalaureatus* cum lectura triennii.

In qualibet Eccleſia cathedrali ſit una *præbenda pro magiſtro in Theologia*, qui ſaltem bis in ſeptimana legat, & aliquando prædicet, & una pro Doctore juris Canonici vel civilis, qui in cauſis Eccleſiæ patrocinari teneatur. Nec aliis conferri poſſint.

Excipe Eccleſias habentes adeo præbendas exiles, ut non inveniant Doctorem, qui ſe velit ad præmiſſa obligare. De aliis vero præbendis *quarta pars graduatis debeatur in Theologia*, *jure canonico vel civili*.

In *collegiatis* vero non cathedralibus quarta pars prædictis, vel medicinæ vel artium magiſtro debeatur.

In *Eccleſiis parochialibus*, quæ ſunt in villis inſignibus, & valent centum florenos, vel ultra in portatis, requiratur *licentia juris canonici vel civilis*, aut *baccalaureatus formatus in Theologia*. Si vero fuerit extra inſignes villas, ſufficiat gradus baccalaureatus in ſcientiis prædictis, ſeu *magiſterii medicinæ vel artium*.

In cæteris *parochialibus* & aliis beneficiis requiratur ſemper competens Grammatica, & alia, juxta diſpenſationem juris communis.

Et ſemper *graduatus non graduato*, vel magis graduatus minus graduato, & diœceſanus non diœceſano *præferatur*, in pari data.

Et prædicta intelligantur, ſive per electionem, ſive per collationem aut promotionem, in curia vel extra, aſſumatur.

Caput XXXV.

De peſſima conſvetudine cathedralium & regularium Eccleſiarum, quod in eis non admittantur, niſi de nobilium aut militarium genere procreati.

Quia in Eccleſiis quibusdam regularibus peſſima ſervatur & inolevit conſvetudo, vel potius corruptela, ſic, quod in eis non admittantur niſi de nobilium

(*mmmm*) Quæ hic ſeqvuntur, usque ad novum caput, non ad præſentem titulum videntur ſpectare. Ut omiſſum eſſe titulum appareat. Reſpondent autem ex parte illis, quæ ex priori Protocollo ſupra ad caput XXII. *fol.* 623. longa ſerie recenſuimus.

bilium aut militarium genere procreati, qui velut ex militia geniti *moribus laicalibus imbuti ſtudia non frequentant, neque curant*, & ſic *ignari* remanent & *idiotæ*: Ex quibus tunc conſequenter per electionem talem qualem ad Eccleſias cathedrales hujusmodi militiæ dediti in prælatos promoventur, interdum *vix latinum fari ſcientes*, & actus militares tam in veſtibus, quam in bellorum conflictibus & armorum inſultibus, quia exercitati ſunt in illis, magis prætendentes, quam quod actibus Pontificalibus pro acquirendis, conſervandis & paſcendis animabus & ovibus ſibi ſubjectis, ſe ingererent, contra jura tam divina quam humana: Unde multa in populo ipſis ſubjecto ſcandala oriuntur, & Eccleſiæ ipſæ gravia damna & pericula patiuntur: Et ſpecialiter plura ſolennia monaſteria de ordine S. Benedicti deſolata ſunt, & deſerta, ita quod in quibusdam vix duo aut tres monachi inveniantur, qui nec religioſe vivere, nec divina curant miniſtrare, ſeu frequentare officia, bona etiam, res & poſſeſſiones monaſteriorum, male diſpenſantes, in eſſe ſeu ſtatu eorum non conſervant, ſed eorum aliqua ab ipſis monaſteriis à lienant: Idcirco petitur ſuper his provideri. [*nnnn*]

Eruditionis curam eſſe habendam in officiis Eccleſiaſticis magnis.

Ad idem.

Omnes conſtitutiones ſeu conſvetudines, quantumcunque ſervatas, etiamſi tanto tempore, cujus contraria memoria non exiſtat, etiam per ſedem Apoſtolicam confirmatas, quod ad Epiſcopatum, dignitates ſeu præbendas aut monachatum, niſi nobiles vel illuſtres, aut cujuscunque gradus, dignitatis, nobilitatis recipiantur, *declarat hæc ſancta ſynodus* non valere, ſed reputandas *corruptelas*. Niſi forte in ipſa fundatione Eccleſiarum ſeu beneficiorum probari poſſit, ex voluntate Patroni ſic fuiſſe ſtatutum. Quo caſu ex Eccleſiæ tolerantia ſervari poſſint. Niſi talis nobilitatis homines de facili reperiri non poſſint. Quo caſu ad explendum numerum canonicorum ſeu monachorum tales Eccleſiæ vel conventus etiam ignobiles admittere vel recipere teneantur.

Gradus etiam *doctoratus* vel *licentia in ſacra pagina, jure canonico vel civili, pro quacunque nobilitate reputentur.*

Cap. XXXVI.
De fructibus indebite perceptis per Prælatos.

ADverſus damnabilem abuſum, quo quidam *Eccleſiaſtici prælati* requirunt, exigunt, & recipiunt, *& ſibi inburſant* fructus integros aut duorum, vel medios duorum annorum, vel unius, in magnum detrimentum & gravamen pauperum, qui multa litigando expoſuerunt, ac in principio introitus ſui multis indigent, pro regimine domeſtico, & hoſpitalitate ſervanda, cum tamen hujuſmodi prælati alias ſint ſufficienter abundantes, & reditus pro ſuis menſis habent copioſos: Petitur igitur ſuper his etiam provideri. (*oooo*)

Res pecuniaria coercita in clero.

Cap. XXXVII.
De iniquis ſtatutis Eccleſiarum & monaſteriorum.

QVum nonnulla Eccleſiarum & monaſteriorum capitula & conventus quædam *nimis intolerabilia pauperibus, exorbitantia ſtatuta* habere noſcuntur, videlicet, quod nullus de novo admittatur, niſi *magna pecuniarum ſoluta*

(*nnnn*) Deſiderata hac de re *Conſtitutio Concilii* exhibetur infra *Parte XII.* in *Decretalibus Reformatorii Conſtantienſis, lib. 3. tit. 3. cap. 1.*

[*oooo*] Hoc factum quoque eſſe conſtabit ex *Decretalibus Reformatorii Conſt. l. 3, tit. 12. cap. 1.*

Digitized by Google

ſoluta quantitate: Ita etiam, quod talem admittendum, pluribus annis, antequam integram præbendæ portionem accipiat, oporteat *expectare*: Quo contingit, quod *pauperes* etiam, quantumcunque alias *idonei*, nimium prægraventur: Idcirco talibus gravaminibus & exactionibus ſuccurrendo petitur provideri. (*pppp*)

CAP. XXXVIII.

De exactionibus per principes impoſitis clericis. Rubrica.

CUm prælati Eccleſiaſtici, principes ſeculares, & aliæ perſonæ, ſingulari exactionis genere clericos ſeculares & religioſos per nimias hoſpitalitates, vecturas, aliasque ſervitutes, venatores, falcanarios, canes & aves, quos clericis & religioſis committunt nutriendos, ac etiam porcos, boves & animalia ad impinguandum tradunt, nimis gravent: Idcirco petitur ſuper hoc per optimum remedium provideri. (*qqqq*)

Clerum inferiorẽ non nimis eſſe onerandum à ſuperiori.

CAPUT. XXXIX.

Ad idem, Contra libertatem Eccleſiaſticam. Rubrica.

Eccleſiaſticorum bona non citra neceſſitatẽ onerãda.

QVia per diverſa loca fiunt, & hactenus facta ſunt *ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam*, collectæ, aliaq; gravamina per dominos temporales & communitates, ſpreta & calcata omni reverentia, quibuſcunque clericis & eorum bonis, prætoriis ac laicis impoſita, paſſim imponuntur: Per optimum videtur, quod, etſi præmiſſa à jure ſatis damnata ſint, tamen denuo *per hoc ſacrum concilium* pro majori firmitate adhibeatur omnis cura poſſibilis, *quod illa omnia de facto tollantur*: Et nova pœna formidabilior *taliter facturis*, & clericis aut bonis ipſorum gravamina ſeu collectas imponentibus, ſtatuatur. Quia pœnæ alias à jure inflictæ contemnuntur & vilipenduntur. (*rrrr*)

CAP. XL.

Quod revocetur Auditor cameræ, qui eſt in Avinione, & poteſtas Pœnitentiarii minoris extra curiam, & quæſtores extraordinarii.

COncluſum, quod revocetur *auditor cameræ*, qui eſt *in Avinione*, tanquam ſuperfluus, & per cujus officium nimium præjudicatur officio auditoris cameræ, qui eſt in curia.

Revocentur etiam omnes conceſſiones factæ aliquibus extra curiam, per quas conceditur eis illa poteſtas, quam habent *pœnitentiarii minores in curia.*

Revocentur etiam omnes *quæſtores extraordinarii.* Ut illi, qui de conſuetudine non habent, vel ex privilegio, conceſſis locis vel hoſpitalibus, quæ poſſunt facere.

CAP.

(*pppp*) Et huic deſiderio mox factum ſatis in Reformatorio Concilii Conſtantienſis. Vide infra *Parte XII.* in *Decretalibus Reformatorii Conſt. lib. 3. tit. 12. cap. 3.*

[*qqqq*] Præſtitum & hoc in Reformatorio Conſt. Vid. *Decretal. Reform. Conſt. l. 3. tit. 12. cap. 5.*

(*rrrr*) Vide infra *Parte XII. l. c. cap. 4.*

Cap. XLI.

Contra Prælatos, qui non incedunt in habitu & tonſura decenti.

Fuit concluſum, quod Prælati, videlicet Patriarchæ, ArchiEpiſcopi, Epiſcopi, Abbates, ſi omiſerint incedere in *habitu & tonſura* per annum, ſint ipſo jure privati ſuis beneficiis. Et libere poſſint habentes poteſtatem eligendi vel conferendi, eligere & conferre.

Tonſura cleri.

Et ſub *habitu clericali* intelligatur, quoad prælatos ſeculares, quod portent rochetum & Cappam, vel troccam vel mantellum, & quoad regulares, quod portent habitum ſuæ religioni convenientem.

Cap. XLII.

Quod Prælati habeant vicarios non idiotas ſed bene literatos.

Et fuit concluſum, quod hoc fuit de jure communi: Tamen fiat conſtitutio, in qua decernatur, quod omnes prælati & perſonæ Eccleſiaſticæ, habentes juriſdictionem ſpiritualem, non poſſint cauſam exercere niſi *per clericos non uxoratos & bene literatos*, item *in jure peritos*. Et ſi per non clericos fuerint latæ ſententiæ, ſint nullæ. Et quod imponantur pœnæ ſufficientes contra contrafacientes.

Cap. XLIII.

De juramentis capitulorum præjudicantibus Eccleſiis. Rubrica.

Propoſitum fuit *de juramentis, quæ exiguntur per capitula vel conventus, ante electionem*, vacante ſede Apoſtolica, quæ ſinguli de capitulo jurant, quod, ſi eligentur, faciant talia, quæ ſunt *in grave præjudicium* Eccleſiarum, ſeu menſæ Epiſcopalis aut alterius præ laturæ.

Ad quod dictum fuit, quod juramenta non tenentur.

Sed quia non obſervantur de facto, quod apponantur pœnæ, puta, quod *electio* ſit nulla, & *eligentes* priventur jure eligendi proxima vice ſeu vacatione.

Addiderunt etiam aliqui, quod *electus* ſentiatur inhabilis perpetuo ad illam dignitatem.

Dixerunt & alii, quod etiam quoad *eligentes* adderetur major pœna.

Cap. XLIV.

Quod prælatus contra prælatum non poſſit propria autoritate indicere bellum. Rubrica.

Franciſcus Zabarella cum natione Germanica de factis quibusdam Eccleſiæ in Germania in Conſtant. Concilio deliberavit.

Item omnes convenerunt, quod erat juſtum, quando dicitur *ad offenſam*, quod hoc tunc non debet fieri ſine licentia ſuperiorum, niſi in defectu juſtitiæ. Sed de pœna indicenda fuit varietas.

Ideo dixerunt, *quod cogitaretur maxime per nationem Germanicam, ubi talia plus quam alicubi eveniunt.*

Dictum etiam fuit, quod *Germanici* ſint *cum Domino Cardinali Florentino*, & declarent præmiſſa duo capitula, ut videbitur, & iterum hic videatur.

Germania fatū.

Raris-

Rariſſimum hoc
Illuſtris Collegii
Reformatorii
In Concilio Generali
Conſtantienſi
De Eccleſiæ Reformatione
Geminum Protocollum,
IMPERATORE SIGISMUNDO
In Concilio Conſt.
factum,
Ex antiquisſimis Codicibus MSCtis
Auguſtisſimæ Bibliothecæ
Cæſareæ Vindobonenſis
tribus fere ſeculis elapſis
nunc tandem
A. M DC XCVI
Menſe Decembri
in Academia Julia
erutum luciq́ue expoſitum
Auſpiciis
Sereniſſimi Brunſvicenſium
Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI,
Inexplicabili Gratiâ
IMPERATORIS MAGNI
LEOPOLDI I.

Digitized by Google

TOMI I. PARS XI.

REFORMATORII
IN CONCILIO CONSTANTIENSI

DECRETA

DE REGIMINIS ECCLESIASTICI EMENDATIONE.

Felicissimis Auspiciis
Serenissimi Principis ac Domini

DN. RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.
DUCIS &c.

Ex *vetuſtiſſimo Codice MSCto*
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ
VINDOBONENSIS
eruta ab

HERMANNO von der Hardt/
Acad. Jul. Profeſſore.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.
Helmestadi, Typis Salomonis Schnorrii, 1697.


Digitized by Google

MSCt. VINDOBONENSE
Actorum Concilii Conſt. Tom: IV.

* * *

AVISATA
In
REFORMATORIO
CONCILII CONSTANTIENSIS
per
XXV Prælatos
&
Doctores.

Digitized by Google



Erudito Lectori
S. D.
HERMANNUS von der Hardt.

GEminum dedimus *Reformatorii in Concilio Conſtantienſi Protocollum*, quod deſideratam Eccleſiæ illius temporis Reformationem concerneret. Quid illa tempeſtate *in Eccleſiaſtico ſtatu, regimine, fatis*, fuerit deſideratum, ex his elucet. Quanto etiam molimine *emendationem formæ Eccleſiaſticæ* fuerint moliti in Concilio iſthoc œcumenico Viri illuſtres, exinde manifeſtum. Ingens profecto ſollicitudo, non brevi impetu finita ac terminata. Non unius hoc in tam celebri Concilio fuit diei opus, non unius anni. Continuum per omnem propemodum Concilii ambitum omnium in Chriſtiano orbe Nationum hoc fuit ſtudium. Admirabilis quoq; conſultandi modus, inter Nationes probatus atque in celeberrimo iſthoc Concilio curate ſervatus, quem in præfatione Partis X. deſignavimus.

Quod igitur perardua hæc eſſent negotia, totius Eccleſiæ ſalutem attingentia, non mirum, diutius eſſe deliberatum, frequentius conſultatum, & acrius interdum de his argumentis diſputatum. Quas *abolenda Concilii ope Annatarum materia* pepererit animorum motiones & acerbas concertationes, *Natio Gallicana* palam in ipſo Concilio denunciavit, *hiſtoriâ* longæ de hoc Emendationis momento dimicationis *editâ*, quam alio hujus Tomi loco integram ſiſtemus.

Etiamſi vero plerique Reformationis articuli *placide atque ſine motu* proponerentur in Reformatorio, ac in Nationibus *tranquille diſcuterentur*: Non defuere tamen *ſcrupuli*, qui pro ingeniorum, affe-

Digitized by Google

ctuum, nationum diſcrimine, eruditos Reformatorii Aſſeſſores ſæpenumero vehementer urgerent. Nec enim par indoles omnium Nationum, nec idem genius conſultantium. Magnum proinde negotium *unanimis* de quovis puncto *conſenſus*. Deſideravit igitur cauſa non una *longius deliberandi*, coeundi, atque conferendi *ſpatium*.

Imo quantumvis unanimibus votis in eandem omnes Nationes conceſſiſſent ſententiam, *uberioris* tamen *confirmationis* aut illuſtrationis gratia *ſæpe ſub incudem revocata definitio*, decretumq; limatum, & meliorem in formam vel ordinem digeſtum. Donec omnium Nationum voluntas apta oratione veſtita, ſuisq; debitis verborum limitibus circumſcripta conſignaretur. Præcipue, poſtquam nova indies deliberatio poſt longam meditationem, repetitionem, maturamque concoctionem, *cautius quædam determinare*, cancellos novos jungere, arctiusque univerſa concludere ſuaſit.

Quæ ergo *luculenta Reformationis Eccleſiaſticæ*, in Concilio Conſtantienſi quæſitæ, tentatæ, ac definitæ, *argumenta*, ex gemino ſuperiori Protocollo Reformatorii Conſtantienſis conſtant, uberius mox ſunt examinata, diſtinctius ponderata, ac clarius ſenſim explicata.

Damus idcirco hac parte *luculentiorem* atque concinniorem quorundam in Reformatorio *decretorum ideam*, pleniori conſultatione partam. Neque verò omnes Reformationis articuli, aliàs in Concilio ventilati, in ſuperioribus Protocollis expreſſi, & poſthac dilucidius atque copioſius ex MSCtis recenſendi, hoc opuſculo commemorantur. Eſt duntaxat hoc quoddam *Compendium*, præcipuarum quarundam conſtitutionum ſententiam complectens.

Publicum autem & hoc eſſe *Reformatorii Conſtantienſis monumentum*, ipſa nunciat expreſſa *opuſculi inſcriptio*, quæ habetur in *CODICE MSCto AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS: AVISATA IN REFORMATORIO PER XXV. PRÆLATOS & DOCTORES.*

Quanquam verò non diſſimilis Nationum ſententia in ſuperiori gemino Reformatorii Protocollo jam eſſet exhibita, præſens tamen affine monumentum ob argumenti propinquitatem negligere, nefas fuit. Imo in ipſam tantæ rei hiſtoriam haud levis hæc eſſet injuria, repetita quædam vel & leviter mutata rei fata præterire. Quin decreti renovati auctiq; integritas lucem nanciſcitur inſignem ex ſententiæ ſimilitudine. Confirmatio itaque hæc, illuſtratio atque obſignatio, mitti à nobis haudquaquam debuit.

Agnoſcet publica res literaria & hanc hiſtoriæ Conſtantienſis Concilii, inq; eo Reformatorii partem, eamq; cum ceteris conſervatam ac in noſtra tempora propagatam amplectetur.

(o)

REFOR-

Digitized by Google

REFORMATORII
in Concilio Conſtantienſi
DECRETA
DE REGIMINIS ECCLESIASTICI EMENDATIONE.

Ex vetuſtiſſimo Codice MSCto
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.

CAPUT I.
De futuris conciliis celebrandis.

Generalia concilia frequenter celebranda.

HOc *decreto perpetuo* ſancimus, decernimus & ordinamus, ut amodo *generalia concilia celebrentur.* Ita, quod *primum* à fine hujus concilii in quinquennium immediate ſequens, *ſecundum* verò a fine illius ſequentis concilii in ſeptennium, & deinceps *de decennio ad decennium* perpetuo celebrentur, in *locis*, quæ ſummus Pontifex per menſem ante finem cujuslibet concilii, *approbante & conſentiente concilio*, vel in ejus defectu *ipſum concilium* deputare & aſſignare teneatur.

Singulis decenniis. Locum Concilii definiat Pontifex. Vel Concilium.

Ut ſic per quandam *continuationem* ſemper aut *concilium vigeat*, aut per termini pendentiam *expectetur.*

Concilium non differat Pontifex.

Quem terminum liceat ſummo Pontifici, de fratrum ſuorum Sanctæ Romanæ EccleſiæCardinalium conſilio, ob emergentes forte caſus, *abbreviare.* Sed *nullatenus liceat* eidem ſummo Pontifici, etiam de fratrum conſilio *prorogare.*

Locum concilii non mutet Papa.

Locum autem, *pro futuro concilio celebrando deputatum*, absque evidenti neceſſitate *non mutet.*

Niſi certis caſibus.

Sed, ſi forte *caſus* aliquis occurreret, quo neceſſarium videretur ipſum locum mutare, puta obſidionis, guerrarum, peſtis aut ſimilis: Tunc liceat ſummo Pontifici, de prædictorum fratrum, aut duarum partium ipſorum conſenſu atque ſubſcriptione, alium *locum* prius deputato *viciniorem* & aptum *ſub eadem tamen natione* ſurrogare. Niſi idem *impedimentum per totam illam nationem* vigeret. Tunc ad aliquem alium viciniorem *alterius nationis* locum aptum, hujusmodi concilium poterit convocari. Ad quem Prælati & alii, qui ad concilium ſolent convocari, accedere teneantur, acſi à principio locus ille fuiſſet deputatus.

Quam tamen *loci mutationem* vel *termini abbreviationem* teneatur dictus ſummus Pontifex legitime & ſolenniter per annum ante præfixum terminum *publicare* & intimare, ut ad ipſum concilium celebrandum poſſint prædicti ſtatuto termino convenire.

CAPUT. II.
Proviſio adverſus futura ſchismata præcavenda.

Tempore schismatis Concilium maturandum.

SI vero, quod abſit, in futurum *ſchisma* oriri contingeret, ita, quod duo vel plures pro ſummis Pontificibus ſe gererent: A die, quo ipſi duo vel plures inſignia pontificatus publice aſſumſerint; ſeu adminiſtrare cœperint, intelligatur ipſo jure *terminus concilii*, tunc forte ultra annum

annum pendens, ad annum proximum *breviatus*.

Ad quod omnes *prælati* & cæteri, qui ad concilium ire tenentur, ſub pœnis juris & aliis per concilium imponendis, *absque alia vocatione* conveniant.

Nec non *Imperator*, cæterique *Reges* & *Principes*, vel perſonaliter vel per ſolennes ſuos nuncios, tanquam ad commune incendium extinguendum per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti ex nunc exhortati, concurrant.

Et *quilibet* ipſorum *pro Romano Pontifice ſe gerentium* infra menſem à die, qua ſcientiam habere potuit, alium vel alios aſſumſiſſe papatus inſignia, vel in papatu adminiſtraſſe, teneatur ſub interminatione maledictionis æternæ, amiſſionis juris ſui, quod forſan ſibi quæſitum eſſet in papatu, quam ipſo facto incurrat, & ultra hoc ad quaslibet dignitates active & paſſive ſit inhabilis, *concilium* ipſum ad terminum anni prædictum, loco prius deputato celebrandum, *indicere* & publicare, & per ſuas literas competitori vel competitoribus, ipſum vel ipſos provocando ad cauſam, & cæteris prælatis ac principibus, quantum in eo fuerit, *intimare*, nec non termino præfixo ſub pœnis prædictis *ad locum concilii perſonaliter ſe transferre*, nec inde diſcedere, donec per concilium cauſa ſchismatis plenariè ſit finita.

Disſidentes Papæ in Concilio compareant.

Hoc adjuncto, quod *nullus ipſorum contendentium de papatu in ipſo concilio ut Papa præſideat*..

Contendentium Pontificũ nullus in Concilio præſideat.

Quinimò ut tanto liberius & citius Eccleſia unico & indubitato paſtore gaudeat, *ſint ipſi omnes de papatu contendentes*, poſtquam dictum concilium inceptum fuerit, *autoritate hujus ſacræ ſynodi* ipſo jure ab omni adminiſtratione *ſuſpenſi*, nec eis aut eorum alteri, donec *cauſa ipſa per concilium terminata* fuerit, à quoquam ſub pœna fautoriæ ſchismatis obediatur.

Disſidentes Papæ ab omni cura Papatus ſuſpenſi. Concilium ſchisma componat.

Cap. III.

De remedio electionis Papæ factæ per metum.

Illegitima Papæ electio.

Quod ſi forte *electionem Romani Pontificis per metum*, qui caderet in conſtantem, ſeu impreſſionem, fieri contingat, ipſam *nullius* decernimus *efficaciæ*, vel momenti, nec poſſe per ſequentem conſenſum, etiam metu prædicto ceſſante, ratificari vel approbari.

Non tamen liceat Cardinalibus ad aliam electionem procedere, niſi ille ſic electus forte renunciet vel decedat, donec *per generale concilium de electione illa fuerit judicatum*. Et ſi procedant, nulla ſit electio ipſo jure.

De electione Papæ illegitima judicet Concilium.

Sintque ſic ſecundo eligentes & electus, ſi ſe papatui ingeſſerit, omni dignitate, honore & ſtatu, & cardinalatus & pontificali ipſo jure privati, & inhabiles de cætero ad easdem, etiam ad papalem. Nec aliquis eidem ſecundo electo ut Papæ ſub pœna fautoriæ ſchismatis obediat quoquo modo. Et eo caſu *concilium de electione Papæ provideat* illa vice.

Sed liceat, imo & teneatur *totum collegium*, ſaltem major pars ipſorum, quam cito ſine periculo perſonarum poterunt, etiamſi periculum omnium bonorum immineat, *ſe transferre ad locum tutum*, & *metum* prædictum *allegare* coram notariis publicis & notabilibus perſonis ac multitudine populi in loco inſigni. Nec ultra proximum concilium ullo modo poſſint differre.

Cardinales in Concilio electionem incongruam exponant.

Teneantur inſuper, poſtquam ſe tranſtulerunt, & metum allegaverunt modo prædicto, *provocare ſic electum ad concilium*. Quod concilium ſi ultra annum pendeat à die provocationis hujusmodi, intelligatur ad annum, ut ſupra, ipſo jure terminus breviatus.

Et nihilominus teneatur *electus ipſe* ſub pœnis prædictis, & *Cardinales provocantes*, ſub pœnis amiſſionis Cardinalatus & omnium beneficiorum ſuorum, quam ipſo facto incurrant, infra menſem à die provocationis, conciliũ, ut ſu-

Digitized by Google

ut ſupra dicitur, indicere, *publicare*, & quam citius poterunt, intimare, & ad locum concilii tempore convenienti perſonaliter ſe transferre, & usque ad finem cauſæ expectare.

Teneantur quoque Prælati & cæteri, ut ſupra, ad convocationem Cardinalium tantum, ſi forte ſic electus convocare ceſſaret, accedere.

Qui *ſic electus in concilio ipſo non præſideat.* Quinimo ſit à termino initiandi concilii ipſo jure *ab omni adminiſtratione papatus ſuſpenſus.* Nec ſibi à quoquam, ſub pœna fautoriæ ſchismatis, quomodolibet obediatur.

Quod ſi infra annum ante diem indicti concilii contingant ſupra dicti *caſus*, videlicet, quod plures ſe gerant pro Papa, vel quod unus per metum ſeu impreſſionem eligatur: Cenſeantur ipſo jure tam gerentes ſe pro Papa, quam electus per metum ſeu impresſionem, & Cardinales, ad dictum concilium provocati. Teneanturque in ipſo concilio comparere perſonaliter, cauſam exponere, & *judicium concilii* expectare.

Judiciū Concilii

Sed ſi dictis caſibus occurrentibus contingat forte *caſus* aliquis, quo neceſſarium ſit locum concilii mutare, ut obſidionis, vel guerræ aut peſtis aut ſimilis, teneantur nihilominus tam ſupradicti, quam omnes Prælati, cæterique, qui ad concilium ire tenentur, *ad locum proximiorem*, ut præmittitur, qui ſit habilis ad concilium, convenire. Poſſitque *major pars prælatorum*, quæ infra menſem ad locum dictum declinaverit, illum ſibi & aliis pro loco concilii deputare. Ad quem cæteri venire teneantur, acſi à principio eſſet deputatus.

Et ſi forſan *generali vigente & durante concilio*, electio per metum aut impreſſionem præcedentem fuiſſet facta, teneantur hujusmodi metum ſeu impreſſionem prætendentes, dum tamen metus & impreſſio notorie & evidenter ceſſaverint, ipſum metum ſeu impreſſionem, *antequam ipſum concilium diſſolvatur*, publice & canonice allegare, & deducere. Et ſi ipſum metum ſeu impreſſionem *in ipſo concilio allegare* non curaverint, ipſum ſeu ipſam finito dicto concilio allegandi audientia ſit penitus interdicta.

Tunc autem metus ſeu impreſſio notorie & evidenter ceſſare intelligatur, quando ipſam ceſſaſſe *per ſacrum concilium* fuerit *declaratum.*

Si vero metus ſeu impreſſio hujusmodi non ceſſaverint, teneantur ipſam prætendentes illa finito concilio proſequi, ut ſuperius continetur.

Concilium autem, ut præfertur, convocatum & congregatum, *de hujusmodi ſchismatis cauſa cognoſcens*, & in contumaciam electorum, ſeu gerentium ſe pro Papa, ſeu Cardinalium, ſi forte venire neglexerint, *litem dirimat*, *cauſamque definiat*, & culpabiles in ſchismate procurando, ſeu nutriendo, vel in adminiſtrando aut obediendo, vel adminiſtrantibus favendo, ſeu contra interdictum ſuperius eligendo, vel calumnioſos in allegando metum, etiam ultra prædictas pœnas, cujuscunque ſtatus, gradus, ſeu præeminentiæ exiſtant, Eccleſiaſticæ vel mundanæ; ſic puniat, ut vindictæ rigor tranſeat cæteris in exemplum.

Concilium litem Paparum dirimat.

Ut autem metus, ſeu impreſſionis moleſtia, in electione Papæ eò formidoloſius evitetur, quò toti Chriſtianitati lamentabilius eorum incuſſio ſeu factio perpetratur: Ultra prædicta *ſpecialiter duximus ſtatuendum*, quod, ſi quis hujusmodi metum vel impreſſionem aut violentiam electoribus ipſis, vel alicui eorum in electionem Papæ intulerit, ſeu fecerit, aut fieri procuraverit, vel factum ratum habuerit, aut in hoc conſilium dederit, vel faventem facientemque ſcienter receptaverit vel defenſaverit, aut negligens in executione pœnarum inferius memoratarum extiterit, cujuscunque ſtatus, gradus, ſeu præeminentiæ fuerit, etiamſi Imperiali, Regali, Pontificali, aut alia quavis Eccleſiaſtica vel ſeculari præfulgeat dignitate, illas pœnas ipſo facto incurrat, quæ in conſtitutione felicis recordationis *Bonifacii Papæ VIII.* quæ incipit: *Felicis, Sexto Decretal. l. 5. tit. 9. c. 5.* continentur, illisq; effectualiter puniatur.

Pœna ſchisma Papale foventium.

Civitas vero, etiamſi, quod abſit, urbs

urbs Romana fuerit, & alia quævis univerſitas, quæ talia facienti conſilium vel auxilium dederit aut favorem, vel infra menſem ſaltem taliter delinquentem, prout tanti facinoris enormitas exegerit, & facultas ei affuerit, non duxerit puniendum, eo ipſo ſubjaceat Eccleſiaſtico interdicto. Et nihilominus, præter dictam urbẽ, Pontificali, ut ſupra, ſit eo ipſo dignitate privata, non obſtantibus privilegiis quibuſcunque.

Volumus inſuper, quod *in fine cujuslibet concilii generalis* hoc decretum ſolenniter publicetur. Nec non quandocunque & ubicunque Romani Pontificis electio imminebit facienda, *ante ingreſſum conclavis legatur*, publicetur, intimetur.

Cap. IV.
Profeſſio Papæ, aviſata in Concilio Conſtantienſi.

Summus Pontifex ſumma virtute emineat.

QVanto Romanus Pontifex eminentiori inter mortales fungitur poteſtate, tanto clarioribus ipſum decet fidei vinculis, & ſacramentorum Eccleſiaſticorum obſervandis ritibus alligari.

Eapropter, ut in futuris Romanis Pontificibus in ſuæ creationis primordiis *ſingulari ſplendore luceat plena fides*, ſtatuimus & ordinamus: Quod deinceps *quilibet in Romanum Pontificem eligendus*, antequam ſua electio publicetur, coram ſuis electoribus publice *confeſſionem & profeſſionẽ* faciat infra ſcriptas.

Juramento fidem ſuam interponat.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus S. Amen.

Ego N. electus in Papam, omnipotenti Deo, cujus Eccleſiam ſuo præſidio regendam ſuſcipio, & beato Petro Apoſtolorum Principi corde & ore confiteor, & profiteor, quamdiu in hac fragili vita conſtitutus fuero, me credere & tenere fidem catholicam, ſecundum traditiones Apoſtolorum, generalium conciliorum, & aliorum ſanctorum Patrum, maxime autem ſacrorum octo conciliorum univerſalium, videlicet primi Nicani, ſecundi Conſtantinopolitani, tertii Epheſini, quarti Chalcedonenſis, quinti & ſexti item Conſtantinopolitani, & ſeptimi item Nicani, octavi quoque Conſtantinopolitani, nec non Lateranenſis, Lugdunenſis & Viennenſis generalium etiam conciliorum, & illam fidem uſque ad unum apicem immaculatam ſervare, & uſque ad animam & ſanguinem confirmare, defenſare & prædicare: Ritumq; pariter ſacrorum, Eccleſiæ Catholicæ canonice traditum, omnimode proſequi & obſervare. Hanc autem confeſſionem & profeſſionem, per notarium Scriniarum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ me jubente ſcriptam, propria manu ſubſcripſi, & tibi, omnipotens Deus, pura mente & devota conſcientia ſuper tali altari ſinceriter offero: In præſentia talium. Etc. Actum &c.

Cap. V.
Quod Papa bona Eccleſiæ non perdat, ſed recuperet ea juxta ſuum poſſe.

UT Romanus Pontifex nedum circa *ſpiritualia* attenta conſideratione verſetur, ſed etiam *temporalia*, ſine quibus ſpiritualia diu ſubſiſtere nequeunt, provida diſpenſatione ſtudeat gubernare, hoc *perpetuo valituro decreto* rationi fore conſonum, & *moribus antiquis conveniens*, declaramus: Quod quilibet *Romanus Pontifex* ante ſuam inthroniſationem *promiſſionem faciat*, ſolenni interpoſito juramento, quod regna, dominia, provincias, civitates, oppida, caſtra, villas, territoria, poſſeſſiones, ſuperioratus, juriſdictiones, nobilitates, penſiones, cenſus, decimas, reditus, & alias res cæteraq; jura, & quæcunque bona immobilia Romanæ & aliarum Eccleſiarum non alienabit, nec in feudum novum ſeu emphyteoſin dabit: Sed ea omnia indiminuta, quantum in eo fuerit, conſervabit, recuperabitq; perdita juxta poſſe.

Temporalia Eccleſiæ bona

Pontifex ne dilapidet.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VI.

Quod Papa non ſolum de hæreſi, ſed & de alio crimine, ſcandalizante Eccleſiam univerſalem, & ſimonia, poſſit deponi.

NE ſancta mater Eccleſia ſummi Pontificis, ſi, quod abſit, laberetur, deteſtanda cogatur vitia ſub diſſimulatione lamentabili pertranſire, nonnullorum antiquæ dubietatis articulum declarantes, hoc *decreto perpetuo* definimus: Quod *ſummus Pontifex non ſolum de hæreſi, ſed etiam de ſimonia notoria*, tam circa ſacramenta, quam circa beneficia Eccleſiaſtica, & *quolibet alio notorio crimine gravi*, Eccleſiam Dei univerſalem notorie ſcandalizante; de quo canonice monitus & incorrigibilis extiterit, *per generale concilium puniri* valeat, ac deponi etiam de papatu.

Pontificē ob ſimoniam ſede per Concilium debere moveri.

CAP. VII.

De indebita & inordinata electione Prælatorum præteritorum in Alemania, & de præcavenda futura. Aviſamentum per M. Job.

QUia proh dolor nimius *abuſus in promotione Epiſcoporum*, præſertim *in partibus Alemaniæ* inolevit: Nec ſperatur de facili poſſe executioni demandari, quod *eligantur Doctores vel graduati*, maxime quia *imperfectum ſcientiæ* quaſi communiter in tota Alamania non tam ſupplet perfectio charitatis, quàm nobilitas ſanguinis vel potentia amicorum: Et quia Decretalis, *Decretal. lib. 1. tit. VI. De Electione, cap. XIX.* circa ſcientiam aliqualiter laxe loquitur, & Doctores dicunt circa eam, cum nobili potente, ſi alias temporalia Eccleſiæ periclitentur, poſſe diſpenſari: Idcirco viſum eſt aliquibus Dominis *deputatis ad reformationem pro Germanica natione*, quod *pro reformatione Epiſcoporum* tam præſentium quam futurorum, fiat una *conſtitutio generalis*. In qua primo recitetur per modum exordii, qualiter inſtitutum ſit, nomine & figura, Epiſcopi ſeu Pontificis, ex vi vocabuli, & etiam Veteri Teſtamento, ac ex doctrina Apoſtoli ad Timotheum & ad Titum: Et quomodo ſacri canones ex his regulas poſuerint, prout *à XXV. Diſtinctione ad quinquageſimam* proſequitur *Gratianus*. Et ſpecialiter tangantur ea, quæ in *capite ſecundo diſtinctionis XXIII.* Et in *capite V. & ſeq. diſtinctionis XXXVIII.* habentur: Nec non in *Decretal. libro I. tit. VI. De Electione, cap. VII. & tit.* XIV. *De ætate, qualitate & ordine præficiendorum.* cap. *XV. & tit. IX. De renunciatione*, *cap.* X.

Deputati Germanicæ Nationis pro Reformatione Eccleſiæ.

De Epiſcoporum Reformatione.

De Epiſcopi officio.

Et poſt hæc deploretur *lamentabilis Epiſcoporum ſtatus modernus* in aliquibus partibus. Quia *nonnulli* ſunt penitus *idiotæ*, aliqui non in ſacris, alii ſemper in guerris & armis, & plerique nunquam vel raro per ſe exercent Pontificalia, aut celebrant ordines, vel prædicant, aut viſitant, ut tenentur: Sed *principale ſui officii committunt titularibus*, etiam levibus perſonis, & officialibus ſeu vicariis. Et id, quod acceſſorium eſt, & per alios facere deberent, vel potius omittere, perſonaliter faciunt. Die nocteque placitis & tractatibus profanis & ſecularibus inſudant: Nec recordantur etiam conſecrari, per profeſſionem, quam fecerunt. Ex quibus tepeſcit fides, exulat charitas, & ſpes ſalutis adimitur Chriſtianis, infinitaque ſcandala ſunt ſecuta.

Antiquus Epiſcoporum ſtatus ante Concilium Conſt.

Titulares Epiſcopi.

Quare *ſtatuit & ordinat hæc ſacroſancta ſynodus*, quod Archi-Epiſcopi & Epiſcopi deinceps *ſua officia perſonaliter exerceant, prædicando, viſitando*, ordines celebran-

Epiſcopi quæ debeant exercere officia.

celebrando, & in ſuis Eccleſiis, in feſtivitatibus divina miniſtrando &c. Niſi juſta & rationabili cauſa fuerint impediti.

Quodque in eligendis & *promovendis Epiſcopis* examen canonicum de ſingulis ad hoc requiſitis præcedat, ſic, quod omnino *perſonæ* ad tantæ dignitatis faſtigium ex omni parte *idoneæ* & non aliæ præferantur.

Nec circa hoc, niſi ex magna, rationabili & notoria cauſa, in jure expreſſa, aliquatenus diſpenſetur, ſub gravibus *pœnis, quæ ſacro concilio videbuntur optima.*

Hæc autem *conſtitutio*, quæ in effectu mandabit ſacros canones ſervari tam in exercitio officii Epiſcopalis per nunc promotos, quam in promovendo futuros, *in omnibus cathedralibus Eccleſiis ſingulis annis bis vel ter*, & præſertim imminentis electionis tempore, cum intellectu debito *publicetur.*

Caput VIII.

Quod nullus eligatur in Epiſcopum vel Abbatem, niſi ſit Doctor ſacræ Theologiæ, vel juris canonici vel civilis.

Licet divina eloquia, ſanctorumque Patrum canones, *de Prælatorum*, ſuperiorum & inferiorum, aliorumque ſacris Eccleſiaſticis miniſteriis deputatorum, *moribus, converſatione, vita atque ſcientia*, multa ſalubria ſtatuerint obſervanda: Labentis tamen ſeculi proclivia fragilitas à ſacris regulis plurimum deviavit.

Rara olim eruditio in Antiſtibus Eccleſiæ. Cernimus enim, quoſdam, nedum *inſufficientes*, ſed quandoque *valde modicæ ſcientiæ* vel *nullius*, Epiſcopales cathedras proh dolor aſcendiſſe: Nec non in illis, & in minoribus dignitatibus, beneficiis & officiis Eccleſiaſticis, exhortationem ſanæ doctrinæ, & *populorum ædificationem noſtris temporibus lamentabiliter defeciſſe*, in tantum, ut *pauci hodie reperiantur, qui Eccleſiaſticum miniſterium perficiant*, in efficacia verbi Dei.

Ex quo nimium clerus vilipenditur, nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ diſſolvitur, virtutum regula infringitur, vitiorum correctio negligitur, & innumera creſcunt pericula animarum.

Volentes itaque *deteſtabili huic morbo* poſſibili occurrere cum medela, ultra priores ſanctiones *ſpecialibus* duximus *remediis* juxta dignitatem beneficiorum, ac officiorum gradus expreſſius providendum: Hoc *ſynodali ſtatuto* perpetuo decernentes, quod, præſuppoſita *morum & vitæ honeſtate*, nullus deinceps ad Epiſcopalem, vel ſupra, aut abbatialem, qui caput alicujus ordinis fuerit, dignitatem aſſumatur, ſeu promoveatur, niſi *in Theologia* ſeu *jure canonico aut civili Doctor vel licentiatus* extiterit, debiti examinis cum rigore; vel ſaltem in ſcientia æquipollens additio. *Epiſcopos literatos eſſe debere.*

Ad majores autem poſt Pontificalem aliaſve curatas in Eccleſiis Cathedralibus dignitates ſoli in dictis facultatibus *Doctores* aut *Licentiati.*

Ad alias verò in Cathedralibus & principales in Eccleſiis collegiatis dignitates, *ejuſdem gradus*, vel ſaltem *baccalarei* dictarum facultatum, aut *in Medicina*, vel notabiles *in artibus magiſtri* de cætero admittantur.

Ubi vero dignitatibus prædictis cura non imminet animarum, *viri morigerati*, præſertim nobiles, valeant admitti, ſaltem *taliter literati*, qui verba latina intelligere, & congrue noverint explicare.

Propterea in qualibet Eccleſia cathedrali ad minus *ſexta pars præbendarum*, ſi prius in eadem tales perſonæ non fuerint, *doctoribus* aut *licentiatis* in Theologia vel altero jurium aſſignetur. *Eruditorum præmia.*

Omnia tamen prædicta intelligantur, ſi infra menſem, poſtquam dignitates aut præbendæ præmiſſæ vacaverint, vel aliqua earum, taliter, ut præmittitur, graduati vel graduatus reperti ſeu repertus fuerit, qui voluerit, & canonice potuerit acceptare. Salvis ſemper ſtatutis rationalibus fundationis Eccleſiarum & laicorum juribus patronatus.

Nota, quod aliqui volebant inſeri poſtil-

Digitized by Google

ri *poſtillas* infra ſcriptas. Sed major pars reſidebat in textu.

Nobilitatis præſidium.

Poſtilla: Quod ſi forſan Eccleſiæ notoria utilitas & *ſanguinis præclara generoſitas* ſvaſerint, poſſint Regum, Ducum, magnorum Marchionum, aut præpotentum Comitum ad Epiſcopales, vel ſupra aut infra, aliique Baronum filii, ſeu militares ex utroque parente, ad alias prædictas dignitates, etiam ſine gradibus ſupradictis, *dum tamen aliàs competentis literaturæ fuerint*, promoveri.

CAP. IX.

Quod Prælati non ſint transferendi inviti.

Eccleſiarum Antiſtites non eſſe per artes ſedibus excutiendos.

CUm ex *prælatorum translationibus* Eccleſiæ, de quibus transferuntur, plerumque gravibus in ſpiritualibus & temporalibus ſubjaceant diſpendiis & jacturis, prælati quoq; nonnunquam jura & libertates Eccleſiarum ſuarum translationis formidine non adeo ſolerter, ut alias, proſequantur; Ne ad importunitatem quorundã, quæ ſua & non quæ Jeſu Chriſti ſunt quærentium, *Romanus Pontifex*, *forſan ut homo*, *facti neſcius*, in hujuſmodi circumveniatur, aut alias leviter inclinetur: *Præſentibus declaramus*, *invitorum Patriarcharum*, *Archi-Epiſcoporum & Epiſcoporum translationes* ac etiam exemtorum Abbatum, quorum monaſteria immediate ſedi Apoſtolicæ ſunt ſubjecta, ſalvo jure conſtitutionum ordinum ſuorum, absque magna, rationabili, notoria, & evidenti cauſa, quæ vocata parte de conſilio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, vel majoris partis eorundem cognita fuerit, & deciſa, de cætero *fieri non debere*.

CAP. X.

Contra Simoniacos.

COntra *labem Simoniacæ peſtis*, qua decor Eccleſiæ plurimum denigratur, multa remedia per Apoſtolicos Patres & ſacra concilia hactenus excogitata fuerunt, ſalubriterque proviſa. Quæ tamen temporum excreſcente malitia, ut experientia docet, optatum non attulerunt effectum.

Volentes igitur, quantum poſſumus, radicem peſtis hujus penitus extirpare, hoc *perpetuo decreto ſtatuimus*: Quod quicunque Eccleſiaſticus, cujuscunque ſtatus, gradus, ordinis aut præeminentiæ fuerit, etiamſi Archi-Epiſcopali, Epiſcopali, Patriarchatus vel Cardinalatus dignitate præfulgeat, qui de cætero circa beneficii Eccleſiaſtici impetrationem, collationem, proviſionem, præſentationem ſive diſpoſitionem qualemcunque, *Simoniæ crimen in Romana curia vel extra* per conventionem aut pactionem, ſive dando, recipiendo, promittendo, aut remittendo, paciſcendo ſive mediando commiſerit, ipſo facto *omni dignitate, officio Eccleſiaſtico, & omnibus beneficiis ſuis perpetuo ſit privatus*.

Simoniacorum pœna.

Poſſuntque beneficia tanquam vacantia, dehortatione tamen per prius legitime facta ſuper commiſſione criminis prædicti, vocatis tamen vocandis libere impetrari & conferri.

Laici vero, qui in hujuſmodi culpabiles fuerint, excommunicationem ipſo jure incurrant.

Cæterum univerſis & ſingulis Ordinatiis præcipientes mandamus, quatenus cum omni ſolertia circa punitionem ſic delinquentium taliter intendant, quod de negligentia minime redargui valeant. Quod ſi negligentes extiterint, per ſuos ſuperiores, prout facti qualitas expoſcit, *ſic puniantur, quod cæteris cedat in exemplum*.

Breve hoc
&
nervoſum
Decretorum
De Reformatione Eccleſiæ
Compendium
in
Collegio
Reformatorum
in Concilio Conſtantienſi
SIGISMUNDO IMPERATORE
adornatum,
Ope antiquiſſimi MSCti
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ
VINDOBONENSIS
IMPERATORIS INVICTISSIMI
LEOPOLDI I.
Gratiâ,
Brunſvicenſium Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI
Auſpiciis,
An. M. DC IIIC
die VIII. Januarii
in Academia Julia
recenſitum.

Digitized by Google

TOMI I. PARS XII.

REFORMATORII

IN CONCILIO CONSTANTIENSI

DECRETALES

DE

ECCLESIASTICI STATUS REFORMATIONE.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

Ex *vetuſtiſſimo Codice MSCto*

AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ

VINDOBONENSIS

eruti ab

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Jul. Profeſſore.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII,

HELMSTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

MSCt. VINDOBONENSE
Actorum Concilii Conſt. Tomo I.

* * *

AVISAMENTA
ſecundum aliquas
DECRETALIUM
Rubricas
pro
REFORMATIONE
CONGRUA
facienda.

Digitized by Google



Hermannus von der Hardt
Lectori S.

EX *gemino Reformatorii Conſtantienſis Protocollo*, ſupra *Parte X.* exhibito, ſatis ſuperq; conſtat, longâ deliberatione *reformationis articulos* auctos indies fuiſſe in Concilio, vel ad maturiorem deliberationem plenamq; deciſionem repetitos. Ita, ut prioribus quibusdam excuſſis ac definitis, ſuccederent ſemper alia, ſimiliter diſcutienda atque determinanda. *Gerſon* enim, *Petrus de Alliaco Cardinalis, Theodericus de Niem, Franciſcus Zabarella Cardinalis*, aliique, eam farraginem rerum in Reformatorio Conſtantienſi explicandarum publico exhibuerant conſpectui, ut exinde nova ſemper in Reformatorio deliberandi ſuccreſceret materia.

Qvod itaque perampla illa *rerum in Eccleſiaſtico ſtatu reformandarum* eſſet ſeges, non potuit non illuſtre in Concilio Reformatorium in id quoque ſedulo incumbere, ut *juſtus* atque *aptus* decretis ſuis Reformatoriis daretur *ordo*. Ut non magis eſſet *decens concluſionum deſcriptio*, clarâ, perſpicuâ, brevi & concinnâ oratione contexta, quam elegans atque lectori grata, uſibusq; accommodata decretorum *ſeries*.

Poſtquam ergo ſuperioribus Partibus *vota atque monita virorum illuſtrium* dedimus *de Reformatione in Concilio Conſtantienſi ſuſcipienda*: Ut & variarum *deliberationum atque concluſionum protocolla* quædam ſtitimus: Quibus proxime adjecimus ſcitum *Decretorum de Eccleſiaſtici regiminis emendatione Compendium*: Ordo & à nobis jam poſtulat, ut *integrum* etiam aliquod cæterorum *decretorum*, quæ Eccleſiæ Reformationem concernerent, *Syſtema, in Reformatorio paratum*, exhibeamus.

Digitized by Google

Siſtimus eo fine hic *Decretalium Reformatorii Conſtantienſis de Eccleſiaſtici ſtatus Reformatione* haud exiguum nec inelegans *Corpus.* Debemus & hoc præclarum Hiſtoriæ monumentum AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSI. Aſſervatum quippe & hoc nobile opus *in MSCto*, *Parte I. Actorum Concilii Conſtantienſis*, *à fol.* 55. usque ad *fol.* 83. hoc quidem titulo præmiſſo: AVISAMENTA SECUNDUM ALIQVAS DECRETALIUM RUBRICAS, PRO REFORMATIONE CONGRUA FACIENDA.

Ordinem placuiſſe non inſcitum, ex eo intelligimus, quando capita ſumma ſunt digeſta *juxta Decretalium* in Juris Canonici Corpore *compagem.* Siquidem juxta *quinque Decretalium Libros* Rubricas aut titulos inſtruere, Concilii Aſſeſſoribus ac illuſtribus Reformatorii Capitibus atque præſidibus placuit, de quibus & in Concilio Conſtantienſi actum, canonesq; formati.

Quamobrem haud aptiorem & nos fronti daturos characterem judicavimus, quam ſi *Decretales Reformatorii Conſtantienſis* diceremus.

Neque dubium, tantos Viros, Cardinales, ceterosque omnium Nationum in Concilio præſentium eruditiſſimos atque prudentiſſimos, haberi à poſteris voluiſſe hoc Opus & plenum canonum Syſtema *Juris Canonici priſtini Augmentum.* Ut cum ceteris antiquis Patrum Conciliorumque de Eccleſiaſtico ſtatu *Decretis*, *Decretalibus*, ac recentioribus *Clementinarum* & *Extravagantium* appendicibus, hi quoque de eodem plane argumento *Concilii Conſtantienſis Decretales*, uno corpore comprehenſi, à poſteris legerentur.

Fidem, atque indefeſſum noſtrum laborem, in eruendis atque eruderandis his antiquis monumentis, præclaris *hiſtoriæ Germanicæ partibus*, non eſt multis efferamus, qui contenti ſumus illorum in orbe literato virorum judicio, qui in MSCtis antiquis legendis atque perſcrutandis fuerunt occupati. Meminerunt illi, quanti conſtet, lituras avorum implexas, quæ vepres ac ſentes referant, non ſine magna oculorum defatigatione inſpiciendas, vix ac ne vix quidem mente explicandas, cominus intueri manibusq; tractare. Quæ abbreviaturarum mira compendia! Quam faciles ſcribentium lapſus! Omnis diſtinctionis perpetuus neglectus! Haud raro plures horas ſibi vindicat unius canonis, ne dicam lineæ integritas. Hebetetur oculorum acies, intenſo ac immoto intuitu. Turbetur animi præſentia dubiâ & fallaci lucis ſpe, in tam denſis ſæpe obſcuræ & remotæ antiquitatis tenebris!

De cetero indicem operis *Decretaliumq; Reformatorii Conſtantienſis* illum hic ſubnectimus, quem in laudato MSCto VINDOBONENSI reperimus.

Rubricæ

Rubricæ Primi Libri.

DE Reſcriptis.	Capitulum unum.
De Conſuetudine	unum.
De Electione	octo.
De Ætate, qualitate, & ordine præficiendorum	unum.
De Filiis Prælatorum & illegitime natis.	unum.
De Officio judicis ordinarii.	duo
De Majoritate & obedientia.	unum.
De Treuga & pace.	duo.
De His, quæ vi metusque cauſa fiunt.	unum.

Summa Capitulorum XIIX.

Rubricæ Secundi Libri.

DE Judiciis.	duo.
De Sequeſtratione poſſeſſionum & fructuum.	unum.
De Fide inſtrumentorum	duo
De Jurejurando.	duo.

Summa VII.

Rubricæ Tertii Libri.

De Vita & honeſtate clericorum.	tria.
De Clericis non reſidentibus in Eccleſia, vel in præbenda.	duo.
De Præbendis & dignitatibus.	quinq;.
De Conceſſione præbendarum, & Eccleſiæ non vacantis.	unum.
De His, quæ fiunt à majore parte capituli.	unum.
Ut beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferantur.	unum.
De Rebus Eccleſiæ non alienandis.	unum.
De Teſtamentis & ultimis voluntatibus.	unum.
De Decimis.	unum.
De Statu monachorum & aliorum religioſorum.	XXV.
De Jure patronatus.	duo.
De Cenſibus, exactionibus & procurationibus.	quinque.
De Conſecratione Eccleſiæ & altaris.	unum.
De Celebratione miſſarum.	duo.
De Reliquiis & veneratione ſanctorum.	tria.

Summa LIV. Capitula.

Rubrica Quarti libri.

DE *Matrimoniis.*	unum.

Rubricæ Quinti libri.

DE *Accuſationibus & denunciationibus.*	quinque.
De *Simonia.*	tria.
Ne prælati vices aut Eccleſias ſub annuo cenſu concedant.	unum.
De *Magiſtris.*	duo.
De *Judæis.*	unum.
De *Raptoribus, incendiariis & violatoribus.*	duo.
De *Crimine falſi.*	unum.
De *Exceſſibus Prælatorum.*	quatuor.
De *Privilegiis.*	unum.
De *Pœnitentiis & remiſſionibus.*	unum.
De *Sententia excommunicationis.*	unum.

Summa XXII.

Summa ſummarum C. & II. Capitula.

Refor-

Digitized by Google

REFORMATORII IN CONCILIO CONSTANTIENSI DECRETALES DE REFORMATIONE ECCLESIASTICI STATUS.

Ex antiquiſſimo MSCto
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.

LIBER I.

TITULUS I.

De Reſcriptis.

CAPUT UNUM.

Conſervatoria Pontificis litera.

Juriſdictioni Prælatorum moleſta.

Ad judicium alienum injuſte olim tracti cives à monachis.

Abrogata conſervatoria illa litera Pontificio.

QVia propter *nimiam multiplicationem conſervatoriarum Apoſtolicarum*, Eccleſiis & monaſteriis conceſſarum,& *Reſcriptorum* perſonalium ſingularium, etiam pure laicalium, cruce ſignatarum, quaſi totaliter *enerventur juriſdictiones prælatorum inferiorum*, pauperes ad loca remotiora & extra ſuas civitates & diœceſes etiam in cauſis mere profanis trahuntur cum maximis eorum jacturis & damnis: Idcirco *hæc ſacra ſynodus*, volens Prælatorum & ſuorum ſubditorum prædictorum *gravaminibus*, in quantum poteſt, *obviare*, ſtatuit & ordinat: Quod, ut antea, *nulla perſona, Eccleſiaſtica vel mundana*, cujuſcunque *conſervatoriæ* aut *reſcripti* vigore, præterquam in caſibus, per felic. record. quondam dominum Bonifacium VIII. *Sexto Decretal. lib. I. tit. 3. De Reſcriptis, cap. XI.* expreſſis, *extra ſuas civitates & diœceſes ad judicium trahi* poſſit: Niſi partis actricis juramento nec non duorum teſtium teſtimonio conſtet & probetur, eandem partem in civitate aut diœceſi partis reæ juſtitiam minime conſequi potuiſſe, *propter duos duntaxat caſus*, ibidem expreſſos, videlicet: Si actor reum in civitate aut diœceſi ſuis ſecure convenire non poſſit, quia forte intrare non audet: Vel quia timet adverſarii ſui potentiam.

Cruce ſignati ad expeditionẽ transmarinã.

Nullusqve in aurea cruce ſignetur, nec *ſignatus de ſancta cruce* ſignatorum privilegio gaudeat, niſi per principem, cujus intereſt, *generale paſſagium* de facto ſit indictum. Poſt cujus indictionem vero poterunt *quicunque laici cruce ſignari*, & ſignati ſuo gaudere privilegio, usque dum hujusmodi paſſagium & negotium ſanctæ crucis exiſtat conſummatum.

Et quicumque in præmiſſis ſecus aut contrarium fecerit, ſi *actor* ſit, ab actione cadat, ſi vero *judex*, ſic læſo ſatisfaciat competenter, & ab officio per duos menſes ſit ſuſpenſus.

Privilegium ſtudiorũ Academicorum.

Verum, *in favorem Studiorum generalium, & in eis* præciſe *cauſa ſtudendi*, quam ante litem inceptam per medium juramenti declarare teneantur, *degentium*, hujus conſtitutionis partem primam ad *conſervatorias literas, pro univerſitatibus ſtudiorum impetratas*, extendi non vult *hæc Synodus Sacroſancta*.

TITULUS

Titulus II.
De Conſuetudine.
CAP. UNUM.

Canonicorum noviciorum onus priſtinum.

C*Orrupta* quadam & *perverſa conſuetudine in quibusdam Eccleſiis cathedralibus & collegiatis* ſervatur, & tanquam pro lege tenetur, quod quicunque *novellus canonicus* ad præbendam admiſſus, cujuscunque etiam conditionis, præeminentiæ, literaturæ, dignitatis aut ætatis, *juret*, ſicut ſi velit admitti ipſum jurare oportet, quod *ſub jugo Scholaſtici* illius Eccleſiæ remaneat, quousque ab eodem Scholaſtico fuerit emancipatus & dimiſſus: Quo tempore durante, etiam, *quantumcunq; aliàs idone'*, ad capitulum nullatenus admittetur.

Scholaſtici inter Canonicos artes priſtinæ.

Quo fit, ut *Scholaſticus* tales *novellos canonicos*, præbendatos, ad domum & ad ſuam menſam vocet, & cogat eos, ſibi corpore præbendarum ſuarum cum quotidianis diſtributionibus, quæ *præſentiæ* nuncupantur, totaliter & officialiter deſervire, tamdiu, donec tales, tanquam *de jugo captivitatis*, *actu* certam & *magnam pecuniæ quantitatem* in modum *exactionis* perſolvant, & ſe redimant.

Res pecuniaria.

Et licet hujusmodi ſtatutum forſan ab initio conſvetudinarie ex tali exiſtat introductum ratione, ut *novelli* canonici præbendati, minores & majores in annis, *minus docti* exiſtentes, *apud Scholaſticum Eccleſiæ* doctrinam ſcientiarum, & diſciplinam choralem & Eccleſiaſticam *addiſcere* valeant: Tamen quia *abſurdum* eſt, & totaliter abſonum, *quod Doctor & Magiſter debeat ſubeſſe diſcipulo*, *ſapiens* interdum *idiotæ*, & ætate maturus juniori: Idcirco *hoc ſacroſanctum concilium* ordinat & decernit: *Tale ſtatutum*, quacunque etiam conſvetudine introductum, *ad Doctores*, *Magiſtros & Graduatos*, ad eos, qui XXIII. annum complete attigerunt, & qui aliàs ſacerdotio eſſent apti, ac etiam ad eos, qui in aliis Eccleſiis per integrum annum capitulares fuerunt, & tractatibus capitularibus interfuerunt, *nullatenus extendatur.*

Doctorũ privilegiũ ne onerentur in principio canonicatus ſui.

Etiam Scholaſticus *juniorem* aliquem *canonicum*, *Generali ſtudio volentem inſiſtere*, nullatenus habeat impedire, vel actu Studio inſiſtentem revocare: Sub pœnis privationis ſuæ Scholaſtriæ, quâ ſit, ſi contra præmiſſa fecerit, privatus ipſo facto. Non obſtante quocunque *juramento*: Quod ex nunc, prout ex tunc, *præſens concilium* caſſat, & annihilat, & ſuper eo diſpenſat ad cautelam.

Academicorum Studioſorum privilegium ſi ſint Canonici.

Titulus III.
De Electione.
Cap. I.

Simoniæ regnum circa tempora Concilii Conſt.

U*T peſtis Simoniaca*, *ambitionisque & cupiditatis vitia*, quæ *noſtris nimium ſuccrevere temporibus*, ab area domus Dei valeant exterminari, & ut ſacratisſimæ, in divino naturaliqve & poſitivo juribus fundatæ conſtitutiones, *de præficiendis Eccleſiarum & monaſteriorum Prælatis per viam electionis aut poſtulationis*, habere poſſint locum, *hæc ſacroſancta Synodus Conſtantienſis* ſuo decreto revocat, caſſat, & *annullat* omnes & ſingulas *reſervationes Eccleſiarrm cathedralium*, *Abbatialium* & aliarum dignitatum electivarum, quæ in Corpore juris non clauduntur. Et quod talibus interea etiam ſummo Pontifici uti, vel eas iterare non liceat, ſine deliberatione & *conſenſu concilii generalis.* Et quod de hoc impoſterum *ſerventur jura antiqua, de electione aut poſtulatione* edita.

Prælati Eccleſiarum rite eligendi.

Reſervationes Papales rejecta.

Sic tamen, quod de prælaturis & dignitatibus *exemptis*, & ſedi Apoſtolicæ immediate ſubjectis, *qvoad confirmationes* electionum aut poſtulationum hujusmodi, *ſummus Pontifex ſe intromittere* poſſit.

Cæteræ vero electiones Prælatorum & dignitatum, per immediatos ſuperiores, ut ſi Abbas ſit, *per Epiſcopum*, ſi Epiſcopus, *per Archi-Epiſcopum*, & ſi Archi-Epiſcopus, *per primatem*, ſi illum habeat, dummodo, examinatis ſingulis,

Digitized by Google

lis, rite ſecundum ſanctiones canonicas, de viris idoneis factæ ſint, *confirmentur.*

Nec ſe alii *ſuperiores*, niſi in defectu inferiorum aut per devolutionem hoc eis de jure communi competat, de talibus intromittant quovis modo, *hac ſacra Synodus* ſimiliter *ordinat* & diſponit.

De eodem.

CAP. II.

De Prælatis ſecularibus eligendis.

FOrmis & *modis*, *de eligendo* aut poſtulando *in jure communi* expreſſis, ſervatis aut tentis in ſuis viribus, illiſque manentibus, quibus derogare non intendit: Præterea *hac ſacroſancta Synodus* ſpecialiter ſuper *electione* aut poſtulatione *prælatorum ſecularium* præſenti conſtitutione diſponit & ordinat: Qvod adveniente termino, pro electione aut poſtulatione futuri prælati aſſignato, & ſecundum formam juris præfixo, de mane in aurora *celebrari* debeat *ſolennis miſſa de Spiritu ſancto*, ut per ejus gratiam eligentium aut eligere debentium accendantur & inflammentur corda, ad eligendum aut poſtulandum *prælatum, qui bene, utiliter, & honeſte regere poſſit & debeat* Eccleſiam ſic vacantem.

Et ut talis *electio* aut poſtulatio *pura, ſincera, & abſque admixtione cujuscunque ſiniſtræ conditionis* perficiatur: *Omnes & ſinguli*, qui hujusmodi electioni debent & poterunt de jure vel conſvetudine intereſſe, poſt dictam decantatam miſſam *ad altare accedant*, & coram poſitis ſacris Evangeliis, per quemlibet eorum manu ſua tactis, *coram multitudine cleri & populi* tunc præſentis intrent, ſimul *legendo juramentum*, quod ſequitur in hac forma: *Ego N. Canonicus capitularis Eccleſiæ N. progreſſus ad jam inſtantem electionem futuri Pontificis, promitto, ſpondeo, & juro, Deo, omnibus ſanctis ejus, Eccleſiæ noſtræ & ſpecialiter ſancto A. aut ſanctæ N. patrono noſtro, aut patronæ noſtræ, præomnibus, prece, pretio, odio, gratia, timore, carnalique & alia quacunque affectione ſepoſitis, & prout in die tremendi finalis judicii altiſſimo de hoc reddere velim rationem, eligam aut poſtulabo, in futurum dictæ Eccleſiæ Pontificem illum, quem ſingulis attentis cognovero magis idoneum, & habilem, in Spiritualibus & temporalibus ſufficienter circumſpectum, ſic me Deus adjuvet, & chorus ſanctorum Angelorum.*

Qvæ omnia, niſi, ut præmittitur, facta ſint, ſit *electio* aut poſtulatio ſubſequens *ipſo jure nulla*, nulliusque roboris vel momenti.

De eodem.

CAP. III.

Preces Simoniacæ in electione Eccleſiaſticorū.

STatuit & ordinat etiam *hac ſacra Synodus*: Qvod ſi quis *vocales* aut *literarias preces*, quorumcunque Principum, Eccleſiaſticorum, ſecularium, aut aliorum potentum quorumcunque, aut propter conſangvinitatem vel aliàs *Simoniam ſapientes*, aut propter potentiam deprecandi, *impreſſionem*, pro ſua electione aut promotione ad Epiſcopatum, Abbatiam, vel aliam dignitatem electivam, *impetrare*, uti, aut probare, imo expreſſe non contradicere, & ſtatim, cum poterit, electoribus ſeu promotori aut proviſori contradictionem ſuam non intimare, præſumſerit: *Electio* illa aut promotio *nulla ſit*, & ipſe ad Epiſcopatum, Abbatiam vel dignitatem prædictas ea vice ſit inhabilis, ipſo jure. Cum hujusmodi *preces* vel *ſapiant Simoniam*, aut cum à potentioribus ingeruntur, metum & tacitam impreſſionem inducant, quæ à canonica electione eſſe debent penitus aliena.

Digitized by Google

De eodem.

CAP. IV.

PRæterea omnibus capitulis & conventibus Eccleſiarum & monaſteriorum, quorum de jure aut antiqua conſvetudine eſt, ſuos prælatos eligere, *hoc ſacrum concilium* diſtrictius & ſub excommunicationis pœna mandat & præcipit, quatenus *prædictam conſtitutionem de cavendis precibus & promiſſionibus*, nec eis utendis, inter cætera ipſorum ſtatuta capitularia ſeu conventualia, quæ de novo capitula ſeu conventus intrantes jurare conſveverunt, de verbo ad verbum ponant, atque ſcribant. Et quod quilibet talis de novo admittendus juret ad ſancta Dei Evangelia *prædictam conſtitutionem* tempore vacationis occurrente obſervare fideliter, ſecundum poſſe & noſſe ſuum. Ut omnes taliter aſtricti, perjurii interdictum magis formidantes, diſcant *hujusmodi preces, & importunas inſtantias*, quæ canonicæ electioni impedimenta plura præſtant, *devitare*.

Preces aut promiſſiones ab electione abſint.

De eodem.

CAP. V.

DIſponit & ordinat inſuper *hac ſacra Synodus*, quod quilibet *Prælatus Eccleſiaſticus*, habens ſubditos electos confirmare, habeat ſecum *juramentum* conſcriptum in forma, quod Eccleſiarum & monaſteriorum prælati Apoſtolicæ ſedi præſtare tenentur, quod *confirmandus* ante ſuam confirmationem, in manus confirmantis, & coram eo præſtare, & ipſe *confirmans* ſub publico documento ad Apoſtolicam ſedem mittere teneantur.

Juramento obligandi novi Eccleſiaſtici ante confirmationem.

Quod quidem juramentum ſi *electus* præſtare noluerit, aut recuſaverit, ſit ipſa ſua *electio*, aut, ſi ipſe, qui *confirmatur*, ex occaſione quacunque tale recipere noluerit, aut non receperit, ſit ſimiliter ipſa ſubſequens *confirmatio* ipſo jure *nulla*, nulliusque roboris vel momenti.

Similiter etiam idem *confirmandus* immediate *poſt* ſui *confirmationem* ſufficientem *cautionem* faciet *de ſatisfaciendo camera Apoſtolica de taxa*, illi Eccleſiæ vel monaſterio impoſita, vel de poſito moderamine imponenda, infra duos annos per duas medietates, *poſt tempus pacifice adeptæ poſſeſſionis*.

Eccleſia taxa Romanæ cameræ ſolvenda.

Super quibus idem confirmator *gentes Apoſtolicæ cameræ*, aut collatores ejusdem in illis partibus certificare tenebitur. Sic tamen, ut Eccleſiarum & monaſteriorum *taxæ*, *hactenus ſatis exceſſivæ*, moderentur ſecundum tertias, quas Eccleſiæ aut monaſteria habere cenſentur, communi æſtimatione, importatis. Ut *non ſolvant* de toto *niſi tertiam*.

Taxa exceſſiva moderanda.

Et hujusmodi *taxas* per modum *caritativæ ſubventionis papalis* usqve ad *proximum futurum generale concilium hæc ſacra Synodus* pro reſtauratione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ concedit duntaxat duraturas, & *non ultra*. Niſi id fieret de expreſſis voluntate & aſſenſu dicti concilii affuturi.

Taxa illa ad breve tempus conceſſa.

De eodem.

CAP. VI.

Confirmatio novi Epiſcopi per Commiſſariū à Papa peti poteſt.

INſuper ad evitanda *vacantium Eccleſiarum* diſpendioſa *pericula*, nec non ad conſulendum electis, qui in eo per viarum incommoda & expenſarum onera nimis gravarentur, ordinat & *decernit hæc ſacra Synodus*, quod concorditer, nullo diſcrepante, Primas, Archi-Epiſcopus, Epiſcopus aut Abbas exemtus, *electus*, & qui Apoſtolicæ ſedi eſt immediate ſubjectus, *non in propria*, *ſed*, ſi placet,

placet, ut in ſuorum *procuratorum*, de omnibus & ſingulis meritis electi & electione ſufficienter informatorum *perſona*, à ſummo Pontifice poterit *petere* & obtinere *confirmationem* ſuæ electionis nec non commiſſionem ſuæ conſecrationis, traditionis, pallii, aut eminentis benedictionis.

Quæ omnia ſummus Pontifex illi concedere teneatur, niſi aliud legitimum aut canonicum contra perſonam promovendam aut ipſam electionem impedimentum obſiſtat: Conſtitutione quæ incipit: *Cupientes*, *Sexto Decretal. lib. I. tit. VI. c.* 16. & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunque.

De eodem.

CAP. VII.

Canonici defunctorum ſuorum Prælatorum bona ne diripiant.

ITem, quia quidam *Canonici*, Capitulares, nec non conventuales Eccleſiarum cathedralium & regularium, pœnas & cenſuras, per *fel. record. Dominum Bonifacium Papam VIII.* quæ incipit: *Quia ſæpe*, *Sexto Decretal. l.* 1. *tit.* 6. *de Electione*, *c.* 40. fulminatas, nullatenus formidantes, quas per futurum eorum eligendum tolli ſperant, vacantibus eorum Eccleſiis & monaſteriis, *jocalia*, *clenodia*, *pecunias & bona cætera*, à Prælatis eorum defunctis ſeorſim habita & dimiſſa, vel etiam tempore vacationis obvenientia, *occupant*, *inter ſe dividunt*, & ſurripiunt, dilapidant, diſſipant & conſumunt, ea nullatenus in Eccleſiarum & monaſteriorum utilitatem convertendo, nec ſucceſſoribus reſervando: Idcirco ne hujuſmodi *vulnus cupiditatis* ſub multis medicis amplius incurabile computetur, aggravando pœnas conſtitutionis prædictæ *hæc ſancta Synodus* decernit & ordinat, quod tales præſumtores, ſi ſuſpenſionis ab officio & beneficio ſententias ſine facta reſtitutione per quindecim dies animo ſuſtinuerunt indurato, ſint eo facto poſt lapſum dictorum quindecim dierum ſuis privati beneficiis, quæ obtinent, & inhabiles ad habenda.

De eodem.

CAP. VIII.

PRædicta quoque *ſancta Synodus ſtatuit* & ordinat, quod quilibet *electus & confirmatus ad aliquam cathedralem* aut *abbatialem Eccleſiam* aut monaſterium, ſi poſt adeptam poſſeſſionem pacificam & quietam, videlicet ſine competitore quocunque acquiſitam, vel per eum ſteterit, quo minus illam taliter habere potuiſſet, ſi *ſe infra tempus a jure ſtatutum conſecrari aut benedici* non *faciat*, eo facto ſit ille etiam ab abbatia privatus, & inhabilis ad eandem, Apoſtolica diſpenſatione quacunque non obſtante.

Novi Epiſcopi maturè conſecrandi.

Idem fiat de *inferioribus Prælatis*, ut Archidiacono in diaconum, & Archipresbytero & decano in ſacerdotem promovendis.

Sintque omnes & ſinguli talium *Prælatorum*, ut præmittitur, *non promotorum* ſubditi, vaſalli, homines, vel ſubjectæ civitates, & oppida, lapſo dicto termino ab omnibus, quæ præſtiterunt, fidelitatis juramentis abſoluti.

Super quibus & *hæc ſancta Synodus* ex nunc prout ex tunc diſpenſat ad cautelam, mandans, tales ſubditos, vaſallos, homines, civitates & oppida pro tunc *illis* obligari, quibus tempore vacantium taliter obligari conſueverunt.

TITULUS IV.

De ætate & qualitate ordinandorum aut præficiendorum.

CAPUT UNICUM

QVia modernis temporibus ex diſſimulatione aut negligentia Prælatorum, & interdum, quod pejus eſt, *ſimoniaca interveniente pravitate*, ad ſacros ordi-

ordines *promoventur pueri, idiotæ*, aut aliàs *indigni:* Ideo ſtatuit & *ordinat hoc generale concilium*, ut ultra alia *jura*, quæ *de ætate & qualitate præficiendorum* exiſtunt, per ſanctos Patres inſtituta, ipſorumque cenſuras & pœnas, *Epiſcopus*, *ex cujus facto vel commiſſione* hujusmodi *indigni promoventur*, ab adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ tamdiu ſit *ſuſpenſus*, quousque ab Apoſtolica ſede duntaxat, poſt condignam ſatisfactionem, reſtitutionis beneficium mereatur obtinere.

De indignis ad munera ſacra promotis.

TITULUS. V.

De filiis presbyterorum, & illegitime natis, præficiendis, an non.

CAPUT UNUM.

COnſequenter decernit, ſtatuit & *ordinat hæc ſacra Synodus*, quod illegitime nati, & maxime *filii presbyterorum*, *nullatenus* ad prælaturas, etiam inferiores, aut canonicatus & præbendas in cathedralibus, vel ad dignitates principales in collegiatis Eccleſiis, quacunque diſpenſatione Apoſtolica non obſtante, *admittantur*, niſi tali ac tanta *virtutum*, *morum ac ſcientiarum eminentia præfulgeant*, ut, ſi ſint *ex illuſtribus nati*, aut *doctores in ſacra pagina*, *jure canonico vel civili*, vel niſi ſingulare id ſit in patria, ubi ex hoc ſcandalum non orire-tur.

Ab officiis Eccleſiaſticis ſpurios eſſe excludendos.

In quibus *caſibus*, habito Apoſtolicæ diſpenſationis privilegio, admitti poſſunt. Et ſi ſecus actum fuerit, ſit irritum ipſo facto.

TITULUS VI.

De officio judicis ordinarii.

CAPVT. I.

COntra *Prælatos*, qui ſuas Eccleſiaſticas jurisdictiones in locis quaſi campeſtribus, non inſignibus, ac litigantibus intutis, exercent, *ſtatuit hoc generale concilium*, & mandat generaliter, ut univerſi Prælati ſuas jurisdictiones, per generales ſuos judices exerceri ſolitas, non niſi *in locis inſignibus* & notabilibus, ubi copia jurisperitorum & advocatorum commode habeatur, exerceant.

De Jurisdictione Eccleſiaſtica exercenda.

Alioquin citati venire non teneantur, ſententiæque latæ nullius ſint roboris vel momenti.

Et ſit prælatus ſecus faciens ipſe ab officio divinorum ſuſpenſus tamdiu, donec attentata revocet, & læſis ex inſecuritate loci, aut jurisperitorum defectu, ſatisfaciat competenter: Conſtitutione *felic. rec.* quondam *Bonifacii* VIII. quæ incipit: *Cum Epiſcopus*, *Sexto Decretal. Lib.* 1. *tit.* 16. *c.* 7. & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunque.

De eodem.

CAP. II.

DIſtrictiſſime mandat & *præcipit hæc ſacra Synodus* Prælatis, Archidiaconis, Præpoſitis, Archipresbyteris, & aliis Eccleſiaſticam jurisdictionem habentibus, ut *judices & officiales* non præficiant, niſi *viros in jure peritos*, ſi habere valeant, atque viros *juſtos*, *conſcientioſos*, *Deum timentes*, *& juſtitiam diligentes*, *& nullatenus uxoratos*, qui ad minimum de conſilio jurisperitorum ſententias ferant, & ordinate procedant.

De judicibus in cauſis Eccleſiaſticis.

Si dicti prælati, Archidiaconi, presbyteri & Archipresbyteri *idiotas*, *exactionatores*, ſuos familiares, aut uxoratos, vel alios inhabiles præficiant, ſint tam ipſi præficientes, quam ipſi *officiales & judices* excommunicati ipſo facto. Et nihil-

nihilominus in proxima Synodo ſequenti, & ſecundum ejus deliberationem, pœnis aliis, prout opus fuerit, & qualitas delicti exegerit, puniantur.

TITULUS VII.

De majoritate & obedientia.

CAP. UNUM.

In regimine Eccleſiaſtico obedientia inferiorum neceſſaria.

QVia *in regimine Eccleſiaſtico*, & præſertim choragi & caplani *neceſſaria* eſt *obedientia*, qua inferiores veluti ſubditi ſuperioribus ſuis reverenti quadam obligatione uniantur: Ideo ſub pœna ſuſpenſionis à fructibus beneficiorum ſuorum, *mandat hoc ſacrum concilium* omnibus ejuſdem Eccleſiaſticis, canonicis & vicariis, quatenus ſubeſſendo unico *Decano*, in licitis & honeſtis obedientiam eidem præſtent manualem, & ſibi in talibus pareant cum effectu.

TITULUS IIX.

De treuga & pace.

CAPUT I.

QVia propter *Uſurpationes Eccleſiaſticarum prælaturarum* & dignitatum, ad Apoſtolicam ſedem heu! tanta inter Eccleſiaſticas prælaturas & dignitates, & ſuorum prælatorum poſt illa tempora diverſitas accidebat, ut nec primas Archi-Epiſcopum, nec Archi-Epiſcopus Epiſcopum & coëpiſcoſcop' ſuffraganeos ſuos, nec è converſo, ullatenus recognoſcerent, ſe in Eccleſiaſtica libertate tenenda ſimul cernerent, aut mutuo defenſarent, imo, quod deterius erat, interdum ad complacentiam laicorum ſe mutuo guerris & bello impeterent: Idcirco, ut *in Eccleſiaſtico ſtatu* firmior & ſecurior *pax & tranquillitas* valeat ſolidari, ſtatuit & *ordinat hac generalis Synodus*, quod in proximo *provinciali* celebrando *concilio* omnes & ſinguli comprovinciales prælati pro defenſione & manutentione *Eccleſiaſticæ libertatis, aſſiſtentiæ* & fidelitatis ad invicem ſibi mutuo præſtent *juramenta*, nec non auxilii mutui in omnibus, quæ in generalibus aut etiam in provincialib' conciliis obſervanda concludentur.

De pace Eccleſiaſtica ſervanda.

Providebitque quilibet metropolitanus, primas, aut ArchiEpiſcopus in futurum, quod quivis electus confirmandus in ſui confirmatione ultra *fidelitatis juramentum*, quod in licitis & honeſtis ſuo confirmatori præſtare tenebitur, jurabit prædictam *aſſiſtentiæ & fidelitatis comprovincialium ad invicem*, pro defenſione & manutentione Eccleſiaſticæ libertatis, nec non omnium & ſingulorum in generalibus & provincialibus conciliis determinatorum aut determinandorum immutabilem & perpetuam unionem.

Juramētum fidelitatis.

Juramētum aſſiſtentiæ.

De eodem.

CAP. II.

Ferrum non debetur Eccleſiaſticis ſed verbū.

CUm *gladius ſpiritualis magis appropriatus ſit Eccleſiarum prælatis*, ex eò quod *Chriſti militibus offenſive pugnare non liceat*: Ideo *hac ſacra ſynodus decernit* & declarat, quod nihil minus Eccleſiaſticus prælatus, ut antea, guerras diffidatorias & invaſorias incipiat, aut bella indicat quovismodo, contra quemcunque Eccleſiaſticum aut ſecularem; Niſi hoc faciat vel autoritate ſuperioris principis, vel niſi prius ſententialiter per cenſuras Eccleſiaſticas, ſine emendationis & correctionis profectu, ſuum invaſerit & vicerit offenſorem.

Quod ſi per quenquam Eccleſiaſticum prælatum ſecus actum fuerit, ſit eo ipſo ſuſpenſus à divinis tam diu, donec à ſolo ſummo Pontifice abſolutionis beneficium mereatur obtinere.

Digitized by Google

TITULUS IX.
De his, quæ vi, metuſq; cauſa fiunt.

CAPUT UNUM.

Clericorũ invaſores.

CUm nonnulli, clericorum, *Eccleſiaſticarum perſonarum*, *invaſores & captivatores*, excommunicationis & aliarum cenſurarum Eccleſiaſticarum ſententiis innodati, ſecundum formas expreſſas à jure, ac plus communionem fidelium quàm ſubtractionem ſacramentorum formidantes, *ingeniis* utantur *cautelosis*, ut videlicet ipſos captivatos, injuriatos aut invaſos clericos aut perſonas Eccleſiaſticas, per injurias, violentias, & captivationes *ſecrete compellant*, poſt factam compoſitionem eis *abſolutionis beneficium procurare*: Ut pridem injuriis & violentiis affecti, in hujusmodi procuratione abſolutionis amplius prægraventur: Quas quidem extortas abſolutiones, licet male, viribus evacuent, & extorquentes excommunicatione nova percellant: Cumque ſimpliciores tales denuo excommunicatos ut habita priori abſolutione ſine nova denunciatione non vitent velut tales: Ideo, ut talium *cautelis* per ſalubris proviſionis remedium *obvietur*, decernit & *ordinat hæc ſynodus ſacroſancta*, quod nullus talium invaſorum aut captivatorum, ut antea, à talibus ab homine vel à jure ſententiis latis abſolvatur quovismodo, niſi talis coram ſuo abſolutore ordinario, delegato vel ſubdelegato conſtitutus ad ſancta Dei Evangelia juret, in talibus nullas minas, violentias aut impreſſiones in perſonam, res, bona, aut amicos injuriati aut captivati clerici verbales, facto, per ſe, vel alium, publice vel occulte, directe vel indirecte, feciſſe, quovis modo.

Artes invaſorum.

Et ſi quod *juramentum* ab injuriato & captivato clerico extorſiſſet, quod illud ante omnia relaxet. Et ſuper eo etiam *hæc ſancta ſynodus* ex nunc, prout ex tunc diſpenſat ad cautelam.

Hæc de titulis primi libri ſcribenda occurrebant.

LIBER II.
TITULUS I.
De Judiciis.

CAP. I.

Eccleſiaſtica jurisdictionis abuſus.

QUia *Eccleſiaſtici prælati inferiores*, ordinariam aut delegatam jurisdictionem de jure aut de conſuetudine habentes, in judiciis & eorum proceſſu *nimiam & exceſſivam iniquitatem* ſervant: Sine quocunque decreto, aut ad nullius inſtantiam, facti variatione prætermiſſa, in quibuscunque caſibus, indifferenter, citatione omittunt varios & varias, imo, quod pejus eſt, ipſis ignorantibus tales omittuntur; Una & eadem vice, & per eundem nuncium, ad eundem locum unum, de una tantum ſicut de alia, æquale *viaticum*, ſeu *bravium*, & ſic *pecunias ultra debitum multas extorquent*: Procuratores quoque & notarii terminos ſuos, etiam in cauſis parvis imo & minimis, in longum ducunt, *Eccleſiaſtica* etiam *abſolutionis beneficium*, quod eſt pure ſpirituale, *ex pacto vendunt pro magna ſumma quantitate*, & interdum majore, quam ſit principale: Pauperes inſuper, currendo, recurrendo, labores & expenſas faciendo, nec non inutiles eorum labores negligendo fatigantur & depauperantur: Ut, non invento loco, contra ſtatum Eccleſiaſticum materiam habeant ex odio graviſſime ſæviendi, cum ſubditi eorum per *inordinatam Eccleſiaſticam cenſuram* tam inhumaniter pertractantur: Quo fit, ut hujusmodi potentes laici nuncios, hujusmodi literas deferentes, ſubmergunt, percutiun-

cutiunt, contumeliis afficiunt, auribus mutilant, & mandata crudelia clericis curatis & non curatis faciunt, videlicet de non recipiendo literas niſi in ambone vel cancellis: Ex quo graviſſima ſcandala oriuntur: Idcirco, (ut *judicium Eccleſiaſticum*, & *ſeculare* huic etiam ex adverſo, *ſuis terminis limitentur*, limitata diſtinguantur, ac diſtincta *in hoc ſacro concilio publicentur*, in finem, ut ipſa cognita errorum & diſſenſionum prædictorum & prædictarum materiam exterminando valeant amputare,) *ſtatuit & ordinat hæc ſacra Synodus*: Quod ad *Eccleſiaſticum judicem*, & ejus judicium primo ſpectare deberent omnes & ſingulæ *cauſæ beneficiales*, etiamſi ſint de jure patronatus laicorum; deinde omnes & ſingulæ *cauſæ perſonarum Eccleſiaſticarum*, tam injuriarum, quam aliæ quæcunque communiter; cauſæ *bonorum Eccleſiaſticorum*, quarumcunq; poſſeſſionum, decimarum, immiſſionum, obventionum, redituum, & proventuum per eos poſſeſſorum quorumcunq;, & debitorum, ex his cum quibuscunq; contractorum; item cauſæ *decimarum* cauſæ *matrimoniales*, cauſæ *dotium* & *donationum propter nuptias*: Item cauſæ *viduarum*, *pupillorum* & aliarum *miſerabilium perſonarum* quarumcunq;: item cauſæ *hæreſium*, *ſchiſmatum*, nec non aliorum *publicorum criminum*, ut *uſurarum*, *adulteriorum*, *fornicationum & perjurii*, quæ per judicium ſeculare non corriguntur, vel ſub diſſimulatione tolerantur, cum omnibus ſuis appendentiis, dependentiis, incidentiis & connexis; item omnes & ſingulæ cauſæ, etiam quantumcunque civiles & profanæ, ubi *contrahentes Eccleſiaſtico ſe judicio voluntarie ſubmiſerunt*; item cauſæ *rerum confeſſatarum coram judice Eccleſiaſtico*; item cauſæ etiam *civiles*, *in quibus in ſeculari judicio juſtitia fuiſſet denegata*, vel ad terminum ſex menſium prorogata, aut, ſi Dominos vel judices illius ſecularis judicii tanquam reos ipſa cauſa concerneret, quæ omnia per medium interpoſitum juramenti partis actricis cum duorum teſtium fide dignorum depoſitione probari poſſint & debeant; item omnes cauſæ *teſtamentariæ & donationum* in terminis *ſpiritualiter*, ubi quidpiam *ad pias cauſas* eſt donatum vel legatum. Quæ omnia *ad Eccleſiaſticum judicium* & nullatenus ad forum judicii ſecularis trahi debent.

Judiciū Eccleſiaſticum & civile ſuis utrūq; terminis concludendum.

Eccleſiaſtici judicis negotia.

Sed ex adverſo ad *judicium ſeculare* ſpectare deberent omnes & ſingulæ cauſæ *bonorum* omnium, tam mobilium quam immobilium, *hæreditario jure poſſeſſorum* aut poſſidendorum, cujuscunq; nominis cenſeantur, quæ ſaltem non ſunt ad pias cauſas legata, donata, aut per perſonas Eccleſiaſticas, tanquam ad eorum beneficia Eccleſiaſtica pertinentia poſſeſſa: Item omnes & ſingulæ cauſæ *actionum*, occaſione contractuum jure civili inter perſonas laicales motarum aut movendarum, ut ſunt cauſæ *emtionum*, *venditionum*, *locationum*, *emphyteoſium*, *pignorationum*, *mutuorum*, & quorumcunque *debitorum pecunialium*, & aliorum, inter perſonas laicales contractorum: Item cauſæ de directo vel indirecto reſpicientes *pœnam ſanguinis*, *injurias* & *violentias* inter perſonas laicales perpetratas & commiſſas.

Civilis judicis officia.

Ordinatque hæc ſacra ſynodus, diſtrictiſſime prohibendo, *ne Eccleſiaſticus judex*, ad inſtantiam partis procedere volens & debens, *quenquam clericum vel laicum citet*, aut citari mandet, niſi prius pro tribunali ſedens querelam partis actricis verbo vel ſcripto per ſupplicationem audiens, & an in judicio Eccleſiaſtico vel ſeculari tractanda ſit, examinans, coram notario & teſtibus citationem hujusmodi decernat. Et tunc conſequenter procedat, in quantum brevius poterit, partes in expenſis non gravando.

Si autem reperiatur ex defenſione partis reæ, vel aliter, cauſam, per citationem aut aliàs intentatam, ad Eccleſiaſticum judicium non ſpectare, judex talis partem alteram in expenſas in hujusmodi cauſa ſatis condemnabit, & ſi petitur, ad judicium remittet ſeculare.

Inſuper *Eccleſiaſticus judex* poſt latam ſententiam *expenſas litis* tali moderamine taxet, ſicut de hoc altiſſimo in die tremendi judicii reddere velit rationem.

Conſequenterque *excommunicatos injuſte*,

Digitized by Google

juſte, ſine quacunq; ſatisfactionis emenda, & *gratis abſolvat*.

Abſolvendis quoque *juſte excommunicatis* pro modo culpæ ſpirituales injungat emendas. Vel ſi tales *multtâ pecuniariâ* punire decreverit, talem pecuniam Eccleſiaſticus judex tam evidenter *in pias cauſas convertat*, ne de ſpiritualis abſolutionis beneficio ex iniqua cupiditate *& ſibi imburſando* ſimoniacæ pravitatis vitium videatur commiſiſſe.

Quod ſi per quenquam *Eccleſiaſticum judicem* ſecus aut in contrarium agi vel attentari contingat, ille *in ſynodo ſequenti* & proxima accuſatus, aut per inquiſitionem talis repertus, usque ad privationem omnium beneficiorum & officiorum incluſive, & inhabilitatem ad habenda, *autoritate hujus ſacri concilii*, diſtrictisſime & ſine ſpe veniæ taliter corrigatur, quod cæteris cedat in exemplum.

De eodem.

CAP. II.

DIſtinctis & ordinatis capitulis, quæ videlicet cauſæ ad *Eccleſiaſticum forum* diviſum pertineant, & de quibus cognoſcere & definire *Eccleſiaſticus judex* habet: *Injungit hæc ſacra Synodus*, Eccleſiam Dei militantem repræſentans, *Sereniſſimo Principi, Domino SIGISMUNDO, Dei gratia Romanorum, Hungariæ &c. Regi ſemper Auguſto, ipſius Eccleſiæ advocato*, in virtute obedientiæ filialis, quatenus ſua Celſitudo Regalis *diſtricte præcipiat* omnibus & ſingulis Ducibus, Marchionibus, Landgraviis, Burggraviis, Comitibus, Baronibus, militibus, militaribus, clientibus, comitatibus, civitatibus, oppidis, villis, & quibuscunque eorum poteſtatibus, & judicibus, laicalibusq; perſonis quibuscunque, ut ſub *pœna regiæ offenſæ & banni imperialis* jurisdictionem Eccleſiaſticam, taliter, ut præmittitur, ordinatam, ut antea non impediant, inquietent aut moleſtent, ſed eam per nuncios, advocatos, procuratores, notarios, imo & ipſius judices promoveant & defendant. Quod ſi ſecus fecerint, probato facto *coram regia majeſtate, indignationem regiam, & imperialis banni*, nec non canonicas Eccleſiaſticarum cenſurarum pœnas incurriſſe eo ipſo dignoſcuntur.

Jurisdictio Eccleſiaſtica non turbanda.

TITULUS II.

De ſequeſtratione fructuum.

CAP. UNUM.

QVia quidam locorum Ordinarii *fructus beneficiorum Eccleſiaſticorum*, pro quibus inter litigantes lis pendet indeciſa, tempore hujusmodi litis *ſibi inburſare* procurant, nihil evincenti beneficium reſtituendo: Ideo, cum hujusmodi conſvetudo, vel potius corruptela, animabus pernicioſa, & ſacris non immerito ſit canonibus inimica, *hæc ſancta Synodus* ſub pœna ſuſpenſionis à divinorum officiis, quam incurrant eo facto, *decernit & ordinat*: Quod, niſi interveniat talis conſtitutio ſel. rec. quondam Domini *Clementis V. Clementinar. lib. II. tit. VI.* Quo caſu dicta conſtitutio ſervetur: Locorum Ordinarii vel poſſidenti & regenti beneficium hujusmodi fructus cedere permittant, aut, ſi neuter poſſideat fructus ejusdem beneficii, per duos idoneos presbyteros vicinos diligenter recolligi, & cum debita cura regiminis effici & expediri procurent, usque ad deciſionem litis. Quo facto, ſi quid ſupereſt, evincenti beneficium reſtituant integraliter & complete.

Imburſare.

TITULUS

Digitized by Google

Titulus III.

De fide inſtrumentorum.

CAP. I.

Notarii imperiti.

QVoniam *notarii & tabelliones publici* adeo per mundum ſunt multi ſperlati, ut in tanta multitudine plurimi in ejusmodi officio *leviſſimi idiota, & totaliter*, nedum *in graco*, ſed & *in ſtylo notariatus* reperiantur *ignari*, *ſubſcribentes interdum, qua neſciunt*, nec intelligunt quovis modo: Cujus occaſione fit, quod inſtrumentis publicis quamplures laici nec in judiciis nec extra judicia tanquam legitimis probationibus ſtare volunt: Idcirco in ſingulis civitatibus & diœceſibus tam Apoſtolica, quam imperiali autoritate, locorum Ordinariis, *annuente Sereniſſimo & Invictiſſimo Principe, Domino SIGISMUNDO, REGE ſemper Auguſto*, hoc *ſacrum Conſtantienſe concilium* præſenti ordinatione committit, quatenus aſſumtis ſibi viris intelligentibus, & literatis, omnes & ſingulos *notarios publicos & tabelliones* diligenter examinent, tam *in ſcientia*, quam *in moribus*, & cujus autoritate, qualiterque exiſtant inſtituti, dignosque & autoritatem habentes approbent, indignos & autoritate carentes abjiciant, & officiis eorum privent, inhibeantque *hujus ſacri concilii autoritate*, ne taliter privatorum inſtrumenta in judicio vel extra ſtent quovismodo.

Notarii examinandi quoad ſcientiam & mores.

Et idem fiat *in Romana curia*, ubi talium multitudo convenit. Et forſitan reparabiles exiſtunt plus ſuſpecti.

De eodem.

CAP. II.

Inſtrumenta publica olim in foro civili poſtpoſita.

ABuſioni certæ: Qua quidam *Scabini, conſules & judices ſeculares* in judicio ſeculari magis ſtare volunt teſtibus literis privatis, etiam uniusſolius honeſti viri ſigillo ſigillatis, aut etiam juramento partis, quam inſtrumentis publicis, ſed debita forma ſubſignatis & ſubſcriptis, imo ſi alicujus ſigilli non ſit munimine roborata, talia abjiciunt & refutant: Volens *hac ſacra Synodus* obviare, accedente *conſenſu Sereniſſimi & Invictiſſimi Principis, Domini SIGISMUNDI, ROMANORUM REGIS ſemper Auguſti*, hæc *ſacra Synodus decernit & ordinat*: Niſi de expreſſa falſitate, aut ipſius ſuſpicione in inſtrumento producto appareat, ipſi inſtrumento, ſecundum quod jura canonica & leges ſacræ determinant, ſtetur, tanquam aliis legitimis documentis.

Qvod ſi per quoscunque judices ſeculares ſecus actum ſit, ita quod hujusmodi inſtrumenta publica refutentur abſque cauſa legitima, ad ſententiam procedatur, judicatum non teneat. Et *Eccleſiaſticus judex* poterit hujusmodi proceſſum retractare, ſi per partem ad hoc fuerit requiſitus, & conſequenter procedere, prout ſecundum Deum, juſtitiam & rationem fuerit procedendum: Conſvetudine & municipali jure non obſtantibus quibuscunque.

Titulus IV.

De jurejurando.

CAP. I.

Canonicorum artes

QVia in quibusdam partibus *canonici capitulares* aut *perſonæ conventuales*, in electione, poſtulatione aut admiſſione ſuorum prælatorum quædam ſtatuta & conſvetudines ipſis prælatis proponunt, & ab eis exigunt juranda, & interdum ſigillorum ſuorum munimine roboranda, quibus illi canonici & perſonæ conventuales ſe nituntur *à ſuorum prælatorum juriſdictione* & obedientia, imo & interdum ſuiDecani, *eximere, ut eo liberius ſuas exercere vanitates*, & ſe minus vel in nullo aptas ſeu habiles ad officia valeant ingerere, ad quæ bona conſcientia promoveri non deberent, cum ad illa bene reperiantur

aptiores: Idcirco *hæc ſacroſancta Synodus* hujusmodi ſtatuta, & præſertim, quæ illicita, inhoneſta ac impoſſibilia ſunt, aut quæ ſine ſalutis æternæ interitu ſervari neqveunt, caſſat, irritat, & annihilat.

Et ſi illa ex quacunque occaſione facta videantur, & *jurata* ſint, ſuper his ex nunc prout ex tunc ipſum *concilium diſpenſat* ad cautelam, nolens quemcunque prælatum per hujusmodi juramenta ligari quovis modo.

Et quod deinceps jurans in fine ſemper annectat hæc verba: *Has, quas juravi, conſvetudines & ſtatuta, intelligo, in quantum juſta, poſſibiles, & honeſta, juſta, poſſibilia & honeſta ſunt, & etiam bona conſcientia de facto & de jure poterunt obſervari.*

De eodem.

CAP. II.

Conſpiratores ante electionẽ.

CONtra *conſpiratores* & ſe mutuo confœderantes & colligantes interpoſitione juramenti *ante aliquam electionem* canonicam, in electionibus faciendis, admittendis prælatis, aut aliis quibuscunque negotiis, contra obedientiam ſuorum ſuperiorum, & canonicas ſanctiones, ut etiam tales interdum ſententiis definitivis, quæ in rem tranſiverunt judicatam, ſe de facto conarentur opponere, *decernit hoc ſacrum concilium* pœnas graviores, ut privationis beneficiorum obtentorum, & inhabilitationis ad obtinenda. Qvia & id conſpirationis criminoſæ qualitas exigit & requirit.

Qvas pœnas, niſi moniti ſe ad invicem à talibus juramentis abſolvant, infra quindecim dierum ſpatium, quorum quinque pro primo, quinque pro ſecundo, & reliqui quinque dies pro tertio & peremtorio termino, & canonica monitione præmiſſa, eis aſſignentur, incurrant eo ipſo.

Et hæc prædicta capitula in titulis ſecundi libri Decretalium ſcribenda occurrebant.

LIBER III.

TITULUS I.

De vita & honeſtate Clericorum.

CAP. I.

Canonicorum vita.

CUm *Canonici*, à canone ſive regula dicti, in ſtatu clericali vel Eccleſiaſtico, cæteris regularius & *devotius normam* debeant *præbere vivendi*, qvorum tamen *aliqui nimis laicaliter*, imo *irregulariter viventes*, nec tonſuras clericales, inter clerum & laicum diſcretivas, nec habitum deferant clericalem: Ideo *ſtatuit & ordinat hæc ſacra Synodus*, ſub pœna ſuſpenſionis à perceptione ſuarum præbendarum, & quotidianarum diſtributionum, quæ *præſentia* nuncupantur, inhibendo omnibus clericis, in quibuscunque ordinibus & præſertim majoribus conſtitutis, *ne aliquis* eorum *tempore divinorum ſine veſte clericali* decente, nec nimis longa vel nimis brevi, aut etiam absque tonſura clericali, ſecundum correſpondentiam ſuſcepti ordinis ſufficienter magna, Eccleſiam intrare, aut etiam chorum eisdem temporibus ſine cauſa rationabili, & absque licentia Decani, aut in ejus abſentia prælati aut canonici Senioris, exire præſumat quovis modo, ſub pœna ſuſpenſionis antedictæ, à qua ante lapſum triduum nullatenus relaxetur.

Qvod ſi cæteri, talibus ſuſpenſis, durante ſuſpenſionis tempore quidquam de ſuis præbendis aut quotidianis diſtributionibus prædictis dederint, aut aliquis eorum dederit, tales aut talis frivoli

Digitized by Google

voli ſuſpenſionem, à qua non niſi per ordinarium, & poſt unius menſis lapſum relaxentur, incurrant vel incurrat eo facto.

De eodem.

CAP. II.

Clericorum vita.

QVia *prælatorum & Eccleſiaſticorum virorum vita* omnibus ſubditis, *ſi ſpeciem mali contineat*, eſt non immeritò *maxima cauſa ruinæ*: Ideò *hac ſacra Synodus* omnes & ſingulos prælatos & Eccleſiaſticas perſonas, qui ad modum militum *in veſtibus accurtatis* ac alias indecentibus, per campos equitant, ſupparati & loricati, interdumq; ſertis plumatis velut laici incedunt in publico, imo ad ſpectacula chorearum & aliarum vanitatum, *excommunicationis pœna*, quam hujusmodi habitus deferendo incidant eo facto, præſenti conſtitutione vult puniri, & ut excommunicatos ab omnibus evitari.

Similis ſit ſententia de *clericis*, qui rapinis, incendiis, guerris & bellis, interdum ad hoc ſtipendiati, & quandoque ab aliis rogati, ſe ingerunt, contra communem ſtatum clericalem.

Quam quidem excommunicationis ſententiam ſi non curent, contra eos usq; ad privationem Eccleſiaſticarum dignitatum & beneficiorum incluſive, vel aliàs prout juſtum fuerit, *in proxima ſynodo* ſequenti procedatur.

De eodem.

CAP. III.

Contra Concubinarios clericos. Alia laudes clericorum priſcorũ.

QVanquam in his, quæ in diverſis juribus ſcripta ſunt *de vita & honeſtate clericorum* contra *publicos concubinarios & cohabitatores mulierum*, contra *clericos aleatores*, *luſores*, *negotiatores*, *tabernarios*, *coriſatores*, indecentium veſtium, colore, ſciſſurâ, ſtrangulatura, manicarum nimiâ aperturâ & longitudine excellenti, portitores, *ſpectaculorum viſitatores*, *venatores*, *& aucupiis inſudantes*, *ludos larvarum*, placita ſecularia, & inſtitutiones mundanas in ſuis Eccleſiis tanquam in diverſoriis ſuſtinentes & tolerantes, *quaſi totus ſtatus clericalis evidenter exorbitet*: Cujus occaſione populus laicalis maxime ſcandalizatur, & in ſtatus clericalis odium excitatur: Tamen *huic ſacro concilio* neceſſe non eſt contra hujusmodi *exorbitantias ſtatus clericalis ſcandalizaturas* ſpecialia pro nunc decreta edere, quia de his ſatis proviſum eſt in jure, ſub pœna privationis Eccleſiarum, & dignitatum ſuarum, quam ex eorum negligétia demonſtrantur incurrere eo ipſo.

Viſitationes cleri. Imburſanda mulcta.

Injungit præ ceteris, atq; mandat omnibus & ſingulis *Eccleſiarum prælatis*, ſuperioribus & inferioribus, quatenus ſuper his ſingulis annis *viſitent*, corrigendos, *abſque* tamen *mulcta pecuniali ſibi inburſanda*, etiam usque ad privationem beneficiorum incluſive, corrigant & puniant. Ut talium pœnarum gravitate correcti culpabiles, diſcant à tali inordinatione ut antea abſtinere, & quod cæteris præcludatur audacia conſimilia perpetrandi.

TITULUS II.

De clericis non reſidentibus in Eccleſia vel præbenda.

CAP. I.

Repletio ſaccorum aliquibus potior quam cura animarum.

QVoniam *prælati* quidam, *innitentes magis repletionibus ſaccorum*, *quàm proviſioni animarum*, abſentes à ſuis beneficiis, ſub colore juſtitiæ & proceſſus graves movendo compellunt in eisdem reſidere, & tamen, *pro pecuniis*, ut vel decimam vel in vita ſua partem valoris redituum, imo aliqui eorum integros fructus accipiunt, & *ſibi inburſant*, tunc licentiam abſcendi dantes, & proceſſus quoad perſonas illorum dantium relaxantes, & propter *quæſtum talem*, *de ſimonia ſuſpectum*, poſtea licère reputant, quod antea ſuis pro-

Digitized by Google

proceſſibus fulminabant injuſtum: Idcirco *contra tam cupidum avaritiæ hiatum hæc ſancta ſynodus exurgendo*, ſub excommunicationis & privationis Eccleſiarum, & dignitatum ſuarum obtentarum pœnis, decernit & ordinat: Quod *prælati Eccleſiaſtici* beneficiatos ſuos ſubditos in illis beneficiis, quæ reſidentiam exigant perſonalem, & quæ aliàs pro congrua ſuſtentatione illorum beneficiatorum in reditibus Eccleſiaſticis ſunt dotata & fundata, vel reſidere compellant, *non accipientes pecuniam*, aut, ſi aliqua cauſa rationabili dictos beneficiatos reſidere debentes jura permittunt abſentes eſſe, proſpiciant tunc proviſo tali beneficio de regente idoneo, ut ipſum in divinis non fraudetur obſequiis. Reliqua, quæ ſuperſunt, in augmentum dicti beneficii diſtributione Eccleſiaſtica provenire procurent, *nihil ſibi de dicti beneficii reditibus inburſando*, ſub pœna præſcripta.

Avaritiæ hiatus.

Reditus ſacros ſibi imburſare.

De eodem.

CAP. II.

Licet in Parochialibus Eccleſiis, ut, recepto ordine Subdiaconatus, *ſtudendi cauſa*, aut varia *ſtudia audire volentes per ſeptennium*, ad majores ordines, Diaconatum videlicet & Presbyteratum, non teneantur promoveri, ſatis ſit proviſum per *Conſtitutionem* felicis recordationis quondam Domini *Bonifacii VIII.* quæ incipit: *Cum ex eo, Sexto Decretal. lib.* 1. *tit.* 6. *cap.* 34. Ut dictorum curatorum Epiſcopi & ſuperiores cum eisdem ſupra gratia dicta abſque promotione valeant diſpenſare: Tamen, quia tempore hujus doloroſi ſchiſmatis *literarum ſtudia*, & ex conſequenti *viri literati*, *& in ſcientiis eruditi* quamplurimum *defecerunt*: Idcirco ſtatuit & ordinat hæc ſacra ſynodus, quod, ſi qui tales curati vel etiam alii beneficiati, non vicarii, *ad ſtudendum habiles*, *ad Studia generalia* transferre ſe volent, *ſtudendi cauſa*, quod locorum Ordinarii, aut eorum ſuperiores, aut Eccleſiarum patroni, talibus *ad ſeptennium abeſſendi* à ſuis beneficiis, & *in ſtudiis promovendi* licentiam concedere non ſolum valeant, ſed & teneantur. Proviſo tamen, quod Eccleſiæ & beneficia *talium ſtudentium* taliter medio tempore diſponantur, quod divinus cultus & divinorum officia, nec non animarum cura, quæ eis convenit, nullatenus negligantur.

Literarũ ſtudia olim neglecta. Academica ſtudia ſeptennio limitata.

Si prælati ſuperiores, aut patroni hujuſmodi petitam licentiam cuiquam talium denegare præſumſerint, ſint hujuſmodi prælati & patroni ab ingreſſu Eccleſiæ interdicti, quouſq; tali abſentiæ conſenſerint. Et nihilominus *autoritate hujus ſacri concilii* prædicti *ſtudere volentes* præfatam licentiam taliter petitam habeant eo facto.

TITULUS III.

De præbendis & dignitatibus.

CAP. I.

Quia *in Eccleſiis* quibuſdam, præſertim *cathedralibus*, & etiam quibuſdam regularibus *de ordine S. Benedicti*, peſſime ſervatur & inolevit conſuetudo, vel potius *corruptela*, ſic quod in eis non admittuntur niſi de nobilium aut militarium genere procreati, qui velut ex militia geniti moribus talibus & militaribus imbuti *literarum ſtudia non frequentant neque curant*, & ſic *ignari* remanent & *idiotæ*: Ex quibus tunc communiter *per electionem talem qualem* ad Eccleſias cathedrales hujuſmodi militiæ dediti in prælatos promoventur, interdum *vix latinum fari ſcientes*, & actus militares tam in veſtibus, quam in bellorum conflictibus, & armorum inſultibus, quia exercitati ſunt in illis, magis prætendentes, quam quod actibus Pontificalibus, pro acquirendis, confirmandis, & paſcendis animabus, & ovibus ſibi ſubjectis, ſe ingererent, contra

Prælatorum olim multi ignari.

Digitized by Google

tra jura tam divina quam humana: Idcirco *ſtatuit & ordinat hoc generale concilium*, quod in qualibet cathedrali Eccleſia non ſolum hujuſmodi nobiles & militares, ſed etiam *Magiſtri in Theologia, Doctores & graduati*, vel indifferenter, vel ad certum numerum, & ſpecialiter *non minus quatuor*, etiam de nobilium aut militarium genere procreati, ſi ſaltem haberi valeant, alioquin alii notabiles, graduati, ut præfertur, admittantur, dummodo aliàs eis canonicum quid non obſiſtat, ſub pœna privationis omnium beneficiorum obtentorum, & inhabilitationis ad obtinenda, quam contrafacientes, contradictores & rebelles incurrant ipſo facto.

Et ſpecialiter prædicti regulares *de ordine S. Benedicti*, ſub pœna prædicta, quoſcunque alios devotos & tantæ religioni aptos indifferenter accipiant. Quia ſicut Chriſtus Salvator noſter in cœleſtibus perſonarum non eſt acceptator, nec eſt apud eum differentia apud Græcum & Latinum, ita, in cœleſti Eccleſia militante, & ſingulariter in tantæ humilitatis religione & ordine, talis differentia & perſonarum acceptatio nullatenus eſſe debet.

De eodem.

CAP. II.

DAmnabilem *uſum*, qui in quibusdam, ut aſſeritur, Eccleſiis inolevit, quod videlicet quoad tractatus capitulares ſecretos, & alios, admittuntur interdum *canonici parvi*, ex maturitate annorum inhabiles, & quandoque nec in ſacris ordinibus conſtituti, hæc *ſacroſancta Synodus* penitus reprobat atque damnat: Mandans omnibus & ſingulis Eccleſiarum *canonicis capitularibus*, præſentibus & futuris, quia in capitulis Eccleſiarum frequentes arduiſſimæ ſuper Eccleſiaſtica libertate ſeu alias ſpirituales cauſæ tractantur, quæ puerili ætati, aut his, qui, abjectis canonicatu & præbenda, convolare poſſunt ad nuptias, ſint inconvenienter committendæ, quatenus ut antea alia idoneitate ſuppoſitâ nullum ipſorum concanonicum ad capitulum aut tractatus capitulares admittant, niſi ad minus *decimum octavum ſuæ ætatis annum* compleverit, vel in aliquo ſacro ordine ad minus ſubdiaconatus exiſtat conſtitutus. *Canonicorum ætas.*

Qvod ſi qvis ſe per precum, minarum aut cujuſcunq; impreſſionis inſtantiam ſecus adjungi procuraverit, ſit ille ſuis canonicatu & præbenda ipſo facto privatus, & inhabilis ad eandem. Et ſecus admittentes, à perceptione fructuum ſingulorum de ſuis canonicatibus & præbendis advenientium per annum integrum ſint ſuſpenſi: De eisdem proventibus in modum pœnæ Apoſtolicæ Cameræ reſponſuri.

De eodem.

CAP. III.

De Canonicis capitularibꝰ.

CUm in qvibusdam Eccleſiis ſtatutum reperiatur, ut, licet *numerus canonicorum præbendatorum* ſit ſatis magnus, ipſorum tamen *capitularium* ad ſatis parvum numerum ſit reſtrictus, in finem, ut creditur, quod dicti pauci capitulares *ex capitularibus proventibus* uberius valeant *impinguari*: *Statuit* igitur *hoc generale concilium*, quod ſi canonico præbendato immatura ætas, *inſufficientia literaturæ*, aliaq; inidoneitas, aut aliud impedimentum canonicum non obſiſtat, capitulares ejuſdem collegii ipſum ad capitulum petentem admittere intra ſex dies teneantur, ſub pœna ſuſpenſionis à fructibus præbendarum & reſtitutionis dupli emolumenti, quo dictus admittendus proceſſiſſet. Qvod qvidem duplex emolumentum contra contradictores & rebelles judicialiter talis petere, exigere & recipere poteſt, quocunqve *juramento* non obſtante.

Super qvo *præſens concilium* ex nunc prout ex tunc *diſpenſat*, imo dictum *juramentum caſſat*, & annullat.

Ætatem aut etiam idoneitatem perſonæ à capitularibus tractatibus non repellendo, decrevit hæc ſynodus, ſicut in ordine presbyteratus *conſtitutionibus* felicis recordationis quondam Domini *Clementis V.* ubi determinatur, quod Subdiaconus poteſt habere vocem in capitulo, & conceditur ſibi, quod in decimo octavo anno ad ſubdiaconatum poteſt promoveri, ut in *Clementinis lib. I. tit. VI. de ætate & qualitate præficiendorum cap. II. & ſeq.* Et aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque.

De Eodem.

Cap. IV.

De abſentium Canonicorũ reditibus.

QUoniam ex quadam diſſvetudine aut corruptela *canonici præbendati & capitulares* in Eccleſiis reſidentes, fructus & *reditus abſentium canonicorum*, & propter abſentiam ſuam ſuſpenſorum, *inter ſe dividunt*, ſibi retinent, & *inburſant*: Idcirco *decernit hoc ſacrum Concilium*, quod præbendæ ejuſdem Eccleſiæ, quæ communiter capitularibus diſtribui conſueverunt, ſingulis annis in qualibet diviſione æqualiter dividantur.

Quod ſi tunc aliquos abſentes aut etiam præſentes ſuſpenſos eſſe contingat, talium ſuſpenſionum fructus aut in augmentum præbendarum vel ſaltem in utilitatem Eccleſiæ convertantur, *ne quomodolibet inburſentur.*

Quod ſi ſecus actum fuerit, *inburſantes* & recipientes ad reſtitutionem faciendam Eccleſiæ per ordinarium compellantur Eccleſiaſticam per cenſuram.

De Eodem.

CAP. V.

QVia quædam Eccleſiæ certa bona, reditus, & proventus ab aliis ejusdem Eccleſiæ bonis, reditibus & proventibus ſegregarunt, illa tanquam ſenioribus & capitularibus, ſecundum quod diutius vixerunt, applicanda, quæ aliqui *oblegia*, aliqui *fercula*, quidam *ſupplementa*, alii *officia*, & cæteri *feuda clauſtralia* vocant: Unde fit, quod in eadem Eccleſia unus præbendatus, ſecundum quod diutius vixit, mille florenos, alter junior, & interdum in capitulo novellus vix decem florenos habeat annuatim de præbenda: Et ob hoc, ut ad capitulum promoveri nequeant juniores, *ſenum avaritia, quæ temporis vetuſtate juveneſcit*, interdum impedimenta plurima parat: Idcirco *hoc ſacrum concilium decernit*, definit & ordinat, *omnes præbendas* ſaltem ejuſdem Eccleſiæ canonicis capitularibus de paritate eſſe debere *æquales*. Niſi, ſicut in quibusdam Eccleſiis obſervatur, ex ſua inſtitutione primæva diverſæ diviſæqve ſint, & fundatione inæquales.

Senum avaritia temporis vetuſtate juveneſcit.

Caſſat & irritat, & *annullat ſegregationes* ſupradictas. Liceatqve junioribus canonicis, ſaltem capitularibus, taliter damnificatis, & per tam iniquam diſtributionem defraudatis, niſi ſeniores cum junioribus omnia ejuſdem Eccleſiæ de uno anno provenientia ſingulis exponant dividenda, à die *præſentis conſtitutionis* ablata, & taliter eis abſtracta, aut ſaltem inpoſterum, quod abſit, abſtrahenda, repetere, & etiam judicialiter exigere cum damnis & intereſſe: Qvocunqve *juramento* per tales juniores non obſtante: Super quo hæc ſancta Synodus ex nunc prout ex tunc *diſpenſat* tanquam inique & fraudulenter extorto.

Titulus IV.

De conceſſione præbendarum & Eccleſiæ non vacantis.

CAPUT UNUM.

CUm nonnulli non per verum oſtium aut rectam viam præbendas, Eccleſias & cetera beneficia Eccleſiaſtica ingredi contendentes, antiquorum

& æta-

Digitized by Google

& ætate provectorum, & qvorundam divitum, qui etiam longis temporibus beneficia ſua Eccleſiaſtica pacifice poſſederunt, eadem beneficia impetrent, aut *actiones apertas* reportent, ut in vim compoſitionis à divitibus vexari timentibus *pecunias* valeant *extorquere*, aut litispendentias erga ſenes poſſeſſores procurare, in finem, ut ipſis decedentibus ad hujusmodi beneficia valeant ſurrogari: Ideo *hæc ſancta Synodus*, volens tam *nefandis aſtutiis & malis adinventionibus* obviare, diſponit, & ordinando decernit: Qvod, quicunque hactenus Eccleſiaſticum beneficium Apoſtolico vel ordinario titulo quæſitum per triennium pacifice & quiete poſſedit, aut quem in futurum taliter per ingreſſum canonicum, Apoſtolicum vel ordinarium per triennium poſſidere contingat, ille eo facto talem titulum quoad forum contentionis in illo beneficio, & tam juſtum acquirat, ut nequaquam etiam ſuper eo poſtea per quemquam impeti, citari valeat aut vexari. Et ſuit proceſſus talis eo facto nihili, nulliusqve roboris vel momenti. Niſi talis poſſidens ſeipſum fecit inhabilem, aut poſtmodum taliter excedat, quod ex magnitudine criminis notorie perpetrati clare probari valeat, quod ſuo beneficio privari deberet, aut in futurum inhabilitaret ſemetipſum.

Artes nefandæ.

TITULUS V.

De his, quæ ſunt à majore parte capituli.

CAPUT UNUM.

IN quibusdam Eccleſiarum capitulis, ſine urgente cauſa, nec vera ratione, imo contra jurisdictionis diſpoſitionem dicitur obſervari, quod unus, duo, vel interdum plures, & tamen reſpectu aliorum pauciſſimi vel *pauciores*, *ſua contradictione impedire* poſſint *ea*, *quæ per majorem* & forſitan ſaniorem *partem* capitularium *concluduntur*, ſtatuit & *ordinat hoc generale Concilium*, hujusmodi obſervantiam & conſvetudinem, quæ potius corruptela dicenda eſt, cum præfatis contradictionibus, ſi evidentem habeant rationem, caſſari & annullari, nec non præſenti conſtitutione caſſat & annullat, imo tales temere contradicentes à voce capitulari, & à fructibus ſuarum præbendarum eximit, prout ex tunc præſenti conſtitutione tamdiu ſuſpendit, qvousque à ſua temeritate ceſſando reſipiſcant.

TITULUS VI.

Ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.

CAPUT UNUM.

CUm ſectiones & diviſiones beneficiorum canonicis inſtitutionibus ſint inimicæ, ideo *hæc ſancta ſynodus decernit* & ordinat, diſtrictius inhibendo, ne hujuſmodi ſectiones aut diviſiones ut antea fiant.

Imò *nec ſummus Pontifex de iſtis ſine conſilio ſacri concilii generalis habet poteſtatem.*

TITULUS VII.

De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.

CAPUT UNUM.

AUtoritate hujus ſacri concilii, accedente ad hoc *conſilio & aſſenſu Sereniſſimi Principis, Domini SIGISMUNDI, ROMANORUM & HUNGARIÆ REGIS ſemper Auguſti*, caſſantur & annihilantur omnes & ſingulæ *impignorationes*, per Eccleſiarum & monaſteriorum prælatos ſine conſenſu capitulorum & conventuum ſuorum a receptione aut ad certum tempus factæ,

ctæ, ſi ſaltem ex talibus capitalibus ſumma appareat perſoluta.

Alioquin fructibus computatis in ſortem, vel impignorata calici uſque ad ſolutionem ſortis completam apud impignorantem remaneant, aut ſaltem prælatus vel ejus Eccleſia ſeu monaſterium, ſoluto quod ſolvendum reſtat, bona hujuſmodi ad prælatum, Eccleſiam aut monaſterium libere recipiant, ac eis utantur, ſicut ante.

TITULUS IIX.

De teſtamentis & ultimis voluntatibus.

CAP. UNUM.

De clericorum defunctorũ bonis.

QUia in quibuſdam mundi partibus *contra cleri libertatem* graviſſimæ ſervitutis inductiva, damnabilisq; inoluit corruptela, quod Eccleſiaſtici Prælati, imò, quod deteſtabilius eſt, laici Eccleſiarum & beneficiorum Patroni, advocati vel defenſores, *decedentium clericorum bona*, qualitercunque etiam teſtata, vel etiam, ſi ab inteſtato decedant, recipiunt, *ſuisque uſibus inburſant*, nihil Eccleſiis & beneficiis ac pro augmento divini cultus, nec non pauperibus ſucceſſoribus relinquentes, debita contracta non ſolventes, imò taliter, & ad extremum *domus illorum expoliantes*, ut nec funeralia officia, Chriſtiano homini debita & conſueta, poſſint peragi quovis modo: Imo quod deterius eſt, quædam poſſeſſa hæreditaria bona in præjudicium & gravamen hæreditario aufferre non formidant: Contra hos, in manu potenti & brachio extenſo, tanquam Chriſti & Eccleſiæ Dei ſpoliatores & prædones agrique divini depopulatores, exſurgens *hoc generale concilium decernit* & ordinat, omnes & ſingulos Eccleſiaſticos prælatos, ac etiam laicos, talia, ut præfertur, attentantes & præſumentes, excommunicationis ſententiam incurrere ipſo facto, & à Chriſti fidelibus arctius evitandos.

Et ſi *Eccleſiaſticus prælatus* in hujuſmodi excommunicatione perſtiterit per ſex menſes, animo, quod abſit, indurato, ſuâ Eccleſiaſtica dignitate, Eccleſia videlicet & monaſterio ſit privatus, & inhabilis ad eadem.

Laici vero talia committentes aut committi procurantes, eo ipſo à jure patronatus, advocatiæ ſeu defenſionis cadunt. Nihilominus eorum terræ, & loca quælibet Eccleſiaſtico ſint interdicto ſubjecta. Et niſi ſatisfecerint de commiſſis, ipſis decedentibus Eccleſiaſtica careant ſepultura.

TITULUS IX.

De decimis, primitiis & oblationibus.

CAP. UNUM.

CUm inter Eccleſiaſticos prælatos, Eccleſias, monaſteria, prioratus & conventus, habentes aut habentia autoritate Apoſtolica & ordinaria *Eccleſias* quaſdam *incorporatas*, ex una, & ſuos curatos Rectores, & perpetuos vicarios ex altera partibus, frequentius lites movetur & contentiones inſurgunt *ſuper decimis*, novalium prius incultorũ: Juribus & ſanctorum Patrum decretis inhærendo *hoc generale conciliũ* inter dictas partes ordinat, diſponit & declarat.

TITULUS. X.

De ſtatu monachorum & aliorum religioſorum.

CAP. I.

De votis monaſticis.

QVoniam uniuſcujuſque profeſſionis regulæ à ſanctis patribus ſaluberrime ordinatæ ſunt, in qvacunq; religione, pro conſervatione ſtatus regularis, & ſpecialiter *trium ſubſtantialium* cujuſcunque religionis, quæ ſunt *obedientia, continentia & paupertas*: Idcirco *hoc ſacrum concilium* primo & ante omnia

mnia ſub pœna Apoſtolicæ excommucationis & ſuſpenſionis *ordinat & decernit:* Qvod quælibet *religio* & quilibet *ordo* regulam ſui ordinis, aut primariam, aut ſaltem ſecundum ſubſequens ſanctorum Patrum moderamen, ſalvis tamen tribus ſubſtantialibus prædictis, & absque laxatione aut remiſſione eorundem poſtmodum deliberative decretam, ſervet & contineat.

Et quod non ſervantes hujusmodi regulam, præſertim contra *tria ſubſtantialia* prædicta, aut aliquod eorum, temere vivendo, ultra pœnas prædictas, etiam usque ad pœnas carceris incluſive, ſi id delicti qualitas exegerit, puniantur & corrigantur. Ut *atrocitas pœnæ* ſit *delinquentibus ad medelam*, & ceteris ſimilia devitandi ad exemplum.

Et ſi in aliquibus monaſteriis aut conventibus alias non habeantur hujusmodi ſcriptæ regulæ, aut habitæ in abuſum ſint deductæ: Hujusmodi regulas infra ſex menſium ſpatium habere ſibi, & habitas infra idem ſpatium ſub pœnis prædictis diſtrictius, effectualius, obſervare procurent.

De eodem.

CAP. II.

CUm *abdicatio proprietatis ita monaſtica profeſſioni* & regulæ ſit *annexa*, quod nec ſummus Pontifex contra eandem valeat diſpenſare: Nihilominus tamen quamplures regulares perſonæ utriusqve ſexus, & qvaſi indifferenter omnes, paucis duntaxat exceptis, ſalutis ſuæ immemores, interdum ante ingreſſum religionis & qvandoqve poſt, *pecunia ſibi induſtrioſe congregata*, vel recepta ab amicis & parentibus, nec non jura, poſſeſſiones, reditus, penſiones, portiones, præbendas, animalia, & alia bona emerunt, ſeu emi fecerunt & procurarunt, proprio & ſæpe nomine alieno multos contractus tanquam negotiatores exercent, pecunias inde acqviſitas, vel alias undecunqve provenientes ad libitum propriæ voluntatis expendunt, quamplures qvoqve hujusmodi pecuniam & alia prædicta contra ſcitum & voluntatem ſuperiorum ſuorum occulte vel illicite tenent, in ſuarum pericula animarum.

De Monachis & Monialibus opulentis.

Qvorum prætextu & occaſione, ex tunc veſtitum emunt, clauſtralia loca ad placitum deſerunt, manſiones ſibi ſeorſim procurant, victum & potum ſingularem extra conventualem locum ſibi diſponunt, vel in menſa communi in præſentia pauperum fratrum aut ſororum eadem ſcandoloſe conſumunt, reliqvis fratribus aut ſororibus, ſimilia non habentibus, magnam egeſtatem cum amaritudine animi patientibus.

Ex qvibus ſurgunt invidiæ, detractiones, rancores, ſcandala, applauſiones, comeſſationes, inobedientia, incontinentia, aliæqve infinitæ exorbitantiæ regularis diſciplinæ.

Allegantes, ſe poſſe hujusmodi *abuſus deteſtabiles*, de licentia & indultu ſuorum ſuperiorum talibus conſentientium, aut talia diſſimulantium, licite exercere.

Cum ergo hujusmodi *peſtiferi abuſiones* in totius regularis obſervantiæ gravem jacturam vergere dignoſcantur: Ideo *hæc ſacra Synodus* omnibus prælatis & ſuperioribus regiminibus, omnium religioſorum locorum præſidentibus, ſub pœna privationis prælaturarum, dignitatum, officiorum, adminiſtrationum omnium, tam ſpiritualium, qvam ſecularium, injungit: Qvod talia de cetero *nequaquam indulgeant*, eis conſentiant, vel ea permittant, ſed potius ſubditis ſuis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna carceris, Apoſtolicæ excommunicationis & ſuſpenſionis, ſimilia attentantibus, aut ab eisdem deſiſtere nolentibus, firmiter & perpetuo inhibeant: Hujusmodi *trangreſſores*, tam ſuperiores qvam ſubditos, primo, ſecundo, tertiove, per uniuscujusqve immediatum ſuperiorem excommunicationis pœna prætacta irremiſſibiliter puniendo, Conſtitutionibus, conſvetudinibus, literis, pactis, promiſſionibus, ac aliis etiam gratiis Apoſtolicis non obſtantibus qvibuscunqve.

Mandat inſuper *eadem Synodus*, quod qvæli-

Digitized by Google

De opibus à Monachis & Monialibus collectis.

qvælibet regularis perſona, utriusqve ſexus, omnia bona tam mobilia qvam immobilia, ſub qvocunqve colore, vel ex cujuscunqve licentia de facto habita, poſſeſſa, vel hactenus induſtrioſe acqviſita, teneatur ſub præſcripta pœna infra triduum poſt reqviſitionem in manus ſuperiorum ſuorum integre ac fideliter aſſignare. Qvi ipſis & aliis ſubditis de talibus bonis, ac communi ſubſtantia monaſterii aut conventus, teneantur ſub pœnis præſcriptis in victu & veſtitu, & omnibus neceſſariis, ſecundum uniuscujusqve loci regularis exigentiam, facultatum ac perſonæ, loci & patriæ qvalitate, fideliter providere, pecuniali & aliorum vendibilium pro pecuniis ultra victus & amictus neceſſitatem diſtributione ſemper excluſâ & penitus interdictâ.

Negligentes etiam & remiſſi per ſuos ſuperiores absqve miſericordia puniendi.

De eodem.

CAP. III.

De congregationibus Capitularibus.

QVia in diverſis ordinibus negligens intermiſſio *congregationum capitularium, quibus viſitanda, corrigenda, & emendanda quamplurima exiſtunt* prætermiſſa, facta eſt: Ideo *ordinat & decernit hac ſacra ſynodus*, quod tales religionum ordines, qui, ut præmittitur, ſuas *conventiones capitulares* prætermiſerunt, capitula ſua & conventiones prædictas, vel ſecundum regna, regiones aut provincias diſtincta aut diſtinctas, ut antea ſecundum modum aut obſervantiam ſuæ regulæ inſtitutionis ſervent & teneant: Ibidem accuſanda accuſent, inquirenda inquirant, viſitanda viſitent, & corrigant corrigenda.

Viſitationes.

Quod utiq; prælati monaſteriorum & conventuum majores facere teneantur, ſub *pœna privationis* dignitatis, officii & adminiſtrationis, eis, ex facta *eorum negligentia*, in proxima *ſynodo*, vel *generali* vel *provinciali*, infligenda.

De eodem.

CAP. IV.

De Monachorum rupta obedientia.

QVandoquidem contra ſublimitatem *obedientiæ* in diverſis religionibus & ordinibus rebellis humana temeritas, jugum Domini, quod ſua profeſſione ſuſcepit, conans abjicere, plures *exemtiones communes & perſonales* adinvenit, quibus *ille* ab iſtius ſuperioris ſui, illud *monaſterium* ab alterius obedientia, *exemtus* ſeu *exemtum* erat: Pluresqve *prælati, Principes, barones & nobiles*, ex impetrato privilegio, ut aſſerebant, contra ſuorum religioſorum prælatorum & ſuperiorum voluntatem & aſſenſum, *regulares* & religioſos in ſuis ſervitiis *ut capellanos tenuerunt*, & ſub ſtipendio ſuſtentaverunt & foverunt: Eum in finem, ne tantæ *inobedientiæ vitium* ut antea tam periculoſe ſuccreſcat, ſed quo magis in omni religione & ordine catenalis & dependens *ordinata obedientia* ſecundum ſui inſtitutionem primævam, & quod omnis religioſus ſub ſui ſuperioris religioſi obedientia, ut debitum & ſaluti accommodum eſt, conſervetur: *Hoc ſacrum concilium* omnes & ſingulas in ſtatu regularium *exemtiones, communes & perſonales*, ac omnia & ſingula hujuſmodi *privilegia*, poſt conſtitutionem felicis recordationis quondam dicti *Innocentii IV.* quæ incipit: *Volentes: Sexto Decretal. lib. V. tit. VII. cap. I.* qualitercunq; factas aut conceſſas, caſſat, irritat & annihilat. *Poteſtasque* amplius *talia* quomodolibet *concedendi*, omnibus Eccleſiarum prælatis, imo & *ſummo Pontifici*, niſi exſurgentisſima cauſa, & *ex conſilio generalis concilii* fiat, ſit penitus *interdicta*.

De exemptionibus Monachorum.

De Monachis extra monaſteria apud prælatos Eccleſiaſticos & ſeculares ſervientibus.

Per hoc tamen *hæc ſynodus* nullius ordinis approbati exemtionem, ab ordinaria jurisdictione prælatorum Eccleſiaſticorum & ſecularium prius factam, & ſecundum formam prætatæ conſtitutionis limitatam, tollere, aut ei præjudicare intendit quovis modo.

De

De eodem.

CAP. V.

De Simonia religioſorum.

QVia *ſimoniacæ cupiditatis vitium in ſacris religionibus* & ſtatu regularium, qui ex voto, quo propriis labiis diſtingvuntur, profiteri ſolent paupertatem, *Eccleſiam ſanctam Dei maxime ſcandalizat*, quamplurimaque ſunt monaſteria & conventus utriusq; ſexus hominum, qvi, ut de parte taceamus precante, perſonas *ſub pacto Simoniaco nedum occulte* ſolum ſed & *publice* receperunt, ſub tali tantaq; continuatione, ut apud eos pernitioſiſſima vitia mares & feminæ videant: Qvidam etiam receptatores aut receptantes perſonarum religioſarum, *ſuas nequitias palliantes*, & excuſationes quærentes in peccatis, ipſis recipiendis dicunt libenter: *Vobis pure, propter Deum, gratis, ex charitate & ſine pacto, concedimus ordinis noſtri ſocietatem in ſpiritualibus: Sed quia pauperes ſumus, provideatis vobis taliter de neceſſariis, ut de illis vos ſuſtentare valeamus:* In eo ſimoniacam illam occultantes pravitatem: Ideo *hæc ſacroſancta ſynodus*, volens, in quantum poteſt, hujuſmodi vitium ſpecialiter in ſtatu regularium, cum omnibus talibus ſimilibus ſuis cautelis totaliter exterminare, *ſtatuit, diſponit, ordinat*, diſtrictiſſime inhibendo, ne ut antea qvisqvam aut qvæqvam, religioſus aut religioſa, cujuſcunqve monaſterii, conventus aut regulæ fuerit, ſub *pacto implicito* vel *explicito*, aut *pretio pecuniario*, aut cujuſcunq; rei utilis, ut antea qvovismodo recipiatur, ſeu admittatur.

Qui ex pacto pecuniario recipiunt perſonas utriusq; ſexus ad religiones.

Monachi & moniales de propriis viventes.

Qvod ſi qui aut quæ ut antea in contrarium fecerit aut fecerint, qvidqvam taliter ex pacto recipiendo, vel dando, ſint perſonæ tam dantes qvam recipientes eo facto excommunicatæ, monaſteriaqve & conventus Eccleſiaſtico ſuppoſiti & ſuppoſita interdicto, tamdiu, donec à ſolo ſummo Pontifice abſolutionis & diſpenſationis gratiam, etiam poſt reſtituta pretia, meruerint obtinere.

Et qvia quaſi *totus religioſorum cœtus* utriusq; ſexus *hujusmodi vitio exſtitit maculatus*, tantæqve multitudini nec non immerito ſit compatiendum gratioſe: Ideo *hæc ſacra ſynodus*, ordinatâ cautelâ futurorum, de præteritis & commiſſis delictis poſt confeſſionem criminis miſericorditer fore ab immediato ſuperiore diſpenſandum, ex nunc prout ex tunc præſenti conſtitutione decernit.

Totus cœtus religioſus olim ſimonia maculatus.

De eodem.

CAP. VI.

De his, qui oſtentatione ſanctitatis acriorem ordinem petunt.

De ſimulata olim monachorum ſanctitate.

EXpoſito nobis, qvomodo qvidam, in *ordinibus* ſecundum regulam *lenioribus* conſtituti, ſatagunt & procurant ſecum ad *ordines* ſecundum regulam *arctiores* per ſedem Apoſtolicam diſpenſari: Quamlibet, *narrando verbis multa, ſimulatam prætendant ſanctitatem & ſimplicitatem ovium, intrinſecus* tamen *lupi rapaces* exiſtentes, *ordines, velum ovium*, qværunt monaſteriorum illorum: Qvorum *aliqua* de facto *ſub regula diaboli degunt, vanitati deſerviunt*, & irregularitatem permittunt. Cujus occaſione accidit, ut interdum ad abbates & alios priores & majores illorum ordinum, ad quos ingredientes diſpenſant, *magis irregulariter viventes*, accedant, admitti petentes. Qui etiam, ut fertur, ſub tali conditione admittuntur, & ſub juratoria cautione, quod nunquam aliquam præbendam aut conventualem portionem, ſeu introitum capitularem requirant aut exigant. Quibus ſic ſtantibus non poſt modica tempora dantur eis illorum ſuperiorum *literæ licentiatoriæ abeſſendi* à ſuis monaſteriis & conventibus, & regendi Eccleſias parochiales. Ut *de profeſſis monachis* & regularibus, qui monaſticam vitam voverunt, fiant quaſi *clerici ſeculares*, habitum rejicientes, *per mundumque vagantes* ut *diſcoli*.

Volens igitur *hoc ſacrum concilium* de tantis abuſionibus, vagitate & vanitate, modis omnibus providere, *ſtatuit, decernit*

nit & ordinat, quod Abbates & majores monaſteriorum & conventuũ, ſi hujusmodi diſpenſatores *vagos & vanos* velint admittere, eos pure & ſimpliciter propter Deum, & ſine hujuſmodi pacto vel juramento admittant, in ſuis monaſteriis & conventibus ſtandi & perpetuo permanendi, ſub pœna privationis dignitatum, officiorum, & adminiſtrationum ſuarum.

Qvod ſi hujuſmodi *diſpenſationis impetrator* poſtea *extravagari*, aut ad inſtar ſecularium clericorum aut ſacerdotum curam plebis, regulâ ſui ordinis prætermiſſâ, gerere reperiatur: Locorum Ordinarii tales *ut apoſtatas* captivare, & ſuperioribus ſui primi ordinis captivatos præſentare, tanquam perpetuò incarcerandos tenebuntur: Cujuſcunq; licentia data, aut etiam diſpenſatione obtenta vel obtinenda non obſtante.

De eodem.

CAP. VII.

De Monachis extra clauſtra ſua Eccleſias regentibꝰ. Judicia cauſarum civilium ne tractēt monachi.

INſuper prohibet *hæc ſacroſancta ſynodus monachis & religioſis*, aut etiam *canonicis regularibus*, qvod Eccleſias parochiales ſeculares, extra terminos ſuorum monaſteriorum exiſtentes, nec per inſtitutionem perpetuam, nec per commendam regant quovis modo: Aut etiam *judicia cauſarum* inter perſonas ſeculares non exerceant aut ſervent. Prout quidam ſe adhoc privilegiatos affirmant. Quia & hujuſmodi regimen & exercitium judiciale diſſolutioni, vagationi, & cupiditati, contra *eſſentialia religionis*, videlicet *continentiam* & *paupertatem*, aditum præbet & exhibet.

Et inconveniens eſt, quod multis curandis plebibus præficiatur ut paſtor aut judex, qui ex aſſumtæ religionis officio cuſtodiam unius duntaxat gerere debet.

Quod ſi abbates & ordinum ſuperiores, præficiendo ſuos monachos aut fratres, ſecus fecerint, per ſe aut per alios ſuos monachos vel fratres eorum nominibus *judicium contentioſum inter ſeculares exercere* præſumſerint, nec poſt trinam canonicam monitionem præmiſſam præſumta & attentata revocaverint: In proxima ſynodo ſequenti accuſati & convicti, ab omni adminiſtratione ſuarum dignitatum & officiorum ſuſpendantur tamdiu, donec à ſua temeritate reſipiſcant.

Quod ſi facere non curaverint, contra eos uſque ad privationem incluſive procedatur.

De eodem.

CAP. VIII.

De damnis ex ſchiſmate Papali ortis circa tempora Concilii Conſtant.

Nec in Piſano nec Conſtantienſi Concilio deſinitũ, quis ex tribus diſſidentibus Papis vero eſſet. Confuſio Eccleſiaſtici ſtatꝰ ante Concilium Conſt.

SIcut *hujus doloroſi ſchiſmatis tempore* Eccleſia ſancta Dei primitus in duas obedientias usqve ad tempus *concilii Piſani*, & ex tunc *usque modo* in tres obedientias diviſa fuit, ita & qvaſi omnium religionum ordines, monaſteria & conventus inter ſe & ab invicem diviſi & diviſa fuerunt, ſic, qvod iſti, qvi fuerunt de una obedientia, alios ſuperiores, qvam alii, de alia obedientia, recognoverunt, variaq; & diverſa, alia perpetua, alia temporalia privilegia, gratias Apoſtolicas & exemtiones impetrarunt: In nullo tamen, nec *Piſano*, nec *præſenti conciliis* determinatum ſit, aut determinetur, imo *firmiter quoad univerſalem Eccleſiam tanquam indeterminatum remanet, quis præſidentium illarum trium obedientiarum unquam fuerit verus Pontifex*: Cujus occaſione in ordinibus & religionibus prædictis, per Dei gratiam nunc unitis, & completius uniendis, multorum conſcientiæ dubiæ remanerent, & ſcrupulos perplexos inciderent, qvæ privilegia & gratias Apoſtolicas, taliter diverſa ac diverſas, imitari aut ſervare deberent, cum ſine nota diverſionis, & illa & iſta, aut iſtas & illas imitari aut ſervari non poſſint: Idcirco pro dictarum religionum & præfatorum ordinum magis charitativa unione, & omnium conſcientiarum ſervatione, *hac ſacra Synodus omnia & ſingula hujusmodi privilegia, exemtiones, aut gratias Apoſtolicas, à* tem-

tempore inchoati ſchismatis eisdem religionibus & ordinibus, ſive ſint communia, ſive perſonalia, communes vel perſonales, conceſſa vel conceſſas, qvarum tenores habet pro ſufficienter expreſſis, *revocat, irritat, caſſat & annihilat.*

Veruntamen ſi aliqvæ ex præmiſſis pro bono ſtatu ordinis & religionis prædictorum, nec non ſine acceptione perſonarum, ſive rationabili æqvalitate inſtitutæ videantur: *Apud futurum unicum* & verum *ſummum Pontificem hæc Synodus intercedet*, ut nedum unius obedientiæ, ſed indifferenter omnibus nunc unitis religioſis hujusmodi privilegia concedere velit gratioſe. Ut ipſi per unitatem Eccleſiæ inter ſe absqve omni diverſitate uniti altiſſimo cum ſuarum conſcientiarum puritate eo confidentius valeant famulari.

De eodem.

CAP. IX.

Unus monachus ne regat pro Abbate domum.

CUm ſcriptum ſit: *Væ ſoli, quia, ſi ceciderit, non habebit ſublevantem:* Ideo decernit & *ordinat hæc ſacra Synodus*, qvod Abbates, & religioſi, domos, præpoſituras aut prioratus, ſubditas aut ſubditos, *per ſolum monachum aut religioſum non regant* aut regi procurent. Sed, ſi reditus & proventus pro duobus non ſufficiant, ſervetur in hoc *Conſtitutio* felicis recordationis qvondam Domini *Clementis V.* qvæ incipit, *Attendentes, Clementin. lib. 3. tit.* 10. *cap.* 2. Qvia utiqve ſoli divinum officium regere non valent: Teſtimonium bonæ & laudabilis vitæ ex defectu ſociorum non habent: Et, qvod forte deterius eſt, *ſoli contra religioſam continentiam libidini carnis & luxuriæ liberius vacant:* Et forſitan in aliis delinqvunt, quæ monaſticam dedecent honeſtatem.

Periculũ ſi unus regat monachus.

Qvod ſi Abbas aut qvicunqve religioſus contrarium aut ſecus facere præſumſerit, Ordinarius loci tam ſuperiorem qvam ſubditum per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcat, etiam usque ad incarcerationem incluſive, ſi aliter ſaltem compeſcere neqveat: Exemtione quacunqve non obſtante.

De eodem.

CAP. X.

De his qui contra antiquam cõſvetudinẽ ſua prælaturæ, petunt infulam, baculum paſtoralem, annulum &c.

QVia in ordinibus & religionibus *uniformitas*, humilitatis & veræ obedientiæ imago qvamplurimum accommoda, eſt infructuoſa, ſic, qvod *difformitas clericorum inobedientiæ & ſcandalo locum præbeat:* Ideo *hæc ſacroſancta Synodus obviando* illi *ambitioni*, qva in diverſis ordinibus, contra ordinem Sancti Benedicti, *quidam Abbates, ſpiritu*, ut traditur, *ſuperbiæ inflati*, ſe Apoſtolico privilegio procurarunt *infula, baculo paſtorali, annulo & ſandaliis*, intento ultra cæteros exaltari, hujusmodi privilegia totaliter revocat, caſſat, irritat & annihilat: Ut antiqva, ſancta, ſinceraqve *uniformitas* in ordinibus ab olim ſervata, ut ſcilicet differentia non ſit, ſecundum doctrinam Salvatoris, inter recumbentem, & eum, qvi miniſtrat, reſtauretur.

Neutiqvam tamen *Abbatibus ordinis Sancti Benedicti*, qvi antiqviſſimis temporibus hujusmodi prærogativa gaudebant, generari præjudicium per hoc intendit Synodus ſacroſancta.

De eodem.

CAP. XI.

De fratribus ordinum mendicantiũ.

QVoniam *fratres ordinum mendicantium* ex ſui inſtitutione inter cæteros religioſos expreſſe *profitentur paupertatem*, ita, ut nihil nec in communi, nec in ſpeciali deceat in modum proprietatis poſſidere: Idcirco *hæc ſancta Synodus* diſtricte *inhibet*, ne hujusmodi ordines & ordinum conventus, ac etiam perſonæ ſingulares eorundem ordinum; ut antea *poſſeſſiones* & proprietates *immobilium bonorum*, qvæ plurimi eorum habere videntur, aliqvatenus habeant,

De opibus eorum privatis.

Digitized by Google

beant, per ſe vel per alios. Sed ſi habeant, vendant, pretiaqve ſecundum vitam Apoſtolicam ante pedes ſuorum ſuperiorum ponant, unicuiqve prout opus ſibi erit, diſtribuenda, duntaxat *in victu & amictu.* Penſiones qvoqve ad receptionem, qvæ uſurariæ, vel de uſura ſunt ſuſpectæ, vel etiam in perpetuum, nullatenus enumerent: Dictasqve receptiones, niſi quid de his ſancta determinabit Eccleſia, in publicis ſermonibus tanqvam licitas non canonizent: Sed ſecundum ſuæ inſtitutionis regulas pure de eleemoſynis, & de his in communi vivant.

Qvod ſi ſecus facere aut attentare præſumſerint, poterunt locorum ordinarii, terna tamen canonica monitione præmiſſa, per debita intervalla facta, taliter reis, velut proprietariis interdicere officia prædicandi, confeſſiones audiendi, terminos ſuos viſitandi, & eos alias per Eccleſiaſticam cenſuram coërcere: Privilegio Apoſtolico & alio qvocunqve non obſtante.

De eodem.

CAP. XII.

Terminarii idiotæ.

De Monachorum mendicãtium artibus pecuniariis. Teſtamẽtà per monachos extorta.

MUltorum *querela Curatorum ad hoc ſacrum Concilium deducta*, qvaliter *fratres ordinum mendicantium* limites Apoſtolici privilegiis, eis dati per Clementinam, *Clementinar. lib. 3. tit. 7. de ſepulturis cap.* 2. multipliciter excedant: Sic qvod ſuperiores dictorum fratrum non eo modo, ſicut deberent, ſed in ſcriptis, imo interdum nomine non expreſſo, Ordinariis locorum ſuos *terminarios*, ut plurimum *idiotas*, & interdum minus quam presbyteri curati ſcientes, præſentant: *Præſentati, ſoli absque ſocio per parochias velut vagi transcurrunt*, abſolutiones ſuas, ultra curatorum efficaciores, tanquam Apoſtolica autoritate conceſſas, prædicant ſæpius: Qvod in caſibus eis non commiſſis abſolvunt, *pecuniaria* etiam *pactione præcedente* aut interveniente: *Decedentibus* & teſtari volentibus *ſecretius ingerunt, ſibi & non Curatis legari* & apud ſuos conventus ſepeliri: Qvibus omnibus *ſecretius ingeſtis & practicatis*, canonicam ipſis curatis non exhibent portionem, in dictorum Curatorum multiplex præjudicium & gravamen.

Volens igitur *hæc ſacra Synodus* tanto *abuſui*, in quantum poteſt, *obviare*, omnia & ſingula *privilegia*, poſt dictam conſtitutionem in præjudicium Curatorum per præfatos fratres quomodolibet impetrata, *revocat*, irritat, totaliter caſſat & annihilat: Expreſſius inhibendo, ne limites *dictæ conſtitutionis*, nec non ejusdem Domini Clementis, *Clementinar. lib. V. titulo VII. De privilegiis, cap. I.* & aliorum ſtatutorum terminos, verbo vel facto, publice vel occulte, directe vel indirecte excedant quovis modo.

Qvod ſi forte facere præſumſerint, à locorum Ordinariis per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcantur: Qvocunqve privilegio Apoſtolico, aut quovis alio, impetrato ſeu impetrando, non obſtante.

De eodem.

CAP. XIII.

De Begardis & Beguttis tertia regula ſancti Francisci. De horũ artibus.

QVia *ſub colore tertiæ regulæ Beati Franciſci*, ex conventu *fratrum Minorum*, quamplures perſonæ utriusqve ſexus *ſcapularia* deportare videntur, acſi ipſorum vivendi modus diſtincta foret religio, & ab aliis ſeparata: *Hujusmodiq; perſonæ in illo habitu operibus interdum indecedentibus & mulieribus ſe ingerunt*, in dedecus ſacræ religionis vergentibus, ex quibus inter ſeculares plurima ſcandala videntur exoriri: Qvædam etiam perſonæ tales, continentiam, obedientiam & paupertatem promittunt, & tamen in ſylvis & plebibus commorantes, cum aliàs ad laborandum aptæ forent, de eleemoſynis in præjudicium pauperum & miſerabilium perſonarum vivunt: *Beggardis, Beguttis,* quæ

Begardi & Beguta de hæreſi ſuſpecti.

quæ *Sueſtri omnes* dicuntur, *de hæreſi valde ſuſpectis*, ſe eis converſando ingerunt: Ipſorum ipſarumqve ſectas & hæreſes, ut timendum eſt, *ſub tali habitu & ſpecie* occultant ſimulata: Idcirco *hæc ſancta Synodus* diſtrictius inhibet, ſub excommunicationis pœna, ne hujusmodi perſonæ, ſub tertia *regula*, hujusmodi *ſcapularia* ut antea deferant: Sed in converſatione & ſtatu ſe aliis honeſtis civibus, ſub obſervantia dictæ regulæ, quæ præclarus quidam modus vivendi eſt, tanquam regula, conforment penitus.

Et omnino non liceat dictorum fratrum ſuperioribus *ſub tali habitu* quascunqve perſonas extra loca ſacrata ſui ordinis quomodolibet aſſumere, ſub pœna præſcripta. Qvam quidem pœnam locorum Ordinarii, tam contra dantes quam contra recipientes hujusmodi *diſtinctum habitum*, *ſcapularia* & profeſſionem, procedant & procedi faciant, eccleſiaſticam per cenſuram: Apoſtolico vel alio quocunqve privilegio, & aliquatenus non obſtante.

De eodem.

CAP. XIV.

De monachis mutato habitu vagantibus.

DEcernit inſuper hæc Synodus, quod amplius *nullus monachus* aut frater per campos extra ſepta ſui monaſterii equitando vel currendo *vagari permittatur* absqve ſui ſuperioris licentia, literatorie & ex legitima cauſa ſibi conceſſa, aut *habitu relicto*, vel ſaltem *ſub aliis veſtibus ſecularibus* occultato.

Qvod ſi quis ſecus repertus fuerit, & in præmiſſis culpabilis, poterit ille per locorum Ordinarium licite arreſtari, teneri, captivari & incarcerari tamdiu, quousqve talem inobedientiam ſua luat pœna condecedenti. Niſi ſuus Abbas aut ſuperior ipſum poſtulet, aut repetat, & promittat fide data, talem ſecundum regulam ſui ordinis velle corrigere & punire. Et ex tunc iſtum *extravagum monachum* aut fratrem ſuo Abbati aut ſuperiori Ordinarius tenebitur præſentare corrigendum: Privilegiis, exemtionibus, & aliis indultis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunqve.

De eodem.

CAP. XV.

QVia *contra canonicam ſanctamq́, electionem*, qua ſuperiores officiales & generales, & miniſtri in ordinibus mendicantium ab olim aſſumi conſveverunt, certæ *definitiones capitulorum generalium* factæ feruntur: Ideo *declarat* hoc *ſacrum concilium*, qvod omnia & ſingula officia & miniſteria, præſidentiæq; dictorum ordinum, ab olim per viam electionis conſveta diſtribui, niſi *per juſtam, veram & canonicam electionem* diſtribuantur, ſicut ab olim in eiſdem ordinibus factum eſſe dignoſcitur.

Quod ſi quid ſecus per qvem actum fuerit, ſit hoc irritum ipſo facto: Qvacunqve diſpenſatione, indulgentia aut conceſſione non obſtante.

De eodem.

CAP. XVI.

ORdinat quoq; & *ſtatuit eadem ſancta ſynodus*, qvod, cum dictorum *fratrum mendicantium generalia capitula* celebrantur, *generales miniſtri*, ſeu rectores dictorum ordinum, qvi, ſecundum formam ſuarum conſtitutionum & obſervantiarum, habent de finitionibus, & *capitula* de negligentiis, commiſſionibus, & omiſſionibus, *ſuam culpam dicere*, & *veniam petere*, in eo actu quo ſigilla reſignant, etiam officia eorum reſignaſſe cenſeantur: Et qvod tunc *capitulum* ad electionem prioris vel alterius generalis miniſtri aut rectoris canonice procedat, ſecundum qvod videbitur expedire.

Digitized by Google

De eodem.

CAP. XVII.

STatuit inſuper & *decernit hac ſynodus*, qvod *generales miniſtri* & rectores dictorum ordinum, ſeu etiam Provinciales provinciarum, *nullatenus* prætextu cujuſcunq; literæ & gratiæ præſumant à provinciis aut fratribus quibuscunq; ſibi ſubditis *exigere pecuniam*, vel aliam rem qvamcunq;, ſic qvod nec pro ſcriptura, aut ſigillo literarum qvidqvam recipiant, ſub *excommunicationis pœna*. Qvam contra faciens incurrat ipſo facto. A qva etiam abſolvi non poſſit niſi per Romanum Pontificem, præterqvam in mortis articulo. Qvam non curans, ſi poſtea non abſolutus celebraret, divinis ſe ingerens, & ex conſeqventi irregularitatem incurreret, ſit eo ipſo ſuo privatus officio. Liceatq; fratribus dictorum ordinum *capitulum* vel *generale* vel *provinciale* celebrare, & ibidem alium eligere in locum ſupra dicti.

De eodem.

CAPUT XVIII.

Ambitio dominandi inter Monachos Mendicantes. De officio Provincalatus.

UT *in tam humili* religioſorum ordinum videlicet *Mendicantium ſtatu* reſecari valeat *ambitio dominandi*: Decernit *hæc ſancta ſynodus*, qvod nullus *Provincialis*, ſi *magiſter in Theologia* fuerit, ultra ſex annos, ſi vero *Lector*, aut alter venerabilis frater non graduatus fuerit, ultra tres annos, *in officio provincialatus* remanere debeat. Sed dictis annis elapſis alii in eorum loca eligantur.

Et modis omnibus *Magiſtri in Theologia*, dummodo aliàs ſint idonei, *præferantur*.

Capitula Provincialia.

Et qvod *ſingulis annis ſua provincialia capitula celebrent*: Diſpenſatione qvacunqve non obſtante. Niſi pro tunc *generale totius Eccleſiæ concilium* contingat celebrari.

De eodem; Et ſpecialiter de Monialibus.

CAPUT XIX.

CUm proprietas paupertati, qvam religio ſancta profitetur, ſit adverſa & totaliter inimica, *mendicitasq́; per fragilitatem ſexus apud ſanctimoniales virgines* ſit non immerito *deteſtanda*: Unde factum eſt, quod monaſteria & clauſtra Monialium, ultra ſuos reditus, quos poſſident atque tenent in communi plures virgines, profeſſionis ſuæ regulam hactenus occupiendo, & non bene, *permiſerunt, reditibus parentum* aut conſangvineorum ad dies vitæ comparatis, donatis & deputatis, virgines ingredientes ut propriis *uti* & gaudere, contra eſſentialia ordinis & obſervantiam regularem; Ordinat igitur & *decernit hæc ſacra ſynodus*, latâ ſententia, quam contra facientes incurrant ipſo facto, prohibendò diſtrictius, ne ut antea ad quodcunque monaſterium aut clauſtrum quæcunq; ſanctimonialis virgo recipiatur aut admittatur, niſi illa cum aliis de communibus proventibus aut reditibus dicti monaſterii aut clauſtri ſine egeſtate nimia aut mendicitate inhoneſta valeat ſuſtentari.

De monialium reditibus privatis.

Si quis ultra hoc filiam, ſororem, conſangvineam, neptem, vel amitam, ad monaſterium aut clauſtrum ſanctimonialium recipi voluerit, ille liberaliter, ſine omni pacto aut conditione verborum præviis, in fixis reditibus provideat monaſterio vel clauſtro in communi de tanto, ut ipſa cum cæteris de communi vivere valeat, & quod non habita proprietate non cogatur egere, & victum & amictum turpiter acquirere: Sicut heu! quamplurimæ, tali neceſſitate forſan impulſæ, facere conſveverunt.

Digitized by Google

De eodem.

CAP. XX.

Sexus ſequioris fragilitas. Monialiū periculū.

QVoniam *ſexus muliebris ex ſua fragilitate carnalibus tentationibus forte reſiſtere minus valet*: Propter quod quamplurimæ *ſanctimoniales poſt nimis tempeſtivam profeſsionem luxu carnali tentatæ* poſtea multa *vitia*, quæ dicere pudet, commiſerunt, quæ, ætate matura & provecta in profitendo expectatâ, fuiſſent *per egreſſum licitum & ſacras nuptias bene cauta*: Idcirco *decernit* & ordinat *hæc ſacra Synodus*, quod ut antea *nulla ſanctimonialis ad profeſsionem quomodolibet admittatur, niſi in viceſimo ætatis ſuæ anno aut ultra exiſtat conſtituta.*

Moniales qua ætate in clauſtra recipienda.

Et ſi ante tale tempus, quocunqve ordinante ſeu practicante, *profeſsio* talis fiat, ſit illa, tanquam *illegitima ætate facta*, ipſo jure nulla. Poterit enim talis *ante hujuſmodi vigeſimum annum ſe bene probare, an valeat continere.* Qvod ſi non, ſecundum doctrinam Apoſtoli, *nubat in Domino.*

Probanda Monialium continentia.

Nam etſi *virginitas* optimis rebus præferenda ſit: Sunt tamen *nuptiæ ſacræ commendandæ, & nullatenus refutandæ.*

Nuptiæ non diſſuadendæ.

De eodem.

CAP. XXI.

De Converſatione monachorū & monialium.

QVia *ex converſatione virorum*, tam Eccleſiaſticorum quam ſecularium, *cum ſanctimonialibus*, monaſteria aut clauſtra ingrediendo, aut ipſæ ingrediendo, multa indecentia & inhoneſta, experientiâ teſte, committi conſvcverunt: Idcirco ſuper *clauſura* talium *monaſteriorum* & clauſtrorum ſtricte ſervetur Decretalis illa, *Sexto Decretal. lib. 3. tit. 16. De ſtatu Regularium, capite unico:* Cum adjectione pœnæ gravioris, videlicet non ſolùm præcipienda hæc in virtute ſanctæ obedientiæ, *ſub obteſtatione extremi judicii*, & interminatione maledictionis æternæ: Qvæ omnia conſcientiæ prælatorum relinqui videntur: Sed, quod illam Decretalem exequantur prælati *ſub pœna privationis* omnium ſuarum dignitatum & officiorum Eccleſiaſticorum & ſecularium, quam à die conſtitutionis præſentium ultra ſex menſium ſpatium negligendo incurrant eo facto.

De eodem.

CAP. XXII.

De monialium delinquentium correctione.

ITem attento, quod minoris dedecoris eſt, *ſanctimonialem virginem excedentem à ſuo Prælato regulari*, regulas correctionum & modum corrigendi melius ſciente, corrigi, quam à ſuo Prælato ſeculari: Ideo *hæc ſancta Synodus ſtatuit*, expreſſius inhibendo, ne prælati ſeculares de *correctione* talium *excedentium virginum ſanctimonialium* ſe intromittant quovis modo. Niſi illius religionis ſuperiores, ad quos ſpectat correctio, poſt admonitionem ad corrigendum evidenter reperiantur negligentes aut remiſſi.

De eodem.

CAP. XXIII.

Cur moniales juniores ac ſeniores, non exeant clauſtro.

CUm *junioribus* Sanctimonialibus *propter tentamenta pudicitiæ* ad exteriora vagari *non liceat*: Nec tutum eſt: Et *ſeniores* per debilitatem & fragilitatem *non poſsint* exire: Diſponit & *ordinat hoc ſacrum concilium*, quod locorum Ordinarii, aut eorum religioſi ſuperiores, ubi ſaltem expedire videbunt, cum conſilio & conſenſu Abbatiſſæ, Præpoſitiſſæ, Prioriſſæ, aut Magiſtræ, ſingulis monaſteriis & clauſtris ſanctimonialium ſingulos præpoſitos & negotiorum actores, qui ſint *viri maturæ ætatis, bonarum conſcientiarum, bonæ famæ*, & ſpe-

Monialium clauſtris præficiendi viri integri.

Digitized by Google

& ſpecialiter *de vitio carnis non ſuſpecti*, præficiant.

Qui *ſoli*, aut ſi facultas monaſterii aut clauſtri ad tantum ſe extendat, *cum famulo fideli*, omnia & ſingula ad extra facienda pertractent & faciant, cum omni fidelitate & diligentia. Sicut ad illa *præſtare* tenebuntur *juramenta*.

Qui etiam *ſingulis annis* de receptis & diſtributis eorum ordinariis aut ſuperioribus religioſis, vel ſaltem deputandis per illos, bonam, legalem, plenam & exactam *facient rationem*.

De eodem.

CAP. XXIV.

De æquali in monaſteriis victu & amictu.

INæqualitati victus & amictus, quæ in vita regulari & religioſa invidiæ aliorumq; vitiorum non modicam materiam ſubminiſtrat; volens *obviare hæc ſacra ſynodus* diſponit & ordinat, locorum Ordinariis, ſub pœna excommunicationis, diſtrictius committendo, quatenus, ſi ut antea cuiquam *religioſæ perſonæ*, virilis aut muliebris ſexus, *reditus perpetui ad vitam*, pecuniales aut alii quomodolibet aſſignentur ſeu deputentur, illi perſonæ poſt ſuam profeſſionem non in ſingulari, ſed omnibus in communi conveniant per eorum ſuperiorem, Præpoſitum aut negotiatorem, aſſignandi: Similiter, qvod omnes in refectorio communi *de una olla* comedant, *de eodem & potu* bibant, & *de uno & eodem veſtiario* veſtiantur: Similiter, ne Infirmaria faciant, niſi una vel plures perſonæ infirmitatis, tam ſeorſim qvam ſua neceſſitate, ſemper de communi ſua recipiant nutrimenta.

De eodem.

CAP. XXV.

De diverſo Monachorum habitu.

MAndat inſuper & *præcipit hæc ſacra ſynodus* ſub excommunicationis pœna, qvatenus qvilibet religioſus, tam in monaſterio, clauſtro aut conventu, quàm extra, *habitum ſui ordinis diſtinctum* in colore, figura & diſpoſitione ab habitu alterius ordinis, ſecundum uniuscujusque religionis inſtitutionem & obſervantiam regularem deferat. Ut videlicet inter *Benedictum* & *Bernhardum*, inter *fratrem Minorem* & *Auguſtinum*, in dictis monaſteriis, clauſtris, conventibus, in choro, foro & in campis, equitando vel ambulando, ſit differentia manifeſta.

TITULUS XI.

De Jure Patronatus.

CAP. I.

De Vicariis perpetuis conſtituendis.

SUper *incorporalibus parochialium Eccleſiarum*, menſis prælatorum, nec non Eccleſiis, monaſteriis, prioratibus & conventibus, utriusque ſexus hominibus, ſecularibus & regularibus factis, in quibus cautum eſt, & in literis deſuper confectis communiter caveri conſvevit, quod *vicariis perpetuis*, dictas Eccleſias regentibus, onusque diei & æſtus portantibus, de *congrua, condecentiq; provideatur portione*, unde ſe cum honeſta familia ſuſtentare, hoſpitalitatem ſervare, juraque epiſcopalia ſolvere, & alia incumbentia onera valeant ſupportare:

Ex fomite avaritiæ abuſus juris Patronatus.

Cum præſentandis clericis paciſci nefas.

Ex fomite avaritiæ illa provenit enormitas, ut prædicti Prælati Eccleſiæ, monaſterii, conventus, & prioratus, imo & rectores, nec non laici Eccleſiarum & beneficiorum Patroni, *cum vicariis dictarum Eccleſiarum præſentandis*, vel ad eas promoveri cupientibus, & interdum, quod adhuc pejus eſt, *minime idoneis & inhabilibus*, *pacta* ſingularia, interdum literis & ſigillis, & quandoque fidejuſſoria cautione dictorum vicariorum,

Digitized by Google

rum, aut promoveri cupientium *valla-ta*, faciunt, & ſic procurant de tam exigua, tam ſacerdotali ſtatui indecenti portione, *totum reſiduum ſibi imburſantes* & retinentes, ut præmiſſa nedum facere nequeant, ſed & miſerabiliter ſub tanta laborum & rerum ſarcina cogantur egere: Imo & quidam de oblationibus ſuis, quæ incertæ ſunt, & ad certum taxari non poſſunt, certam partem interdum non modicam patronis ſuis dare & aſſignare compelluntur, contra Deum, juſtitiam & omnem æquitatem.

Imburſandi ars.

Volens igitur *hac ſancta Synodus* illis pauperibus de optimo remedio providere, ut circa hæc ſervetur *conſtitutio* fel. record. quondam Domini *Clementis* V. quæ incipit: *Ut conſtitutio, Clementinar. lib. 3. tit. 12. De jure Patronatus, cap.* 1. caſſat & *annihilat hujuſmodi* quæcunqve *pacta*, taliter exacta, *præterita* & ſimiliter *affutura*.

Nihilominusqve ſuper juramentis factis & fiendis in hujusmodi *vitioſis contractibus* miſericorditer diſpenſat: Omnibus taliter oppreſſis & minus bene proviſis *dando licentiam hujusmodi, eorum gravamina in hac ſacra Synodo*, aut aliis provincialibus vel ſynodalibus, ſeu aliis competentibus judicibus *proponendi*, & debitam eorum compentiam à Patronis eorum exigendi & obtinendi. Qvibus & *hac ſacra Synodus*, aut etiam aliæ ſynodi dictæ, vel judices, per aſſignationem & deputationem portionis condecentis, ſi alias ſint habiles & idonei, providebit aut providebunt.

Gravamina cleri contra Eccleſiarum patronos in Concilio Conſt. audienda.

Quod ſi Eccleſiarum Patroni & rectores talibus aſſignationibus & *deputationibus condecentis portionis*, vel per concilium aut per judicem factis, ſe opponant qvovis modo; Probatâ contradictione, ſint illis Eccleſiis, & earum canonibus privati, ipſorumque collatio & diſpoſitio ad immediatum ſuperiorem devoluta.

De eodem.

Cap. II.

Statuit igitur & *ordinat hac ſacra ſynodus*, diſtrictius præcipiendo omnibus & ſingulis Eccleſiarum prælatis, Archidiaconis, Præpoſitis, eorumq; officialibus, qui *de jure* aut *de conſvetudine* inſtituere habent ad Eccleſiaſtica beneficia præſentatos, ſub pœna privationis omnium ſuarum dignitatum & officiorum, quatenus ut antea *ad præſentationem laicorum* nequaquam inſtituant aut inveſtiant *perſonas non idoneas, ſcientiâ, moribus & ætate*, ad qvæcunqve beneficia Eccleſiaſtica, maxime curam animarum habentia: *Præſentatosq;*, etiamſi aliàs eſſent idonei, præſtito juramento diligenter *examinent*, *anne ſuis patronis novas penſiones*, advocatias, aut aliud ſimile promiſerint, ſe ſoluturos, aut promiſerint vel promittere intendant, medietatem, aut aliam partem decimarum Eccleſiaſticarum patronos poſſe percipere.

De indignis ad officia ſacra præſentatis.

Examina Candidatorum ratione contractuum Simoniacorum.

Et, ſi *diligenti inquiſitione* tali præmiſſa, reperiantur *patroni* Eccleſiarum, ſive ſint *Eccleſiaſtici*, ſive ſint *ſeculares*, talia quomodocunqve feciſſe; aut alias decimas Eccleſiarum talium, ad quas tales præſentati eſſent inſtituendi, hujuſmodi patronos uſurpaſſe: Tales præſentatos nullatenus inſtituant.

Etiam, ſi ejuſdem patroni de facto, cum de jure non poſſint, eosdem vel alios præſentatos inſtituerint, Eccleſiaſticam inſtitutionem contemnendo, excommunicationis ſententiam incurrant, & *à jure patronatus* ſeu præſentandi ea vice per ſuperiorem ſupplendo *cadant* eo facto, inſtitutusque ſimiliter excommunicationem majorem incidat, & Eccleſia talis, tam ex culpa inſtituentis qvam inſtituti, Eccleſiaſtico ſit ſuppoſita interdicto. A quo per loci Ordinarium relaxari non debeat: Niſi taliter inſtitutus Eccleſiæ tali cedat, & pro ſui delicti temeritate correctus, abſolutionis & relaxationis beneficium mereatur obtinere.

Digitized by Google

TITULUS XII.

De cenſibus, exactionibus, procurationibus.

CAP. I.

Imburſare.

ADverſus damnabilem *abuſum*, quo quidam *Eccleſiaſtici Prælati* requirunt, exigunt, recipiunt, & *ſibi imburſant fructus integros* unius aut duorum, vel medios duorum annorum aut etiam unius, in magnum detrimentum & gravamen pauperum, qui multa litigando expoſuerunt, ac in principio introitus ſui multis indigent, pro regimine domeſtico, & hoſpitalitate ſervanda: Cum tamen hujuſmodi Prælati aliàs ſint ſufficienter abundantes, & reditus pro ſuis menſis habeant copioſos: Decernit *hoc ſacrum concilium* & ordinat, hujuſmodi oppreſſiones & *exactiones graviſſimas* totaliter revocari, eaſque præſenti conſtitutione irritat & annihilat. Et ſecus aut in contrarium facientes excommunicationis ſententiam vult incurrere ipſo facto.

De Eodem.

CAP. II.

Moneta valor jam olim decrevit.

Salariorum decrementa ex moneta decreſcēte valore.

CUm in quibuſdam mundi partibus, per adinventionem, ut creditur, laicalem, *Eccleſiaſtica beneficia*, in cenſibus & *penſionibus pecunialibus* ab olim nobiliter & bene dotata, jam *propter monetæ diminutionem & decreſcentiam in valore*, nec non propter variationem & vocitationem, tam *exilia* ſint & parva, ut, qvi olim habuit de ſuo beneficio triginta vel quadraginta ducatos, vix nunc habeat decem aut modicum ultra: Quia ubi quondam *libra æquipollebat ducato*, *viginti ſolidi libram faciebant*, nunc vix quatuor libræ ducatum faciunt, quia & apud illos *vix tres denarii Conſtantienſes faciunt ſolidum*: Et penſionarii nihil aliud niſi *ſecundum currentem monetam* ſolvere volunt: Idcirco decernit & *ordinat* in favorem Eccleſiaſtici ſtatus *hoc ſacrum concilium*, quod Eccleſiaſtici reditus non niſi in illo valore, prout antiqvitus vel etiam poſt fuerunt, in ſui emtione, donatione, aut legatione, integraliter & ſine diminutione perſolvantur. Quia *iniquum* omnino foret, *ut æqualiter alteri deſerviens* in ſuo Eccleſiaſtico ſtipendio *pati deberet detrimentum.*

Æquale ſalarium inter æqualiter ſervitus.

De Eodem.

CAP. III.

Contractꝰ pecuniarum cum novis canonicis.

Imburſatio.

CUm nonnulla Eccleſiarum capitula quædam nimis *intolerabilia pauperibus*, *exorbitantia ſtatuta* habere noſcantur, videlicet, quod vacantibus aliquibus canonicatibus & præbendis *nullus de novo admittitur*, *niſi magna pecuniarum ſoluta quantitate*: Ita etiam, quod talem admittendum pluribus annis antequam ipſam præbendalem portionem accipiat, ut 4. 5. 6. 8. vel pluribus annis, oporteat expectare: Quo contingit, quod *pauperes* etiam, quantumcunque alias *idonei*, poſt geſtarum litium expenſas nimium prægraventur: Idcirco talibus gravaminibus & *exactionibus* ſuccurrendo, ne *per imburſationem vitium ſimoniacæ pravitatis ſapere* videantur, decernit & *ordinat hæc ſacra ſynodus*, quod *in admiſſione canonicorum* ad præbendas *pro introitu præbendatus* ille amplius non ſolvat quam ſicut *media præbenda unius anni* ſe poſſet extendere. Et illam medietatem ſolvet anno primo, quæ *pro ornamentis Eccleſiarum* cedere debet. In ſecundo anno ſimiliter medietatem ſolvet *pro Eccleſiæ fabrica* conſervanda. Et conſequenter medietatem tertii anni ſolvet *pro deceſſore defuncto*, ad ejus debita, ſi reſtent, perſolvenda, alioquin *pro ejus memoria* ad diſtributiones quotidianas convertendam. Et tunc ad plenam perceptionem admittatur.

Novi Canonici quid ſolvere debeant, & in quem uſum.

Pro quibus *mediis fructibus illorum trium annorum* colligendis in qualibet Eccleſia unus vel duo *probi & idonei* eligantur, qui, ſub fide præſtita loco juramenti, eoſdem fructus fideliter colligant, &

ad u-

ad uſus præfatos præciſe convertant, Capitulo de hujusmodi perceptis & expoſitis rationem reddituri.

Et ſi ſecus actum fuerit, per Eccleſiarum & capituli ſententiam ſuſpenſionem à divinis incurrant eo ipſo, nullatenus relaxandam, niſi perceptis reſtitutis, quæ ultra taxam prædictam receperunt.

De eodem.

CAP. IV.

De Eccleſiaſticorũ bonorum immunitate à vectigalibꝰ.

HÆc *ſacroſancta Synodus Conſtantienſis* omnes & ſingulos, qui *à perſonis Eccleſiaſticis, eorumq́ bonis*, frumento, vino, & rebus aliis, quæ negotiandi cauſa non deducuntur, *telonia, pedagia*, aut alia exactionum genera, requirunt, exigunt & recipiunt, ex nunc prout ex tunc excommunicat, eo ipſo excommunicatos eſſe denunciat, & ab omnibus Chriſti fidelibus arctius evitandos, quousqve, receptis & exactis reſtitutis, abſolutionis beneficium à ſuo ordinario duntaxat, aut ejus in ſpiritualibus vicario mereantur obtinere.

Ceterum ſi *Eccleſiaſticus prelatus* talia commiſit, niſi ſtatim reſtituto tam turpiter accepto, in ſui ipſius ſtatus, quem usqve ad ſangvinem erga laicos defenſare deberet, verecundiam, per ſolum ſummum pontificem, niſi in mortis articulo, abſolvatur.

Fidem autem, *quod talia ſint Eccleſiaſtica* bona & non negotiationis cauſa deducta, faciendam eſſe decernimus *literis illorum Eccleſiaſticorum, quorum res hujusmodi propria ſunt*, & ipſis telonariis oſtendendis, nullo aliorum ſuorum Dominorum mandato deſuper expectato.

De eodem.

CAP. V.

COntra *Principes* tam *Eccleſiaſticos* quam *ſeculares*, Eccleſiarumqve & monaſteriorum advocatos & defenſores, qui *ſingulari exactionis genere* Abbates, Priores, Præpoſitos, cæterosque religioſos, eorumqve monaſteria, ultra decentium hoſpitalitatum onera per *vecturas*, aliasqve *ſervitutes*, per *venatores, falconarios, canes & aves*, nec non etiam, qui clericis ſecularibus *canes* committunt nutriendos, nimis gravant, proceſſuri, eos excommunicationis ſententiâ conſtitutione præſenti innodamus: A qua inferior non niſi per Ordinarium loci, aut ejus in ſpiritualibus vicarium, ſed Prælatus Eccleſiaſticus à ſolo ſummo Pontifice, præterqvam in mortis articulo, recompenſatis damnis abſolvatur.

De priſtina quadã Clericorũ ſervitute.

Titulus XIII.

De conſecratione Eccleſiæ & altaris.

CAP. UNUM.

De novis capellis.

MAndat & *precipit hac ſacroſancta Synodus*, quod Epiſcopi amplius *capellas* & altaria, præſertim in civitatibus, oppidis, villis aut campis, extra monaſteria & conventus religioſorum ſitas & ſita, *noviter erectas* aut erecta, nullatenus conſecrent, niſi prius hujusmodi *capella* aut altaria ſint *ſufficienter dotata* pro regentium congrua ſuſtentatione, & per Ordinarium in Eccleſiaſtica beneficia confirmatæ & confirmata: Sub pœna ſuſpenſionis ab officio per unum integrum annum duratura, quam contrafaciens Epiſcopus incurrat eo ipſo.

Titulus XIV.

De celebratione miſſarum.

De novis feſtis ſanctorum & ſanctarũ.

QVia nonnulli in cathedralibus & collegiatis Eccleſiis *ſpecialia feſta ſanctorum aut ſanctarum*, nec non pro ſuarum, ſuorum progenitorum hæredumqve animarum ſalute *miſſas pro defunctis* diſpoſuerunt, diſponunt, celebran-

De miſſis pro defunctis.

Digitized by Google

brandas: Qvo fit, ut illius diei officium vel totaliter omittatur, vel prætermiſſa ſolennitate obſervetur ſine nota: Ne igitur unum *devotionis opus voluntarie impoſitum* reliqvum de jure debitum impediat quovis modo,& *clerus magis celer pro pecunia quam pro divina obtinenda gratia* videatur: *Statuit hæc ſancta Synodus*, quod dictis inſtitutis feſtis, & animarum commemorationibus peractis,clerus illius Eccleſiæ reliquam miſſam ejusdem diei cum nota, ſicut officium exigit, decantet. Sub pœna ſuſpenſionis ab officiis divinorum. Qvam ex negligentia dicti officii omnes, *qui reliquis officiis pro lucro ſuo interfuerunt*, incurrant eo ipſo. A qua ſuſpenſione nullatenus abſolvantur, niſi reſtituant ea, quæ in aliis inſtitutis officiis receperunt, in pios uſus convertenda.

Devotio voluntaria. Clerus promtior ad pecuniam quã ad Dei gratiam impetrandam.

De eodem.

CAP. II.

De canonis Miſſæ variis editionibus ac interpolationibus.

EO, quod *canon miſſæ* in aliquibus libris terrisqve *diverſificatus* exiſtat: Primo, quia in novis libris in principio canonis habentur: *& omnibus orthodoxis catholicæ & Apoſtolicæ ſedis cultoribus:* Et hoc totum non habetur in antiquis libris: Et quidam notabilis expoſitor canonis ponit, quod poni non debeat.

Item in ſequenti oratione poſt memoriam vivorum antiqui libri ſolum habent: *Qui tibi offerunt*, ſed novi habent: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Item in oratione ſanctiſſimi tractatus antiqui libri habent: *Bibite ex eo omnes.* Alii vero habent: *Bibite ex hoc omnes.* Et ſic etiam habent in Evangelio Matthæi, ſcilicet: *Ex hoc.*

Item aliqui ante elevationem calicis, ſtatim & conjunctim poſt verba conſecrationis, tanquam ad conſecrationem pertinentem dicunt hanc orationem: *Hoc quotiescunq; feceritis.* Alii vero dicunt poſt depoſitionem calicis.

Item in ſequenti oratione, ſcilicet: *Unde & memores nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta Chriſti filii tui*; Et alii addunt pronomen, dicentes: *Ejusdem Chriſti filii tui.*

Item in oratione *Supplices* aliqui hacent *in conſpectu*,alii vero, *in conſpectum.*

Item aliqui habent: *Memento Domine & eorum, qui nos præceſſerunt*, ſed alii addunt: *Famulorum, famularumque tuarum.*

Item in ſequenti oratione alii tantum: *Ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus*; Alii addunt: *Hic & ubiq; quieſcentibus.*

Item in Oratione: *Nobis quoq; peccatoribus, famulis tuis*,aliqui addunt: *& famulabus.*

Item in Oratione: *Libera nos, quæſumus Domine, ab omnibus* &c. & infra: *Et beatis Apoſtolis tuis, Petro, Paulo, atq; Andrea*, aliqui poſt hoc addunt *Patronos majoris Eccleſiæ, & alios quamplures ſanctos.*

Et in fine orationis dicitur: *Cum omnibus ſanctis*, aliqui addunt: *Tuis.*

Aliqui poſt concluſionem cujuslibet orationis *per Chriſtum*, vel, *eundem Chriſtum*, dicunt, *Amen*, alteri vero non.

Item poſt precationem de ſancta Trinitate, qua concluditur: *Adoretur æqualitas*, aliqui legunt: *Quam laudant Angeli, adorant dominationes.* Sed alii legunt: *Quam laudant Angeli, venerantur Archangeli &c.*

Item in precatione de B. virgine aliqui legunt: *Lumen æternum mundo effudit.* Alii verò, *huic mundo lumen æternum effudit* legunt.

Condecens quoqve, tanti myſterii orationes & verba, & ſicut indiviſus eſt Chriſtus, qui in altari conficitur, in omnibus dictionum & orationum verbis integraliter concordare: Idcirco *hæc ſacra Synodus decernit*, & ordinat, quod *miſſalium librorum canones*, ſecundum diſtinctiones & verba canonis illius,qui ſeqvitur,corrigantur, & adaptentur in hac forma: *Te igitur.* &c.

Si placet, ponatur *canon ſecundum Miſſale Romanum* & Apoſtolicæ Eccleſiæ.

TITULUS

Digitized by Google

Titulus XV.

De reliquiis & veneratione Sanctorum.

CAP. I.

De nimia feſtorum multitudine reſtringēda.

Licet ſanctus ſanctorum in ſuis ſit ſanctis non immerito venerandus, ex cujus venerationis devotione moti ſancti Patres multorum *ſanctorum & ſanctarum feſta* per ſubjectum ſibi populum ſolenniter indixerunt, celebranda tam in choro, quam in foro: Tamen, quia attenta dictorum *feſtorum multiplicitate nimia*, & multitudine enormitatum variarum, quæ in his diebus, in viſitationibus chorearum & tabernarum, & perpetrationibus ludorum, ebrietatum, commeſſationum, invaſionum, altercationum, occiſionum, blaſphemationum nominis altiſſimi & ſanctorum ſuorum, & quamplurima alia graviſſima committuntur, & ex adverſo utiles labores tam morales quam mechanici inutiliter negliguntur: Idcirco non ob irreverentiam Sanctorum, ſed *ad evitandam hujuſmodi congeriem vitiorum, & damna laicorum*, decernit & *ordinat hac ſacra Synodus*, hujuſmodi *feſta*, & ſpecialiter *tempore æſtivali*, quo videlicet pro ſuſtentatione hiemali amplius oportet laborare, *minora* ſaltem, *quæ* videlicet *in antiquis juribus & Patrum decretis non ſunt inſtituta*, ſore *tollenda*. Moderamine cum tali, quod illa more conſueto in Eccleſia, & apud Eccleſiaſticos ſolenniter feſtiventur, tam per clerum quam per populum usque ad miſſarum complementum incluſive, & quod ex tunc populus laicalis per illius diei reſiduum ſuis laboribus ſine prohibitione Eccleſiaſtica vacare valeat: Proviſo tamen, quod *reſtantia divorum officia*, quoad alias horas canonicas illius diei *per clerum in choro* more ſolito ſolenniter compleantur: Feſtis tamen ſanctorum patronorum in unaquaque parochia, ut moris eſt, feſtivandis exceptis.

De eodem.

CAP. II.

De ſuperſtitionibꝰ in feſto Nativitatis Chriſti.

Contra *abuſum* damnabilem, quo ad *irreverentiam feſti* præſolennis, *natalis Domini noſtri JEſu Chriſti, in nocte ejusdem feſti*, imo interdum continuando per diem, quidam *ſatrapæ Diaboli* attentiſſima & malédictiſſima intentione *ludunt ad taxillos nomine altiſſimi ejusdem, nomine puerperæ*, nec non omnium *ſanctorum*, multipliciter blaſphemantes: Volens *hæc ſancta ſynodus* potenter exurgere, *ſtatuit*, decernit & ordinat, quod nullus *talium luſorum* aut blaſphematorum, ſi *clericus*, & in ſacris ſit, divinum officium infra ſex menſium ſpatium peragere, aut eidem intereſſe: Si autem *laicus*, per dictum temporis ſpatium Eccleſiam introire præſumat.

Nec talium quiſquam ad ſacrum Euchariſtiæ infra iſtum terminum admittatur. Et nec poſt. Niſi talis peccati graviſſimi contritione & confeſſione emundatus, ſex ſextarum feriarum poſt mediate ſequentium *in pane & aqua* duntaxat *jejunium* luat.

De eodem.

CAP. III.

De abuſu in reliquiis ſanctorum.

Cum *ob avaritiæ quæſtum*, laicali populo ſcandaliſato, ut videtur, quidam *clerici* & religioſi, in ſuorum ſanctorum Patronorum aut dedicationum feſtis, ſanctuaria ſua & *reliquias ſanctorum*, extra eorum Eccleſias, monaſteria & conventus, in cœmeteriis & quandoque in plateis *exponant*, ut tanquam eleemoſynaria petitione *oblationes* recipere valeant *largiores*: Ideo *decernit hæc ſacra ſynodus*, ſub excommunicationis pœna diſtrictius inhibendo, quam contrafacientes incurrant ipſo facto, ne hujuſmodi *exponentes*, turpiſſimam avaritiam præconiſantes, quidpiam facere præſumant ut antea. Sed hujuſmodi

juſmodi ſanctuaria & reliquiæ non niſi in altaribus, & infra Eccleſias, monaſteria, conventus exponantur.

Et hæc ſunt quæ de materiis titulorum tertii libri occurrere videbantur.

LIBER IV.

Titulus Unus.

De Matrimonio.

CAPUT UNUM.

De cauſis matrimonialibus dijudicandis.

QVia ſacræ congregationi ex *querela quamplurium* innotuit, qualiter quidam *laici potentes* pro lege ſuis ſubditis ſtatuerunt, quod, ſi quis, aut quæ, perſonam quamcunq; *ſuper matrimonio* coram Eccleſiaſtico judice trahat in cauſam, ſi pars attrax in eadem cauſa fructum petat, ſub gravi pecuniaria pœna talis pars agens illi Domino laico veniat punienda, quam pœnam effugiat, ſi cauſam hujusmodi coram illo laico & Domino, ſimpliciter & de plano decidendam intentabit: Quo fit, quod vera matrimonia, ſine executione ſolennitatum etiam contracta, imperfecta manebunt, & per partes ad alias nuptias convolantes adulteria perpetua committentur, & perverſitatis quadam lege laici de Eccleſiaſticis ſacramentorum inſtitutis contra canonicas ſanctiones judicabunt: Quapropter *hæc ſacra ſynodus* omnibus & ſingulis Eccleſiarum ſubditis, Archidiaconis, presbyteris, & aliis, quorum de jure aut conſvetudine intereſt *de cauſis matrimonialibus judicare*, ſub excommunicationis pœna mandat, præcipiendo diſtricte, quatenus habito diligenti ſcrutinio, ſi in terris aut dominiis cujuſcunque laici aut Domini temporalis talia ſtatuta, ordinata, promulgata, vel etiam ſervari repererint, trium terminorum æqualiter diſtantium canonica monitione præmiſsâ, terras, oppida & loca ejuſdem laici & Domini temporalis ſanctiſſimo ſupponent interdicto, tamdiu ſervando, quouſque hujuſmodi execrabili lege revocata & caſſata ille Dominus aut laicus ſuum errorem recognoſcens promittat & juret, talia ut antea nullo unquam tempore attentare, ſed potius hujuſmodi cauſas, prout debitum eſt, Eccleſiaſticis judicibus relinquere, libere ſine quacunque prohibitione judicandas.

Et ſi Eccleſiaſticus judex in executione contra tales negligens reperiatur aut remiſſus, probata negligentia in proxima ſynodo contra ipſum, etiam uſq; ad privationem dignitatum & officiorum ſuorum incluſive, procedatur.

Et hæc de Quarto libro.

Seqvuntur nunc aviſata capitula titulorum quinti libri Decretalium, quæ occurrebant aviſanda.

LIBER V.

Titulus I.

De accuſationibus & denunciationibus.

CAPUT I.

Concilia provincialia reformatio ni morũ deſtinata.

QVandoquidem per *deſvetudinem* & nonobſervantiam *conciliorum provincialium*, *ſynodalium*, Metropolitanorum & Epiſcoporum, quæ ſecundum antiqua jura ſinguli pro accuſatione, denunciatione & in

inquiſitione malorum & *reformatione morum* ſervabant, *multa mala ex hujuſmodi negligentia Eccleſiaſtico ſtatui evidentius provenerunt:* Ut dictus Eccleſiaſticus ſtatus ad aliqualia reſtaurativa proficere valeat incrementa, præſertim, cum quædam ſint provinciæ nimis latæ, ſic quod ſingulis annis convenire ipſis prælatis nimis foret oneroſum: Idcirco ſtatuit & *decernit hac ſancta ſynodus, quod concilia provincialia* in ſingulis provinciis poſt præſens finitum concilium intra annum, & tunc conſequenter *de triennio in triennium*, & *ſynodalia* ſingulis annis, in locis aptis per *Metropolitanum* aut *Archiepiſcopum*, aut etiam per *Diæceſanum* celebrentur & ſerventur, ſecundum modum & formam in jure expreſſos. Et quod ſub pœna privationis ſuarum dignitatum, officiorum & beneficiorum, metropolitani, Epiſcopi, cæterique inferiores, qui alias debent intereſſe, illa concilia convocare, & vocati ad ea venire teneantur. Alioquin in proxima ſynodo ſequenti, uſqve ad privationem hujuſmodi incluſive, ſi id contumacia aut rebellio exegerit, contra tales procedatur.

Frequenter celebranda Concilia provincialia.

De eodem.

CAP. II.

De Viſitationibus Eccleſiaſticis annuis.

Item *ordinat hac ſynodus*, quod Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Archidiaconi, præpoſiti, Archi-presbyteri & cæteri inferiores Prælati, quorum eſt, de jure aut conſvetudine, *exceſſus clericorum & laicorum corrigere*, omnibus odio, amore, prece aut pretio ſecluſis, *ſingulis annis* viſitanda *viſitent*, corrigenda *corrigant*, exceſſus quoque tam per accuſationem, quam per impoſitionem repertos & cognitos, ſecundum eorum qualitatem medicamentis congruis, ſecundum modum & formam juris expreſſis, charitative corrigant, non quærentes, exigentes aut recipientes *ad ſibi inburſandum lucra pecuniarum, ſed quærentes lucra animarum.*

In viſitationibus magis quæſita lucra pecuniarũ quam animarũ.

Et quicunque ſecus egerit, aut negligens in hoc repertus fuerit, ultra pœnas juris ſecundum deliberationem ſynodi proxime ſequentis puniatur, usq; ad privationem dignitatum & beneficiorum incluſive, aut alias ſecundum commiſſi aut omiſſi delicti qualitatem.

De eodem.

CAP. III.

De Mulcta pecuniaria in delictis.

Decernit inſuper & ordinat, quod *prælatus*, ſub pœna privationis ſuæ dignitatis, in *puniendo crimina & exceſſus clericorum aut laicorum*, *pecunias*, cupiditatis & avaritiæ, mulctans *non recipiat* in emendam, ut *ſibi eas imburſet*, ſed ſpirituales injungat emendas, illius criminis aut exceſſus curaturas: Vel ſi in defectu alterius punitionis *pecuniariam mulctam* imponat delinquenti, illam tamen evidenter in pios uſus convertat, ut ipſe de *avara inburſatione* notari non valeat.

Imburſatio avara.

Et nihilominus in ſuo proceſſu ordinem juris ſervet, defuncto cuicunque, qui forſan de numero exiſtit ſalvandorum, crimina vel exceſſus non imponat. Alioquin *in proxima ſynodo*, & ſecundum ejus determinationem, usqve ad privationem incluſive, talis prælatus puniatur.

De eodem.

CAP. IV.

De notoriis ac publicis criminibus.

Conſiderato, quantum malum ſit, notoria *crimina*, ſive exceſſus, *totam communitatem inficientia* ſeu inficientes, diſſimulando tolerare, cum hoc ſit *omnibus vitiis laxare frenum:* Idcirco *decernit hac ſynodus ſacroſancta*, ſi aliquis Dominus temporalis, aut communitas quæcunque, contra Eccleſiaſticos prælatos, quorum intereſt, ſe oppoſuerint viſitationi aut correctioni noto-

Digitized by Google

notoriorum vitiorum, ut ſunt *hæreſeos, adulterii, fornicationis, perjurii, decimarum & uſuræ*, & hujuſmodi, nec talis Dominus & communitas, ita, ut non ſint per ſe talia, corrigere videantur, quod primo trina canonicâ monitione per æqualia temporum intervalla factâ, terra illius Domini, & præfata communitas divinorum ceſſationi ſubjaceat tam diu, & quoaduſque hujuſmodi *notorii exceſſus* & crimina *per prælatum Eccleſiaſticum tali pœna premantur, ut cæteris cedat in exemplum*, & excedentes hujuſmodi, ut obſtruant in futurum, diſtrictius arceantur.

De eodem.

CAP. V.

De viſitatione Begardorũ ac Begutarum.

INterdicendo etiam *prohibet hæc ſacra Synodus* omnibus Dominis temporalibus & communitatibus, ne *Begardos & Begutas*, qvas propter ſuſpicionem ſingularitatis ſuæ vitæ *frequentius* oportet *viſitare*, contra viſitationes Eccleſiaſticas quoquo modo defendant, ſed easdem circa eos fieri permittant.

Alioqvin ſi ſecus per eos aut contrarium factum fuerit, ſi tertio moniti non deſiſtant, terræ, loca & communitates eorum protinus Eccleſiaſtico ſint ſuppoſita interdicto.

TITULUS II.

De Simonia.

CAP. I.

De Simonia in officiis Eccleſiaſticis conferendis.

E*Lectus* ſeu poſtulatus ad aliquam Eccleſiam vel dignitatem, cum ejus confirmatore omnibus modis *pacta* qvæcunqve *ſimoniaca pro pecunia aut alia quacunque re utili facere* vel tractare *caveat*.

Imo *confirmator* ipſe *pecuniam* & aliam quamcunqve rem *nullatenus petat vel accipiat*, aut quomodolibet *det confirmatus*, ſub pœna privationis omnium dignitatum, officiorum & beneficiorum ſuorum, & inhabilitationis ad obtinenda, quam incurrant eo facto: Excepto *ſalario* & pretio notariorum & ſcriptorum, quod taxam viginti florenorum de curia non excedat.

Et quia in iſtis contractibus *receptio & datio pecuniarum ſecretius fieri* conſvevit: Ideo ad hoc probandum *fama ſufficiat*, ad effectum privationis ſupra dictæ. Niſi ipſa canonica purgatione tolleretur.

De eodem.

CAP. II.

De Epiſcopis titularibus Simoniacis.

QVia à longis temporibus humani generis hoſte procurante nonnulli imò multi *Pontificali dignitate ſublimati*, quibus ex debito incumbebat pontificalis officii, ſacrorum & inferiorum ordinum miniſteria, nec non conſecrationes & alia *pontificalium actuum exercitia* per ſe, *gratis ſine quarumcunq; pecuniarum exactione* celebrare, hujusmodi exercitia aliis *Epiſcopis titularibus*, pauperibus, & aliunde, unde viverent, non habentibus, interdum *annua penſione ex pacto*, ſeu alias *ſolutâ*, commiſerunt exequenda: Qui differenter ſecundum differentias ordinum aut rerum conſecratarum, implicito & explicito pacto, de ordinatis vel de conſecratis aut reconciliatis rebus *pecunias* nedum *receperunt*, ſed & ſatis *inhumaniter extorquendo exegerunt*, *vitium ſimoniacæ pravitatis* miſerabiliter & ſatis impudenter nedum *exercendo*, ſed alios, recipientes hujusmodi ordines ac de conſecrationibus aut reconciliationibus paciſcentes damnabiliter maculando: Idcirco *hæc ſacra Synodus* volens *tale vitium*, tam *evidenter Eccleſiam Dei ſcandalizans*, in quantum poteſt, *extirpare*, ſtatuti

Digitized by Google

tuit & decernit: Qvod quilibet *Archi-Epiſcopus vel Epiſcopus* præfatos ſuos quoslibet actus Pontificales vel per ſe ipſum, ſi poterit, alioquin per ſubſtitutum Pontificem catholicum, gratiam & communionem ſanctæ Apoſtolicæ ſedis habentem, *gratis, abſq; omni datione aut exactione pecuniarum, præcipuè vel ſequenti*, ipſi Pontifici, janitoribus, intitulatoribus, examinatoribus, Scriptoribus & Servitoribus, quomodolibet cum pacto vel ſine pacto ſolvendarum, exerceat, aut faciat.

Literarum teſtimonialium, quæ *formata* nuncupantur, pro quibus unus ſolus groſſus aut ejus valor, tam pro ſigillo & cera quàm ſcriptura, ſolutione: Vel ſi Archi-Epiſcopum vel Epiſcopum ad extranea remotiora loca pro conſecratione aut reconciliatione Eccleſiæ, monaſterii, cœmeterii, altaris vel capellæ proficiſci contingat, præciſe moderatarum & ſupportabilium expenſarum & non ultra, procurationem duntaxat exceptis. Et cum ordinatione ac diſpoſitione, quod Epiſcopo ordinato, conſecranti aut reconcilianti, ſub præſtituto de reditibus menſæ ſuæ principalis taliter & tam ſufficienter provideatur, ne egeſtate gravatus ſibi *in ſacris actibus forſitan Simoniace quæſtum quærat.*

Qvod ſi ſecus actum fuerit, ut, quod pecuniæ ultra id, quod præmittitur, erogentur, dentur aut recipiantur, ſit ipſe *ordinans*, vel alium actum Pontificalem exercens, tam principalis quam ſubſtitutus, ultra alias pœnas juris eo ipſo ſua dignitate pontificali privatus, & inhabilis ad eandem: Et taliter *ordinato* ab officio ſuo ſuſpenſus, tamdiu, donec à ſolo ſummo Pontifice aut generali concilio à tali ſuſpenſione relaxari mereatur.

Et nihilominus, quia hactenus *talis Simoniæ damnata corruptionis abuſus* nimium invaleſcens quaſi *totum ordinem Eccleſiaſticum* receptione hinc inde per diverſas mundi partes *infecit, ita, ut pauciſſimi inveniantur, qui non ſint hoc vitio maculati* ſeu decepti: Idcirco *hæc ſacra Synodus* errantium multitudini compatiens, velut pia mater, omnes taliter promotos, aut qui aliter commode promoveri non poterant, à ſingulis excommunicationum & ſuſpenſionum ſententiis, quas taliter ordinati usqve ad præſens incurrerunt, aut inciderunt ipſo jure, poſtquam coram taliter commiſſa aut delicta ſuis confeſſoribus in foro conſcientiæ, & confeſſionis expoſuerunt accepta ſecundum modum culpæ pœnitentia ſalutari, ex nunc prout ex tunc abſolvendum & relaxandum decernit, nec non præſenti conſtitutione abſolvit & relaxat: Super irregularitate ſeu inhabilitate quacunqve in officiis ordinum ſuorum miniſtrando quomodolibet hactenus attracta, pie & miſericorter diſpenſando: Non obſtantibus in contrarium facientibus quibuscunqve.

Simonia olim totũ infecit ordinem Eccleſiaſticũ.

De eodem.

CAP. III.

De Arte quorundã olim Prælatorum Eccleſiaſticorum burſas ſuas implendi.

QVoniam quidam *Eccleſiarum prælati repletis burſis ſuis*, labores, ad quos bene ditati habiles eſſent, volentes effugere, *pacta ſecreta ineunt cum ſucceſſoribus*, quos in vita deputant præficiendos: Qvæ quidem facta utiqve *ſapere* videntur *Simoniam*: Ideo *decernit hac ſacra Synodus*, quod tales ultra ſententiam excommunicationis, quam incidunt, omnibus honoribus & dignitatibus ſint privati eo facto, pactaque hujusmodi nullius ſint roboris vel momenti: Et ſi recipiens *quidquam ſibi de hoc imburſaverit*, aut receperit, ſub pœna prædicta reſtituere teneatur. Ad effectum autem privationis hujusmodi ſufficit *probatio per famam*, Niſi talis purgatione canonica tollatur.

Imburſare

Digitized by Google

TITULUS III.

NE PRÆLATI VICES SUAS AUT Eccleſias ſub annuo cenſu concedant.

CAP. UNUM.

De juriſdictionibus Eccleſiaſticis olim pro certo pretio venditis aut locatis.

COntra hos prælatos, judices inferiores, qui ſuas *juriſdictiones Eccleſiaſticas, & temporales pro pretio vendere vel locare* ſolent, vel ad tempus vitæ ſuæ, vel determinatum & certum: Quo quidem modo fit, quod venditur ſeu locatur juſtitia, *ſanguiſq; & ſudor pauperum per orrendiſſimos exactionatores emungitur*, & totus Eccleſiaſticus ſtatus odio fit ſimplicitati laicali: Idcirco tantæ iniquitatis malo *hæc ſacroſancta Synodus* obviare volens *decernit* & ordinat, quod ultra alias pœnas in jure ſtatutas contra tales tam venditores quam emtores & locatores, in proxima Synodo ſequenti procedi poſſit & debeat, usqve ad ſuarum dignitatum, officiorum ſive beneficiorum ptivationem incluſive.

TITULUS IV.

DE MAGISTRIS.

CAP. I.

Accademiarum privilegia in Concilio Conſtantienſi parta.

De gradibus Academicis.

EX qvo *hujus ſacri concilii autoritas univerſitatum & ſtudiorum generalium Magiſtris & Doctoribus plurimas prærogativas concedit*, & ulteriores concedere eſt qvamplurimum inclinata: Idcirco, ne illarum occaſione quidam minus idonei aut indigni, prece, pretio, vel amore, ſcientiarum gradus ſibi forſitan nimis ardenter procurare præſumant, ſtatuit, & *ordinat hoc generale Concilium*, quod in generalibus Studiis ad *gradus ſingularum Facultatum* nullus vel nulli ut antea *promoveantur, niſi per rigorem diſtricti examinis*. Et præſertim talium *examinatores*, qui ad manus Cancellarii, vel Vice-Cancellarii illlus univerſitatis actu congregati, promittant, & tactis ſacroſanctis ſcripturis jurent, *dignos & idoneos* admittere, indignosque & inidoneos refutare, omnibus prece, pretio & amore vel timore penitus poſtergatis.

DE EODEM.

CAP. II.

De Theologorum diverſis opinionibus.

CUm experientia teſte videantur ex *varietate opinionum* præſertim *in ſacra pagina*, quæ ex utraque parte per doctores Eccleſiaſticos opinative tenentur, & tamen neutrum illarum ſancta determinavit Eccleſia, ut, *beatam virginem eſſe vel non eſſe conceptam in peccato originali*, in univerſitatibus ſtudiorum generalium, & aliàs per orbem, in ordinibus fratrum, ſeditiones plurimæ & ſcandala plurima ſuboriri: Ideo *decernit hæc ſacra ſynodus*, & inbibet ſub excommunicationis pęna diſtrictius, ne ut antea *in publicis ſermonibus ad populum quiſquam hujuſmodi opiniones prædicet, ſed ſi quis de illis quid velit aſſerere, in ſcholis aut in collationibus ad clerum; Nihil tamen temere definiendo, ſed probabiliter diſputando aſſerere vel definire partem ſuam.*

TITULUS

Titulus V.
De Judæis.
CAPUT UNUM.

De Judæorum converſorum bonis.

QVia, ut expertum eſt, quamplurimi *Judæi utriusque ſexus* homines, per uſuram acquiſita reſtituere metuentes, ad Chriſtianiſmum ſuſcipiendum alias ſatis inclinati, ſeorſim abierunt, in ſua perfidiâ tanquam deſperati remanentes: Ideo *hæc ſynodus ſacroſancta decernit* & ordinat, quod *Judæus*, ad fidem catholicam venire volens, non niſi *in quantum medietas ejus ſubſtantiæ*, tam in mobilibus quam immobilibus ſe extendit, eis, *a quibus uſuras*, ſi ſuperſint, *recepit*, alioquin hæredibus, ſecundum proportionem uſurarum receptarum, reſtituere teneatur, reliqua medietate ſibi & ſuis liberis absque mendicitate educandis in modum *eleemoſynæ* miſericorditer derelicta.

Titulus VI.
De raptoribus & violatoribus.
CAP. I.

De injuriis clero & ejus opibus inatis.

QVoniam *inſolentia laicalis clero oppido eſt infeſta*, adeò, quod plerique laici injuſtis diffidationibus, captivationibus, occiſionibus, reluctationibus, mutilationibus, proſcriptionibus & invaſionibus violentis in *Eccleſiaſticas perſonas*, & *eorum Eccleſiaſtica bona*, nec non libertatem Eccleſiaſticam graviter lædere & moleſtare non verentur: Idcirco, ut tam neſando crimini, etiam apud infidelium ſectas inaudito, obvietur, ultra canonicas & legales ſanctiones ſtatuit & *ordinat hæc ſacra ſynodus*, ut quilibet in futurum *ad ſacros ordines promovendus* per Epiſcopum ordinantem prius *examinetur* fideliter & diligenter, *an ipſe*, ejus *pater*, aut *avus*, usque ad tertiam generationem, perſonas Eccleſiaſticas, eorum bona aut libertatem Eccleſiaſticam taliter, ut præmittitur, unquam à tempore præſentis conſtitutionis invaſerit, aut invadi procuraverit, directe vel indirecte, publice vel occulte. Et ſi ſit talis, inhabilis ad Eccleſiaſticum ordinem nullatenus admittatur, niſi habita Apoſtolica diſpenſatione. Qvæ etiam nullatenus concedatur, niſi prius facta læſorum ſatisfactione debita & condigna.

Simile qvoqve examen diligens & exactum fiat de noviter admittendis ad conſortia clericorum, dignitates, adminiſtrationes, officia & præbendas, nec non ad Eccleſiaſtica beneficia quæcunque, Eccleſiarum tam cathedralium, qvam collegiatarum ſecularium & regularium qvarumcunque, ut talis puniatur in ſe, vel in ſemine ſuo, & conſeqventer, ab iis, in quibus tanqvam miniſtris Domini auſus fuit temerarie malignari.

Ceterum ſi Epiſcopus examinans aut admittendus ſecus fecerit, ſint tales excommunicati ipſo facto.

De eodem.
CAP. II.

De violatoribus libertatis Eccleſiaſticæ.

QVia qvarundam Eccleſiarum perſonarum & ſuorum canonicorum, eorum invaſorum, & *Eccleſiaſticæ libertatis violatorum*, in tantum excrevit, cum contumacia aſſumtæ temeritatis, audacia, ut aboleri non valeat, niſi per exceſſivam exaggerationem pœnarum: Idcirco hæc ſacra ſynodus

nodus omnibus Principibus, Eccleſiaſticis & ſecularibus, nobilibus, magnatibus, comitatibus, & oppidis, earum eorumqve rectoribus & capitaneis, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictiſſime prohibet, ne tales *invaſores & violatores*, ſaltem monitorios, ut antea, terras, civitates, caſtra, & loca eorum, etiam ſub ſalvo conductu, niſi in cauſa tractandæ concordiæ, ex parte violentationis & invaſionis hujuſmodi ſubintrare, ibidem ſtare, aut morari permittant quovis modo, imò realiter & effectualiter tales excludant.

Quod ſi non fecerint, ſit talis *locus*, in qvo hujuſmodi præfractores notorii fuerint receptati, ſtatim viſis eis, & poſt eorum receſſum usque ad triduum incluſive, *Eccleſiaſtico ſuppoſitus interdicto*, in pœnam laicorum, qui talibus præfractoribus tam notorie communicare præſumunt.

TITULUS VII.
De crimine falſi.
CAPUT UNUM.

De literis Papalibus examinandis.

QVidam *prælati* ſub ſpecie juſtitiæ, ut criminum falſitatis amotivæ, ſubtiliter *adinvènerunt modum examinandi omnes literas, tam Apoſtolicæ ſedis, quam legatorum & ſubdelegatorum ejus*, & ſuper dicta examinatione dare literas teſtimoniales, quas *Vidimus* nuncupant: De quibus multas & magnas extorquent pecunias, & quandoq; majores, qvam eædem literæ in curia Romana ſunt taxatæ: Videnturq; & examinantur per illos frequentius, qui eas vix legere, minus intelligere, imo & nullo modo inter falſum, nec non, facilem diſcretionem habere poſſunt: Quo fit, quod *pauperes, in Romana curia labore & expenſis fatigati & afflicti, amplius affliguntur* in juſtitia ſua, cum dictæ literæ denegantur, aut expedire non traduntur, & impediuntur, in Apoſtolicæ ſedis vilipendium, nec non pauperum præjudicium & gravamen: Idcirco ſtatuit & ordinat hæc ſacra ſynodus, ſub excommunicationis pœna mandando omnibus & ſingulis Eccleſiarum prælatis, quatenus in quolibet loco ſeu cathedrali Eccleſia deputent unum *doctorem in jure canonico*, vel ſaltem in jure peritum, expertum, conſcientioſum, & bonum hominem, Deum timentem, & juſtitiam diligentem, qui examinare habeat hujuſmodi literas, & *tradere teſtimoniales*; Ultra duos groſſos Thuronenſes, vel ſecundum quantitatem valoris eorundem nullatenus recipiendo. Quas ſi, repertis literis non ſuſpectis, tradere recuſaverit, vel contra diem fatalem, contra voluntatem petentis, dare diſtulerit, qui etiam quid ultra, quam præmittitur, exegerit, ſit talis eo ipſo ab ingreſſu Eccleſiæ per ſex integros menſes ſimpliciter interdictus. Et nihilominus in proxima ſynodo veniet gravius, ſi id delicti qualitas popoſcerit, puniendus.

TITULUS. VIII.
De exceſſibus prælatorum & ſubditorum.
CAP. I.

Inſatiabilis avaritiæ vorago.

QVia cupiditas & *avaritiæ vitium in quibusdam prælatis adeo excrevit*, ut velut *vorago inſatiabilis* evidenter videatur: Quo, attractis ſibi canonicis, capitularibus ſui capituli, forſitan per promiſſiones & munera, ipſosqve à contributione eximentes, & communicantes, *gravia, & magna*, cum ſui capituli conſilio, permiſſione, & aſſenſu, imo quidam velut conſvetudine ducti ſingulis annis, ultra ſua jura Epiſcopalia *ſuo clero* frequenter & frequentius

Res pecuniaria.

tius *imponunt ſubſidia conſolationis*, ſeu *propinas & procurationes*, quæ ſine viſitatione contra canonicas ſanctiones poſtulant, exigunt & reqvirunt, pauperes non habentes excommunicant, capitula & conventus ſuſpendunt, Eccleſias, monaſteria, terras, & loca Eccleſiaſtico ſupponunt interdicto: Qvorum occaſione Eccleſiæ & monaſteria graviſſima & deſtructiva debita contrahunt, religioſi utriuſqve ſexus præ nimia egeſtate monaſteria ſua exire coguntur, pauperes curati, pauperiores, imo & pauperrimi efficiuntur, eleemoſynæ pauperibus ſubtrahuntur, cultus divinus minuitur, & populus laicalis in carentia divinorum punitur innocenter: Idcirco *hæc ſacroſancta ſynodus* volens huic *tam peſtifero mori* de ſalubri remedio *providere*, diſponit, ordinat, & decernit, quod hujuſmodi *inferiorum prælatorum facienda contributio* locum admiſſionis nullatenus habeat: Niſi, talis neceſſitatis urgentibus *cauſis in concilio provinciali* primitus *deductis*, omnes comprovinciales prælati, majores & minores, aut ſaltem duæ tertiæ eorundem cognitæ, tum definiant & concludant, hujuſmodi ſubſidium & relevamen talis inſtantis & ſupplicantis, aut ejus Eccleſiæ, fore & eſſe petendum, exigendum & ſublevandum: Sub tali tamen moderamine, quod ex eo, aut ejus freqventia, ſubditæ Eccleſiæ, collegia, monaſteria, conventus & capitula, ſingulareſqve perſonæ Eccleſiaſticæ, non nimis graventur.

Verùm, ſi qviſqvam prælatus in contrarium ſeu ſecus facere aut attentare præſumſerit, ejus proceſſus, cenſuræ, ſententiæ & pœnæ ſint nulli & nullæ, nulliuſqve roboris vel momenti: Et inſuper ſuâ Eccleſiâ ſeu dignitate ſit privatus, alteri non tam ardenter cupido & avaro, ſed magis idoneo conferendâ: Nec etiam ſuis hujuſmodi proceſſibus aut mandatis ejus ſubditi qvovis modo obedire tenebuntur.

De eodem.

CAP. II.

De clerici delinquentis pœna.

PRælatus, volens procedere contra ſubditum *clerum delinquentem* per accuſationis aut inqviſitionis viam, ordinem juris omnino ſervet: Nullum etiam clericum cautionem de ſtando juſtitiæ exhibentem & habentem captivando aut incarcerando, ordine juris prætermiſſo: Niſi *notorie* & expreſſive reperiatur *criminoſus*, aut à juſtitia fugitivus; Et tunc de *notorio* loqventia jura ſerventur.

Et ſi talis clericus ſubditus ſe per viam juſtitiæ defendere velit, caveat prælatus aut ejus judex, talis ſuæ defenſionis præſidia petita, ut, advocatum, notarium & procuratorem, denegare: Qvinimo hujusmodi petitos ſibi concedi ſub excommunicationis pœna ad illius rei patrocinium mandare teneatur.

Qvod ſi ſecus aut in contrarium, aut per ipſum prælatum, ſeu ejus judicem, ſeu etiam officii inſtigatorem factum fuerit, eo probato, hujusmodi proceſſus & ſententiæ nulli & nullæ ſint eo facto. Et ſint in his culpabiles per triginta dierum ſpatium à ſuis officiis ſuſpenſi. Et nihilominus ſecundum deliberationem proxime ſeqventis ſynodi, ſecundum qvod qvalitas delicti popoſcerit, corrigendi.

De eodem.

CAP. III.

De oneribus cleri inferioris.

COntra *Eccleſiaſticos Prælatos*, qui Abbatibus, Abbatiſſis, Prioribus, Prioriſſis, Præpoſitis, Monaſteriis, Conventibus, Eccleſiis, Eccleſiaſticis perſonis & *clero exiſtunt nimis graves in ſervitutibus*, *vectura curruum* pro conſtruendis ædificiis, expeditionibus exercituum, & armaturarum, & aliorum onerum inportabilium multiplicium, decernit & *ordinat hoc ſacrum concilium*,

Digitized by Google

quod hujusmodi *gravamina* ut antea non faciant Eccleſiaſtici prælati, ſub excommunicationis pœna, quam incurrant ipſo facto, & aliis pœnis in ſynodo proxima, & ſecundum ejus determinationem infligendis, diſtrictius inhibendo. Qvia ſatis abominabile videtur, quod is, qui Eccleſiaſticæ libertatis protector & defenſor eſt poſitus, ipſius offenſor efficitur, & Eccleſiaſticas perſonas ad talem per ſe ipſum redigere nititur ſervitutem.

De eodem.

CAP. IV.

CONtra *prælatos Eccleſiaſticos, eorumq; officiales & judices, qui pro pecuniario debito interdum ſatis parvo*, dicentes, quod pro contumacia hoc fiat, Eccleſias, terras & loca *Eccleſiaſtico ſupponunt interdicto*, ſtatuit & de novo *decernit hæc ſacra ſynodus*, illam *Decretalem Extravagantem*, quæ incipit: *Provide attendentes*, *Extravagant. Commun. lib. V. tit.* 10. *cap.* 2. cum adjectione pœnæ majoris, videlicet ſuſpenſionis ab officio per unnm annum integrum duraturæ, diſtrictius obſervari. Niſi poſt illatam excommunicationis ſententiam, poſt aggravationem & reaggravationem contra debitorem, tanta ſit illorum locorum & terrarum, hominumqve & ipſorum poteſtatum potiorum & majorum pertinacia, quod utiqve excommunicato communicare frivole, & ipſum inter ſe confovere contendant. Qvo facto, ſi tunc per ſex menſium lapſum terminum, moniti per trium temporum mediorum æqvalia intervalla, à tali pertinacia non deſiſtant, ſed contumaciter perſeverent, tunc poterit Eccleſiaſticus judex, ad inſtantiam partis, in Eccleſias, terras & loca dictorum Eccleſiaſticum interdictum fulminare: *Extragante* prædicta, & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus qvibuscunqve.

TITULUS IX.

De privilegiis.

CAPUT UNUM.

De exemtionibus Eccleſiarum, factis ante tempora Concilii Conſt.

CUm interdum Domini ſeculares & temporales in eorum territoriis & dominiis certas Eccleſias, quæ alias de jure & conſvetudine locorum Ordinariis & Archidiaconis, eorumqve jurisdictioni ſubjectæ fuere, *hujus nefandi ſchismatis tempore* in Collegiatas Eccleſias erigere, & erectas à talium Ordinariorum & Archidiaconorum jurisdictione totaliter eximere auctoritate Apoſtolica ordinarunt: Advertens *hæc ſancta Synodus*, quam *unicuique ſua ſint jura conſervanda*, & nullatenus ſine demeritis & evidentia auferenda: Omnes & ſingulas hujusmodi exemtiones, qvibuscunqve Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis in præjudicium ordinariorum & archidiaconorum, ſeu aliorum quorumcunqve factas, & præſertim hujus doloroſi ſchismatis tempore conceſſas, revocat & annihilat, talesqve nullius eſſe decernit roboris vel momenti.

TITULUS X.

De pœnitentiis & remiſſionibus.

CAP. UNUM.

Spiritualia omnia olim venundationi expoſita.

QVia *tempore hujus nefandi ſchismatis, quo ſingula quaſi ſpiritualia publica exponebantur venditioni*, multæ *quaſtuationes ac petitiones cum quamplurium indulgentiarum*

De ĩdulgentiarũ multitudine refrenãda.

Rei pecuniariæ.

gentiarum & conceſſionum privilegio, ut veroſimiliter præſumitur *pro pecunia plus quam pro animarum ſalute* ſunt conceſſæ, in *gravamen pauperum, & Eccleſiaſtici ſtatus ridiculum*, & qvibus velut ex qvalitate veniæ incentivum præbetur delinqvendi: Idcirco *hæc ſacra Synodus* omnes hujusmodi *novas quæſtuationes*, ſub cujuscunqve facti aut factæ nomine *ab Apoſtolica ſede conceſſas*, nec non omnia & ſingula *privilegia indulgentiarum*, conceſſionum aut gratiarum, cujuscunqve etiam ſint tenoris & continentiæ, dictis novis & etiam antiqvis quæſtuationibus & petitionibus, tempore jam lapſi ſchismatis, imo & tempore unionis, poſt conſtitutionem felicis recordationis quondam Domini *Clementis V.* quæ incipit: *Abuſionibus*, *Clementinar. lib. 5. tit. 9. cap. 2* qualitercunqve conceſſa, revocat, irritat, caſſat, & *annihilat*, eaque ut antea *nullius vult eſſe roboris vel momenti*.

Per hanc revocationem hæc Synod' *antiquis quæſtuationibus* & petitionib', dummodo *per presbiteros bonæ famæ*, habiles & idoneos, *ſine ſermone publico*, ſed cum literarum, petitionum ſuarum & *indulgentiarum antiquarum* vera expoſitione, ſine commixtione falſitatis, & ſecundum formam dictæ *Clementinæ* fiant, aliquatenus derogare non intendit.

Titulus XI.

DE SCIENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

CAPUT UNUM.

De Contributione ſingulari inferioris cleri.

De excõmunicatione temeraria.

QVia quamplures prælati interdum, à Romana curia, vel de alio loco venientes, pro jucundo adventũ, aliis pro aliis cauſis, *charitativam ſubventionem* tamquam ſubſidium à ſuis ſubditis clericis poſtulant ſibi dari, & in his ſibi ſubveniri: Ne igitur *charitas in crudelitatem*, aut *jucunditas in pœnalem triſtitiam* convertatur, *inhibet hæc ſacra Synodus*, ne ut antea ſubditorum clericorum quisquam pro tali charitativo ſubſidio, aut adventu jucundo, *excomunicationis* ſententiâ, qvæ omnium graviſſima eſt, aliquatenus percellatur: Cum *talis pœna non niſi pro mortali peccato infligendâ*, hujusmodi delicti totaliter excedat quantitatem.

Si Prælatus ſecus aut in contrarium fecerit, ſententiæ ſint nullæ ipſo facto, nulliusque roboris vel momenti.

Verum quod *ſi ſubditi*, *non compulſi, ex propria benevolentia, Prelato petenti velint ſubvenire, non prohibet accipere hæc ſacroſancta Synodum*. AMEN.

Memo-

Memorabiles
hi
Reformatorii Conſtantienſis
DECRETALES
De priſtini
Eccleſiaſtici Status
Emendatione
Auſpiciis
Sereniſſimi Brunſvicenſium
Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI
Ex antiquiſſimo Codice
MSCto
Auguſtiſſimæ Bibliothecæ
Cæſareæ Vindobonenſis
A. M DC XCVII.
menſe Januario
in Academia Julia
In Germanicæ hiſtoriæ
decus eruti,
Imperante Cæſare
LEOPOLDO
SEMPER AUGUSTO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

TOMI I. PARS XIII.

NATIONIS GALLICÆ
IN CONCILIO CONSTANTIENSI
PUBLICA DECLARATIO
DE

ANNATIS NON SOLVENDIS.

FELICISSIMIS AUSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DN. RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.
DUCIS &c.

Ex antiquo Codice A. 1519. impreſſo
IN BIBLIOTHECA RUDOLPHEA BRUNSVIGÆ
aſſervato,
recenſita ab

HERMANNO von der Hardt/
Acad. Jul. Profeſſore.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.
HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

Digitized by Google

EDMUNDUS RICHERIUS
In Hiſtoria Conciliorum Generalium,
Lib. II. f. 195.

* * *

Hæc
Nationis Gallicanæ
Apologetica Reſponſio
multa capit
ſcitu & obſervatione digniſſima, quæ ad hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectant.
Cumqve hæc
intime
ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam
conferant,
nullo poſſunt prætextu
obliterari.

Digitized by Google



HERMANNUS von der Hardt

Lectori S.

Reformatorii *Conſtantienſis* longas *conſultationes* graviſſimasque *Conſtitutiones* ex rariſſimis *MSCtis* produximus. Ut poſteritas intelligat, non ſomnolenter, non frigide ac ſuperfunctorie arduum hoc *Eccleſiaſticæ emendationis negotium* in Concilio Conſt. fuiſſe tractatum à ſummis Eccleſiæ capitibus. Quos magna ſollicitudine, indefeſſo ſtudio, & infracta animi contentione, plurium annorum intervallo hoc ſaxum in Concilio iſthoc volviſſe, abunde jam conſtat.

Nec defuere argumenta, quæ placidam conſultationem communemve definitionem reſpuere in Concilio viderentur. Quippe quod admodum eſſet difficile in tanta corruptione, quæ & ætatis lapſu & multitudinis conſenſu dudum erat roborata, remedium parare omnibus gratum ipſisq; ægris probandum. Subortas igitur nonnunquam acriores contentiones quid mirum? Sane non ſine tædio, ſine periculis, ſine inſidiis, ſententia interdum conſtitiſſe viſa.

Illius generis erat quæſtio *de Annatis ſolvendis*, auroque Romam ablegando, quoties officia Eccleſiaſtica, per univerſum Chriſtianum orbem diſſeminata, nobili aliquo antiſtite eſſent privata.

Agitata hæc controverſia *in Reformatorio in Concilio Conſtantienſi* longo tempore, nec ſine acerbitate. *Omnes nationes*, & in his præcipue *Galli*, vehementer illas impugnarunt, oneribusque his levandas Eccleſias eſſe conſtanter urſerunt, curiâ Romanâ in Reformatorio ſedulo renitente.

Concertationis hujus *hiſtoriam*, ſuæque concluſionis *apologiam*, in Concilio mox contexuerunt Galli, orbisque Chriſtiani judicio expoſuerunt. Cujus *memorabilis hiſtoriæ ſummam* dedimus ſupra, *Parte V. fol.*

aut adverſariorum objectionibus medicina & reſponſio ſalutaris abſque aliquo ſale inſtrui potuit. Quæ acerbitas ordini vel dignitati ſacerdotali nihil derogat, ſed tantum humanæ imbecillitatis nævos detegit. Ut hinc Præſules Eccleſiæ ſe homines, unicumque ac ſolum Deum omnis contagionis peccati expertem eſſe recognoſcant. Utut ſit, cum hæc intime ad hiſtoriam Eccleſiaſticam conferant, nullo poſſunt prætextu obliterari.

Petrus Puteanus in Commentario in *Petri Pithœi* opus *De libertate Eccleſiæ Gallicanæ, Tom.II.f.* 839. novam illam Richerianam libelli recenſionem ſuam prorſus fecit, ſuperiori quoque præfamine verbotenus repetito, nulla Richerii facta mentione.

Primam vero *antiquam editionem* in noſtra recenſione in oculis ſemper habuimus, uti par erat, recentioribus illis collatis. Quamvis enim in prima iſta vix ulla eſſent diſtinctionum neceſſaria veſtigia, in recentioribus aliqua à Richerio ſuggeſta, à Puteano ſervata: Nihilominus tamen alicubi prima editio integrior, nec poſteriores ſatis curate ubique diſtinctæ apparuere. Quapropter novam, ut decuit, formam operi dedimus.

Antiqvus autem hic fuit operis character: *Apoſtoli & Reſponſio, dati per Nationem Gallicanam, Dominis Cardinalibus &c. appellantibus ab ejusdem Concluſione, voto, deliberatione ac declaratione, Conſtantiæ captis & factis ſolenniter per eandem, quod vacantiæ ac minuta ſervitia nullo jure ſint debita, & de cetero nihil ſolvant.* Nos Clariorem paulo & fronti dedimus inſcriptionem, ut lectorum commodis omni ſtudio inſerviremus.

NATIONIS GALLICÆ IN CONCILIO CONSTANTIENSI PUBLICA DECLARATIO DE ANNATIS NON SOLVENDIS.

Ex antiqvo Codice A. 1519. impreſſo,
IN BIBLIOTHECA RUDOLPHEA BRUNSVIGÆ ASSERVATO.

PRÆFATIO.

Offenſiones non poſſe evitari.

CUm Evangelica veritas dicat, *nihil cum ſcandalo* fiendum eſſe: Subjungit tamen, quod *neceſſe eſt ut veniant ſcandala.* Sed imputet ſibi, per quem venit *ſcandalum*, maxime *activum.* Qvia *paſſivum* vel *defenſivum*, communiter non eſt in dolo nec in culpa.

Jus votorum nationis Gallicanæ in Concilio Conſt.

Cum autem *venerabilis Natio Gallicana*, & ipſius venerabilia ac honorabilia ſuppoſita, tam majora, mediocria, quam inferiora, *Conſtantiæ congregata, pro generali Concilio* inibi convocato & debite congregato, pro deducendo in eo id, in quo *habent voces judicativas, conſultivas, & querelosas*, ſecundum materias ſuppoſitas & relationes debitas, cogatur *reſpondere*, & apoſtolos, ad quos teneri poſſet, dare cuidam *interpoſitæ Appellationi*, pro parte *Magiſtri Joannis de Scribanis*, aſſerentis ſe *Procuratorem Fiſcalem nomine Cameræ Apoſtolicæ* & ſibi adhærere volentium: Pro ipſius Nationis honore, & *Concluſionis in ea habita*, ex qua oriri dicitur interpoſita Appellatio, *juſtificatione*, ac veritatis manifeſtatione, in reſponſione hujusmodi, & apoſtolorum petitorum datione, ordinetur *veritas.* Qvæ ſi *ſcandalum* generet apud aliquos, vel etiam alicubi, hoc *cauſam activam* præſtantibus, non autem venerabili Nationi Gallicanæ, *defenſivam* aſſumenti, ſuæqve & Eccleſiarum, ac monaſteriorum, cæterorumqve Beneficiorum, apud ipſam portionem, neceſſitatibus proſpicienti, adſcribatur.

Johannes de Scribanis, JCtus, excepit in Concilio contra Gallorum ſententiã de Annatis tollendis.

Galli ſuã de Annatis ſententiam tueri laborarunt.

Veritatis fata.

CAP. I.

Hiſtoria variarum in Reformatorio Conſtantienſi conſultationum de Annatis tollendis.

Hiſtoria diſputationis Conſtantienſis de Annatis.

Decretũ Concilii Conſt. de Nationũ & Cardinaliũ deputatis, pro reformatione Ro. Eccleſiæ procuranda.

DEſcendendo igitur ad materiam, noverit idem *Magiſter Joannes de Scribanis*, dominiqve *Cardinales*, ac eorum Collegium, & cæteri univerſi, qui tunc & nunc *pro generali Concilio ſunt & fuerunt Conſtantiæ congregati*, fuiſſe ordinatum, quod *deputarentur de ſingulis Nationibus certi, qui cum deputatis dominis Cardinalibus* convenirent, *ad adviſandum quæ eſſent reformanda in Curia Romana, tam in capite quam in ipſius membris*, & de modo pro futuro providendi.

Sicut factum fuit, & eſt, inter ſic *deputatos Nationum.* Cum quibus fuerunt, & tunc erant Domini *Cardinales, Piſanus, Cameracenſis, & Florentinus.*

Cardinales in Reformatorio exiſtẽtes.

Qvi Domini *Cardinales*, contradicentibus *deputatis Nationis Gallicanæ*, aperuerunt materiam *Annatarum*, & jurium ac minutorum ſervitiorum. Et, quantum potuerunt, fundaverunt, *eas eſſe debitas.* Adducendo in medium *rationes* & juſtificationes, quas per prius longe adviſaverunt.

De Annatis in Reformatorio diſputatum.

Diſcuſſione facta inter omnes, *validioribus rationibus*, & auctoritatibus, juris divini pariter & humani, demonſtratum eſt, *non eſſe debitas.*

Cardinales eas propugnarũt.

Ceteri Reformatores eas impugnarũt.

Et quamvis dediſſent operam ad trahendum ad eorum opinionem quos potuerant: Inductione tamen facta de

ſingu-

Digitized by Google

Plurium in Reformatorio ſuffragiis ſunt rejecta.

ſingulorum deputatorum votis, longe major fuit pars, *quod non debentur, nec ulterius tolerari deberet.*

Concluſio à Cardinalibus negata.

Propter quod Domini *Cardinales concludere noluerunt*, ſicut & in aliis fecerant.

Et ſic fuerunt *primi* qui materiam promoverunt & aperuerunt. Unde *ſecuta ſibi imputent*, & nulli alteri.

Novi deputati in Reformatorio Conſt. pro reformatione curiæ Ro.

Novit etiam idem *de Scribanis*, Dominiqve *Cardinales*, & cæteri alii, *deputatos* fuiſſe certos *alios de ſingulis nationibus*, ad adviſandum *de remediis*, & modo procedendi, *& providendi in exorbitantiis*, exorbitanterqve ac indebite factis, de præterito, *in Curia Romana* per olim *Johannem*, tunc *Papam*, & alios de tempore ſuo.

Relatio in Reformatorio facta de factis Papæ Johannis XXIII. De officiis ſacris vacantibus.

Inter quos fuit adviſatum: Quod *Dominus Johannes* præfatus, & *Curia ſua Romana* Apoſtolica, & Domini *Cardinales*, & eorum Collegii Camerarius, ſive pro Camerario ſe gerens, à *beneficiis* Prælatorum & prælaturarum *vacantibus*, & qvoties vacabant, *etiamſi ter aut plures vacaſſent in anno*, pro qvalibet mutatione tituli, voluerunt habere *& exigere fructus primi anni* beneficii ſive prælaturæ vacantis, & aliquando longe ultra: Et quandoqve *Papa* qualibet vice Annatas vacantes habebat, & *Cardinales* nihilominus partem mediam: Qvodqve *propter Vacantias* fuerunt quandoqve *privati Prælati, & tranſlati inviti*: Et qvandoque *propter plus offerre*, ſumtis aliis coloribus, aſſumti & alii prælati, qvi forte non fuerunt præferendi.

Ars officia ſæpe evacuandi, dum Eccleſiaſtici inviti alio tranſlati.

Damna hinc orta.

Ex quibus ſecutæ ſunt ſtrages, guerræ, ſcandala, etiam nondum ſopita.

Et quia exorbitanter factum fuerat, & contra jus & juſtitiam, in oppreſſionem prælaturarum, eccleſiarumqve, monaſteriorum, & beneficiorum, & etiam perſonarum quibus contigerat & ita factum fuerat: *Per eosdem deputatos* pluribus rationibus fuit *concluſum*: Non debitum & *eſſe tollendum de præterito.* Et per aliquos ex iisdem fuit dictum, propter easdem rationes & infra dicenda eſſe extendendum *ad futura.*

Concluſio Reformatorii Conſt. de annatis tollendis.

Et ſuper hoc fuit compoſita *ſchedula*, & inter eos *lecta*, &, ſicut ſolet fieri, *communicata*, & deinde *ad Nationes ſingulas miſſa.* Saltem per Deputatos dictæ venerabilis Nationis Gallicanæ fuit relata in eadem atque lecta.

Decretum hoc communicatum.

Et communiter ſuper ea *ſolenniter ſeptem diebus deliberatum* ſucceſſive, ſciente dicto *de Scribanis*, Dominis *Cardinalibus*, collegialiter ac ſingulariter: Qvi etiam in hujusmodi odium & vindictam dixerunt, aliqvos notabiles Prælatos excommunicatos, contra rei veritatem, etiam ex ipſorum parte eorum nominibus non expreſſis: *Magiſtro Johanne Ponceti*, pro eorundem Collegio clerico & Promotore ſe gerente, qui ſe interponere Appellationem dixit, aliisqve Nationibus, & cunctis *Conſtantiæ pro generali concilio congregatis*, ſcientibus. Et debite in ea *concluſum* fuit: De præterito, præſenti, & futuro *eſſe tollendum.*

Longa deliberatione de hac re.

Concluſio de Annatis tollendis.

CAPUT II.

Summa votorum ac rationum Reformatorii Conſt. quoad decretum de Annatis non ſolvendis.

Decreti Rationes in Reformatorio.

Cauſa vero motiva, *rationesq́;* & *jura*, recollecta, quantum fieri potuit, ex dictis diverſorum, *qui in dicta natione deliberaverunt, & alias aperta* fuerunt, ſubſequenter exprimuntur.

Et juxta Gregorii reſponſivum oraculum, & concilii Lateranenſis prohibitivum edictum, *initium & cauſam debendi iſtarum præſtationum fructuum primi anni* Prælaturarum, Dignitatum, vel Beneficiorum vacantium, qui aſſeruntur debiti, & quos volunt exigere, diligenter inquirentes: *Privilegio, conſuetudine, aut præſcriptione non poſſe defendi*, certum eſt.

Recens Annatarum inventum.

Sicut fuit obſervatum, & de non vacantibus in Curia, ſecundum antiqui juris ordinem, nullum reperiri poſſe initium,

Johannes Papa 22. primus autor, initio ſeculi XIV. Finis ac ſcopus primi illius inſtituti.

tium, præterquam *reſervationem quandam temporalem*, primo per *Joannem Papam XXII.* factam, *pro certo paſſagio ultramarino*, & qvibusdam aliis neceſſitatibus ſuis, de omnibus dignitatibus & Beneficiis, *exceptis Abbatialibus.*

Propter quod ſervatum eſt *in Anglia* usque ad hodiernum diem, nihil ſedi Apoſtolicæ ſolvere, pro hujusmodi Abbatialibus fructibus Abbatiarum vacantium.

Abbatiæ Epiſcopatus primitus etiam immunes ab hoc onere.

Exceptiq; Epiſcopales, & etiam alias ſupra, majores, per expreſſum. Certasq; poſtmodum fecit ſuper illis declarationes.

Similia cæteri a ſequentibus Pontificibus impoſita.

Deinde, poſtmodum *nonnulli Romani Pontifices*, ipſius ſucceſſores, etiam certis temporibus ſimiles fecerunt *Reſervationes*, certis cauſis expreſſis. Qvas Clerus, Principes, & populus *aliquo tempore tolerarunt.* Sed poſtmodum nimium gravati ex iis, in aliquibus regnis & provinciis, *recuſaverunt ſolvere.* Prout fuit factum *in Anglia*, & qvibusdam aliis locis. Eo quod per modum facultatis *toleratum* fuerat.

Tolerata brevi. Repudiata ab Anglis aliisq; Jure recuſata iſthæc onera.

Et ſic, qvantumcunqve eis placuit, *licite* potuerunt atqve poſſunt *recuſare.* Maxime *quia ceſſant cauſæ*, quæ tunc erant: Eo quod non ſit *paſſagium ultramarinum*, vel aliud virtuoſum ex talibus pecuniis.

Communi Nationũ conſenſu repudianda.

Et quia *Italia, Gallia, Alemania, & Angliæ partes*, per Dei gratiam ſunt *unita* ad invicem, propterea tolerari non debent. Cum propter diviſionem, temporibus retroactis, aliqvantulum diutius fuiſſet toleratum.

Contradictum antea exactioni ſæpius.

Nec ſine reſervatione aut *contradictione*, quæ impediunt & ceſſare faciunt exactionem, reperitur talis præſtatio *decem annis* continuata. Et quando erunt talia, *præſcriptionem non inducunt*, maxime de ſupremo ad inferiores, & minus *conſvetudinem:* Ut eſt Juriſtis notum, & infra expreſſius dicetur.

De vacantibus vero & *fructibus primi anni majorum Prælaturarum, Abbatialium* videlicet, *Epiſcopalium*, & ſupra, nullum aliud initium fuiſſe invenitur, quam *voluntaria & gratuita oblatio* quorundam, qui in diſcordia electi ad Abbatialem vel Cathedralem eccleſiam, dum proſeqverentur in curia, per appellationem ad eam factam, per eum, qui obtinebat finalem victoriam, & promovebatur ſive eligebatur.

Donum Epiſcoporum gratuitum, dictum ſervitiũ, Propina, Servitia communia.

Et talis oblatio & *gratuita datio*, juxta vulgare Italicum, dicta fuit *ſervitium:* Et ſecundum Alemanos *propina* dicitur. Et dicta fuerunt *ſervitia communia:* Qvia communiter inter eos dividebantur, eo quod ſingulos, quibus dare volebat, non convocabat. Et ſingulis dare fuiſſet nimium onerosum his, qui tunc agebant in publico Conſiſtorio.

Obligatio tandem Simoniaca facta in Conſiſtorio ſecreto.

Sed poſtmodum *deductum eſt in Conſiſtorium ſecretum.* Qvod tamen fuerat & *Simoniacum* vel multum de *Simonia ſuſpectum*, & ſpecies mali crudelis, etiamſi prætextu conſvetudinis: Tum, quia *ante* vel *poſt promotionem* ad hujusmodi dignitates, *aliquid* hujus prætextu *dare* vel *recipere*, ſecundum ſacros canones eſt etiam *prohibitum:* Tum quia *alienatio* eſt *talis oblatio*, datio, vel *obligatio*, quam etiam facere non poteſt talis electus vel promotus.

Obligatio facta Romæ ad magnam æri ſummam. Obligationum illarum vincula.

Et ſucceſſivo tempore, volentes gratuite dare, & voluntarie conferre ſummam certam, vel aliquid: Eo quod tunc nulla certa taxa eſſet in Camera: Qvoad aliqua *ad tertiam partem valoris Epiſcopatus*, monaſterii, aliqua vero *ad mediam*, in aliquibus etiam *taxa dictum valorem excedit*, prout in libris Cancellariæ ſcriptæ ſunt, & ultra, *pro minutis ſervitiis*, *compulſi* ſunt *dare*, & offerre, ad ſolvendum, ſe & monaſterium, ſive etiam *obligare*, per ſuarum literarum retentionem.

Obligationis novũ genus.

Et noviſſime additum eſt, & *compelluntur* per eandem retentionem *ſe obligare* ad id, quod reperiretur eſſe debitum *in libris* eorum *Cameræ*, ſive dominorum Cardinalium, per oblationem vel obligationem alicujus prædeceſſoris Monaſterii vel eccleſiæ, ad quam aſſumitur vel transfertur.

Ex quo reſultat periculum & maxima abſurditas, propter *diverſitatem librorum, in quibus diverſimode poſſunt ſcribi ſolutiones*, vel non ſcribi, ſecundum diverſitatem, vel *obligationem*, aut forte *malitiam officiariorum*, qui præſunt talibus, prout quandoque compertum eſt, Qvemadmodum

modum de hoc per *formas obligationum*, quas ſuper hoc habent in Cancellaria, & quas in talibus obſervant, quarum copia inferius ſcribitur, poterit conſtare plenius.

Cap. III.
Rationes XXIV. quod nulla in Annatis conſvetudo aut præſcriptio habeat locum.

ET *nullus talis modus inducit conſvetudinem, præſcriptionem*, nec *juſtam cauſam* talia exigendi vel etiam obſervandi: *Tum*, quia *gratuita* vel voluntaria *oblatio*, unius vel

Ratio 1. plurium *ſingularium, non inducit* conſvetudinem vel *obligationem*, *ad quam tenea͏ntur alii*, niſi velint. Cum hoc ſit per modum facultatis, quod *præſcribi non valet. Nec eſt jus continuum.* Quia reſpectu diverſorum & ſeparatorum corporum, oblatio & datio perfecta eſt: Quæ *per ſucceſſores continuata non eſt*. Et ſi continuata foret, nihil refert ad alios. Et quia etiam quam plures ex illis, qui obtulerant & debebant, ſeque ad ſolvendum obligaverant, poſtmodum *recuſaverunt* ſolvere, tanquam indebitum. Nec etiam ſolverunt.

Tum, quia *nullo ſtatuto*, privilegio, con-

Ratio 2. ſvetudine, præſcriptione, aut alio titulo, *poteſt induci, quod propter conferre aut conſentire promotioni* aut electioni alicujus Monaſterii vel eccleſiæ cathedralis, ſive ut præficiatur adminiſtrationi Prælaturæ, Beneficii, ſive Eccleſiæ, *aliquid poſſit, vel debeat peti vel exigi.* Eo quod ſecundum Apoſtolicas & Canonicas traditiones, clariſſime foret *Simoniacum*.

Tum, quia non petuntur, neque exi-

Ratio 3. guntur hæ annatæ per Cameram Apoſtolicam & dominos Cardinales, ex eo quod vacant, ſed *quia conferunt*, ſeu quia collationi & promotioni, quæ fit per Papam, aſſentiunt. Et hoc eſt clare ſecundum canones *Simoniacum*.

Tum, quia conſtat, quod propterea

Ratio 4. exigantur, *quia conferunt*, ſeu electioni vel promotioni conſentiunt, & non quia vacant, eo quod *ab illis, qui promoventur ad prælaturas hujusmodi extra Curiam*, & per alium quam per Papam, *nihil habent*, vel exigunt. Et conſtat etiam ex eo, quod *nihil percipiunt* in tali exactione, *niſi domini Cardinales qui actu ſunt præſentes*, & tamen de jure communi omnes Cardinales etiam abſentes participarent, ſi, quia vacant, deberentur vel exigerentur.

Tum, quia talis *uſus vitioſus*, *inhoneſtus*, continens ſpeciem mali, & de jure pro- Ratio 5.
hibitus. Propterea nulla conſvetudo poteſt ſuper eo ſituari, & minus præſcriptio induci. *Violentantur* enim qui in Curia promoventur, *ad dandum & offerendum*, ſeque & Monaſterium ſive eccleſiam, ad quod ſive ad quam promoventur, obligandum, ad ſolvendum *taxam* ſive quotam, quæ refertur eis eſſe *in libris Cameræ*, cum minutis ſervitiis, & omne illud, & quidquid reperitur debitari per dationem vel obligationem conſimilem, factam Cameræ Apoſtolicæ, & Dominis Cardinalibus, ſuorum prædeceſſorum, per literarum promotionis ſuæ retentionem & detentionem. Et tales *modi* nunquam inducunt conſvetudinem, neq; præſcriptionem, cum ſint *violenti*. Et cum hoc reſultat *alia violentia*. Quia, quantumcumq; promoti, benedicti, vel *conſecrati*, & notum ſit Monaſteriis vel eccleſiis quibus præficiuntur, *ſine literis ejusmodi non poſſunt intrare poſſeſſionem*, propter conſtitutionem pœnalem, factam in favorem hujuſmodi indebitarum exactionum, quæ incipit *Injunctæ*, *Extravagant. Commun. lib. I. tit. 3. cap. unic.*

Tum, *Simoniacum* vel *ſuſpectum de Simonia*: Quia petuntur fructus primi an- Ratio 6.
ni, & *ſolvitur in Curia realis pecunia* pro fructibus colligendis in partibus: Et quia *ſolvitur ante tempus*: Et quia quandoque ſolvitur totum Cameræ, & *ante adeptam poſſeſſionem*. Et nihilominus *Cardinales* taxam reqvirunt, & per retentionem literarum exigunt, re vel obligatione, quando poſſunt.

Tum, quia ex præmiſſis infertur irra- Ratio 7.
tionabilis *diffamatoria murmuratio contra Romanam Curiam*, quam Deus ſervare puritatem & juſtitiam, & ab omni ſpecie

ſpecie

ſpecie mali abſtinere voluit. Reſultatque infectio & nullitas omnium & ſingulorum quæ fiunt in præmiſſis, datione, oblatione, obligatione, ſive contra obligantes fulminatione & ſubmiſſione, propter modum & cauſam, ex quibus fit concurrentia in actu, qui non tenet. Propterea, qui dicuntur incidere in ſententias, quæ ejusmodi occaſione feruntur, non debent eas tenere, nec timere, nec videntur abſolutione indigere. Propter enim prædictam concurrentiam, continent errorem intolerabilem, & quia ſunt contra jus conſtitutionis. Nam videntur hominem obligare ad incidendum in *hæreſim*, largo ſumto vocabulo, videlicet *quod ſit licitum ſpiritualia emere*, vel pro ſpiritualibus pecuniam & temporalia dare.

Ratio 8.

Tum, quia talis conſvetudo, præſcriptio, ſeu privilegium, quando eſſent, *nimium* forent *eccleſiis*, *Clero & Provinciis onerosa*, & ſubſtantiarum Eccleſiarum deſtructiva. Et propterea *de jure nulla* eſſet *præſcriptio*, quæ nullatenus procederet. Et *privilegium*, ſi quod appareret, non ſolum de jure decurtandum, ſed etiam totaliter ſubmovendũ, utroq; jure hoc teſtante clarisſime.

Ratio 9.

Tum, quia *prælatus* quilibet, qui in Curia promovetur ad Monaſterium vel eccleſiam Cathedralem, antequam ſuæ expediantur literæ in Curia, *jurat* nihil de juribus Monaſterii vel eccleſiæ alienare. Et ipſis literis in Cancellaria expeditis, & deinde bullatis, ac etiam regiſtratis, portantur ad Cancellariã, à qua haberi non poſſunt, niſi primo ſe obliget, ut præfertur. Qvæ *obligatio* eſt *alienatio* clara. Et ſic *promotus videtur cogi committere Simoniam*, & ſimul *perjurium*.

Ratio 10.

Tum, quia non fuiſſet credendum, nec eſt, Cameram Apoſtolicam, ac Dominos Cardinales, aut qvoscunqve alios, *propter quodcunque lucrum*, ſive temporale commodum, velle ſuſtinere, aut etiam defendere tantam *inhoneſtatem*, *prætextu cujuscunque conſvetudinis*, præſcriptionis, aut privilegii, etiam quando eſſent, in quibus includuntur *labes Simoniæ*, & clarum *perjurium*, ſcandalumqve, & damnatio animarum.

Ratio 11.

Tum, quia adhuc, præmiſſis ceſſantibus, & ſuppoſito, quod *Annatæ* petitæ deberentur, *tollendæ* ſunt *ex toto*, cauſis & inconvenientibus ac *ſcandalis ſequentibus*. Nam licet ſecundum Apoſtolicam doctrinam *Papæ poteſtas* à Chriſto immediate ſit, tamen eſt *ad eccleſiæ ædificationem, & non ad ipſius deſtructionem*. Qvæ tamen reſultaret in obſervatione prædictorum. Eſtque hujusmodi *poteſtas ordinata ad juſtitiam & rectum judicium exercendum*, quod non obligaret, & ceſſaret in exactionibus præmiſſis. Habetqve *præſidere propter bonum publicum*, & ſalutem animarum, & non propter ſeipſum. Aliàs videretur *abuſus*. Nec videtur *facultas Papæ* nec *eccleſiæ Romanæ* conceſſa, neque eis competit pro libito voluntatis, exactiones, ſive præſtationes aliquas imponere eccleſiis, aut perſonis eccleſiaſticis. Cum eorum non ſit Dominus, ſed tantummodo Chriſtus. Maxime per quas cauſetur ipſarum oppreſſio, vel inde oriatur ſcandalum, deturqve cauſa murmurandi, vel etiam reſultet detrimentum animarum, aut fruſtretur ſive fraudetur intentio fundatorum eccleſiarum Cathedralium, Monaſteriorum, & aliorum inferiorum Beneficiorum.

Ratio 12.

Tum, quia per *exactionem* prædictarum *Annatarum*, tam ardenter & inhoneſte exactarum, ſine Cleri, Principumqve, in quorum dominio ſunt, & eorum de genere, qui ea fundaverunt, expreſſo conſenſu, & levem *decimæ impoſitionem*, *ſeqvutæ ſunt oppresſiones in Clero, & in eccleſiis*. Et inde murmurationes graves exortæ, & apud Regem, magnosqve Principes, & alios Nobiles, & illos de populo usqve ad plebejos, ſcandala. Qvia vident pati ruinas eccleſias Cathedrales, Monaſteria, aliaqve Beneficia, quæ ſui primogenitores & alii magnates fundaverunt, & uberanter dotaverunt, & largiti ſunt Ducatus, Comitatus, & alias dignitates temporales, Baronias, Caſtra, Terras, jurisdictionem, & alia temporalia bona, pro ſuſtentatione miniſtrantium in divinis, & ad divini cultus honorem, & augmentum, ſuorumqve peccaminum expiationem, alimentationem pauperum, redemptionem captivorum, eccleſiarum ipſa-

Digitized by Google

ipſarum ædificationem & reparationem, terrarum, ac poſſeſſionum eccleſiarum, & monaſteriorum culturam, jurium ipſarum proſecutionem, conſervationem, & defenſionem. Qvæ omnia ceſſant, nec fieri poſſunt. Sed *numerum* in eccleſiis ſic fundatis *miniſtrantium*, juxta fundatorum ordinationem, *minuere oportet, propter dictas intolerabiles exactiones.*

Ratio 13. Tum, quia ſcandalizantur, & inde murmuratur, *cum recurrunt ad cauſas propter quas talia contigerunt:* Dicentes, non fuiſſe intentionem fundatorum, nec eorum exiſtere, quod propter tales exactiones, vel etiam ſimiles, vel propter *replere quadraginta aut etiam plures perſonas*, deberent fruſtrari intentionibus ſuis fundatores, & ipſi in hoc pati verecundiam, quod dotata per eos & largita tam exuberanter, deducantur ad ruinam, & patria reddatur infirmior, ad ſe defendendum contra hoſtes: Eo quod Caſtra & Munitiones nec retinere nec defendere poſſunt quibus collata ſunt. Et propterea id nolle pati omnino, dicunt. Cum *talia in nullo ſubdantur Papæ nec Cardinalibus*, ut fiant eis *tributaria*, cum ſint *feudalia*, aut *mere temporalia.*

Ratio 14. Tum, ſcandala & murmurationes inſurgunt, dum vident & ſentiunt *exigi ejusmodi vacantias & Praſtationes, ſine pietate & miſericordia, aut aliqua remisſione*, quantumcunque impotentes. Et hoc notum fuit, ſicut contigit in Abbate Saturnini Tholoſani, compulſo obligari ad *taxam* ſibi relatam, quæ erat *quatuor millium & ducentorum florenorum*, & non valet annis omnibus, etiam vivendo ſupra locum, quingentos. Et tam ipſe quam plures alii compelluntur *per exactores deputatos*, usque ad impignorationem terrarum dotalium eccleſiæ, vel monaſterii, & usqve ad venditionem calicum, etiam non conflatorum, librorum & aliorum ornamentorum, & bonorum aliorum eccleſiæ, qvæ petuntur ſolvere.

Ratio 15. Tum, quia ſcandala & murmurationes inſurgunt, quod propter *hujusmodi exactionem, Prælati & alii miniſtri* reputantur per exactores *excommunicati.* Et per proceſſus ac literas, quas affigunt in locis publicis, eos denunciant, injuriantur, & verecundiam faciunt in diebus ſolennibus, nec coram aliis audent celebrare. Licet in veritate non teneant ſententiæ. Inde ſcandalizantur *Principes & alii de populo.* Et in tantum arctantur ad ſolvendum, quod *pro dilationibus* non dantur niſi *tres menſes.* Et *pro litera & ſigillo* relationis ſententiæ oportet ſolvere realiter tres vel qvatuor florenos cum dimidio. Si ſit *Simoniacum*, videat unusquisqve. Et ſunt in anno XX. floreni, ſine eo quod dare oportet Clericis, ad hujusmodi proſecutionem deputatis, & quod expendit nuncius in eundo & redeundo, nec per hoc principale minuitur.

Tum, ſcandala ſunt exorta & non ceſſant propter exactiones prædictas ex eo, quod, poſtqvam eccleſia Romana continuavit tales exactiones, non ceſſavit à guerris. Et *major ſolicitudo Romani Pontificis, & ſuorum Cardinalium, usque ad Joannem incluſive* noviſſime depoſitum, fuit *de guerrarum continuatione*, in qua fit effuſio humani ſangvinis. Et licet etiam habeat temporale imperium, *non* tamen *cadunt honeſte talia in viris tam perfectis.* Et quia per humilitatem, ſanctimoniam, & devotionem, ſolebant jura eccleſiæ in eſſe conſervari, retineri, & acquiri, ſine artificiali gladio, aut alia violentia. *Ratio* 16.

Tum, quia propter tam promtam numerationem hujusmodi vacantiarum, & aliarum exactionum, Camera ac alii domini Cardinales *non curaverunt* neque ſoliciti fuerunt *de dote & patrimonio eccleſia romana*, de quo vivere poſſent & debent, neque de recolligendo tributa, penſiones, & debita, quæ rationabiliter eis deberentur. Sed ea per expreſſum remiſerunt, & remittunt. Prout fecerunt aliquibus communitatibus. Etiam moderni domini Cardinales, *centum millia* Florentinis cum quibusdam aliis, Regi Apuliæ tributa pro quindecim annis, & cuidam Marchioni, *remiſerunt.* Et ita fecerunt pluribus aliis, quibus conceſſerunt dari terras, & caſtra patrimonii eccleſiæ, de quorum fructibus vivere habent. Et videntur qvodammodo affectare occupationē dicti patrimonii, & non ſolutionem dictarum pen- *Ratio* 17.

penſionum, & etiam tributorum: Ut ſub illo colore poſſint dictas Vacantias, & alias exactiones exigere, ac per hoc collationem beneficiorum, & promotionem ad Prælaturas retinere, ut inde magis ab illis de Clero timeantur, & univerſalius revereantur, & etiam honorentur, ſicut de facto obſervant.

Ratio 18. *Tum*, ſcandala, propter præmiſſas & ſimiles exactiones, & ipſum modum exigendi, *in Galliis* exorta ſunt, eo, quod ſuperſtites de genere illorum, *qui eccleſias*, Monaſteria, & alia Beneficia *dotaverunt*, audientes referri, *quod pro pecuniis beneficia habentur in Curia Romana*, & quod propterea ruinæ & præmiſſæ beneficiorum deſtructiones ſequebantur, *querelam fecerunt fieri apud Regem Francorum*, eorum ſummum principem. In cujus *Parlamento*, & ſuo *Conſiſtorio*, auditis quæ fuerunt propoſita pro parte Cameræ Apoſtolicæ, & dominorum Cardinalium (quod bene ſciunt aliqui ex iiſdem) fuit clare & ad plenum ſolenniter apertum, & evidenter monſtratum, quod *nullo jure deberentur*, & quod clara *Simonia in modo ſe habendi* includebatur, quæ plurimum erat ſibi periculoſa. Et ad ipſum ſpectabat, ut dicebant, in ſuo dominio *reprimere tales abuſus*, & vitioſos exceſſus, ne conſentiendo iram Dei provocare videretur in ſeipſum, juxta Gregorianam Epiſtolã, Theodorico & Theoberto Francorum regibus miſſam, in Decretorum volumine inſertam. Fuitque clare demonſtratum, quod ultra præmiſſa & multa alia inconvenientia, *per tales exactiones vacuabatur regnum & dominium* ſuum *pecuniis* & divitiis, quæ ad nullam pietatem applicabantur, ſed poſtmodum malos & peſſimos pariebant exitus & cauſabant effectus. Quodque *Romani pontifices*, pluries fuerant *moniti* & requiſiti, ut in his tam ſcandaloſis, & cauſantibus animarum damnationem, providerent, & canonicum ordinem darent: Quod facere neglexerunt. Certam igitur *proviſionem* tunc ſuper his rationabiliter edidit. Quæ per quoscunq; regnicolas & in dominiis ſuis domiciliatos, ſub divina & regia offenſa ſervanda eſt. Et, quando deberentur, propter tale ſcandalum tollendæ ſunt.

Tum, quia nec dicta proviſio totaliter ſuffecit, quin per *practicam Romanæ Curiæ* aliqua *pecuniis intervenientibus* in dominiis ſuis beneficia conferrentur, & reſultaret, quod prius *per ſolennes* ſuos *Ambaſſiatores* (adjunctis nunciis notabilibus, pro parte Prælatorum & Cleri regni ſui atque Univerſitatis Pariſienſis) deſtinatos ad Romanam urbem, inter cætera domino *Joanni, tunc in ſede Apoſtolica & Romana ſedenti, proponi*, eumque requiri, exhortari & moneri fecit, *ut tales exactiones*, per quas tales abuſus ſequebantur, & perditio animarum, *ſubmovere curaret* & providere non tardaret. Qui *verbo* reſpondit, hoc ſibi placere *& totaliter ſubmovere velle*, & ſuper hoc onerare Legatum, quem deſtinaturus, ut dicebat, erat ad Franciam. Et, quia *nulla proviſio ſecuta* eſt, licet juſte potuiſſet ac poſſet, juxta dicti Gregorii Epiſtolam, & alias de jure, per ſeipſum providere, magis mite in favorem & honorem eccleſiæ volens in hoc ſe habere, diſtulit, & ſuis Ambaſſiatoribus, & aliis, pro prælatis atque Clero Regni ſui & Delphinatus *deſtinatis ad præſens generale Concilium*, injunxit *hanc proviſionem & remediationem proſequi*. Quam multipliciter conantur quidam impedire, plus curantes de *quæſtu* quam de *animarum profectu*. Ratio 19.

Tum, quia multiplicatum eſt ſcandalum & cauſa nova adjuncta, ex eo, quod *dominus Joannes* olim *Papa*, *noviſſime deſtitutus*, teſtificatur, & ſe publice facit audiri, quod *unum millionem & ſeptingenta millia florenorum auri* habeat in diverſis locis repoſita. Et *Collegium* dominorum *Cardinalium ad medietatem ſummæ* tantundem præſumitur habuiſſe. Quorum forte major pars de Galliis proceſſit. Quod principes, clerus, & populus attendentes, magis commoventur *ad exquirendum remedium*. Cum *dicta pecunia nullum profectum fecerint*, ſed plures arces & eccleſias macularint, & *cauſa fuerint deſtitutionis dicti Joannis*, atq; magni ſcandali. Fuit ergo talis exactio cauſa tollendi, *ne ſimilia futuris temporibus eveniant* aut etiam contingant. Et ſi prædicta locum non habuiſſent, vel habere poſſent, ſicut tamen habent, adhuc dictæ Annatæ & vacantiæ, & hujus- Ratio 20.

juſmodi indebitæ exactiones ſunt tollendæ, & totaliter ſubmovendæ, quia *dant cauſam proximam Simoniæ* committendæ in Curia diverſimode, *infamantq; Curiam Romanam, & infinitorum malorum dant occaſionem*, & ſunt & fuerunt *cauſa, quod venderentur beneficia eccleſiaſtica*, Prælaturæ, & dignitates, & mercarentur. Sicut factum fuiſſe reperitur cum *domino olim Joanne Papa.* Quod quamvis *Simoniacum* non eſſet, ſicut eſt, tamen turpiſſimum, abominabile, & ſcandalorum valde eſt.

Ratio 21. Tum, quia ſub prætextu & colore ſolvendi vacantias, ſecundum verum valorem & *taxam antiquam* prætenſam, *triplicatur*, & *quadruplicatur*, juxta verbum quorundam, dicentium, quod, ſicut offert juxta taxam, ita poteſt offerre & dare *totum valorem unius vel plurium annorum.* Et per hoc *promoventur ambitioſi*, & *male morigerati, illiterati.* Et *quibus deſunt alia virtutes, recurrunt ad pecunias. Repelluntur literati, viri virtuoſi, non habentes pecunias.* Et futurum eſt de proximo, quod ſi, ſicut factum eſt, ita continuaretur *in promotionibus* & beneficiorum diſtributionibus, *ſtudia efficerentur deſerta*, nullusque curaret ſcire, vel etiam ſtudere. Et poſſet inde pati fides & religio Chriſtiana, *propter defectum doctrinæ*, maximum detrimentum. Sunt etiam tollendæ & removendæ, quia juxta taxam Prælaturæ vacantis, *cui committitur inquiſitio* & proceſſus, mercatur & *vult limitare ſalarium*, quod aſſerit ſibi debitum ab illo, pro quo debet relationem facere, & in ſecuro vult habere antequam referat. Prout in hac venerabili natione Gallicana per *egregium Dominum Paulum Doctorem* alterius nationis conquerendo fuit notabiliter propoſitum: Et aliquantulum caſus unus apertus, videlicet, quod, quia tunc erat conventum cum Papa, aliquem debere ſolvere tria millia, qui relationem facere pro vacantia debebat, volebat habere trecentos. Quos oportebat detrahere de prædicta ſumma, eo quod promovendus nihil plus habebat. Et tunc Papa de ſuo proprio ſolvit quinquaginta, & centum procuravit pars propria. Et ſic pro quolibet milliario habuit quinquaginta. Si ſit *Simoniacum*, judicent audientes. Idem facit *Notarius*, qui ſcribit in proceſſu, *ſcutifer Papæ, & ſcutifer domini Cardinalis* referentis, qui de more mittuntur ad promotum, utplurimum ad intimandum ſuam promotionem. Qui ſua ſalaria dicunt eſſe limitanda ſecundum quantitatem Vacantiarum. Et idem *trium portarum oſtiarii*, & quam plures alii conſimiles, qui non exprimuntur de præſenti.

Tum, quia promotus in Curia propter tales angarias *cogitur eſſe paſſive uſurarius*, & intrare manus mercatorum, qui *pro quingentis* mutuatis volunt habere & *recuperare mille cum ſuo intereſſe.* Quod clare expertum eſt. Et adhuc cogitur fieri *Simoniæ* propter hujuſmodi maculatas exactiones, eo, quod oportet ſecundum limitationem taxæ, *pro* jure ſacræ vel *benedictionis munere realiter pecunias ſolvere.* Quod abhorrendum eſt. *Ratio* 22.

Tum, quia etiam hujuſmodi vacantiarum inſurrexit quædam turpiſſima *venalitas*, eo quod, licet fuerit commiſſum pro aliquo notabili promovendo ad prælaturam vacantem, quantumcumque notabilis & ſufficiens fuerit, nihilominus pro omnibus aliis volentibus concurrere ſimiliter committetur: Et quandoq; eidem commiſſario, quandoque diverſis. Et *qui melius ſolvere vacantias poterit, & ſe commiſſario gratum reddere*, & apud campſores, qvibus pecuniæ ſunt numerandæ, de ſolvendo certos & cautos facere, ille *ſufficientior* eſt, & *præfertur alii*, ſecundum modum quandoque obſervatum. Et inde ſecuta ſunt ſcandala diverſa, ut taceamus illa. *Ratio* 23.

Rurſusqve, qvia, cum propter retinere ſolutionem vacantiarum & aliarum exactionum hujusmodi, *decimæ* & *ſubſidia charitativa* qvandoqve inducantur, *venundatus eſt Clerus*, & *libertas eccleſiaſtica ſublata*, & totaliter remiſſa, & eſt data & *conceſſa Principibus* & communitatibus *participatio in hujusmodi exactionibus*, ne contradicerent, & nullatenus Clero aſſiſterent, & ut ex eo per brachium ſeculare poſſent facere exigi. Et ultra illa tributa, alia, & exactiones aliquibus conceſſa ſunt ſuper Clerum. Ita qvod in pleriſqve dominiis facti ſunt *Ratio* 24.

Digitized by Google

modum ab aliis eccleſis immediate ſubditis poteſt ſubſidium benigne implorare. Qvæ,cauſâ neceſſariâ ſuppoſitâ expreſsâqve & verâ, honeſte non poſſunt denegare ad tempus. Nec tunc forte venit *exactio ſubventionis reſpectu data temporalitatis* pro fundatorum eccleſiis, ut certum onus ſupportetur, aut aliquid aliud fiat, ſecundum eorum ordinationem, ne fruſtrentur ordinatione & intentione eorum: Sed tantum *reſpectu eorũ, qua proveniunt ratione ſpiritualitatis*, & dotis conſtitutæ à jure,ut ſunt decimæ, oblationes, portio canonica mortuariorum, & ſimilia. Qvod autem *eccleſia alia deſcenderint à Roma: Praceſſit Graca*, in qua primo ſedit Petrus Antiochiæ, & Jacobus Hieroſolymis. Et fuerunt aliqvæ quæ contendebant de pari. Et quæ præceſſerunt, ab ea non videntur deſcendiſſe. Veruntamen, ab omnibus recognoſcitur tanqvam ſuprema, domina, & magiſtra omnium, propter virtutes & merita eorum qui præfuerunt in ea.Cujus ultima non correſpondent primis.

Objectio 4. Subjunxit poſtmodum præfatus appellans: Qvod *ſubveniendum eſt dominis Cardinalibus, qui adjutores ſunt Papa, &c.* ſicut dicit. *Reſpondetur:* Qvod domini

Solutio. *Cadinales duplicem habent ſtatum. Primævum;* Cujus retinent titulum, & principales dignitates in collegiatis eccleſiis in Curia romana obtinent, vel ſunt Curati parochialium eccleſiarum ejusdem. Et illo reſpectu dicuntur *Cardinales*, id eſt *principales*. Qvod non competit eis ſpecialiter: ſed multæ ſunt eccleſiæ, ſicut Ravennatenſis, quæ obtinentes dignitates in ea nominant *Cardinales*. Et ita eſt in pluribus aliis eccleſiis, in diverſis regnis & provinciis. Et ex iſta præſenti inſtitutione *eorundem primum officium* fuit, & eſt, & eſſe debet, *confeſſiones audire, prædicare*, & etiam *baptizare*, &c. quoad *Presbyteros: Epiſcopi* vero *Cardinales*, hæc habent facere & exercere in ſuis Diœceſibus. Et iſti de ſuis titulis & eorum emolumentis iſto reſpectu debent & tenentur contentari,ſicut alii de Clero in ſingulis Diœceſibus. Et ſi non valeant, quantum valuerunt, *limitent expenſas*, vel petant ſibi provideri debere, & per modum canonicum. Et *ille ſtatus fuit in charitate fundatus*, & valde humilis & benignus.

Alium ſtatum aſſumpſerunt, quando Conſtantinus Imperium Occidentale contulit eccleſiæ romanæ, quam voluit habere Senatum, & quod Senatores veſtib᷒,honore & ornatu decorarentur, qvi ſtatum illum repræſentarent. Et illum tenent, & repræſentant domini *Cardinales*, ut dicit Innocentius. Qvorum officium eſt,principi *conſulere*, ſcilicet *Papa*, ſicut conſulebant Principi temporali. Sciens Conſtantinus Eccleſiam non poſſe onera talis ſtatus ſufferre, nec expenſas ſuſtinere,& qvod ſtatum eorum propter hoc nollet admittere, niſi aliter provideret,contulit & dedit eis *patrimonium & temporalia pro ſtatu eorum.* Qvod poſtmodum augmentatum. Et ſi illud occupatum fuerit, culpa & negligentia eorum factum eſt, ſicut ſupra dictum eſt. Ideo recupèrent, vel ſint *contenti* eorum *primo ſtatu*, Cum ſtatus eorum ſit nimium eccleſiæ oneroſus, & non neceſſarius, ſicut prætendunt multi, maxime cum tanto eccleſiæ onere.

Quod enim domini Cardinales ſint Papæ coadjutores, ſicut dicit qui appellat, nihil eſt, ſuper falſo ſe fundat. Quia *Epiſcopi* ſunt *Papa coadjutores*, & *ſupra Cardinales de jure. Cardinales* vero ſunt tantummodo *Papa conſultores*. Et patet, quia dudum Cardinales, qui bene ſervierant, in eorum remunerationem, & pro quiete ipſorum, promovebantur ad cathedrales eccleſias. Patet etiam quod *majores* eſſe videantur *Cardinalibus*: Quia cum florebat temporalitas eis data, eccleſia & generale Concilium ſtatum eorum limitavit ad xxv. familiares tantum, Epiſcoporum vero ad xxx. Quos tamen contemnunt hodie, & per violentiam eos & alios de Clero opprimere conantur, atque volunt ſibi facere tributarios, & per eos faciunt vi familiariter ſervire. Nec pro quocunque Prælato, etiam prono adorante eos in terra, ponerent manum ad capellum, ut ſalutarent eum. Quod nunquam aliquis Rex aut Princeps fecit, neque hodie permitteret: Cum *immediate*

Digitized by Google

mediate recipiant Epiſcopi poteſtatem & dignitatem à Chriſto, Domini vero Cardinales ab homine, quoad ſtatum aſſumptum Senatorum. Dictum, & futurum eſt, atque neceſſarium in ſtatu eorum providere, ut *certus* conſtituatur *numerus*, *ſtatusq;* eorum *limitetur*, decernendo, quod *fierent tantummodo temporales*, ſicut aliqui dixerunt, & in quolibet generali Concilio, qui bene ſe habuiſſent confirmarentur, qui vero male, eradicarentur, & in domos ſuas remitterentur.

Objectio 5. Cum ulterius ſubjungit appellans, quod Papa & Cardinales ſint *in poſſeſſione percipiendi à Prælatis Annatas*, præſertim in dominio Regis Franciæ: *Reſpondetur*, prout ſupra, & ultra: *Solutio.* Quod *nullus* unquam illis competiit *titulus percipiendi*. Et ſi aliquando perceperunt, hoc fuit per modum permiſſivæ facultatis, & benignæ tolerantiæ, quæ ſecundum Innocentium, & quoscunque doctores, poteſt revocari quandocunque. Et eſt mirum, literatos talia pro fundamento allegare, quod à cætero ſufferre non intendunt. Quia quandocunq; eſſet eis aliter ſubveniendum, contribuendum eſſet æqualiter per nationes & provincias. Et talis proviſio Annatarum nimium eſſet exceſſiva. Nam *taxa vacantiarum*, ſecundum quod deſcriptum eſt *in libris Cameræ Apoſtolicæ*, de eccleſiis cathedralibus, & Abbatiis Galliarum taxatis, aſcendit ad *ſexcenta nonaginta ſeptem millia ſeptingenta quinquaginta Francorum*, ſine Prælaturis, quas non taxant, & aliis inferioribus dignitatibus & beneficiis, quæ fere ad tantundem adſcendunt. Quæ ſumma prima ſex annos, velut clare demonſtraretur, integraliter ſolvitur, & ſingulis annis diviſa aſcenderet ad ducenta millia, Prælaturis & aliis minoribus beneficiis injunctis. Quod ſi in ſingulis nationibus tantundem reciperetur, & haberetur, aſcenderet ſumma, & eſſet in univerſo *ſex milliones*, *nongenta ſeptuaginta ſeptem millia, & quingenti floreni*. Quod eſſet exceſſivum valde, etiam quando non ſolveretur, niſi tota in decennio. Et ultra domini *Cardinales moderni* obtinerent in Galliis ſex Cathedrales eccleſias, & alias dignitates, ac alia beneficia, de quo deberent contentari, ſine tanto *quæſtu vacantiarum*, & recurrere ad alias nationes, ut tantundem eis facerent, quod eſſet rationabilius. Quando omnes, *Italica*, *Germanica*, *Hiſpanica*, & *Anglica nationes* tantum facerent eis, eſſent ad minus trecenta & quinquaginta, annis ſingulis. Detrahunt enim & obloqvuntur venerabili nationi Gallicanæ, quæ ſola plus facit quam totum reſiduum, & ſuſtinet pondus & æſtus diei.

Quod autem *communia ſervitia*, ſicut dixit appellans, deberentur *propter ſervitium*, quod *communitati & reipublicæ impendit Papa & Cardinales*, &c. *Objectio 6.* *Reſpondetur*, quod *Papa* adminiſtrans juſtitiam & regnans ad ædificationem eccleſiæ & ſalutem animarum, & non propter ſeipſum, ſervit quam plurimum. *Solutio.* Et tali ſerviendum eſſet etiam realiter. Quoad dominos *Cardinales*, ſi non debeatur eis niſi quia ſerviunt, quam plures ex eis de nihilo ſerviunt, imo nocent & officiunt, ſuperſedendo ab expreſſione cauſarum, quæ ſuo tempore locum habere potuerunt.

Quando ulterius ſubjungit appellans: Quod ſine vacantiis vivere non poſſint, attento, quod patrimonium eccleſiæ propter ſchisma & malum regimen eccleſiæ Romanæ, & Præſidentium in ea, eſt occupatum, &c. *Objectio 7.* *Allegat ſuam turpitudinem.* *Solutio.* Et devorantibus ſubſtantiam ſuam non eſt dandus recurſus ad alienas. Et qui præſederunt in Romana eccleſia fuerunt Cardinales, & de illo ſtatu aſſumpti. Et eos, qui præfuerunt, elegerunt domini Cardinales, etiam qui ſunt moderni. Et præſumuntur elegiſſe meliores, qui, (ut confitetur appellans & ſibi adhærentes) totum deſtruxerunt. Imputent ergo ſibi ipſis.

Et cum ulterius appellans dicit: *Objectio 8.* Quod, ſi removerentur Vacantiæ, Cardinales reipublicæ ſervientes non haberent unde viverent: Et ſic, eas non debere ſolvere, nimia levitate fuiſſe concluſum in natione Gallicana. *Reſpondetur*: *Solutio.* Quod ex ſupra dictis poteſt apparere, ſi nimia levitate, vel *digeſta delibera-*

Digitized by Google

beratione, proceſſit *concluſio*, &, ſi nimia cupiditate conetur eam impedire.

Objectio 9. Procedendo ulterius dicit idem appellans: Qvod procurantes fieri dictam concluſionem erant debitores Cameræ Apoſtolicæ:

Solutio. *Reſpondetur*: Qvod ſi debitores reputet propter vacantias, quas aſſerit debitas, patet per ſupradicta, non eſſe debitores, nec etiam debitas, nec eſſe ſolvendas. Si ex alia cauſa dicat eos debitores, juſtificet actum.

Objectio 10. Qvod ſede Apoſtolica vacante, ſicut dicit idem appellans, *nihil ſit innovandum* &c.

Solutio. *Reſpondetur*: Qvod nihil innovatur. Sed qvod eſt *vitioſum*, ſcandaloſumqve, & indebitum, *tale eſſe declaratur* & declarari petitur.

Objectio 11. Qvando ulterius progreditur idem appellans, oſtendens, qvod inconſultis aliis nationibus ad concluſionem natio Gallicana proceſſit &c.

Solutio. *Reſpondetur*: Qvod per medium *deputatorum aliarum nationum, quæ omnes conſenſerunt, quod de præterito tollenda eſſent, conſulta ſatis nationes* videntur. Et *quod ſuper illis natio Gallicana deliberaret omnes ſciverunt nationes, & etiam domini Cardinales*. Ultra deliberationem, motiva & concluſionem ſuam voluerunt communicare aliis nationibus, ad effectum concurrentiæ, & proviſionis dandæ. *Qvod domini Cardinales per exquiſita media impediverunt.* Et inter nationes non eſt quæ tantum fuerit gravata, ſicut Gallicana in iſtis exactionibus. Et propterea magis ſolicita eſſe debet.

Et conſtat. Qvia *in Anglia* nihil percipit, niſi de Epiſcopatibus, qui ſunt pauci, Camera vel domini Cardinales. Nec paterentur, quod interea Cardinales obtinerent beneficia.

Et *in certis regnis Hiſpaniarum* ordinatum eſt, qvod Camera nihil totaliter recipiat.

In *Italia* vero, beneficia, Prælaturæ, & dignitates, modici ſunt valoris. Et cum hoc domini temporales & communitates prohibent, quando videtur eis atqve placet, quod dicta Camera nihil recipiat. Et noviſſime *communitas Florentina*, Papâ Joanne, qui tunc erat, & dominis Cardinalibus in eorum civitate exiſtentibus, propter unicum *abuſum, quem Papa commiſit* in conferendo unam Abbatiam ſitam in eorum dominio, privaverunt Papam poteſtate conferendi beneficia in eorum dominio, usqve ad qvinqve annos. Nec tunc appellaverunt. Et tamen per hoc perdunt fructus Annatarum.

In Alemania in certis Diœceſibus & provinciis percipit aliquid, in aliis vero nihil. Imo nec admittuntur literæ Apoſtolicæ, niſi quantum placet Epiſcopis, qui recuſant, in denegando *Vidimus*.

Et propterea *Gallia*, quia nimium grata fuit & obedivit, nimium gravata eſt, & adhuc opprobriis laceratur.

Qvando vero ſubjungit ſæpe dictus appellans, quod minis & terroribus, & certorum principum voluntatibus allegatis, fuerunt impediti, volentes deliberare &c. Objectio 12.

Reſpondetur: Qvod, ſicut dictum eſt, ad opprobria & injurias prorupit appellans ſibiqve adhærentes. Solutio. Et appellationis compoſitio ad intelligendum. Et eſt falſum quod aſſerit, Sed domini *Cardinales* fuerunt illi qui *incutiebant terrores*, & inferebant minas, atque dicebant injurias Prælatis, & aliis notabilibus viris nationis Gallicanæ, & eorum familiaribus, cum nimia auſteritate, *ut libere non auderent quod conſcientia dictaret ſuper illis exprimere*. Et aliqvibus dixerunt, quod inqvireretur contra eos, ad finem deſtitutionis eorum ſtatus. Aliis dixerunt injurias, aliis verò ſpem dabant promotionis & exaltationis ſtatus. De qvo adhuc confidunt aliqvi. Et familiares ſuos venire faciebant ad nationem Gallicanam, ad vociferandum & clamandum, ſicut de facto fecerunt, *ad deliberationem impediendum*. Et ultra, videntes, non poſſe impedire deliberationem, qvæ fiebat, ad invicem congregati, omnes Protonotarios, auditores Palatii, ſcriptores, notarios, curſores, & qvoscunqve alios, etiam mechanicos romanam Curiam ſeqventes, convocaverunt, & ad ſe venire fecerunt, & cum gemitibus eis dixerunt, quod natio Gallicana per ſe ſola præſumebat deſtruere velle ſtatum *Papæ*, & *Cardinalium, Protonotariorumq́;*, *Cameræ clericorum*, *Cameræ auditorum*, *plurium*

Digitized by Google

ſcriptorum, *Notariorum*, *Advocatorum*, *Curſorum*, cæterorum qvorumcunqve romanam Curiam ſeqventium. Et ipſam romanam Curiam incitarunt, loqvendo, qvod oportebat ſe illis opponere, & ad contrarium laborare, & *concluſionem receptam de non ſolvendo vacantias*, facere per media, *ut non admittatur per alias nationes.* Et fuit dubium & etiam periculum de magna commotione contra natos de Gallis.

Nec talia attentaverunt quando Natio Anglicana & eorum Rex illuſtris interdixit, tales exactiones nolle plus ſuſtinere in regno ſuo Angliæ.

Et videntes propter hoc non poſſe proficere: Qvia rationabile eſt quod petitur, & irrationabile eſt quod impedire conantur: Converterunt ſe ad *appellationes*, *& unam* interpoſuerunt nominibus ſuis, & *aliam* interponi fecerunt per dictum *de Scribanis*, *aliam* vero per *Magiſtrum Joannem Ponceti*, eorum Promotorem & Clericum: Per tales *appellationes & oppoſitiones* volentes impedire & illibertate dicentes vota ſua. Et in prædicationibus publicis, materiam procuraverunt ad intentum eorum, & & per verba magiſtralia notaverunt non ſibi propitium eſſe, quod bene fuit intentum. Qvare quod imponitur aliis, apud ſemetipſum & ſibi adhærentes quærat appellans.

Objectio 13. Qvando enim ſubjunxit idem appellans, quod ad dictam quæſtionem proceſſum eſt, ſine prius providendo dominis Cardinalibus: Et in hoc natio Gallicana, non ſufficienter conſulta, fore tollendas dictas Annatas & vacantias concluſit, &c. *Solutio.* *Reſpondetur*: Qvod quoad ipſam nationem ſatis late & ample proviſum eſt dominis Cardinalibus de *Sexaginta ad ſeptuaginta millia*, ut ſupra dictum eſt. Et conſultiſſime concluſit. Et mirum eſt, quod tanto tempore toleravit.

Objectio 14. Cum ulterius dicit idem appellans, quod de laudabili *conſvetudine*, protectio & *tuitio Romanæ Curiæ* Cameræ, ſede Apoſtolica vacante, *ad Cardinales* ſpectat, *qui non fuerunt requiſiti in dicta concluſione, &c.* *Solutio.* *Reſpondetur*, qvod bene facit allegare *conſvetudinem pro titulo putativo.* Qvia de jure eſt eis interdictum, ne de factis Cameræ in aliquo ſe intromittant, Sede Apoſtolica vacante. Et ſi quæ ſit conſvetudo, occulta & totaliter ignota. Nec debuerunt vocari nec requiri. *Concluſio eſt Nationis*, qvoad Nationem, quæ reſpectu aliarum Nationum eſt *conſultiva*, *& quoad totum Concilium eſt quereloſa*, qvam *Concilio intendunt inſinuare*, & apud ipſum proſequi, ut remedietur in eis, ut redeuntes ad propria, ſuis Principibus, Prælatis, & Clero, qui ibi remanent, & de cæteris de populo, poſſint referre diligentiam quam fecerunt, ne videantur conſenſum præbuiſſe, nec acqvieviſſe *tolerationi abuſivæ* in prædictarum vacantiarum præſtatione: Ut, *ſi concilium proviſionem non dederit*, conſtet, quod per eos non ſteterit.

Progrediendo ulterius dicit idem appellans: Qvod domini Cardinales ſint cauſa unionis, &c. *Reſpondetur*: Qvod utinam ita eſſet! Qvod de præterito non fecerunt, nec usqve nunc eſt factum. Qvid fiet, videbitur poſtea. Nec quoad hoc etiam præſumitur, quæ in facto conſiſtunt etiam de præſenti. *Objectio* 15. *Solutio.*

Cum dicit ulterius ille idem appellans: Qvod removere vacantias eſt ſubverſio totius ordinis Clericalis, &c. *Reſpondetur*: Qvod de *inordinato* & vitioſo *ordine* vellet facere ordinem, ad ipſius commodum, nec curaret de nutrimento peccati, nec de quocunqve ſcandalo, *dummodo affluat aurum & pecunia.* Si debeat ſubverti ordo Clericalis propter tollere vacantias, poteſt videri ex præcedentibus. *Objectio* 16. *Solutio.*

Ulterius præfatus *de Scribanis* dicit, quod atteſtari Simoniam intervenire in ſolutione earum, eſt venire contra vota plurium conciliorum, &c. *Reſpondetur*: Qvod nunquam in aliquo generali concilio fuit ordinatum, quod qvis poſſet recipere pecunias, ut ſpiritualia aut beneficium conferat, vel aliquem eligat ad dignitates, & Prælaturas. Sed bene jure divino, canonico, & civili, & per generalia Concilia reperiuntur prohibita. Qvæ etiam damnant actum & conſvetudinem. *Objectio* 17. *Solutio.*

Qvando ulterius progreditur contra claram *Objectio* 18.

tra claram rei veritatem & ipſius conſcientiam, videlicet: Quod ſolutio iſtarum vacantiarum eſt *onus reale*, nec in hoc verſatur aliqua obligatio perſonalis, cum per illam maneat officium obligatum, & non perſona: *Reſpondetur*:

Solutio. Quod mirabiliter juſtificat actum ex iſtis appellationibus. Sicut ſupra dictum eſt, clarum eſt, quod literæ promotionis haberi non poſſint, donec obtulerit quod petitur ab eo, ſeq;, monaſterium, & eccleſiam obligaverit. Nec alio exigitur modo, quin iſta obligatio ſit perſonalis. Aut jura omnia fallunt, aut eſt perſonalis. Nec poteſt eſſe realis, quia per obligationem, quam fecit de monaſterio, vel eccleſia, non eſt hypotheca. Qvia dominus non eſt. Et quia non poſſidet tempore obligationis. Et quia non vergit in utilitatem eccleſiæ, vel monaſterii. Et quia etiam turpi cauſa. Et quia ſine conſenſu conventus vel Capituli. Et quia tempore fundationis non fuit tale impoſitum, nec poſt, per conſenſum illorum, qui conſentire habent, & neceſſario. Aliter non poteſt eſſe reale. Et quando eſſet hypotheca, adhuc diſcuteretur primo perſona quæ antea fuerat obligata. Qvod mutatâ perſonâ remaneat onus ſupra eccleſiam vel monaſterium, quod dimittit, non eſt verum, niſi quantum per porrectionem dictarum literarum cum obligare faciunt ad ſolvendum, in quo obligatus reperitur fuiſſe Anteceſſor. Et ſic poſſunt exigere ab utroque totum debitum quando volunt.

Et quod hoc ſit verum, patet per *formam obligationis*, quam ſervant in talibus *in Camera Apoſtolica*, etiam domini Cardinales, quæ talis eſt.

Primo rubricat Forma obligationis Patriarchæ, Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, aut Electi, quando in propria forma ſequitur; Vos domine Patriarcha, Archiepiſcope, Epiſcope, aut Electe, de licentia & auctoritate Apoſtolica, vobis in hac parte conceſſa, gratis & ſponte offertis, dare promittitis & donatis, pro veſtro communi ſervitio Cameræ ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini &c. ALEXANDRI PAPÆ V. & ſacro collegio Reverendiſſimorum in Chriſto Patrum, dominorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium, videlicet, &c. florenos auri de Camera, boni & legitimi ponderis, & quinq; ſervitia conſveta, pro familiaribus & Officialibus domini noſtri Papæ, & dominorum Cardinalium prædictorum. Item recognoſcitis eisdem Cameræ & Collegio ac familiaribus, & officialibus, omnes illas pecuniarum quantitates, in quibus prædicta veſtra eccleſia in libris ipſorum Cameræ & collegii, per aliquorum Prædeceſſorum veſtrorum perſonas obligata eſt. Quos quidem florenos cum quinque ſervitiis & recognitis ſupradictis, promittitis reddere & ſolvere realiter cum effectu in Romana curia, ubicunque fuerit, videlicet reverendiſſimis in Chriſto Patribus & dominis, dominus miſeratione divina Henrico Epiſcopo Sabinenſi, & Amedeo ſanctæ Mariæ novæ Diacono Neapolitanenſi, & de Salutiis, vulgariter nuncupatis, ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus, & Franciſco miſeratione eadem Archiepiſcopo Narbonenſi, domini noſtri Papæ & ſacri collegii Cardinalium Camerario, vel eorum ſucceſſoribus, vel deputatis ab eis, medietatem ſcilicet in feſto, &c. & aliam medietatem in feſto &c. Recognita vero in alio ſimili feſto, &c. Quodſi debito loco & terminis dictam florenorum ſummam, & quinque ſervitia conſueta, & recognita ſupradicta non ſolvatis, ut dictum eſt, promittatis redire ad Romanam Curiam infra quatuor menſes, poſt elapſos terminos hujusmodi vel alterum eorundem immediate ſequentem, & coram dictis dominis Camerariis ſeu eorum ſucceſſoribus aut Deputatis ab eis, perſonaliter comparere, & inde non recedere donec per vos fuerit de prædictis integraliter ſatisfactum. Super hos obligatis vos vel eccleſiam veſtram, & ſucceſſores veſtros, ac omnia bona eccleſiæ veſtræ mobilia & immobilia, præſentia & futura, ubicunque ſint & conſiſtant. Et ut ſitis vinculo fortioris obligationis adſtricti, ſubmittitis vos, & ſucceſſores veſtros juriſdictioni & coercitioni dictorum dominorum Camerariorum, & cujuslibet eorum in ſolidum, ac etiam ſucceſſorum ſuorum & Deputandorum ab eis. Et de voluntate veſtra, qui hoc vultis & petitis, & hanc juriſdictionem in eos porrigitis, præfati Domini Camerarii, & quilibet eorum, eandem juriſdictionem in ſe ſuſcipientes, & ſuſcipiens in loco mandatum faciunt & præceptum, ut de re confeſſa-

ta de ſolvendo dictam florenorum ſummam, & quinque ſervitia ac recognita ſupradicta, de reveniendo ad Romanam Curiam, & de non recedendo ab ea abſque ſatisfactione, & quod omnia alia & ſingula ſupra dicta efficaciter compleatis & attendatis. Quod ſi non feceritis, ſuſpenſionem ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium dictæ eccleſiæ, & ab executione Pontificalium, & majoris excommunicationis ſententias, ex nunc prout ex tunc in vos canonica monitione præmiſſa proferunt in his ſcriptis: comminantes nihilominus dicti Camerarii, & quilibet eorum, ſe contra vos, dictum dominum Patriarcham, Archiepiſcopum, Epiſcopum vel Electum, proceſſuros, & proceſſurum, abſque alia vocatione ſeu monitione, ad graviores pœnas & ſententias ſpirituales & & temporales, & aggravationes earum, prout eis ſeu eorum alteri placuerit ſeu viſum fuerit expedire: Et quod vos denunciabunt, & denunciari facient per ſe, vel per alium, ſeu alios, excommunicatum, ſuſpenſum, perjurum, & aliis pœnis & ſententiis aſtrictum, quas propter hoc in vos duxerint proferendas. Et vos, domine Patriarcha, Archiepiſcope, Epiſcope, vel Electe, renunciatis ſuper his omnibus literis, Privilegiis, Indulgentiis Apoſtolicis impetratis vel impetrandis, conceſſis vel concedendis quibuſcunque, & beneficio appellationis, & reſtitutionis in integrum, ac omni foro, uſui, præſcriptioni, & juri revocandi donum, & omni auxilio juris canonici & civilis: per quod, contra præmiſſa de jure vel de facto venire poſſetis, vel aliquod præmiſſorum. Et omnia præmiſſa juratis ad ſancta Dei evangelia tenere, ſervare, approbare, & in contrarium non venire, directe vel indirecte, per vos vel alium vel alios. Si vero ante ſatisfactionem hujuſmodi vos contingat mori, cedere, vel transferri, & ille vel illi qui ad regimen ipſius eccleſiæ vobis ſubſtitutus, ſubſtituti fuerint infra quatuor menſes, poſt ſubſtitutionem & dictæ eccleſiæ poſſeſſionem adeptam, de florenis & ſervitiis & recognitis ſatisfacere non curaverit ſeu curaverint, ex nunc prout ex tunc, eaſdem pœnas & ſententias in eoſdem ſubſtitutos, & eorum quemlibet infligunt & proferunt in his ſcriptis, prout dictum eſt & narratum, autoritate dictorum dominorum meorum Cardinalium, & noſtra proferimus in his ſcriptis; & vos, dominum Patriarcham, Archi-Epiſcopum, Epiſcopum, vel electum, volentem, petentem, & requirentem, ad prædicta recitata condemnamus. Et nihilominus monemus vos ſemel, ſecundo, tertio, & peremtorie, ac ſub excommunicatis pœna, ut prædicta adimpleatis, attendatis, & obſervetis: Alioquin excommunicationis ſententiam in vos proferimus in his ſcriptis. Et vos, domine Patriarcha, Archiepiſcope, Epiſcope, vel Electe, vultis, quod per nos Clericos, vel Notarios Cameræ, qui fuimus hic præſentes, de præmiſſis omnibus & ſingulis fiant unum vel plura publica inſtrumenta.

Similes formæ pro eiſdem, quando fit per Procuratores. Et ibidem de Abbatibus.

Et ſic, per tenorem dictæ *obligationis*, conſtat, qvod non eſt reale, ſed violentum, perſonale, ſicut ſupra dictum eſt, eo quod per literarum retentionem ad hoc compelluntur. Et licet compoſuerint formam aptiori modo quo potuerant, ad juſtificandum & colorandum factum ſuum, veruntamen *reprobanda* eſt, *ut vitioſa valde.* Et propterea ſuper his obligationibus nunquam voluerunt groſſare inſtrumenrum, nec copiam obligationis dare. Peccant in quinque vel quatuor ſubſtantialibus ſecundum formam juris, quod per quemlibet intelligentem poteſt clare intueri. Nec etiam Cardinales, aut eorum prætenſus Camerarius, unquam habuerunt juriſdictionem, nec habent poteſtatem ad hoc, quam prætendunt.

Cum dicit ulterius idem *de Scribanis* *Objectio*
appellans: Qvod attentis conventionibus per Regem romanorum & Petrum 19.
de Luna factis videlicet, *nihil debet innovari*, cum per hoc poſſet impediri unio eccleſiæ, cum ſit in vilipendium totius Chriſtianitatis removere vacantias, &c.
Reſpondetur: Quod removere cauſam *Solutio.*
quæ præſtat & occaſioonem dat peccati & damnationis animarum, per quam etiam parantur ſcandala & fiunt, per quam deſtruuntur eccleſiæ, & univerſaliter perſonæ eccleſiaſticæ opprimuntur, & ſtant in errore, intentioque fundatorum eccleſiarum & beneficiorum fraudatur, & per quam opera pietatis impediuntur, & juſtitia læditur, eſt

adorna-

Digitized by Google

adornare Chriſtianitatem, & eam in devotione confovere. Nec per hoc fit innovatio, vel immutatio contra promiſſum vel conventum. Et quando hæc facta non eſſent, aut fierent, *Romanorum Rex illuſtriſſimus* & omnes alii reges, & quicunqve Chriſtiani, haberent *increpare totum generale concilium*, quod mora in hujusmodi data fuiſſet. Et ultra, quod citius venient qui obediunt Petro de Luna. De quo modica ſpes, quod voluntarie aliquid boni faciat. Et facilius propter hoc inclinabuntur ad recedendum ab ejus obedientia.

Subjungit: Qvod ex illis *appellabat ad* Objectio
ſedem apoſtolicam, & ſummum Pontificem 20.
futurum, & apoſtolos petit, &c. *Omit-* Solutio.
tens concilium generale fraudulenter, non dubium, quod deberet eſſe *judex competens in cauſa hujusmodi*, & quod *ſedet de præſenti*, & ad illud poteſt haberi recurſus faciliter. Et appellando ad Papam, tantum facit cauſa diffugii. *Nec Papa videretur judex competens*, eo quod ſit pars formata, & ejus Camera Apoſtolica: Et conſilio Cardinalium in hoc uteretur, qui affectum quem habent oſtendunt.

CAP. V.

Conteſtatio Nationis Gallicanæ, de Annatis in & extra Concilium perpetuo per illam impugnandis.

IDeo ex præmiſſis & reſultantibus ex eis, tam conjunctim quam diviſim, neque *appellationem* dicti *de Scribanis*, neque *aliam interpoſitam* nomine dictorum dominorum *Cardinalium* & eorum Collegii, nec *aliam interpoſitam per magiſtrum Joannem Ponceti*, ſeu quoscunque alios, in materia hujusmodi & ipſius occaſione, hæc *venerabilis natio Gallicana*, propter hoc *ſolenniter congregata*, matura deliberatione habita, non ducit admittendum: Nec eos admittit appellantes, nec eorum frivolis appellationibus vel alteri earum eſſe deferendum: Neqve defert.

Parata eadem *venerabilis natio*, & ſe offerens velle reſpondere plenius & ſingulariter ſingulis cauſis, ex quibus cauſantur & juſtificare nituntur dicti domini *Cardinales*, & dictus *Ponceti* appellans per eos, ſuis nominibus interpoſitis, quarum *copiam*, etiam facta debita diligentia, *habere non potuit*, quandocunqve dabitur ei, vel habere poterit: *Proteſtando* etiam de ſpecificatione qvorundam aliorum hic non expreſſorum: Hanc *reſponſionem* eisdem *de Scribanis*, Procuratoriqve collegii dominorum Cardinalium, & ipſis dominis *Cardinalibus*, ac præfato *Ponceti*, ſingulariter ſingulis, ac quibuscunqve ſuis adhærentibus & adhærere eis volentibus, conjunctim & diviſim, pro Apoſtolis, ad quos teneri poſſet, dans & eis faciens, & Præſidens ejusdem nationis de conſenſu & mandato totius nationis: Proteſtans eadem venerabilis *natio, & Præſidens, ac ſingula ſuppoſita ejus*, maxime & ſpecialiter *deſtinati pro parte Prælatorum atq; Cleri Galliarum ad hoc generale Concilium, de proſequendo eorum receptam concluſionem apud præſens generale concilium*, & ubicunqve de jure debite poterit, & licebit, & de eadem referendo, intimandoqve, & ſcribendo Sereniſſimo Principi Francorum Regi, & germano ſuo Regi Siciliæ Ludovico nominato, illuſtri Duci Aquitaniæ primogenito regis Francorum illuſtriſſimo, cæterisqve Ducibus & Comitibus & Baronibus Galliarum, Prælatis, ac illis de Clero, qui in partibus remanſerunt, nobilibus, & illis de populo omnium Galliarum: Ad ipſorum excuſationem & exonerationem, & *ad debitam proviſionem conſequendam*. &c.

Digitized by Google

Hiſtorica hæc
Relatio
De
ANNATARUM SOLVENDARUM
controverſia,
In Concilio Conſtantienſi
diu multumq; agitata,
à
Natione Gallica
in laudato Concilio
IMPERATORE SIGISMUNDO
circa Annum M CCCCXVII.
conſcripta,
A. M. D. XIX.
CAROLO V. CÆSARE
inter Germanos edita,
Dein ab
ORTVINO GRATIO,
EDMUNDO RICHERIO,
PETRO PUTEANO,
repetita,
& nunc denuo curatius
In Academia Julia
A. M DC XCVII.
menſe Januario
recenſita
IMPERATORE
LEOPOLDO.

) : (

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

TOMI I. PARS XIV.

ANONYMI

GRAVISSIMA

EPISTOLA

AD

SIGISMUNDUM IMPERATOREM

in Concilio Conſtantienſi ſcripta

DE EMENDANDIS ECCLESIASTICORUM MORIBUS.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

Ex antiquiſſimo Codice MSCto

AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ

VINDOBONENSIS

recenſita ab

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Jul. Profeſſore.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

MSCt. Vindobonenſe
Actorum Concilii Conſtantienſis Parte IV.

* * *

EPISTOLA
unius ficti Vagi
in CONCILIO SACRO CONSTANTIENSI
dictata
&
DOMINO REGI
præſentata.

Digitized by Google



HERMANNUS von der Hardt
Lectori S.

SIc diu deliberatum in Concilio Conſtantienſi de Reformationis Eccleſiaſticæ *articulis* atque *modis*. In Reformatorio res digeſta ac definita. Verùm definiviſſe ac decreviſſe haud ſatis viſum prudentibus. Exequi decreta, majoris credebatur negotii. Quamobrem SIGISMUNDI IMPERATORIS opera penetrantiſſima Cæſareaque autoritas irrefragabilis, à principio Concilii in hac re conſtanter quæſita. Nec enim vel privatorum hoc eſſe negotium, vel unius atque alterius Principis, ſed ſummi in orbe Chriſtiano Capitis, Imperatoris Chriſtianiſſimi, univerſus intellexit orbis. Quapropter ad arduum hoc reformationis Eccleſiaſticæ negotium, in quod ipſe Cæſar ex ſe propendebat totus, aggrediendum, animum in Concilio addiderunt viri quique, publici boni amantes. Quanquam enim virtus & eruditio præclara magni Cæſaris ſatis eſſent cognoſcendis ac dijudicandis corruptelis Eccleſiaſticorum : Nihilominus tamen heroicis pientiſſimi ac fortiſſimi Cæſaris auſibus robur haud exiguum addere potis erat conſenſus nutusque ceterorum virorum prudentum. Ut tanto animoſius rem aggrederetur Cæſar, quanto certius intelligeret, placere facinus Imperatoris magnum prudentibus quibuscunque viris. Ut ſæpe animus labaſcit, ſi virtus oſtenſa parvi pendatur, aut ſuo videatur defraudari ſubſidio atque adjumento. Neque fortius atque validius promoveri memorabile negotium poteſt, quàm, ſi ejus dignitas, commodum, fructusque inſignis haud diſſimulentur, ſed aperte detegantur atque demonſtrentur.

Quod igitur nervus propemodum omnium eruditorum in toto

Digitized by Google

ANONYMI GRAVISSIMA EPISTOLA AD SIGISMUNDUM IMPERATOREM

In Concilio Conſtantienſi ſcripta

DE EMENDANDIS ECCLESIASTICORUM MORIBUS.

Ex antiquiſſimo Codice MSCtô

AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.

SERENISSIME PRINCEPS.

Ad perficiendum reipublicæ profectum ſe quilibet præparet *vir fidelis* pariter & *honeſtus.*

Ego enim *Heinricus mobilis*,
Epiſcopus nullius diœceſeos,
vagorum
vagus
licet minimus inter ceteros noſtræ congregationis miniſtros
ad hoc deputatus
legatus ſeu nuncius ſpecialis,
miſſus in univerſum orbem,
omnia videns,

Veniens *viſitando limina beatorum Petri & Pauli*, inductus per canticum illud: *Revertere, revertere Sunamitis &c.* Vidi ibidem ea, quæ hominem non decent loqui, & ſpecialiter, quod dicitur,

Dum caput ægrotat, cætera membra dolent.

Summũ Eccleſiæ regimen corruptũ circa tempora Concilii Conſt.

Vidi enim turbam, quam nemo dinumerare poterat. Et inter cætera ipſum *caput ſanctæ matris Eccleſiæ, multis infirmitatibus diſcraſiatum* per membra ſingula usqve ad plantam pedis. Omnes enim *capitis virtutes morbidæ* erant.

Et primo ipſa *ratio:* Qvamvis deprecetur ad optima, quæ gravida valde,
propter Syncopen,
apoplexiam,
& bulimiam, qui eſt immoderatus crapulæ appetitus.

Superbia origo ſchismatis ante tempora Concilii Conſt.

Inde infirmitates alias vidi *corpus gravantes, & omnes ſpecies febrium.*

Et primo ipſam *ſuperbiam.* Qvæ eſt & erat principium & *origo ſchismatis.* Nulla enim ibi *charitas.* Qvia *mortua*: Qvamvis vinculum ſit perfectionis. Et utinam omnis mundus clamaret, ac nulla vox ſileret!

charitatis exilium.

In periculis maris fui. Qvid vidi? Ipſam *Sancti Petri naviculam* cum remis ſuis & velo diſruptam & diſordinatam ac laceratam.

Simonia olim in Eccleſia regnum.

Qvid vidi *Romæ?* Ipſam *Simoniam* in ſummo gradu exiſtentem.

Cura animarum neglecta.

Qvæ eſt ibi *vita* Sancti Petri gregis, & ſanctorum patrum? Qvæ *cura animæ?* Cum Deum diligat, qui charitate proximum diligit, *doctrinam Sancti Pauli deſtructam!*

Doctrina Pauli peſſundata.

Diſpenſationes frequentes.

Qvantæ *diſpenſationes*, animam occidentes in gehennam!

Clamavi, utinam caderent montes, & cooperirent nos propter *enormia!*

Juſtitia fuga.

O Juſtitia, ubi viges inter ipſos *Cardinales*, qui bene appellari poſſunt Cardones, & *Auditores*, cauſam ſeu cauſas & litispendentia per triennium ſervantes.

O Deus clementiſſime, noli extendere manum tuam, ſed miſericordiam tuam.

Eccleſiaſticorum ſuperiorũ mores depravati.

Qvid ultra vidi?
Membra pectoralia,
cor,
hepar
& pulmonem,
totum corpus gravantia:
Ipſos *Cardinales*,
Patriarchas,
Archi-Epiſcopos,
Epiſcopos,
Prælatos,
omnes per peſtilentiam infectos,
cæteros inficientes,

plurali-

Digitized by Google

pluralitatem beneficiorum poſſidentes,
mundi vanitatibus & pompis adhærentes,
& vitam Anti-Chriſti poſſidentes,
veſtigia Chriſti imitantes,
& carnales Deo rationem denegantes,
omnes fallacias & truſas mundi exercentes,
fornicationi inſtantes,
campanas pauperum pulſantes.
Et *habentes dare habent regnare.*

O ſumma virtutum *humilitas*, quantum in nobis deficis! Qvid plus operaris in *Curialibus?*

Curialiũ olim canones.

Omnem malitiam perficientes,
animam nullo modo conſiderantes,
horas canonicas non curantes,
tanquam deſperati viventes,
jejunia frangentes,
pauperes in gratiis defraudantes,
nulli juſtitiam facientes,
ſententias & juſtitiam revocantes,
commiſſiones falſarias obtinentes,
in omnibus caſibus diſpenſantes,
nulli veritatem dicentes,
recipientes per fas & nefas quæ ſua non ſunt.

O ſancta ſapientia, quæ ex ore altiſſimi prodiiſti, veni & clama, & non ceſſa clamare! Voca *medicum!* Hæc enim omnia commemorata in nos *membra particularia* devecta & devoluta ſunt.

Archi-Epiſcoporũ olim mores.

Vidi & regimen *Archi-Epiſcoporum* & cæterorum *prælatorum.*

Talia & ſimilia exercentes & majora,
nulli fidem tenentes,
curias & curiales per vitam inordinatam deſtruentes:

Cum *virtus* nobilitet hominem, quæ heu omnibus *deeſt.* (O miles! Bene ergo diceris defenſor viduarum & pupillorum: Diligis enim ipſam iniquitatem, ſpolia, fraudem, & nutris ipſos blaſphematores, occiſores &c.)

Nullis exempla bona miniſtrantes,
minus idoneos promoventes,
conſangvineos in Epiſcopos locantes,
& nulla ſpiritualia canonice facientes,
ſynodos non tenentes,
& ſi tenent, non tamen defectus corrigentes,
nec vitam clericorum & habitum ſervantes,
ſed incedentes ut ſuperbi & ſeculares.

O ſancta Eccleſia, quomodo conſumeris! O matrimonium ſanctæ matris Eccleſiæ, qualiter inutiliter expendi videris!

Vidi heu *principes* & *ſeculares*, curas animarum gerentes,
religioſos vitam regularem deſerẽtes,
& ſpecialiter ipſos *Mendicantes* totum mundum deſtruentes,
Benedictinos mundanis adhærentes,
in tabernis, ludis, & mimis illicitis habitu derelicto latitantes,

Monachi Mendicantes. Benedictini.

(O REX REGUM, hanc vitam Sancti Benedicti tuæ imprime memoriæ,)

ipſos *Canonicos* pluralitatem beneficiorum minus juſte poſſidentes,

Canonici.

ſuperflua in eleemoſynas non largientes,
gratias Deo nullo modo offerentes,
& præſertim in omnibus Eccleſiis cathedralibus divina occultantes,
nec horas canonicas dicentes,
chorum negligentes,
cum devotione nullo modo pſallentes.

O mater Eccleſia, quantum doles in iſto membro! Ipſi enim non conſiderant, *ſervitia* fieri *propter beneficia.*

O Petre, paſtor Eccleſiæ, qualiter paſcis oves tuas! Bene conſideravi ſeqvaces tuos, *Curatos*,

Paſtores Eccleſiæ.

curam gerentes & nullo modo intelligentes,
confeſſionem audientes,
pœnitentiam juſtam non impendentes,
ſacramenta Eccleſiaſtica indignis miniſtrantes,
uſurarios non corrigentes,
nec ad ſatisfactionem eos compellentes,
ſuperbiam, luxuriam & cætera mala non prohibentes,
ſed dantes exemplum malum, & miniſtrantes,
idiotas promoventes,
nec ad hoc ipſos deputatos ſufficienter examinantes,
& ſic Eccleſiam & ipſum caput conturbantes,

Et ſic

Digitized by Google

(Et ſic tota lex receſſit à ſacerdotibus,
juſtitia à ſenioribus & judicibus,
diſciplina à ſcholaribus,
caſtitas à virginibus,
defenſio à militibus,
usque ad ſtatum infimum)
& ſuper omnia decimas Eccleſiarum incorporatarum recipientes,
& ſpecialiter religioſos & ſic Eccleſias deſtruentes,
ipſis vicariis & plebanis & capellanis vix victum miniſtrantes.

Ignorãtia Cleri.

Perpẽde, REX INCLYTE, punctum iſtum. Ipſi enim *idiota* in Eccleſiis ſedent optimis, & *magiſtri* & *doctores* & *honeſti viri* in miſeria ſunt viventes.

O clementia divina! Qvid vidi inter ipſos Principes, & principaliter Romani Imperii electores, qui lupi ſunt & deſtructores, quæ non licet hominem loqui.

Conſidera, REX ILLUSTRISSIME, in terris Franciæ! Omnis enim *politia calcata eſt* in membris capitis tui.

Vide ergo & conſidera, redde rationem. *Qvis* enim *unquam viſus eſt tantæ potentiæ, qui tantas & tot tribulationes, miſerias & paupertates tuas dinumerare poſſit.*

Nec ſimilem tibi reperio. Sed certa, ut te decet. Nec tibi potentiam tuam attribuas. Qvia *hæc in te unus & idem Spiritus operatur.* Qvare *tibi corona cœleſtis datur.*

Calcaria Sigismundo Imperatori addita. Mores olim corrupti.

Libenter ergo ſufferto labores, dolores, paupertates & anguſtias. Dilige, quemadmodum Chriſtus dilexit nos.

Qvia ego *Henricus* prænominatus, per mundum vagans, animadverteram, *quamplures homines graviter errare in via morum, ſuccurrendum & conſulendum fore* exiſtimavi. Maxime *ut homines score glorioſe viverent*, vitam ſempiternam poſſiderent.

Nunc *Te, qui bene REX REGUM & DOMINUS DOMINANTIUM diceris*, decet congregare Hippocratem, Avicennam, Galenum, & totius medicinæ Doctores: *Nec tibi deficit gratia:* Ut medelam ferant langvidis, & in præfatis infirmitatibus gravatos ſanent, & medicamina ſalubria præſtent.

Et manda facere *unguenta* caput ſanantia, *pilulas* digerentia miniſtrantes, *cliſteria* apponenda, macrum cum verculibus ſuis eradicantes, & cum piſtillo in mortario terentes.

Paræneſis ad Sigismundum, ut Eccleſiam reſtauret ac emẽdet.

O REX INVICTISSIME & *Hippocras*, una cum *ſancto & ſacro concilio tuo Conſtantiæ exiſtente*, voca ipſos medicos mundi, ſed tantum juſtos & ſanctos, & *ſacri concilii lumina, Deum timentia, & ſana, & fac ſanari* prædictum infirmum per totum caput ſuum, & non tantum caput, ſed & manus & pedes, qui ulceribus eſt plenus, & mitte lingere canes ulcera ejus. Et *fac reformare* corpus priſtinæ ſanitati.

Qvære & *urticas; abſynthium, & enulanum*, & fac *ſirupos laxativos* ipſis rebellibus. Ut *perfectio ſanctæ matris Eccleſiæ*, taliter *per Te incepta*, & per ipſam ſapientiam *ſancti & ſacri concilii tui reformetur, & redintegretur.* Qvis enim unqvam audivit talia, dic rogo, facta?

Qværere ergo veneram in mundum illud, quod ſancta mater Eccleſia diu perdiderat. Nec eſt inventum per me, ſed omnis iniquitas.

Indue ergo galeam, armaturam, certa ut miles. Quia tua pugna eſt noſtra fortiſſima ſalus. De qua tibi laus datur æterna.

Preces ad Deum pro felici Reformatione in Concilio Conſt.

Veni ergo Sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium in ſapientiam & ſcientiam tuorum fidelium, pro nunc *in iſto ſacro concilio Conſtantienſi* exiſtentium, ut ad bonum accelerent & malum deſtruant. Et defende caput noſtrum, SIGISMUNDUM, REGEM SERENISSIMUM, *qui bene* REX REGUM *&* DOMINUS DOMINANTIUM *appellari dignatus eſt.* Et conforta & corrobora ipſa luminaria jam divinitus lucentia, & populum ſanctum tuum. Et infunde ipſis lumen totius juſtitiæ. Et infirma noſtri corporis virtute firma perpetim. Qvam gratiam nobis altiſſimus tribuere dignetur. Amen.

SERENISSIME PRINCEPS. Dignetur *Regia Majeſtas* hanc epiſtolam noſtram, per nos vagorum Epiſcopos tibi directam, gratioſe recipere, & nos excuſatos habere, de inſufficienter expreſſis in ea. Qvod ſi quæ male ſint poſita; committimus correctioni tuæ. Excuſa etiam nos apud tuam ſapientiam,

Digitized by Google

tiam, *in Conſtantienſi & ſacro concilio tuo exiſtentes*, propter moram & præſentiam propriam perſonarum noſtrarum. Nec etenim veſtes nuptiales habemus, timentes illud: *Amice, quare adveniſti! &c.*

Ponderoſa
hæc
Epiſtola
Autoris incerti
Viri graviſſimi
in Concilio Conſtantienſi
ad
SIGISMUNDUM IMPERATOREM
in Concilio præſentem
non ſine ſale
ſcripta
Qui
Eccleſiaſtici ſtatus
Reformationem
aggrederetur:
Ex antiqviſſimo Codice MSCto
Auguſtiſſimæ Bibliothecæ
Cæſareæ Vindobonenſis
in Academia Julia
A. M DC XCVII.
menſe Januario
eruta
CÆSAREÆ MAJESTATIS
LEOPOLDI I.
Gratiâ.

Digitized by Google

TOMI I. PARS XV.

PILEI
ARCHI-EPISCOPI GENUENSIS
Magnæ in Conſtantienſi Concilio autoritatis,
Ingenua PARÆNESIS
AD
SIGISMUNDUM IMPERATOREM
Conſtantini Magni æmulum

DE REFORMATIONE ECCLESIÆ IN CONCILIO CONSTANTIENSI PROSEQVENDA.

FELICISSIMIS AUSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DN. RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆBURG. DUCIS &c.

Ex antiquiſſimo Codice MSCto
BIBLIOTHECÆ PAULINÆ ACADEMIÆ LIPSIENSIS
recenſita ab
HERMANNO von der Hardt/
Acad. Jul. Profeſſore.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII,
HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

Digitized by Google

MSCt. LIPSIENSE.

* *
*

Collatio
facta
coram
REGE ROMANORUM
per Dominum
ArchiEpiſcopum JANUENSEM
in
CONCILIO CONSTANTIENSI.

Digitized by Google



HERMANNUS von

MEmorabilis nec inelegans hæc *ArchiEpiſcopi oratio*, quæ publicam illius ætatis *ſpem atque expectationem* egregie pingat. Nec *affectus communis illius temporis* dilucidius atque concinnius exprimi unquam potuit. Hic vota, deſideria, ſuſpiria, ad emendationem Eccleſiaſticam anhelantium non ſine inſigni animi commotione audiuntur. Ut hiſtoriæ illius temporis, triſtium in Eccleſia fatorum, hæc ſint indicia atque teſtimonia publica, *nobilis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ pars.*

Conſtantinum Imperatorem appoſite cum Sigismundo Cæſare comparavit ArchiEpiſcopus, pro magna ingenii ſui ſolertia. Sane uti *Conſtantinus* rem Chriſtianam inſtruxit, ita & *Sigismundus* collapſam reſtaurare anniſus. Uterq; non ſine omine *in cruce* ſpem poſuit. Conſtantinus, *in vexillo* Chriſti *crucem* fidemq; referens, quam fatorum regulam conſtituiſſet, teſtatus eſt. Sigismundus *urbis Conſtantiæ inſigni, eadem cruce*, novis â ſe coloribus atq; decoramentis ornata, quam *emendationis Chriſtianæ normam* ſibi præfixiſſet, re ipſa declaravit. Ita *Conſtantinus in cruce victoriam* quæſivit, & *Sigismundus per crucem Conſtantienſē ad victoriã* adſpiravit. Ut nominis ſui vim uterq; impleret.

Ceterum ſingulare eſt, quod ArchiEpiſcopus priſcum memoret *Concilium Conſtantienſe*, ab *Imperatore Henrico III.* ſeculo undecimo magna cum gloria celebratum. Ex quo inſolita & incomparabilis *pax Conſtantiæ*, ab Imperatore Henrico condita, illuſtre nomen ſit indepta. Non quidem adeo frequentes ſunt hiſtorici, qui præclari hujus *Concilii Conſtantienſis antiqui* meminerint, ac res in eo geſtas diſtinctius commemoraverint: ArchiEpiſcopus tamen noſter, non plane omnibus deſtituitur teſtibus. Conſpirat *Johannes Dorre*, Vir doctiſſimus, curioſiſſimus Actorum Concilii Conſtantienſis noviſſimi, cui intererat, ſcriptor atque collector; Qui *Tomo IV. Actorum fol. 67. Codicis MSCti Vindobonenſis*, de *prima* illa & veteri *Synodo Conſtantienſi* ita ſcribit: *Anno Domini* M XLV. *Henricus tertius, filius Conradi Imperatoris, anno quinto regiminis ſui, Hungaris devictis & ſibi ſubjugatis, reverſus de Hungaria Synodo Conſtantienſi affuit. Ubi cunctis, qui deliquerant in ſe, debita dimiſit. Omnibusq; inimicitiis deſtructis pacem hactenus inaudi-*

PILEI
Archi-Epiſcopi Genuenſis
magnæ in Conſtantienſi Concilio autoritatis,
INGENUA PARÆNESIS
AD
SIGISMUNDUM IMPERATOREM
CONSTANTINI MAGNI ÆMULUM
DE
REFORMATIONE ECCLESIÆ
In Concilio Conſtantienſi
proſequenda.
Ex antiqvo MSCto BIBLIOTHECÆ PAULINÆ LIPSIENSIS ACADEMIÆ.

Conſtantini Imperatoris ſomnium memorabile. Conſtantinus in cruce victor.

SIcut vera narrat hiſtoria, SERENISSIME PRINCIPUM, *Invictiſſime Domine*, *Conſtantinus* adverſus Maxentium bellum parans vidit per ſoporem in cœlo *ſignum crucis* flammeo nitore rutilare, & Angelos ſibi aſſiſtentes ac dicentes: CONSTANTINE, IN HOC VINCE. Licet Euſebius dicat, Conſtantinum prædicta verba vidiſſe in ſcriptura, conſerta circa prædictum ſignum crucis.

Conſtantini labarū.

Ex quo *Conſtantinus crucem in vexillo militari* depinxit. Et ſic paratus contra Maxentium proceſſit.

Qvo in flumine demerſo, *Conſtantinus triumphans* Romam ingreditur. Et cum ob honorem triumphi imagines illi Senatus erigeret, ipſe *vexillum ſanctæ crucis depingi fecit*, & ſubter aſcribi: *Hoc eſt invincibile ſignum Dei vivi.*

Vexillum Conſtantini triumphantis.

Hunc Ambroſius, Gregorius, & multi alii dicunt eſſe magni meriti apud Deum: Qvia *primus Imperatorum* viam fidei & devotionis Principum dereliqvit.

Comparatio Sigismundi ac Conſtantini Imperatorum.

Qvæ verba, ſive per Angelos nunciata, ſive in ſcriptura conſcripta, Tibi, *GLORIOSISSIME PRINCEPS & Domine noſter*, exiſtimo convenire. Ut merito dicam: *CONSTANTINE, IN HOC VINCE.*

Te enim digne in hoc *Conſtantinum* dici poſſe, video; *imitatione, loco, & virtute.*

Conſtantinum enim multipliciter *imitaris.* Dum, ſicut ille, *fide ac devotione* præpolles.

Concilium uterque convocavit.

Dum, ſicut ille in Synodo *in Nicea Bythinia* congregari fecit XXX. Epiſcopos: Ita tu *in Conſtantia Germania* feciſti, ac facis: Tanto amplius: Qvod *in illo* pro Apoſtolico interfuerunt Vitus & Innocentius, Romanæ Eccleſiæ presbyteri: *In hoc* autem tua ſolicitudine, cura, tuisqve precibus *ipſe Apoſtolicus adeſt*, adeſt & *ſacrum collegium.*

Dum, ſicut illi prima die ſui baptiſmatis Apoſtoli Petrus & Paulus apparuerunt, *tibi* opinor *ipſam apparere divinitatem*, & gratiam prævenientis Altiſſimi, quâ illuſtratus tam efficaciter & prudenter *divinis inſiſtis operibus.*

Edicta pro Eccleſia ſalute uterq; Imperator concepit.

Dum, ſicut ille in laudem & gloriam Dei, & Eccleſiæ Sanctæ propagationem & commodum, I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII, IX. ſucceſſivis diebus *nova fecit edicta*, nova conceſſit privilegia, ac ſicut de illo ſcribitur, *honorem cleri tuebatur in omnibus*: Ita, tuæ gratia majeſtatis *per dies ſingulos cogitas, diſponis & agis ea*, quæ ſi perficiantur, majus & melius beneficium in obſeqvium Eccleſiæ præſtiteris, ac populo fidelium gratiorem & *utiliorem rem* egeris, *quam fecerit Conſtantinus.* Majus enim & melius Eccleſiæ ac fidelibus *donum* dari non poteſt,

 quam

Digitized by Google

quam *unitatis & pacis*, Angelicis vocibus ſuper reliqua omnia commendatum.

Dum, ſicut ille, inſigni *humilitate & clementia* viges & vales. Unde de eo ſcriptum eſt, quod edicto publico *per totum orbem ædificari juſſit Eccleſias*, collatis pecuniis affluenter ex regiis theſauris, ſcribens ſimul civitatibus, ut populus Epiſcopis miniſtraret de regali fiſco, unde ſanctæ perficerentur Eccleſiæ. Ipſe vero legendo, ſcribendo & meditando ſe multum exercebat. Et Princeps invictus, per dies ſingulos fide & devotione creſcens, inexplebili gaudio de Eccleſiarum profectibus replebatur.

Unde *te* quoque *imitatione Conſtantinum* meritò poſſumus nominare.

Sigiſmūdus à Concilio Conſtantienſi Conſtantinus dicendus.

Loco etiam. Dum Romanum, ſummumqve Pontificem, Sacrum collegium, ſacrumqve concilium, *Conſtantiam adduxiſti*. A qua *Conſtantinus* merito nominaberis, ſi id in ea perficies, quod *Henricus III.* præclariſſimæ memoriæ prædeceſſor tuus. Qvi de Hungaria reverſus *Synodo Conſtantienſi* adſuit, ubi cunctis, qui deliquerant in ſe, debita dimiſit, omnibus inimicis pacem hactenus inauditam tam in tota Svevia quam in aliis provinciis per regiæ cenſuræ edictum confirmavit, & natalem Domini Treveris celebravit, ibiqve omnes, qui in regiam majeſtatem deliqverant, crimine abſolvit. Eandemqve legem, ſicut prius, per totum regnum promulgavit, ut omnes delicta ſibi invicem condonarent. Iſtaqve edicta eſt illa famoſa & inſignis pax, quæ *pax Conſtantia* nuncupatur. Qvam profecto hæc, quæ *hic* agitur, ſcilicet Eccleſiæ & totius orbis fidelium, merito & gloriâ ſuperabit. Tu *ex hoc loco* digne *vocaberis Conſtantinus*.

Henrici III. Imperatoris res geſtæ.

Conſtantienſe concilium particulare ſub Henrico III.

Memorabilis pax Conſtantienſis ab Henrico III. parata.

Reſtat ut etiam *virtute conſtantiæ* dici valeas *Conſtantinus*. Hæc virtus ſic deſcribitur: *Conſtantia* eſt ſtabilitas animi firma, & in propoſito perſeverans, quæ omnem virtutem circuit. Unde Valerius ad Tiberium Cæſarem: *Cur enim ſic comparatum eſt, niſi, ut quisquis ſe aliquid ordine ac recta mente complexum confidit, vel jam geſtum, ſi obtinetur, alacriter tueatur, vel nondum editum, ſi interpelletur, ſine ulla cunctatione ad effectum perducat*, Inde in ſeqventibus ſubdit de Fulvio Flacco, quod *conſtantia* victoriæ quoqve gloriam antecellat. Ex qua Q. Fabium Maximum, Cn. Piſonem, M. Munidicum, Scævolam Augurem, Menium Centurionem, Blaſium quendam Phocionem, Socratem, Ephialtem Syracyſanum, Alexandrum Macedonium, Regem illum famoſum, ſingulariter extollit.

Conſtantia Sigiſmundi in arduo cœpto.

Ex qua Tu quoque usqve in hodiernum diem vere & merito commendaris. *In hoc* præſertim, quo *agitur de integritate reformationeq́; Eccleſiæ. Quam usque in conſummatum finem ut proſequaris, eadem virtus exigit.* Quæ, ut in Decretis ſcribitur, tanta eſt, & eſſe debet fidelibus, ut prius auferatur vita, quam conſummatio ſeu perfectio recti operis.

In Concilio Conſtantienſi ſub Sigiſmundo actum de Reformatione Eccleſiæ.

Eſt autem *hæc virtus*, ſervare modum inter mutabilitatem ſeu levitatem & pertinaciam. Qvorum utrumq; reprehenſibile judicatur. Mutabilitas vero dum homini ineſt, ineſſe ei judicatur ſtultitia, vel peccatur impatientia, vel defectu dilationis boni, aut duplicitate animi.

Qvæ omnia à tua Majeſtate avertat ille, cujus cauſam & Eccleſiæ proſeqveris, Dominus Jeſus Chriſtus, ac faciat, ut digne voceris *Conſtantinus, imitatione, loco & virtute*.

Arduum Concilii Conſt. ac Sigiſmundi negotium cleri reformandi.

Conſtantine igitur *in hoc vince*. In hoc ſcilicet *opere digniſſimo, utiliſſimo, deſideratiſſimo*.

Digniſſimo quidem: Qvia omnem cujusvis operis, quin etiam ſimul omnium operum dignitatem excellit *Opus integrationis & reformationis Eccleſiæ*, quam Deus omnipotens, æternus & immenſus, ſua clementiſſima pietate homo factus, ſuo pretioſo ſangvine dedicavit. *Opus* eſt itaqve *hoc divinum potius, quam humanum*. Ideoqve in Decretis deſcribitur Eccleſia Chriſti, fidelium multitudo, fide & charitate unita, qvæ ſponſa Chriſti dicitur pudica & incorrupta, extra quam ſalus non habetur, & à qua per ſchiſma præciſos comprimere ſpectat ad Principes ſeculares. Et quando in ea ſunt duo aut plures rectores, non eſt ſponſa ſed ſcortum.

Reformatio Eccleſiæ opus divinum.

Utiliſſimo autem, reſpectu animarum & corporum, non unius hominis tantum,

Summũ ac univerſale bonũ Reformatio Eccleſiæ. Utiliſſimum opus.

tum, aut unius provinciæ vel patriæ, ſed *totius orbis*, cujus *univerſale bonum*, *ſummum & maximum hac integratio reformatioq;* concernit.

Inexplicabilia ſunt, SERENISSIME DOMINE, *bona*, publica & privata, ſpiritualia & temporalia, quot & quanta *integrationem reformationemque hujusmodi conſequentur.* Sicut inexplicabilia ſunt mala, animæ & corporis detrimenta damnaqve graviſſima, publica & privata, quot & qvanta in diverſis regnis, & pene in omnibus partibus orbis ex hoc ſchismate & *incompoſitione Eccleſiæ* conſeqvuntur. Non explicare modo aut ſcribere, ſed nec cogitare quis poſſit in utramq; partem, *ex integratione & reformatione quot bona*, ex ſchismate & incompoſitione quot mala proveniant.

Opus itaqve, *quod agitur*, *omnino* quævis *opera humana utilitate* ſicut & *dignitate præcellit*.

Deſideratiſſimum Reformationis opus.

Accedit, quod *deſideratisſimum eſt opus*. Hoc nunquam enim tantum tamq; *univerſale* cujusqvam rei ſuit *deſiderium*, nunqvam tanta *expectatio*, quanta hujus *deſideratisſima integritatis & reformationis Eccleſiæ*.

Ardens reformationis deſiderium. Damna ex irrita reformatione oritura. Gravis admonitio ne Reformationis negotium, in Concilio Conſt. quæſitum, negligatur. Reformationis à Sigismũdo inſtituendæ fructus.

Hæc *ſpes & expectatio*, PRUDENTISSIME DOMINE, ſi perficiatur, nunqvam fuit tanta lætitia, jucunditas, exultatio in fidelibus & populo Chriſtiano. Si, quod abſit, & avertat miſericordia Creatoris, *fruſtretur & irrita maneat*: Quis explicet, quantus *mœror*, quanta *triſtitia*, quanta *confuſio & irriſio ac deriſio totius cleri*, quin & imperialis honoris, Eccleſiæ, ac fidei, & catholicæ religionis, ſpecialiterqve *omnium Germaniæ Prælatorum & procerum, qui è ſuis manibus rem hujusmodi imperfectã labi ſinant?* Non audeo, CHRISTIANISSIME PRINCEPS, non audeo cogitare. Avertat hunc caſum, avertat clementia creatoris & redemtoris noſtri.

In hoc itaqve *opere dignisſimo, utilisſimo, & deſideratisſimo, Conſtantine vince.* Vince ſiqvidem hoſtes, vince difficultates, vince ſuperiores & prædeceſſores tuos.

Vince quidem *hoſtes*, hoſtes *fidei*, hoſtes *imperii*, hoſtes *tui*.

In hac enim *integratione & reformatione Eccleſiæ* vinces hoſtes *fidei*, qui invaleſcunt, invalueruntqve numero magno, cum pudore & rubore Romanæ Eccleſiæ, Romani Imperii & noſtri temporis, quo ipſam civitatem ſanctam *Hieroſolymam*, tanto fidelium cruore quæſitam, amiſſam non curamus, maluimusqve gladios & potentiam, quos in infideles exerceri deberet, in proximos & fideles convertere, cum tanta ignominia & injuria nominis Chriſtiani.

Reformatio Eccleſiæ ſectarum remedium.

Vinces hoſtes imperii & rebelles. Qvod profecto, tua pace, tua cum venia dixerim, aliter facere non poteris, niſi in *hac integratione reformationeq; Eccleſiæ.*

Reformatione Eccleſiæ imperii hoſtes debellãdi.

Vinces hoſtes tui, & detractores, quos multos tibi fecit inclyta virtus, cui ſemper mali & reprobi minitantur & detrahunt.

Sigismũdum variis artibus à Reformatione abſtrahere ſtuduerunt.

Inter quos illos præcipuos, *præcipueq; cavendos* putaverim, ſi qui ſint, *qui ullis artibus, ullo ingenio, ullis promisſis, te à ſancto & recto propoſito mutationis & reformationis Eccleſiæ tentant abducere, ſeducere vel avertere.*

Difficile opus reformationis.

Vince *difficultates*. Huic enim tam *grandi & eximio operi* magnas ineſſe difficultates oportet. Sed tua virtute ſuperandas ac vincendas. Ne credas rem tanti meriti, tantæqve virtutis carere *inſidiis*, carere *æmulis*, carere *multis laboribus*, multis *impenſis*, multis *vigiliis* & diſpendiis.

Et ſi alia deſint, vigilat & cernit nunc maxime ille humani generis hoſtis, cui tuæ *vigilantiæ, ſinceritatis, virtutis, fidei & devotionis clypeus* objiciendus eſt.

Vince *prædeceſſores tuos*. Hoc loco, ILLUSTRISSIME PRINCIPUM, commemorare poſſem ſingulorum prædeceſſorum tuorum laudabilia geſta erga Eccleſiam, erga ſummos Pontifices & ſacrum collegium, *in conciliis generalibus*, & aliàs. Sed brevitas, & tua inſignis peritia, cui ea omnia nota ſunt, faciunt, illa nunc recenſenda non eſſe.

Magna ſpes reformationis per Sigismundum Imperatorem conficiendæ.

Qvæ etſi multa magis ſint, hoc tamen, *quod nunc agis, & quod habes in manibus, majus & melius omnibus* illis eſt. Quod *ſi perfeceris*, *vinces* omnes, qui te dignitate hac & ſublimitate Cæſarea præceſſerunt, ipſos etiam *Tiberios, Philippos, Conſtantinos, Conſtantes, Jovianos, Valentinianos, Gratianos, Theodoſios, Arcadios, Honorios, Marcianos, Leones, Juſtinos,*

Juſtinos, *Juſtinianos*, *Anaſtaſios*, *Ludovicos*, *Lotharios*, *Carolos*, *Conrados*, *Heinricos*, *Ottones*, *Fridericos*: Et ſi aliqui ſunt, qui ullo modo, ullove nutu Eccleſiam juverint, auxerint, vel protexerint.

Conſtantine igitur, imitatione, loco, & virtute, *in hoc opere dignisſimo*, *utilisſimo*, *& deſideratisſimo*, *vince* hoſtes fidei, Imperii, tui, vince difficultates, vince prædeceſſores tuos. Ut *poſt* & *per* has *victorias* triumphator & victor felix aſcendas in cœlum, apud illum cœleſtem & omnipotentem Regem coronam ac ſedem perpetuam habiturus.

Elegans *Viri illuſtris* PILEI Archi-Epiſcopi Genuenſis magnæ in Conſtantienſi Concilio autoritatis AD SIGISMUNDUM IMPERATOREM Parænesis DE REFORMATIONE ECCLESIÆ In Concilio Conſtantienſi proſeqvenda,

Ex antiqvo Codice MSCto Bibliothecæ Paulinæ Academiæ Lipſienſis A. M DC XCVII. d. II. Februarii in Academia Julia in lucem producta Imperatore Romanorum

LEOPOLDO I.

Digitized by Google

TOMI I. PARS XVI.

STEPHANI DE PRAGA

THEOLOGI

ORATIO

In Concilio Conſtantienſi ſolenniter habita

DE MATURANDA ECCLESIÆ EMENDATIONE.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG. DUCIS &c.

Ex antiquo Codice MSCto

BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS

eruta ab

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Jul. Profeſſore.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII,

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

Digitized by Google

MSCt. Helmſtadienſe

* *

*

Sermo
Magiſtri
STEPHANI DE PRAGA
ſacræ Theologiæ Profeſſoris,
prædicatus
CONSTANTIÆ.

Digitized by Google



HERMANNUS von der Hardt.
Lectori S.

EN novam, nec inſcitam, ſi rerum momenta ſpectes, orationem, in Concilio Conſtantienſi habitam, qua inprimis *impenſum emendationis deſiderium* clariſſime iterum depingitur. Memorabile inter cetera quod ait, Eccleſiæ fidem potiorem eſſe Pontificis ſummi fatis. Ut præſtet, in Concilio Conſtantienſi agere de Chriſtianorum religione perpurganda ac redintegranda, quam de Pontificum diſſidiis componendis.

Ægerrime etiam tuliſſe videtur, in Concilio Conſtantienſi tam diu diſputari de cauſa *Doctoris Johannis Parvi*, qui ſubditorum hoc in Reges jus eſſe dixerat, quos, tyrannos, omni arte interficerent: Illam ſententiam impiam, & in Principes æque ac totum reipublicæ ſtatum injuriam, prorſus & absque mora non damnari miratus. Hæc enim virorum cordatorum communis erat ſententia, quam & *Gerſon* magno animo profeſſus eſt, ut conſtabit, quando pleniora Acta iſtius controverſiæ in Concilio diu multumque agitatæ ex *MSCtis Cæſareis Vindobonenſibus* ac *Ducalibus Wolfenbuttelenſibus* alio Tomo exhibebimus.

Præterea *autoritatem Concilii*, in ſimilibus negotiis, publicam Eccleſiæ ſalutem concernentibus, majorem autoritate Papæ aſſerit intrepide. Ex quo colligit, fas non eſſe, in Conſtantienſi Concilio differre negotia quæ ad commoda Eccleſiæ vergant, usque ad novi Pontificis electionem. Inſignis profecto fiducia Theologi illa ætate.

Simoniam præſertim in ſtatu Eccleſiaſtico abominatur vir integerri-

STEPHANI DE PRAGA
Theologi
ORATIO
In Concilio Conſtantienſi ſolenniter habita
DE MATURANDA ECCLESIÆ EMENDATIONE.
Ex antiqvo Codice MSCto
BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS.

Oratio habita Domin. 3. poſt Trinit. menſe Junio, Anno, ut apparet, 1417.

R*Eſiſtite fortes in fide*, ſcribitur *I. Petr. V.* & in epiſtola hodierna.

Reverendiſſimorum Patrum & virorum celeberrimorum & doctiſſimorum cœtum conſpiciens, in qvorum præſentia prædicaturus conſiſto, in me ipſo attonitus vehementer contremiſco.

Primum quidem, quod inexpertus *loqui debeo*, tanta gravatus imperitia inter eos, quos multifaria & antiqva roboravit ſcientia. Illos *hortari debeo*, ut inimicis fidei reſiſtant fortiter, quorum conſilio & auxilio ego inermis ſumme indigerem, illis hoſtibus ad reſiſtendum viriliter. Illos inſuper *admonere debeo*, ut odiant vitia, cum per me ipſum ſim peccatorum multiplici oppreſſus nequitia.

Ut enim verbis utar *Eſ.* III. non ſum medicus animarum, ſufficiens ad ſanandum, & in domo mea non eſt panis verbi Dei, ad reficiendum, neqve veſtimentum virtutis, ad me ipſum, quanto minus ad alios exornandum. Propterea exhortator fieri erubeſco aliorum, qui utinam ad me ipſum ſufficerem gubernandum.

Optabam igitur ſilentio præterire, & illum locum tutiſſimum eligere, cum Maria ad pedes Domini ſedente *audire potius, quam aliquid loqui*, & huic oneri prædicationis mihi gravi proponens me non implicare, propter librorum defectum, & ingenii tarditatem.

Sed tamen loco pro iſta die vacante, ad illud opus arduum me exhortanti non valui excuſare.

Sed quid faciam, cum Reverendiſſimos patres & eximios doctores mira ſubtilitate & facundia præditos ante me prædicantes intueor, qui jam *plus quam per totius anni circulum* affluentibus S. Scripturæ dapibus veſtras paternitates & dominationes ſubtiliter & utiliter ſaginarunt? Inſufficientia & ineloqventia mea me retraheret à labore. Sed veſtris gratiâ & benignitate confiſus, ſperans, qvod juxta dictum Apoſtoli II. *Cor.* XI. libenter ſuffertis, cum ſitis ipſi ſapientes, opus aggrediar.

Unde ſi propter ſtili incomti inertiam, & linguæ impeditæ facundiam, veſtras paternitates & dominationes contingat faſtidire & tædere, rogo humiliter & ex affectu, *reſiſtite fortes in fide*, ne veſtræ paternitates & dominationes propter impatientiam & tædium ſtili rudis debito primo ſpolientur. Sed attendentes illud *Bernhardi ſuper cantica: Doctrina ſæpe non curioſitatem acuit, ſed caritatem accendit*, de manibus meis jam vilia ad veſcendum ſuſcipite fercula, ut poſtmodum ad priores epulas quanto eſurientius, tanto ardentius recurratis. Et nunc quæſo meam inſufficientiam veſtra adjuvet caritas, ad matrem miſericordiæ una mecum aſſurgentes, & ipſam ſalutantes humiliter pro impetranda gratia dicamus: *Ave Maria!*

Peccatis & tentationibus in fide reſiſtendum.

Reſiſtite fortes in fide, ſcribitur ubi ſupra. *Reverendiſſimi* &c.

Tota ſeries Sanctarum Scripturarum nos ad ſalutem invitans & beatitudinem, exhortatur *peccata fugere & tentationibus inimicorum ad illa peccata ſugillantium in fide reſiſtere.* Nam & qui certat in agone non coronabitur, niſi, qui legitime certaverit II. *Tim.* 2.

Salutis humanæ hoſtes.

Sunt autem *tres inimici capitales*, qui nos

nos ad illicita inſtigant, & nocive proſeqvuntur, ſcilicet *caro, mundus & diabolus.*

Caro inſtigat ad *delectationem & voluptates*, mundus ad *ambitionem & vanitates*, diabolus ad *deceptionem & doloſitates.* Unde Hugo: *Vox carnis voluptas, vox mundi vanitas, & vox diaboli doloſitas.*

Et in his *tribus* omnia peccata hominis ſalutem impedientia includuntur. Propter quod princeps Apoſtolorum nos incitat contra iſtos hoſtes in fide aſſurgere, & eis non conſentire, dicens: *Reſiſtite fortes in fide.*

Paraneſis ad Concilii Conſt. Aſſeſſores. Et qvanquam hæc verba ad *omnes fideles* dirigantur, qui ſunt quaſi turma bellica adverſus hoſtes militans hic in via: Præcipue tamen vos, *Reverendi Patres, Prælati, Paſtores, & cæteri viri Eccleſiaſtici*, qui in acie hujus belli *ex officio* tanqvam viriliores & fortiores eſtis conſtituti, exhortamini verbis præſentis thematis: *Reſiſtite fortes in fide.*

Et meritò. Ne, acie debellata, tota turma populi Chriſtiani conſequenter *veſtro exemplo* corruat & ſuccumbat.

Ut autem iſtis hoſtibus reſiſtere valeatis, *tria* reperio eſſe *neceſſaria.*

Voluptates refrenandæ à clero. *Primum eſt, maceratio corporis in effectu, contra carnis delicias & voluptates.* Et hoc ſcriptum eſt *Exodi* 12. ubi dicitur: Quod filii Iſrael ambulaverunt *per ſiccum in medio maris.*

Vanitates contemnẽdæ à clero. Secundum eſt, *paupertas in affectu, contra concupiſcentias mundi & vanitates.* Qvod etiam ſignificatum ibidem, cum dicitur: Filii Iſrael ambulaverunt in ſolitudine.

Prudẽter inſidiæ cavendæ à clero. *Tertium eſt, prudentia in intellectu, contra aſtutias diaboli & doloſitates.* Ideo dicit ſapiens: *Relinquite infantiam, & vivite & ambulate per vias prudentiæ, Proverb. IX.*

Sic enim fideles Chriſti, & cæteri *viri Eccleſiaſtici* ad reſiſtendum hoſtibus debent ambulare, *in bonis ſpiritualibus* proficiendo, tria *ſeminaria omnium peccatorum*, præſertim mortalium, prædictis tribus bonis contraria, calcaturi: Juxta conſilium B. Johannis, in ſua Canonica dicentis: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas in eo, quia omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, oculorum, aut ſuperbia vitæ, I. Joh. II.*

Malorũ Prælatorũ Eccleſiaſticorum genius. Bonorum Eccleſiaſticorum indoles. Sicut enim *reprobi Prælati* & cæteri *viri Eccleſiaſtici* in corpore Chriſti, ambulantes creſcunt in ſecularibus, cumulantes *nequitiã impunitam*, quæ eſt ſeculi lætitia, ſe *inordinate ditando, laſciviendo & ſuperbiendo*: Sic è contra *boni Prælati & viri Eccleſiaſtici* in corpore Chriſti, & per conſequens in Chriſto, qui eſt fons humilitatis, & Evangelicæ paupertatis, ambulantes proficiunt, circa *bona honeſta, delectabilia, & humilia*, humiliando, caſtigando, & depauperando, ad beneplacitum Chriſti.

Superbia Avaritia, Laſcivia, abſint à clero. Et ſicut *ſuperbia, laſcivia, & avaritia* circa bona honeſta, delectabilia & utilia, ſunt gloria & divitiæ carnis & ſeculi falſæ & inanes: Sic *humilitas & caſtitas & paupertas* Evangelica circa eadem bona, ſunt vere & bene gloria & divitiæ ſpiritus, quibus aliqvis vere & formaliter eſt dives & glorioſus. Primi enim, ſcilic. *ſuperbi, laſcivi, & avari*, ſunt glorioſi & divites in mundum, ſecundi vero, ſcilic. *humiles, caſti & pauperes*, ſunt divites & glorioſi in Deum. De quo ſententialiter *Lucæ* 12. Unde Chriſtus, in mundo pauperrimus fuit, in Deum ditiſſimus: Et AntiChriſtus, ditiſſimus in mundum, erit ſumme pauper in Deum.

Hæc vita non niſi pugna. *Status* itaq; *præſentis vitæ eſt ſtatus militandi.* Quod militia eſt vita hominis ſuper terra, *Job.* 1. Ideo quanto quis plus ſe humiliat circa *bona honeſta*, plus ſe caſtigat circa *bona delectabilia*, & plus ſe depauperat circa *bona utilia*: Quæ triplicia bona ſunt, velut ſuprema, media & infima: Tanto virilius militat in *bello hujus viæ*, plus hoſtibus præfatis generis humani in fide reſiſtit, & fit magis dives, & in Deum glorioſus. Chriſtus enim paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus, 1. *Petr. II.* Et quod Chriſtus fecit pro nobis, hoc etiam à nobis requirit, teſte *B. Auguſtino in ſermone de nativitate virginis glorioſæ*, ſic inquiente: *Pro noſtra redemtione non aurum dedit, non argentum appendit, non pecuniam numeravit, ſed ſe ipſum tradidit, & pretioſum ſanguinem ſui corporis fudit, propriam ipſius animam poſuit. Expedit igitur, ut Redemtori ſuo ſemetipſum offerat, quicunque ad*

ejus

Veſtigia Chriſti à clero legenda.

ejus conſortium pervenire feſtinat; Illius veſtigia imitetur in via, qui cum eo gaudere anhelat in patria: Illum ſibi ducem faciat in itinere, qui ejus particeps eſſe deſiderat in perventione. Nemo igitur ſe ipſum vel fratres ſeducat, nemo ſe vanitate ſpei decipiat. Non enim poſſumus hic gaudere cum ſeculo, & illic regnare cum Chriſto. Hæc Auguſtinus.

Cum autem Chriſtus nec ſuperbiendo circa bonum honeſtatis, nec laſciviendo circa bonum delectationis, nec ambiendo bonum utilitatis, poſt ſui humiliationem gloriam, poſt caſtigationem delicias, & poſt depauperationem divitias regni accipere à ſummo promeruit: Oportebat enim Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, *Luca ultimo:* Hoc nobis *reliquit exemplum*, ut ſequamur veſtigia ejus. Cujus exemplo *delectationi carnis, avaritiæ* mundi, & *ſuperbiæ vitæ reſiſtite fortes in fide.*

Et ſignanter ſummus Papa *B. Petrus* addit: *in fide.* Scivit enim, & Spiritu S. docente cognovit, quod non niſi *in fide & per fidem* noſtros hoſtes & inimicos debemus ſuperare. Quia hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra, *I. Petr. VII.* Hoc idem docuit Apoſtolus *Epheſ.* 7. dicens: *In omnibus,* ſubaudi *tentationibus, ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis nequiſſimi hoſtis ignea tela extinguere.*

Fidei vis in pugna adverſus peccata.

Etiam quia *ad veram beatitudinem ambulare volentibus*, ſive agendo, ſive tentationibus reſiſtendo, *primo omnium neceſſaria eſt fides. Sine qua nec* in hoc ſeculo quis *gratiam juſtificationis* conſequitur, *nec* in futuro *vitam æternam* poſſidebit. Quia ſine fide eſt impoſſibile placere Deo. *Hebr. XI.*

Fidei neceſſitas ad ſalutem.

Et pro utraque iſta cauſa Apoſtolus *fidem* valde commendans ibidem concludit: *Sancti fide vicerunt regna*, ſiquidem tyrannorum, ſcilicet carnis, mundi & diaboli. Quoad primam cauſam operati ſunt *juſtitiam*, adepti ſunt *remiſſiones* quoad ſecundam.

Proinde Magiſtrorum optimus & ſapientiſſimus ipſe Chriſtus, qui vult, omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis in fide pervenire, *I. Timoth. II. triplicem fidem* in domo Eccleſiæ militantis collocavit. In fundamento hujus doctrinæ poſuit *eccleſiaſticam fidem*, humilem & obedientem, in corpore ejus exſtruxit *catholicam fidem*, caſtam & patientem, ſed in tecto ipſius erexit *Apoſtolicam fidem*, pauperiem, ſpinis divitiarum renitentem. Ut certe domus illa Eccleſiæ militantis per fidem *humilem & obedientem* in terris pergat ad ſpeciem liberam & glorioſam in cœlis: Per fidem *caſtam & patientem* in temporalibus anguſtiis transmigret ad ſpeciem lætam & voluptuoſam in æternis deliciis: Per fidem *pauperem*, ſpinis divitiarum renunciantem, in anguſtis copiis perveniat ad ſpeciem divitem & ſuperabundantem in ampliſſimis copiis.

Nec amplius quovis modo quæri aut deſiderari poteſt, quam habere *ſufficientiam* omnis *boni honeſti* per *libertatis gloriam*, omnis *boni delectabilis* per *voluptatis lætitiam*, & omnis *boni utilis* per poſſeſſionis abundantiam. Sufficientia omnis boni per primam fidem adipiſcitur: Secunda per ſecundam, atq; tertia per tertiam: Secundum ordinatiſſimam ſcalarem aſcenſionem per tres gradus fidei, infimum, medium, & ſupremum.

Tantæ itaq; admirabilis virtutis eſt *fides triplex* ſupradicta. Unde *Bernhardus ſuper cantica: Quid non inveniet fides? Deprehendit ignota, comprehendit immenſa, apprehendit noviſſima, ipſam denique æternitatem ipſo ſuo vaſtiſſimo loco quodammodo circumcludit.* Quæ bona omnia ſi conſequi cupitis, hoſtibus ad hæc impedientibus avide reſiſtite fortes in fide.

Porro ipſe Chriſtus ſua ſapientia immenſa fecit & ordinavit, ut *ſummus Pontifex cum Dominis Cardinalibus, Pontificibus, Prælatis, & cæteris ſuis Eccleſiaſticis,* veluti in regione capitis ſuo officio reſidens, per *claves regni cœlorum* ſibi traditas ſit rector, gubernator, & adminiſtrator domus ſupra dictæ: *Imperator* verò *Romanus, cum Regibus, Principibus, poteſtatibus, & aliis ſuis armigeris ſecularibus*, veluti in regione brachiorum ſubſtans, *gladio & armis* ſuæ potentiæ temporalis ſit defenſor, protector ac propugnator domus memoratæ: Sed *fidelis populus communis*, veluti in regione pedum ſubjacens, ſit *laboribus* ſuorum nego-

Pontificis ac Cardinalium munus.

Imperatoris ac Regum atq; Principũ officium.

negotiorum ſubpediator, ſuſtentator, & ſubportator talis domus ſupradictæ.

Tunc autem, ſecundum Chryſoſtomũ *in Polycrat.* totum reipublicæ corpus roboris ſui integritate vigebit, tunc optime corporis ſpecie venuſtabitur, & elegantis pulchritudinis decorem induet, ſi *ſingula locum teneant ſortita decenter*, & ſi fuerit officiorum *non confuſio, ſed diſtributio.* Et hunc ordinem deſcribens meſtiſta inqvit:

Officia ſacra & civilia non confundenda.

Tu ſupplex ora, tu protege, tuq; labora.

Omnis igitur domus, totus honor & gloria *Papæ*, *Cardinalium*, *Pontificum*, *Prælatorum*, & aliorum *Eccleſiaſticorum*, *Imperatoris*, *Regum*, *Principum*, *poteſtatum*, & cæterorum *ſecularium*, atqve totius *communis populi* Chriſtiani, in officiis & negotiis ſibi propriis & appropriatis permaxime in hoc ſubſiſtunt & vigent, ut primi regendo, gubernando, & adminiſtrando ſalubriter, ſecundi defendendo, protegendo, & propugnando viriliter, & tertii ſuppeditando, ſuſtentando & ſupportando fideliter, domum Eccleſiæ militantis tueantur, & laborent diligenter pro toto ſuo poſſe, ut ipſa in triplici ſua fide prædicta ad beneplacitum Dei ſalvetur, nutriatur, augeatur, ac perficiatur. Cum, ſecundum *B. Auguſtinum de verbis Domini*, nullæ majores ſint deliciæ, nulli theſauri, nulli honores, nulla ſubſtantia hujus mundi major ſit, quam *fides catholica.*

Ideo ipſam impugnantibus eamqve lacerantibus reſiſtite fortes in fide, omnes filii ſanctæ Matris Eccleſiæ.

Qvamvis autem ipſe Chriſtus ſic ſumme ſapienter, ſumme eleganter, domum ſuam in ſe ipſo ordinaverit, & pro eadem optime diſpoſuerit: Tamen, quia contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt, ut hujus ſuæ domus & triplicis ejus fidei claritas magis ac plene, & in ſe, & in reſpectu ad ſuum contrarium refulgeat, permiſit ipſe prudentiſſime, ut *mille artifex Satanas circum poneret domum ſuam* in triplici perfidia fabricatam.

Eccleſia Chriſtiana corrũpitur variis modis.

In fundamento talis domus poſuit diabolus *perfidiam, ſuperbam & protervientem*, eccleſiaſticæ fidei humili & obedienti contrariam. Qvæ perfidia *hæreſis* nominatur.

Hæreſi.

In corpore ejus inſtruxit perfidiam *laſcivam & impatientem*, catholicæ fidei caſtæ ac patienti adverſam. Qvæ *ſchisma* appellatur.

Schiſmate.

In tecto vero illius domus maledictæ collocavit perfidiam *avaram & ambitioſam*, Apoſtolicæ fidei pauperi, ſpinis divitiarum large renuncianti, oppoſitam. Quæ perfidia *Simonia* nuncupatur.

Simoniâ.

De qvibus *perfidiis* ſententialiter habetur *I. Cor. I. & XI. ad Titum III. Act. VIII. & IV. Reg. 7.*

Verum, qvia ſecundum *beatum Hilarium in I. libro de Trinitate*, *& Auguſtinum de Eccleſia*, hoc proprium habet Eccleſia, dum opprimitur creſcit, dum contemnitur proficit, dum læditur vincit, dum arguitur intelligit, tunc ſtat cum ſuperari videtur: Neceſſe eſt, talem domum qvoad triplicem ſuam fidem habere adverſam domum triplicis perfidiæ, à qua ſic impugnata & excitata floreat, creſcat, proficiat, vincat & ſuperet, ut jam eſt ſupra dictum.

Eccleſia preſſa aſſurgit altius.

Prima perfidia, ſcilicet *hæreſis*, ubicunqve venerit, *fidem* primo modo dictam, quæ locum tenet fundamenti, effodit & *evellit.* Modicum enim fermenti totam maſſam corrumpit *I. Cor. V. & Gal. V.* Et ſicut propoſitio copulativa, ſi milleſies mille partes veras in ſe & catholicas habeat, dummodo unam falſam in ſe & hæreticam cum his continet, tota ipſa non vera & catholica, ſed falſa & hæretica judicatur: Sic, ſi quiſpiam quotlibet credulitates in ſe veras continet & catholicas, ſi una cum his fuerit hæretica, totalis ſua credulitas non catholica ſed hæretica reputatur. Eo quod talis credulitas aut eſt propoſitio copulativa, aut circa propoſitionem copulativam verſatur mentaliter. Propter quod dicit *B. Auguſtinus in de fide ad Petrum: In eo, quod quis ſingulis non credit articulis & contumaciter repugnat, & his contraria dicere non dubitat, hæreticus & fidei Chriſtianæ inimicus apparet. Cum ſi quis delinquit in uno, factus eſt omnium reus.*

Hæreſis fidem evertit.

Secunda perfidia, ſcil. *ſchisma*, fidem ſecundo modo dictam tollit & excludit. Ubi enim homo, vel communitas qvæcun-

Diſſidia Pontificũ fidei inimica.

quæcunqve, à vero ſuo Eccleſiaſtico capite & ſponſo laſcivus & impatiens adulteratur, alieno quærens adhærere, vel pro adultero in Eccleſiaſticis ſe gerit, ibi fidem ſecundo modo dictam tolli neceſſe eſt & excludi. Inſeparabile eſt enim ſacramentum unitatis. Et ſine ſpe perditionem permaximam ſibi acqvirunt, qui ſchisma faciunt, & relicto Epiſcopo alium ſibi conſtituunt, dicit B. Cyprianus martyr, ut habetur 7. q. 1. c. 9.

Simonia fidei adverſa.

Tertia perfidia eſt *Simonia*, quæ fidem tertio modo dictam removet & expellit. Ubi enim *Simonia*, quæ radicaliter eſt *ſtudioſa & perverſa voluntas pretioſa ſpiritualia pro vilibus temporalibus commutandi*, intraverit, ibi fidem pauperem, ſpinis divitiarum large renunciantem, fugat & propellit. Qvia non poteſt quis ſervire Deo & Mammonæ, *Matth.* VI.

Et ſicut in compoſito naturali eſt *triplex unio*, una animæ ad corpus & ejus membra, ſecunda corporis & membrorum ad invicem, tertia eſt eorum, quæ adjacent compoſito ac ejus membris: Sic ſuo modo eſt triplex unio in compoſito ſpirituali & ſupernaturali. Et ſicut prima fide ſervatur unio Eccleſiaſtica animæ myſticæ, quæ eſt *Chriſtus*, ad corpus & membra in compoſito myſtico, quod eſt *præſens Eccleſia*: Sic etiam fide ſecunda ſalvatur unio corporis & membrorum ejusdem ad invicem in eodem corpore myſtico. Sicut deniqve tertia fide conſervatur unio adjacentium Eccleſiaſticorum & ſpiritualium bonorum ad prædictum compoſitum & ſua membra: Sic neceſſe eſt per oppoſitum, quod, ubi fuerit prima perfidia, ibi illa anima myſtica ſeparetur; Et ubi ſecunda fuerit, quod ibi illud corpus diſcerpatur: At ubi tertia perfidia advenerit, quod ibi unio tertia ſpiritualium & Eccleſiaſticorum bonorum adjacentium diſſipetur.

Propterea, ſicut prima Eccleſiaſtica *unio corporis & membrorum ad animam* myſticam eſt ſuprema, ſecunda vero *corporis & membrorum ad invicem* eſt media, tertia autem *unio adjacentium* Eccleſiaſticorum & ſpiritualium *bonorum ad compoſitum* myſticum & ejus membra eſt inter has infima: Sic fides prima eſt ſuprema, ſecunda media, tertia ima. Et ſuo modo prima perfidia, quia primæ fidei contraria, eſt graviſſima, ſecunda perfidia ſecundæ fidei adverſa eſt media, & tertia perfidia, quia tertiæ fidei oppoſita, inter has in genere ſuo eſt minima. *Hereſin* enim primum locum tenere inter perfidias, *ſchisma* medium, *Simoniam* infimum, ex jam declaratis concluditur ſatis plene.

Quibus perfidiis tanquam *tribus hoſtibus letalibus*, *quæ Eccleſiam vulnerant*, ſcindunt & diſſipant perfide, reſiſtite fortes in fide.

Et tantum de præſentis thematis introductione.

Boni plus poſſunt virtute quam mali iniquitate.

Quia vero recti & *virtuoſi longe ſunt ſufficientiores virtute, quam perverſi* & vitioſi *ſint potentes iniquitate*: Cumque in illa domo diaboli maledicta, *Pontifices, ſacerdotes & levitæ* templi dæmoniaci, *tyranni*, carnifices & tortores regni diabolici, atque *populus* Gomorrhæ, per triplicem perfidiam prætactam *vi & dolo* ſupra modum domum Dei & ejus fidem triplicem perſeqvuntur & impugnant: Quanto magis incomparabiliter *Pontifices, ſacerdotes & Levitæ* templi dominici, *Reges* & Principes ac milites in regno Dei, *populusq;* Domini, & præſertim *hoc generale concilium, ad hunc finem in Spiritu Sancto congregatum*, habent prudentia ſua & virtute invadere & *devaſtare regnum Diaboli*, & triplicem ejus perfidiam, *hereſin* ſcilicet, *ſchisma*, & *ſimoniam*. Quæ per ſe & alia crimina mundum impleverunt, & regnum cœlorum, quod eſt in terris, pene vaſtarunt. *Totus* enim *mundus in maligno poſitus* eſt, *I. Joh. ultimo.*

Conciliū Conſtantienſe tenetur ſcelera extirpare & Eccleſiam perpurgare.

Hereſis unionem Chriſti & Eccleſiæ tollit.

Prima namque perfidia & maxima ſecundum genus ſuum eſt *hereſis*. Quæ ubi venerit, *unionem* inter tres præcipuam, corporis ſcilicet & *membrorum Eccleſiæ* ad animam myſticam, quæ eſt *Chriſtus*, in compoſito Eccleſiaſtico ſeparat & diſſolvit.

Quis autem crudelitatem & malitiam hujus perfidiæ poſſet æſtimare? Si enim tam dulce vinculum naturale animæ ad corpus & ejus membra, ut etiam

Svavis unio Chriſti & fidelium.

iam minimi membri ſenſitivi ſeparationem anima absque magno dolore non patiatur: Quam ſupra modum dulcius eſt *vinculum ſpirituale animæ myſticæ*, quæ eſt *Chriſtus*, *ad corpus myſticum*, & ejus membra.

Flebilis ſeparatio Chriſti & Eccleſiæ membrorum.

Et per conſequens, quam miſerabilis, multum flebilis eſt & dolenda *ſeparatio* cujuscunque membri à tali myſtica anima, per hanc præſertim perfidiam, quæ hæreſis appellatur, ubi vinculum illud à membro evellitur radicitus & aufertur!

Fide, ſpe, & charitate uniuntur fideles cum Chriſto.

Nam cum corpus Eccleſiæ & membra ejus ad iſtam myſticam animam veluti triplici funiculo, & tribus ligamentis, *fide* ſcilicet, *ſpe* & *charitate*, in ſtatu viæ connecti habeant & ligari: Et *ſi* tunc *charitas*, ſi etiam cum hac ſpes in aliquo membro *deficiat*, fide remanente, illud membrum, etſi mortificatum, adhuc tamen corpori Eccleſiæ & animæ per talem fidem eſt utique myſtice colligatum. Ut, ſi cujus *manus* eſſet *arida*, verum quidem eſſet *membrum*, licèt absque ſangvine inefficax & *mortuum*: Sic *fides*, cum ſit *verà*, *ſine operibus mortua* eſt. Sicut dixit *B. Auguſtinus* contra Donatiſtas, & habetur 1. *q.* 1. *c.* 47.

Fides ſine charitate & ſpe eſt mortua.

Si autem *hæreſis* quæcunque ſupervenerit, totalem *credulitatem* circa materiam catholicam *reddit hæreticam*, ut ſupra dictum eſt. Et tunc fides tollitur, & vinculum illius membri ad corpus Eccleſiæ & animam myſticam penitus extirpatur.

Concilium conſtantienſe excitatur ad hæreſes extirpandas.

O ſi tantam crudelitatem hujus feræ peſſimæ & tyrannidem, quæ per unum morſum ita letaliter vulnerat, totalem hominis devorans credulitatem, *hoc ſacrum concilium*, *univerſalem Eccleſiam repræſentans*, cordialiter perpenderet! Revera *ad extirpationem errorum & hæreſium* majorem diligentiam adhiberet, *moras & dilationes* amputando. Nam hæreſes ſi dimittuntur in longum indiſcuſſæ, plurimos inficient, & radices ſuas difficilius evulſibiles in cordibus infidelium profundabunt, & ipſos infectos hæreſibus roborabunt.

Mora Concilii in hoc negotio improbatur. Sicuti Johannis Parvi cõtroverſia frigide tractabatur.

Nam mala per longas invaluere moras.

Unde ſi *pro ſedando ſchiſmate contendentium de papatu hoc ſacrum concilium* cum ſumma diligentia, magnis laboribus, periculis & expenſis fideliter laboravit, nihil de tempore & aliis contingentibus omittendo: Quanto magis eſſet *per ipſum concilium providendum*, *ne ſchiſmata fierent circa fidem*, præcepta Dei, & Eccleſiæ ſacramenta. Quia hæc ſine proportione nocivior exiſtit diviſio, maximam tollens unionem.

Sollicitius in Concilio Conſtant. agendum de Eccleſia redintegranda, quam diſſidiis Papalibus componendis.

Igitur *majus & ſalubrius eſſet, fidei Chriſtianæ, quàm diverſarum obedientiarum occurrere ſciſſuris.* Quidnam prodeſt, ſi ſub uno capite ſchiſmata haberentur? *Ordo* nempe eſſet *præpoſterus*, ſi majori diligentia, ampliori conatu & labore in unam obedientiam, quàm *in unam fidem* populum Chriſtianum reducere curamus. Et ex minoris boni præpoſitione grave peccatum incurritur, ſi ardentius, ſi denique vigilantius obedientiarum quàm *fidei* reunire laboramus *ſciſſuras*.

Ordo præpoſterus ſi prius agatur de Papa quam Eccleſiæ ſalute.

Exſurgat igitur quæſo, *exſurgat hoc ſacrum concilium* in ſpiritu & virtute Dei, & pro toto ſuo poſſe eradicet, per ſuam ſententiam & definitionem omnes *hæreſes peſtiferas*, *in hoc ſacro concilio diu ventilatas*, quæ ſtatus utriusque, ſpiritualis ſcilicet & ſecularis ordinem nituntur evertere, & autoritatem tyrannicam Anti-Chriſti, & Babyloniam totius confuſionis inducere, *electione ſummi Pontificis minime expectata.*

Admonetur Conſtantienſe Conciliũ ad controverſias de fide, in Concilio diu ventilatas, componendas.

Eſt enim *autoritas concilii generalis, præcipue, ubi de fide agitur*, *major autoritate Papæ & collegio Cardinalium.* Cum ipſum *generale concilium*, *univerſalem Eccleſiam repræſentans*, *hoc privilegium habeat*, Spiritu Sancto dirigente, quod in his, quæ ſunt fidei, errare non poſſit, ſtante lege, nec in toto peccato mortali maculari. Aliàs non eſſet ſecurum refugium viſibile in humanis, ſi non *ſacrum concilium*, ad quod in materia fidei & Eccleſiaſtica eſſet recurrendum.

Qualis erat cauſa Jo. Parvi.

Emendãdam prius Eccleſiam eſſe, quam papa eligatur.

Concilii autoritas ſupra Papam, dum agitur de fide.

Ideo *ſummus Pontifex cum collegio Cardinalium in caſibus novis & arduis ad deliberationem concilii recurrere conſuevit*, ut apparet *Sext. Decretal. lib.* 1. *tit.* 1. *De ſumma trinitate*, per totum. Quod inſinuat *B. Hieronymus ad Evandrum* dicens: *Si fidei autoritas quæritur, orbis major eſt urbe.*

Conciliũ in rebus fidei refugium.

Et

Et habetur *Diſt.* 93. cap. 24.

Viri eruditi in Concilio Conſt. congregati.

Nonne *viris eruditis fides debet committi diſcutienda ? Qvales ſunt in præſenti Concilio.* Viri utiqve ſpirituales & ſapientes, ſecundum qvalium judicia medium virtutis Philoſophus jubet accipere. Hic præterea ſunt idonei conditores legum, doctrinaliter & autoritative. Hic utiqve ſunt tetragoni ſine vituperio, Theologiæ Profeſſores, Juris Canonici Doctores & civilis. Et alii viri doctiſſimi in magna multitutidine congregati. Qvi mentiri neſciunt ſupra motis in materia fidei vel movendis. Qvi etiam poſſunt redarguere mentientes, dum à vero falſum, à catholico erroneum, ab illicito licitum ſciunt ſeparare.

Gravis admonitio ad patres in Concilio, qui in dijudicandis erroribus non ſeqvantur affectus. Uti fiebat in negotio Joh. Parvi.

Propter quod, Reverendi Patres, eximiiqve Doctores, legis divinæ fervidi Zelatores, *in hoc ſacro concilio congregati*, ad hoc animum veſtrum, affectum & curam dirigite, ut, qvod ad conſervandam fidem & religionem pertinet Chriſtianam, *ſine acceptione perſonarum*, nullo odio, nullo fervore vel favore, nullave deſidia & protelatione negligatur. *In hac enim materia nulli eſt parcendum*, nulli obtemperandum, quin imo contra omnes hæreſes, hæreticos, fautores eorum & defenſores, quantocius fieri poteſt, eſt viriliter inſurgendum, ne ipſa domus Eccleſiæ militantis in ſuis corruat fundamentis. Hoc docet nos egregius *Doctor Hieronymus*, in libro de *Expoſitione catholica fidei* dicens: *Reſecandæ ſunt carnes putridæ de corpore, ne totũ corpꝰ intereat vel putreſiat. Scabioſa ovis repellenda à caula, ne totus grex pereat, parvꝰ ignis removendus à domo, ne tota ardeat. Arius in Alexandria una ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, pene totum orbem ejus flamma depopulata eſt:* Et habetur 24. q. 3. c. 16. *In his* namqve *qui intus ſunt, in fidelibus, citius putredo eſt reſecanda*, dicit *Auguſtinus*: Et habetur 23. q. 4. c. 17. Contra quos etiam ſummus Pontifex in bulla epiſtolæ hodiernæ exhortatur inſurgere, dicens: Reſiſtite fortes in fide. Cauſam præmittens: Qvia adverſarius veſter diabolus tanqvam leo rugiens circuit, qværens quem devoret. Et ſubjungit: Cui reſiſtite fortes in fide. Et hoc qvoad primum.

De ſchiſmate papali in Concilio Conſt. componendo.

Eſt alia denique perfidia, videlicet *ſchiſma*, quæ mediam unionem, utpote corporis & membrorum Eccleſiæ ad invicem tollit & excludit. Conſtat enim ex ſcriptura & ratione, quod perfectio Eccleſiaſtici corporis conſiſtat principaliter in unitate, tanquam in conſummatione omnis boni, pro quo, ni fallor, Salvator ante ſuam paſſionem rogavit humillime, dicens: Pater Sancte, ſerva eos, quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut & nos. *Joh.* XVII. Pro hoc eximius Prophetarum poſtulabat, imprecans pacem ſuper Israël, ſciens, quoniam poſuit auctor ejus Deus fines ſuos pacem.

Hæc autem *pax* & *unio* oppoſita *diviſioni ſchiſmatica*, non conſiſtit in unitate charitatis, in qua omnes homines in gratia exiſtentes, & ſoli tales conjunguntur: Nec in unitate donorum naturalium, in qua omnes homines connectuntur: Nec in ſimili participatione fidei vel ſacramentorum, & præſertim baptiſmatis, in quo character imprimitur, in qua omnes, qui baptiſma rite ſuſceperunt, copulantur, etiam ubi fidem actualem vel habitualem perdidiſſent: Non enim conſiſtit in ſola obedientia ad Chriſtum, cum in hoc omnes obedientiæ ſibi conveniunt & concurrunt: Sed eſt *unitas membrorum Eccleſiæ ad unum caput vicarium hic in terris.*

Unio Papalis quæ?

Qvam qui negat pertinaciter, *hæreticus* eſt, qui impugnat, *ſchiſmaticus* eſt. Nam quisquis poſt electionem factam canonice Epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt. Nec habet Eccleſiaſticam ordinationem, qui Eccleſiaſticam non tenet unitatem. Qvisqvis ille fuerit, licet de ſe multum jactans & plurimum ſibi vendicans, profanus eſt, alienus eſt, foris eſt, dicit *B. Cyprianus martyr*: Et habetur 7. q. 1. *cap.* 5. Verum ſi permanebit Eccleſia usque ad conſummationem ſeculi, utiqve permanebit ut perfecta. Dei enim perfecta ſunt opera non ſolum in inchoatione, ſed magis in conſervatione & conſummatione.

Digitized by Google

tione. Sed nemo dubitat, quin ablatio unius membri à corpore deformitatem grandem inducat & imperfectionem. Ideo *non eſt auferibile caput vicarium ab Eccleſia uſque ad ſeculi conſummationem*; quin poſt vacationem ſedis aliquis certus & unicus ſuo tempore præficiatur Eccleſiæ ſponſus, ſtante lege. Aliàs ipſa Eccleſia usqve ad tempus illud remaneret imperfecta, nec ſuorum gauderet integritate membrorum, & præſertim membri principalis.

An caput viſibile ab Eccleſia poſſit abeſſe.

Hus aſſeruit, Eccleſiam poſſe carere Papa.

Igitur *Johannes Hus*, damnatæ memoriæ, *& ſui ſequaces*, Chriſti repugnant ordinationi, & ſpiritui ſancto ſunt rebelles, *aſſerentes*, & aſſerere non verentes, *quod non ſit ſcintilla apparentiæ, quod ſit unum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam*, quod ſemper cum Eccleſia militante converſetur: Sed quod Chriſtus, ſine talibus capitibus monſtruoſis, per ſuos veraces diſcipulos ſparſos per orbem terrarum, melius Eccleſiam ſuam regularet.

Huſſi ſententia impugnatur. Et Papa autoritas adſtruitur.

Contra quos militat argumentum gentilis Philoſophi, 12. *Metaphyſ*: Cum *regnum* & principatum oporteat *ab aliquo* vel aliquibus *regi*. Et, *non eſt bona pluralitas Principum: unus* ergo *Princeps*. Et, quia regnum cœlorum in terris, quod eſt præſens Eccleſia, eſt regnum perfectiſſimum, & regulatiſſimum, neceſſe eſt, ut in eo *unus* principetur. Optima & decentiſſima politiarum eſt, ubi *unus monarcha* præſidet, etiam ratione naturali hoc dictante.

Qvibus erroribus poſſet per plures canones, ſcripturas & rationes Theologicas, obviari, quas cauſa brevitatis prætermitto. Hoc concludens: Qvod, ſicut Eccleſia duratura eſt integritate membrorum usqve ad finem ſeculi: Sic eidem Chriſtus contulit vivificam ſemetipſam uniendi, ſeu in unione conſervandi, facultatem & virtutem. Qvam toties practicare tenetur, qvoties ipſa Eccleſia ſuo capite vicario fuerit viduata, ne acephala & ſine viſibili capite maneat hic in terris.

Objectio: Chriſtum eſſe Eccleſiæ caput.

Unio ſiqvidem *ad Chriſtum* etſi ſit *ſumme neceſſaria ad ſalutem*, qui eſt *caput principale Eccleſiæ*, permanens, & invariabile, ſempiternum habens ſacerdotium & papatum, ut ait Apoſtolus *Hebr*. 7. Non tamen usquequaqve ſufficit lege divina currente ordinata, ita, ut *in illa* ſtemus *unione*, non procurantes, in quantum in nobis eſt, *alteram unionem* ad *caput vicarium hic in terris*: In quo reſideat fontalis & capitalis *plenitudo Eccleſiaſticæ poteſtatis*, quam ex ordinatione Chriſti ſemper oportet permanere & non deficere, quamdiu univerſalis Eccleſia durabit ſuper terram.

Rſ. Caput vicariū in terris eſſe Papā.

Ut Epiſcopi inferiores perpetuo in Eccleſia ſunt manſuri, ita & ſummum Epiſcopū Papam ſemper extiturum.

Si enim *Eccleſiaſtica poteſtas particularis*, partialis & membralis, præſidendi viſibiliter in humanis, & diſponendi in Eccleſia, durabit uſque ad conſummationem ſeculi: Igitur *Eccleſiaſtica poteſtas* etiam *univerſalis*, totalis & capitalis, præſidendi & diſponendi in Eccleſia durabit usqve ad illud tempus. Cum, ſecundum Philoſophum, Relativa poſita ſe ponant & peremta ſe perimant: Qvare neceſſe eſt inexiſtere alicui perſonæ humanæ, ſuper terram viſibiliter converſanti, quæ officio ſuo Eccleſiaſtico in univerſa materia catholica & Eccleſiaſtica cognoſcere habeat, & definire, errores circa illam corrigere & repurgare, atque in univerſa illa materia curam habere omnium Eccleſiarum, & univerſorum Chriſti fidelium, converſantium viſibiliter in humanis.

Dubium de ſede vacante, quando nullus Papa. Reſp. In membris Eccleſiæ tunc manere poteſtatem.

Licet tamen aliqvando, ut *ſede vacante, illa plenitudo poteſtatis careat* pro tunc *inſeſſore & ſubjecto ſuo*: In poteſtatibus partialibus tanqvam materialibus conſtruetur.

Sicut *vinum*, diviſum in duo vaſa, manet *totum materialiter*: Qvia manent omnes ejus partes quantitativæ, & ſic tota materia ejus quantitativa: Sed ipſum vinum non manet *totum formaliter*. Sic de illa poteſtate *ſede vacante* eſt imaginandum.

Exemplū à vino per plura vaſa diviſo. A Phœnice.

Et ſicut ſpecies *Phœnicis* ad corruptionem unius ſingularis Phœnicis deſinit eſſe, & regeneratione alterius reincipit eſſe: Sic deſinente Papa, deſinit eſſe illa ſpecies poteſtatis magnæ prædictæ in propria forma, & ſuperveniente novo Papa reincipit eſſe & prius & poſterius, & alia materialiter ſecundum ſubjectum, ſed ſemper eadem ſecundum formam.

Et illa ſpecifica & magna poteſtas eſt per

Digitized by Google

per ſe principium, & per ſe finis omnium particularium poteſtatum.

Novꝰ tollitur ſcrupulus, quod ſic duo videantur eſſe Eccleſiæ capita; Chriſtus & Papa.

Nec ex hoc *Eccleſia habens Chriſtum caput & Papam*, *biceps* eſt appellanda, ſicut *Wicleſiſtæ* garriunt & *Huſitæ*: Cum Papa ſit vicarium caput Chriſti, qui in regionem abiit longinquam.

In Concilio Conſt. Papa quaſitus ab omni vitio alienꝰ.

Cum igitur ſumme ſit neceſſaria ſaluti hominum, ſtante lege, hujus *Vicarii perfectio*: Poſtulemus humiliter & devote, ut Chriſtus ſponſus Eccleſiæ inauferibilis nobis certum & unicum, *Deum timentem Papam, avaritiam & laſciviam in ſe & in aliis odientem*, conſtituat, ad gloriam nominis ſui, & ſalutem ovium ſuarum, pro quibus multa dura & aſpera usque ad ignominiam mortis crudeliſſime paſſus eſt. Ad hoc quippe mortuus eſt Jeſus, ut filios diſperſos in unum congregaret, *Joh.* XI. utraq; unum tanqvam lapis faciens angularis.

Sed ecce jam heu *ſchisma maledictum, fera peſſima, monſtrum horrendum*, pulcherrimam hanc & perfectam unionem, quantum in ſe fuit, prius *in duas partes*, poſterius *in tres partes* diſcerpſit & laceravit, & in exilii extruſit longinquam regionem.

Diſſidia trium Pōtificum circa tempus Concilii Conſt.

Sed qualis ſit iſta horrenda perfidia, videre ipſam Eccleſiam ſic laceratam & diſſipatam, manuducendo oſtenditur. Nam ſicut intolerabile eſt unicuiqve noſtrum, videre matrem ſuam carnalem à capite usqve deorſum per medium in duas vel in tres partes jacere dilaniatam: O qvantum magis debet eſſe intrinſecus dolor cordium noſtrorum, quod amantiſſima mater noſtra ſpiritualis, ſancta univerſalis Eccleſia, quæ nos regeneravit in Chriſto, *per 40. fere annos* usque in præſens, à capite usqve deorſum jacuit in corpore & partibus ſuis diſcerpta, lacerata *phariſaica contentione*, de qua olim conqveſtus eſt Apoſtolus.

Phariſaica contentio inter Pontifices ante Concilium Conſt. diſſidentes.

Qvibusdam dicentibus: *Ego ſum Gregorii*. Aliis: *Ego ſum Benedicti*, & cæteris, *ego ſum Johannis*, Cui lacerationi & *nefandæ contentioni* multi Reges, & Principes, Prælati compaſſi ſunt. Sed nulla remedia hactenus profuerunt. Qvia etſi diligentiſſime laboraverunt, tamen ipſam Eccleſiam minime reunire potuerunt. Qvin imo peccatis populi exigentibus, & præſertim *ſuperbia, laſcivia, & ſæviſſima dominandi libidine Prælatorum*, matre infauſta hujus peſtiferi ſchismatis, hoc heu! longius protractum fuiſſet, niſi *Sereniſſimi Principis & Domini, Domini* SIGISMUNDI ROMANORUM REGIS & HUNGARIÆ *ſemper Auguſti* ſollicita diligentia, & diligens ſollicitudo acceſſiſſet.

Dominû di libido in Prælatis cauſa olim ſchismatis.

Sigismūdus Imperator ſchisma compoſuit.

Qvi ex pura gratia Dei, tum ſpeciali privilegio, *ad opus tam ſalubre*, tamqve laudabile perficiendum, ut creditur, eſt *præviſus ab æterno*. *Hunc* iſta glorioſa expectavit victoria, *hunc* illa præſtolabatur gloria & feliciſſima in cunctis ſeculis celebranda memoria, quod *ipſe reſarciret Eccleſiam ſic laceratam*, & ſchisma tam inveteratum ſubmoveret.

Sigismūdi encomium.

Unde *merito præ cæteris Regibus & Principibus in apicem imperialis dignitatis dignus eſt ab Eccleſia exaltari*. Cui Eccleſia reſpondens pro meritis exhibere debet in effectu, & digne dicere: *Faciam te excelſiorem cunctis Regibus. Deutr.* 26.

Sigismūdus adjuvandus.

Aſſurgendum itaque eſt, & omnino à ſingulis Chriſticolis, uſum habentibus rationis, *tanto athletæ cooperandum*, ut tanta clades, tantaque pernicies de domo Dei pro ſalute populi, & ejus gloria eradicetur, & penitus evellatur, & pax Eccleſiæ ſalutifera de exilio revocetur.

Reformatio Cleri Concilio commendata.

Vos tamen *Eccleſiæ præſides*, priſcorum Patrum Zelum & veſtigia ſubſequentes, præ cæteris aſſurgatis, & ſanctorum Patrum veteribus recenſitis canonibus, ea, quæ *ad inſtaurationem clericalis diſciplinæ*, & pacis reſtaurationem pertinent, ſecundum quod uniuscujusqve expoſtulat ratio, *conciliariter decernere, ſtatuere & ordinare* non pigritemini, ſalubriter exhortati verbis *Innocentii Papæ c. 2. ſecundi generalis concilii Romæ celebrati*, ſic dicentis: *Qvoniam funiculus triplex difficulter rumpitur, præcipimus, ut Epiſcopi ad ſolum Deum & ſalutem populi habentes reſpectum, omni cupiditate ſepoſita, ad pacem firmiter tenendam mutuum ſibi conſilium & auxilium præbeant, nec hoc alicujus amore vel odio prætermittant. Quod ſi quis in hoc Dei opere tepidus inventus fuerit, ne dum damnum propriæ dignitatis incurrat, quinimo beatitudine pacis careat à Salvatore promiſſa, qui, beati, inquit,*

Conciliariter ſtatuendum de reformatione Eccleſiæ, quod nationaliter in Concilio erat jam factum.

quit, pacifici, quia filii DEI vocabuntur.

Audiant hoc jurgiorum & diſſenſionum ſeminatores, & negligentes pacis reſtauratores, ac omnino ipſius impeditores: Et ex adverſo colligant, ſi filii Dei vocantur, qui pacem faciunt. Procul dubio *Satanæ* ſunt *filii, qui diſcordiam faciunt*, & impediunt unionem. Qvibus reſiſtite fortes in fide, vos columnæ Eccleſiæ. Nunc maxime, quando adverſarius veſter diabolus, pacis inimicus, ſæviet acrius, ſalutem pacis & unionis ſentiens appropinquare. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus, *Rom.* 13.

Schismatis fomes ſuperbia, ambitio, invidia.

Immittet enim, non dubito, validiſſimum ad continuationem ſchismatis impedimentum, *miniſterio ſuperbiæ, ambitionis, cupiditatis vel invidiæ. Diviſiones* ſcilicet & *odia, rixas & jurgia inter eos*, qui proſecuturi ſunt hanc ſanctiſſimam unionem. Cui *reſiſtite fortes in fide.* Et ſequitur in epiſtola: *Scientes, eandem paſſionem*, ſubaudi, *ut olim*, circa unionem vel electionem, quæ in mundo eſt, *veſtræ fraternitati fieri.* Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit vos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu, modicum paſſos ipſe perficiet, ſive hanc ſanctiſſimam unionem confirmabit, ſolidabit. Qvare ipſi gloria & imperium in ſecula ſeculorum Amen.

Sic concluſit *B. Petrus*, qui fuit unicus & indubitatus Pontifex, in epiſtola hodierna, prænuncians, Reverendas Paternitates, & reverendas dominationes veſtras tribulationes paſſuras & angoſtias, anteqvam ſummus talis Pontifex & indubitatus eligetur. Sed per ſpem Domini noſtri Jeſu Chriſti, cujus res agitur, ne ab incepto opere torpeatis, easdem paternitates ac dominationes ad operis erigit continuationem, dicens, quod ipſe *Chriſtus, principalis Pontifex & invariabilis*, perficiet, & confirmabit, & ſolidabit diu à fidelibus optatam unionem. Cui ſoli vere & merito gloria & imperium in ſecula ſeculorum eſt adſcribenda, ſi *ancheram ſpei, quam ſæpe perdidimus, in deſperatione poſiti*, humanoqve conſilio & auxilio omnino deſtituti, propter caſus, qui in hoc opere emerſerunt, diligenter revolvamus.

Difficilis electio novi Pontificis in Concilio Conſt.

Et hoc qvoad ſecundum.

Eſt inſuper tertia perfidia, etſi minima in genere, ſcilicet *Simonia:* Eſt tamen *maxima in infectione. Cum in ſtatu Eccleſiaſtico incomparabiliter multo plures ſint Simoniaci, quam hæretici, vel ſchismatici.* Nam ipſa maledicta perfidia *fere totum clerum maculavit* beneficia poſſidentem. Qvia uſqve *adeo venenata pernicies hactenus inolevit, ut vix aliqua Eccleſia poſſit reperiri, quæ hoc morbo non ſit aliqua ex parte corrupta*, ut ſcribit Nicolaus Papa in Synodo Conſtantinopolit.

Simonia totum olim infecit clerũ. Plures Simoniaci quam hæretici.

Ex eo enim, quod *ſtatibus Eccleſiaſticæ prælaturæ tantæ deliciæ, divitiæ & honores, reverentia, poteſtates & dominationes* conſpiciuntur *annexæ*, fatuus & ſapiens, puer & ſenex, malus & bonus, doctus pariter & indoctus, à minimo usqve ad maximum, omnes pariter indifferenter *ad pingues Eccleſiaſticos ſtatus per fas nefasq; aſcendere anhelant*, Simoniam practicant, diſcordiam ſeminant, cœlum & terram movent, magnis periculis, miſeriis, & mediis ſe exponunt, qvas tamdiu ſi paterentur propter Deum, coronam martyrii ſortirentur, coqvinæ ſqvaloribus & ſervitiis vilibus ſtabulorum ſe ſubmittunt, ut ad beneficia & Eccleſiaſticas dignitates promoveantur.

Unde ſit clericatus ſtudium.

Hæc enim omnia exercet perfidia illa magna, videlicet *Simonia*, quæ unionem tertiam Eccleſiaſticorum & ſpiritualium bonorum, adjacentium corpori myſtico, & ſuis membris, quaſi undique infideli errore diſſolvit, atqve illa bona veluti ubiqve diſſipat vehementer.

Nimis enim *rarum* eſt, ut *reverenter, fructuoſe & meritorie* in horis canonicis & miſſis divina officia peragantur, verba Dei ſic ſeminentur, ſacramenta Eccleſiaſtica ſic miniſtrentur, judicia in foro conſcientiæ & Eccleſiaſtico ſic exerceantur, ſic mali corrigantur, & boni promoveantur, atqve bona temporalia Deo conſecrata ſic diſponatur. Sed prædicta plurimum *irreverenter, nocive & abuſive* tractantur.

Raro ſacra digre adminiſtrari.

Unde per illam magnam perfidiam nedum *bona* talia & ſimilia *ſpiritualia*, ſed etiam

Digitized by Google

etiam *bona Eccleſiaſtica* quaſi ubiqve *diſſipantur.*

Ubi enim, & qvando, jam in Chriſtianiſmo ad dignitates, præfecturas, adminiſtrationes, beneficia, regimina, judicia & officia in Eccleſiaſticis, eliguntur, præſentantur atqve aſſumuntur aliqvi ſecundum hæc, qui ſint viri potentes, ſapientes & timentes Deum? In qvibus eſt veritas, & qvi odiunt avaritiam. Qvales, ad conſilium Jetro ſacerdotis Midian hominis gentilis, Moſes vir plenus Deo in Judaiſmo conſtituit & elegit principes populi, tribunos, centuriones, qvinqvagenarios, & decanos, qui populum omni tempore judicabant, *Exod.* 18.

Clori ſtudium ante tempora Concilii Conſt.

Sed nunc quaſi per totum mundum *quæruntur & attenduntur munera, ſervitia, lucra, commoda, honores, favores* & affectiones carnales. Et ſic ſecundum ſtudioſas & perverſas voluntates *ſpiritualia in Eccleſiaſticis pro temporalibus commutantur.*

Promoti olim ad ſacra ineptiſſimi.

Et *promoventur* in paſtores majores & minores hominum & animarum, tam penitus ad illos paſcendum *ignari*, impotentes & mali: Ita, quod *conſimiliter indiſpoſitos circa curam jumentorum nemo de mundo vellet habere paſtores ovium & porcorum.* Tam inhabiles, *idiotæ*, & diſcoli, in Levitas, Sacerdotes & Epiſcopos ordinantur, in miniſterium & officium divinorum, ita ut *ruſticus conſimiliter indiſpoſitos circa ruralia nollet habere in ſervitium & culturam agrorum.*

Qui ad ſacra officia malos promovent, male de Eccleſia merentur.

Et tales, ſic inhabiles *promoventes*, manifeſtum eſt, oves Chriſti non diligere, nec in charitate manere, ac per hoc tunc in ſtatu ſalvandorum non eſſe. Qvomodo enim oves Chriſti diligunt, qui eas, *in medio luporum rapaciſſimorum* conſtitutas, ſcienter & volenter paralytico, aut cœco, aut torpore deſidiæ langvido tradunt cuſtodiendas & committunt? Nonne ſunt ovium perditores, & ipſarum crudeliſſimi occiſores, pro quibus vivificandis pius mundi Salvator eſt occiſus.

Patroni Eccleſiæ ſciant, quales ſint, Eccleſiis quos præficiãt.

Nec ſolum incidit in hujuſmodi reatum homicidii, qui *ſciens & volens* tradidit animas cuſtodiendas impotenti, ignoranti vel negligenti, ſed ut in pluribus, qvi eas tali committit curandas, de quo penitus *ignorat*, qvalis ſit in *potentia, vita, ſcientia & voluntate* curandi.

Et ſi unum contingere poſſit *ignotum eſſe idoneum*, non eſt tamen hoc, ſi accidat, præficientis munus ſed fortunæ. Si autem *ignotus* fuerit *minus idoneus*, hoc ipſum merito imputabitur præficienti, qui, ne talem præficeret, ſollicite debuit præcaviſſe. Sicut, ſi ſagittans in locum, per qvem novit eſſe hominum conſvetum tranſitum & freqventem, aliqvem occiderit, licet ignorans, *hujusmodi ignorantia non excuſat*, ſed magis eſt reus homicidii perpetrati. Qvia anteqvam ſagittam emitteret, ne forte quisqvam ibi præſens foret, conſideraſſe debuit diligenter. Ideo dicit *Chryſoſtomus* de dignitate ſacerdotum: *Qui ordinant indignos, eisdem pœnis ſubjacent, quibus illi, qui indigne ſunt ordinati, etſi dicant, ſe eorum vitia ignoraſſe.* Unde Apoſtolus ad Timotheum: *Manus cito nemini impoſueris, ne communicaveris peccatis alienis.* Hoc crimen gravius efficitur, qvàm excuſatur. Cur promovit eum, qvem ignorabat! Atqve illud, qvod putabatur eſſe excuſatio, fiet accuſatio. Hæc *Chryſoſtomus.*

Mores paſtoris ſint Patroni Eccleſiæ cogniti.

O qvanto igitur tremore & timore beneficiorum & dignitatum Eccleſiaſticarum deberent concuti *collatores*, ne forte pro vivificatoribus ovium eas exponant occiſoribus, ac per hoc in tremendo judicio cum homicidis condemnentur.

Ideo vos, *Reverendiſſimi & Reverendi Patres*, hoc penſato *periculo collatorum*, ac diſcutientes, qvanta & qvam ardua habentibus ſtatus Eccleſiaſticos agenda incumbant, in qvibus ſi negligentes fuerint, etiam æternæ ſuberunt maledictioni: In *reformatione Eccleſiæ*, hoc præcipue providete, *ut doctis & habilibus provideatur* præ cæteris in futurum. *Pluralitatem beneficiorum* ſuperfluam amputantes, per qvam cultus divinus diminuitur, & populus ſcandaliſatur.

Reformatio Eccleſiæ in Concil. Conſt. curanda ita ut boni & apti ſacris præficiantur.

Non enim æqvum eſt, *fatuos præeſſe, & ſapientes ſubeſſe, juvenes dominari, ſenes famulari, ignaros ardua diſcutere, ſcientes loqui non audere, equorum famulos in promotionibus præponi, eloquiorum Dei diſcipulos*

pulos poſtponi, *Simoniaca hæreſi* procurante.

Et quid neceſſe eſt, hæc quaſi minus nota publicare, cum de his *experientia luce clarior* mundum repleverit univerſum. Ideo propter multitudinem iſta hæreſi infectorum hæc magna perfidia quaſi jam *peccatum non reputatur.*

Simonia pro peccato haberi noluit.

Unde rationibus non vincuntur, Sacram Scripturam non recipiunt, & ſanctorum Patrum canones vilipendunt, qui contra iſtam perfidiam clamaverunt. Ut patet 1. *q.* 1. *per totum.*

Imò, quod deterius eſt, viros catholicos, gravitatem hujusmodi peccati penſantes, exoſos habent & *derident, qui pro exſtirpatione hujusmodi hæreſeos laborant bono Zelo.* Et quanto plus ſollicitant, tanto magis *curialium* & aliorum *illo morbo gravatorum* detractionibus, ſibilo & riſui exponuntur. O nimis ſtupenda inſania, & vere culpanda veſania! Qvid pernicioſius, qvidve à ſalute remotius, quam *illos deteſtari*, & illorum in fabulas convertere hortamenta, *qui eos ſatagunt reducere ad ſalutem*, & ſe, læталiter vulneratos, ſanos æſtimare? Grande *peccatum Simoniæ* pro non peccato erronee reputantes. Cum tamen ſecundum *B. Gregorium* liqveat, hanc hæreſin ante omnes hæreſes radice peſtifera ſurrepſiſſe, atque in ipſa ſui origine apoſtolica eſſe deteſtatione damnatam. Cur non cavetur, cur non perpenditur, quod illi benedictio in maledictionem convertatur, qui ad hoc, ut fiat hæreticus, promovetur? Et habetur 1. *q.* 1. *c.* 13.

Spreti & deriſi qui Simoniã taxarent.

Nec tibi, Simoniace, *de multitudine peccantium* ſimiliter impunitatem mentiaris. Audi B. Hieronymum ſic dicentem: Non tibi de multitudine peccantium ſimiliter blandiaris, dicens: *Non ego hoc ſolus, multos habeo ſocios.* Recogita, quod *multitudo peccantium impunitatem non facit.*

Exhortatio ad Simoniacos.

Redite ad cor, *Simoniaci* prævaricatores, & attenta *peccati gravitate*, & omni procul amota *cupiditate*, juxta monitum ſumi Pontificis beati Petri in principio epiſtolæ hodiernæ, humiliamini ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis ad majores dignitates & præfecturas, omnem veſtram curam projicientes in eum, qvoniam ipſi eſt cura de vobis, ubi thema. Humiliamini, inquam, ut contra Deum dura cervice & collo extento non acquiratis nec poſſideatis acquiſitas Simoniace dignitates, attendentes illud Salvatoris: Qvid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut, quam dabit homo commutationem pro anima ſua, *Matth.* XVI. Et iterum: Niſi quis renunciaverit, ſcilicet in affectu, omnibus, quæ poſſidet, ita, quod nihil velit acquirere vel tenere contra Deum, non poteſt eſſe meus diſcipulus. *Luc.* 14.

Igitur *Simoniaci*, ſi volunt Chriſti & non Anti-Chriſti eſſe diſcipuli, beneficiis & dignitatibus *renunciare* tenentur, *quæ per Simoniam ſunt adepti*, exemplo Moſis, qui ad placandum Deum peccatum filiorum Iſrael, id eſt rem, in qua peccaverant, ſcilicet *vitulum*, arripiens igne combuſſit, & in fruſta comminuens, & omnino in pulverem redigens projecit in torrentem, qui de monte deſcendebat, *Exod.* 32. & *Deutr.* 6. Sic Simoniacos, ſi volunt placare Deum, & ſibi reconciliare, peccatum, quod fecerunt, id eſt rem, in qua peccaverunt, ſcilicet *beneficium Simoniace acquiſitum*, abjicere oportebit, quod *eſt quaſi vitulus, quem adorant*, conflatus in igne nimiæ ſolicitudinis & laboris. Qvod peccatum non dimittitur, niſi male poſſeſſum dimittatur. Eſt enim male poſſeſſum ſicut telum in vulnere, quod ſanari non valet à medico, niſi prius extracto à vulnere ipſo telo.

Simoniacos teneri male acquiſita dimittere.

Comparatio Simoniacorũ & Iſraëlitarum vitulantium in deſerto.

Sed timeo, quod hoc *conſilium* Simoniacis præceptum *Simoniaci* non acceptabunt, exemplo illius juvenis, de quo *Matth.* 19. qui multas habens poſſeſſiones abiit triſtis, nolens eas vendere, & Chriſtum ſeqvendo pro theſauro cœleſti commutare.

Simoniaci ægre dimittunt quæ caro emerunt pretio.

Sed judicium Dei horrendum poſt hanc vitam ſuper ſe debent finaliter expectare, ſub cujus manu potenti hic in præſenti humiliari voluntarie noluerunt, eo ipſo, quod *hæreſi Simoniaca infecti* damnatione involvuntur, ab Eliſæo Propheta perfunduntur, à Petro in perditionem damnantur, à Chriſto vero

Simoniacorum pœna ſpiritualis.

tanqvam

Digitized by Google

tanquam exteri de templo ejiciuntur Eccleſiæ militantis, in ſignum evidens, ſi finaliter non pœnituerint, de templo triumphantis Eccleſiæ absque dubio repellentur.

Simoniaci per Concilium Conſt. plectendi.

Sed nec in hoc ſeculo illorum perverſorum hæreticorum eſtrenitas debet tranſire impunis. Qvinimo per *Prælatos hujus ſacri Concilii compeſcatur.* Ne, pravis continuo invaleſcentibus, tandem victor ſedeat in ſolio majeſtatis princeps tenebrarum, artifex ſimoniacæ iniqvitatis, firmaturus undiqve propugnacula ſuæ tyrannicæ majeſtatis.

Ideoqve vos, *Reverendiſſimi & Reverendi Patres*, Eccleſiæ Dei rectores, gubernatores & adminiſtratores, tali hæreſi maledictæ reſiſtite fortes in fide, ipſam nimis ſcandalizantem Eccleſiam, à domo Dei fortiter profligantes. Alias timor eſt, ſi negligentes fueritis, ſicut huc usque, *Reges & Principes ſeculares ipſam curabunt à clero extirpare.*

Cleri ſimoniam per Principes tandem iri extirpatum.

Exſurgite igitur quæſo, exſurgite, vos *Reverendiſſimi Patres & Domini præſtantiſſimi*, ſanctæ Eccleſiæ præcipui defenſores: Culpatorum ſolvite nodos, *tranſgreſſores morum corrigite* inhoneſtos, excitate Zeli diſciplinam in perfidos, ſuperborum mordacitates obtundite, oppreſſoribus cleri & Eccleſiæ reſiſtite, & oppreſſis ad ſalvandam libertatem ſubvenite. Et quod plus omnibus eſt, protegite & propugnate domum Eccleſiæ militantis ſecundum triplicem fidem ſupradictam, atque de medio Eccleſiæ triplicem perfidiam contrariam propellite & fugate. Ubi minor, ſcilicet *Simonia*, poſt ſe induxit & inducit mediam, puta *ſchisma*, ſub quo, & ex quo tertia perfidia, *hæreſis*, nimis invaluit & ſuccrevit.

Et nos omnes devotis orationibus, & aliis bonis operibus inſiſtemus, ut hæc ita fiant diligenter, ut dicta fides triplex in nobis creſcat & perficiatur, & ex hinc ad contemplandam ſpeciem celſitudinis perducamur, ac venire mereamur. Qvod nobis præſtare dignetur ipſe Jeſus Chriſtus, ſponſus Eccleſiæ, in ſecula benedictus. AMEN!

Rerum

Rerum momentis
Graviſſima
Sed &
Animi ſinceritate
Candidiſſima
hæc
ORATIO
à
Clariſſimo Theologo
STEPHANO DE PRAGA
in
CONCILIO CONSTANTIENSI
præſente
Anno M CCCC XVII.
Menſe Junio
Dominica III. Poſt Trinitatis
In Publico Concilii conſeſſu
Ad
SIGISMUNDI IMPERATORIS
votum
habita
De Arduis
Concilii Conſtantienſis
negotiis
utpote
De Hæreſibus illius temporis
extinguendis
qualis
haud erat poſtrema
Doctoris JOHANNIS PARVI

Qui

Digitized by Google

Qui
Regum Majeſtatem
Principumque
ab injuriis ſubditorum
immunitatem
divinitus conceſſam
impie vellicarat
Nec non
de clero illius ævi
variis vitiis
fœde maculato
Concilii ope emendando
de Simonia præſertim
dedecoris Eccleſiaſtici
ſcaturigine
obſtruenda
de Simoniacis pertinacibus
removendis
atque plectendis
de ſubſtituendis
clericis melioribus
doctrina
probitate
in eccleſiam amore
gubernandique peritia
inſignibus
ab avaritia
invidia
dominandique libidine
alienis

Deniq;

Digitized by Google

Denique
de Summo Pontifice
bono
omnigenaque virtute prædito
eligendo
Nunc tandem
ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lucem
priſtinorum fatorum
pleniorem notitiam
IMPERATORIS SIGISMUNDI
laudem
Germaniæ
ſub cujus cœlo
tam præclara negotia
religioſiſſime tractata
decus
Dei ſanctiſſimi gloriam
ac poſterorum commonefactionem
ex antiquo codice MSCto
BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS
Anno M DC XCVII.
die XVIII. Februarii
in eadem Academia
in lucem producta
Felicibus Auſpiciis
Sereniſſimi Brunſvicenſium Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI
ſub feliciſſimo Imperio
AUGUSTISSIMI ROMANORUM IMPERATORIS
LEOPOLDI I.

)o(

Digitized by Google

TOMI I. PARS XVII.

MAURITII DE PRAGA

CLARISSIMI

IN CONSTANTIENSI CONCILIO

THEOLOGI

CONSILIUM

DE

ECCLESIASTICO STATU

IN CONCILIO CONSTANTIENSI

MATURE EMENDANDO.

Feliciſſimis Auſpiciis

SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRVNSVIC. AC LUNÆBURG.

DVCIS &c.

Ex antiquiſſimo Codice MSCto

AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ

VINDOBONENSIS

recenſitum ab

HERMANNO von der Hardt/

Acad. Jul. Profeſſore.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII

Helmestadi, Typis Salomonis Schnorrii, 1697.

Digitized by Google

MSC. Vindobonenſe
Tomo IV. Actorum Concilii Conſt.

* *
*

Sermo
Magiſtri
MAURITII DE PRAGA
ſacræ Theologiæ Profeſſoris,
factus
IN GENERALI CONCILIO
CONSTANTIENSI.

Digitized by Google



HERMANNUS von der Hardt

Lectori S.

STEPHANI DE PRAGA latus ut in Concilio ita & in hac Concilii Hiſtoria claudit *Mauritius de Praga*. Solennis *Mauritii Oratio, in Conſtantienſi Concilio habita*, ejuſdem argumenti, nec minoris ponderis, ac *Stephani*. Tantoque omnino videbitur ſincerior in his orationibus affectus, in *cleri emendationem* collimans, quanto eſt manifeſtius, clariſſimos hos viros ejuſdem fuiſſe ordinis, utpote ſacræ profeſſionis. Ut *ſui ordinis homines*, non alterius fori, iſthac tempeſtate penetranti Concilii univerſalis ope *emendatos cuperent*.

Clariſſimus hic Theologus, *Mauritius de Praga, ad primitivæ Eccleſiæ formam*, primasque ſanctiones Eccleſiaſticas, adaptare ſuaſit *reformationem Eccleſiaſtici ſtatus* Conſtantiæ quæſitam. *Cauſas* verò diſſidii Eccleſiaſtici in concilio componendi *arrogantiam* perſtringit ac *ſimoniam*. Qui fontes ceterorum in Eccleſia malorum extiterant. *Bonarum literarum culturam* in clero ſui temporis vehementer deſideravit. *Probitatem* denique majorem Eccleſiaſticis perſonis commendavit. Opem Concilii in his rebus omnibus ſerio imploravit.

Debemus & hoc *præclarum antiquitatis monumentum* *AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSI*. In pretioſiſſimo quippe *Dorriano Codice MSCto*, *fol.* 207. nobile hoc opuſculum conſignatum deprehendimus.

Ceterum, ut tanto major his rebus affundatur lux, ac tota *facies Eccleſiæ illius temporis* clariſſime ob oculos ponatur, veritate *plurium teſtimonio* roboratâ: Non ingratum poſteritati fore confidimus, ſi conſonam addiderimus aliam *Petri de Bruxellis Orationem*, illa fere ætate de grandi illo *Simoniæ vitio* habitam, quæ in eodem *Codice MSCto Vindobonenſi f.* 147. eſt aſſervata.

Etſi verò definire haud ſuſtineamus, integrane ſit oratio, & quo anno ſermonem hunc habuerit *Petrus de Bruxellis*, & an ipſius Concilii celebritatem attigerit: Sufficere tamen credimus, ſeculi illius faciem, *Simoniâ* maculatam, hinc quoq; cognoviſſe plenius.

turum. Et ſubdit *cauſam,* dicens: *Soror tua Samaria*, id eſt, ſynagoga, *dimidium peccatorum tuorum non peccavit, ſed viciſti eam ſceleribus tuis, ergo & tu porta confuſionem tuam.* Multa ibidem his ſimilia reperiuntur, & in Eſaia, Jeremia, & cæteris Prophetis, quæ tranſeo cauſa brevitatis.

Circa ſecundum, licet non ſit noſtrum noſſe tempora, tamen ex quibusdam ſignis poteſt ſuſpicari, quod hæc perſecutio cito ſit futura. *Signa*

Unum poteſt ſumi ex verbis Apoſtoli in epiſtola ad Coloſſenſes, ubi ait: *Niſi venerit diſſenſio primum.* Qvod Hieronymus exponit de Romani Imperii deſolatione, inter quam & perſecutionem primam nullum ponit medium. Nunc autem, qualis ſit *imperii ſtatus*, vos judicate. Qvædam vero gloſſa ibidem dicit, quod erit *diſſenſio aliarum Eccleſiarum ab ipſa Romana.* *Quaſſatus imperii ſtatus. Diſſenſio Eccleſiarum à Romana.*

Aliud ſignum erit, quando *Eccleſia erit pejor moribus*, quam fuerat ſynagoga, juxta verbum Ezechielis: *Viciſti ſororem tuam ſceleribus tuis.*

Phariſæos notavit Chriſtus de *avaritia*, qvia permittebant vendi columbas in templo Dei, & de hoc, quod ſolùm labiis honorabant Deum, & quod erant *hypocritæ:* Videatis igitur, ſi pejus eſt, *ſacramenta & beneficia vendere*, quam permittere vendi columbas in templo; Si ſint aliqui, qui non ſolum non faciunt bona, ſed nec dicunt, nec prædicant; Si ſint aliqui, quorum inſolentia & malitia ad modum ignis in tantum ſuccenſa eſt, quod *nullo poteſt hypocriſis pallio operiri*, ſed facti ſunt *inverecundi.* Unde Eccleſiæ improperando dicitur: *Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* *Mores pravi Eccleſiaſticorum. Hypocriſis.*

Tertium ſignum ſumitur ex proportione *inæqualitatis nimiæ Eccleſiaſticorum membrorum.* Qvia alius quidem eſurit, alius vero ebrius eſt. Sicut enim *ad bonam harmoniam* requiritur *inæqualitas moderata*, quæ ſi nimis excedit, tollit melodiam: Sic, ſecundum Philoſophum, *propter immoderatam diſparitatem civium corrumpitur politia.* Non reperitur autem in hiſtoriis, quod unquam fuerit aliqua civium politia, in qua *tanta* eſſet *differentia ſacerdotum, ut hi quidem* eſſent *majores quam Principes ſeculi, cæteri* vero *deteriores vulgo.* Videmus etiam, quod ſi nutrimentum fluat ad unum membrum, ita ut *enormiter ingroſſetur, & alia nimium macerentur*, non poteſt corpus diu vivere. Sic etiam *in corpore reipublicæ Eccleſiaſticæ.* Ideo dicit Propheta. *Omne caput langvidum.* Et ſeqvitur de corpore: *A planta pedis usque ad verticem non eſt in eo ſanitas:* Inferioribus præ inopia non potentibus vivere, & ſuperioribus exceſſu divitiarum impeditis à bono opere. Et ecce periculum quidem ſequitur: *Vulnus & livor, & plaga tumens.* Vulnus diviſionis & *diſcordiæ.* Livor rancoris & *invidiæ.* Plaga tumens rebellionis & *contumeliæ.* *Arrogantia ſuperiorum Eccleſiaſticorum.*

Qvartum ſignum eſt *faſtus Prælatorum.*

Fuerunt autem quidam, qui fatue diſputaverunt de paupertate Chriſti, & invexerunt in Prælatos, quia non ſunt, ſicut depinguntur Apoſtoli. Sed hæc phantaſia venit ex ignorantia moralis Philoſophiæ & Theologiæ, & defectu naturalis prudentiæ. Qvoniam in omni gente, lege vulgata, de jure, quod eſt proprie naturale, ſacerdotes habuerunt, *Faſtus Prælatorum.*

 runt,

Digitized by Google

runt, & debent habere, unde poſſint honeſtius vivere quam populares, & Prælati quam ſubditi.

Sed ex hoc non conceditur equitaturæ ſeu *familiæ ſuperflua pompa.* Quæ raro poteſt abſque ſuperbia duci, & ſalva juſtitia ſuſtineri.

Talis faſtus in Eccleſia Dei, maxime temporibus iſtis, non tantum movet paucos ad reverentiam, quantum multos ad indignationem, & plures invitat ad prædam.

Tyrannia Eccleſiæ præſidum. Qvintum ſignum eſt *tyrannia præſidentium*, quæ cum ſit res violenta, durare diu non poteſt. Tyranni proprietas eſt quærere non commune bonum ſubditorum, ſed proprium. Tales ſunt *paſtores, qui non paſcunt gregem Domini ſed ſemetipſos:* Contra quos vehementer Ezechiel, & finaliter concludit: *Ceſſare vos faciam, ut non paſcatis ultra gregem meum, liberabo eum de ore eorum, & non erit eis ultra in eſcam.*

Indignorum ad ſacra promotio. Sextum ſignum eſt *promotio indignorum*, & *vilipenſio meliorum.* Hoc enim ſecundum Ariſtotelem eſt *malorum cauſa*, maximaq; occaſio diſſolutionis politicæ.

Septimum ſignum eſt *tribulatio politiæ ſecularis*, & commotio popularis, quæ in multis partibus jam experta eſt. Et quid ait Seneca? *Mala dedignantur ſola venire.* Timendum eſt, ne poſtea Eccleſiaſtica politia intrinſecus patiatur, & impleatur quod ait Jeremias: *Contritio ſuper contritionem &c.* Et illud Ezechielis: *Adducam peſſimos de gentibus, & poſſidebunt domos eorum, & ſanctuaria eorum.* Conturbatio ſuper conturbationem. Auditus ſuper auditum, & lex peribit à ſacerdote, & conſilium à ſenioribus.

Civilis rei concuſſio.

Impœnitentia cleri. Octavum ſignum eſt *recuſatio correctionis.* Et forſan de *Principibus Eccleſiæ* verificabitur illud Jeremiæ: *Noluerunt attendere, & cor ſuum poſuerunt ut adamantem, ne audirent verba, quæ miſit Dominus.* Hoc autem implebitur, quando Prælati veridicos & ſanctificos habebunt injuſtos, ſicut de eis dicit Amos Propheta: *Odio habuerunt corripientem, & loquentem perfecte abominati ſunt.* Et ideo de talibus etiam loquitur Dominus per Hoſeam Prophetam dicens: *Qvia repuliſti ſcientiam, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.* Et iterum: *Qvia oblita es legis Dei tui, gloriam filiorum tuorum in ignomiam commutabo, & erit ſicut populus, ſic ſacerdos.* Multa ſiquidem alia dicta ſunt in Prophetis de *ejectione ſacerdotalis honoris.*

Alia ruinæ indicia. Et præter hæc ſunt & alia ſigna, utputa, *receſſus juſtitiæ, & penuria ſapientum, prælatio puerorum, & novitas opinionum.* Qvibus attentis judicari poteſt, ſi præſentia tempora ſint ſecura.

Qvantum ad tertium, *quatuor cogitationes* poſſunt hominibus circa hoc occurrere, quibus tamen ſacri canonis contradicit autoritas.

Objectio 1 Cleri ſecuri de Eccleſia duratura. Una eſt nimis confidentium atque dicentium, quod Prælati ſint Eccleſiæ, quam ſemper Dominus cuſtodiet, nec deſeret eam, ſicut promiſit, dicens: *Ego vobiscum ſum usque ad conſummationem ſeculi.* Sed hoc intelligendum eſt quantum ad fidem, de qua Chriſtus dixit Petro: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Et ne forte aliqui ſe putent à turbatione ſecuros, quia ſunt *de Eccleſia*, dicit Dominus per Jeremiam Prophetam: *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini,*

Reſp.

Digitized by Google

Domini, templum Domini eſt. Et paulo poſt: *Vos confiditis in verbis mendacii, quæ non proderunt vobis.*

Alia eſt opinio prorogantium, contendentium, quod Eccleſia perturbabitur, ſed non ita, quia multæ cauſæ prætactæ & multa ſigna aliàs extiterunt. Et dudum per ſanctos Doctores, Gregorium & Bernhardum, fuerunt reprehenſi Prælati de receptione munerum, de pompis, & de promotione indignorum, & aliis vitiis, & tamen adhuc usque nunc proſpere ſtetit Eccleſia. Hi non vident, quod, *ſi domus aliqua diu fuit ruinoſa, propter hoc non eſt à caſu remotior aut minus periculoſa.* Etiam multoties accidit in Principibus, quod poſteri temporaliter pœnas portant pro peccatis prædeceſſorum. Contra hos in Eſaia dicitur: *Subito & cito, dum non ſperatur, veniet contritio.* *Exceptio 2. Antiquas illas eſſe querelas. Reſp.*

Tertius error eſt valde perverſus, qvorundam dicentium: *Veniat, quid poterit.* Conformemus nos huic ſeculo, temporiſemus ſicut hi, qui dicebant: *Fruamur bonis, quæ ſunt &c.* *Effugium 3. Nil curandum.*

Tales ſunt valde periculoſi Eccleſiæ Dei. Contra quos dicit Dominus: *Omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, & ego in interitu veſtro ridebo, cum venerit ſuper vos repentina calamitas.* *Reſp.*

Qvartus eſt error *diffidentium*, quibus *non videtur* in hoc *poſſe dari remedium*, ſed quod, ſicut alia regna ſuam habuerunt periodum, ita neceſſe eſt, quod hujusmodi Eccleſiæ duratio capiat finem, exigentibus demeritis & obſervationibus gubernantium. Juxta illud Jeremiæ: *Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, & pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cum vos malum didiciſtis.* Et iterum de Juda ſignificante Eccleſiam dicitur: *Peccatum Judæ ſcriptum eſt ſtilo ferreo*, quaſi dicatur, quod eſt indelebile. Et ſimiliter de pœna in Ezechiele ſcribitur: *Ego eduxi gladium meum de vagina ſua, irrevocabilem.* *Dubium 4. Immedicabile malum eſſe.*

Sed hæc *non* ſignificant *impoſſibilitatem*, ſed bene *difficultatem*, qua *perverſi difficile corriguntur.* *Reſp.*

Unde opinio *de immutabilitate futurorum* non ſolum adverſatur Theologiæ & Philoſophiæ, ſed etiam aſtronomiæ. Propter quod dicitur per Jeremiam: *Noli ſubtrahere verbum, ſi forte audiant, & convertatur unusqvisqve à via ſua mala.*

Et multa ſunt Scripturæ exempla, qualiter Dominus placatus eſt, ne faceret mala.

Qvantum ad qvartum: Reſtat dare ſalubre *conſilium*. Et iſtud concluditur ex prædictis. Videlicet, quod licet ſecundum præmiſſa ſuper Eccleſiam ſit tribulatio præparata, tamen *ſi mores noſtros in melius reformemus, ſi faſtus nimios* cum prudentia & modeſtia *temperemus*, ſi corde & opere ad Deum recurramus, ipſe modo inæſtimabili nos juvabit, & à flagellatione ceſſabit, ſicut ipſe per Jeremiam ait: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, ita & ego nolo, quod cogitavi facere.* *Emendationis ac reformationis conſilium.*

Unde ad Dei miſericordiam poſtulandam nos debet non ſolum impellere *timor tribulationis* prope imminentis, ſed etiam *ſpes & amor ſalutis* attrahere.

Eſt

Eſt hæc oratio *Petri de Bruxellis*, ſive is idem ſit qui *Petrus de Bruniquello* audit *Schiphovero*, *in Chronico Archi-Comitum Oldenburgenſium*, apud Illuſtrem *Meibomium Tomo II. Rerum Germanic.* ſive alius. Digna profecto, quæ, luculentum illius ætatis teſtimonium, conſervetur, ac, ut caveant, poſteris commendetur. Felix quippe, quem faciunt aliena pericula cautum.

Repetita pari fine in Concilio Conſtantienſi à viris doctis *Petri Bleſenſis de Eccleſiæ illius temporis fatis auguria*, ante illius celebritatem quidem conſignata, ſed digna viſa viris magnis, quæ in Concilii motibus legerentur atque cleri oculis exponerentur. Qvare ex *epiſtolis Bleſenſis* aureolæ huc facientes tunc ſunt excerptæ deſcriptæqve. Qvales & in Codice *MSCto Dorriano Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis* exhibentur. Cæterum, quia locus hic & operis hujus moles non capit univerſa ad rem hanc arduam pertinentia, calculo *Petri de Bruxellis* hic acquieſcemus, *Mauritium de Praga* in illuſtri Concilio non ſine autoritate dicentem audituri.

MAURI-

MAURITII DE PRAGA

Inclyti Theologi

In Concilio Conſtantienſi florentis

CONSILIUM

DE ECCLESIASTICO STATU IN CONCILIO CONSTANTIENSI EMENDANDO.

Ex vetuſtiſſimo MSCto

Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis.

H*Abeo vobis dicere*, *Joh. XVI.* originativè, & in officio Miſſæ tranſumtive.

Reverendisſimi Patres, Domini Magiſtri, ac baſes & columnæ atque paxilli tabernaculi teſtimonii, Exodi XXVII. figurati.

Locuturus veſtræ beatitudini in quadam ancipiti verſor ſententia. Ut gravatis mœſtitudine mentibus quidam diffidentiæ *torpor* obrepſerit *in dicendis.*

Tum, *propter auditorum dignitatem.* Terribilis beato *Gregorio* (prope finem *Sexti Moralium*) nuncupatur, dum ait: *Cum talibus doctrina mens polleat, gravis eſt imperitia, velle docere meliores. In eo namq́, verba vim ſua rectitudinis amittunt, dum auditori non congruunt, nam & medicamina vires perdunt, cum ſanis membris apponuntur.*

Tum, propter morum pravitatem. Qvia, ut idem ait *in Paſtorali, durum eſt, ut, qui neſcit moderamina ſuæ vitæ, fiat judex alienæ.*

Tum, *propter dicendorum tarditatem.* Nam, ut ſcribit Petrus *Damianus*, *dum ſermo Dei curioſorum auribus promitur, utrum artificioſi ſtyli lepor adſit, attenditur, Rhetorica venuſtatis color inquiritur, & captioſos Syllogismorum atque enthymematum circulos mens curioſa rimatur.*

Super qua tarditate licet præceptum habeamus, quo in templo Dei *lucus infructuoſa loquacitatis* plantari prohibetur, *Deut. XVI.* Et cuncti procul dubio ſcimus, quod, quoties malæ ſegetis culmi proficiunt, ſpicarum grana minori plenitudine turgeſcunt. Tamen ſalvator, in cujus manu ſunt & ſapientia, & operis & ſcientiæ diſciplina, *Sap. VII.* à quo eſt & noſtra ſufficientia, *II. Cor. III.* noſtram ſolatur penuriam, inquiens, ubi thema, *multa habeo vobis dicere, ſed nō poteſtis portare modo, cum autē venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Igitur pro impetranda ejusdem adventatione, matrem virginem eodem plenam ſpiritu ſalutemus, mente ſerena dicentes: *Ave Maria gratia plena.*

Habeo vobis dicere, ubi ſupra.

Qvia ſecundum beatum *Gregorium, V. ſermone in Moralibus*, in oratione, quando dicitur, neceſſe eſt, ut tempus, cauſa, & perſona penſentur, ſi verba ſententiæ veritas roborat, ſi hanc tempus congruum expoſtulat, ſi veritatem ſententiæ & congruentiam temporis perſonæ qualitas non impugnat. Ille enim laudabiliter ſpicula mittit, qui prius hoſtē conſpicit, quàm feriat. Hæc *Gregorius.* Cumq́; gradus dicibilitatis conſurgant ex gradibus entitatis, propter ſtylum veritatis: Hinc, quia primùm *propter reformandam corporis Eccleſiaſtici unitatem*, ſecundo *propter excludendam rectitudinis pravitatem*, tertio *propter erigendam ſacerdotii dignitatem*, vos *congregatos* video: Qvamobrem *ſuper illis tribus vobis dicere habeo*; Urgentibus, fructuoſæ fidelitatis *neceſſitate*, ut aliquem fructum in vobis habeam *Rom. I.* imperioſæ noſcibilitatis *auctoritate*, quam habeo à vobis, quibus datum eſt noſcere myſterium regni Dei; animoſæ dicibilitatis *utilitate*, qua Salvator permotus ait: *Simon habeo tibi aliquid dicere Luc.* VII.

Scopus Concilii Conſtantienſis reformatio regiminis Eccleſiaſtici.

Cumqve omne dicibile vel eſt *honeſtatis*, quale eſt *reformatio Eccleſiaſtica unitatis*, quoad primum: Vel *utilitatis*, quale

eſt *excluſio recidivæ pravitatis*, qvoad ſecundum: Vel *delectabilitatis*, quale eſt *erectio ſacerdotalis dignitatis*, quoad tertium:

Eccleſiarum diſſidentium unio quæſita in Concilio Conſt. Reformatio Eccleſiæ in Concilio Conſt. erat ad exemplum primitivæ Eccleſiæ inſtituenda.

Liqvet pro primo, quod perveniri ad *reformandam corporis Eccleſiaſtici unitatem* non poteſt niſi per hoc *medium primitivæ Eccleſiæ, ad cujus formam ſeu ſanctiones Eccleſiaſticas diſponitur Eccleſiæ præſentis reformatio*, videlicet, ut ſit vobis cor unum, & anima una in Domino *Act. IV.* Tum quia in ipſo ſolo duntaxat noſtra *ſciſmata* uniuntur, dicente beato *Auguſtino Confeſſione prima ad Dominum: Feciſti nos ad te: Inquietum eſt cor noſtrum, niſi quieſcat in te.* Et infra lib. X. *In omnibus his, quæ percurro, conſulens te in creaturis, non invenio locum animæ meæ, in quo colligantur ſparſa mea, niſi in te. Qvod niſi in te, recedit à me. Cujus ſignificat neceſſitatem Salvator dicens: Martha, Martha ſollicita es & turbaris erga plurima: Porro unum eſt neceſſarium Luc.* X. Super quo B. *Auguſtinus in homiliis: Præponitur unum multis. Non enim à multis unum, ſed multa ab uno ſunt. Multa ſunt unius, qui fecit.* Hæc ille.

Præſidum Eccleſiæ concordia optima Eccleſiæ unio.

In quo facta prælatorum communio, eſt Eccleſiæ unio: *A quo* eorundem diviſio, eſt Eccleſiæ ſciſſio.

Qvod ſic ſvadetur. Vera Eccleſia univerſalis conſtat in particularibus, ſecundum *Auguſtinum de civitate Dei, Lib.* XVI. *cap.* IV. Particularis autem Eccleſia prælatorum particularis per Salvatorem dicitur *Matth.* XIIX. *Si te non audierit, dic Eccleſiæ.* Igitur ſi particularium prælatorum in Deo communio eſt Eccleſiæ univerſalis unio: Sic eorũ *à Domino per peccatum diviſio, fuit ſchiſmatis occaſio.*

Diſſidia prælatorũ occaſio ſchiſmatũ Eccleſiæ. Prælatos ſuam decet agnoſcere culpam.

Sed, inquis, *durum eſt, de Prælatis talia ſentire.* Reſpondeo, *utinam ipſi* agnito crimine *talia de ſe ſentirent.* Nam cum beato *Auguſtino de Civit. Dei lib.* 14. *cap.* 14. audeo dicere: *Superbis eſt utile, cadere in aliquod apertum, manifeſtum peccatum, ut ſibi diſpliceant, qui ſibi placendo ceciderant. Salubrius enim ſibi Petrus diſplicuit, quando flevit, quam qvum ſibi placuit, quando præſumſit. Hinc ait Propheta: Imple facies eorum ignominia & quærent nomen tuum Domine, qui ſibi placuerunt quærendo ſuum. Sed pejor eſt ſuperbia, quæ in manifeſtis peccatis quæritur ſuffragium excuſationis, ſicut ille, quorum unus dixit: Domine, mulier, quam dediſti mihi, & illa & ſerpens ſeduxit me. Nusquam ſonat hic petitio veniæ, nusquàm imploratio medicinæ. Nam licet non negent, ſicut Cain, tamen in alium quærunt referre. Qvod perperam fecerunt, quaſi quidquam Deo, cui crederetur, proponendum foret. Unde non excuſatio, ſed potius vera accuſatio eſt, ubi mandati divini eſt aperta transgreſſio.* Hæc ille.

Prætextꝰ metus in electione Pontificis novi ante Conciliũ Conſt. tempore ſchiſmatis, rejicitur. Cardinales debere eſſe metus expertes.

Nec *allegatio metus* ſubvenit, *qui in ſchiſmate intervenerit.* Beato *Auguſtino ſuper Joh. XII. Qvi amat animam ſuam perdit eam*, dicente. *Cum iſte articulus venerit, ut aliquid faciendum ſit contra Dei præceptum, aut ex hac vita migrandum, comminante mortem perſecutore; Ibi eligat homo Deo dilecto mori, quam offenſo vivere.* Hæc Auguſtinus.

Et quia *portatores rubei capelli ſunt Papæ electores*, ex ſigno rubedinis profecto ſunt per Eccleſiam in ſtatu martyrum. Eſt autem verendum, metum mortis martyribus adſcribere. Qva in re non eſt fugiendum. Qvod ſeculares, qui aſſimulantur corpori, ſicut Eccleſiæ prælati Spiritui, poſſint Eccleſiam ſcindere. Qvod ex conditione ſtatus innocentiæ colligitur, in Adam, in quo tunc fuit univerſalis Eccleſia, dicente Apoſtolo *Rom. VI.* in quo omnes peccavimus, ſecundum *B. Auguſtinum lib. XVI. de civit. Dei cap.* 26. Legem datam omnibus, in Adam prævaricantibus, ſi ſpiritus Adæ, ſicut in conditione acceperat, ſervaſſet unicus per *obedientiam*, nunquam etiam ab eo deſcendens ſciſſuram ſenſiſſet, nec corpus ejus ſpiritui rebellare potuiſſet, ex ſententia beati *Auguſtini lib. de civit. Dei cap.* 2. *It. l.* 60. *cap.* 1. Sed ſpiritu Adæ ſcindente ſe per peccatum à Deo, mox etiam univerſalis ab eo deſcendens pravitatem ſchiſmatis perſenſit, Propheta dicente: Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, corrupti, & abominatio facti ſunt, *Pſ.* 13.

Prælatorũ Eccleſiaſticorum peccata, ſchiſmatis ſemina.

Et à ſimilibus *prælatis, in Eccleſia peccantibus*, ſchisma in Eccleſia eſt ſeminatum. Et ſicut in Adam, ſpiritu peccante in Deum, mox ſenſualitas rebellavit ſpiritui: Sic *prælatis Eccleſiæ*, à Deo ſe ſeparan-

parantibus, mox ſeculares protervire cœperunt, Domino per Prophetam dicente figurate *cœtui prælatorum: Numquid ſervus eſt Iſrael, aut vernaculus? Quare ergo factus eſt in prædam. Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem ſuam, poſuerunt terram ejus in ſolitudinem, civitates ejus exuſtæ ſunt, & non eſt, qui habitat in eis, filiiq; Noph & Taphnes conſtupraverunt te uſque ad verticem. Numquid non iſtud factum eſt tibi, quod dereliquiſti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat per viam, Jer. II.*

Qvamobrem *Reverendiſſimi Patres*, poſtquam divites facti eſtis in omni verbo & omni ſcientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis: Ita, ut nihil vobis deſit in ulla gratia: Obſecro vos per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut non ſint in vobis ſchismata *I. Cor. II. Schiſmata*, inquam, nec *quoad Deum*, nec *quoad proximum.* Qvoad Deum, dico: Qvia ſunt contra naturam, ſecundum beatum *Auguſtinum de civit. Dei lib. XI. cap. XVII.* Vitium ita eſt contra naturam, ut non noceat niſi naturæ. Nec eſſet vitium recedere à Deo, niſi naturæ, cujus eſt vitium, cum peteret eſſe cum Deo.

Paræneſis ad ſeriam pœnitentiam cleri.

Quamobrem pro excluſione *ſchismatis quoad Deum*, ſcrutetur unusquisque conſcientiam ſuam, ſicque ante ſe ſtatuat proprii cenſuram judicii. Si in ſecreto cordis illam, quam Chriſtus dat, invenit pacem, ſi deſiderium ſpiritus nulla concupiſcentia carnis impugnat, ſi humilia non ſpernit, ſimiliter alta non appetit, ſi immoderate rerum ſuarum non gaudet augmento, ſi aliena felicitate non uritur, aut inimici miſeria non lætatur, ſi ejus juſtitia nec adulantium potentia, nec propinquorum gratia, nec muneris vileſcit pretio.

Et cum harum *perturbationum* nihil in ſe forte reperit, ſincero diſquirat examine, qualium frequentetur *cogitationum* ſpecies, & utrum nullis *vanitatum* acquieſcat *imaginibus*. Nam nullis illecebris commoveri, nullis cupiditatibus titillari, non eſt iſtius vitæ, quæ tota eſt tentatio, & qua nimium vincitur, qui ab eadem vinci non veretur. Superbum eſt enim de non peccandi facilitate præſumere, cum hoc ipſum præſumſiſſe ſit peccaſſe. Hinc beatus *Auguſtinus de Civ. Dei lib.* XIV. *Cap.* X. ait: Nunc ſatis bene vivitur, ſi ſine crimine. Sed qui ſine peccato ſe vivere æſtimat, non agit, ut peccatum non habeat, ſed ut veniam non accipiat. Et infra *lib.* XXII. *cap.* 23. Sciamus, quantumlibet virtute pugnandi vitiis repugnemus, vel vitia ſuperemus, quamdiu ſumus in hoc corpore non deeſſe nobis poſſe. Unde dicamus Deo: Dimitte nobis debita noſtra.

Dico ſecundo: Non ſint *ſchismata* in vobis *quoad proximum*, ipſa etiam repugnante lege naturæ: De qua beatus *Auguſtinus* prope finem *XII. libri de Civ. Dei:* Nihil commodius contra vitium diſcordiæ, quam recordatio illius parentis, quem ideo Deus creavit unum, de quo multitudo propagaretur, ut hac communicatione unitas in multis ſervaretur.

Quæ unitas tunc cernitur, ſi *ab hoc ſacro concilio* affectiones cauſarum particularium, *lites* generantium, & *odia* unitatem catholicam retardantia proſcribantur. Qualiter in exordio conciliorum per Conſtantinum *in primo Hiſtoriæ Tripartitæ* factum fuiſſe narratur. Secus, ſi invicem mordetis, & comeditis, videte, ne *ambitione* conſumamini *Galat. V.* noviſſima pejora prioribus relinquentes.

Affectus in Concilio Conſt. refrenādi. Lites & odia à Concilio exulare jubentur.

Iſta non fonte labia prolui caballino, nec in bicipiti ſum Parnaſſo perfuſus mero. Quia, ut verbis utar Apoſtolorum Principis, non doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem & præſtantiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis, 2. *Petr. I.* De qua habuimus vobis dicere quoad primum.

Dixi ſecundo, quod *propter excludendam recidivi pravitatem congregatos vos* video. Hinc ſecundam concluſionem vobis dicere habeo, videlicet, quod ſchismatis recidivi rationem non poteſtis providere, niſi *per extirpationem Simoniæ.* Quæ ſic ſuadetur. Figuræ veteris legis & Eccleſiæ non verificantur, niſi ex figurato noſtræ Eccleſiæ, dicente beato *Auguſtino XII. de Civitate Dei* cap.

Simonia Concilii Conſt. ope extirpanda.

cap. VII. Nihil enim prodeſt Teſtamentum Vetus de monte Sina in ſervitutem, niſi quod Teſtamento Novo teſtimonium perhibet. .

Simonia Judaica Reipublica exiliũ peperit.

Sed ſtatus veteris legis & Eccleſia non eſt deſtructus niſi per Simoniam. Quod patet quadruplici teſtimonio.

Primo Prophetæ dicentis: *Audite hæc Principes domus Jacob, & judices domus Iſrael, qui abominamini judicium, & omnia recta pervertitis, qui ædificatis Sion in ſanguinibus, & Hieruſalem in iniquitate. Principes ejus in muneribus judicabant, & ſacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant, & ſuper donum requieſcebant, dicentes: Numquid non Dominus in medio noſtrum? non venient ſuper nos mala; Propter hanc cauſam turris Sion quaſi ager arabitur, Hieruſalem quaſi acervus lapidum erit, & mons templi in excelſa ſylvarum. Micha III.* Et rurſum *Hoſea III. Sedebunt filii Iſrael ſine rege & ſine Principe, & ſine ſacrificio & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine Teraphim.* Quæ heu citius etiam veniebant.

Chriſtus Simoniacos expulit ex Eccleſia.

Secundo confirmatur teſtimonio Salvatoris, quo ait *Simoniacis*, quos de templo ejecerat: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti fructus ejus. Matth.* XXI.

Tertio per beatum *Auguſtinum.* Quod ignis ſacrificii, qui LXX annis vixit ſub aquis, vendente Antiocho ſacerdotium Jaſoni, eſt extinctus: *Extinctionem ſacerdotii* oſtendit.

Simonia natura.

Quarto oſtenditur ex multitudine figurarum. Cum enim *Simonia* ſit *inordinata voluntas commutandi temporale pro ſpirituali, & è contra.*

Et non dico, *ſtudioſa voluntas* commutandi. Quia ſtudioſa commutatio eſt laudabilis, Apoſtolo dicente: *Si vobis ſeminamus ſpiritualia, non magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus* &c. Ita enim & Dominus ordinavit *I. Cor. IX.* Qui etiam commutationem hujusmodi perſuaſit dicens: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula Luc.* XVI.

Proinde dixi, *inordinata voluntas.* Quia procedit ex inordinato amore, odio vel pretio *foriſandi ſpirituale pro temporali.* Regnum vero Salomonis ſciſſum eſt propter *inordinatum amorem* mulierum, commutantem cultum Dei in cultum Diaboli temporalem, idololatrando. III. Reg. XI. Regnum vero Roboam infra XII ſciſſum eſt ab eo *propter odium* &c. quo deteſtatus eſt ſenum conſilium, juvenum amplexans. Regnum vero Jeroboam ablatum eſt ab eo ſimiliter *propter inordinatum pretium,* quod recipiebat vendendo ſacerdotium. Dicitur enim ibidem *cap.* XIII. quod Jeroboam de noviſſimis, id eſt, de viliſſimis populi, fecit ſacerdotes excelſorum. Et propter hanc cauſam domus Jeroboam everſa & deleta eſt de ſuperficiebus terræ.

Simonia figura in Salomone, Rehabeã, Jerobeã.

Liquet ex relatione figurarum ad figurata, quod *regnum Eccleſiæ* primo *ſcinditur propter regentium meretricia, quæ emuntur ex proviſione Eccleſiaſtica,* exemplo Salomonis, Quæ, inquam, proviſiones ſunt bona ſpiritualia, ſicut infra probabitur, quæ commutantur pro temporalibus & momentaneis meretriciis.

Decreta Patrum contra Simoniam parvi facta.

Secundo *propter contemtum ſanctionum & decretorum ſanctorum Patrum contra pravitatem Simoniacam,* & amplexionem novitatum, exemplo Roboam, aſſerentium, *in Papam non poſſe cadere Simoniam.* Vere mendacium operatus eſt ſtylus ſcribarum mendax. Nam ſi in nova lege *in Judam,* electum à Chriſto diſcipulum, æqualem tunc Petro, accidit *ſimonia,* qui etiam perſonam in divinis æſtimavit XXX argenteis: Quomodo non *in Papam, in Apoſtolatum ab hominibus electum?*

Effugia veterum: in Papam non cadere Simoniam. Reſp.

Sed cur in Judam cecidit? Revera, quia de Chriſto *malam fidem* velut hæreticus habuit. Et tales ſunt omnes *ſimoniaci.* Ait enim *Remigius* in præfatione tertii Pſalmi: Quod Judas non credidit, Chriſtum eſſe Dei filium, ſed quendam magum & ſacrilegum.

Simoniaci hæretici.

Simoniaci vero *pejus de Spiritu ſancto, quam hæretici ſentiunt,* teſte beato Auguſtino contra Maximianum, qui Spiritum ſanctum dixit eſſe ſervum Patris, & Filii, *Simoniaci eum dicunt eſſe ſervum denarii.*

Simoniaci pejores hæreticis.

Et

Prætextu alius.

Et in adjutorium erroris aſſumitur, *quod Papa non vendat ſpirituale, ſed ſolùm annexum temporale*, cum quo tranſit ſpirituale, quemadmodum jus patronatus, cum emtæ villæ hæreditate. Sed his reſpondetur, quod errant, neſcientes divinas Scripturas, quibus docemur, quod temporale ipſo facto annexionis dedicetur, ut conſecretur & commutetur in ſpirituale.

Reſp.

Proinde, ſi venditur, profecto venditur ut ſpirituale. Quod patet ex *ratione & autoritate*.

Ratione, inquam. Qvia corpus Chriſti non eſt de ſe ſpirituale, in eo, quod corpus: Secundum rationem annexionis divinitati, quæ eſt ſupremus ſpiritus, dicitur eſſe ſpirituale, quamvis in ſubſtantiam ſpiritus divini non tranſierit, ſed corporale remanſerit: Sic ſimiliter de proviſionibus temporalibus, quæ annectuntur ſpiritualibus, eſt cenſendum.

Autoritate, inquam, qua Eccleſiæ loquitur Dominus in lege veteri, *Levitici ultimo*; Quicquid ſemel conſecratum fuerit Domino, ſive homo fuerit, ſive animal, ſive ager, non vendetur, quia ſanctum ſanctorum erit, Domino loquente. Et in nova, *Matth. XXIII.* quod altare ſignificat donum ſibi impoſitum, & ita donum eſt ſpirituale. Qvia ſanctum Deo, non homini dedicatum. Unde ſacerdos, dans denarium Deo dicatum pro meretricio, *crimen ſimoniæ* incurrit. Secundum quam ſententiam *oblata non dicuntur ſacerdotum* proprie, *ſed Dei*. Quemadmodum Dominus Salvator, dicens: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, non ſubdit: *Reddite ſacerdotibus, quæ ſunt ſacerdotum*, ſed *quæ ſunt Dei, Deo*.

Ut Papa intelligat, *non* ſe eſſe *ſpiritualibus annexorum Dominum*, ſed *diſpenſatorem* & villicum. Et pro tali eſt reputandus, ſecundum Apoſtolum, dicentem: *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum.*

Sed quia hic jam quæritur in diſpenſatore, ut fidelis quis inveniatur, 1. *Cor.* 4. Quoniam *noſtri Jeroboam* de viliſſimis, qui manum eorum implebant, fecerunt ſacerdotes: Sicut lamentabiliter colligitur ex Eccleſiæ *ſciſſura, cui occaſionem præbuit ipſorum ſimonia*: Qua de re *autoritate hujus ſacri concilii, reformantis Eccleſiæ ſciſſuram*, cicatrices ſimoniæ ſunt medendæ.

Reformatio Concilii Conſt. ſimoniam voluit abolitam.

Primo, quatenus hujusmodi *ſimoniaci* charitative *commoneantur*, ut digne pœniteant, aut ſaltem *cum Juda* proditore, primo novæ legis ſimoniaco, reſignantes, beneficia percepta *reſtituant*, quemadmodum Judas projectis argenteis, nec tamen ſe ſuſpendant, *Matth. XXVII.*

Modus Simoniacos emendandi.

Reſtituāt.

Nec ſunt cenſendi extare alii modi pœnitendi. Nam ſicut in omni genere primum eſt menſura omnium ſecuturorum, ex *X. Metaphyſ.* ſic *Judæ, primi novæ legis Simoniaci*, pœnitentia, ſuſcepto *ſuſpendio, eſt regula pœnitendi* omnium Simoniacorum ſequentium. Et, ſi pœnitere noluerint, ex tunc ejiciantur de beneficiis usque ad electionem ſummi Pontificis, exemplo concilii primi, *Eſdræ II.* Ubi Veteris legis Eccleſia, diſperſa per captivitatem Babylonicam, in reditu Hieroſolymæ, redintegrata non legitur, niſi ejectis ſacerdotibus, qui de juſto beneficii titulo docere nequibant. Ait enim *de filiis Abia* &c. *Hi quæſierunt ſcripturam genealogiæ ſuæ, & non invenerunt, & ejecti ſunt à ſacerdotio, ut non comederent de ſancto ſanctorum*, id eſt, de cibo pertinente ad ſacerdotes, donec ſurgeret ſacerdos doctus atque perfectus. Tunc enim ſacerdotium autentice tranſibat per *ſucceſſionem* hæreditariam, qualis fuit *Aaronitarum* divinitus olim autentata *Exod. XXVIII.* Et hæc ſucceſſio per lineam genealogiæ legitimam dabat tunc niſi beneficii titulum. Qui ceſſavit poſt partum virginis, quo *ſacerdotes, caſtitatis profeſſores*, promoventur pro ſpirituali ſobole multiplicanda.

Cedant.

Quod ſi de beneficiis nolunt cedere, ex tunc illi *expellantur* cum furore, exemplo Salvatoris, qui manſuetiſſime ſuper aſinam veniens eosdem zelanter ejecit, atque fures & latrones appellavit, ac *templum ratione ſimoniæ ſpeluncam latronum, Matth. XXI.*

Expellantur.

Ad quod ſimoniacos intrare prohibens, ſe oſtium Eccleſiæ vocavit *Joh. X.*

In cujus myſterium *Exod. XII.* oſtium in utroque poſte agni ſangvine tingitur: Oſtendens introitum in Chriſti ſangvine duntaxat. Atq; aliter *intrantes, ſimoniace* videlicet, Angelo exterminatori tanquam incorrigibiles relinquit.

Plectantur. Tandem facta expulſione ſunt acerrime *puniendi.* Ut patet in Gehaſi IV. *Reg.* V. Cui Eliſæus legitur dixiſſe: Naamani lepra adhærebit tibi, & ſemini tuo in ſempiternum.

Cum autem non legatur Gehaſi ſemen naturale reliquiſſe, conſtat, de mutato *cleri Simoniaci ſemine* Eliſæum prophetaſſe, quaſi deſperantem de *Simoniacorum per Eccleſiam exterminatione.*

Tum primò, quia in Romana curia non deficient *ſervitores prælatorum* pro promotionibus. Qvam *ſervitutem* beatus Gregorius dicit *Simoniacam.* Qvia munus ab obſeqvio.

Nec ſecundo deficiunt *promotores honorantiarum & præſentiarum*, exemplo Gehaſi. Qvi, ſine pacto ſanatione peracta, quamvis non conſentiente Domino, tamen occulte, nomine ſui Domini Eliſæi, honorantias legitur recepiſſe tanquam *munus à manu* Simoniacum, ſecundum beatum Gregorium.

Difficillimum negotium, Simoniacos ex Eccleſia eliminandi. Manſuros ſemper in Eccleſia Simoniacos.

Nec tertio *procuratores & advocati* deficient, ſicut nec *lites.* Qvas *operas* reputat beatus Gregorius *Simoniacas*, tanquam *munus à lingua.* Ait enim *libro moralium, nono capitulo:* Plerumqve nonnulla terena præmia appetunt, & juſtitiam defendunt, ſeqve innocentes æſtimant, & eſſe defenſores rectitudinis exultant. Qvibus ſi ſpes nummi ſubtrahitur, à defenſione juſtitiæ ceſſatur. Et tamen defenſores ſe juſtitiæ cogitant, ſeqve rectos aſſerunt, qui nequaquam rectitudinem ſed nummos quærunt. Contra quos bene per Moſen dicitur: Juſte quod juſtum eſt exequitur. Injuſte quippe, quod juſtum eſt exeqvitur, qui ad defenſionem juſtitiæ non virtutis æmulatione, ſed amore temporalium excitatur. Juſte autem, quod juſtum exequitur, quando nec laudes nec præmia ab hominibus expectamus. Hæc Gregorius.

Sed quid contra ſtimulum calcitro, ventum percutiens, poſtquam audio Prophetam dicentem: *Fruſtra conflavit conflator, malitia ejus non ſunt conſumta.*

Unum tamen infero, quod de partibus mecum attuli: Qvod *hoc ſacrum concilium nullo modo ab infamia vulgari liberatur, niſi Simoniam exterminet.* Tum, quia communis vulgi opinio, qvanqvam falſa & hæretica, clamat, *Johannem Huß ſententiatum* per concilium, tanquam ſevere judicarit ut Salvator, Simoniacos, contra quos ille damnatus acerrime prædicavit.

Concilii Conſt. teneri Simoniam exterminare.

Hoc in medium deducere volui, tanquam ſecundum quod vobis dicere habui.

Dixi tertio, quod *propter erigendam ſacerdotii dignitatem congregatos vos* video. Hinc vobis hanc concluſionem tertiam dicere habeo, quod dignitatem ſacerdotii non poteſtis erigere, niſi pro poſſe conemini *promotiones puerorum, ignarorum & pravorum* deſtruere.

Qvod ſvadetur: Qvia prædictorum prælatio, eſt ruinoſa ſacerdotii deſtructio. Igitur eorum deſtructio erit ſacerdotii erectio. Talis conſequentia capitur ab oppoſitis.

Ignaros & pravos ex clero per Conſt. Concilii eſſe exturbandos.

Et amplius patet inductive *autoritate, ratione & exemplo*, poſitio de prioribus.

Qvia *autoritate* prohibentur per Apoſtolum promoveri ad ſacerdotium, *I. Tim. III.* Non neophytum in fide, nec *moribus novitium.* Qvales ſunt pueri ætate vel probitate. Unde *puer centum annorum* maledicitur, *Eſ.* LXV.

Et *ratio.* Qvia propter pubeſcentem adoleſcentiam, qua ſeqvuntur paſſiones vitiorum, & propter inexperientiam, à regimine arceantur Eccleſiaſtico. Eo quod *ars artium eſt regimen animarum*, ſecundum beatum *Gregorium primo Paſt. c.* II.

Porro ſi hujuſmodi non ſunt ſcientiæ morales, utiles auditoribus, *ex I. Ethic. cap.* II. quomodo erunt ſcientiæ moralis doctores? Qvales eſſe oportet Prælatos. Qvi non ſunt in ſtatu acquirendæ perfectionis, qvemadmodum religioſi ſecundum beatum *Benedictum cap. ult. ſuæ Re.* Sed per amplius ſunt in ſtatu exercēdæ virtutis & perfectionis, in alios prælatialiter diffundendæ. Qvemadmodū tradit

Digitized by Google

tradit beatus *Gregorius*, *X. Moralium* dicens: *Summus locus tunc bene regitur, quando homo non hominibus, ſed vitiis principatur. Qui ergo neſcit propria vitia compellere, quomodo compeſcit aliena.*

Papam Johannẽ XXIII. inconſulto fuiſſe electum.

Ex quibus colligitur, quod *inconſulte Balthaſar de Coſſa electus eſt in ſummum Pontificem*, qui ab experimento non habuit ſtatum exercendæ perfectionis, ſed promittebat, ſe aſſumere ſtatum acquirendæ perfectionis. Qvod prælatiæ repugnat.

Patet idem ab exemplo utriusqve teſtamenti. Nam in veteri lege *paſtores* pecorum propter experientiam vocantur ad regimen hominum. Et in nova aſſumuntur ſimiliter *piſcatores*.

Ignari ad officia ſacra non promovẽdi.

Qvod autem *ignari arceantur à promotione Eccleſiaſtica*, patet *autoritate, ratione & exemplo.*

Autoritate inquam. Qvia *Prælati* animarum in veteri lege dicuntur *ſpeculatores*, *Ezech. III.* In nova vero lege *Epiſcopi*, *Act. XX. Attendite vobis & univerſo gregi, in quo Spiritus Sanctus vos poſuit Epiſcopos*, id eſt, *Superintendentes*, ſecundum beatum *Augnſt. XIX. de civitate Dei c.* XIX. *Epiſcopatus* nomen græcum eſt, & *nomen* eſt *operis, non honoris.* Hinc propter defectum ſcientiæ & Superintendentiæ ignari arceantur à ſacerdotio, Domino dicente: *Qvia tu repuliſti ſcientiam, repellam ego & te, ne ſacerdotio fungaris, Hoſea cap. IV.* Et cauſam ſive rationem aſſignat Propheta dicens: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Dei exercituum eſt. Malachiæ II.* Angelus, inquam, divinæ voluntatis, legationem ad homines ſufficienter proferens. Qvia Dei perfecta ſunt opera *Deutr. XXXII.* Unde & ait: *Scientiam Dei volui plus, quam holocauſta, Ezech.* 17.

Hinc patet idem ab *exemplo*, quo Chriſtus noluit *Apoſtolos* Eccleſiis præficere, volens ad cœlum aſcendere, niſi per miſſionem ſancti Spiritus *informatos ſufficientisſime*, dicens: *Sedete hic in civitate, donec induamini virtute ex alto, Luc. ult.* Et ex tunc, *Euntes in mundum prædicate, Marc. ult.* Et rurſum *Act. I. Accipietis virtutem Spiritus ſupervenientis in vos, & eritis mihi teſtes* &c. In cujus myſterium coronam impetrabitis in fide ſcientiam utriusqve teſtamenti accipientis, qvando ſignata ſignis concordant. Secus, ſecundum Gilbertum de abuſion. nil ſtultius, propter ſignorum diſcrepantiam, quam *aſinus coronatus, & ſpeculator cæcus.*

Eccleſiaſtici imperiti.

Verum, quia *prælati Eccleſiaſtici* ſunt *Clerici laicorum libri* & exemplaria, *in quibus debent legere humanitatem, caſtitatem, & omnem virtutem*, Salvatore ipſis dicente: *Vos eſtis lux mundi, Matth. V.* Lux, inquam, non ſolùm ut videatis, ſed ut videamini. Qvemadmodum ſubdit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona:* Hinc *pueri & ſcandaloſi* arceantur à prælatiarum regimine, tanquam *mala exemplaria*, nomen Domini blaſphemantia, *in quibus legitur avaritia, luxuria, ſuperbia & omnis malitia.* Unde merito tales libri forent corrigendi vel certe comburendi. Tum quia ſecundum B. *Gregorium, XVI. moralium*, ſicut lectio viva eſt vita juſtorum, ſic *ſcandaloſa vita prælatorum eſt damnatio ſubditorum*, Domino per Prophetam conquerente: *Grex perditus factus eſt populus meus, paſtores eorum ſeduxerunt eos.*

Clerici laicorum libri.

Hæc veſtræ ſanctitati dicere habui, propter excludendum taciturnitatis dæmonium, cujus vitium Eſaias Propheta ſibimet imputans, *VI. Cap. Væ*, inquit, *mihi, quod tacui, timens offenſam regiam*, in tantum aggravat, ut ſe propter hoc removendum ab officio prophetiæ cenſeat, nec poſſe purgari, niſi per ignitum calculum, quod beatus *Hieronymus* miſericordiam interpretatur.

Vos autem, ut omnia præmiſſa verbis concludam Apoſtolorum Principis, *II. Petr. I.* omnem curam ſubinſerentes, ut univerſa onera Eccleſiæ Catholicæ ſupportetis, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem fraternitatis amorem, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim ſi vobiscum adſint & ſuperent, non vacuos nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitione.

Cui

Cui enim non præſto ſunt hæc, cœcus eſt, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum. Qvapropter ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum. Hæc *Petrus*. Qvem introitum ipſe præſtare dignetur, qui eſt Déus benedictus in ſecula. AMEN.

Ponderoſum
hocce
CONSILIUM
DE ECCLESIASTICO STATU
IN CONCILIO CONSTANTIENSI
emendando
à
THEOLOGO
MAVRITIO DE PRAGA
In Concilio Conſtantienſi
ſummis illius Aſſeſſoribus
A. M. CCCC. XVII.
datum,
Concilium hocce moderante
IMPERATORE SIGISMUNDO.
Nunc tandem
Ex vetuſtiſſimo ac pretioſiſſimo Codice MSCto
Auguſtiſſimæ Bibliothecæ
Cæſareæ Vindobonenſis
In Academia Julia
A. M. DC. XCVII.
die XXIII. Febr.
erutum
Auſpiciis
Sereniſſimi Brunſvicenſium Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI
ſub Imperio Auguſtiſſimo
MAGNI LEOPOLDI
CÆSARIS.

Digitized by Google

TOMI I. PARS XVIII.

BERNHARDI BAPTISATI

Ordinis S. Benedicti de Gaſconia, Abbatis,

frequentis in Concilio Conſt. Oratoris

INVECTIVA

IN CORRUPTUM ILLO TEMPORE CLERUM, IN CONSTANTIENSI CONCILIO EMENDANDUM.

Felicissimis Auspiciis

SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

Ex antiquo Codice MSCto

Bibliothecæ Academiæ Helmstadiensis

eruta ab

HERMANNO von der Hardt.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

Helmestadi, Typis Salomonis Schnorrii, 1697.


Digitized by Google

MSCt.Helmſtadienſe.

* *
*

Sermo
BERNHARDI BAPTISATI
Ordinis S. Benedicti
de Gaſconia,
prædicatus
in
CONCILIO CONSTANTIENSI
Dominica XI poſt Pentecoſten
(A. M CCCC XVII.)

Digitized by Google



HERMANNUS von der Marck
Lectori S.

ALios aliosq; juvat de priſca Eccleſiæ fortuna audire, *Oratores, in Conſtantienſi Concilio celebres.* Unum ſi audias, affectui quid indultum opineris. Plures ſi idem publico nomine dicere intelligas, communibus fatis rem conſtare, ac communi conſenſu veritatem roborari credas.

Memorabile in his, quo frequentiora in Concilio agitata conſilia de novo Pontifice eligendo, ac quo propius illa viſa eſt imminere hora, quâ grande hoc negotium erat conficiendum, eo magis auctas eſſe *querelas de ſtatus Eccleſiaſtici corruptione, & cumulata emendationis vota.*

Sane *Bernhardum* hunc *Baptiſatum* non male *Johannis Baptiſtæ* æmulum dixerit, qui memor fuerit, non *Baptiſtam* magis quàm *Baptiſatum*, ſui quemque temporis clerum acerbe ob depravatos mores perſtrinxiſſe.

Baptiſta Phariſæos populiq; ſacerdotes impœnitentiæ duræque cervicis accuſavit: *Baptiſatus* clerum præcipuum reſuſcitatos Phariſæos appellavit, eosque ſimili ratione perfrictæ frontis ac indurati cordis damnavit. Uterq; palam in numeroſo hominum cœtu publicoq; concilio cunctas ſacerdotum ſui ævi maculas magno animo detexit. Eccleſiaſticorum ſui quisque temporis avaritiam, faſtum, luxuriam, dominandi libidinem, ſimoniam, in ſubditos inferiores ſævitiam ac tyrannidem, pectus pœnitere neſcium, *Baptiſta* æque ac *Baptiſatus* animoſe arguit ac reprehendit. Deum vindicem uterque invocavit. Pœnam juſto Dei judicio clero depravato imminentem uterque denunciavit. *Baptiſta* Phariſæos legisque peritos ſerpentinam ac diabolicam progeniem vocare non dubitavit: *Baptiſatus, jam totus fere clerus,* inquit, *diabolo eſt ſubjectus.* Magnus profecto utriusq; zelus.

At cujas hic *Bernhardus?* Undeq; illi *Baptiſati* nomen? Religioſum eumq; *Benedictinum* agnoſcimus, ex *MSCtorum*, tum *Academiæ noſtræ*, tum *Helvetiæ Augiæ divitis*, teſtimonio. In quo poſteriori, *Augiæ* ſcilicet *divitis*, *Codice MSCto*, orationes varias ſolennes in Concilio habitas complexo, *ſermones* etiam exhiberi *Fratris Eberhardi Baptizati*, *Monachi ordinis S. Benedicti*, *Abbatis*, accepimus. *Abbatem* videmus; Sed & *Eberhardum* dici, quem nos *Bernhardum* in *noſtro MSCto* invenimus cognominatum, exinde elucet. Veſtigia noſtri MSCti tantiſper ſequi oportuit, donec Codicem illum Helvetium inſpicere contingat.

Frequentes ab *hoc Oratore* ſermones in Conſtantienſi Concilio eſſe habitos, non diffitetur ipſe in *hac oratione*, quam *tertiam* appellat. Unde & haud vulgaris *hujus Viri* ex doctrina, animique ſinceritate, in Concilio apud Magnates *autoritas* eluceſcit. Quippe quod non à dicentis penderet arbitrio, quandocunque in publicam prodire Concilii concionem animus eſſet, anſâ jactandi ingenii aut artis oſtentandæ arreptâ: Sed ſuprema Concilii autoritate voluntate atque diſerto mandato venerabile hoc in Concilio dicendi munus conſtabat.

Dixit autem ambiguo illo tempore, quando in Concilio de electione novi Pontificis acerbe diſputabatur, à quo deſideratiſſimam Eccleſiæ emendationem expectandam putabant alii, ſiquidem caput ſanctum ac à labe purum prius eſſet conſtitutum, aliis differendam eousque emendationem pernegantibus. Quod ergo de ſummo iſthoc capite primùm emendando, eligendoq; novo ſic comparato ut *bonum* dici poſſet, A. 1417. magno niſu ageretur, uti & *menſe Novembri* electus ſtatim Papa, Noſter exemplo aliorum Oratorum, *hoc anno*, *Menſe* (ut ipſe ait in fine) *Auguſto*, virtutes ac præclaros *characteres boni Pontificis* hac oratione ſimul delineavit. Ceterum *Dominicâ XI. poſt Pentecoſten* habitam hanc orationem eſſe invenimus in *MSCto noſtro Helmſtadienſi.* Evangelium autem *Luc.* 18. De *Phariſæo & Publicano*, tunc expoſitum & à noſtro commemoratum atque ad rem præſentem applicatum, incidit hodie in *Dominicam XI. poſt Trinitatis.* Sive ergo eadem ſit ſententia, ſive illa tempeſtate, in Conſtantienſi Concilio, quando ante perpaucos demum annos, Petro de Alliaco ſuadente, juſſu Benedicti XIII. Pontificis, hoc feſtum ſolenniter celebrari cœptum, hic calculus nondum fuerit ubiq; in faſtis receptus, parum jam noſtri refert. *Annum*, *menſem*, *diemque dominicum*, hoc oratore notabiles, ſcimus, certi, magnam rebus lucem ex temporis circumſtantiis affundi. Quod reliqvum, quando omni ſepoſito metu, rotundo ore, quæ ſcire intereſſet Concilii, enunciavit Baptiſatus: Quæ illius officia, quæ vitia, non diſſimulavit: Quas Eccleſiaſtici ſtatus à capite ad calcem, maculas eluendas putaret, omni remoto velo oſtendit, ad celerem emendationem hortatus: Noſtrum eſt, ex ore tanti Viri accipere, quæ rerum olim fuerit facies, & tanquam in ſpeculo, quid fugiendum quidq; faciendum ſit, obſervare.

Ad

BERNHARDI BAPTISATI,
Ordinis S. Benedicti de Gaſconia

INVECTIVA
In corruptum illo tempore clerum, in Conſtantienſi Concilio emendandum.

Ex antiquo Codice MSCto
BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS.

A. 1417. menſe Auguſto, Domin. XI. poſt Trin.

Duo homines aſcenderunt in templum, ut orarent. Unus erat Phariſæus, & alter publicanus. Luc. 18.

Patres Reverendisſimi, cæteriq; Domini mei dilectisſimi. Qvasdam *proteſtationes* audire dignemini. Proteſtationibus enim affirmantis & negantis, per me, & aliàs hic & alibi, proteſtatis, nunc adhæreo, & adhærere intendo, quamdiu vixero in humanis. Adjungo tamen, quod, quicquid dixi, feci, dico aut facio, ſeu impoſterum ſum dicturus, ſeu etiam facturus, in iſto præſenti actu, vel in quocunqve alio, per me inpoſterum fiendo, volo dixiſſe, feciſſe, dicere & facere, ad laudem & honorem, gloriam & honorem Dei mei creatoris omnipotentis, excellentiſſimæ virginis Mariæ tranſcendentis, totiusqve curiæ cœleſtis ſupereminentis, non in præjudicium vel damnum cujuscunqve viventis: Submittens *correctioni* cujuscunqve caritative me monentis, ſingulariter *ſacri generalis concilii Conſtantienſis.* *Proteſtatio autoris.*

His proteſtationibus præmiſſis, qvid ego miſer ſum locuturus in *tertii ſermonis* exordio? Et quid etiam ſum reſponſurus Chriſto, Dei filio, vilis actu, corde durus? Ego vere neſcio, quid rependam tanto amatori, qui elegit gratis pro me mori, ne duplice morte moriar. *Tertia hæc autoris in Concilio Conſt. oratio.*

O JESU,
amor tuus, valde fortis!
qvem non vincunt jura mortis.
O quam pie me ſub cura
tua foves, in preſſura,
ne morſu (diaboli) percutiar.
Juſte judex, te iratum
ſcio, meum per peccatum:
Sed confido, prece tuæ
Matris, qvod tu, fili Dei,
Patris à me nunc avertas
iram magnam, & convertas
in miſericordiam.
Unde reus ad Mariam
tuam matrem atqve piam
in hoc actu confugio,

confugiendo ipſam invoco, invocando ipſam humiliter ſaluto ſalutatione Angelica, voce, corde, mente pia dicendo: *Ave Maria!*

Duo homines &c. ubi ſupra. Qvi quidem duo homines ſignificant *duos ſtatus hominum in generali concilio exiſtentium*, & in templum Domini aſcendentium. *Concilii Aſſeſſores boni & mali.*

Nam *Phariſæus*, qui eſt primus in ordine, ſignificat plures & diverſos, *hic* & alibi *ſua merita jactantes*, ſe eſſe meliores aliis totaliter reputantes, vitam & famam aliorum continue depravantes. Nam *Phariſæi* in Hebræo idem eſt, quod *diviſi & ſeparati* in latino. Qvia ſecundum Iſidorum *Phariſæi à phares*, qvod eſt *diviſio*, dicuntur, ex eo, quod obſervantias & traditiones Saducæorum, aliorumqve ſacerdotum populi Iſraelitici obſervare nolebant, ſed magis ſe aliis perfectos & juſtos putabant, ac ab aliis tanquam juſtiores & digniores ſe ſeparabant. *Phariſæi in Concilio Conſt.*

Illorum *Phariſæorum* præcedentium, & iſtorum *nunc hic exiſtentium* corda, voluntates & opera videt & noſcit con-

Phariſæorum in Concilio Conſt. exiſtentium corda Dei oculis expoſita.

cilii altitudo, inſcrutabilis divinitas, cujus ſole lucidiores ſunt oculi beatiſſimi, à ſolis ortu uſque ad occaſum totum orbem perluſtrantes, omnem abyſſum cordis humani funditus penetrantes, cui omnia præterita & futura, quæ ab exordio mundi Deus uſque ad conſummationem ſeculi facturus eſt, vel fecit, præſentia exiſtunt, qui omnia videt, & vocat, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, *ad Rom.* ac omnia in numero, pondere fecit & menſura. Qvorum ad præſens ego recolligo *tria.*

Primo *videt Deus* & noſcit clariſſime in iſtis inferioribus omne *commiſſum* vel *omiſſum*, de utroqve rationem exigendo. Non tranſibit unum jota.

Secundo ponderat ipſe æqviſſime in Dei cultoribus omne *acceptum* vel *abjectum*, electionem dirigendo. Liberum arbitrium dat nobis.

Tertio diſpenſat fideliſſime in hominum cordibus omne meritum vel demeritum, portionem porrigendo. Reddet unicuiqve juxta opera ſua.

Primi probatio habetur *Pſ.* 33. *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus interpretes eorum: Vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Qvoniam novit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit, Pſ.* 1.

Ex parte cujus notum vobis facio, 1. *Cor.* 15. quod jam nunc in tempore iſto, de quo ego ſumme doleo, *fides catholica ad nihilum eſt redacta*, *ſpes* in præſumtionem temerariam eſt jam verſa, & *charitas* Dei & proximi penitus eſt extincta.

Irreligioſitas circa tempora Concilii Conſt.

In mundo *falſitas* eſt *rex*,
in clero *cupiditas* eſt *lex*,
in Eccleſia diviſus eſt ſalvandorum *grex.*

Qvare hoc? Qvia *viri Eccleſiaſtici jam ſæpiſſime loqvuntur falſitatem*, ipſi *obſervant continue cupiditatem*, *& approbant indubie iniquitatem.*

Eccleſiaſticorum corruptũ vita genus circa tempora Concilii Conſt.

In *Prælatis* incluſa eſt malitia & iniquitas,
negligentia,
ignorantia,
& vanitas,
ſuperbia,
avaritia
& promptoſitas.

Et qui ſolebant eſſe *ovium paſtores*, jam effecti ſunt lupi, *ovium comeſtores.*

Curia olim papalis corrupta.

Et quanto majores, tanto nunc exiſtunt pejores *in curia papali.*
In qua nulla reperitur ſanctitas:
lis & diviſio eſt ibi felicitas:
Cautela & deceptio eſt ibi vita & jucunditas:
Tyrannia, Simonia, ibi abundant & rapacitas.

Nec eſt Deo acceptum, imò horribiliſſimum verbum: *Curia Romana non quærit ovem ſine lana.* Et quare? Qvia non curia divina ſed diabolica.

Ob Simoniam clerum graviſſimas daturum pœnas.

Et habeatis pro firmo, quod revelatum eſt *hic* cuidam *in generali concilio: Qvod, niſi de cætero tollatur & extirpetur ſimonia ab Eccleſia Dei, rapacitas & tyrannia*, in brevi erit tanta perſecutio clericorum, & tam terribilis, qualis non fuit ab initio. Qvoniam Deus non tardabit facere vindictam iſtorum, *Luc.* 18.

Eccleſiaſticorum olim elogia.

Qvare hoc? Qvia jam ſupradicti *viri Eccleſiaſtici* continuò palam & publicè *concipiunt laſciviam,*
pariunt ignominiam,
nutriunt avaritiam,
colligunt ſuperbiam,
diviſiones & gverras ipſi generant,
in cautelis & deceptionibus ambulant,
mortes & minas ædificant,
ſe ipſos & ſuos injuſte exaltant:
in tantum, quod *jam totus fere clerus diabolo eſt ſubjectus.*

Et cum tales in carne ſeminent, ipſi perpetuam damnationem metent.

Videns enim Deus, quod malitia hominum ſit in terra, & cuncta cogitatio cordis ſit intenta ad malum omni tempore, pœnitet ipſum, hominem feciſſe *Gen.* VII. Et ſequitur: *Delebo*, inqvam, *hominem, quem creavi, à facie terræ, & diſperdam eos cum terra.* Qvia ſtipendium peccati mors. *Rom.* 5.

Emendatio cleri deſiderata.

Sed ille, qui ſeparat animam à corpore, & ponit eam in loco debito, juxta ſua merita, *auferat rubiginem de ſpiritu noſtro*, purget pretioſum animæ, ut collocet in cœlo: Qvi in primitiva Eccleſia quoſdam quidem dedit Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero paſtores & doctores, in ædificationem corpo-

Digitized by Google

corporis Jeſu Chriſti myſtici. *Epheſ.* IV.

Qui etiam eduxit Iſrael de Ægypto, ne ſerviret amplius Pharaoni in palea, luto & latere, ſegregabit nos de ſervitute Babylonica, ne amplius ſerviamus Pharaoni, id eſt, Principi & Regi dæmoniorum & tenebrarum, in palea vanitatis, in luto carnalitatis, in latere continuæ iniquitatis.

Eſt tantæ miſericordiæ, quod vocavit nos in partem & ſocietatem ſanctorum in lumine, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus, juxta id *I. Cor. I. Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus Jeſu Chriſti.* In qua ſocietate & regno eſt unus, ſummus & pacificus *Rex*, eſt unica & inviolabilis *lex*, eſt unus & inviſibilis *grex*. De quo loquitur *B. Auguſtinus*, ſic dicens: *Ibi carmina non deſunt, præmia non deficiunt, delectabilia ſufficiunt.* Ubi vita dulcis & amabilis, gaudioſa & memorabilis; In qua eſt ſumma ſecuritas, ſecura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, & ſine fine Dei viſio, cum abundantia deliciarum & affluentia divitiarum. Nam ibi Rex eſt veritas, lex eſt charitas, prælatio eſt ibi dignitas, pax eſt ibi felicitas, & vita eſt indefectibilis æternitas.

De Societate Jeſu.

Et ideo, *Patres Reverendiſſimi*, ſi volumus eſſe *de ſocietate & ordine Jeſu Chriſti*, notum vobis facio Evangelium, in quo continetur veritas, quod nos debemus facere ſine defectu tria.

Veritas dicenda in Concilio Conſt.

Primo *dicere veritatem*, cum totus mundus ſit in errore, purgando noſtram conſcientiam.

Caſtitas ſervanda.

Secundo debemus *obſervare caſtitatem*, implorando divinam gratiam.

Æquitas præſtanda.

Tertio *approbare æquitatem*, cum careamus paſtore, ipſum eligentes, ponendo diligentiam.

Pauci veritatem in Conſt. Concilio dicere auſi.

De primo: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi, & ſi mihi non vultis credere, ſaltem operibus credite. Joh.* 10. Quia *hic ſunt majores, qui veritatem nolunt dicere. Nec minores audent ipſam exprimere.*

Nonne *conſcientiæ* noſtræ permanent in hoc confuſæ?

Majoribꝰ veritas in Concilio exoſa.

Quare *majores nolunt veritatem dicere?* Quia nolunt reprehendi, nec malos reprehendere. Nolunt corrigi, ſed bonos opprimere. Nolunt malam vitam & quæ tenent injuſte, dimittere.

Quia Conſcientia plurium maculata.

Nonne veritas eſt iſta, quod *hic inter nos ſunt plures* conſcientiæ erroneæ, pravæ & perverſæ? Certe ita.

Conſcientia bona præſtantia.

Quid enim nobilius, quid dignius, quid pretioſius *conſcientia pura*? *Quiſquis*, inquit B. Auguſtinus, *futurum judicium times, peccantem conſcientiam corrige.* Sermo enim cauſæ tuæ, teſtimonium conſcientiæ tuæ. Conſcientia enim bona & pura, inquit *Hugo de Sancto Victore, in libro de clauſtro animæ*, omnibus eſt dulcis & amabilis, nulli gravis, nec alicujus amaritudinis, inducit amicos ad gratiam, inimicos ad patientiam, omnes ad benevolentiam, cui Deus peccata ſua non imputat, quia non fecit, & ſi fecit, ſunt pauca & levia, nec aliena, quia non approbavit, nec ſuperbiam, quia in humilitate permanſit. Idem *Hugo in eodem libro.* Conſcientia bona & pura eſt titulus ſacræ religionis, templum veri Salomonis, ager latus religionis, eſt hortus aromatum, aureum reclinatorium, Angelorum gaudium. Conſcientia pura eſt armarium legis, arca fœderis, theſaurus Regis. Eſt liber ſignatus, omnibus clarus, in judicio aperiendus. Eſt aula Dei Patris omnipotentis, camera filii Dei ſapientis, & habitatio ſancti Spiritus omnia bene diſponentis. Hæc ſola comparebit & loquetur in die judicii crudeliſſimi, inquit *B. Bernhardus*: In quo plus valebunt pura corda, quam aſtuta verba, & *conſcientia bona*, quam *marſupia plena.*

A minoribus veritas in Concilio Conſt. fuit dicenda.

Loquamur ergo *nos minores veritatem.* Nec timeamus, nobis non dari dignitatem. Quia non habemus hic manentem civitatem. Et dicamus, quod hic ſunt plures conſcientiæ pravæ. Purgemus ipſas, ne procedamus inane. Et hoc de primo minori.

Clerus ſit caſtus.

Secundo debemus *obſervare caſtitatem*: Cum *clerus* ſit *involutus in carnis amore*: Implorando divinam gratiam. Quia caſte viventes templum Dei ſunt, & Spi-

Digitized by Google

& Spiritus S. habitat in eis. *Eph. V.* Scientes autem, quod omnis fornicator aut immundus aut avarus non habent hæreditatem in regno Dei.

Divina gratia clero neceſſaria.

Et *obſervando caſtitatem* imploremus *divinam gratiam*, ſine qua apud Deum nihil eſt acceptum, teſte *B. Auguſtino in libro de correctione & gratia.* Ubi ſic inquit: Sive velint homines, ſive faciant, ſive vigilent aut dormiant, aut quicquid aliud faciant, ſine *Dei gratia nullum bonum fructum faciunt.* Quoniam homines, qui faciunt opera de genere bonorum, picturas faciunt bonorum operum, non bona opera, imagines & ſigna virtutum, non autem virtutes. Talia apud ſapientes ſunt honeſta, apud vulgum ſunt ſimulacra, apud Deum ſunt vana & fatua.

Proceſſionum in Concilio Conſt. inanis labor.

Ex quo ſequitur, quod *miſſæ & proceſſiones, & alia, in quibus nos vacamus hic*, apud Deum ſunt modici aut nullius valoris, ex parte aliquorum *Phariſæorum hic exiſtentium*, in templum aſcendentium, preces Deo emittentium.

Non enim ſunt *noſtra proceſſiones* & alia, ſimiles aut tales, quales fuerunt *Ninivitarum*, aut *Iſraëlitarum*, quorum ſacerdotes inter veſtibulum & altare plorabant, dicentes: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in perditionem, *Joel II.* Et *I. Maccab. I.* Orationem faciebant ſacerdotes pro populo, Jonathan inchoante, & aliis reſpondentibus.

Eccleſiaſticorum eſſe, preces fundere pro populo. Clerus olim ſacra valde neglexit.

Per Jonathan intelligatis *Papam*, per alios reſpondentes *Cardinales* & alios *Prælatos*, qui tenentur pro populo Deum orare, quia plus ſunt obligati quam alii.

Sed proh dolor, jam *ad tantam devenerunt ſuperbiam*, quod non dignantur Deum pro populo orare, divinam gratiam implorare, veni Sancte Spiritus decantare, virginem Mariam per Salve Regina ſalutare.

Orationem autem faciebant pro populo, *Jonathan* inchoante, & aliis reſpondentibus & dicentibus: *Benefaciat vobis Deus, & meminerit teſtamenti ſui ſancti. Det vobis cor omnibus, ut colatis & faciatis ejus voluntatem corde magno & animo volenti.* Et ſequitur infra: *Adaperiat Dominus cor veſtrum in lege ſua & in præceptis ſuis, & faciat pacem, concedat vobis ſalutem, & redimat vos à malo.*

Orabant, jejunabant, plorabant, vitam emendabant, conſcientiam purgabant. *Jona III. Ninivitæ* in cinere & cilicio cubabant, ſaccos pro veſtimentis habebant, & à voluptatibus abſtinebant, propria dabant, & aliena reſtituebant.

Hypocriſis Eccleſiaſticorũ in Concilio Conſt.

Sed non ſic *impii*, non ſic *Phariſæi exiſtentes hic.* Qui veniunt & aſcendunt in templum Domini, ſed non purgati: Deſcendunt in domum ſuam, ſed non juſtificati: Sed gradatim deſcendunt in infernum damnati.

Quoniam *plures ſunt hic Phariſæi in iſto generali concilio*, qui non veniunt ad miſſam, ſermones & proceſſiones. *Graduati*, beneficiati, & etiam *Curati*, ſunt pigri, negligentes, negotiis mundi involuti, & indevoti, Deo non ſerviunt, ſed carnaliter vivunt. Iſti ſunt arbores nullum bonum fructum facientes. Ideo excindentur, & in ignem perpetuum mittentur.

Secundo *ſunt hic plures Phariſæi*, qui aſcendunt in templum Domini, ſed *dum ſunt hic*, loqvuntur mendacia & falſitates, *rident, truſant, dormiunt, verba inhoneſta & infructuoſa dicunt.* Iſti ſunt viri linguoſi, qui non dirigentur in terra viventium.

Magnatum in Concilio Conſt. pompa inter ſacra.

Tertio *ſunt hic* etiam *plures Phariſæi*, qui aſcendunt in templum Domini habentes plures ſcutiferos, ad latera in proceſſionibus paratos, proceſſiones impedientes, vana hinc inde reſpicientes, in nullo Deo ſervientes. Tales ſunt ſuperbi Phariſæi à Deo valde diſtantes.

Simoniaci in Concilio Conſt. plures.

Quarto *ſunt hic plures Phariſæi*, aſcendentes in templum Domini, iſti ſunt *Simoniaci, qui vendunt vel emunt res Eccleſiaſticas.* Iſti aſcendunt in templum nondum purgati. Quia adhuc, ſi poſſint emere vel vendere, non deſiſtunt. De quibus nondum facta eſt juſtitia. Et male.

Simoniã verbis emendari non poſſe, ſed pœnis.

Credimus, iſtam *maledictam Simoniam* extirpari poſſe per ſermones, per *ſcripturarum reformationes*? Non, non. Sed

Digitized by Google

Sed per juſtitiam. Fiat juſtitia de talibus. Et quantum unusquisque eorum delectavit ſe, & in deliciis ſe habuit, tantum ei date tormenti & luctus. *Apocal.* 19. Nec pater debet portare iniquitatem filiorum, ſed quilibet portet onus ſuum.

Quinto *ſunt hic plures Phariſæi*, qui ſe occupant *in ſcientiis*, ſed *non divinis*, ſed Poëtarum, Philoſophorum, & maxime *Juriſtarum*, ſervitium Dei totaliter relinquentes.

Sed notum vobis facio, quod *in eorum oratoriis nihil ſit ſine pecuniis.*

Advocatorum in Concilio Conſt. negotia & artes.

Loquor de *malis officiariis, auditoribus, judicibus, officialibus, advocatis, procuratoribus, notariis.*

In quibus eſt fons & lacus totius iniquitatis.

Audivi enim noviter, *hic unum notarium lucratum fuiſſe iſto anno mille florenos. Conſumunt* enim *pauperes, usque ad cerebrum.*

Hæc vos clare videtis, ſed *nullum remedium apponitis.* Sed qui poteſt capere, capiat. Hæc non requirit juſtitia.

Nec dubito, quin tales cum beato *Hieronymo* horribiliter reprehendantur, ac triplici peccato puniantur.

Primo, quia ſermo incultus in libris divinis non placet eis.

Secundo, quia rectum finem non habent in talibus ſcientiis acquirendis.

Tertio, quia non utuntur talibus ſcientiis in negotiis peragendis, ſed *de pane lucrando*, iſtum vel iſtum *decipiendo.*

Vos tamen clare videtis, quem fructum ipſi faciant. A fructibus eorum cognoſcetis eos.

Nec loquor de omnibus, ſed exceptis excipiendis. Sed in veritate *pauci excipiuntur.*

Abuſus ſtudiorũ Juridicorum.

Nam *mali juriſtæ, officiarii*, & mali *notarii*, totum mundum cum eorum cautelis & deceptionibus involvunt, & ſtatum Eccleſiæ devaſtant & deſtruunt.

Iſti tamen *actus Concilii generalis exercent*, quos Spiritus S. non habet non habet acceptos, nec cum talibus ipſe habitat. Quoniam *non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam, qui loquitur iniqua &c. Pſ.* 100. Et ſequitur infra: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut diſperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.*

Vana præ ces in Concilio ob varias fraudes.

Quid valent *noſtræ proceſſiones?* Aut quid proficiunt *noſtri ſermones?* Ubi *tot* abundant *deceptiones*, ubi *tot* ſunt *lupi, ovium comeſtores.*

Vult enim Spiritus S. nos omnes charitate eſſe *concordes.* Qui invenit corda diſcipulorum munda, & omnes charitate concordes, tribuit eis charismatum dona. *Nos* vero non invenit charitate concordes, ſed corda noſtra mundi negotiis involuta, carnisque luto horribiliter maculata.

Idcirco munus partis divinalis nobis cunctis non datur. Quare? Quia *totus cœtus concilii generalis à peccatis non emundatur.* Ideo pauci ſalvantur. Quod probatur *Matth. VII.* Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Sed pauci obſervant divina mandata, ergo pauci ſalvantur. Major eſt Salvatoris. Minor eſt autentica in libro cujuslibet conſcientiæ.

Item legitur *in vita beati Bernhardi* in fine, quod in illa hora, qua beatus Bernhardus viam carnis humanæ ingreſſus eſt, triginta millia hominum deceſſerint, de quorum numero unus fuit Decanus Ligonenſis, qui viginti quinque annis fuerat in quodam nemore. Hic Decanus poſt mortem apparuit Epiſcopo Ligonenſi, dicens: *Age pœnitentiam, emenda vitam, corrige conſcientiam, dimitte ſuperbiam*, ſimul *& avaritiam, aliter nunquam habebis cœleſtem gloriam.* Quoniam in illa hora, qua beatus Bernhardus & ego deceſſimus, triginta millia hominum deceſſerunt, de quorum numero vix beatus Bernhardus & ego ſumus ſalvati, tres deſcenderunt in purgatorium, reliqui omnes ſunt damnati.

Regimen Eccleſiæ corruptũ.

Sed *hodie in regimine Eccleſiæ eſt pejus quam tunc.* Ergo pauci ſalvantur.

Sed factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Sta in porta domus Domini, & prædica verbum iſtud: Bonas facite vias veſtras & ſtudia veſtra. Si feceritis rectum judicium & juſtitiam: Quod timeo non facietis: Si viduæ, pupillo, & advenæ calumniam non feceritis, ſi mandata mea obſervaveritis, habitabo ego Deus veſter vobiſcum in loco iſto. *Jer. X.* Lavamini ergo, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis. Quieſcite agere perverſe, & diſcite benefacere. *Eſ. I.*

Et

Digitized by Google

Et hoc de ſecundo minore,& primo majore.

Dixi ſecundo principaliter, qvod ponderat Deus *aquiſſime* in Dei cultoribus omne acceptum, vel abjectum, *electionem* dirigendo. Qvare nos comprobemus *aquitatem*, cum careamus paſtore, ipſum eligentes, ponendo diligentiam. Et *tempus electionis inſtat.* Idcirco ego, inquit Salvator, elegi vos, *Joh.* 15. Ad quid? Ut eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.

In eundo ergo iſto modo procedetis.

Primo ergo,*conſcientiam* veſtram erroneam veraciter *purgetis.*

Secundo,*divinam gratiam celeriter impetretis.*

Tertio,totam patriam diligenter penetretis, informando vos fideliter, quem eligetis. *Jerem.* II. Circuite Hieruſalem,& aſpicite hinc inde,quærite in plateis cunctis,an inveniatis hominem, *virum*, *facientem rectum judicium*, *& habentem fidem.* Qvia illi propitius ero ego, Deus veſter. Nam oculi Domini reſpiciunt fidem & juſtitiam: ibidem.

Pontifex bonus in Concilio Conſt. eligendus.

Electores novi Papa in Concilio Conſt.

Qvod ſic exponitur: Circuite, inquam, vos Patres, & Domini *electores*, quicunque ſitis, *puri* tamen *conſcientia*, non *Simoniaci*, non *Phariſai*, non *vindicativi*, non *ſuperbi*, non *heretici*, non *malitioſi*, ſed cum induſtria & ſagacitate ac pura conſcientia.

Circuite etiam, ſi ſit neceſſe, *pedibus*, diſcurrendo, ſed, quod melius eſt, *mentibus*, conſiderando, *vias*, id eſt, quoscunqve ſtatus, tam ſeculares, quam regulares, majores, mediocres, & minores, *Jeruſalem*, id eſt, ſanctæ matris Eccleſiæ, quæ dicitur Hieruſalem, quod eſt viſio pacis.

Ex qua ſorte Papa eligendus.

Aſpicite hinc & inde, ſuperius, inferius, ante & retro, non ſolum inter *montes* valde *ſuperiores*, *in quibus nec ros nec pluvia cadunt*: Sed *conſiderate valles* mediocres, ac etiam quaſcunque partes inferiores.

Effeminatus ne fiat Papa. Mulieris laudes.

Qværite *in cunctis plateis*, id eſt, cunctis perſonis, quantumcunqve etiam minimis, an inveniatis hominem *virum*, *non mulierem.* Qvia *mulier eſt caput peccati*, *arma diaboli*, *expulſio paradiſi*, *mater delicti*, *corruptio Veteris teſtamenti.*

Qværite ergo hominem *virum*, *facientem rectum judicium*, quod eſt Deo valde acceptum, *& habentem fidem*, ſine qua impoſſibile eſt Deo placere.

Et tunc eligite, vos unanimiter conformando divinæ voluntati, uniformiter compatiendo Eccleſiæ neceſſitati, & ſalubriter providendo communi utilitati.

Boni characteres novi Papa in Concilio eligendi.

Exquirite ergo diligentiſſime, an inveniatis hominem virum, qvoad *vigorem* ſuæ perfectæ *atatis*, quoad *rigorem juſtitia* & ſeveritatis, quoad *ſplendorem doctrina* & veritatis.

Cautio electorum novi Papa in Concilio.

Ne autem Domini *Electores in eligendo Pontificem* decipiantur, *tria mala* debent cavere, ac pro viribus ipſa totaliter vitare. Scilicet,ne *deceptio* ex ignorantia concipiatur, ne *ſuſpicio* ex malitia oriatur, ne *electio* ex amicitia vitietur. Habentes illud præ oculis, *Act.* 7. *Tu Domine,qui corda hominum noſti*, *oſtende nobis*, *quem elegeris.*

Attendite ergo divinam voluntatem, & de cætero continuò cantando: *Veni Creator Spiritus.* Et ſic continuo Spiritum ſanctum invocetis, ut *ſpiritui veſtro renuncietis.*

Qvatenus autem *per prudentiam* erecti contra ignorantiam,ſitis per *conſtantiam* invicti contra malitiam, ſitis per *juſtitiam* ſinceri contra amicitiam.

Et iſta *in electione proxime facienda* ſi obſerventur, vitabimus *tria mala*, ſcilicet *vitium uſurpationis*, *ſchisma diviſionis*, *& periculum contentionis.*

Electionis novi Papa impedimenta in Cõcilio.

Nam ſi in *electione proxime facienda* eſſet, quod Deus avertat, *uſurpatio in pralatione*, *vel ſchisma in diviſione*, *aut periculum in contentione*, ſtatim proſcriberetur *charitas*, turbaretur *aquitas*, multiplicaretur *iniquitas*, & extingveretur *fervoris bonitas*, ſcilicet *Spiritus Sanctus.* Nam Spiritus Sanctus debet eſſe rector & gubernator omnium mentium in electione. Et ſic non trahit unumqvemqve ſua voluptas.

Maſcula vis mentis in Papais concilio eligendo.

Debetis ergo quærere hominem *virum*, & ipſum eligere,qui ſit homo *vir*,
quoad *intelligentia naturalis* notitiam,
quoad *indefeſſa operationis* inſtantiam,
quoad *valida fortitudinis* conſtantiam,
quoad *intrepida mentis* audaciam,
quoad *perfecta atatis* evidentiam,
& quoad *perſpicua probitatis* eminentiam.

Cum

Cum autem auxiliante altiſſimo talem inveneritis
perfectum,
naturalibus dotatum gratuitis,
& veſtitum virtutum gemmis,
ipſum eligite. Qvem ego Deus veſter reperi unum ex mille, & elegi, *Eccleſ.* I. Ipſumqve aſſumite in prælatum & paſtorem,
in magiſtrum & doctorem,
in ducem & conſervatorem.
Ac etiam habeatis ipſum ſine quocunqve defectu & controverſia,
priorem in dignitate,
doctorem in veritate,
rectorem in æquitate,
ductorem in exemplaritate.

Electorũ papæ in Concilio bonæ notæ. Nec vos, Domini Electores, ſitis Phariſæi, *nec ſitis in eligendo pecunia corrupti*, ſicut aliàs, *nec ignorantia ſeducti, nec pavore turbati, nec favore inordinati.* Unusquisque veſtrum exultando, & gratias creatori referendo.

Electi boni in Concilio Papæ genuina ſigna. Notum tamen vobis facio, quod *electus* juſte tunc ingreſſus eſt, quando ſuus ingreſſus non eſt per fraudulentam machinationem,
nec per clandeſtinam conſpirationē.
ſed per divinam ordinationem,
& concordem atque canonicam electionem.

Etiam quod ipſe nec voluntarius exceſſivus in acceptando vel accipiendo dignitatem, nec *ambitioſus* in procurando eandem. *Ambitio abſit à novo Papa.* Sciens pro certo, quod *ambitioſitas* multa mala operetur, dicente *Innocentio lib. 2. de vilitate conditionis humanæ:*

Ambitionis prava indoles. *Ambitio* eſt ſubtile malum,
& peſſimum eſt virus,
ſecretiſſimum doli artificium,
mater hypocriſeos nutritiva,
peſtis occultiſſima,
livoris parens generativa.
Eſt vitiorum origo & iniqvitatis,
eſt tinea ſanctitatis,
excœcatrix cordium,
obediens peccatis.
Qvia ambitio ſimulat humilitatem,
mentitur honeſtatem,
exhibet affabilitatem.
Eſt etiam ambitio ex remediis morbos creans,
ex medicina langvorem generans.
Eſt & ſimia ſanctitatis, varie ſe diſſimulans.

Qvemadmodum *charitas* patiens eſt pro æternis, *ambitio* pro caducis.
Charitas benigna eſt pauperibus, *ambitio* divitibus:
Charitas omnia ſuffert pro veritate, *ambitio* pro vanitate.
Utraq; *omnia credit*, & *omnia ſperat*: ſed multum varie ac diſſimilitudinarie.

Oportet enim, quod *ambitioſus ſemper* ſit *pavidus*, ſemper attentus, ne dicat aliqvid, qvod diſpliceat, honorat cunctos, inclinat ſe univerſis. Qvid plura? Qvod ſit ſemper promtus & fervidus, ubi placentia cognovit, qvod ſit remiſſus & tepidus, ubi diſplicentia putavit. Sed ille eſt, qvi neqviter ſe humiliat, & interiora ejus plena ſunt dolo, *Eccleſ.* 19.

Ambitioſi ſimiles vulpibus. Serpentibus. Tales enim ſunt *ambitioſi* ſicut *vulpes & ſerpentes. Vulpes* enim dum fameſcit, ſimulat, ſe eſſe mortuam, ut capiat aves & deglutiat. Et *ſerpens* aſtrictus frigore in hyeme, non oſtendit ſe habere venenum, calefactus autem ſtatim pungit aut mordet. Sic *ambitioſi*, quamdiu ſunt ſub alterius diſciplina ſeu obedientia, vel in paupertate, non ſvidentur habere *fumum ſuperbiæ*, aut *venenum vindictæ & malitiæ*: Sed ſtatim, dum aſcendunt ad honores, & habent qvod volunt, tunc nemo eis poteſt loqvi. Et, ſi qvis loqvitur, nolunt eum pacifice audire. De qvibus loqvitur *Innocentius* ſupra ſic dicens: *Ambitioſi ſunt inſupportabiles.* *Ambitioſi, ſtatim ut promoti fuerint ad honores, in puncto ad ſuperbiam extolluntur,*
in jactantiam effrenantur.
Non cūrant prodeſſe, ſed gloriātur præeſſe.
Præſumunt ſe meliores, quia ſe cernunt eſſe ſuperiores.
Priores dedignantur amicos honeſtos,
ignorant notos,
comites contemnunt antiquos,
Grandia loqvuntur,
ſublimia meditantur, nulli ſubeſſe patiuntur,
nullam advertunt,
cervicem erigunt,
faſtum oſtendunt.

Tales ſunt vere prælati, & alii *ad honores promoti* ſeu beneficiati, qui ſupra modum & rationem valde *ſubditis ſuis ſunt oneroſi*, omnibus infeſti, atq; *moleſti*, graves

graves & *importuni*, *arrogantes & ſuperbi*, *cupiditate tenti*, *& pecunia corrupti.*

In veritate comperio & experientia video, qvod unusqvisq; talium iniqvitatem meditatus eſt in cubili ſuo, aſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit, imo fecit ſibi illud ſoliloqvium adeo reprobatiſſimum, ſicut fecit *Phariſæus* iſte in Evangelio præſenti dicens: *Gratias ago tibi, Deus, quod non ſum ſicut cæteri homines* &c.

Non dubito, qvin clarum habeo, qvod *inter nos hic ſunt plures Phariſæi tales, qui præſumunt, ſe plus valere, quam valent, plus ſcire, quam ſciunt, plus poſſe quam debent*, ſeq; ipſos exaltant, ac etiam juſtificant, dicentes: *Non ſum ſicut cæteri homines.* Et qvare? Qvia tu plus oras, plus vigilas, plus ploras, plus jejunas, plus laboras. Vel Deus es. *Vita* te probat coram hominibus. Sed melius te probat *conſcientia* coram Deo & Angelis.

Tu, ut dicis, *optimus* es, & *præcellens clericus.* Tu ſcis omnia, ut præſumis, ſed forſan ignoras miſſam.

Tu ſcis bene loqvi coram Regibus & Principibus, & Epiſcopis, optime allegare coram auditoribus & judicibus, conferre cum æqvalibus, ſuperbire cum minoribus, eſſe autoritative coram omnibus, & ſic collaudari vis ab omnibus, teq; præſumis præfulgere ſingulorum moribus. Notum tibi facio, qvod deceptus es in iſtis omnibus.

Patres igitur *Reverendisſimi, hic in concilio congregati*, humiliter omnibus ſupplico, qvod talem non eligamus nobis in ſummum Pontificem, prælatum & paſtorem. Qvia non eſt ille vir deſideriorum, electus ex millibus *Daniel. X.* imo eſt ille, de qvo ſcribitur *Luc. 7. Ecce vir plenus lepra.* Plenus lepra, qvoad peſtem *mala fama*, qvoad infectionem *mala vita*, qvoad *corruptionem conſcientiæ.*

Caveatis, Domini *electores*, ne improperetur vobis in occulto arbitrio diſtricti judicis illud *Act. III. Petiiſtis virum homicidam vobis donari in prælatum.*

Bene *mali prælati homicidæ* appellantur. Qvia tot ſubditos ſtrangulant, interficiunt & necant, qvot *mala exempla* ſuis ſubditis oſtendunt & demonſtrant. Unde beatus *Gregorius: Tot mortibus digni ſunt mali prælati, quot exempla perditionis ad ſuos ſubditos transmittunt.*

Gravis adhortatio ad electores novi Papæ in Concilio.

Mali prælati homicidis comparati.

Non ergo talem eligatis, ſed hominem *virum*, *caſtitate* mundum, *humilitate* ſobrium, *charitate* lætum, & *æqualitate* rectum.

Ut *hæc ſancta ſynodus* poſſit coram Deo dicere: *Quem ego elegero, germinabit virga ejus. Numer.* XVI.

Et hoc de tertio minori, & de ſecundo majori.

Tertium dimittam cauſa brevitatis. Qvia ſumus in forti *Auguſto.*

Menſe Auguſto habita hæc oratio.

Ut ad cœleſte regnum perveniatis: Qvod cunctis, humiliter ſupplico: Nobis concedat filius Dei Patris, qvi vivit & regnat in ſecula ſeculorum Amen!

Hæc invectiva Abbatis
BERNHARDI BAPTISATI
in clerum, in Concilio Conſt. emendandum,
IMPERATORE SIGISMUNDO
in Concilio publicata,
Actorum Concilii pars haud poſtrema,
Ex MSCto antiquo Helmſtadienſi
A. 1697. d. 27. Febr.
in lucem producta
Fortunante Deo
Auſpiciis DUCIS RUDOLPHI AUGUSTI,
Glorioſiſſime Imperante
CÆSARE LEOPOLDO.

(o)

Digitized by Google

TOMI I. PARS XIX.

THEOBALDI

S. Theol. Profeſſoris

in Concilio Conſtantienſi celebris Oratoris

PUBLICA

CONQUESTIO DE NIMIS DIU DILATA IN CONCILIO CONSTANTIENSI CLERI REFORMATIONE.

Felicissimis Auspiciis

SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

Ex antiquo MSCto Codice

Bibliothecæ Academiæ Helmstadiensis

recenſita ab

HERMANNO von der Hardt.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

Helmestadi, Typis Salomonis Schnorrii, 1697.

Digitized by Google

MSCt. Helmſtadienſe.

* *
*

Sermo
Fratris
THEOBALDI
Sacræ Theologiæ Profeſſoris
Dominica XI. (XII.) poſt Pentecoſten
in
CONCILIO CONSTANTIENSI
prædicatus
(A. M CCCC XVII.)

Digitized by Google



HERMANNUS von der Hardt

Lectori S.

TRibus jam propemodum annis in Concilio hoc Oecumenico Conſtantienſi privatis publiciſque conſultationibus actum erat *de Eccleſiaſtici ſtatus emendatione.* Id quod ex *longa ſerie monumentorum* hactenus recenſitorum planum eſt atque apertum. Et nihilominus ob partium ſtudia eo res deduci nondum poterat, ut, quod in ſolenni *Reformatorio* toties tractatum, ventilatum, excuſſum, repetitum, definitum erat, ad effectum tandem deduceretur. Indigniſſime hanc moram tulit Imperator, ac alii Principes, & viri quique cordati magno numero.

Neque deſtiterunt hi palam arguere præcipua Reformatorum capita callidæ tergiverſationis. Quippe qui tantum abeſt deſideratam illam ac definitam Eccleſiæ reformationem promoverent, ut potius impedirent ac evitare aut ſubvertere ſtuderent. Idque ex eo, quod ſe tangi ſuamque rem agi ſentirent, quibus animus plane non eſſet, linquere priſtinos pravos, Eccleſiæ ſaluti inimicos mores.

Non diſſimulavit idem & hic Theologus ac Concilii Orator *Theobaldus.* Doluit & amare conqueſtus eſt, non duntaxat de longa reformationis dilatæ mora, ſed & de artibus illis magnorum quorundam in Eccleſia capitum, quibus à reformatione ſui ſtatus animus longiſſime abeſſet. Quapropter ut ne ullum ſupereſſet effugium, quaſi tantopere expetitum reformationis negotium minus eſſet neceſſarium, omni remota umbra & detectis latebris, omnem vitiorum colluviem, quæ Eccleſiaſticum ſtatum plane inundaſſet, cum aliis & hic *Theobaldus,* in publica Synodo, autoritate publica munitus, aperte demonſtravit.

Digitized by Google

THEOBALDI
Theologi
ac venerabilis
IN CONSTANTIENSI CONCILIO ORATORIS
Publica
CONQVESTIO
De nimis diu dilata in Conſtantienſi Concilio Cleri reformatione.
Ex antiqvo Codice MSCto
Bibliothecæ Academiæ Helmstadiensis.

A. 1417. Menſe Auguſto Domin. XII. poſt Trin.

BEne omnia fecit, ſcribitur *Marci VII. & in Evangelio hodierno.*

Eximius Doctor beatus *Auguſtinus ſuper Pſalmum* 93. *Sermone ſecundo* ſic dicit: *Hæc eſt diſciplina Chriſtiana, quod nemo aliquid facit bene, niſi gratia Dei. Qvod enim homo facit male, ipſius eſt hominis: Qvod facit bene, de beneficio Dei facit. Nec extollat ſe ſuper eum. Non enim in illo finita eſt gratia, ut ad illum non perveniat.* Hæc ille.

Excuſatio autoris.

Mihi ergo, quæſo, parcite, & inſultare nolite, ſi quoqve non tam profunde & luculenter, tam rethorice & eleganter, tam devote & gratanter, prout talium & tantorum Dominorum dignitas, omnium præſentium affectuoſa caritas, & Eccleſiæ ſanctæ exigit neceſſitas, præſente beneſecero ſermone, ſicut etiam & *hi, qui usque nunc ſermocinati ſunt*, fecerunt.

Scio enim, & utiqve bene ſcio, ac experientia judice oſtendere cogor, quod valde deficio in intellectuali cognitione. Et ideo non ſufficio, omnia, imò nec neceſſaria proſpicere, ut dicitur *Sapientiæ VII. in affectuali devotione:* Et ideo non valeo Domino in vociferatione bene pſallere, ut præcipitur *Pſ.* 32. Et *in effectuali perfectione:* Et ideo non potero, quod beneplacitum eſt in conſpectu Domini, facere, ut mandatur, *Deutr.* 6.

Sed quia omne, quod non deficit ex vitio vel natura, facillime ſuppleri poteſt ex gratia: Idcirco ad matrem gratiæ omnes mentaliter accedamus, ipſam ſalutantes vocaliter dicentes: *Ave Maria, Bene omnia fecit*, uti ſupra.

Benedicta & glorioſa & ſuperbeatiſſima Trinitas, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, volens infinitam bonitatem ſuam aliis extra ſe communicare, conſilio ſuæ ſapientiæ *tria* in genere *opera* fecit, quæ ſi bene & diligenter conſiderantur, per omnia bene, imò optimè & *per-optime facta* apparebunt. *Dei opera optima.*

Creationis.

Opus videlicet *creationis* eſt bene factum. Qvia, ut dicitur *Gen. I. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, id eſt, bene facta. Qvælibet quidem res in ſe eſt bona, & in ordine univerſi eſt optima, ut probat Sanctus *Thomas* in ſcripto ſuper *primam ſententiarum diſt.* 44. *ar. primo.*

Reparationis.

Opus *reparationis* eſt quodammodo melius factum. Nihil enim nobis creari profuit, niſi reparari contigiſſet. Hinc Apoſtolus ad *Hebr.* VII. *Melioris*, inqvit, *teſtamenti ſponſor factus eſt Jeſus.*

Glorificationis.

Opus *glorificationis* eſt optimum. Qvod certe, ut habetur originaliter *Eſ.* 64, transſumtive autem *I. Cor. II. Oculus non vidit, nec auris audivit, & in cor hominis non aſcendit, quanta & quam bene ſint facta, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.*

Opus, inquam, *creationis* eſt *omnium* generaliter. Qvia *omnia per ipſum facta ſunt, Joh. I. Reparationis eſt hominum*, ſpecialiter. Chriſtus namqve Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, *I. Timoth. I.* Opus autem *glorificationis*

Digitized by Google

tionis eſt *quorundam*, Angelorum, & hominum paucorum, ſingulariter. Qvia ut ait Dominus, *Matth. VII. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, &c.*

Non ſufficit chriſtianiſmi profeſſio. Non ſatis ad ſalutē magnus clericatus titulus.

Ex hoc infallibili verbo infallibiliter patet, quod non, prout quidam falſo putant, ſufficit dicere: *Ego ſum Chriſtianus, ego ſum Cardinalis, ego ſum Epiſcopus, ego ſum Abbas, ego ſum prælatus talis vel talis.* Sed oportet quemlibet facere, quæ ad ſuum pertinent ſtatum. Propterea dicit *Iſidorus in libro Etymologiarum: Non ſe glorietur Chriſtianum, qui nomen habet, facta non habet. Ubi autem nomen ſecutum fuerit opus, certiſſime ille Chriſtianus eſt. Qvia factis ſe Chriſtianum oſtendit, ambulans ſicut ipſe ambulavit, à quo nomen traxit.* Hæc ille.

Prælati Eccleſiaſtici vitâ nomen probent.

Eodem modo dicendum de *quibuslibet Prælatis*, qui, ſecundum doctrinam & exemplum beati *Ambroſii in ſuo Paſtorali, Actione oſtendere debent, quales ſunt nomine. Alias enim bene eſſet eis, ſi nunquam Prælati facti, imò, ſi nunquam nati fuiſſent.*

O ſi hæc Doctoris verba una cum verbis noſtri Salvatoris in trutina diligentis conſiderationis bene ponderentur, heu non *tam pauci veri Prælati* atque etiam Chriſtiani reperirentur.

Paucos bonos olim fuiſſe prælatos circa tēpora Concilii Conſt.

Concilio enim malignantium *decepti Prælati hujus temporis dicunt & non faciunt*, Matth. 23. Horum quoque exemplo *omnes communiter* iterum & iterum *declinaverunt, ſimiliter inutiles facti ſunt; non eſt, qui faciat bonum*, Pſ. 14.

Deus autem piiſſimus, qui, quantum in ipſo eſt, vult omnes homines ſalvos fieri, ut dicit Apoſtolus, 1. Timoth. II. *contra illud concilium malignantium*, & ob ejus effectum amovendum, *hoc ſacrum Conſtantienſe concilium* convenire fecit. Ut, ſicut divino concilio omnis rerum machina à Patre potenter eſt facta, & natura humana per Filium ſapienter eſt reformata vel reparata, ita nunc *in hoc ſacro concilio, eadem* per Spiritum Sanctum iterum clementer *reparetur & reformetur.*

Conciliū Cōſtantienſe reformationi deſtinatū.

Ob hoc ſiquidem & in hujusmodi figura accipi poteſt illud, quod legitur 1. *Maccab. VII. Convenit Eccleſia magna*, ſcilicet univerſalis, *cogitare, quid faciat fratribus ſuis, qui ſunt in tribulatione iniqua*, qualis, ut puto, nunquam fuit ab initio mundi, usque nunc, ut dicit Salvator, *Matth.* 24.

Eccleſiæ miſeria & corruptio circa tempora Concilii Conſt.

Qualis autem, & quam *periculoſa ſit præſens Eccleſiæ tribulatio*; beatus *Bernhardus ſermone* 33. *ſuper cantica* oſtendit, dicens: *Olim prædictum eſt, & nunc tempus adimpletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amariſſima, amara prius in nece martyrum, amarior poſt in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum, non fugare, non fugere eos quisquam poteſt. Ita invaluerunt & multiplicati ſunt ſuper numerum.* Et ſubdit: *Inteſtina & inſanabilis eſt plaga Eccleſiæ. Et ideò in pace amaritudo ejus amariſſima. Sed, in qua pace? Eſt pax, & non eſt pax. A paganis pax & ab hæreticis. Sed non eſt pax profectò à filiis.* Et concludit vox plangentis Eccleſiæ in tempore iſto: *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.*

Et hoc quidem nimis eſt *periculoſum*. Nam ſicut ibidem dicit *B. Bernhardus: Si inſurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras & areſceret; Si violentus inimicus, abſconderet ſe forſitan ab eo. Nunc vero quem ejiciet Eccleſia ſancta, à quo abſconderet ſe? omnes amici & tamen omnes inimici, omnes neceſſarii & tamen omnes adverſarii, omnes quæ ſua ſunt, quærunt.* Hæc B. Bernhardus.

Imploratur auxilium Concilii Conſt. ad reformationē.

Hanc ergo *periculoſam tribulationem Eccleſiæ* amore vulnerum Chriſti *inſpice diligenter, o ſacrum concilium*, & fac ſecundum exemplar, quod ter in monte Moſi monſtratum eſt, ut habetur *Exodi 25.*

Sed quid? quomodo? & quare?

Pravos corrigendo.

Certe omne vitium extirpando, potenti *pravorum correctione*. Ecce *quid*.

Bonos promovendo.

Debitum modum obſervando, clementi *bonorum promotione*. Ecce *quomodo*.

Eccleſiæ membra diſſipata reduniendo.

Rectum finem intendendo, ſapienti *ſparſorum reunione*. Ecce *quare*.

Conſtantienſis Concilii officium.

Hæc tria *ſi ſacrum concilium perfecerit*, vere de ipſo dici poterit, quod *bene omnia fecit*. Sic etenim Chriſtus, verus mundi *reparator*, ſurdum & mutum, de quo in Evangelio, ubi thema, fit mentio, & ipſum humanum genus in illo deſignatum, modo & fine debito ſanavit. Propter quod & teſtimonium verum habuit, quod bene omnia fecit.

Licet

Digitized by Google

Prælatorum munus

Licet autem *hæc tria ad totum ſacrum ſpectent concilium*: Primum tamen *ad Prælatos* pertinet ſingulariter: Qvorum eſt *loqui autoritative.* De illis enim dicit Dominus *Matth.* 23. *Omnia, quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite.*

& fucus.

Sed durum eſt, & tamen hodie neceſſarium eſt valde, quod ſequitur: *Secundum opera eorum vero nolite facere.*

Et ratio: Qvia *dicunt & non faciunt. Alligant onera gravia & importabilia, digito autem ſuo nolunt ea movere.* Imponunt aliis & prædicant caſtitatem, humilitatem, liberalitatem, manſvetudinem, abſtinentiam, charitatem & laborem, ſed *ipſi nihil horum, ſed contraria faciunt.*

Boni à malis Eccleſiæ præſidibus preſſi.

Et tamen *occulto Dei judicio* ipſis bene eſt, qui inique agunt, *Jerem.* 12. Bene autem facere & *pie vivere volentes, perſecutiones etiam ab ipſis patiuntur*, ut prædixit Apoſtolus, II. *Timoth.* III.

Doctorũ eſt dicere veritatẽ.

Secundum pertinet ad *Magiſtros & Doctores*, & ſpecialiter: Qvorum eſt *loqui declarative.* Hi enim ſi dixerint: Bene, id eſt ſecundum juſtitiam & veritatem, pax erit, ut habetur, I. *Reg.* XX.

Veritatis dicendæ periculũ priſtinum.

Sed heu, ut dixit quoddam idolum; *Qvi veritatem loquitur, caput ſibi frangitur.* Et ut dicit beatus *Ambroſius ſuper illud Apoſtoli I. Cor. IV.* Vos nobiles, nos ignobiles. *Qvi veritatem ſine adulatione prædicant, gratiam non habent apud homines.* Sed propter hoc, ô Zelatores veritatis & juſtitiæ, nolite ceſſare loqui. Qvia certe beati viri folium, id eſt, verbum, non defluet, & omnia, quæcunqve faciet, proſperabuntur, ut dicitur *Pſalmo I.*

Tertium pertinet ad *omnes alios*, generaliter loqvendo: Qvorum eſt *loqui informative.* Hi quidem defectus particularium regionum debent *diſcrete judicare.* Ut de ipſis dicatur illud *Deutr. VII.* Omnia locuti ſunt bene.

Director Concilii Spiritus Sanct.

Veritas per ſimplices juſſu Dei dicenda, quam celant ſapientes.

Et qvum *director ſacri concilii eſt Spiritus S.* qui non eſt acceptor perſonarum, ſed in omni gente, qui timet Deum, & facit juſtitiam, acceptus eſt illi, ut habetur *Act.* 10. Qviqve per aſinam Balaam, ipſum redarguendo, ut habetur *Num.* 22. dignatus eſt loqui: Forte faciet aliquem ſimplicem beneplacitum ſuæ voluntatis eloqui, quod non placet ſibi facere per literatos. Maxime cum ipſe Dominus dicat *Matth. VI. Confiteor tibi, Domine, Pater cœli & terræ, quod abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita Pater, cum ſic placitum fuit ante te.*

Per ſimplices Eccleſia extructa, per literatos deſtructa.

Maxime etiam, quia experientia teſte, per ſimplices eſt *Eccleſia* conſtructa, & *per literatos eſt iterum ac iterum ſæpiſſime deſtructa.* Et ratio. Nam *omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Jeſu Chriſti, Philipp. II.*

In Concilio omnibus debet eſſe jus dicendi.

Idcirco *ſacrum concilium* debet ante omnia exemplo Chriſti *ſurdos* facere audire & *mutos* loqui, *omnibus audaciam loquendi tribuendo, & omnes patienter audiendo*, & ſic *ex omnium dictis* unum vel plura ſecundũ exigentiam bona elicere.

Concilii Conſtantienſis munus pravos emendare.

Dico ergo primo, quod *ad ſacrum concilium & ad Prælatos ſingulariter pertinet* omne vitium extirpare, potenti *pravorum correctione.*

Concilii Conſt. autoritas ac reformandi jus.

Deus enim *congregando hoc ſacrum concilium omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, oves & boves univerſos, inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris, Pſ.* 8. Per hæc quinque hic expreſſa, prout ex gloſſa ibidem colligitur, omnes *boni & mali*, qui *omnes ſacro concilio ſubjecti* ſunt, generaliter intelliguntur.

Per *oves* intelliguntur *innocentes*, qui ſaltem quoad ſe ipſos bene vivunt.

Per *boves*, arantes & *triturantes fideliter in Eccleſia Dei*, qui etiam quoad alios benefaciunt.

Boni clerici per conciliũ Conſt. promovendi.

Et hi utrique *per ſacrum concilium* ſunt *fovendi & promovendi.* Hi enim licet pro fatuis & pro lampadibus extinctis apud cogitationes mundanorum reputentur: Ipſi tamen ſunt, qui exemplo Joſaphat Regis Judæ faciunt, quod rectum eſt in conſpectu Domini, ut dicitur *III. Reg.* 22.

Mali clerici per Conciliũ Conſt. emendandi aut removendi.

Per *pecora campi* intelliguntur *carnales* & beſtialiter viventes;

Per *volucres cœli, ſuperbi*;

Per *piſces maris*, qui perambulant ſemitas maris, *curioſi* ſive *avari* intelliguntur.

Et hi per *ſacrum concilium ſunt corrigendi* vel etiam *extirpandi.*

Paucos eſſe clericos bonos præſtat, quã multos malos.

Melius enim eſt, paucos eſſe *benefacientes*, quam multos *male.* Hi namque hodie proh dolor! *nimis invaluerunt*,

& multiplicati ſunt ſuper numerum, *Pſ.* 39.

Clerus utriusque ſexus olim corruptus. Hoc autem præcipue verum eſt de *clericis & religioſis utriusque ſexus.* De quo lamentatur *Bernhardus* in quodam ſermone dicens: *Dilatata videtur Eccleſia, & cleri ſacratisſimus ordo ſuper numerum multiplicatus eſt.* Verùm, etſi multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam. Dum nihil minus appareat defeciſſe mente, quam numero accreviſſe, ut ait bene *ſuper illo Pſ.* 12. *In labore hominum non ſunt.* Et ad oculum apparet, cum cuncti ſtatus aliquid habeant laboris & voluptatis.

Cleri olim corrupti mores. *Clerici*, inter hæc novo quodam artificio diſcernentes, totum *quod delectat*, in quolibet *elegerunt*, & totum, *quod moleſtat, reſpuerunt. A militibus* receperunt *ſuperbiæ faſtum, amplam familiam, equorum phaleras, & nobiles apparatus; à mulieribus* pendentes collo pelles rubricatas & alia hujusmodi, *à ruſticis* fructus agrorum & horrea plena.

Et ſubdit, ſed bene: *Cavent militaris loricæ pondus, muliebrem declinant verecundiam.* Omnes ruſtici & agricolæ victum ſibi labore acqvirunt, *hi deliciis affluunt*, & tamen, adveniente fructuum tempore, *promtuaria eorum plena ſunt tritico, & vinum ubere bibunt meracisſimum. Inde craſſantur, impinguantur & dilatantur.*

Ecce autem, quid concludit, auſcultate. *Reſtat, ut ſint in laboribus dæmonum, qui in laboribus hominum non fuerunt.* Hæc ille.

Ex hac autoritate quanquam generaliter appareat *ſuperbia, luxuria, & avaritia clericorum & religioſorum:* De ſingulis tamen his aliquid vel breviter reor eſſe dicendum.

Cleri ſuperbia interna & externa. Eſt quidem *ſuperbia interior & exterior. Interior* apparet in triplici excellentiæ appetitu.

Curioſum ſciendi ſtudium, uſu ſuo deſtitutũ. Et primo *in appetitu ſcientiæ.* Hodie namque communiter *acquirunt ſcientias* quascunq; non propter honorem Dei, aut propter hominum ædificationem, ſed *propter curioſitatem, vanitatem* & *quæſtum.* Unde *B. Bernhardus* ſuper Cantica: *Sunt*, inquit, *qui ſcire volunt, ut ſciant. Curioſitas eſt. Sunt, qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi. Et vanitas eſt. Et ſunt, qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant pro honoribus, pro pecunia. Et turpis quæſtus eſt.*

Querela de Reformatione diu in Conſtantienſi Concilio dilata. Hinc eſſe puto, quod unio & *reformatio ſanctæ Eccleſiæ tamdiu protracta eſt.* Quia illi, *per quos reformanda erat*, ob hoc non principaliter ſtuduerunt, & adhuc in omnibus ſe ipſos quærunt. *Sic* enim *volunt reformare, ut ipſi tamen in ſuis pravitatibus permaneant.* Sed *niſi ſe ipſos primo reformaverint, imposſibile eſt eos alios reformare* aut aliquid boni facere. *Quomodo* enim *reformare poterint deformati?*

Reformaturi in Conſt. concilio prius reformandi. Sed forte dicet aliquis. *Ego non facio, ſed Deus per me facit.* Verum dicit. Perpendat autem, quod Deum non decet, nec ipſe vult aliquid facere, ſaltem directe, niſi *per media bene diſpoſita.*

Deus utitur mediis bene diſpoſitis. *Admonẽtur Reformatores in Conſt. Concilio ad emendationem propriam.* Primo ergo omnium vos, *per quos reformanda eſt Eccleſia*, projicite à vobis prævaricationes veſtras, quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum & ſpiritum novum, *Ezechiel.* 18.

Secundo apparet eorum *ſuperbia* interior, *in appetitu & aſſumtione ſacrorum ordinum.* Ad quos in *ſcientia, vita* vel *ætate*, aut in omnibus his, *inhabiles* accedunt.

Promotiones ineptorum ad ſacra olim frequẽtes. Ita namque ordinantur, ut de cæteris taceam, quod nec verba canonis intelligunt, nec quæ ſunt verba conſecrationis, ſciunt.

Ita ordinantur *in vita perverſi*, quod non ſolum ante & poſt, ſed etiam eodem die, quo ordinantur, ludere, inebriari, fornicari, jurare, maledicere, & breviter, omnem turpitudinem exercere non verentur.

Plures reperi tales, qui etiam *ante viceſimum annum* ſacerdotes conſecrati ſunt, & celebrant.

O quantum in hoc *ordinatores & promotores* reprehenſibiles ſunt, etiamſi hoc ignoranter faciunt. Unde *Chryſoſtomus in ſuo dialogo lib.* 3. *Qui*, inquit, *ordinant, eisdem ſubjacent pœnis, quibus illi, qui indigne ſunt ordinati, etiamſi dicant, ſe eorum vitia ignoraſſe. Unde Apoſtolus I. Tim. II. Manus cito nemini impoſueris, nec communicaveris peccatis alienis. Imò ex hoc crimen gravius efficitur, quum aſſumſerunt vel promoverunt, quem* igno-

ignorabant, ſitq́, accuſatio id, quod putabatur eſſe excuſatio. Hæc ille.

Religioſorum utriusque ſexus genus.

Eodem modo apparet *ſuperbia utriusq́ ſexus religioſorum.* Qui hodie, ut in effectu oſtendunt, intrant monaſteria non ex devotione, ut Deo melius ſerviant, ſed *ut magis libertati, otio, vanitati & voluptati vacent.*

Plurium officiorum ſacrorum cumulus in uno clerico damnatur.

Tertio apparet eorum *ſuperbia* interior, *in appetitu beneficiorum*, etiam plurimorum, & dignitatum.

Falſa virtutis teſtimonia.

O quot & quam gravia *in literis gratioſis* de talibus committuntur *aperta mendacia*; In hujusmodi literis *dicuntur virtutibus omnibus clarere. Cum tamen conſtet, eos omni ſpurcitie plenos fore.*

Promotores clericorum corrupti.

Sed quare hoc? Certe, ut puto, quod talium *promotores prece, pretio, obſequio vel affectione ſunt corrupti.* De quo Beatus *Hieronymus* in quadam Epiſtola conqueritur, dicens: *Quidam non quærunt eos in Eccleſia Dei columnas erigere, quos cognoſcunt prodeſſe poſſe, ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis delibuti, vel pro quibus majorum quiſpiam rogaverit, & ut deteriora taceam, qui, ut clerici fierent, muneribus impetrarunt.* Hæc ille.

O quam bene eſſet factum, ſi, ut olim ſancti Patres ſanxerunt, non niſi *probati* & approbati *promoverentur.* Omnia ergo probate, quod bonum eſt tenete. *I. Theſſal. III.*

Faſtus externus Eccleſiaſticorum.

Superbia denique eorum *exterior* apparet generaliter in tribus, videlicet *in inceſſu, ſtatu & habitu*, & communiter in omnibus motibus eorum.

Sed ut apertius dicam, apparet, & proh dolor nimis apparet, *in pretioſitate* ac ſuperfluitate, ac indecenti ſciſſura *veſtium*, in ornatu domorum, lectorum & ſupellectilium, in diverſis vaſis & clenodiis, in cultellis, & ſingulis aureis & argenteis, in apparatu equorum, in multitudine & indecenti habitu familiarium, in frequentia conviviorum, & abuſu ciborum & potuum.

De his, dum conveniunt, tractant: Dum ſoli ſunt, qualiter ea augmentent, cogitant. Plus intendunt iſtis, quam animabus ſibi commiſſis. Non curant, ſi ſubditi eorum annuatim, ut tenentur, communicent, & confiteantur, ſi clerici, eorum familiares, veſtes & coronas debitas portent, aut celebrent, jejunent, aut officium dicant.

Nobile vinum & delicatum panem pro ſe diligenter procurant. Sed, quale vinum, & an triticeus ſit panis, ut debet, pro ſacrificio altaris, non advertunt.

Bene & ſollicite cavent, quod nihil eis aut de cenſibus aut ſervitiis detrahatur, ut habeant, unde pompoſe vivant.

Contra hos impingit *B. Bernhardus in ſermone* 33. *ſuper cantica*, ubi ſupra, dicens: *Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Anti-Chriſto. Honorati incedunt de bonis Domini, cui honorem non deferunt. Inde, quem quotidie vides, meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frenis, in ſellis, in calcaribus. Plus calcaria quam altaria fulgent; Inde menſæ ſplendidæ cibis & ſcyphis; Inde commeſſationes & ebrietas. Inde cithara & lyra. Inde redundantia torcularia & promtuaria eructantia. Ex hoc in illud, prout hujusmodi volunt eſſe, fiunt Eccleſiarum Præpoſiti, Decani, Epiſcopi, & Archi-Epiſcopi.* Hæc ille.

Hæc confirmans venerabilis *Hugo, libro 2. de clauſtro animæ: Hi ſunt, quorum thalamus curatior eſt Eccleſia ſua, menſa apparatior altari, ſcyphus calice pretioſior, equus charior miſſali cappa, pulchrior caſula, camiſia delicatior alba.*

Remedium emendationis quæritur a Concilio Conſt.

O quam vera ſunt hodie iſta! Et ideo non mirum, ſi Deus nos omnes adhuc plus humiliaret. Sed, *o ſacrum concilium*, conſilio prudentior Abigail, conſidera & recogita, quid facias, ut *iſta emendentur*, ne verus David de nobis faciat vindictam *I. Reg. XXII.*

Avaritia cleri circa ætatem Concilii Conſt.

Avaritia clericorum in tribus apparet, ſecundum quod tres ſunt ſpecies avaritiæ: Videlicet, quia *male acquirunt, pejus retinent, & peſſime expendunt.*

Officia ſacra quomodo olim acquiſita. Simonia celebris.

Acquirunt namque beneficia Eccleſiaſtica *prece, pretio aut obſequio.* Et ſic *ſimoniace & male.*

Proh dolor autem diu continuatum eſt, quod, qui plus habuit dare, plus habuit favoris, citius beneficium obtinuit, etiamſi ſpurius & omnino indignus fuit. Et quod pejus eſt, *plura beneficia*, ac etiam ſolennia monaſteria quidam habent in commendas, nec curant,

rant, ſi deſtruantur: Sicut de facto plura deſtruuntur: Aut ſi ſemel in menſe vel in anno ibidem divina fiant: *Dummodo ipſi reditibus non fruſtrentur.*

Simonia à Simoniacis victa.

Quod autem peſſimum, & nimis lamentabile, & *ſuper omnem ſimoniam execrabile:* Quod adhuc hodie *majores* volunt alios beneficiis ſuperfluis & ſimoniace adeptis privare, ſed ipſi, in quantum poſſunt, conantur ſua retinere. O certe malum ſuper malum, & omnis boni impedimentum!

Domeſticorum olim apud Epiſcopos ſpes ad officia Eccleſiaſtica.

Cæterum, quæſo, quare *familiares* à pluribus annis prælatis niſi *ob ſpem beneficiorum* ſervierunt? Hujus enim indicium eſt, quod hoc prætextu nihil eis mercedis tribuunt, & ſic etiam *fures & cabbaſiatores* faciunt. Cum enim non habeant, unde vivant, nec inter ſuos viles & miſeri reputari velint, coguntur, unde poſſunt, Dominos ſuos defraudare.

A bove majore diſcit arare minor.

Sed, quod à bove majore diſcat arare minor, *hunc etiam modum laici, jus patronatus habentes, didicerunt.* Qui proprios filios minime habiles, & tales, qui eis decimas aut partem fructuum ex pacto dimittant, præſentant Epiſcopis. Et quia Epiſcopi ſimilia vel pejora faciunt, ideo tales nec arguere nec impedire præſumunt. *Ipſi namq;*, ut ait *Petrus Bleſenſis* in Epiſtola ad Johannem Epiſcopum Vigonienſem, de principiis doctrinæ: *Abominationes peccantium diſſimulant, aut per impunitatem potius fovent, videntes furem currunt cum eo, & cum adulteris portionem ſumunt, & polluti labii participatione peccant, & non arguunt. Ut eis conveniat, quod Apoſtolus dicit: Propterea vos non corripitis, quod eadem ſæpius agitis. Omnia illicita committuntur impune, nullusq; pro divinæ legis prævaricatione damnatur. Imo laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Hæc ille.

Avaritiæ olim clericalis aliud genus.

De hac ſpecie *avaritiæ* unum nimis abominabile ſilere non licet. Et hoc eſt, quod Epiſcopi *Suffraganei*, ut de majoribus taceam, nec unum pannum, nec unum cingulum ſine *pacto de certa pecunia* benedicere volunt. Imò nonnulli eorum corporalia, pannos & cingula in partes dividunt, ut ſic plus pecuniæ accipere poſſint.

Hæc autem omnia, *Diœceſani* eos facere permittunt, imò eis committunt, & ſic conducunt eos, ne aliàs teneantur eis providere.

Sacramẽta non ſine pecunia olim à clero adminiſtrata.

Similiter *nec aliquod ſacramentum* à quibusdam hodie *ſine pecunia adminiſtratur.*

Quid, quod quidam, qui non habent pecuniam pactatam dare, ſine ſacramenti viatico & unctione extrema mori permittuntur.

O utinam nullus ad epiſcopatum & ſacerdotium, & præcipue ad curam animarum admitteretur, niſi *vocatus à Deo*, tanquam Aaron, ut Apoſtolus docet ad *Hebr. VII.*

Secundo patrimonium Chriſti *pejus retinent.* Quia eorum honeſtæ neceſſitati ſuperflua, pauperibus, ut tenentur, non tribuunt. Cum tamen ſecundum Hieronymum, *id quod clerici habent, pauperum eſt.* Et propterea, ſicut dicit *B. Bernhardus*, ſacrilega eis crudelitate ſubtrahitur, quicquid ſibi miniſtri & diſpenſatores, non utique domini & poſſeſſores, ultra victum retinent & veſtitum.

Luxus Eccleſiaſticorum, circa tempora Concilii Conſt.

Tertio patrimonium Chriſti *peſſime expendunt*, videlicet *in ludis & conviviis.* Potius dant divitibus, imo hiſtrionibus & joculatoribus, meretricibus & adulatoribus, heroldis & fiſtulatoribus, avibus & canibus, quã Chriſti pauperibus.

Quapropter, ut dicit *B. Bernhardus* tractans illud *Eſ. 26. In terra ſanctorum iniqua geſſit: Timeant clerici, timeant miniſtri Eccleſiæ, qui in uſus ſua ſuperbia atque luxuria victum pauperum conſumere non verentur: Duplici profecto iniquitate peccantes: Quia & aliena diripiunt, & ſacris in ſuis vanitatibus abutuntur.* Quid autem ob hoc eis reſtat, niſi ut & duplici contritione conterantur.

Contractus illiciti religioſorũ. A clero diſcunt laici in contractibus peccare.

Demum, religioſi, contra votum ſanctiſſimæ paupertatis, precarias & recmtiones, & hujuſmodi, quocunq; modo poſſunt, acquirere, retinere, & male expendere non formidant. Laici quoque illorum exemplo contractus notorie illicitos ſibi non putant eſſe peccatum.

Et quid plura? Certiſſimè & apertiſſime patet, quod, ut dicitur *Jerem. VI.* à minore

Digitized by Google

minore usque ad majorem *omnes avaritia ſtudent*, & à Propheta uſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum.

Luxuria cleri ætate Concilii Conſt.

De *luxuria* autem eorum quid dicam? Dico, & queruloſe dico, quod, ut dicitur *Jeremia* 30. *frons meretricis facta eſt eis, nolunt erubeſcere.* Ipſi enim nec Deum timentes, nec homines verentes, nec proprium honorem & ſalutem curantes, contra ſacros canones non ſolum *tabernas*, ſed etiam *lupanaria intrare, puellas maritatas atque moniales corrumpere, concubinas in domibus publice tenere, & cum eis procreare, atq; alias ſuperinducere,* ſtatimque poſt celebrare, non abhorrent.

Epiſcoporum olim commodū ex cleri luxuria.

Epiſcopi autem, quoniam *eodem vitio laborant*, talia corripere non præſumunt. Imò *aliquid annuatim ab eis recipiunt*, & omnes in tali miſeria ſtare permittunt, utique ſe, & illos atque talium ſubditos condemnantes.

Cœnobia Monialium, amantium olim theatra.

Locaq; ſanctimonialium, quæ ſecundum ſacros canones omnibus viris, niſi in certis caſibus, ſub pœna excommunicationis, debent eſſe clauſa, *quaſi publica loca, plus quam theatra* ad omnes vanitates, etiam à magnis, non ſine maximo ſcandalo frequentantur.

Et ſi qui fortè alti ſtatus propter verecundiam temporalem intrare non audeant, ſua *munuſcula, fercula, & literas eis mittunt*, easq; cum maximo ſcandalo *ad ſe invitant.* Quæ autem ex his ſeqvuntur turpe eſt dicere, ſed multo turpius eſt facere.

Curia Romana mores corrupti tempore Concilii Conſt.

Sed quod omnibus lamentabilius eſt, hæc omnia, quæ dicta ſunt, & pejora, quam licet dicere, frequenter *in curia*, quæ eſſe deberet exemplar totius Chriſtianæ religionis, & nunc hic *in hoc ſacro loco reformationis* abominabiliter fiunt. De quibus laici tantum ſcandaliſantur, quod quaſi fidem amittunt, & *facta ſacri concilii nullam habent devotionē.*

Et ut de cæteris taceam, verſum eſt in proverbium, quod *prælati tot nutriunt meretrices, quot familiares.*

Meretricum apparatus in domibus prelatorū in Concilio Conſt.

Creditis, quod turpitudo veſtra poſſit latere? Non poteſt. Nam ipſæ *meretrices, ubicunque veniunt, ſe tantos gloriantur habere amatores, & magna munera recepiſſe.*

Sed, etſi lateat, & à nemine hominum ſciatur, quid facies de illo deſuper hominum inſpectore, quem latere nihil poteſt, ut ait. *B. Auguſtinus* in regula.

Mora Concilii Conſt. in reformatione conſicienda taxatur.

Eja ergo, *o ſacrum concilium*, ſi forte hæc hucusque non conſideraſti, adhuc tamen juxta mandatum Domini *Ezech.* 8. aperi oculos tuos, & vide multiplices abominationes, quas *faciunt ipſi in hoc loco* primò, & conſequenter in toto mundo: Ut citius emendentur potenti pravorum correctione.

Et tantum de primo principali.

Dixi ſecundo, quod *ad ſacrum concilium & ad magiſtros & Doctores* ſpecialiter pertinet, *debitum modum* obſervare, clementi *bonorum promotione.* Hoc eſt, quod docet B. Apoſtolus *I. Cor.* 14. dicens: *Omnia honeſte & ſecundum ordinem fiant in vobis.* Et hoc omnino eſt neceſſarium. Nihil enim unquam poteſt fieri bene, ſi *modus debitus* non ſervatur, & ſi *ordo* pervertitur.

Debitum ergo *modum reformandi Eccleſiam* in tribus conſiſtere puto.

Reformationem à majoribus eſſe inchoandam.

Primo, ut *à majoribus incipiatur.* Ut, ſicut juxta *Danielis* XIII. vaticinium: A majoribus iniquitas eſt egreſſa, ita ab eis primo expellatur, & unde mors eſt orta, inde vita reſurgat.

Majora cleri crimina priū tollenda.

Similiter *majora crimina*, ut puta, *Simonia, ambitio, luxuria*, & alia aperta mala corrigantur.

Reformatorum Conſtantienſium error in diſſimulādos vitiis magnis & excutiendis parvis.

Sed heu, *noſtri Prælati* culicem liquant, & camelum deglutiunt. Quia *majora permittunt, & minora diſcutiunt*, ut conqueritur *B. Bernh.* tractans illud *Matth.* 23. *Væ vobis, dicens, cæci, excolantes culicem, & deglutientes camelum.*

Deliberatio ſit matura.

Secundo debitus modus eſt, ut omnia fiant *cum matura deliberatione*, & non feſtina paſſione, cum multorum conſilio, & non ex proprio ingenio. Dicit enim *Petrus Bleſenſis* in epiſtola, ubi ſupra: *Inſolentia magna eſt, non pro ratione, ſed pro lubitu agere, & beſtiale eſt, appetitum conſilio præferre.* Et poſt modicum ibi ſubdit: *Errat, & non modicum, qui ſibi ſoli credit, & hoc dum taxat, faciendum reputat, quod ipſe obdurata mente concepit. Verbum ſapientis eſt: Sunt viæ, quæ videntur homini rectæ, & noviſſima eorum deducunt ad profundum inferni.* Et concludit: *Omnia*

ergo

Digitized by Google

ergo cum conſilio modeſta maturitate diſponas, & prius tecum delibera, poſtea cum multis. Hæc ille.

Caritas regula emendationis.

Tertio debitus modus eſt, ut omnia fiant *ex caritate*, & non ex affectione, cum dilectione hominum & odio vitiorum, ut docet *B. Auguſtinus* in regula. Sine caritate enim nihil bene fit, prout ſcribit *B. Apoſtolus I. Cor.* 13. Ubi & conditiones & proprietates caritatis, ſecundum quas in omni facto procedendum eſt, ſubdit, dicens: *Caritas patiens eſt, benigna eſt &c.*

Hunc modum ſi *ſacrum concilium* ſervarit *clementi bonorum promotione*, verè de ipſo dici poterit, *Bene omnia fecit.*

Et tantum de ſecundo.

Membrorum Eccleſiæ unio in Concil. C. quæſita.

Dixi tertio, quod *ad ſacrum concilium*, & ad omnes generaliter pertinet, rectum finem intendere, ſapienti *ſparſorum reunione.* Unde *I. Eſdr.* 7. *Juxta voluntatem Dei veſtri facite.* Vult autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ut ſimus unum, ſicut ipſe cum Patre unus eſt, ut patet *Joh.* 11.

Ad hujusmodi autem voluntatẽ proſequendam, & unionem procurandam eſt omnino neceſſarium, ut *honor Dei, ſalus animæ* propriæ, & *utilitas proximi* in omnibus intendatur. Hoc probat *B. Auguſtinus*, tractans illud *Lucæ XI. Vide, ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſit*, dicens: *Quod non bona intentione fit, nihil tibi proderit, quia quomodo feceris, non quomodo evenerit, tibi imputabitur.* Secundum doctrinam ergo B. Gregorii in moralibus, *ſumma cura vigilandum eſt, ne in bonis operibus ſerviens mens reproba in tententione polluatur.*

Intentio Reformatorũ non ſit fucata, ſed ad Dei gloriam, & Eccleſiæ commodum directa.

Tu ergo, *o ſacrum concilium*, omni poſtpoſito odio, & perverſa intentione, ac partialitate, conſidera omnia diligenter & bene. Et tunc, ut docet te *Bleſenſis* in Epiſtola ubi ſuprà, *judica in juſtitia pauperes, & argue in æquitate pro manſvetis terræ, fac judicium injuriam patientibus, procura humilibus pacem, rebellibus obedientiam, clauſtris quietem, ordinem monaſteriis, clericis diſciplinam.* Hæc ille.

Seria admonitio, vera & ſeria in Concilio Conſt. procuretur Eccleſiæ reformatio.

Procura inſuper, *ô ſacrum concilium, omni ſtatui Eccleſiæ ſanctæ integram & veram reformationem.* Ad quod te potens juvare, & clementer inſpirare dignetur beatiſſima Trinitas, unus & verus Deus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Amen.

Finitum *Conſtantiæ Anno Domini, M CCCC XVII.*

Publica hæc
præclari Theologi & Oratoris
IN CONCILIO CONSTANTIENSI
CONQVESTIO
De nimis diu dilato Eccleſiæ reformatione
A. M. CCCC. XVII. menſe Auguſto
IMPERATORE SIGISMUNDO
publicata,
Ex antiqvo MSCto Helmſtadienſi
in Academia Julia
A. M. DC. XCVII. d. 4. Martii
ad illuſtranda memorabilis Concilii Conſt. Acta
in lucem edita
Auſpiciis DUCIS RUDOLPHI AUGUSTI,
Imperante
CÆSARE LEOPOLDO.

(o)

Digitized by Google

TOMI I. PARS XX.

JACOBI
EPISCOPI LAUDENSIS,
In Conſtantienſi Concilio literis, conſiliis & autoritate eminentis,

SUMMOPERE IN CONCILIO LAUDATA

IDEA MELIORIS PONTIFICIS IN CONSTANTIENSI CONCILIO ELIGENDI.

Ante ingreſſum in conclave
A. 1417. d. 8. Nov.
Solenniſſima Oratione in publico Concilii conſeſſu
SIGISMUNDO IMPERATORE PRÆSENTE
elegantiſſime deſcripta ac Electoribus ſerio commendata.

FELICISSIMIS AUSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI
DN. RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.
DUCIS &c.

Ex antiquiſſimis Codicibus MSCtis
CÆSAREO VINDOBONENSI & DUCALI BRUNSVICENSI
depromta ab
HERMANNO von der Hardt.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.
HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

Digitized by Google

MSCt. VINDOBONENSE
Tomo IV. Actorum Concilii Conſt.

* *
*

Sermo
prædicatus
in
CONCILIO CONSTANTIENSI
a
Venerabili
EPISCOPO LAUDENSI
antequam intraverunt conclave
Cardinales
& ceteri
electores.
(A. M CCCC XVII. d. 8. Nov.)

Digitized by Google



HERMANNUS von der Hardt.
Lectori S.

SAluberrimum emendationis Eccleſiaſticæ negotium, tot votis & precibus publicis hactenus à Sigismundo Imperatore ac Nationibus in Concilio expetitum, cum aliter impediri in Concilio non poſſet, in lites ac conflictationes acerbas tandem abiit. Etſi enim *vulnera Eccleſiæ* negari non poſſent, qvæſtio tamen de *Medico* mota. Num Eccleſiaſticum ſtatum reformaret *concilium*, an in *Pontificem* eligendum grande hoc munus eſſet differendum. In diverſas ſciſſi partes Concilii Patres, *Cardinalibus* præcipue, dein etiam *tribus Nationibus, Italica, Gallica & Hiſpanica*, Pontificem medicum ac reformationis antiſtitem deſiderantibus, *Imperatore Sigismundo*, cum *Germanica & Anglica* nationibus, Concilio illi univerſali hoc reformandi jus & officium deberi, & ante Eccleſiam reformandam eſſe, qvàm Pontifex novus eligatur, conſtanter aſſeverantibus.

Poſtquam enim tribus propemodum annis de tribus contendentibus Pontificibus ſede movendis magno cum labore, nec ſine periculis in Concilio actum erat, Hiſpanis diu repugnantibus: His Sigismundi Cæſaris operâ cum Concilio tandem *A.* 1417. *menſe Junio* unitis, *ordinem* rerum in Concilio porro agendarum hunc obſervari voluit Imperator, publicæ civilis & ſacræ ſalutis promovendæ cupidiſſimus, *ut primo ejiceretur Petrus de Luna, ſecundo fieret Reformatio in capite & curia Romana, tertio ceteris reformationibus reſervatis procederetur ad electionem Papæ*, notante *Schelſtrateno in Tractatu Romano de concilii Conſt. decretis, p.* 60.

Primum arduum negotium brevi temporis ſpatio, proximo *menſe Auguſto* 1417. feliciter finitum, Petro de Luna prorſus deturbato. Dein omnes qvinqve in Concilio præſentes Nationes Deputatos ſtatim ite-

Digitized by Google

rum nominarunt, qui quod ſuperioribus annis itidem tractaverant, ſcil. alterum qvoqve concilii *de Reformatione Eccleſiaſtica negotium*, omnibus viribus jam aggrederentur, hoc æqve ac illud confecturi. *Gobelinus Perſona* ſerium hocce Nationum reformandi deſiderium hoc menſe auctum notavit in *Coſmodromio, ætate 6. cap. 96. Poſthoc*(Petrum ſc. de Luna A. 1417. menſe Auguſto Papatu privatum) *electi ſunt viri literatiſſimi ex omnibus illis Nationibus, qui nomine totius Eccleſiæ reformationem ſtatus Eccleſiæ ordinarent ac conſcriberent.*

Reformatorio autem illo denuo hoc menſe Auguſto reſuſcitato; *Reformatoribus moram in hoc facientibus*, teſte *Gobelino l.c.* Cardinales hanc rem magno ſtudio intervertere laborarunt, rati, conſultius fore, ſi non jam Reformationis ſed eligendi novi Pontificis qvæſtio tractaretur. Animadvertentes enim iſtud Nationum in Reformatorio denuo conſtituto conſilium, materiam *electionis* in laudatarum Nationum congregationibus ſtatim propoſuerunt, hancqve Reformationi præmittere ſvaſerunt, teſte laudato *Emanuele à Schelſtrate in Tractatu de Senſu & autoritate Decretorum Conſtantienſis Concilii p.* 62.

Qvod ut felicius obtinerent Cardinales, Nationes ſingulas congregatas hoc nomine inviſerunt, teſtibus Actis apud *Schelſtratenum, p.* 205. Ac *nono* tandem *die Septembris* per Cardinalem Piſanum coram *Natione Germanica* in Nationali congregatione, Sigiſmundo Imperatore præſente, ſolenniter proteſtati ſunt, formulâ à *Schelſtrateno* in Actis Conſtantienſis Concilii *p.* 253. ex MSCtis Romanis relatâ.

PROTESTATIO CARDINALIUM
Contra Reformationem Electioni Pontificis præmittendam.
d. 9. Sept. A. 1417.

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, non volentes per infra ſcripta vel dicenda Reformationem Eccleſiæ impedire quomodolibet vel differre, attendentes, de præſenti Romanam Eccleſiam vacare, & apud omnes vacare cenſeri, cujus diuturna vacatio damnoſa plurimum & periculoſa exiſtit, univerſumq; populum Chriſtianum futurum ſummum Pontificem ingentibus deſideriis expectare: Se paratos offerunt ad omnia facienda, quæ ipſis pro electione Ro. Pontificis ſive de jure ſcripto, ſive ex oblatione modi electionis, per eos ſacro Concilio facta, aut aliàs quocunque modo facienda incumbunt. Et dicunt, quod per eos non ſtat, neq; ſtabit, quo minus omnia illa debito tempore faciant. Et illa facerent, ſi nulla eis fuiſſent & eſſent prout fuerunt & ſunt oppoſita obſtacula, propter quæ illa faciendi non habent liberam facultatem, prout de jure habere deberent. Et hæc dicunt & offerunt, ne qvid eis negligentiæ vel defectus circa electionem prædictam valeat imputari, aut præjudicium generari. Rogant autem & exhortantur, quod ad reformationem prædictam taliter procedatur, quod prætextu illius negotium electionis non impediatur aut diu differatur. Et hæc ego Procurator dictorum Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium & illorum nomine veſtris Paternitatibus & Dominationibus intimo, offero, exhortor, & rogo. Et hæc intimarem toti Concilio, ſi poſſem illud reperire congregatum.

Hæc

Digitized by Google

Hæc prima fuit anſa acerbiſſimarum litium publicarum in Concilio ſubſecutarum de *Reformationis an Electionis* potiori negotio. Siqvidem illud Cardinalium ſtudium ad novi Pontificis electionem properandi, Reformationemq; in novum Pontificem devolvendi, vehementer Imperatori Sigismundo Reformationis maturandæ cupidiſſimo diſplicuit. Adeo, ut lectam illam Cardinalium proteſtationem Imperator ſuo diſceſſu interrumperet; Ut nec plene qvidem tunc prælegi poſſet, notante *Schelſtratenio l.c.p.* 63.

Poſt hæc, tribus nationibus, *Italica, Gallica & Hiſpanica*, in Cardinalium ſententiam pertractis, *Imperator* ſolùm cum Nationibus duabus reliqvis, *Germanica & Anglicana*, ſuperfuerunt, qvi pro Reformatione ante electionem Papæ conficienda atq; conſummanda pugnarent.

Uno igitur ſolùm *intercedente die*, Cardinales cum tribus illis Nationibus ſuum ſcopum acrius ſunt proſecuti. Qvandoqvidem *d.* 11. *Sept.* in ſolenniori congregatione in loco publicarum ſeſſionum, omnibus Nationibus ipſoq; Imperatore præſentibus, Cardinales cum tribus Nationibus priſtinum ſuum de maturanda ante publicam Reformationē Pontificis electione deſiderium magna vi urſerunt, novâ ac prolixa contra præmittendā reformationem *proteſtatione* interpoſitâ. Damus & hanc ex MSCtis Romanis, fide *Schelſtrateni, in Diſſertatione de Actis Concilii, Antverpiæ A.* 1683. impreſſa *p.* 6. *& ſeqq.* ac correctius in *Tractatu de ſenſu & Autoritate quorundam Decretorum Concilii Conſt. Romæ A.* 1686. *edito, p.* 255. *ſeqq.*

PROTESTATIO ALTERA CARDINALIUM

ET TRIUM NATIONUM, ITALICÆ, HISPANICÆ ET GALLICANÆ, CONTRA GERMANOS,

Reformationem Electioni Papæ præmittendam eſſe urgentes.

d. 11. Sept. A. 1417.

AUdite hæc omnes gentes, auribus percipite, qui habitatis orbem, & attendat univerſa fidelium Eccleſia, quæ jam 40. *annis in deſerto ſchismatis & diviſionis inter ſe ſub diverſis ducibus velut Eccleſiæ capitibus manſit afflicta. Quæ cum in hoc Sacro Generali Concilio Conſtantienſi terram promiſſionis intraſſe crederetur, & jam ſublatâ capitum pluralitate monſtruoſâ, membriſque corporis jam in unum reductis, corpus ipſum Eccleſiæ per unius capitis aſſumptionem, unici videlicet Paſtoris & Vicarii JESU CHRISTI, perfectè reintegrari ſperet, & ſponſam ſponſi ſui thalamum introire quietis & pacis: Oblataq; jam & aperta via plana per dominos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, per quam verus & indubitatus Sponſus Eccleſiæ Chriſti Vicarius haberi poterat: Videlicet, quod ad eligendum Summum Pontificem aliqui de ſingulis Nationibus cum Cardinalibus per Sacrum collegium deputarentur, quorum tamen numerus Cardinalium numerum non excederet, & alias prout in cedula oblata ſuper hoc continetur: Ecce jam ſponſa lugente differtur, ecce novæ diſcordiæ, & ab illa via plana deviæ ſuſci-*

tantur. Licet enim illa via per dominos Cardinales omnibus in hoc Sacro Concilio Nationibus, & congregationibus, quæ per Nationes fiunt, oblata extiterit, & tres Nationes, Italiæ videlicet, Galliæ, & Hiſpaniæ, quæ faciunt multo majorem & ſaniorem partem Concilii, & ultra dicti Domini Cardinales illam acceptaverint, & juſtam, ſanctam, & ad perfectam unionem Eccleſiæ efficacem reputent: Iſta tamẽ Natio venerabilis Germaniæ *ſuper hoc ſæpius interpellata reſpondere noluit, imò reſpondere jam tribus menſibus diſtulit. Conſiderantes autem præfati Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui præfatam viam obtulerunt, & dictæ tres, Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ Nationes, & attendentes, Eccleſiam apud omnes vacare, & jam diu vacaviſſe, quamque ſit periculoſa quamque damnoſa Sedis Apoſtolicæ ac univerſalis Eccleſiæ præſens vacatio, & quod propter communia & nota pericula atque damna ſpiritualia, tamen majora & periculoſiora his temporibus imminent, renovandi videlicet deterioris & pene inſanabilis ſchiſmatis, cum vulnus iteratum tardius ſanatur: Eo maxime, quod clerus & populus nonnullorum regnorum & provinciarum nondum ſolidè & clarè huic Sacro Concilio adhæſerint, ſed ut communiter fertur, exſpectant fiendæ electionis Summi Pontificis eventum, ut ſi electus fuerit canonicè, illi obediant, alias non: Nec non etiam, quod quorundam, qui eidem Concilio adhæſerunt, propter rumores diſcordiarum, & quaſi impreſſionum, quas in eodem Concilio fieri audiunt, fides jam de eodem Concilio dicitur vacillare: Ob quæ jam ſcriptum & relatum eſt à pluribus magnatibus, & aliis zelatoribus pacis & unionis Eccleſiæ, in Italia plurimum dubitari, ne in urbe Romana prætextu rumorum & dilationis prædictorum aliquis pro ſummo Pontifice aſſumatur, cui forſan præmiſſis attentis tota Italia obediret: Attendendo etiam, quod, durante vacatione bujusmodi, urbs Romana & totum ejusdem Eccleſiæ patrimonium à tempore depoſitionis & renunciationis olim Joannis 23. per Tyrannos occupantur: Vos, præfatam venerabilem Nationem Germaniæ, ſingulaque ejus ſuppoſita pluries & inſtanter exhortati ſunt, & requiſiverunt, quatenus, attentis prædictis periculis Eccleſiæ Sanctæ Dei, velletis per vos vel deputatos veſtros cum dictis tribus Nationibus, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, & Cardinalibus, ſuper mod futuræ electionis, maximè de electoribus tractare, agere, & convenire, ut ſuper hoc per Sacrum Concilium ordinato ad ſummi Pontificis electionem procederetur tempore opportuno. Quod facere & ſuper hoc reſpondere jam multis diebus diſtuliſtis, & non feciſtis: Licet aſſeratis, ſine veſtro conſenſu & ordinatione Concilii ſuper modo, forma, loco, tempore, & materia, ad dictam electionem non poſſe procedi, obſtantibus quibusdam hujus Concilii Decretis, quibus nos Hiſpanica natio, etiamſi alias valida exiſterent, non ligamur.*

Et quia procedente tempore etiam præfata pericula atque damna ſemper augentur, & noſtris foribus aſſiſtunt, Nos deputati ex parte & nomine triũ Nationum prædictarum, Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ, atque Sacri dictorum Dominorum Cardinalium collegii, & noſtro, ac omnium his adhærere volentium de præſenti vel in futurum, Vos, Nationem prædictam Germaniæ, & veſtra ſingula ſuppoſita exhortamur, & requirimus, iterum

ac ter-

ac tertio monemus, exhortantur, requirunt, & monent tres Nationes & Cardinales prædicti per viſcera miſericordiæ JESU CHRISTI, *per aſperſionem ſui pretioſi ſangvinis, cujus pretio hanc ſuam redemit Eccleſiam, quæ jam eſt in tantis periculis conſtituta, velitis per vos vel deputatos aut deputandos à vobis, cum aliis Nationibus & Cardinalium collegio, vel cum deputatis aut deputandis ab illis, de modo fiendæ electionis, & maximè de materia quantum ad electores, celeriter & ſine moræ diſpendio tractare, concurrere, convenire, & concordare, ad vitanda prædicta pericula, ut in tanta concordia fiat electio, quod in ea concordet totus populus Chriſtianus.*

Proteſtamur autem nomine quo ſupra, & obteſtamur, proteſtantur & obteſtantur tres Nationes & Cardinales prædicti Deum Patrem omnipotentem, Filium, & Spiritum Sanctum, omnes Sanctos ac virtutes cælorum, invocantes ſuper vos cælum & terram: Quod ſi deinceps Eccleſia ipſa ſancta Dei pro carentia ſummi Pontificis canonicè eligendi, ſeu prætextu dilationis & moræ electionis ipſius, ſeu fiendæ ordinationis modi electionis ejusdem, aut alias detrimenta aut damna aliqua vel pericula in ſpiritualibus vel temporalibus incurrat, nihil eisdem tribus Nationibus & collegio Cardinalium aut earum alteri vel ſuppoſitis ipſorum & ipſarũ, ac his conſentientibus valeat imputari, ſed ſuper his ſint & habeantur inſontes; Sed vobis, Nationi Germaniæ, & veſtris ſuppoſitis poſſit & debeat merito imputari. Cum, ſi ante dictam proviſionem Eccleſiæ de Paſtore aut ſaltem modi electionis illius, ſuppoſitis hujus Concilii Decretis, quibus omnia jura circa electionem ſummi Pontificis edita dicuntur eſſe ſuſpenſa, ex quo ſequeretur, Eccleſiam Dei eſſe ſine capite, & ſine lege, & ordinatione electionis ſummi Pontificis, hoc Concilium caſu aliquo diſſolvetur, prout jam multæ cauſæ timentur imminere, Eccleſia in periculo remaneret: Quia vix aut nunquam ſummus Pontifex indubitatus poſſet haberi, quia vix congregaretur indubitatum Concilium, deficiente capite, ad quod pertinet convocare.

Proteſtantur etiam de proſecutione legitima ſuper damnis atque detrimentis prædictis & aliis adverſus illos, per quorum culpam contingerent: Præſertim cum ſecundum plurium Doctorum juris divini & humani opiniones, talis moroſa dilatio procedendi in negotio electionis ejusdem ſine cauſa rationabili, non caret ſcrupulo fautoriæ ſchiſmatis. Nullam autem omnino cauſam, imo nec occaſionem habere videtur dicta natio & ejus ſuppoſita differendi præmiſſa. Nec ullam cauſam allegant, niſi quod ante electionem fiat reformatio. *Quæ cauſa nulla eſt, qvoniã &* fieri reformationem dictæ tres Nationes & Cardinales volunt & cupiunt, *prout jam* ad hoc ſuos cum cæteris Nationibus deputatos dederunt, *qui ad hoc agunt. Et illis agentibus poteſt etiam eodem tempore agi de modo electionis ſummi Pontificis, prout eidem Nationi ſæpè expoſitum & petitum. Præterea ſi reformatio fienda eſt de deformatis, quæ major eſt aut eſſe poteſt in corpore deformitas, quam carere capite, & acephalum eſſe? Illa igitur* prior *tanquam magis neceſſaria debet eſſe* reformatio, *quæ corpus ipſum ad caput reformet & informet. Et contrarium aſſerere vel facere non videtur eſſe ſecurum. Allegant præterea, quod agere de modo electionis ante reformationem eſſet contra Decreta Concilii & capitula Narbonæ*

con-

Digitized by Google

concordata. Iſta, ſalvâ dicentium reverentiâ, non ſunt in re. Nulla enim decreta contradicunt, imo volunt contrarium. In omnibus enim locis, ubi vel Concilium vel dicta capitula de agendis in iſto Concilio loqvuntur, ſemper præponunt unionem, quæ unio nec eſſet nec dici poteſt perfecta, niſi Eccleſia unum caput miniſteriale habeat, cui corpus Eccleſiæ uniatur. Duplex enim ſecundum ſacros Doctores eſt unio Eccleſiæ: Una membrorum invicem; Quæ jam creditur eſſe facta: Altera membrorum ad caput, ut conſtituatur corpus integrum & perfectum: Et iſta non eſt facta, igitur primo loco fienda. Præterea ſi ex ordine litteræ capitulorum Narbonenſium arguitur, proprium & principale capitulum illorum capitulorum ſuper iſta materia, & quid & qualiter eſſet agendum in iſto Concilio, ponit ordinem, quod agatur de ejectione Petri de Luna, de electione ſummi Pontificis, & de reformatione Eccleſiæ in capite & membris. Et ita electio præponitur. Præterea eadem ratione prius ageretur de reformatione membrorum, quam capitis: Quia in eodem ordine ponuntur. Quod usque ad annum, imo ſine ſummo Pontifice nunquam eſſet factum, nec poſſe fieri videtur. Nec juvare poteſt dilationem, quod dicitur, Sereniſſimum Romanorum Regem & aliquos Cardinales & Prælatos alios aut Doctores aliarum Nationum eidem Nationi adhærere: Cum ad præfatum Sereniſſimum Romanorum Regem præmiſſa tractare aut diſferre non pertinet: cujus magis intereſt pro ſuo honore electionem ſummi Pontificis, quæ erit ſumma perfectio unionis, accelerari, quam tardari. Cardinales autem atque Prælati & alii, ſi qui illi Nationi in præfata dilatione adhærere dicuntur, certè non illi Nationi, ſed dicto Domino Regi adhærent, in ſuis votis ſeqvuntur, & illi aſſentiunt, & tamen pauciſſimi ſunt. De Cardinalibus enim ſunt ſolum duo, qui licet in toto præſenti Cardinalium collegio ſunt 24. illi duo ſoli à cæteris & tanto ac tam gravi collegio, in quo ſunt tanti Patres, ſe minus honeſtâ ac magnâ eorum verecundiâ ſegregant, qui ſi partes tanti collegii eſſe merentur, videant ne turpes dici poſſint, quæ ſuo non congruunt univerſo. Cæteri vero prælati & alii de tribus Nationibus, qui adhærere dicuntur, non illi Nationi adhærent, ſed ut præmittitur dicto Domino Regi, & in rebus Eccleſiaſticis & ſpiritualibus Regem ipſum & ejus vota relictis Prælatis & Perſonis Eccleſiaſticis pro ſuæ voluntatis libito ſeqvuntur, & aſſentiunt illi. Attento autem modo agendi in iſto Concilio per Nationes, & quod unusquiſque ſtat in ſuo Natione, in ea ſuper propoſitis dicturus ſententiam, ſingulariter & præſumptuosè incedentes, ſe inhoneſte à ſuis ſegregant Nationibus, nec debent alibi ullam vocem vel autoritatem habere, imo à dictis duabus Nationibus, de quibus nec membra nec partes ſunt, repelli. Nulla igitur cauſa ſubeſt differendi tractatum ſuper modo futuræ electionis, qui ſi per prædictam venerabilem Nationem ulterius plus debito differatur, proteſtamur nomine dictarum trium Nationum & collegii Cardinalium, & proteſtantur eædem Nationes & collegium, de providendo Eccleſiæ Dei per remedia opportuna. Maximè cum præter collegium Cardinalium, ad quod de jure ſcripto magis pertinet electionis prædictæ materia, dictæ Nationes tres, & multo magis cum dicto Cardinalium collegio multo majorem partem & ſaniorem hujus Sacri Concilii faciunt, & majorem partem univerſalis Eccleſiæ repræſentant.

Digitized by Google

Turbaverat quidem *prior* illa Cardinalium *proteſtatio* Cæſarem; Verùm *poſterior* hæc multo magis *Cæſarem* momordit *Nationique Germanicæ* bilem movit. Qvi exinde motus tunc orti in publico loco, celare non potuerunt, qui præſentes interfuerant ac ſuis cuncta oculis auribusqve acceperant. Qvi etiam memorant, *Cardinalem Zabarellam*, ſenem grandævum, in iſto turbarum ac litium ſtrepitu publico, qvod maxima ſemper polluiſſet in Concilio autoritate, magna vocis animiqve contentione ingentem tumultum vel ſedare vel frangere contendiſſe. Adeo ut pro Pontifice eligendo pugnans, vitam prope ſuam vehementi illo motu frangeret, ex morbo inde contracto non emerſurus, cum paulo poſt *die 2. Octob.* exſpiraret. Qvæ fata diſſimulare non potuit elegans Concilii orator *Poggius Florentinus in Panegyrico Zabarellæ dicto*, ſupra *Parte IX. f. 544.* *Quid ille*, inqvit, *paulo ante, vobis inſpectantibus fecit? Mementote illius turbulentiſſimi diei, P. C. & eum ponite ante oculos veſtros, illius temporis ut vere dicam tumultum, cum frequentes omnium ætatum, ordinum, nationum homines in illam concionem conveniſſent. Revocate animis veſtris gravitatem rei (de ſuprema enim ſalute agebatur) diſſenſiones & varias multorum ſententias ac nonnullorum trepidationem. Quis enim fuit vultus? Quanta ſignificatio animi & conſtantia? Qualis illa oratio? Quam plena dignitatis & prudentiæ? Cum nunc moneret, nunc hortaretur, nunc acriter objurgaret eos, quorum opera hi diſcordiarum fluctus excitabantur. Stupebant omnes, admirabantur, tantam vim dicendi fuiſſe in eo, quem propter adverſam valetudinem vix loqui poſſe credebant. Cygnea vox illa fuit & futuræ mortis præſagium. Nam dixit luculentius, quam antea unquam. Et poſtremis verbis clamans, inquit eam orationem ſuum fuiſſe teſtamentum, cum ſeſe ita comparaſſet, ut in unitate Eccleſiæ vellet animam profundere.*

Neqve verò cum illa triſti & infelici hora, vel lites vel tempeſtates finem habuerunt. Nec enim Imperator concoqvere potuit has machinas reformationi oppoſitas. Qvapropter continuatæ illis diebus acerbiſſimæ lites. Notavit hoc Schelſtratenus in Tractat. de Actis Concilii p. 65. *Lectâ*, inqvit, *hac proteſtatione tanta animorum conturbatio orta eſt in Natione Germanica, ut Rex Romanorum, habito cum ſuis conſilio, egerit de capiendis nonnullis Cardinalibus.* Hauſit hoc ex *MSCtis* Romanis, qvorum verba p. 266. hæc refert. *Ex præmiſſis Congregationibus, lectura & propoſitione, Rex & Natio Germânica plurimum turbati fuerunt. Credebat enim Rex, quod in illa congregatione multa multoq; duriora fierent. Quia credebat, quod illæ duæ* (forte *dictæ*) *Nationes & Cardinales vellent recedere, & plura alia, quæ nunquam cogitaverant, facere. Item fuit relatum Regi & Nationi Germanicæ, quod in illa ſcriptura, lectura, & propoſitione fuerant vocati hæretici & Schiſmatici. De quo nihil erat. Quanquam plures dicant, quod, cùm ille Patriarcha Antiochenus & alii recederent de Eccleſia & congregatione, unus dixit: Recedant Hæretici. Ex his multa machinamenta facta ſunt. Et fuit ſecrete mandatum, & dictum pluribus Cardinalibus per ſuos amicos, quod Rex habebat armatos, & diſpoſuerat capere Principales Cardinales, & alios. Et creditur eſſe verum. Receſſerunt autem* (è Concilio) *legati Caſtellæ & Navarræ, præter aliquot doctores, qui remanſerunt. Sed nulli ex illis potuerunt tranſire ultra unum milliare, prohibiti per Regem ultra tranſire.*

Et poſt plura: *His diebus magnus terror & turbatio erat in Concilio. Fama enim erat communis, & multi ſcientes de conſiliis Regis & adhærentium ſibi, dixerunt amicis, quod Rex proponebat & deliberaverat aliquando capere omnes Cardinales, & poſtea reſtrinxit ad ſex, & conſequenter poſuit octo & alios Prælatos, & illi erant de Notabilioribus proſcripti, ut ducerentur ad diverſa loca. Sed Cardinales & alii, de quorum etiam proſcriptione dicebatur, conſtantes ſteterunt, nec omiſerunt loqui & proſequi quæ juſta eis videbantur.*

Gobelinus Perſona, celebris illius temporis hiſtoricus, ab *Emanuele à Schelſtrate in Tractatu de ſenſu & Autoritate Decretorum Concilii, in compendio Chronologico*, *p.* 62. commendatus, ac conſenſu plurium MSCtorum ab eodem munitus, in *Coſmodromio*, *ætat.* 6. *cap.* 96. *f.* 344. *editionis Meibomianæ*, hæc fara æqve aperte deſcribit. Qvi cum monuiſſet, ex qvo *Petrus de Luna A.* 1417. *Papatu fuerat privatus, electos fuiſſe in Concilio viros literatiſſimos ex omnibus Nationibus, qui nomine totius Eccleſiæ reformationem ſtatus Eccleſiæ ordinarent ac conſcriberent:* Pergit: *illis autem moram in hoc facientibus, orta eſt ſeditio inter Regem & nationem Germaniæ parte ex una, & ceteras nationes parte ex altera. Rege cum ſuis volente, quod, priusquam ad electionem ſummi Pontificis procederetur, fieret Reformatio Eccleſiæ tam in capite quam in membris: Ceteris contendentibus ex adverſo, quod prius procederetur ad electionem Papæ, quam reformatio Eccleſiæ eſſet deducenda ad effectum.*

Gobelini coætaneus, *Theodericus Vrie*, cum Gobelino ex aſſe conſentit, illas in Concilio lites, Reformationem refrenantes, amare deplorans, in *Hiſtoria Concilii Conſt.* ſupra *Parte I. f.* 193. *Invidia devoravit charitatem, pacemq́; fœdavit diſcordia. Libet, ut in congregatione ſit charitas, pax & amor. Sed non licet, ut ſint jurgia, æmulationes, rixæ, & cetera hujusmodi, quæ charitatem offendunt. Patres convocavit charitas, fratres amor, & reliquos pax ſincera. Omnes enim, quos tantum opus arduum conjunxit, quinimo divinum, dilectionis nodo colligari debent. Sed Scriptura teſte, cum die quadam veniſſent filii Dei, ut aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos Satan. Satan adverſans interpretatur. Hic namque fratres & Dei filios pacificos adverſarios facit & inimicos, odia ſeminans & diſcordias movens. Hic veriſſime in Congregatione Conſtantienſi cognoſcitur guerras & rixas concitare, ne inter ſe concordare valeant, ad quos ſanctæ reformationis onus & opus ſpectare videtur. Sunt enim alterius contra alterum clamores, jurgia, contumeliæ, & hujusmodi, quæ ſine diaboli inſtinctu eſſe nequaquam poſſent. Per quæ tantum reformationis negotium in capite & membris ſummopere tardatur.*

In his motibus oris animiq; vehementibus nec aliis parſum *chartis*, iisq́; à veneno non omnino liberis. Cardinalium qvippe ac trium Nationum cœtus tantùm non hæreſeos, certe Huſſiticæ doctrinæ Imperatorem ac reliqvas duas Nationes accuſarunt, eo nomine qvod reformationem Electioni Pontificis præferri optarent.

En ejus generis *aculeos*, quibus in Concilio petiti illi, qui cum Imperatore *Reformationem capitis Electioni Pontificis præmittendam eſſe* contenderent.

DISPUTATIO CONSTANTIÆ IN CONCILIO EDITA

Contra illos, qvi Reformationem curiæ Romanæ Electioni Pontificis præmitti volebant.

Ex antiqvo codice MSCto Lipſienſi.

„ AD obviandum multis erroribus, qui nunc oriri videntur circa materiam unionis Eccleſiæ, petitur *conſilium & deliberatio Theologo-*
„ *rum* ſuper dubiis infra ſcriptis, quæ *Johannis Huſs* doctrinam erro-
„ neam ſapere dicuntur.

Dubia XII.

I. Utrum dicere, qvod *oblatio* ſuper modo *electionis futuri ſummi*
„ *Pontificis*, facta per Dominos *Cardinales*, & acceptata *per tres nationes*,
„ eſt erronea, aut Eccleſiæ periculoſa vel ſcandaloſa, ſit erroneum & in-
„urioſum, ac pacis & tranqvillitatis ſacri concilii turbativum?

„ II. Utrum

II. Utrum dictam *oblationem non acceptare*, nec aliam æqve bonam vel meliorem offerre, & non velle ſuper hac materia cum aliquo conferre, ſed rem iſtam, tam neceſſariam, in longum periculoſius differre, ſapiat fautoriam ſchismatis & impedimentum unionis?

III. Utrum *inducere potentiam ſecularem ad prohibendum*, ſeu de facto impediendum, *ne* ſuper dicta oblatione *deliberarent*, aut reſponderent *aliæ nationes*, ſit libertatis concilii turbativum, aut impreſſivum metus, aut Eccleſiaſticæ unionis impeditivum?

IV. Utrum dicere, quod, *Apoſtolica ſede* apud omnes notorie *vacante, non* eſt *facienda electio futuri Pontificis* ſummi, ſecundum canonicas ſanctiones, ſed *quod poſt dictam vacationem, Eccleſia diu, & ſine determinato tempore, maneat* acephala, id eſt, *ſine Apoſtolico capite* ſeu paſtore, & absqve canonica proviſione ſuper modo & forma futuræ electionis, ſit contra jus divinum, videlicet contra ordinationem Chriſti de inſtituendo ſibi vicario, Petri ſucceſſore?

V. Utrum prædicta aſſertio ſit hæretica, vel ſapiens fautoriam pravitatis hæreticæ, & ſpecialiter hæreſis contra *Johannem Huſs* per hoc ſacrum concilium condemnatæ, videlicet, *quod Eccleſia melius poteſt regi ſine Papa, quàm cum ejus & Romanæ Eccleſiæ autoritate*?

VI. Utrum quæcunqve hujus *concilii decreta, capitula* vel *juramenta*, ſane intellecta, poſſint *obſtare* præfato juri divino, ſeu ordinationi Chriſti de *ſubſtituendo* ſibi *vicario*? Et utrum hoc dicere ſit erroneum, & ſapiens hæreſin, ac huic ſacro concilio injurioſum?

VII. Utrum dicere, & efficaciter procurare, quod non ſolum *electio* futuri ſummi Pontificis, ſed & proviſio ſuper forma, modo, & tempore futuræ electionis *differatur, donec & quousque prius fiat reformatio capitis*, id eſt, *Papæ, Cardinalium, ac Romanæ curiæ, quaſi bujusmodi reformatio bene fieri nequeat Papa præſidente*, ſit erroneum & ſapiat hæreſin *Johannis Huſs* ſupradicti?

VIII. Utrum canonica proviſio ſuper futura electione ſit *prima & principalis reformatio Eccleſiæ*, præ cæteris neceſſaria, & debito ordine *præferenda*, aut ſaltem *non poſtponenda*? Et an contrarium dicere ſit erroneum, & debiti *ordinis reformationis* ſit turbativum? An hæc deformitas, ſcilicet, quod Eccleſia, ut præmittitur, maneat acephala, ſit periculoſiſſima, & per conſequens hujus deformitatis reformatio ſit præ cæteris neceſſaria?

IX. Utrum dicere, quod *minus inconveniens eſt, Eccleſiam carere capite, quam carere capitis reformatione*, ſit erroneum, & à bonis moribus Eccleſiaſticis alienum?

X. Utrum conſulere, & inducere potentiam ſecularem, quod exerceat viam facti, vel *brachium ſeculare adverſus perſonas Eccleſiaſticas hujus ſacri concilii*, absqve autoritate & expreſſo decreto ſuo, ſub prætenſo colore, quod iſti vel illi *ſint turbatores concilii*, reddat ſic conſulentes & inducentes reos pœnarum juris ſtatutorum contra violatores Eccleſiaſticæ libertatis, qvarum pœnarum aliqvæ confirmatæ ſunt, & noviter inſtitutæ per hoc ſacrum concilium.

XI. Utrum dicere, *quod Romana & univerſalis Eccleſia non poſſit*

Digitized by Google

debite ac perfecte reformari, niſi per ſubtractionem bonorum temporalium, quibus à principibus ſuperflue eſt dotata, ſit erroneum, & expreſſe ſapiens hæreſin, contra *Johan. Huſs* per hoc concilium condemnatam?

XII. Utrum tales conſulentes & perſvadentes, qvod Dominus *Rex Romanorum* vel ratione ſuæ dignitatis, vel altero prætenſo titulo, ſive conſervatione hujus concilii, ſive decretorum ab eodem concilio ſtatutorum, poſſit aliqvam *jurisdictionem in Eccleſiaſticos exercere* absqve ſpeciali ipſius concilii mandato, dicendi ſint errantes de jure, & de fautoria ſchismatis vehementer accuſandi, tanqvam præſentis concilii turbatores, & violatores Eccleſiaſticæ libertatis, prædictas juris pœnas damnabiliter incurrendo?

Super materia dictarum qvæſtionum *offerunt ſe* multum notabiles *Doctores Theologiæ* probare & defendere *tres concluſiones* ſeqventes. Videlicet;

Prima Concluſio.

EX articulis fidei clare deducitur, qvod Eccleſia non debet absqve unico ſummo Pontifice derelinqvi, usqve ad conſummationem ſeculi. Et hoc de lege communi.

Secunda concluſio.

EX articulis fidei clare deducitur, quod præceptum divinum & affirmativum ſuper electione ſummi Pontificis facienda, dum ſedes Apoſtolica vacat, obligat omnem Chriſtianum ad non impediendum, hujusmodi electionem canonice & ſalubriter faciendam.

Tertia concluſio.

EX articulis fidei clare deducitur, quod prædictum præceptum obligat omnem adultum Chriſtianum ad procurandum juxta qualitatem ſui ſtatus, quod electio ſummi Pontificis nequaquam differatur, ubi & quando non erit efficax dilationis ratio, dum ſcilicet electio deterioris exitum probabiliter non habet.

Ex prædictis tribus concluſionibus ſeqvitur *Reſponſio affirmativa ad prædicta duodecim dubia.*

Seqvuntur Rationes & Declarationes præmiſſorum.

COntra nonnullos, qvi, ſub prætextu & pallio *reformationis ſtatus Romani Pontificis & collegii Dominorum Cardinalium ac curiæ Romanæ*, moliuntur deſtruere non ſolùm electionem futuri Romani Pontificis, imo etiam nituntur impedire, ne provideatur de forma, modo & tempore ipſius electionis.

Pro *fundamento trium concluſionum* prædictarum imprimis ſupponendum eſt, qvod ex inſtitutione *Chriſti*, qvi eſt *principale caput Eccleſiæ*, usqve ad conſummationem ſeculi debet ſuccedere aliqvod *caput miniſteriale*, Chriſto ſubordinatum, qvale caput *Papam* vel ſummum Pontificem appellamus. Et ſecundum canonicas ſanctiones

valde

valde *periculoſum eſt, qvod ſede vacante diu differatur electio* talis capitis, ſive *Pontificis.* Et maxime, ſine determinatione modi & formæ, & præfixione temporis. Maxime conſiderato longo tempore, & mandato, qvo jam vacavit Eccleſia, ut per ſuas literas teſtatur concilium. Quoniam aliter Eccleſia exponitur diſcrimini, ut remaneat acephala à tali capite. Quæ eſt *maxima deformatio Eccleſiæ, cujus deformitatis reformatio* præ cæteris eſt neceſſaria. Et per conſequens, exponere Eccleſiam tali diſcrimini, ſine manifeſta proviſione contra ſcandala, quæ inde poſſunt oriri, eſt favere ſchiſmati, & præbere impedimentum Eccleſiaſticæ unitati. Quod ſapit hæreſin Johannis Huſs per hoc ſacrum concilium damnati: Et maxime in illis, qui alios, volentes contra prædicta ſcandala providere, vocant *turbatores concilii*, & fautores ſchismatis. Hoc itaque fundamento præſuppoſito, quod tam *jure divino* quam *humano* poteſt multipliciter ſtabiliri, conſequenter dicendum eſt, quod contradicentes concluſioni præmiſſæ, quantum in ſe eſt, manifeſte ſe reddunt ſuſpectos fautoriæ inveterati ſchismatis, aut fabricationis novi. Quod ſic poteſt probari.

Certum eſt, quod *ſi iſtud concilium ſolvetur, antequam habeatur Romanus Pontifex*, quod haberemus ſchiſma pejus, quam aliud, propter *difficultatem iterum congregandi concilium.* Quoniam *difficillime congregaretur, ſub quocunq; Principe Chriſtiano*, propter multa, quæ faciliter conſiderari poſſunt. Item, quia ſecundum eos ſuſpenſa ſunt jura, virtute quorum ipſa electio pertinet ad collegium Dominorum Cardinalium, & ſic non valeret electio eorum, dato, quod eam vellent facere, & eam celebrare. Sed certum & notorium eſt, quod nos ſumus in imminenti & quaſi inevitabili periculo ſolutionis prædictæ. Et hoc propter multas cauſas.

Prima, propter *longam & diuturnam moram*, quam fecimus hic, ex qua longa mora non ſolum attædiata ſunt notabilia ſuppoſita hujus concilii, imo hæc *civitas Conſtantia* cum tota provincia circumvicina.

Secunda: Propter *periculum peſtilentis aeris*, ad quem ſecundum judicium Aſtronomorum & medicinæ peritorum tempus valde diſponitur.

Tertia: Propter *diviſiones, odia, & diſſenſiones, quæ durante iſto concilio exortæ ſunt inter Dominum Regem Romanorum & nonnullas nationes*, nec non Ambaſiatores aliquorum Regum & Principum, ut notorium eſt.

Quarta: Propter *ſtrages & guerras*, qvæ invaleſcunt in aliqvibus regnis & regionibus, propter quas & diſſipantur bona & monaſteria plurium Prælatorum & aliorum hic exiſtentium.

Qvinta: Propter *diffidentiam, quæ habetur de aliqua bona reformatione obtinenda in hoc concilio*, viſo, quod per duos annos, licet major pax & dilectio & *concordia* tunc eſſet *inter nationes, non potuit plene & perfecte concordari unum ſolum capitulum de ſupradicta reformatione*, de qva tractatur, videlicet *de ſtatu Papæ & collegii Dominorum Cardinalium.*

Et ſic, viſo imminenti & univerſali periculo ſolutionis prædictæ, qvi,

Digitized by Google

debite ac perfecte reformari, niſi per ſubtractionem bonorum temporalium, quibus à principibus ſuperflue eſt dotata, ſit erroneum, & expreſſe ſapiens hæreſin, contra *Johan. Huſs* per hoc concilium condemnatam?

XII. Utrum tales conſulentes & perſvadentes, qvod Dominus *Rex Romanorum* vel ratione ſuæ dignitatis, vel altero prætenſo titulo, ſive conſervatione hujus concilii, ſive decretorum ab eodem concilio ſtatutorum, poſſit aliqvam *jurisdictionem in Eccleſiaſticos exercere* absqve ſpeciali ipſius concilii mandato, dicendi ſint errantes de jure, & de fautoria ſchismatis vehementer accuſandi, tanqvam præſentis concilii turbatores, & violatores Eccleſiaſticæ libertatis, prædictas juris pœnas damnabiliter incurrendo?

Super materia dictarum qvæſtionum *offerunt ſe* multum notabiles *Doctores Theologiæ* probare & defendere *tres concluſiones* ſeqventes. Videlicet;

Prima Concluſio.

EX articulis fidei clare deducitur, qvod Eccleſia non debet absqve unico ſummo Pontifice derelinqvi, usqve ad conſummationem ſeculi. Et hoc de lege communi.

Secunda concluſio.

EX articulis fidei clare deducitur, quod præceptum divinum & affirmativum ſuper electione ſummi Pontificis facienda, dum ſedes Apoſtolica vacat, obligat omnem Chriſtianum ad non impediendum, hujusmodi electionem canonice & ſalubriter faciendam.

Tertia concluſio.

EX articulis fidei clare deducitur, quod prædictum præceptum obligat omnem adultum Chriſtianum ad procurandum juxta qualitatem ſui ſtatus, quod electio ſummi Pontificis nequaquam differatur, ubi & quando non erit efficax dilationis ratio, dum ſcilicet electio deterioris exitum probabiliter non habet.

Ex prædictis tribus concluſionibus ſeqvitur *Reſponſio affirmativa ad prædicta duodecim dubia.*

Seqvuntur Rationes & Declarationes præmiſſorum.

COntra nonnullos, qvi, ſub prætextu & pallio *reformationis ſtatus Romani Pontificis & collegii Dominorum Cardinalium ac curiæ Romanæ*, moliuntur deſtruere non ſolùm electionem futuri Romani Pontificis, imo etiam nituntur impedire, ne provideatur de forma, modo & tempore ipſius electionis.

Pro *fundamento trium concluſionum* prædictarum imprimis ſupponendum eſt, qvod ex inſtitutione *Chriſti*, qvi eſt *principale caput Eccleſiæ*, usqve ad conſummationem ſeculi debet ſuccedere aliqvod *caput miniſteriale*, Chriſto ſubordinatum, qvale caput *Papam* vel ſummum Pontificem appellamus. Et ſecundum canonicas ſanctiones

valde

valde *periculoſum eſt, qvod ſede vacante diu differatur electio* talis capitis, ſive *Pontificis.* Et maxime, ſine determinatione modi & formæ, & præfixione temporis. Maxime conſiderato longo tempore, & mandato, qvo jam vacavit Eccleſia, ut per ſuas literas teſtatur concilium. Quoniam aliter Eccleſia exponitur diſcrimini, ut remaneat acephala à tali capite. Quæ eſt *maxima deformatio Eccleſiæ, cujus deformitatis reformatio* præ cæteris eſt neceſſaria. Et per conſequens, exponere Eccleſiam tali diſcrimini, ſine manifeſta proviſione contra ſcandala, quæ inde poſſunt oriri, eſt favere ſchiſmati, & præbere impedimentum Eccleſiaſticæ unitati. Quod ſapit hæreſin Johannis Huſs per hoc ſacrum concilium damnati: Et maxime in illis, qui alios, volentes contra prædicta ſcandala providere, vocant *turbatores concilii*, & fautores ſchismatis. Hoc itaque fundamento præſuppoſito, quod tam *jure divino* quam *humano* poteſt multipliciter ſtabiliri, conſequenter dicendum eſt, quod contradicentes concluſioni præmiſſæ, quantum in ſe eſt, manifeſte ſe reddunt ſuſpectos fautoriæ inveterati ſchismatis, aut fabricationis novi. Quod ſic poteſt probari.

Certum eſt, quod *ſi iſtud concilium ſolvetur, antequam habeatur Romanus Pontifex*, quod haberemus ſchiſma pejus, quam aliud, propter *difficultatem iterum congregandi concilium.* Quoniam *difficillime congregaretur, ſub quocunq; Principe Chriſtiano*, propter multa, quæ faciliter conſiderari poſſunt. Item, quia ſecundum eos ſuſpenſa ſunt jura, virtute quorum ipſa electio pertinet ad collegium Dominorum Cardinalium, & ſic non valeret electio eorum, dato, quod eam vellent facere, & eam celebrare. Sed certum & notorium eſt, quod nos ſumus in imminenti & quaſi inevitabili periculo ſolutionis prædictæ. Et hoc propter multas cauſas.

Prima, propter *longam & diuturnam moram*, quam fecimus hic, ex qua longa mora non ſolum attædiata ſunt notabilia ſuppoſita hujus concilii, imo hæc *civitas Conſtantia* cum tota provincia circumvicina.

Secunda: Propter *periculum peſtilentis aeris*, ad quem ſecundum judicium Aſtronomorum & medicinæ peritorum tempus valde diſponitur.

Tertia: Propter *diviſiones, odia, & diſſenſiones, quæ durante iſto concilio exortæ ſunt inter Dominum Regem Romanorum & nonnullas nationes*, nec non Ambaſiatores aliquorum Regum & Principum, ut notorium eſt.

Quarta: Propter *ſtrages & guerras*, qvæ invaleſcunt in aliqvibus regnis & regionibus, propter quas & diſſipantur bona & monaſteria plurium Prælatorum & aliorum hic exiſtentium.

Qvinta: Propter *diffidentiam, quæ habetur de aliqua bona reformatione obtinenda in hoc concilio*, viſo, quod per duos annos, licet major pax & dilectio & *concordia* tunc eſſet *inter nationes, non potuit plene & perfecte concordari unum ſolum capitulum de ſupradicta reformatione*, de qva tractatur, videlicet *de ſtatu Papæ & collegii Dominorum Cardinalium.*

Et ſic, viſo imminenti & univerſali periculo ſolutionis prædictæ, qvi,

periculo non obſtante prædictæ machinationis, non curant providere circa formam electionis præmiſſæ, ſed nituntur *occupare tempus circa* prædictam *reformationē*, ſe vehementer reddunt ſuſpectos de fautoria inveterati ſchismatis, aut conſpiratione & generatione. Nam & videntur Eccleſiam reddere acephalam, nec curant de hujusmodi periculo.

Item, ſi *dicta reformatio eſt in ſuo tempore neceſſaria*, nullus tamen ſanæ mentis dicet, qvod ſit *præferenda electioni Romani Pontificis*, vel ſaltem proviſioni dictæ electionis, & determinationis modi, formæ, & temporis ejus, & hujusmodi; Eo, qvod dicta *electio eſt principale negotium hujus concilii.* Et ſi non perficeretur, qvod Deus avertat, eſſet magis periculoſum & nocivum. Imo eſt qvaſi tota & unica ſpes univerſi populi Chriſtiani. Valde ergo abſurdum eſt, tantum principale propter *unum acceſſorium* ponere in periculo, imo qvodammodo poſtponere.

Item, non ſolùm per hoc, qvod volunt dictam *reformationem præponere, & in ea tempus occupant*, ſe reddunt prædicti ſuſpectos, ſed potius & verius ex hoc, qvod volunt, qvod *concurrenter* provideatur circa electionem, vel ſaltem determinationem modi, formæ, temporis ejus, & hujusmodi. Cum tamen convenientiſſime *uno & eodem tempore* poſſit provideri *ſuper utroque*, nec unum in aliqvo poſſet aliud impedire.

Nunc reſtat ad aliqva eorum objecta reſpondere.

PRimo dicunt, qvod *creato Papa*, bono modo *non poſſet fieri* dicta *reformatio.*

Ratio, qvia *ipſe per præſentiam ſuam impediret cauſam.*

Reſponſio. Aut dicta reformatio poteſt canonice abſqve eo & conſenſu ſuo fieri, aut non. Si ſic; Abſurdum eſt dicere, qvod impediret cauſam. Cum non poſſet impedire dejectionem ſuam. Si vero ſine eo, & conſenſu ejus, non poteſt fieri: Nec modò poterit fieri. Cum pars contemtus eſſet, vel eum creatum non vocare, vel creandum non expectare. Imo plus nocet contemtus paucorum, qvam contradictio multorum.

Secundo. Ad hoc, qvod dicunt, qvod plurimi illi vellent complacere, alii timerent illi diſplicere; Et ideo nunc habent majorem libertatem, &c.

Reſponſio. Primo tales, qvicunqve ſunt, non ſunt amici veritatis. Cum favore vel timore negarent veritatem. Neqve per tales fieri deberet hæc reformatio. Vel impudens eſt iſtud objectum, & ſapit corruptionem.

Tertio. Ad hoc, quod dicunt, quod *habito Papa, quilibet niteretur recedere.* Et dant *exemplum de concilio Piſano.*

Iſtud objectum repugnat eis, qui tantum cupiunt iſtam reformationem. Quoniam ſi tantum deſiderant eam, non cito recedent, quin prius perficiatur, etiamſi ipſi pauci deberent remanere, ob hanc cauſam duntaxat, quod in ipſis, viſo in hoc caſu, poterit remanere autoritas

„ tas concilii: Item vanum eſt, quod *concilium non poterit ita providere*
poſt electionem ſicut ante, ne prælati recedant.
„ Item, quod datur *exemplum de Piſis*: Reſpondeo: Quod *de dilatio-*
„ *ne* ipſius *reformationis* fuit libere concors illud totum concilium. Nec
fuit *culpa* Papæ, nec collegii Dominorum Cardinalium, ſed potius *to-*
„ *tius concilii, ſi pro tunc dicta reformatio non fuit facta.*
„ Item, dicta *reformatio* non fuit *impedita* propter creationem Pa-
pæ, ſed potius *propter conſenſum totius concilii* ex cauſa rationabili.
„ Item *deformitas Eccleſiæ* in hoc, quod caret Papa, eſt præ omni-
„ bus deformitatibus *generalior*. Quia tangit bonos & malos, & omnes
generaliter Chriſtianos.
„ Item, eſt periculoſior, ut ſupradictum eſt. Quia ex dilatione ejus
„ poſſet ſtatus Eccleſiæ non mediocriter deteriorari, tam in fide, quam
in moribus.
„ Item tam *longa expectatio futuri Romani Pontificis* eſt præcæteris
„ deformitatibus populis magis ſcandaloſa, quam pauci cogitant *in iſta*
„ *reformatione capitis*. Quamvis *non negatur*, *quin ſit expediens & ne-*
ceſſaria, ſed electioni prædictæ nullo modo præponenda.
„ Patet igitur, quam vehemens ſuſpicio laborat contra prædictos, quod
„ non recte tendant ad ea, quæ ſunt Jeſu Chriſti, & glorioſæ ſponſæ ejus.
Et forte intendunt ſic expendere tempus, & attædiare concilium,
„ ut ſic tandem paucis remanentibus *eligant Papam ad ſua vota.*
„ Allegationes autem tam divini quam humani juris leviter pote-
runt fieri ad præmiſſa.
„ Hucusqve in Codice MSC. Lipſienſi.

Magna Imperatoris patientia, qui æqvo animo ferret invidioſos ac permoleſtos titulos, quibus ſuam Majeſtatem & Germanos, Reformationem maturari cupientes, uti aliàs ſæpius ita & in hoc ſcripto onerari videbat. Nec enim novum hoc Sigismundo audire, qvod Papam ad ſua vota qværeret. *Theodoricus à Niem*, fatorum Concilii ſpectator ſagaciſſimus, hanc Imperatoris æquanimitatem præclare in concilio alia occaſione tuitus eſt, in *vita Johannis XXIII. Dicuntur*, inqvit, *apud nos aliquæ cauſa ponderoſa, quare Dominus Rex Romanorum recto tramite huc non rediit cum eisdem oratoribus noſtris. Qvarum una eſt, quod multi de Italia, hic exiſtentes in eodem Concilio, murmurabant inter ſe, dicentes, quod ipſe Dominus Rex Romanorum ficte ageret, nec non Papam ad ejus voluntatem hic eligi vellet, ad hoc, ut ſic ejus conditionem faceret meliorem. Et ſuper hoc ſcriptis eorum, ad diverſa loca directis nequiter eum diffamarunt. Qvod aliquando ipſum Dominum Regem Romanorum non latebat. Tamen patienter hæc, & alia multa ſimilia, contra Ejus Majeſtatem perperam & injuſte facta, tolerabat.*

Ceterum in his turbis cum Imperator flecti nondum poſſet cum natione Cermanica, *Anglica natio* in partem adverſam tandem tracta fertur, ut Imperatorē in illa qvæſtione controverſa, *An Reformatio prius in Concilio Conſt. eſſet conficienda quàm novus eligeretur Pontifex*, deſereret, uti ex *MSCtis* commemoravit *Schelſtratenus in Diſſertatione Antverp. p.* 13. *& in Tractatu laudato de Actis Concilii p.* 66. *&* 268. *Rex, qui pro concordia Cardinalium credebatur velle accelerare materiam electionis, iterum retrocesſit, & recepit materiam reformationis. Et ſemper fuit in Concilio magna controverſia.*

Qvatuor

Quatuor enim Nationes, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ & Angliæ, quæ ad mandatum Regis Angliæ dimiſit in illa materia Regem Romanorum, & Collegium Cardinalium, inſiſtebant accelerationi electionis: Rex & Natio Germaniæ, quod Reformatio præcederet.

Poſtquam verò Imperator cum ſola Natione Germanica ſupererat, qui Reformationem maturandam & Electioni Pontificis præmittendam conſtanter hactenꝰ urſerant, indulgendum tandem nonnihil ac fatis aliquid dandum intellexerunt. Quapropter Electionem Pontificis accelerandam conſenſerunt cum Imperatore Germani, hac lege atq; conditione, ut poſt electionẽ Papæ ex tempore ad reformationem procederetur. Notavit hoc ipſum Schelſtratenus ex MSCtis Romanis, in Differt. Antv. p. 13. & Tractatu p. 268. *Tandem dicta Natio petivit aſſecurationem & cautionem per decretum irritans, quod poſt electionem Papæ fieret reformatio ante coronationem Papæ & adminiſtrationem aliquam. Poſtea fuerunt factæ diverſæ formæ decreti ad hoc.*

Ceterum neqve quoad illud votum ſatisfieri potuiſſe nationi Germanicæ notatum in laudatis *MSCtis* Romanis, apud *Schelſtratenum ll. cc.* Scriptum in illis diſerte: *Tandem fuit dictum, quod Papa electus ligari non poterat.*

Interea de articulis per Papam reformandis, inter Deputatos Cardinalium & Nationum ſedulo actum, ſed ambigua fortuna, teſtibus *MSCtis* apud *Schelſtratenum ll.* cc. *Semper agebatur per Deputatos Cardinalium & Nationum omnium de concordando articulos Reformationis. Sed pauci & vix poterant concordare. Una natio volebat uno modo, alia alio. Et diu fuit laboratum & parum actum.*

Quando ſic tandem ægerrimus *menſis September* inter ſpem metumq; effluxerat, ac *Zabarella Cardinalis*, ex morbo contentione ſuperiori contracto *die* 2. *Octobris* obierat: Brevi à Cardinalis obitu *d. 9. Octob.* in publica ſeſſione quædam *Reformatorii Conſtantienſis momenta*, ſupra *Parte XI.* recenſita, leviter alicubi mutata, in Concilio ſunt publicata, Pontificem inprimis eligendum concernentia. Sic *Electionis* quidem *materia* indulta ab Imperatore ac Natione Germanica: Aſt nulla adhuc certa atque firma promiſſio aut definitio *de Reformatione poſt Electionem inſtituenda.* Donec *Epiſcopi Vinctonienſis* ope res tandem ad deſideratam ab Imperatore & Germanis *de Reformatione poſt Papæ electionem inſtituenda cautionem* atque publicam ſolennemque pollicitationem, generalem tamen, abſq; temporis determinatione, deduceretur. Hac de re hæc in *Actis Concilii* apud *Schelſtratenum p.* 269. referuntur. *His pendentibus venerunt nova, quod Epiſcopus Vinctonienſis in Angliâ, Patruus Regis Angliæ, erat in Ulma ad duas dietas de Conſtantia, & quod ibat in Jeruſalem. Et fuit per Anglicos ſignificatum Cardinalibus, & perſvaſum, quod multum afficiebatur unioni Eccleſiæ, & quod ſcriberent ſibi, quod veniret Conſtantiam, quod faceret cum Rege Romanorum quicquid vellet, quod fecerunt. Rex etiam ſcripſit. Et ivit ad eum Epiſcopus Lichfeldenſis, & adduxit eum Conſtantiam in habitu peregrini cum cruce, & ſic intravit, & ſtetit in Conſtantia pluribus diebus. Et iverant ſibi obviam Rex & tres Cardinales. Tractatum eſt per Cardinales & Deputatos omnium Nationum, paucos tamen, cum Rege, per medium illius Vinctonienſis. Et finaliter deventum ad hoc, quod daretur per decretum Concilii in forma infra ſcripta cautio, de fienda reformatione poſt Electionem Papæ: Et expedirentur capitula reformationis*

tionis concordata per omnes Nationes, & darentur deputati ad ordinandum modum electionis.

Memorata Synodalis conteſtatio, cautio ac definitio, *de Reformatione poſt electionem Pontificis conficienda*, ſub finem ſtatim ejusdem menſis, *d.* 30. *Octobr.* publicata, à *Schelſtrateno* l. c. ex MSCtis hæc ſiſtitur: *Sacroſancta &c. ſtatuit & decrevit, quod futurus ſummus Pontifex, per Dei gratiam & pro primo aſſumendus, cum hoc ſacro Concilio vel deputandis per ſingulas Nationes debeat reformare Eccleſiam in capite & curia Ro. ſecundum æquitatem & bonum regimen Eccleſiæ, antequam hoc Concilium diſſolvatur, ſuper materiis articulorum, videl.*

In *noſtris* præclariſſimis *Actorum Concilii conſtantienſis MSCtis* plenior atq; non parum ponderoſior hæc eſt definitio Concilii.

Reformationes fiendæ per Papam unà cum Concilio antequam concilium diſſolvatur.

Sacroſancta Generalis Synodus Conſtantienſis, in ſpiritu S. legitime congregata, Univerſalem Eccleſiam repræſentans, ſtatuit & decernit, quod futurus ſummus Pontifex, per Dei gratiam de proximo aſſumendus, cum hoc ſacro Concilio vel deputandis per ſingulas Nationes debeat reformare Eccleſiam in capite & curia Romana, ſecundum æquitatem & bonum regimen Eccleſiæ, antequam hoc ſacrum Concilium diſſolvatur, ſuper materiis Articulorum, aliàs per Nationes in Reformatorio (in MSCto Brunſvicenſi, *in Reformatoriis*) *oblatorum, qui ſeqvuntur.*

I. De numero, qvalitate, & natione dominorum Cardinalium.
II. *Item* De reſervationibus ſedis Apoſtolicæ.
III. *Item* De Annatis, communibus ſervitiis & minutis.
IV. *Item* De Collationibus beneficiorum & gratiis Expectativis.
V. *Item* De Confirmationibus electionum.
VI. *Item* De cauſis in Romana curia tractandis vel non.
VII. *Item* De Apellationibus ad Ro. curiam.
VIII. *Item* De officiis Cancellariæ ac Pœnitentiariæ.
IX. *Item* De exemptionibus & incorporationibus tempore ſchismatis factis.
X. *Item* De commendis.
XI. *Item* De fructibus medii temporis &c.
XII. *Item* De non alienandis bonis Ro. Eccleſiæ.
XIII. *Item* Propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi.
XIV. *Item* De extirpatione Simoniæ.
XV. *Item* De diſpenſationibus.
XVI. *Item* De Proviſione Papæ & Cardinalium.
XVII. *Item* De indulgentiis.
XVIII. *Item* De Decimis.

Hoc addito, quod facta per Nationes deputatione prædicta, liceat aliis de licentia Papæ libere ad propria remeare.

Qvoniam igitur invitus & diu multumq; repugnans *Imperator Sigismundus* eo tandem pellectus ut probaret, quod concluſum erat, Pontificem prius eſſe eligendum, quàm delineata ac determinata Eccleſiaſtica reformatio perficeretur, per Pontificem cum Concilio ſuſcipienda: In adornando atque adaptando ſplendido Mercatorum

theatro atq; publico domicilio Rheni undis vicino, pro Electorum conclavi, his diebus fuerunt occupati. *Gobelinus* l.c. *Tandem*, inqvit, *reformatione concepta, ipſa tamen nondum publicata, proceſſum eſt ad electionem ſummi Pontificis.* Hoc compoſito, proximior ad electionem neceſſarius apparatus, ratione ingreſſus, regularumq; in conclavi & in actu electionis obſervandarum, publice *die* 8. *Nov.* inſtructus aut expreſſus.

Neqve poſtrema *publici* illius *apparatus* pars fuit, memorabilis & graviſſima *Oratio*, ſolenniter tunc habita *à Jacobo Epiſcopo Laudenſe*, qva conſcientiam illorum fortiſſime obligaret, qui ad eligendum novum Pontificem erant communibus votis electi. Qva penetranti oratione *ideam emendati ac reformati meliorisve Pontificis* absque omni fuco expoſuit ac deſignavit.

Diſerta hujus *præclaræ Orationis* fit mentio in *Actis Concilii*, impreſſis æqve ac MSCtis.

In MSCto BRUNSVICENSI Oratio hæc Epiſcopi commendatur his verbis: *Officio Miſſæ peracto, Reverendus Pater Dominus Jacobus, Epiſcopus Laudenſis, fecit ſermonem ad Synodum, cum themate, Eligite meliorem. In quo ſermone exhortabatur concilium, ut meliorem eligerent, Deo & hominibus acceptum & gratum. Reducens ad memoriam labores habitos, tempus, & pericula, quæ occurrebant propter malos paſtores, & gaudium angelis in cœlo & hominibus in terra, per electionem boni viri.*

In MSCto LIPSIENSI hoc laudatæ orationis habetur encomium: *Miſſa finita Reverendus Pater, Dominus Jacobus, Epiſcopus Laudenſis, ambonem ſolitum aſcendens, ſolenniſſimum ſermonem ad Synodum ſanctam fecit. Pro introductione ſermonis accepit pro themate Eligite meliorem*, 4. *Reg.* 10. *Qvod electores Romani Pontificis eligerent bonum Papam & meliorem, pulcherrime perſvadendo.*

Qvibuscum conſentiunt Codices impreſſi. In qvibus eminet *Conciliorum Tomus XII. Pariſienſis. f.* 246. *& in Appendice Labbeana f.* 1763.

Atque hæc eſt notabilis illa atque ponderoſa *Oratio Epiſcopi*, quam ex gemino MSCto, CÆSAREO VINDOBONENSI & DUCALI BRUNSVICENSI, raro exemplo hic exhibemus.

Pertinet autem ſingulariter hæc oratio ad *Reformationis Conſtantienſis Acta*, tum quod in Concilio diu multumq; eſſet diſputatum de *ſummi capitis in Eccleſia digna emendatione*, adeoque *meliore Pontifice eligendo*, quàm quales extiterant antea, tum, quod à novo Pontifice expectaretur deſideratiſſima illa cleri emendatio.

Qvemadmodum ipſe IMPERATOR SIGISMUNDUS (uti in incomparabili *Codice MSCto Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, ad diem* 8. *Nov. A.* 1417. annotatum) illa ipſa nocte prima, qua in conclave ſe jam receperant Pontificis electores, juramentum ſua manu Cæſarea ab omnibus ſuſcepit, addita hac exhortatione, *ut propter Jeſum Chriſtum vellent Eccleſiæ providere de paſtore bono, devoto, & honeſto, qui Eccleſiam reformaret. Qvod & omnes ſpoponderunt ſe facturos.*

(o)

JACOBI

JACOBI
EPISCOPI LAUDENSIS
Incomparabilis & ſolenniſſima Oratio
ante ingreſſum Electorum in Conclave
A. 1417. d. 8. Nov.
in publico Oecumenici Concilii theatro
in Cathedrali Eccleſia Conſtantienſi
SIGISMUNDO IMPERATORE
præſente
ad ſplendidiſſimum Electorum novi Pontificis Collegium
habita, qua ſiſtitur
IDEA MELIORIS SUMMI PONTIFICIS
IN CONSTANTIENSI CONCILIO
ELIGENDI.
Ex antiquiſſimis Codicibus MSCtis
CÆSAREO VINDOBONENSI & DUCALI BRUNSVICENSI.

Negotiū Concilii Conſt. e-mendatio Eccleſiæ.

Emendatio ab Eccleſiæ capite inchoanda.

IN Chriſti Jeſu nomine. *Eligite meliorem.*

Tam *ruinam univerſalem oportunitas revelandi* occurrens, quam etiam laceſſitam ſacroſanctam *Eccleſiam* inſtans *reſarciendi neceſſitas*, vobis Dominis, qui perenni opitulante præſidio ſummum *electis electuri paſtorem*, me ſane coegit, ut proponerem: *Eligite meliorem.*

Itaque eligite *meliorem*, ſcribitur *IV. Reg. X. Cap.*

Virginem illam eximiam, maximeque peroptimam, quam elegit ante ſecula, & præelegit altiſſim⁹, in noſtri precabimur ſermonis exordio, ut tota clemens pro nobis interveniat, utique & propitia. Eam primo ſalutabim⁹, dicentes cum Angelo: *Ave Maria gratia &c.*

Eligite meliorem. lib. & cap. ut ſupra.

Melior Pontifex in Concilio Conſt. eligendus, quam quales fuerant antea.

Celeberrimi Patres, orthodoxique Domini. Quantum verba iſta veſtris reverentiis congrua, quantumque oportune conveniant, plurimum intelligentibus liquet. Quoniam, etſi nil aliud fari inſtituerem, ſatis eſt, eruditiſſimis viris dixiſſe: *Eligite meliorem.*

Nempe, uti ad graviora perferenda onera requiritur *fortior*,

ad alta diſcutienda conſilia vocatur *doctior*,

ad ardua pericula bellica exponitur *promtior*,

ad ingentes impenſas poſcitur *ditior*:

Eccleſiam regant optimi.

Sic ſane congruit, ut ad ea, quæ ſunt maximæ ſanctitatis officia, eligatur & *melior*.

Rari boni.

Et ſi ſuper naturam videatur, quod quis ſine crimine ſit, ideo nedum optimum aut meliorem, ſed *bonum* ſit *difficile comperire*: Propter tamen urgentem jacturam penitus ſemovendam non qualemcunque ſed *meliorem* debetis præferre.

Meliorem præferendi.

Nam, ut *eligatis*, hoc veſtro *ſacro convenit cœtui.*

Sed ut eligatis *meliorem*, jam, nedum Eccleſiæ, ſed *toti expedit orbi.*

Miſerrimus Eccleſiæ ſtatus ante Conciliū Conſt.

Quales fuerint Pontifices proxime ante Concil. Conſt.

Et quoniam, quæ ante oculos habuiſtis diſpendia, eſt facile intueri: Ideo cladem peſtiferam, qua *nonnulli noſtri Phariſæi* & ſumi Pontifices jam *pene octo luſtris ovile Dominicum laniarunt*, ſi cupitis de medio Eccleſiæ ſubmovere, conſiderate attentius, *quales hi fuerint*. Et non utique talem ſed omnino eligite *meliorem.*

Melior Pontifex

Tam enim comparatione eorum, qui in tanto apice *præceſſerunt*, quam illorum quoque, qui *ſubſequi poſſent*, ne præteritorum Pontificum, quem diluere intenditis, videamini velle renova-

eligendus in Concilio Conſt,

re errorem: Ideo *non illis ſimilem*, ſed utique eligite *meliorem.*

Virtutes boni paſtoris, ejusque ſummi.

Siquidem, ut *di. XXIII. c.2.* clare colligitur, quod is, *qui aliis præficitur in paſtorem, debet eſſe natura prudens,*
docilis,
temperatus in omnibus,
vitâ *caſtus,*
victu *ſobrius,*
ſemper *ſui cavens ingenii,*
humilis,
benignus,
pius,
juſtus
& miſericors,
in lege inſtructus Domini,
ſcripturarum ſenſibus cautus,
& ſacris exercitatus dogmatibus.

Quanto igitur magis & multo amplius, *qui cunctis debet praeſſe paſtoribus,*
qui caput debet eſſe fidelium,
qui eſſe debet auriga Eccleſiæ,
præſul Principum,
ſacerdos altisſimi,
pater Pontificum,
propugnaculum fidei
& princeps Apoſtolorum
omni debet ornari titulo probitatis.

Quanquam autem ſingulas, *quibus ſummum oportet inſigniri antiſtitem, virtutes* exprimere nemo ſufficiat: *Tribus* tamen debet præcipue eſſe præ omnibus redimitus. Non enim tam celebre culmen cuilibet convenit.

Tres præcipui characteres digni ſummi Pontificis.

Cum itaque tantus *apex regiminis animarum ars ſit artium*, ideo ſummus eligatur antiſtes, qui ſit *bonus*
& *doctus*
& *aptus.*
Bonus quoad vitam,
doctus ad ſapientiam & doctrinam,
& *aptus* ad regimen & curam.

Sit vitâ purus & ſanctus.

Eligatur, qui niteat *puritate & ſanctimonia*, & ſit *vita bonitate* præcipuus:

Sit ſapiens & doctus.

Qui fulgeat claritate & *ſapientia*, & ſit *doctrina veritate* perlucidus:

Sit expertus.

Et qui emineat *probitate* & *experientia*, & ſit regimini & dignitati aptiſſimus.

Vita innocentia eſt fundamentum.

Et quoniam omnium bonorum humanorum *pura & innocens vita* fundamentum eſt, ideo dixi primo: Eligatur qui niteat *puritate & ſanctimonia*, ut ſit *vita probitate* præcipuus. Illum quippe honores & dignitates glorificant, quem *virtutes, probiq; mores* extollunt, celebris quoque commendat & vita.

Honores virtutibus apti.

Opera verbis potiora.

Talem ideo eligite, cujus poſſitis *magis opera & merita admirari, quam verba.*

Eligite eum, *qui ſe in cunctis emergentibus adſtringat limitibus rationis*, ut illa duce ſibi cætera ſubjicere poſſit.

Quo quis major, eo ſit melior.

Summa quippe cunctis Chriſticolis erit felicitas, ſi inter nos *major* eſſe non poterit, *niſi qui melior.*

Malus præſul commoda Eccleſiæ quærere non poteſt.

Quamobrem *labem perferens criminis* memorandi, redimiri non debet præſulis dignitate. Quonam modo delictorum laqueis irretitus poterit Eccleſiæ profectibus libere inſervire? O quam pernicioſum, quamq; *ærumnoſum eſt Eccleſiis, præferre malos!* Quoniam & Eccleſiarum exterminium provenit: Et *præſulum pravos imitari mores & vitia, velut quoddam gratum genus obſequii judicatur.*

Malos mores præſulis lubẽtes imitãtur ſubditi.

Profecto tamen eorum animas ſubditorum præſul interimit, quos *ſua mala vita exemplo* in perniciem trahit. Eapropter *ſic eſt à præſule quolibet in domo Domini converſandum, ne ab eo posſint occaſionem aut excuſationem laici ſumere delinquendi.*

Mala vita exemplũ pernicici principium.

Pontifex ſit irreprehenſibilis.

Oportet quippe *Pontificem* nedum ſine crimine, ſed *irreprehenſibilem* eſſe. Adeò, ut *illius conſcientia* nullius poſſit delicti aculeis ſtimulari.

Conſcientia ejus ſit pura.

Qualiter namque ſpiritualis valebit medicus animarum mederi langvoribus, *ſi ipſe morbo graviori oppreſſus* ſit? Qualiter Pontifex poterit alios monitione ſalutari arguere, qui *conſcius ipſe ſibi ſe intelligit perpetraſſe pejora?*

Malus Pontifex nihil proficit.

Pontifex ſit virtutum ſpeculum.

Propterea *Pontifex quisque debet vita nitere & moribus.* Ut cunctis ſit jubar & *virtutum ſpeculum*, qui eſt univerſis ad *ſanctitatis exemplar* expoſitus imitandũ. Unde ſacer antiſtes *Gregorius* (& ponuntur *diſt. XL. c. oportet*) ſic ait. *Quibus conveniat ornari Pontificem, audiamus. Ornamenta quidem Pontificis ſunt virtutes, quæ promittuntur à Domino, cum dicitur: Sacerdotes ejus induam ſalutare. Unde in priſco Teſtamento Pontifices ex præcepto Domini intelliguntur ornari, quod multis modis debet vita ſplendere Pontificis, ut gradui ex vita decorem conferat. Quem,*

ſupple,

Digitized by Google

ſupple, decorem non ab eo gradu accepit, quia non dignitates vel loca ſanctum faciunt ſacerdotem. Quapropter ex ſuſcepto officio non licentiam peccandi, ſed bene vivendi neceſſitatem ſe intelligant accepiſſe. Non igitur phaleræ aureæ, non terſa calcaria, non altiſoni pedes, non ſvaves gradarii, non arridentes clientuli, non fulgentes in manibus annuli, non lauta convivia, non vaſa multimode pretioſa, non delicatiſſima veſtes, non quoque alia pompatiſſima ornamenta, ſed virtutes & vita reddunt antiſtitem glorioſum.

Sic quoque in ſuo *Paſtorali* ſacer ſentit *Ambroſius*, ubi ait: *Sicut ſenatorem clavis ornat, ſicut agricultura ruſticum, ſicut barbarum arma, ſicut nautam navigationis peritia, & uniuscujusque operis qualitas ſuos dinumerat actores, ſic Epiſcopum non niſi operatio Epiſcopalis deſignat.*

Pontifex vitâ effulgeat non nomine emineat.

Studeatis igitur, ut plus bono opere, quam quod profeſſione noſcatur, & magis *vitæ merito*, quam quod nomine *Epiſcopus* vocitetur. Hæc eſt enim divini principatus autoritas, quæ nec carni nec ſangvini, non divitiis, non principatui, non amicitiis, non alteri perituræ rei, *ſed ſolis meritis debetur & vitæ.*

Moſes præſidium Eccleſiæ ex ſola virtute æſtimavit.

Et ideo Moſes filios ſuos noluit principatus relinquere ſucceſſores, neqve poſteris ſuam legare voluit dignitatem: Sed alium de tribu alia elegit, ut ſciremus, *principatum Domini eſſe ſolis virtutibus deferendum.*

Vita itaqve celebris & *ſincera requiruntur in eligendo Paſtore.* Qvia Pontifex debet *radiis ſplendere virtutum*, ut cunctos qveat populos ad imitanda ſanctitatis exempla facto & opere provocare.

Bonum eligere Pontificem eſt Dei opus.

Vos igitur Domini, qui eſtis in tanto, tamqve *ſacro negotio* electores electi, conſiderate, quod *non hominum*, ſed *Dei opus* præ manibus habetis.

Malas artes ab electione novi Pontificis in Concilio abeſſe debere.

Propterea vos oportet, ſi quod intra vos eſt, viperium omne venenum evomere, nocuas *affectiones* exuere, & *cupiditatem* & cunctam *ambitionem* à vobis longius relegare. Veſtros placeat animos diligentiſſime perſcrutari, ne *prave practica, fœda fœdera, illicita liga, conducta conventiones, & indebita* vos circumveniant *juramenta*. Deum autem, veſtrorum cordium inſpectorem & judicem, placeat intueri.

Sigiſmundi Imperatoris pro ſalute publica labor.

Qvid qvæſo tantum noſter SERENISSIMUS IMPERATOR ET INVICTISSIMUS REX SEMPER AUGUSTUS tanto tempore laboraſſet? Qvid opus fuiſſet tot laboribus, tot ſudoribus, tot impenſis, tot diſpendiis, aut tot periculis vos committere? Si velletis errorem priorem renovare pejorem: Conſultius fuiſſet non incipere, quam deſiſtere ab inceptis.

Propterea ſi *bonum* elegeritis, inter bonos & optimos poteritis computari. Sed ſi, quod Deus avertat, *malum* vel reprobum, ſane non niſi iniqvi & peſſimi judicabimini.

Multi in Concilio præſentes privati ſolùm commodi gratia.

Nonnulli ad *hanc ſacram ſynodum* ſe veniſſe profeſſi ſunt, qui utinam ad concilium non *ad mercatum* adiiſſent. Qvoniam non de communi bono aut re publica, ſed de *proprio commodo* & privata re totis niſibus conantur inſiſtere.

Sed non ſic, vos Domini mei, non ſic. Sed *puri, liberi, ſinceri, devoti* atqve confeſſi, intrare contendite: Attendentes, quod veſtris pendet in manibus mundi totius ſalus, aut poſtremus interitus. Ad vos orbis reſpicit univerſus. Conſiderate itaque, quod Deo & hominibus, ſecundum quod egeritis, eſtis pro nobis omnibus rationem reddituri.

Et qvoniam electionem rectam facit *virtus*, ut 6. *Ethic.* vult Philoſophus: Ideo maxime proprium virtutis videtur *electio*. Omne enim bonum & laudabile per ſe eligibile eſt.

Virtutes boni Pontificis in Concilio eligendi.

Virum ideo eligite ***bonum***,
ſincerum,
integrum,
memorem,
pium,
gratum,
juſtum,
benevolum,
alieni abſtinentem,
ſui non tenacem,
non voluptati deditum,
non iracundum,
non cupidum,
non elatum.

Eligite paſtorem, cujus diligentia ſit, *credi-*

credita oves paſcere, non vorare,
dirigere, non interimere,
conſervare, non perdere.

Oportet ſummum antiſtitem non tam dignitatis culmine, quam *ſanctitate & vita* ſibi ſubditos *anteire*. Propterea *nimium abſonum eſt, ut præſulatum aſſumat, qui ſe neſcivit claris moribus erudire.*

Si itaque ad laceſſitam domum ſanctum Zelum geritis & amorem, eligite *vita & moribus meliorem*. Eligite eum, qui ſit vere ſacerdos & *Pontifex*, non ſecundum legem mandati carnalis, ſed *ſecundum virtutem vitæ*, ſcribitur *Hebr. 7. cap.*

Vita ſine doctrina in Præſule infructuoſa.

Sed eſto, quod celebris ſit præſul *vitæ*, ſint probi deniqve *mores*: Qvid qvæſo proderit ſubditis ſine *doctrina?* Ardebit forſan ſed non lucebit. Et devoto teſte Bernhardo, nedum ardere, ſed etiam lucere oportet antiſtitem.

Sapientiâ effulgeat Pontifex.

Qvare ſecundo ſubjunxeram, fore optimum, quod *Pontifex fulgeat* claritate & *ſapientia*, ut ſit doctrinæ veritate perlucidus. Pontificis quippe debitum eſt, & annexum officio, ut ſit *doctus*,

& *doceat*.

Sit doctus. Sed à Deo. Doceat quæ didicit à ſpiritu.

Doctus quidem, nedum ab hominibus, ſed *& à Deo*,

& *doceat, quæ didicerit dirigente Spiritu Sancto.*

Ignorantia abſit à paſtore.

Ideo à Pontifice ſummo ſtudio omnis vitanda eſt *ignorantia*. Qvæ, licet omnibus, tamen potiſſimum eſt *periculoſa paſtoribus*. Cum *hi debeant alios erudire*, nedum *in lege Domini*, ſed etiam in *ſanctorum operum diſciplina*. Tales itaque ſunt ad præſulatus aſſumendi officium, qui poſſint ſibi ſubditas dirigere oves, & ſalutaribus paſcere documentis.

Regiminis decus ſapientia.

Unde ad culmen regiminis ratio non acceptat, quem *ſapientiæ claritas* non illuſtrat. Summum enim bonum & optimum mentium humanarum *ſapientia* eſt. Ideo omni debet *ſapientia* perluſtrari, qui noſtrarum omnium animarum director exiſtit.

Scientia Pontificis præſidiū.

Sic igitur Pontifex in *ſcientia* polleat, ut non ſolum ſibi creditum populum ſufficienter inſtruat, ſed etiam cunctarum hæreſium inventores à catholica Eccleſia repellere queat. Ne ſuâ imperitiâ cæteri corruant imperiti, & hujusmodi caſu pervento illi contingat, quod ſcribitur. *Si cæcus cæco ducatum præſtat, ambo in foveam cadunt.*

Qui vero *ſapientem*, ut diximus, *ſe eſſe non intelligit, præſulatum minime ambiat, nec dignioris locum uſurpare præſumat, præſertim illius, qui ſuo fulgore ſapientiæ populo poteſt corda hominum perluſtrare:* Verba ſunt ſanctiſſimi *Ambroſii* in ſuo *Paſtorali*.

Qvamobrem *VIII. q. 1. c. 15.* dicitur, & ſunt verba *Hieronymi:* Præſuli nil *ſapientiæ*, nil *ſcientiæ*, nil qvoqve deſit *induſtriæ:* Sed adſit ſenſuum omnium plenitudo, & *Scripturarum ſacrarum cognitio*, ut, quid ſit Pontifex, quid ſit unctio, & quid ejus indumenta ſignificent, intra ſacrarium cordis clara poſſit mente advertere. Audire nempe præſulem oportet attentius, & ab ipſo monita fidei & documenta ſuſcipere veritatis.

Scripturæ S. probe ſit peritus Pontifex.

Qvantam igitur *ſummus Pontifex debeat Scripturarum habere peritiam, & omni ſcientia eminere*, Teſtamenti utriusqve plurimis docemur exemplis.

Plenam veritatis cognitionē habeat Pontifex.

Et primo, quia ſummus ſacerdos *rationale* geſtabat *in pectore*, (ubi manifeſtatio ſcribebatur & veritas) *in pectore ſummi Pontificis manifeſta, clara & plena debet eſſe cognitio veritatis.*

Quod illuſtratur exemplo arcæ fœderis.

Sic qvoqve *annulis*, quibus arca Domini ferebatur, erant *vectes* inſerti, ut, cum arca portanda eſſet, de dimittendis vectibus nulla fieret mora. *Vectes* qvippe ſunt *Pontifices*, per qvos arca in Eccleſia ſuſtentatur & vehitur: Hi debent annulis eſſe i.e. *ſacris literis* ſemper *intenti*, ne tunc diſcere quærant, cum eos convenit alios edocere.

Joſephi.

Nonne *Joſeph* à Domino *prius* fuit veritatis viſione *edoctus*, anteqvam Ægypti ſuſciperet principatum?

Moſis.

Et *Moſes ante Dominum vidit* in rubo, & pariter audivit, *dein dux factus* eſt Iſrael.

Davidis.

Et *David* populum Domini directurus, *antequam regni ſuſciperet gubernacula, Spiritus Sancti gratia dono ſapientiæ eſt repletus.*

Salomonis.

Sic *Salomon*, ut eſſet pacifice regnaturus, non divitias, non longa hujus mortalitatis curricula, ſed *ſapientiam à Domino*, quam petiit, *impetravit*.

Et

Digitized by Google

Jeremiæ

Et Dominus prius verba ſua ſancta in ore *Jeremiæ* appoſuit, deinde ſuper gentes regnaqve conſtituit.

Chriſti

Et *Salvator* noſter, Dominus Jeſus Chriſtus, in medio Doctorum ſedit, illos audiens & interrogans, & demum poſtea prædicavit.

Apoſtolorum

Sic etiam ſuos prius erudivit *diſcipulos*, poſtea ad docendum alios deſtinavit.

Cum enim turbas paſcere decreviſſet, panes fregit, diſcipulis tradidit, & per eos turbis apponi mandavit. Qvia legis & Prophetarum ſacramenta diſcernendo expoſuit, diſcipulis ſcientiam infudit, & tantùm illorum myſterium fidelibus diſpenſavit.

Sic poſt reſurrectionem *ſenſum Scripturarum aperuit*, Apoſtolis poteſtatem contulit, & in orbem univerſum tranſmiſit.

Virtus & doctrina conſpirent in Pontifice.

Multis aliis liqvet clariſſimis documentis, quod *Pontifici ſola bona non ſufficit vita*, ut morum honeſtate præfulgeat, niſi quoque *ſapientia & doctrina*. Cum is debeat cunctos erudire, & nullius eſſe indigens documentis.

Malus Pontifex Eccleſiæ dedecus.

Itaqve ſi *virtuoſum, doctum*, elegeritis, vere nedum beatum, ſed beatiſſimum poteritis nuncupare. Sed ſi, quod abſit, *ignavum, deſidem, ſtolidum, ineptum*, aut aliis *vitiis deditum*: Qvo qvæſo poterit beatitudinis titulo decorari?

Poteſtne major eſſe abuſio, quam quod hominem *moribus perditum, ſceleſtum, infandum, criminibus obrutum*, cogamur uti ſanctiſſimum venerari, Aurelio inqviente in qvadam Epiſtola. *Nemo amplius in Eccleſia nocet, quam qui perverſe agens nomen vel ordinem ſanctitatis habet.* Namqve hunc redarguere nullus præſumit. Et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando *pro reverentia ordinis peccator honoratur.*

Pontifex ſit vita & doctrina Petrus, non Gehaſi, non Judas, non Simon.

Et ideò, ſi cupitis eum eligere, qui Apoſtolo debet Petro in ſede ſuccedere, talem eligite, qui vere *Petrus* ſit, tam *doctrinâ* quam *vitâ*.

Eapropter tota diſcretione cavendum eſt, *ne vices Petri committatis Gehaſi*, aut *Judæ*, aut *Simoni*, niſi decreveritis, *Chriſtum* revendi, aut *Roma* iterum *crucifigi*.

Omni enim & ſumma diligentia tam ſublime negotium conſummandum eſt, venerabili *Leone* in quodam ſermone dicente. Si in omnibus Eccleſiæ gradibus *prudenter, ſapienterq́,* curandum eſt, ut in domo Domini nihil præpoſterum aut inordinatum eveniat: Qvanto magis elaborandum eſt in *electione* illius, qui ſuper omnes conſtituitur? Nam totius familiæ Dominicæ ordo pervertitur, ſi, quod reqviritur in corpore, non invenitur in capite.

Si igitur vultis deſolatæ Eccleſiæ reſtaurare priorem pulchritudinem vel decorem, tam *ſcientia* quam *vita* eligite *meliorem*. Qvia ſapientiam debent Pontificis labia cuſtodire, quia de ore illius lex exqviritur Dei, quia Angelus Domini exercituum eſt, ſcribitur *Malachiæ 2.*

Pontifex ſit etiam regiminis peritus.

Qvanqvam autem vita celebri eligendus & clara ſapientia ſit redimitus, ſane parum eſt, neque ſufficit, niſi fuerit *regimini aptus expertusq́, & ſingulari prudentia* prædotatus.

Prudens. Expertus.

Multos quidem conſpeximus ſcientia præclaros, & præclaros moribus, qui tamen, quia *inexperti in regimine*, non minimum defecere.

Qvare dixi, quod convenit tertio, ut is emineat probitate & *experientia*, ut ſit regimini & dignitati aptiſſimus.

Experientia regendi in Pontifice neceſſaria.

Experientia nempe *regiminis*, ſcit virtutes extollere, & audaciam præbet crimina coërcendi. Qvæ licet in cunctis ſit rerum magiſtra, præcipue tamen *in tanto gubernationis apice* non modo *opportuna*, ſed permaxime *neceſſaria* eſt. Si navis *perito* rectori committitur, non facile tempeſtatibus ſive procellis, aut ventorum turbine conqvaſſatur.

Ne mirum itaqve, ſi obruitur fluctibus, quando *qui de remo non noverat*, ad gubernaculum collocatur.

Per gradus itur rectius ad ſuprema.

Securius equidem celſa conſcendit, qui ſe in paulo minoribus comprobavit. Et certo procedit veſtigio, qui expertus ſolio potitur accepto.

Propterea *Ariſtoteles 6. Ethic. c. ult.* inqvit, quod *experti circa ſingula opera bene dijudicabunt.* Qvia per quæ qvaliterqve perficiant, intelligunt: *Experientia* enim ex plurium actuum ſingularium huma-

Digitized by Google

humanorum collectione fit in memoria retentorum: Id eſt, *propria homini* ad vim cognoſcitivam pertinens, quæ particularis ratio nominatur. Et ſicut *ſcientia* univerſalia colligit, ſic *experientia* circa particularia negotiatur.

Scientia & prudentia cõſpirent in Pontifice.

Et ideo ad recte regimen peragendum *ſcientia ſola non ſufficit.* Quia *licet univerſale cognoſcat*, ſine experientia autem *particulare ignorat*, in regimen plurimum deficiendo peccabit.

Quoniam recte agere,
bene regere,
ſane conſulere,
ſancteque diſponere,
magis in particulari, quam in univerſali contingit.

Et licet homines *communi ratione* cognoſcant, tanquam per id, quod in eis principale conſiſtit: Tamen *per experientiam* de ſingulari agibili rationem ſuſcipiunt ſingularem practicam ad id, quod eſt actualiter peragendum.

Experientia vis.

Experientia quidem, ut diximus, *ex pluribus actibus, & longa memoria oritur*, qua promtus, aptusque fit homo plurima operari. Et ideo facultatem recte agendi experientia præbet. Cum ſcientia aut prudentia ſine arte videtur quodammodo convenire. Quare experientia facit artem, inexperientia verò caſum. Experti enim in agendo magis proficiunt, ut *Ariſtotel. primo Metaphyſ.* inquiebat: Expertos magis proficere videmus, quam inexpertos, ſcientiam & etiam artem habentes.

Experientia mater prudẽtia.

Experti feliciores quam docti.

Ideo *ſcientifici ubi fuerint inexperti, in regimine multum delinquunt.*

Scientia absq; experientia in regimine infructuoſa.

Unde *præſulem* quemque *prudentem, ſolertem, expertum, bene ſenſatum & circumſpectum* oportet eſſe. Propterea inquit *Auguſtinus* in quodam ſermone: *Ad præſularem dignitatem eligi non debuit, qui expertus minora officia gubernare non didicit: Et quia ex noto fit ignoti optima conjectura.*

Quare, *Patres optimi*, qui reipublicæ totius Eccleſiæ debetis recteq; ſaneq; conſulere, *præterita* placeat *diſpendia* intueri, & ſic præſentia diſponere, ut in futurum *virum* eligendo *probatum* toti poſſit orbi ſalubriter providere.

Cum Deo potius, quam cum hominibus tantum factum velitis tractare, & *ante factum diſcutere.* Quoniam *poſt factum ſera retractio* eſt, tarda retractio eſt. Quid turpius, quam quod ſapientes quaſi inſipientes pœniteat ſic feciſſe. Nimirum indecens eſt, quod doleant ſic feciſſe, quorum judicium periclitari non decet. Nullus error aut major aut damnabilior eſſe poteſt, quam eorum, quibus nil prodeſt erraſſe cognoſcere.

Ante factum diſpiciendũ.

Inſipientes pœnitet facti.

Pontifex eligendo, qui non probando ſed probatus.

Virum igitur *non probandum ſed probatum* eligite. Quia teſte devoto *Bernhardo* in quadam epiſtola, *bonos Romana curia facilius recipere conſuevit, quam facere.*

Ro. curia facilius accipit bonos quã facit.

Et, ſi *dignum* aut *idoneum non* ſit *facile comperire*, eum tamen apprehendite, cujus ſit *conſcientia pura*,
intentio recta,
probitas maturitasq; diſcreta.

Conſcientia Pontificis ſit pura.

O quot periculis ſtatus Eccleſiæ ponitur! O quot diſpendia Petri navicula patitur, *quando præficitur* in paſtorem, *qui præeſſe non debuit:*

Damna ex indigno Præſule orĩunda.

Quando imperat, qui revereri non didicit:

Quando ad gubernaculum reſidet, qui de portu non noverat:

Quando ducatum ſuſcipit, qui, quo pergit, ignorat:

Quando paſtoris fert baculum, qui neſcit inter oves diſcernere, diſperſas colligere, aut errantes reducere ad ovile.

O quantus, quamque acerbus dolor infigitur animis clericorum, ſcientia & dignitate pollentium, quando tam ſublimis dignitas ineptum ſuſcipit, vel celebris ſedes collocavit ignarum?

O quam juſte ignis zelus accenditur, ubi *videntibus cæcus præponitur*, & *æger*, ad propria impotens, aliis *immittitur ad medendum.* Hinc enim provenit ovium & paſtoris damnatio, qvum ſumuntur exempla malitiæ, unde debuerunt ſpectacula relucere virtutum, & inde vitiorum ſentina protenditur, unde caterva debuit pullulare ſalutis.

Valde abſurdum & nimium præpoſterum, ut imperiti Magiſtris, novi antiquis, & rudes præferantur immeritis, inquit *Leo* in quodam ſermone.

Advertite quæſo, *piiſſimi Domini:* Sciſſâ navigamus puppi, lacero velo, amiſſâ

Summa neceſſitas emendati Pontificis circa tempora Concilii Conſt.

miſsâ anchorâ, comminutoque malo: Quam *perito* igitur nobis opus eſt *remige!*

Ægritudine laboramus peſtifera: Quam probato animarum indigemus & medico!

Erramus quaſi oves à caulis, nobiscum ſimul erravere paſtores, imo verius, nos poſt illos: Quam ſancto ergo & optimo præſule eſt neceſſe!

Luget clerus,
mœret ſacerdotium,
ſqualet ſors Domini,
affligatur religio,
& tota lachrymatur Eccleſia.

Characteres boni Pontificis in Concilio Conſt. eligendi.

Quis igitur eo, cujus inſtat electio, *conſideratior*, quis *diligentior*, quis *rectior*, quis *prudentior*, quis *fidelior*, aut quis *attentior* eſſe debet, aut *melior?*

Eligite ideo virum *animo ſincerum*, quem nulla propria extollat ambitio.

Eligite *liberum*, quem nulla ſuffocet violenta cupido.

Eligite *ingenuum*, quem nulla deturpet maculata affectio.

Eligite rectum, quem nulla obliquet ſiniſtra ſuſpicio.

Eligite *pervigilem* & *attentum*, quem nulla à ſpe deducat curioſa detractio.

Eligite *firmum*, quem nulla concutiat repentina turbatio.

Eligite *invictum*, quem nulla inſiliens fatiget tribulatio.

Eligite *probatum*, quem nulla decipiat furtiva intentio.

Eligite eum, qui ſit poſitus ad *mores*,
probatus ad *ſanctimoniam*,
manſvetus *ad patientiam*,
rigidus ad *cenſuram*,
catholicus ad *fidem*,
fidelis *ad commiſſionem*,
concors ad *pacem*,
conformis ad *unitatem*.

Qui ſit in conſilio *rectus*,
in judicio *providus*,
in præcipiendo *diſcretus*,
in diſponendo *induſtrius*,
in agendo *magnificus*,
in loquendo *modeſtus*.

Qui ſit in adverſitate *ſecurus*,
in proſperitate *devotus*,
in zelo *ſobrius*,
& in miſericordia *non remiſſus*.

Eligite, qui ſe Regibus Johannem exhibeat,
Ægyptiis Moſen,
fornicantibus Phineas,
Eliam idololatris,
Eliſæum avaris,
Petrum mentientibus,
Paulum blaſphemantibus,
& negotiantibus Chriſtum.

Qui vulgus non ſpernat, ſed doceat,
divites non palpet, ſed terreat,
pauperes non gravet, ſed foveat,
minas Tyrannorum non paveat, ſed contemnat,
deſolatum clerum non ſpoliet, ſed reformet,
marſupia non exhauriat, ſed corda reficiat, & crimina corrigat,
famæ provideat ſuæ, non invideat alienæ,
orandi ſtudium gerat, uſum habeat,
& plus orationi confidat, quam propriæ induſtriæ vel labori.

Eligite eum, cuj9 ſit *ſermo* ædificatio, *vita* juſtitia, *præſentia* gratia.

Qui ſe benignum & amabilem non verbo ſed opere præbeat,
qui modeſtiam non vultu ſed actu exhibeat,
qui ſit humilis cum humilibus, innocens cum innocentibus,
pravos dure redarguat,
malignantes coërceat,
& reddat retributionem ſuperbis: Devotiſſimo inquiente *Bernhardo* ad Eugenium ſummum Pontificem.

Oportet formam eſſe *juſtitiæ*,
ſanctimoniæ ſpeculum,
pietatis exemplar,
veritatis teſtem,
fidei defenſorem,
doctorem gentium,
Chriſtianorum ducem,
paſtorem plebium,
refugium oppreſſorum,
miſerorum ſpem,
pupillorum tutorem,
viduarum judicem,
cœcorum oculum,
baculum ſenum,
Regum patrem,
cleri ordinatorem,
moderatorem legum,
diſpenſatorem canonum,
ultorem ſcelerum,

præ-

pravorum metum,
proborum gloriam,
virgam potentum,
malleum tyrannorum,
ſalem terræ,
orbis lumen,
ſacerdotem altiſſimi,
vicarium Chriſti,
Petri ſucceſſorem,
Chriſtum Domini, & Deum Pharaonis.

O ſi talem videre, ô ſi talem in Dei Eccleſia habere mereremur! O nos feliciſſimos, ſi Chriſti ſponſam cerneremus tantæ ſanctitati commiſſam, aut tam celebri creditam probitati! Qvid namqve quæſo *jucundius*, quid *delectabilius*, quid *ſecurius*, quid *oportunius*, quid *beatius*, aut quid *melius* contingere nobis poſſit, quam habere *præſulem*, *paſtorem & patrem*, cujus devotio atqve fides ad quæque *ſancta*, ad quæque *honeſta* nos alliceret, inflammaret, & traheret!

Qvandoquidem igitur imminens *neceſſitas* requirit & exigit, quemadmodum inqvit *Ariſtoteles III. Ethic.* ut *de meliori* fieri debeat electio: Ideo neceſſe eſt eligere *virtuoſum*, *doctum*, *& aptiorem*, ſi vultis eligere *meliorem*.

Conſiderare quæſo, qualiter ſummus Pontifex debet *intrare*,
vivere
& regere.

Debet *intrare* legitime & canonice. Ideo dicitur *Eligite*.

Debet *vivere* ſancte,
& *regere* juſte.

Ideo ad animarum ſalutem & Dei laudem & honorem dicitur: Eligite *meliorem*.

Actus magnæ prudentiæ, plenam habens libertatem, eſt *eligere*. Sed fructus veræ juſtitiæ, cunctam tenens bonitatem, eſt eligere *meliorem*. Eligite ergo *meliorem*. *Electio res magna prudentia.*

Et qvum talis decet, ut nobis ſit Pontifex, *innocens, immaculatus, doctus, probatus & ſegregatus à peccatoribus*, ut dicitur *ad Hebr. VI.*

Ideo eligite, qui ſit velut *Melchiſedech*, *verus ſacerdos antiquiſſimi*, qui à dextris ſedeat Domini, & amicus Eccleſiæ tyrannos, ſchismaticos & hæreticos ponat ſcabellum pedum ſuorum, ut habetur *in Pſalmo centeſimo nono.*

Eligite eum, qui poſſit *ſublevare Eccleſiam* deſolatam, deſtitutum *reformare clerum*, diſſentientes vocare principes, & totum conſociare populum Chriſtianum.

Qvod nobis concedat iſte paſtor optimus, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit Deus per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

Solen-

Digitized by Google

Solenniſſima
ſed &
Ponderoſiſſima
hæc Oratio
à
JACOBO
EPISCOPO LAUDENSI
in
Oecumenio Concilio
Conſtantiæ Germanorum congregato
In ſplendidiſſima totius Concilii confluentis corona
ſeſſione publica Synodica
in Eccleſia Cathedrali
In throno ſedente
SIGISMUNDO IMPERATORE
Imperiali veſte ac pompa cincto
Adminiſtrantibus Cæſari
FRIDERICO ELECTORE BRANDENBURGENSI
cum ſceptro regali
LUDOVICO Comite de Ottinga
cum pomo ſive mundo
WILHELMO Comite de Henneberg
cum corona
ULRICO Comite de Ottinga
cum enſe
Adſtantibus
Angelo Laudenſi
& Petro Hiſpano
Cardinalibus
Aſſidente
reliqvo Cardinalium Collegio
inqve illo
ODDONE de COLUMNA
imminentis ſibi gloriæ adhuc inſcio
ſummo Pontifice mox futuro,

Spectan-

Spectantibus
Epiſcopis
Magnatibus
Doctoribus
innumeris
A. M. CCCC. XVII.
d. 8. Nov. die Lunæ
paulo ante ingreſſum in Conclave
ad eligendum novum Pontificem
cum Concilii applauſu habita
Qva
IDEA MELIORIS SUMMI PONTIFICIS
jam jam in Concilio
ſub cœlo Germanico
in Imperiali urbe
ex totius orbis voto
eligendi
luculentiſſime expoſita
Nunc
ad reſarcienda Concilii Conſtantienſis Acta
adGermaniæ decus
Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lucem
Antiquitatis memoriam
Poſteritatis emolumentum
Ex Antiqviſſimis Codicibus MSCtis
Cæsareo Vindobonensi
Et Ducali Brunsvicensi
A. M. DC. XCVII.
d. 12. Martii
In Academia Julia
in lucem edita
Auſpiciis
Serenissimi Brunsvicensium Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI
Sub Augustissimo Imperio
LEOPOLDI
Cæsaris Invictissimi.

Digitized by Google

TOMI I. PARS XXI.

In Oecumenico Conſtantienſi Concilio
A. 1417. d. 11. Nov. magnifice electi
MARTINI V.
PAPÆ

REGULÆ CAN-
CELLARIÆ

A
JOHANNE OSTIENSI, Cardinale & Vice-
Cancellario, A. 1417. d. 12. Nov. in Concilio
ſcriptæ
& A. 1418. d. 26. Febr. ibidem publicatæ.
FELICISSIMIS AUSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI
DN. RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.
DUCIS &c.
Ex antiquiſſimis Codicibus MSCtis
VINDOBONENSI AC LIPSIENSI
recenſitæ ab
HERMANNO von der Hardt.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.
HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

MSCt. VINDOBONENSE
Tomo I. Actorum Concilii Conſt.

* *
*

REGULÆ
MARTINI PAPÆ V.

Digitized by Google



HERMANNUS von der Hardt.
Lectori S.

E*Piſcopus Laudenſis* laudabili ſtudio conſcientiam Electorum novi in Concilio Pontificis, ad conclave maturantium, ſolenniſſima oratione *die* 8. *Nov.* ſerio fuerat obteſtatus, qui laude dignum ſiſterent Papam, omnibus virtutibus ornatum, Reformationi conficiendæ aptum. *Imperator* quoque eodem die feraq; nocte ingreſſos jam conclave Papæ Electores per Deum ſanctiſſime obſecraverat, miſerti Eccleſiæ optimum Papam darent, qui ſtatum Eccleſiæ emendare vellet & poſſet. Ex eo inter continuas preces ac proceſſionum feſtivitates, omnium animi in ſpem emendatiſſimi Pontificis eligendi triduo fuerunt ſuſpenſi, donec *S. Martini Epiſcopi* memoria, die qvarto incidens, publico fato monuit, qvalem Epiſcopum, quam religioſum, quam bonum, quam humilem, quam ſincerum, quam ſaluti Eccleſiæ deditum, Patres eligerent. *Martino* opus *Epiſcopo reſuſcitato*, qui non ſua ſed Eccleſiæ commoda unice quæreret, integritatemqve Eccleſiæ redderet. Hunc Imperator, hunc Reges ac Principes Chriſtianorum univerſi expetebant atqve exoptabant. Ut igitur æterna apud novum Pontificem extaret integritatis, ſinceritatis atqve probitatis regula & norma, eligi hic *die Martini* debuit, divino ſane fato, & *Martini nomen* eidem imponi oportuit. Sic natus in conclavi hoc Martini die *Martinus Papa*, *Oddo de Columna*, ex antiqva & nobili ſtirpe Romanus, hactenus *Cardinalis*, prudentiæ & moderationis laude in Conſtantienſi Concilio inſignis.

Inſtinctu divino prænunciatum ab erudito quodam Viro memorat Spondanus, *Columnam* fore Papam, quem in Concilio Conſtantienſi Patres eſſent electuri.

Fuit hic Theodericus Vrie, Theologus Auguſtinianus, Weſtphalus, eruditione & ſingulari probitate atque ſanctitate, teſte *Schiphovvero*, illo tempore clariſſimus. Hic in pulcherrima *Hiſtoria Concilii Conſtantienſis*, quam *Conſolationem Eccleſiæ* inſcripſit, *libro II.* (quem longe ante electionem *anno* 1416. conſcripſit, cum quartum librum *A.*1417. *menſe Januario, feria 6. ante Dominicam ſeptuageſimæ* abſolveret:) Hic inquam, laudato *libro 2. diſt.*8. *Parte I.* hujus Tomi, *f.* 53. iſthæc edidiſſe viſus eſt oracula. *Sapientia, inquit, ædificavit ſibi domum, & excidit* columnas VII. *Iſtæ vero columnæ tuæ, ô ſponſa,* (Eccleſia) *confirmatæ ſunt. Unde per os David loqvitur Spiritus S.* Ego confirmavi columnas ejus. *Sed quomodo columnæ iſtæ dicerentur exciſæ & confirmatæ, niſi eſſent nobiles, inſignes & fortes? Nobiles ſunt, quia aureæ, inſignes quod argenteæ, & fortes quod ferreæ atque marmoreæ. Et tu eris ô ſponſa* (Eccleſia) *ferrea. Unde Propheta Jeremias:* Dedi te in columnam ferream. Nam „ ſicut ferrum cetera metalla domat, ſic & tu omnia mundi regna ſubjugabis. Tu es etiam columna, fundamentum veritatis, ſecundum Apoſtolum ad Timotheum. Et qui tuus erit proviſor, rectorqve religionis ſanctæ, COLUMNA erit FIRMISSIMA ex auro fulvo, baſes erunt argenteæ, & erit columna marmorea ſtans firmiſſime, neque ad ſiniſtram neque ad dextram declinans. Unde Johannes in Apocalypſi: „ Qvi vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. Qvod ſi non vicerit, non erit columna. Columna igitur erit in templo meo futurus Pontifex, qui triumphum in Eccleſia militante reportabit, victis hoſtibus religionis Chriſtianæ, columna inquam aurea, columna argentea, columna ferrea, & columna marmorea. Talis eligetur ſummus ſacerdos, qui non alia, quam talis columna ſtatuetur. Hic vere RE & „ NOMINE COLUMNA erit, quem eligent Summi Pontificis Electores. Unde Johannes in Apocalypſi, quaſi illum digito monſtrans, ait: Ponam te columnam in templo Dei mei. Prophetia iſta fallere non poteſt, cum Spiritus S. ipſam ſit elocutus. Tu ergo *COLUMNA, quicunque ille fueris, in templo Dei columna firmaberis, ut pacem Eccleſiæ largiaris, ſchiſmatis veneno plenius extirpato.*

Habitus hoc augurio Vates *Theodericus Vrie*, celebris Theologus & Hiſtoricus, eventu probatus. Sane, quam ſpem ex hujus electione conceperit IMPERATOR, ex eo intelligi poteſt, quod cum hunc electum audiviſſet præ gaudio, immemor velut ſuæ majeſtatis atq; Cæſareæ dignitatis, in Conclave irrumperet, eumq; complexus ex animo illi gratularetur. Breviter & concinne hæc *electionis fata* delineavit *Nauclerus, Chronographiæ, volum.* 2. *Gen.*48. *f.*1049. *Cum de reſtituenda Eccleſia emendandisque moribus clericorum mentio haberetur, fieri id non poſſe exiſtimarunt vacante ſede. Unde de eligendo novo Pontifice ſermo eſt habitus. Ordinatum eſt, Spiritu S. ſuggerente, quod aliàs non putatur ſervatum, & hoc ad majorem concordiam, ut ultra voces Cardinalium, qui erant de triplici obedientia, ſcilicet Gregorii, Johannis & Benedicti, adderentur*

ex

ex qualibet natione quinque prælati, qui vocem cum Cardinalibus in electione fienda haberent. Conclave igitur intrantibus, infra paucos dies electus eſt ab omnibus, poſt aliquam diſcuſſionem & vocum variationem, unanimiter & concorditer Otho Cardinalis de Columna, vocatusq; Martinus V. Anno 1417. *Menſe Novembri. Effuſus nimio gaudio Imperator, nullo habito dignitatis ſuæ diſcrimine, conclave ingreſſus, gratias omnibus egit, qui tantum virum & tam neceſſarium reipublicæ Chriſtianæ prope extinctæ delegiſſent: Et ante Pontificem proſtratus, cum ſumma veneratione ejus pedes oſculatus eſt. Quem contra Pontifex amplexus non ſecus ac fratrem in pretio habuit: Gratias egit, quod ſuâ operâ & induſtria pax tandem Eccleſiæ Dei reddita eſſet. Vocari autem Martinus obtinuit, quod ea electio in divi Martini celebritate habita fuiſſet.*

Bonam hujus *novi Pontificis Martini indolem* idem commendat *Nauclerus, l. c. Martinus, natione Romanus, ex familia Columnenſium, à teneris annis, cura parentum moribus & literis imbutus, juri Pontificio Peruſii operam dedit. Diaconus Cardinalis poſtea ab Innocentio VI. creatus. Nec ob eam rem à natura ſua diſceſſit. Humanior enim quam antea factus, patrocinium ſuum omnibus præſtabat. Ita tamen, quod rebus publicis non multum ſe immiſcebat. Nam in conventu Conſtantienſi multæ in utramque partem altercationes cum haberentur, ipſe medium quoddam tenuit, quod in alterutram partem inclinare nullo modo videbatur, communi utilitati conſulens. Hanc ob rem Imperatori & Cardinalibus gratus Pontifex creatur. Ejus ſermo plenus ſententiis erat. Excidebat nullum verbum tam crebro, quam juſtitiæ nomen. Ad ſuos perſæpe converſus, his verbis utebatur. Diligite juſtitiam, qui judicatis terram.*

Qvamprimum electionis celebritas, *Tomo alio* plenius deſcribenda, *die* 11. *Nov.* finita, altero ſtatim die, 12 *Nov.* ante qvàm Papa Martinus eſſet coronatus, in *Collegio Cardinalium Vice-Cancellarius Johannes Oſtienſis*, permultis negotiis in Concilio inclytus, *priſtinum ſuum* in Pontificis electione *officium* præſtitit, *Regulas Cancellariæ novi Pontificis Martini* V. ſcribendo edendoqve.

Hic autem erat lapis, qui dudum offenderat Nationes, qvemq; tot annis atque luſtris, & in ipſo hoc Conſtantienſi Concilio, magno molimine volverant, ſi qua à ſe amoliri, ſeque ab hoc onere, ut ajebant, graviſſimo liberare poſſent.

Conſtitutionum enim ſive Regularum Cancellariæ atque Cameræ moles adeo premere cenſebatur univerſas chriſtiani orbis Eccleſias, ut vix illo tempore reſpirare aut hiſcere poſſent. Non duntaxat *opibus exhauſtæ* dicebantur, quæ ad Cameram Romanæ ſedis abſportatæ, ſed & *juribus ſuis* in conſtituendis ac præficiendis perſonis Eccleſiaſticis *privatæ*, quin & *ineptiſſimis*, rudibus, ſceleratis *viris*, Romano decreto obtruſis, *oneratæ*. Idq; per Reſervationes Papales in *Regulis Cancellariæ* expreſſas, per Expectativas gratias, per vacantias, confirmationes, diſpenſationes, annatas, exemptiones, incorporationes, commendas, decimas, indulgentias, & ſimilis generis immenſa onera.

Hæc ſuſpiria, deſideria, vota, lacrymæ, preces Nationum, non tan-

tum anſam Concilio Conſtantienſi dederant, ſed & remedia in illo ſufficientia quærere juſſerant.

Ut proinde caput mali, *Simonia*, quæ per venundationes officiorum Eccleſiaſticorum, ex reſervationibus præſertim ac expectativis, *Alexandri V. & Johannis XXIII.* totum ſtatum Eccleſiaſticum fœde maculaſſe viſa, præſcinderetur: In Conſtantienſi Concilio de *Regulis Cancellariæ Romanæ* vel plane *tollendis*, vel *reſtringendis* ac *emendandis*, publice privatimq; inter Patres actum.

Docent hoc *Acta & monumenta* virorum illuſtrium, ipſiusque *Reformatorii ſtatuta* ac decreta, hactenus longa ſerie *hoc Tomo* ex antiquiſſimis MSCtis exhibita.

Videri inter alia poſſunt Partis V. *caput* XXIII. *f.* 122. *ſeqq.* & *caput* XXIV. *f.* 126. *ſeqq.* Partis VI. *caput* II. *f.* 256. *ſeqq.* & *caput* V. *f.* 236. *ſeqq.* Partis VII. *caput* III. *f.* 280. *caput* VI. *caput* VII. VIII. IX. X. *f.* 282. & *ſeqq. cap.* XIIX. XIX. *f.* 294. *cap.* XXIV. *f.* 301. *ſeqq.* Partis IX. *caput* VII. *f.* 515. *cap.* IX. *f.* 518. *ſeqq. cap.* XVI. Partis X. *cap.* X. XI. XII. *f.* 615. *ſeqq. cap.* XIII. XV. XVI. XVIII. XX. XXIII. XXX. Pars XII. integra.

Præterea publico etiam Concilii decreto haud longe ante novi Pontificis electionem *iidem Regularum Cancellariæ articuli* diſerte expreſſi, qui *per novum Papam eſſent emendandi*, *ſupra in præfatione Partis XX.* cum aliis recenſiti. Qvanquam verò hæc ſpes aleret Imperatorem omnesque Nationes in Concilio præſentes, *Martino* tamen *Papâ* electo, vacillare ſpes ſtatim vel viſa vel deprehenſa. Ex tempore enim, altero novi Pontificis die, *Regulæ Cancellariæ*, ab anteceſſoribus Pontificibus definitæ, ſunt reſuſcitatæ, redintegratæ ac approbatæ, more apud Anteceſſores conſveto. Qvicquid etiam contra illas dubiorum tot annis & in ipſo Concilio moviſſent Nationes.

Idem quoque harum *Martini V. conſtitutionum* ſcriptor in Concilio, qui *Regularum* JOHANNIS XXIII. proxime ante Conſtantienſe Concilium editor fuerat, *Johannes Oſtienſis*, *Cardinalis & Vice-Cancellarius.* Ut proinde planum fiat atque apertum, quàm conſpirent, & ubi alicubi à ſe diſcedant *Johannes* 23. & *Martinus V.* in ſuis *Cancellariæ regulis*, de quibus tanto cum motu diſputatum fuerat, & lis adhuc in Concilio pendebat: E re fore viſum *Conſtitutiones Johannis* 23. præmittere *Regulis Martini*.

Illas ex *MSCto Bibliothecæ noſtræ Academiæ*, has ex gemino *MSCto*, cum *Vindobonenſi*, tum *Lipſienſi*, depromſimus. Neque intermiſimus, ſicubi Codices *MSCti*, *Vindobonenſis & Lipſienſis*, differrent, ſedulo notare. Apud Pariſienſes ſimile *MSCtum Regularum Cancellariæ Martini* ſpectari, obſervavit *Spondanus*, ſed non recenſuit.

Neque has *utriusque Pontificis conſtitutiones* ex hac *hiſtorica Actorum Concilii recenſione* omittere aut excludere par fuit. Qvandoquidem non tantùm ampla hæc certaminis materia fuerat in Concilio, ſed & ſuperiora quorundam illuſtrium virorum, ut & proxime ſecutura monumenta, quæ hæc tangunt, ſine illis intelligi nequaquam poſſunt. Præterea noſtrum non eſt diſſimulare *publica* hæc Concilii *Acta*, quæ in variis MSCtis nobis obviis reſidua, à nobis miſſa, negligentiæ notam

nobis

Digitized by Google

„ nobis inurere, aut ſtudii partium nos accuſare poterant. Qvod utrumq;
„ quam longiſſime in hac etiam antiqua Hiſtoria à nobis abeſſe cupimus.

Qui hoc unice agimus, ex *Sereniſſimi Ducis* RUDOLPHI AU-
„ GUSTI clementiſſimo nutu celſisſimoq; arbitrio, ut ſingula Acta, quæ
„ in noſtras ex MSCtis incident manus, commodo diſtributa ordine fi-
„ deliter & candide absq; fuco & affectu recenſeamus. Neque alia mens
„ nobis unquam erit enarrantibus. Qvi certi ſumus, hæc longiſſime
„ à noſtra ætate remota, nude ac plane ob oculos poſita, ſcitu fore non in-
„ jucunda. Qvippe qui priſtinum orbem eminus intueamur, & majorum
„ motus, ſtudia, conſilia, actiones, tantum non vana omnia, tanquam
„ in ſcena ſpectemus, noſtri temporis tranquillitate potiti, nec adeo im-
„ memores Salomonis, *Eccleſ. c. I, 14. Vidi omnia opera, quæ fiunt ſub ſo-
„ le, & ecce omnia ſunt vanitas, & afflictio ſpiritus.*

REGULÆ CANCELLARIÆ
SIVE
CONSTITUTIONES DOMINI JOHANNIS PAPÆ XXIII.

Bononiæ publicatæ in Audientia contradictarum, *Sabbati* xix. *Julii, Anno Domini M.CCCC.X.*

Ex antiqvo *Codice MSCto Helmſtadienſi.*

„ SAnctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter, Dominus JO-
„ HANNES, divina providentia PAPA VICESIMUS TERTIUS, ve-
„ ſtigiis prædeceſſorum ſuorum inhærendo, *in craſtinum ſuæ aſſum-
„ tionis*, videlicet *XVI. Cal. Junii, Anno Domini M.CCCC. X.* fecit, con-
„ ſtituit, & ordinavit *reſervationes*, *conſtitutiones & regulas* ſubſe-
„ qventes.

„ Qvas duntaxat ſuo tempore voluit obſervari.

„ Qvas publicari fecit in *Cancellaria & Audientia* per me *JOHAN-
„ NEM Epiſcopum Oſtienſem, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem*, & i-
„ pſius Eccleſiæ *Vice-Cancellarium.*

„ Inprimis fecit ſimiles *reſervationes* illis, quæ in conſtitutione Domi- *De reſervationib. Benedicti XII.*
„ ni *Benedicti Papæ* XII, quæ incipit, *Ad regimen*, continentur, ubicunq;
„ prælaturæ, dignitates, & beneficia, ibi videlicet contenta, vacaverint.

„ In eadem die *idem Dominus noſter* declaravit, omnes canonicatus,
„ & prædictas dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, & officia, cæ-
„ teraque beneficia Eccleſiaſtica, ſecularia & regularia, cum cura & ſine
„ cura, per felicis recordationis Dominum *Alexandrum Papam quin-* *Alexandri V.*
„ *tum*, prædeceſſorem ſuum, *reſervata, & quæ vacabant tempore obitus
„ ejusdem* prædeceſſoris, remanſiſſe & remanere per hujusmodi reſer-
„ vationem & decretum effecta, nullumque de illis præter Romanum
„ Pontificem potuiſſe ſive poſſe diſponere quovis modo.

„ Item *reſervavit generaliter* omnes dignitates majores in Cathedra-
„ libus Eccleſiis poſt Pontificales, & principales in collegiatis Eccleſiis,
„ ac prioratus & præpoſituras Conventuales, Regulares (*forte*, præce-
„ ptorias generales) ordinum quorumcunque, & quæcunque beneficia,
„ quæ

Digitized by Google

quæ *ſui* & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, *Cardinalium familiarium* (forte familiares) *continui commenſales* obtinent, & inpoſterum obtinebunt.

De Revocationibꝰ beneficiorum Alexandri V. Anteceſſoris.

Item *ſeptimo Cal. Junii*, pontificatus ſui anno primo, *caſſavit* & irritavit *omnes gratias expectativas*, quibuscunque perſonis per felicis recordationis Dominum *Alexandrum Papam quintum* prædeceſſorem ſuum factas, quarum vigore ſeu prætextu nondum erat proviſum dictis perſonis, licet per eas, ſeu eorum autoritate, beneficia Eccleſiaſtica forſan acceptaſſent, vel non acceptaſſent.

Item. Eadem die *revocavit omnes uniones*, quacunque autoritate factas; quæ non ſunt ſortitæ effectum.

Circa *expeditionem literarum.*

De regulis Cancellariæ anteceſſorum.

Inprimis voluit & ordinavit idem Dominus noſter, Dominus *Johannes Papa* XXIII, quod *regulæ* & ordinationes Domini *Johannis* XXII. *Benedicti* XII. *Clementis* VI. *Urbani* V. *& Gregorii* XI. prædeceſſorum ſuorum, in cancellaria Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſerventur: Salvis *modificationibus*, *additionibus & detractionibus*, ſuper his & aliis regulis per eum factis & faciendis.

De Expectativis gratiis.

Item. Voluit & ordinavit, quod, quando aliqua *ſupplicatio particularis* ſive in rotulo ſignata fuerit per eum per ſimplex *fiat*, ſive *ſupplicatio* fuerit *gradualis*, ſive non, ſi ſit *gratia expectativa*, non detur per dictam ſignationem, niſi unum beneficium, & una collatio, etiamſi plura petat: Si vero ſit *de beneficio vacante*, tunc per dictam ſignationem detur: Niſi unus modus vacationis, & etiam, ſi ſpecialiter reſervatum fuerit.

Item voluit & ordinavit, quando aliqua ſupplicatio, ſive particularis ſive in rotulo ſignata fuerit per eum per *fiat, ut petitur* : Si ſit gratia expectativa, tunc voluit, quod *in Italia* veniant duo beneficia, & duæ collationes: Ita tamen, quod ſupplicans vigore gratiæ hujusmodi non poſſit habere niſi canonicatum & præbendam in una Eccleſia Cathedrali, ſi in ea petat, & aliud extra: Et *in Alemania*, *Bohemia*, *Polonia*, *& in partibus Gallicanis*, & etiam *Anglia*, & in *Scotia* unum beneficium, & unam collationem tantùm, etiamſi plura petierit. Et ſi hujusmodi ſupplicatio *de beneficio vacante* exiſtat, tunc habebit modos vacationis & reformationis, (*forte* reſervationis) quos petiit diſpoſitive, & clauſulas: Aut aliàs quovis modo, aut per quamcunque aliam partem vacet, ſi petat, etiamſi ſedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatum exiſtat. Et ſi duo vel plura petit beneficia in eadem ſupplicatione, per *fiat, ut petitur*, non datur, niſi unum beneficium, quod ſupplicans duxerit eligendum.

Voluit tamen, quod ſi duo vel plura beneficia petantur in eadem ſupplicatione, & non excedant valorem LX. florenorum, quod eo caſu dicta duo vel plura beneficia dentur per *fiat, ut petitur:* Et quod in Eccleſia cathedrali vel collegiata veniant Canonicatus, & præbenda ac dignitas, perſonatus, adminiſtratio, vel officium, ſi petantur, prout inferius de graduatis impetrantibus in Cathedralibus Eccleſiis ordinabitur.

Item voluit & ordinavit, quod quando ſupplicatio aliqua ſignata fuerit per *fiat, ut petitur, & diſpenſamus* , quod tunc diſpenſatio

ſatio detur, & alia petita, dum tamen illis regulis non contrarientur. Et ſi ſupplicatio hujuſmodi ſignata fuerit per *fiat de omnibus*, quod tunc omnia petita veniant, excepta diſpenſatione, ſi petatur in eadem. Quia non vult, quod per ſignationem quamcunque diſpenſatio petita veniat, niſi expreſſa mentio fiat in ſignatione eadem, vel, niſi gratia hujuſmodi eſſet talis, quæ totaliter concerneret ipſum actum diſpenſationis, vel aliàs ipſa gratia de aliquo ſine diſpenſatione non proſit.

Item *in forma pauperum* detur in locis reductis, ſi cum cura, XXX & ſine cura XXV; Et in non reductis, ſi cum cura L. & ſi ſine cura, XXX florenorum &c. Et in *Hiſpania* & *Arragonia*, ſi cum cura, LX, & ſi ſine cura XXV. Et in *Italia*, ſi cum cura, L. & ſine cura, XXX. florenorum. In *Alemania*, ſi cum cura, XXX. & ſi ſine cura, XXV. marcarum.

Item, quod *graduati* in eadem forma habeant duas literas, & taxam gratiæ ſpecialis, quodque *in Alemania* marcæ argenti, & *in Anglia, Scotia, & Hibernia*, Sterlingorum, intelligantur ad ſupra dictas taxas.

Item voluit & ordinavit, quod nullus in rotulis gratiarum expectativarum, datas ordinatas habentibus, poſſit aliquem loco ſui ponere.

Item voluit & ordinavit, quod *in partibus Gallicanis*, in quibuscunque gratiis expectativis nulli detur ad canonicatus & præbendas Eccleſiarum cathedralium, etiamſi ſupplicatio ſignata fuerit per *fiat, ut petitur:* Magiſtris in Theologia, Doctoribus & Licentiatis in jure canonico vel civili, Magiſtris in Medicina, Licenciatis, Baccalariis in Theologia, & Magiſtris in artibus, qui per ſeptennium poſt magiſterium in eiſdem artibus rexerunt, vel tamdiu in Theologia ſtuduerunt, familiaribus Domini noſtri Papæ commenſalibus, in eorum rotulis principalibus contentis, ſedis Apoſtolicæ officialibus, & Cardinalium, Imperatorum, Regum & Ducum familiaribus, commenſalibus, in eorum rotulis principalibus contentis, & nobilibus magnis, duntaxat *exceptis*. Et quod illis, qui petunt de canonicatu *ſub expectatione præbendæ in Eccleſiis cathedralibus*, in quibus admitti non poſſunt, obſtante ordinatione prædicta, detur de beneficio Eccleſiaſtico, cum cura vel ſine cura, ſi *ſupplicantes capaces* fuerint, etiamſi canonicatus & præbenda alterius, quàm cathedralis fuerit Eccleſiæ, ad collationem, &c. Epiſcopi, Decani, & capituli, ſingulorum canonicorum & perſonarum Eccleſiæ, in qua petebant ſe admitti: Et aliis graduatis detur ad dignitates, perſonatus & officia in Eccleſiis Cathedralibus collegiatis, ſi petunt: Principali dignitate ſemper excepta. Sed in *aliis partibus* placet eidem Domino noſtro, quod habeant etiam *graduati & alii, qui per triennium ſtuduerunt in ſacra Theologia, vel jure canonico aut civili, continuo in Studio Generali.* Et hoc expreſſe in literis Apoſtolicis exprimatur. Noluit tamen ſub iſta regula officiales ſedis Apoſtolicæ includere.

Item. Voluit & ordinavit, quod in dictis *partibus Gallicanis* detur Magiſtris & Licentiatis & Baccalariis in Theologia formatis, & Doctoribus & Licentiatis in jure, & Magiſtris in medicina, & nobilibus

magnis, ad dignitates, perſonatus, adminiſtrationes vel officia in Eccleſiis Cathedralibus, ſi petant: Cæteris non detur ad quæcunque beneficia, etiamſi officia in Cathedralibus & collegiatis Eccleſiis fuerint, dummodo canonicatus & præbenda in cathedralibus, aut dignitates, vel perſonatus, ubicunque, non exiſtant. Voluit tamen idem Dominus noſter, quod *Baccalarii in jure canonico vel civili, in Studiis Generalibus Italiæ facti*, in iſtis duobus annis pro non graduatis reputentur.

Item, quod in *Pariſienſi, Rotbomagenſi, Tornacenſi, Cameracenſi, Bajocenſi, Narbonenſi, & Ambianenſi* Eccleſiis, ad canonicatus & præbendas earum nullus in rotulis quibuscunque expectativis veniat impetrare: In Theologia vel medicina Magiſtris & Doctoribus, ac etiam Licentiatis cum rigore examinis in jure canonico vel civili, ac fratribus & nepotibus ac conſangvineis germanis Dominorum Cardinalium, & magnis nobilibus, duntaxat *exceptis*.

Item voluit & ordinavit, quod, ſi in aliquo rotulo gratiarum expectativarum, per eum ſignato vel ſignando, aliqua ſupplicatio de beneficio vacante, vel aliquo alio, quam de gratiis expectativis reperiatur, quod nunquam per ſignationem generalem rotuli intelligatur eſſe ſignata vel conceſſa, nec literæ expediantur ſuper eadem.

Item voluit & ordinavit, quod *in quibuscunque gratiis expectativis* ſemper *excipiantur* dignitates majores in cathedralibus poſt Pontificales, & in regularibus prioratus, ac dignitates, & conventuales, etiamſi per *fiat ut petitur*, & etiamſi *proprio motu* vel *de omnibus* ſignatæ forent: Niſi idem Dominus non diceret in ſignatura, *fiat, ut petitur*, etiam de majori dignitate vel principali aut conventuali.

Item voluit & ordinavit, quod *in partibus Gallicanis* literæ expediantur pro Magiſtris & Licentiatis, ac Baccalaureis formatis in Theologia, & Doctoribus in jure canonico vel civili, ad unum beneficium tantum, cujuscunque taxæ fuerit, vel de canonicatu ſub expectatione præbendæ ac dignitatis, perſonatus, vel officii in cathedrali vel in collegiata Eccleſia, ſi petit: Reſervata tamen ſuper hoc *modificatione* inferius data: Etiam ſi plura petantur. Et in *Anglia* voluit, quod *Magiſtri, Doctores, Licentiati, ac Baccalaurii* prædicti, habeant, ſi cum cura, LX, & ſi ſine cura fuerit, XL. marcarum Sterlingorum, ſecundum taxationem decimæ. Et etiam ſi petantur, habeant canonicatus & præbendas &c. ut præfertur.

Item, quod *Magiſtri in Medicina, & jure canonico vel civili Licentiati*, habeant in ſecularibus beneficiis, in partibus & *in locis Gallicanis*, in quibus antiqua taxatio decimæ ad medietatem illius taxationis eſt reducta, ſi cum cura XXIV. ſi verò ſine cura, LX. Et in locis non reductis, ſi cum cura XX. &, ſi ſine cura fuerit, XXIV. librarum Turonenſium parvorum, ſecundum taxationem decimæ.

Item. *Magiſtri in Theologia non formati, ac in jure canonico vel civili Baccalaurei, & in Medicina Licentiati & Magiſtri in artibus*, habeant in locis reductis, ſi cum cura, LX. ſi vero ſine cura, XL. Et in non reductis, ſi cum cura C. & ſi ſine cura fuerit, LXX. librarum, ut ſupra.

Item quod *cæteri ſcholares* habeant in locis reductis, ſi cum cura,

LX, & ſi ſine cura, XXX. Et in non reductis, ſi cum cura, LX, ſi vero ſine cura, XL.

Item, quod *regulares* habeant in reductis, LX. & in non reductis, XXIX. librarum Turonenſium parvorum, ſecundum taxationem decimæ.

Item, quod in *Alemania, Scotia, & Hibernia* detur *ſecularibus non graduatis*, ſi cum cura, XXV, &, ſi ſine cura fuerit, XVIII. marcarum. *Regularibus*, XXX. marcarum. In *Anglia* vero, in ſpeciali, ſi cum cura, XL, & ſi ſine cura, XXX. marcarum.

Item. *In Italia* tot floreni dentur: LX. floreni cum cura, & XL. floreni ſine cura.

De beneficiis compatibilibus.

Item. Quod *Magiſtri in Theologia, & Doctores & Licentiati in jure canonico vel civili, & Magiſtri in Medicina*, nec non *Licentiati & Baccalaurei formati in Theologia*, una cum gratiis quibuscunq; obtentis, in rotulis vel ſupplicationibus particularibus, poſſint quæcunq; *beneficia compatibilia*, quæ obtinent, retinere, dummodo fructus eorum &c. CCC. libras in portatis non excedant, & hoc *in partibus Gallicanis* tantum.

Item. Quod *in Theologia non formati, & in jure canonico vel civili Baccalaurei, & Magiſtri in artibus, & Licentiati in medicina*, una cum gratiis expectativis poſſint quæcunque *beneficia compatibilia*, quæ obtinent, *retinere*, dummodo eorum fructus CL libras in portatis non excedant *in partibus Gallicanis*.

Item; Quod alii *non graduati* etiam *beneficia*, quæ obtinent, *compatibilia*, cum eorum gratiis expectativis *retinere* valeant, dummodo eorum fructus LX libras in portatis non excedant *in partibus Gallicanis*.

Voluit tamen idem Dominus noſter, quod, qui *quinque beneficia*, vel *ultra*, (habeat) quod ſi gratiam expectativam ad unum beneficium, aut unum vacans, aut certo modo vacaturum, impetret, quod teneatur dimittere tot beneficia de habitis, quot beneficia conſequetur: Protonotariis, correctoribus literarum Apoſtolicarum, & ſacri palatii Apoſtolici cauſarum auditoribus & ſecretariis *exceptis*; Etiam, ſi infra ſummas ſupra ordinatas comprehenderentur, niſi *in regnis Siciliæ, & Trinacriæ*, & *in provinciis beati Petri*, in *Tuſcia* & *Marchia Anconitana*, & *in urbe*, & in ejus diſtrictu.

Item, quod obtinentes beneficia, quorum reditus &c. XV libras Turonenſium parvorum ſecundum taxationem decimæ vel communem æſtimationem non excedant, *in communi forma* valeant impetrare; Ita tamen, quod illa per aſſecutionem &c. dimittere teneantur: Et etiam habentes poſſeſſionem beneficiorum, in quibus *aſſerunt, ſe jus habere* vel ad rem illorum, & etiam eorum, *ſuper quibus ſe aſſerunt litigare*, cujuscunque valoris ſeu taxæ exiſtant, poſſint *in eadem forma* impetrare, & illorum non teneantur exprimere fructus, ſed in eventum aſſecutionis ea dimittant.

Item voluit & ordinavit, quod *in Cathedralibus Eccleſiis* non admittantur ad canonicatus & præbendas, ac dignitates, perſonatus & offi-

cia, niſi *legitime nati*: Diſpenſationibus ſuper hoc obtentis vel obtinendis non obſtantibus quibuscunque.

De diſpenſationibus.

Item, quod in *diſpenſationibus* conceſſis per Dominum noſtrum Papam *ſuper defectu naturalium* (natalium) non venient dignitates in cathedralibus, nec in collegiatis Eccleſiis, etiamſi petantur, & etiamſi ſignentur per *fiat, ut petitur*. Et ſi ſignantur etiam *de dignitate*, tunc non veniet dignitas major poſt pontificalem in cathedrali, nec principalis in collegiata, niſi idem Dominus noſter in ſignatione exprimet de majori vel principali, & impetrans *nobilis* eſſet *magnus*, vel *magiſter in ſacra Theologia* ac *Doctor in jure canonico vel civili*, aut *licentiatus cum rigore examinis* in ſcientiis antedictis: Cætera tamen venirent impetranti.

De exceſſibus in diſpenſando.

Item. Etiam licet *exceſſum* eſſet *per Dominum noſtrum Papam, aut prædeceſſores ſuos in diſpenſationibus Apoſtolicis* ſuper defectu naturalium, (natalium) quod impetrantes de cætero non teneantur facere *mentionem de hujusmodi defectu*, in quibuscunque gratiis beneficialibus per eos impetrandis: Quod nihilominus teneantur facere mentionem de ipſo defectu in gratiis beneficialibus quibuscunq; per eos impetrandis: Alioquin ipſæ gratiæ ſunt nullæ. In quo tamen noluit *Magiſtros in ſacra Theologia*, *Doctores in jure canonico & civili*, ac in eisdem ſcientiis *cum rigore examinis Licentiatos*, aut Regum vel Principum filios vel nepotes (comprehendere.

Item voluit & ordinavit, quod, quando ſignabit aliquam ſupplicationem per *fiat, etiam diſpenſamus*, vel per *fiat, ut petitur, etiam diſpenſamus*, quod nunquam per dictam diſpenſationem intendit diſpenſare cum aliquo, ut parochialem Eccleſiam cum parochiali Eccleſia vel dignitate majori poſt pontificalem in cathedrali vel metropolitana, in principali, in collegiata Eccleſia, vel majorem cum majore aut principali, vel aliquod iſtorum cum alio ex eisdem *retinere* valeat *ad tempus*, vel *quoad usque vixerit*: Niſi in ſignatione poſuerit per expreſſum: Exceptis ſupra proximis &c.

Item voluit & ordinavit, quod omnes & ſinguli, gratias expectativas impetrantes, in gratiis eorum expectativis, ſive hujusmodi gratiæ particulariter vel in rotulo ſignatæ fuerint, *exprimant beneficia, quæ obtinent*: Alioquin gratiæ ipſæ ſunt nullæ.

Item voluit & ordinavit, quod in *quibuscunque ſupplicationibus gratiarum*, de beneficiis Eccleſiaſticis vacantibus vel certo modo vacaturis, etiam ſi canonicatus & præbenda, perſonatus, vel officia exiſtant, per eum quibuslibet perſonis *faciendarum*, ipſorumqve quorumcunqve aliorum beneficiorum, quæ dicti obtinebunt, ſeu de quibus eis fuerit proviſum, & mandatum provideri, *veri valores exprimantur*, ſecundum communem æſtimationem: Niſi gratiæ *motu proprio* eſſent factæ, vel niſi hujusmodi beneficia, quæ obtinent, impetratores offerrent ſe dimiſſuros, aut propter eorum incompatibilitatem cum illis quæ impetrarent, ſimul obtineri non poſſent. Tamen *in partibus Gallicanis*, in arbitrio ſit impetrantis, exprimere verum valorem ſecundum

Digitized by Google

cundum eandem æſtimationem, vel quantum in obſervantia valent annuatim. Alloquin dictas (gratias) voluit eſſe nullas.

Item voluit etiam *in confirmationibus beneficialibus* obſervari, & qvod prædictus *valor* per marcas argenti, vel *Sterlingorum*, ſeu libras Turonenſium parvorum, vel per florenos, ſeu Ducatos aut Francos, aut auri uncias, vel argenti, *exprimantur*. Alias literæ non expediantur, & gratiæ hujusmodi ſint nullæ.

De incorporationibus Eccleſiarum.

Item voluit & ordinavit, quod de cetero quicunque *impetrans aliqua beneficia Eccleſiaſtica uniri vel incorporari* cathedralibus vel collegiatis Eccleſiis ſeu monaſteriis, aut menſis Epiſcoporum, vel abbatialibus, aut quibuscunque aliis beneficiis, tales impetrantes teneantur *exprimere verum valorem*, ſecundum communem æſtimationem tam beneficii ſic uniendi, quàm Eccleſiæ vel monaſterii, aut menſæ, ſeu alterius beneficii, cui unio ipſa fieri debeat. Alioquin uniones non valent: Et literæ ſuper eis non expediantur per cancellariam. Et in talibus unionibus ſemper fiat *commiſſio ad partes*. Et *oneretur conſcientia* illorum, quibus committentur. Et idem voluit obſervari, quando impetratur *confirmatio unionis jam facta*.

Item, quod in omnibus literis *proviſionis Eccleſiarum titularium* ponatur *clauſula*, quod illi, qui ad Eccleſias ipſas promovebuntur, *teneantur in ipſis Eccleſiis reſidere*, nec poſſint pontificalia extra ſuas civitates & diœceſes exercere, niſi hoc ſpecialiter indulgeatur eis à Papa. Et idem voluit obſervari, quando providetur Eccleſiis aliquibus, quorum fructuum valor annuus ſummam CCC. florenorum auri non excedat.

Item, voluit & ordinavit, quod, ſi contingat, aliquem petere *confirmationem* alicujus unionis, compoſitionis vel donationis, transactionis, aut alterius cujuscunque contractus, *cum clauſula: Supplete communem defectum, ſi quis in eis interveniſſet*: Qvod non ſit in intentione ſua ſupplere aliquos defectus, niſi eſſent in ſupplicatione ſpecialiter expreſſi, vel niſi ſupplicatio ſignaretur per *fiat, ut petitur*.

Item voluit & ordinavit, quod nullus vigore expectativæ, ab ipſo impetratæ vel impetrandæ, poſſit impetrare beneficia diſpoſitioni ſuæ vel ſedis Apoſtolicæ quomodolibet reſervata: Etiamſi expectans habeat clauſulam in genere vel in ſpecie, quod beneficia in Romana curia vacante poſſit acceptare, & de illis facere provideri, aut quid ſimile in effectu.

De Capellanatu Apoſtolicæ ſedis.

Item voluit, & ordinavit, quod gratiæ de *Capellanatu Apoſtolicæ ſedis*, quibuscunque perſonis concedendæ, niſi conſtet, ſeu conſtare poſſet de earundem perſonarum expreſſa confeſſione, nullius exiſtant roboris vel momenti.

De procuratoribus appellantibus in curia Ro.

Item voluit & ordinavit, quod, ſi aliquis *procuratorio nomine* pro alio *appellet à ſententia in cauſa in Romana curia pendente*, ut aſſerat ſe procuratorem, pro quo interponitur appellatio, offerens ſe probaturum de ſufficienti mandato ad appellandum, *ſi in probatione deficiat*, ita, quod de hujusmodi mandato ſufficienter docere non poſſit, auditor cauſæ appellationis hujusmodi appellantem ipſum, etiamſi pars ipſa,

Digitized by Google

pro qua appellaverat, eandem appellationem poſtmodum ratam habeat, tanquam *falſarium* puniat, & ipſum à proſecutione procuratorii officii in palatio Apoſtolico, perpetuo, vel aliàs ad longum tempus, ſicuti ei videbitur, repellat, vel mulctet in viginti florenis, vel minori ſumma, deſcendendo usqve ad ſummam decem florenorum auri, & non inferius: Qvorum medietas in uſus pauperum convertatur, appellatione remota.

Item voluit, & ordinavit, quod ſi quem *ex litigantibus in Romana curia* ſuper quocunque beneficio Eccleſiaſtico, aut dignitate vel perſonatu, ſeu officio, decedere, matrimonium contrahere, vel religionem intrare, vel alius caſus contingat, propter quod jus illi competens in tali beneficio, dignitate, perſonatu, vel officio, vacet & vacare ſperatur, & litigans, in jure ſeu ad jus hujusmodi, ſi quid illi competeret, per eundem Dominum noſtrum ſurrogetur, aut ſurrogari mandetur: Auditor dictus ad cauſam ipſam non prius in ipſam vel ad proviſionem ſurroget, vel ſurrogando procedat, quàm ipſe *docuerit*, per Apoſtolicas vel alias autoritates, quaſi literas, de ipſius beneficii collatoris collatione ſibi facta, ſeu alio colorato titulo, aut ſaltem *juraverit*, quod cauſam ipſam non malitioſe nec fraudulenter, ſed pure & bona conſcientia inchoaverit, ipſiqve etiam auditori, ipſum ita eſſe, viſum fuerit ex veriſimilibus conjecturis. Qvo caſu ad prædictam *ſurrogationem* procedat idem auditor, juſtitia mediante. Alioquin voluit idem Dominus noſter, dictas *ſurrogationes & commiſſiones*, & quæcunque inde ſecuta, nullius exiſtere valoris vel momenti. Hoc etiam extendi voluit ad quascunque cauſas & *litigia in prædicta curia*, & per appellationem pendentem indeciſa.

Item voluit & ordinavit, quod omnes ſupplicationes beneficiales, tam particulares, quam in rotulis, pro quibuscunque perſonis, quæ *Conſiliarios*, *Secretarios*, *officiarios*, ſeu *familiares Cardinalium*, *Regum*, *Ducum*, *Comitum*, *Principum*, ſeu aliorum quorumcunque, in eorum petitionibus ſe nominant, ſeu ſcribunt, hactenus ſibi porrectæ, & ut antea porrigendæ, niſi tales proprie, tempore porrectionis vel datæ ſupplicationis hujusmodi, & per unum menſem ante, *veri Conſiliarii*, *Officiarii*, *Secretarii*, ſeu *familiares* illorum, quorum nomine *hæ* ſupplicationes formatæ vel porrectæ, fuerint, & ſervituti eorundem veraciter inſiſtent, ſint nullæ.

Item voluit & ordinavit, quod quando acceptionem, collationem, proviſionem, præſentationem, inſtitutionem vel electionem quorumcunque beneficiorum confirmabit, ſeu confirmari mandabit, aut impedimenta tollet, vel mandabit tolli ex eis, ſuper ea proinde valere vult decerni, ac ſi impedimenta hujusmodi non interveniſſent, ſemper addatur in literis confirmationis *clauſula* hæc, videlicet, *dummodo impetrans non fuiſſet intruſus*, prout in literis confirmationis addi conſvevit.

Item, quod ſi in aliqua ſupplicatione de beneficio vacante vel certo modo vacaturo petatur *data anterior*, quod nullatenus data ipſa petita veniat, niſi ipſe Dominus noſter in ſignatura manu ſua ponat,

fiat

Digitized by Google

fiat ſub data petita. Et quod ſuper ſupplicationibus & rotulis gratiarum expectativarum, in quibus idem Dominus noſter ſcribit, *& ſub data conſveta*, non expediantur literæ, niſi *detur* in eisdem ſupplicationibus & rotulis per expreſſam poſitum fuit per ipſum Dominum noſtrum, vel per datorem.

Item voluit, & ordinavit, quod literæ ſuper petitionibus per eum ſignatis, aut per *conceſſum*, in quibus data non eſt poſita, non expediantur, niſi ſub data currente illo die, quo in Cancellaria ponitur.

Item voluit & ordinavit, quod per *conceſſum* non veniat, nec tantùm, niſi dicat, *conceſſum ut petitur*, plus quàm per *fiat.*

Item voluit & ordinavit, quod ſi in aliqua ſupplicatione petatur aliquod beneficium, per *obitum*, vel *alium modum vacandi*, in cancellaria exprimendum, quod literæ ſuper tali ſupplicatione nullatenus expediantur, ſin, ipſa ſit nulla.

Item voluit & ordinavit, quod ſi contingat ipſum *providere* aut mandare provideri *alicui* de certo beneficio Eccleſiaſtico, quod per illum vigore gratiæ ipſius Domini noſtri fuit infra tempus debitum acceptatum, de quo erat ſibi proviſum, eatenus, ut gratià ſuà, vel ſibi ordinaria, vel quavis alia autoritate fuit collatum, & *eadem die de illo providerit*, vel concedat *alteri* provideri: Qvod ille, qui dictum beneficium acceptavit, vel alias obtinebat, præfertur illud petenti *ſibi ſimpliciter conferri.*

Idem voluit, quando *ſurrogat*, vel mandat ſurrogari aliquem ex collitigantibus, in jure, ſeu ad jus, quod competebat alteri, quod ille præferatur alteri non collitiganti, ſecum in data concurrenti. Et idem voluit, in gratia, ſi neutri facta, litiganti concurrenti cum non litigante.

Item voluit & ordinavit, quod quicunque vigore gratiarum expectativarum acceptaverit quæcunque beneficia Eccleſiaſtica, ſecularia vel regularia, cum cura, vel ſine cura, etiamſi canonicatus & præbenda aut dignitates, perſonatus vel officia, ſeu adminiſtrationes fuerint, teneantur & debeant infra unius menſis ſpatium, à tempore hujusmodi acceptationis computandum, de hujusmodi beneficiis per eos, ut præfertur, acceptatis, *ſibi per ſuos executores vel ſubexecutores facere provideri*, alioquin elapſo dicto menſe hujusmodi acceptationes per eos factæ, & quæcunque inde ſecuta, quoad numerum & qualitatem beneficiorum, quæ acceptationes ipſæ concernerent, vel concernere poſſent, eo tempore ſint caſſata & irrita, nulliusq; roboris vel momenti. Et quod infra tres menſes ex tunc immediate ſequentes teneantur hujusmodi *acceptationes in loco beneficii publicare;* Aliàs gratia & acceptatio, & proviſio hujusmodi ſint nullæ.

De reſignationibus.

Item voluit & ordinavit, quascunque *renunciationes, reſignationes, ceſſiones, & dimiſſiones*, de cætero per quoscunque, quos ipſum poſt hoc promovere contingat ad aliquam cathedralem Eccleſiam vel monaſterium vacans, de quibuscunque beneficiis Eccleſiaſticis, ſecularibus vel regularibus, curatis aut non curatis; etiamſi dignitates, perſonatus, vel officia, canonicatus & præbendæ, ſeu qualiacunque exiſtant,

exiſtant, ſive ſimpliciter, ſive ex cauſa permutationis, aut quavis alia de cauſa, & ſi in curia Romana vel extra, *in quibuſcunque ſeu quorumcunque manibus faciendis, per quindecim dies ante vacationem Eccleſiæ* vel monaſterii hujusmodi, ad quam ſeu quod fiet ipſa promotio, & etiam inter ipſam vacationem & promotionem hujusmodi, & omnia, quæ ſequentur ex eis, ob eas fore *nulla vel inefficacia*, & nullius roboris vel momenti: Ita quod ipſe Dominus noſter de illa per reſervationem ſpecialem vel generalem provide diſponere intendit, ac ſi per eandem talem dimiſſionem minime vacaviſſent.

Item voluit & ordinavit, quod de cetero, *ſi quis in infirmitate conſtitutus reſignaverit* aliquod beneficium, ſive ex cauſa permutationis ſive ſimpliciter, *& poſtea infra* 20. *dies de illa infirmitate deceſſerit*, talis *reſignatio* non valeat, & ſit omnino *irrita*, & tale beneficium cenſeatur vacare per obitum dicti reſignantis.

De jure Vice-Cancellarii.

Item voluit, & ordinavit, quod *Vice-Cancellarius* poſſit concedere *conſervatorium* in forma conſveta Dominis *Cardinalibus* ad quinquennium, & *Prælatis & aliis perſonis Eccleſiaſticis* dare conſvetum ad terminum. Et voluit, quod aliquis vigore *conſervatorii* hujusmodi ultra duas dietas extra ſuam civitatem & diœceſin non trahatur.

Item, quod poſſit etiam *aggravare*, etiam cum invocatione auxilii brachii ſecularis, quoscunque *proceſſus*, autoritate Apoſtolica habitos & habendos contra quascunque perſonas, quæ eis non parendo excommunicationem, & alias ſententias incurrerint. Nec non, quod poſſit mandare *exequi ſententias in curia latas* etiam contra illos, qui poſtea ſcienter in beneficiis litigioſis (ſe) intruſerunt: Et *committere reſtitutioni in integrum*, ſi & prout de jure: Et advocare cauſas beneficiales & profanas, in curia pendentes, de conſenſu partium: Et in partibus omittere, terminando; Ac omnia, quæ de ſimplici juſtitia ſunt, per Cancellarium dari conſveta, committere, ſi petantur in forma ſpeciali.

Item voluit, & ordinavit, quod poſſit *recipere*, per ſe, vel alium, quascunque *reſignationes*, quorumcunque beneficiorum Eccleſiaſticorum, à quibuscunque perſonis, illa ſimpliciter, vel ex cauſa permutationis reſignare volentibus, & ſupplicationes pro *permutantibus* ſignare; Et quod literæ fiant ſub bulla.

Item. Qvod poſſit *abſolvere*, per ſe vel per alium, illos, qui ignorant in ſupplicationibus, notis vel groſſis bullatis ſeu ſignatis, aliquid corrigere, ſcribere, vel delere; Nec non per ſe ipſum abſolvere quoscunque *falſarios ſupplicationum*, notarum groſſarum, & bullæ prædictarum, prout videbitur expedire.

Item, quod *defectum natalium patientes*, qui ante diſpenſationem fuerint in forma examinati, ſeu collocati, aut quarum gratiarum datæ datam hujusmodi diſpenſationem antecedent, poſſit de novo ſuper gratiis eorum dare literas de data ſequenti dictæ diſpenſationis: Ita, quod tales *gratiæ* propterea *ſurreptitiæ* reputentur.

Item, quod poſſit Dominis *Cardinalibus concedere altare portatile*, ut *ante diem & in locis interdictis*, & eligendi confeſſores, ac teſtandi, & *dandi indulgentias dierum*, & privilegia de fructibus percipiendis pro familiaribus.

Item,

Item, quod *Patriarchis, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis* & *Electis* teſtandi, & celebrandi ante diem, & in locis interdictis, ac per alium Eccleſias & cœmeteria ſuarum civitatum & diœceſeos, per ſangvinis vel ſeminis effuſionem polluta, reconciliari facere ad triennium, quousque opus fuerit, expedire poſſit, & *licentiam concedere.*

Item, quod poſſit omnibus *electis Abbatibus*, ad quascunque cathedrales Eccleſias aut monaſteria per eundem Dominum noſtrum promovendis, à curia abſentibus, *concedere*, ut ipſi à quocunque maluerint catholico Antiſtite munus conſecrationis ſeu benedictionis recipiant, ut in forma.

Item, quod poſſit *Scriptoribus & Abbreviatoribus* eorum officiis inſiſtendo ad triennium *licentiam concedere*, de fructibus percipiendis.

Item, quod poſſit *committere examen* ad partes, pro quibuscunque impetrantibus, ultra duas dietas à curia Romana exiſtentibus, dum ſibi videbitur expedire; Ita, quod de ſufficientia impetrantis & judicis, formatæ recipiantur.

Item, quod poſſit omnes cauſas beneficiales, etiam non devolutas, infra curiam, (vocare) cum poteſtate citandi ad partes, absque alio ſpecialiori mandato.

Item, quod poſſit Dominis *Cardinalibus præſentibus & futuris concedere, quod poſſint* Eccleſias & monaſteria, & alia loca, aut perſonas Eccleſiaſticas, in archidiaconatibus, & aliis beneficiis Eccleſiaſticis, & etiam commendatis Conſiſtorii, in quibus eis viſitationis officium competit de conſvetudine vel de jure, usque ad triennium per perſonam idoneam, quoties tempus viſitationis congruit, *viſitare, & procurationes inde debitas in pecunia numerata recipere*, ut in forma:

Non obſtantibus inhibitionibus, reſervationibus Apoſtolicis contrariis quibuscunque.

Finis Conſtitutionum Johannis XXIII.

MARTINI V. PAPÆ

In Conſtantienſi Concilio A. 1417. d. 11. Nov. Martini die electi

REGULÆ CANCELLARIÆ,

Altero ſtatim poſt electionem die, np. 12. Nov.
à JOHANNE OSTIENSI, Cardinale & Vice-Cancellario, more conſueto in Concilio conſcriptæ
& A. 1418. d. 26. Febr. ibidem publicatæ.

Ex antiquiſſimis Codicibus MSCtis
VINDOBONENSIBUS AC LIPSIENSIBUS.

AD illius, cujus perfecta ſunt opera, & à quo ejus in terra vicario omnis perſpicitur collata poteſtas, laudem & gloriam; Apoſtolicæ ſedis, ipſi imperante vicario, laudabile regimen: Agendorum quorumlibet normam regiam: Ac juge proſperitatis publicæ fomentum.

A. 1417. d. 11. Nov. Martinus V. electus Papa, d. 12. Nov. regula hæ Cancellariæ facta, ante ejus coronationem, ab Oſtienſi, Cardinale, Vice-Cancellario.

Seqvuntur *Ordinationes*, ſive *Regulæ*, per ſanctiſſimum in Chriſto patrem & Dominum noſtrum, Dominum MARTINUM, divina providentia PAPAM QUINTUM, anno Domini M. CCCC XVII die XII. *Novembris*, *in craſtinum ſuæ aſſumtionis ad ſummi apoſtolatus apicem, & ante ſuæ coronationis ſolennia* factæ & editæ.

Quas *ſuo duntaxat tempore durare* voluit. (*a*) Quasque poſtmodum Ego JOHANNES OSTIENSIS EPISCOPUS, *ſanctæ Romanæ Eccleſiæ* VICE-CANCELLARIUS, & CARDINALIS VIVARIENSIS nuncupatus, de ipſius Domini noſtri mandato, tam in *Cancellaria Apoſtolica*, quam dictæ *ſedis audientia publica*, publicari mandavi atque feci ſolenniter, ut eſt moris, *die Sabbathi, XXVI Februarii*, Pontificatus ſui anno primo.

A. 1418. d. 26. Febr. publicata hæ regula. Reſervationes Martini V. ſimiles antecessorum reſervationibus.

Inprimis etiam nonnullorum ſuorum *prædeceſſorum*, donec ſuper his aliud ordinandum duxerit, *inhærendo veſtigiis*, *Reſervationes* fecit, illis ſimiles, quæ in conſtitutione felicis recordationis *Benedicti Papæ XII.* prædeceſſoris ſui, quæ incipit: *Ad regimen*, continentur, ubicunque prælaturæ, dignitates, & beneficia, ibidem comprehenſa, *vacaverint.*

Item declaravit, quæcunque & qualiacunque, canonicatus, præbendas, prioratus & præpoſituras, dignitates, perſonatus, officia & alia beneficia Eccleſiaſtica, ſecularia & regularia, cum cura, vel ſine cura, in *Balthaſaris, Johannis XXIII. Petri de Luna Benedicti XIII. & Angeli de Corario, Gregorii XII.* olim nuncupatorum, obedientiis, per contendentes de papatu inibi *reſervata*: Et etiam, quæ dictus *Petrus*, tempore, quo de hujusmodi papatu contendere inciperet, obtinebat: Quæ videlicet tempore ac occaſione ſubtractionis obedientiarum earundem, ipſis *Balthaſari, Petro & Angelo, generali Conſtantienſi vigente concilio*, factæ, vacabant: Remanſiſſe & remanere (*b*) per hujusmodi reſervationem & decretum effecta: Nullum de illis, ſive etiam cathedralibus Eccleſiis vel monaſteriis, eorundem contendentium ordinationi & diſpoſitioni reſervatis, & tempore & occaſione ſubtractionis hujusmodi vacantibus, præter Romanum Pontificem ea vice potuiſſe ſive poſſe diſponere, vel ſe intromittere quoquo modo. Ac decrevit irritum, &c.

Item prædicta die *reſervavit generaliter*

(a) In Codice MSC. Lipſienſi: *Quas ſuo duntaxat tempore durante voluit obſervari.*
(*b*) In Codice MSC. Lipſienſi: *per hujusmodi reſervationes & decreta, affecta.* Quod forte clarius.

Reſervationes generales Martini V. pro domeſticis ſuis & Cardinalium.

ter diſpoſitioni ſuæ omnes dignitates majores in cathedralibus poſt Pontificales, & principales in collegiatis Eccleſiis, ac prioratus & præpoſituras conventuales, nec non præceptorias generales ordinum quorumcunque, & quæcunque beneficia, quæ *ſui* & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ *Cardinalium familiares*, continui commenſales, obtinent, & in poſterum obtinebunt.

Reſervationes Eccleſiarum urbis Romæ.

Item eadem die *reſervavit generaliter* diſpoſitioni ſuæ quoſcunque canonicatus & præbendas, ac dignitates, perſonatus & officia, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica, cum cura vel ſine cura, *in Baſilica principis Apoſtolorum*, nec non ſancti *Johannis Lateranenſis* ac *B. Mariæ majoris de urbe* Eccleſiis, tum *vacantia*, & in antea *vacatura*.

Legati Pontificis excluduntur à diſpoſitione illarum reſervationum papaliū.

Item eadem die declaravit, quoſcunque, etiam *de latere*, *Apoſtolicæ ſedis legatos*, quamvis etiam hactenus ſuper hoc autoritate prædicta ſive facultate munitos, poſt hujusmodi ejus aſſumtionem non potuiſſe, ſive in ante poſſe diſponere quomodolibet de beneficiis diſpoſitioni Apoſtolicæ generaliter reſervatis: Decernens irritum &c.

Item eadem die *revocavit* omnes uniones, quacunque autoritate factas, quæ nondum ſuum ſortitæ fuerint effectum.

Circa expeditionem literarum.

Regula Cancellariæ Pontificum ante Martinum, confirmata.

INprimis voluit & ordinavit Dominus noſter, quod omnes & ſingulæ *Johannis XXII. Benedicti XII. Clementis VI. Innocentii VI, Urbani V. & Gregorii XI.* prædeceſſorum ſuorum, ordinationes & Regulæ, in cancellaria Apoſtolica, ſalvis infra ſcriptis, firmiter obſerventur.

De Expectativis (c)

De expectativis gratiis.

Item voluit & ordinavit, quod per ſignaturam quamcunque, in Rotulis ſuper *expectativis gratiis* generaliter pro tempore factam ſuper quibusvis petitionibus inibi contentis, niſi ſeorſim ſufficienter ſignatæ appareant, literæ aliàs quàm ſuper hujusmodi expectativis nullatenus expediantur. (d)

Expectativarum exceptiones.

Item voluit & ordinavit, quod in quibuslibet expectativis gratiis dignitates in cathedralibus majores poſt pontificales, & in collegiatis Eccleſiis principales, ac in regularibus prioratus, & dignitates conventuales, & præceptoriæ generales, ſemper *excipiantur*: Non obſtante quacunque ſignatura, etiam *motu proprio* facta: Niſi ſpecialiter in ea de majori dignitate, vel principali aut conventuali vel generali concederetur.

Idoneorū potior habenda ratio in ſacris beneficiis conferendis.

Item voluit & ordinavit, quod, ſalvis regulis infra ſcriptis, per quamcunque ſignaturam, gratiæ expectativæ in rotulo vel extra appoſitam, etiam pro quocunque, ad unum duntaxat beneficium, & unicam collationem, vel de canonicatu ſub expectatione præbendæ alicujus Eccleſiæ, (e) etiam ſi petatur, literæ concedantur. Sed *pro idoneis*, ut infra, (f) poterit addi de dignitate, perſonatu, adminiſtratione vel officio Eccleſiæ, in qua petet de hujusmodi canonicatu, cum expectatione præbendæ. *In Italia* tamen petentibus duo

(c) In *Codice MSC. Lipſienſi* hæc eſt inſcriptio: *De expectativis Regulæ Cancellariæ, lectæ & publicatæ pro parte Domini noſtri Martini Papæ Quinti in audientia Contradictarum apud Eccleſiam Sancti Stephani, Conſtantiæ, die Sabbati, XXVI. menſis Februarii.* Niſi forte hoc tituli augmentum ad totius potius operis hujus frontem pertineat: Quod ab amanuenſe aut librario imprudente huc relatum. Quod ex eo fit veroſimile, quod nullus operi huic *in hoc codice* titulus ſit præmiſſus. Deinde non ſequentes ſolùm ſed & præcedentes regulæ illo in loco, eodemque die ſunt lectæ & publicatæ, ut in operis exordio eſt notatum.

(d) In MSCto Lipſ. brevior eſt hæc conſtitutio, his verbis: *Quod per generalem ſignaturam, in quibuscunque Rotulis expectativarum factam, literæ aliàs quàm ſuper hujusmodi expectativis nullatenus expediantur.*

(e) In MSCto Lipſienſi: *Si petatur, literæ expediantur.*

(f) In MSC. Vindobonenſi: *Ut prima* legebatur, vitio, ut apparet, veteris librarii. Unde ex MSC. Lipſienſi *infra* fuit reſtituendum.

In Italia. duo dentur beneficia & totidem collationes, etiamſi unum illorum (*g*) duntaxat canonicatus & præbenda Eccleſiæ cathedralis exiſtat. Verum ubicunque petens *ad beneficia* ſimpliciter, & ut ſupra *idoneus*, habeat, etiamſi canonicatus & præbenda, dignitas, perſonatus, adminiſtratio vel officium, in cathedrali, etiam metropolitana, aut collegiata Eccleſia (*h*). Aliis autem detur, etiamſi in Eccleſia cathedrali, ac canonicatus & præbenda alterius, quàm ipſius cathedralis Eccleſiæ, ſeu officium, ubicunque fuerit. Et omnibus iſtis in qualibet Eccleſiarum prædictarum canonicatus & præbenda cum præſtimoniis & præſtimonialibus portionibus, nec non oblegiis, additamentis, ferculis, ſupplementis, & ſimilibus, unius tantum ipſius Eccleſiæ canonicatus quomodolibet vacantis vel vacaturi. Quorum fructus, ſi impetrans *doctor* vel *Licentiatus* in aliquo jurium, cum rigore examinis, aut *in Theologia* ſaltem *formatus Baccalaureus* fuerit, LX. aliàs XXX. librarum Turonenſium (*i*) parvorum, vel tantundem in alia moneta, ſecundum taxationem decimæ non excedant, pro uno beneficio veniant, ſi ad hoc petitiones eorum ſe extendant.

Item voluit & ordinavit, quod, ubicunque literæ expediantur in expectativis pro *Magiſtris, Licentiatis, baccalaureis formatis in Theologia, & Doctoribus in jure canonico vel civili*, tam ſecularibus quam regularibus, *ad unum beneficium* tantùm, cujuscunque taxæ fuerit, vel de canonicatu ſub expectatione præbendæ ac dignitatis, perſonatus, adminiſtrationis vel officii, &c. ut ſupra, collegiatæ vel cathedralis Eccleſiæ, ſi petatur: Si vero ſignatura ſuffragetur eis *ad duo vel plura*, detur taxa in univerſo ad C. & L. libras Turonenſium parvorum, vel tantundem in alia moneta, ſecundum taxationem decimæ.

De taxa beneficiorum ſacrorum eruditis conferendorum.

Item *in partibus Gallicanis* ac per totam *Hiſpaniam*, ſive ſignatura ad unum ſive ad plura beneficia ſe extendat, detur *Magiſtris in medicina, & in jure canonico vel civili Licentiatis* cum rigore examinis, in beneficiis ſecularibus, in locis, in quibus antiqua *taxatio* decimæ ad illius medietatem eſt *reducta*, (*k*) ſi cum cura, LXXX, ſi ſine cura LX. Ubi verò *reductio* non eſt, ſi cum cura, C. & XX, ſi vero ſine cura fuerit, LXXX. librarum Turonenſium parvorum, ſecundum taxationem ante dictam. (*l*) *In Gallia & Hiſpania.*

Item, quod in *Theologia non formati, aut in jure canonico vel civili Baccalaurei*, nec non *in medicina*, ac *ſine rigore examinis in aliquo jure licentiati, & in artibus Magiſtri*, habeant in locis, in quibus eſt antiquæ taxationis reductio, ſi cum cura LX. & ſine cura XL. In aliis auté, ſi cum cura C. & ſi ſine cura fuerit LXX. librarum Turonenſium (*m*) prædictorum, ſecundum taxationem (*n*) ante dictam.

Item cæteri *ſeculares* habeant in locis reductionem habentibus, de qua ſupra, ſi cum cura, XL, ſi ſine cura, XXX. Et *in aliis*, ſi cum cura, LX, ſi ſine cura fuerit, XL. librarum Turonenſium ſimilium.

Item *regulares non graduati*, (*o*) ut ſupra, habeant in locis cum reductione præmiſſa, LX, & in aliis LXXX. librarum Turonenſium ſimilium, ſecundum taxationem antedictam.

Item

(*g*) In MSC. Lipſienſi hæc vox, *duntaxat*, eſt omiſſa.

(*h*) In MSC. Lipſ. additur: fuerit.

(*i*) In MSC. Lipſ. vocula hæc *parvorum* hic non legitur: paulo tamen poſt, dum redit, in Lipſienſi æque ac Vindobonenſi comparet.

(*k*) Ex MSCto Lipſienſi, librarii lapſu omiſſa ſequentia, in Vindobonenſi recte expreſſa, ut oppoſitio docet: *ſi cum cura, LXXX. ſi ſine cura LX. Ubi verò talis reductio non eſt*, & ſic porro.

(*l*) In MSC. Lipſ. *ſecundum taxationem decimæ*.

(*m*) in MSC. Lipſ. *parvorum*, ut aliàs.

(*n*) In MSC. *eandem.*

(*o*) In MSC. Lipſ. librarii utique neglectu, deſiderantur ſequentia omnia in hac conſtitutione, à verbis, *ut ſupra*, usque ad hæc ſequentis regulæ verba, *taxam habeant.*

Item *ſeculares non graduati* taxam habeant in *Alemania, Scotia, & in Hibernia,* ſi cum cura xxv, & ſi ſine cura, xviii. *In Anglia* vero, ſi cum cura, xl, & ſi ſine cura, xxx. Regulares autem xxx marcarum.

Item *in Italia* dentur, ſi cum cura, lx, & ſi ſine cura, xl florenorum auri, ſecundum taxationem prælibatam.

Item *in forma pauperum* detur *in locis Gallicanis* cum reductione præſcripta, ſi cum cura, [*p*] xxv, & ſi ſine cura, xv. Et *in aliis locis*, ſi cum cura, L, & ſine cura, xxx. Et *in Hiſpania & Arragonia*, ſi cum cura, xl. & ſi ſine cura xxv, librarum Turonenſium parvorum. *In Almania*, ſi cum cura, xxv, & ſi ſine cura xv. *In Anglia* vero, ſi cum cura, xxx, & ſi ſine cura, xx marcarum. (*q*) *In Italia* vero, ſi cum cura, xxx, & ſi ſine cura, xxv florenorum aureorum.

Item voluit & ordinavit, quod *in partibus Gallicanis* in expectativis nulli detur (*r*) ad canonicatus & præbendas Eccleſiarum cathedralium: [*s*] *Magiſtris in Theologia, Doctoribus & Licentiatis* cum rigore examinis *in jure canonico vel civili, Magiſtris in Medicina, Licentiatis & Baccalaureis in Theologia, Magiſtris in artibus*, qui per ſeptennium poſt magiſterium (*t*) in artibus rexerint, vel in Theologia tamdiu ſtuduerint, Apoſtolicæ ſedis officialibus, apud eandem ſedem [*u*] ſuis officiis actu pro tempore inſiſtentibus, Domini noſtri Papæ, Cardinalium, Imperatoris, Regum & Ducum nepotibus & conſangvineis ac nobilibus, duntaxat *exceptis*. Aliis verò ad hujusmodi canonicatus & præbendas petentibus detur de beneficio, cum cura vel ſine cura, *prout capaces fuerint*, etiamſi canonicatus & præbenda alterius quam cathedralis Eccleſiæ exiſtat, ad integram collationem, utpote Archi-Epiſcopi, Epiſcopi & capituli ſingulorumque canonicorum & perſonarum, etiam dignitates [*x*] obtinentium Eccleſiæ, in qua ad præbendas petebant ſe admitti.

De ſubſtitione in beneficiâ promiſſû.

Item voluit & ordinavit, quod *nullus* in rotulis gratiarum expectativarum, (*y*) datas ordinatas habentibus, *poſſit aliquem ponere loco ſui.*

De petitione beneficii disjunctiva.

Item, quod *petenti* ad cujuscunque ſeu quorumcunque collationem, vel ad plures collationes aut Eccleſias *disjunctive*, detur duntaxat una collatio, vel Eccleſia ex petitis, talis videlicet, qualem veroſimiliter habuiſſet, ſi eam in ſua petitione ſpecificaſſet. Voluit autem, quod, ſi plures perſonæ gratias expectativas in eadem ſupplicatione petierint, literæ pro primo duntaxat expediantur, & alii careant omnino (*z*) petitis.

Si plures eadem epiſtola petant beneficium.

De Canonicatibus quarundam Eccleſiarum Gallicanarum.

Item voluit & ordinavit, quod *in Pariſienſi, Rothomagenſi, Tornacenſi, Cameracenſi, Bajocenſi, Narbonenſi, Remenſi, Ambianenſi & Leodinenſi* Eccleſiis, nulli detur ad canonicatus, & præbendam ex rotulis expectativis quibuslibet: In *Theologia & Medicina Magiſtris & Doctoribus, cum rigore examinis in aliquo jure licentiatis*, fratribus, nepotibus, (*) & conſangvineis Germanis Dominorum Cardinalium, & Magiſtris nobilibus ac

(*p*) in MSC. Lipſienſi alia hic reperitur taxa, his verbis: *Si cum cura XXX, & ſi ſine cura, XXV.* in ceteris omnia ſunt paria.

(*q*) In MSC. Lipſ. ſequentia hujus regulæ de Italia deſiderantur.

(*r*) In MSC. Lipſ. hic inſertum: *in expectatione.*

(*s*) Inſerta hic in Codice Lipſienſi vox *niſi.*

(*t*) Abſunt ex Codice Lipſienſi hæ voces *in artibus.*

(*u*) Hæ voces, *ſuis officiis*, deſunt quidem in Vindobonenſi, ſed ex MSCto Lipſienſi reſtitui debuerunt, ad ſenſum reddendum.

(*x*) In Lipſienſi MSC. hic additum: *Eccleſiaſticas.*

(*y*) In MSC. Lipſ. *datum ordinatum.*

(*z*) In MSC. Lipſ. *impetratis.*

(*) In *Codice Lipſ.* non habetur *& conſangvineis.*

officialibus duntaxat ſedis Apoſtolicæ, exceptis.

Item voluit & ordinavit, quod per quamcunq; ſignaturam, *clauſula, etiamſi ſingula conferre habeant*, vel etiam ratione dignitatum &c. quas extra eandem Eccleſiam obtineret, nullatenus in literis expectativis concedatur.

Item, quod *Magiſtri, Doctores, Licentiati in jure canonico vel civili*, ac *Magiſtri in medicina*, nec non *Licentiati & Baccalaurei formati in Theologia*, unà cum gratiis expectativis quibuscunque obtentis, in rotulis vel ſupplicationibus particularibus poſſint quæcunque *beneficia compatibilia*, quæ obtinent, retinere, dummodo fructus eorum (*Aa*) CCCC. libras parvorum Turonenſium vel tantundem in alia moneta importatis non excedant.

De beneficiis compatibilibus.

Item, quod *in Theologia non formati & in jure canonico vel civili baccalaurei*, vel *Magiſtri in Artibus, & Licentiati in medicina*, una cum gratiis expectativis poſſint quæcunque *beneficia compatibilia*, quæ obtinent, *retinere*, dummodo eorum fructus &c. (*bb*) CC. libras, vel tantundem in alia moneta in portatis non excedant.

Item quod alii *non graduati* etiam *beneficia*, quæ obtinent, *compatibilia* cum eorum gratiis expectativis *retinere* valeant, dummodo eorum fructus &c. (*cc*) C. libras vel tantundem (*dd*) in portatis non excedant.

Voluit tamen idem Dominus noſter, quod qui habebit *quinque beneficia vel ultra*, quod ſi gratiam expectativam ad unum beneficium, (*ee*) aut unum beneficium vacans, vel certo modo vacaturum, (*ff*) ſeu plura impetret, quod teneatur dimittere tot beneficia, de habitis, quot beneficia aſſequeretur: Protonotariis, correctore literarum Apoſtolicarum ac contradictarum, & ſacri palatii Apoſtolici cauſarum Auditoribus, & Secretariis, nec non Domino Vice-Cancellario, vel ejus locum tenente, in camera Apoſtolica præſidenti aſſiſtentibus, duntaxat *exceptis*: Etiam ſi infra ſummas ſupra ordinatas comprehenderentur, niſi *in regnis Siciliæ & Trinacriæ, & in provincia Beati Petri, in Thuſia & Marchia Anconitana*, ac *in urbe* ac ejus diſtrictu.

De cumulo beneficiorum ſacrorum.

Item voluit & ordinavit, quod obtinentes beneficia Eccleſiaſtica quæcunque, vel *in eis jus habentes*, etiam illorum non expreſſo valore, poſſint in communi forma impetrare per petitorum aſſecutionem pacificam obtenta, ac jus hujusmodi realiter dimittendo.

Item voluit & ordinavit, quod in gratiis beneficialibus quibuscunque, per eum quibusvis perſonis pro tempore faciendis, (*gg*) *omnium & ſingulorum beneficiorum*, quæ per eas, etiamſi motu proprio fiant, conceduntur, & (*hh*) aliis nihilominus obtentorum, & de quibus, vacantibus, vel certo modo vacaturis, impetrantibus proviſum aut provideri mandatum vel conceſſum extiterit, niſi ipſi impetrantes ea forſan dimittere maluerint, vel aliàs propter eorum incompatibilitatem dimittere tenerentur, *verus valor* in moneta quacunque ſecundum æſtimationem communem exprimatur. Aliàs literæ ſuper gratiis hujusmodi nullatenus conficiantur. Et *ſub generali clauſula*, in petitionibus plerumque poni ſolita, non obſtante gratia expectativa ſeu diſpenſatione, ſuper obtinendis incompatibilibus in cancellaria Apoſtolica exprimenda in literis ſuper hujusmodi petitionibus conficiendis, quis ultra duo

De valore beneficiorum ſacrorum in petitionibus exprimendo.

(*Aa*) In MSC. Lipſ. numerus multo minor librarii forte lapſu expresſus, nemp. 4. *librarum*, pro 400.
(*bb*) In MSC. Lipſ. *CL. librarum.*
(*cc*) In Lipſ. MSC. & hic minor eſt numerus, *LX libras.*
(*dd*) In MSC. Lipſ. inſertum, *ut ſupra.*
(*ee*) In MSC. Lipſ. non leguntur hæc verba: *aut unum beneficium vacans.*
(*ff*) In Codice Lipſ. eſt *ſi.*
(*gg*) In MSC. Lipſ. hic inſertum: *motu proprio factis*
(*hh*) In Codice Lipſ. *in aliis.*

Digitized by Google

duo beneficia pro qualibet ex gratia & diſpenſatione hujusmodi nequeat explicare. Quod ſi ad plura ipſa gratia vel diſpenſatio ſe extendat, petitiones ipſæ omni penitus careant effectu.

Singularis conſuetudo quarundam Eccleſiarum in prabendis non aſcendendi.

Item voluit & orninavit, quod ſi aliqui in expectativis gratiis petant, ſtatutis & *conſvetudinibus Eccleſiarum*, quibus cavetur, quod *nullus* inibi *de minoribus prabendis ad potiores ſive majores prabendas aſcendat*, derogari, literæ cum clauſula derogationis hujusmodi nullatenus expediantur, niſi eam ipſius Domini noſtri Papæ ſignatura importet expreſſe, vel ad partem clauſula concedatur antedicta.

De Vacantiis.

De vacantibus officiis ſacris inter petentes diſtribuendis.

Item voluit & ordinavit, quod in gratiis beneficialibus *vacantibus* aut certo modo *vacaturis*, quibuslibet, *ſi plura petantur beneficia*, unum cujuscunque annui valoris per ſimplicem ſignaturam, & addito, *ut petitur*, duo (*ii*) vel tria & non plura petita beneficia veniant, dummodo etiam illorum fructus &c. ultra LX. (*kk*) in portatis vel C. libras Turonenſium parvorum communi æſtimatione, ſive tantundem in alia moneta, non valeant annuatim.

Item voluit & ordinavit, quod in quibuscunque gratiis beneficialibus ſuper vacantibus nulla detur *clauſula*, *generalem reſervationem importans*, niſi ex primo vacationis modo, inibi diſpoſitive narrato, aliqua talis reſervatio elici poſſit expreſſe: Sed aliàs etiam per ſimplicem ſignaturam quamcunque veniant omnes modi vacationum & per conſtitutionem *Execrabilis*, nec non clauſulæ devolutionis & ſpecialis reſervationis, ac de lite inter alios pendente, ſi petantur, collitigantes tamen ac etiam alii ſpetentes, ſcil. neuter in ſingulis eorum petitionibus ſuper litigioſis beneficiis quibuslibet, de lite, cui ſe ingerere contendunt, ſufficienter faciat mentionem. Aliàs literæ ſuper petitionibus ipſis cum hujusmodi expreſſione litis non expediantur quocunque modo. Una verò reſervationum ex hujusmodi primo vacationis modo, ut præmittitur, elicita, reliquæ petitæ generalium reſervationum clauſulæ concedantur. (*ll*)

Item voluit & ordinavit, quod ex quibuscunque petitionibus, ſuper novis proviſionibus, per *conceſſum* pro tempore ſignandum, nulla detur *clauſula*, *generali reſervatione*, *etiam in præſenti diſponitur*, aut aliis vacationum modis expreſſam quomodolibet comprehendens: Niſi per Dominum Vice-Cancellarium data reperiatur appoſita ſingulis petitionibus ante dictis. (*mm*)

Item voluit & ordinavit, quod ſuper beneficiis *de jure patronatus laicorum* quibuslibet, qualitercunque & ubicunque pro

(*ii*) In Lipſienſi Codice omiſſa nonnulla, hic expreſſa. Scribitur enim: *duo vel plura petita beneficia.*

(*kk*) Et hic in MSC. Lipſienſi ita ſcribitur: *Ultra LX. librarum Turonenſium parvorum, vel tantundem in alia moneta inportatis non valeant annuatim.*

(*ll*) In MSCto Lipſienſi hæc Conſtitutio aliter eſt conſignata: *Item voluit & ordinavit, quod in quibuscunque gratiis beneficialibus ſuper vacantibus veniant etiam per ſimplicem ſignaturam omnes modi vacationum, & per conſtitutionem* Execrabilis *petiti, dummodo ex illis, præterquam de primo diſpoſitive narrato, aliqua generalis reſervatio non reſultet, & etiam clauſulæ devolutionis & ſpecialis reſervationis, nec non de lite inter alios pendente, ſi petant, collitigantes tamen, vel etiam alii petentes, ſi neuter in ſingulis eorum petitionibus ſuper litigioſis beneficiis quibuscunq; de lite, cui ſe ingerere contendunt, ſufficientem faciat mentionem. Aliàs litera cum hujusmodi expreſſione licet ſuper eisdem petitionibus nullatenus expediantur.*

[*mm*] In *MSCto Lipſienſi* & hæc conſtitutio alio ſtylo conſignata: *Item voluit & ordinavit, quod in literis ſuper quibuscunque gratiis beneficialibus nulla prorſus alia quam per Conſtitutionem* Execrabilis *ponatur clauſula per generalem reſervationem quamcunque, niſi in hujusmodi gratiarum ſupplicationibus diſpoſitive expreſſam; Et una reſervatione ut præmittitur expreſſa cetera generalium reſervationum veniant, ſi petentur.*

pro tempore vacantibus, literæ Apoſtolicæ, niſi in eis, quod illa tanto tempore vacarunt, quod eorum collatio juxta Lateranenſis ſtatuta concilii eſt legitime devoluta, vel quod ipſorum patronorum ad id accedat aſſenſus, expreſſe ponatur, *nullatenus concedantur*, niſi ipſe Dominus noſter ſignaret, etiamſi de jure patronatus laicorum exiſtat.

Item voluit & ordinavit, quod ſi in aliqua ſupplicatione petatur beneficium *per obitum* vel alio modo vacandi in cancellaria Apoſtolica exprimendum, nequaquam ſuper illa, niſi petens alicui per eum, prius habito colorato titulo, immitteretur, literæ expediantur, ſed omni prorſus careant effectu.

Officia, quibus præſentes fungi tenentur prælati.

Item voluit & ordinavit, quod in literis proviſionum Eccleſiarum titularium ponatur *clauſula, quod ad ipſas promoti in eis reſidere teneantur*, nec poſſint ſine ſpeciali indultu à Papa Pontificalia extra ſuas civitates & diœceſes exercere: Nec expediantur literæ, niſi prius de aſſignatione proviſionis annuæ eis aliunde factæ uſque ad ſummam ducentorum florenorum auri [nn] de camera doceatur.

Item, quod ſi in aliqua ſupplicatione de beneficio vacante aut certo modo vacaturo petatur *data anterior*, nullatenus ipſa veniat, quodque literæ ſuper petitionibus, in quibus data non eſt appoſita, non expediantur, niſi ſub data diei, qua in cancellaria ponentur.

Beneficiū ad nutum revocabile.

Item voluit & ordinavit, quod ſi aliqui religioſi petant aliquod *beneficium ad nutum revocabile*, cum *clauſula*, quod exinde pro ſolo nutu Abbatis vel ſuperiorum non poſſit amoveri, literæ quoad ipſam clauſulam nullatenus expediantur, niſi idem Dominus noſter ponat ſignaturam, quod non poſſint amoveri, vel ad partem clauſulam ipſam concedat.

De Diſpenſationibus.

De diſpenſationibus Papalibus in officiis ſacris impetrandis.

Item voluit & ordinavit, quod per quamcunque ſignaturam petentibus ſibi qualitercunque *de beneficiis Eccleſiaſticis* etiam *cum diſpenſatione* provideri, *diſpenſatio* nulla detur, niſi per ipſam ſignaturam expreſſe conceſſa appareat, vel, niſi talis fuerit gratia, quæ totaliter actum hujuſmodi diſpenſationis concerneret, vel ſine illa de aliquo operari non poſſet.

Super defectu natalium.

Item voluit & ordinavit, quod petentibus, ſecum *ſuper defectu natalium*, quem patiuntur, diſpenſari, ſi in aliqua ſint licita facultate *graduati* vel *magni nobiles*, dentur per ſimplicem ſignaturam *quatuor*, & addito, *ut petitur*, ultra petita, etiam ſi canonicatus & præbendæ, dignitates etiam majores in cathedralibus, etiam metropolitanis, ſeu principales in collegiatis Eccleſiis fuerint. Aliis autem dentur per ſimplicem ſignaturam *duo*, & per *fiat*, *ut petitur*, [oo] ſi tot petantur, beneficia Eccleſiaſtica quæcunque, dummodo canonicatus & præbendæ in cathedralibus Eccleſiis, aut dignitates non exiſtant. Circa *ſpurios* tamen & *expoſitos* ac conſimiles conſulatur idem Dominus noſter, vel Vice-Cancellarius, ut major in illis *reſtrictio* ſervetur. *Clauſula non facienda mentionis de defectu*, non veniat, niſi ſeorſim concedatur.

De ſpuriis & expoſitis.

De diſpenſatione ſuper incompatibilia.

Item voluit & ordinavit, quod petentibus, ſecum *ſuper obtinendis incompatibilibus diſpenſari*, *ſi in Theologia aut jure canonico vel civili Doctores*, *vel cum rigore examinis Licentiati*, *ſeu magni nobiles* fuerint, per ſimplicem ſignaturam (pp) annus, & per *fiat*, *ut petitur*, biennium etiam, ad duo duntaxat ex hujuſmodi incompatibilibus: Dummodo tamen illa in cathedralibus majores poſt Pontificales, vel collegiatis Eccleſiis principales dignitates, ſeu parochiales Eccleſiæ, inſimul, aut tales mixtim non

(nn) *In MSC. Lipſienſi* hæ voces *de camera* non leguntur.

(oo) In *MSCto Lipſienſi* hic inſertum *quatuor*.

(pp) In *MSC. Lipſienſi* plenius: *Detur ad quinquennium, & addito, ut petitur, quoad vixerit ad duo incompatibilia quæcunque. Aliis verò per ſimplicem ſignaturam cedat annus*, & ſic porro.

Digitized by Google

non fuerint, & cum poteſtate permutandi, ſi petatur. Poterit tamen Vice-Cancellarius, vel ejus Locumtenens pro tempore, circa perſonas alias in licita facultate quacunque, etiam *minus graduatas*, ſuperiorem reſtrictionem de hujusmodi dignitatibus ac parochialibus Eccleſiis, per tales alios, ut præmittitur, inſimul [qq] retinendis, moderare, perſonarum earundem, nec non locorum penſata qualitate.

De Beneficiis parvis. (rr)

De diſpẽſatione ſuper ætate in ſacris officiis impetrandis.

Item voluit & ordinavit, quod (ss) pro nullo, niſi ſaltem *XXII. ſuæ ætatis annum* attingat, expediantur literæ, quod beneficium quodcunque *cum cura*, vel etiam pro *minori, XVII. annorum* complete, quod dignitatem vel perſonatũ, etiam(tt) *ſine cura*, valeat obtinere.

De diſpẽſatione ſuper ordinibus ſacris.

(uu) Item voluit & ordinavit, quod ſecum diſpenſari petentibus, ut ratione *Eccleſiaſticorum beneficorum, curatorum*, aut aliàs ex privilegio, ſtatuto, vel conſvetudine *ſacros ordines requirentium*, ad ordines, quos hujusmodi beneficia requirunt, vel aliquem ex illis, ſe non teneantur facere promoveri, ſi *in Romana curia vel generali ſtudio reſidere* voluerint, per ſignaturam ſimplicem detur quinquennium, (xx) & addito, *ut petitur, ſeptennium*. Alibi verò reſidendo, ex quacunq; ſignatura qvinqvennium duntaxat concedatur. Hoc tamen ſemper adjuncto, quod ſaltem infra annum, à tempore datæ diſpenſationis hujusmodi, *in ſubdiaconos ſint promoti*.

De diſpẽſatione ſuper ſucceſſione in officio ſacro paterno.

Item voluit & ordinavit, quod de cætero etiam per ſignaturam quamcunque nulli, cujusvis dignitatis, gradus, conditionis exiſtat, ut *ſuo genitori in beneficiis immediate ſuccedere*, vel in Eccleſiis, in quibus ipſe genitor beneficiatus extitit, beneficia obtinere valeat, literæ quomodolibet (yy) concedantur.

De Fructibus percipiendis.

De fructibus beneficiorum ſacrorum in abſentia percipiendis.

Item voluit & ordinavit, quod petentibus *ſibi de ſuorum beneficiorum fructibus in abſentia reſponderi, ſi in curia Romana vel in ſtudio generali*, per ſignaturam quamcunque quinquennium, & addito, ut petitur, ſeptennium, in altero vero beneficiorum ſuorum reſidere volenti, triennium duntaxat concedatur. (zz)

De Indulgentiis.

De indulgentiis

Item voluit & ordinavit Dominus noſter, quod *indulgentiæ* per eum deinceps concedendæ, ſive per *fiat* [aaa] concedentur, ſive per *conceſſum viſitantibus* videlicet Eccleſias vel pia loca, ſeu illis eleemoſynas etiam *ad fabricam* vel aliàs, &c. porrigentibus, durent duntaxat *per decem annos*. Et dentur ſolùm feſtivitates ſeqventes: Videlicet [bbb] ſeptem Domini noſtri, & quatuor beatæ Mariæ, Johannis Baptiſtæ, Sanctorum Apoſto-

Ad decẽ annos.

(qq) In MSC. Lipſ. *perpetuandis.*

(rr) In MSC. Lipſ. alia eſt inſcriptio, np. *De diſpenſationibus ſuper ætate.*

(ss) In MSC. Lipſ. *nulli niſi XXII.* & ſic porro.

(tt) In *MSC. Vindobon.* ſcriptum erat *ſignatura*, vitio utique librarii. Reſtituimus *ſine cura*, quod videtur rectius, ex *MSCto Lipſienſi.*

(uu) In *Lipſ. Codice* præmittitur titulus: *De diſpenſationibus ad non ſacros.*

(xx) Ex *Lipſ. Codice* addita ſequentia, quæ librarii lapſu ex *Vindobonenſi MSCt.* omiſſa: *& addito, ut petitur, ſeptennium. Alibi vero reſidendo, ex quacunque ſignatura quinquennium* & ſic porro

(yy) In *MSC. Lipſ.* inſeritur: *de ſuccedendo in beneficio patris.*

(zz) In *MSC. Lipſ.* ſequitur hic titulus: *De diverſis formis.* Subjungiturque conſtitutio, quæ incipit: *Item cum execrabili*, quæ in *Codice MSC. Vindobonenſi* infra f. 983. legitur. Hacq; conſtitutione in Lipſienſi Codice finita, ſuccedit titulus *De indulgentiis.* Qui titulus in Vindobonenſi Codice etiam non comparebat. Aſt in conſtitutionibus ipſis recenſendis eadem ſeries in utroque codice.

(aaa) In Lipſ. Codice, *ſignentur.*

(bbb) *In Vindobonenſi Codice* legebatur *nativitatem*, vitio utique librarij. Qvare ex *Lipſienſi* reſtituimus *ſeptem.*

Apoſtolorum Petri & Pauli, celebritas omnium Sanctorum, nec non ſanctorum, ſub quorum vocabulo Eccleſiæ ſive loca hujusmodi ſunt fundata, in dedicatione earundem Eccleſiarum & locorum, ac etiam octavis dictarum feſtivitatum octavas habentium. Et ponatur *clauſula, volumus, quod ſi alias* &c. Si tempus indulgentiarum adhuc duret, (*ccc*) voluit, quod ſi aliqua *indulgentia pro una tantum die anni* petita fuerit, non apponantur feſta prædicta, ipſaque indulgentia in perpetuum duret.

Ad unum diem anni.

Item voluit & ordinavit, quod ſi aliquæ *indulgentia pro Eccleſiis hoſpitalibus* aut piis locis, ad inſtar indulgentiarum aliis Eccleſiis vel aliis locis conceſſarum petantur, ſi non (*ddd*) plene ſpecificatæ fuerint, literæ non expediantur ſuper [*eee*] illis.

Pro Eccleſiis hoſpitalibus.

Item voluit & ordinavit, quod in literis Apoſtolicis ſuper indulgentiis, per ipſum deinceps concedendis perſonis viſitantibus Eccleſias, ſeu alia loca pia, vel *ad* eorum reparationem ſeu *fabricam manus porrigentibus adjutrices*, ſeu inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſi ſupplicatio ſignata fuerit per *fiat*, ſi Eccleſia Cathedralis, vel inſignis collegiata Eccleſia aut ſolenne monaſterium fuerit, *tres*, aliquando *duo anni*, & totidem *quadragenæ:* Et ſi per *fiat, ut petitur*, (*fff*) pro cathedrali aut collegiata Eccleſia aut monaſterio hujusmodi, *quatuor*, aliquando *tres anni* & totidem *quadragenæ*, licet plures petantur, [*ggg*] per ſingulas vero *octavarum* feſtivitatũ conſvetarum, [*hhh*] & pro capellis vero tantummodo C. dies apponantur.

De indulgentiis à Cardinalibus indultis.

Item voluit ordinavit, quod deinceps aliquæ literæ *ſuper conceſſione indulgentiarum* hujusmodi, aut etiam *à pœna & culpa*, pro quibuscunque perſonis, *ſub ſigillis Cardinalium* ſeu alterius cujuscunque non expediantur. Quod ſi ſecus fiat, eo ipſo ſint *nulla*. Et in literis Apoſtolicis ſuper illis conficiendis ponatur *clauſula jejunii.*

De diverſis Formis.

Item voluit & ordinavit, quod omnes & ſingulæ beneficiales gratiæ quorumcunque, [*iii*] qui *Conſiliarii*, *Secretarii*, aut *familiares ac officiarii Cardinalium*, *Regum*, *Ducum*, *Comitum*, *Principum* ſeu aliorum quorumcunque, videlicet in petitionibus illis, pro tempore porrectis (*kkk*) aſſeruntur, niſi *realiter* tempore datæ petitionum hujusmodi & antea *per duos menſes integros tales extiterint*, nullius ſint roboris vel momenti: Et in literis, ſuper hujusmodi petitionibus conficiendis, *de menſibus eisdem*, ut præmittitur, mentio habeatur expreſſa.

Civiles miniſtri Principũ, quibus beneficia ſacra per Papam impertienda, ſint non titulares, ſed vere officiis fũcti.

Item voluit & ordinavit, quod nullus ex Dominis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, vigore cujuscunque gratiæ expectativæ, etiam motu proprio, & ſub quacunque forma vel expreſſione verborum conceſſæ hactenus, vel in poſterum concedendæ, poſſit aliquam dignitatem in cathedrali poſt pontificalem majorem, vel in collegiata Eccleſia principalem ſeu parochialem Eccleſiam vel prioratum, ſeu aliam dignitatem conventualem, vel præceptoriam generalem, vel officium clauſtrale, ſeu etiam quodcunque aliud, cujus fructuum valor ad ſummam LXX. librarum Turonenſium parvorum, vel alterius æquivalentis monetæ importatis

Cardinalium beneficia reſtrigũtur.

(*ccc*) In Lipſienſi Codice ſequentia videntur mutilata librarii neglectu. Scribitur enim: *Voluit tamen quod ſi aliqua indulgentia in perpetuum duret.* Cetera omiſſa.

(*ddd*) In Lipſ. Codice, *ſi non plena & ſpecificata*, errore forte librarii.

(*eee*) In Lipſ. MSC. *aliis.* Rectius forte *illis*, ut in Vindobonenſi.

(*fff*) In MSC. Lipſ. eſt *in.*

(*ggg*) In Lipſ. Codice: *pro ſingulis verò diebus octavarum.*

(*hhh*) Deſunt in *Codice Lipſienſi* hæc verba: *& pro capellis vero.*

(*iii*) In Viennenſi deſiderabatur hæc vox *qui*, quam ex Lipſienſi reſtituiums.

(*kkk*) In *Vindobonenſi Codice*, forte librarii lapſu, *aſſecuti*, in *Lipſienſi Codice* legĩtur clare *aſſeruntur.*

Digitized by Google

tis non aſcendat, beneficium Eccleſiaſticum acceptare, ſeu ſibi de illo (*lll*) vel alio facere provideri; Ipſæque *acceptatio & proviſio*, ſi fiant, nullius ſint momenti. (*mmm*)

De modo beneficiũ Eccleſiaſticum occupandi & publicandi.

Item voluit & ordinavit, quod quicunque vigore gratiarum expectativarum acceptaverit quæcunque beneficia Eccleſiaſtica, ſecularia vel regularia, cum cura vel ſine cura, etiamſi canonicatus & præbendæ ac dignitates, perſonatus vel officia ſeu adminiſtrationes fuerint, teneantur & debeant *infra unius menſis ſpatium*, à tempore hujusmodi acceptationis computandum, *de* hujusmodi *beneficiis* per eos *acceptatis*, ut præfertur, ſibi *per ſuos executores* vel (*nnn*) ſubſecutores *facere provideri.* Alioquin lapſo dicto menſe, hujusmodi acceptationes per eos factæ, & quæcunque inde ſecuta, quoad numerum & qualitatem beneficiorum, quæ acceptationes concernerent, vel (*ooo*) concernere poſſent, eo ipſo ſint caſſa & irrita, nulliusq; roboris vel momenti: Et quod infra tres menſes ex tunc immediate ſequentes teneatur hujusmodi acceptationes & proviſiones in *loco beneficii publicare*, aliàs gratia & acceptatio & proviſio hujusmodi ſit nulla.

Item voluit & ordinavit, quod ſi ipſe faceret gratiam de beneficio ſine cura, vel de canonicatu, ſub expectatione præbendæ alicujus Eccleſiæ, alicui conſtituto *in nono vel decimo anno ſuæ ætatis, anno tacito*, de hujusmodi ætate gratia ipſa ſit nulla. Et idem in vacantibus vel certo modo vacaturis.

Item voluit & ordinavit, quod in literis ſuper *confirmatione* cujuscunque *unionis*, *compoſitionis*, *transactionis* vel alterius *contractus*, *clauſula*, *ſupplens defectum*, ſi quis in eo continetur, nullatenus concedatur, *niſi ipſi defectus eſſent in petitione ſpecialiter expreſſi*, vel illa per *fiat, ut petitur*, fuerit ſignata.

Poſt ſchiſma in Cõcilio Conſt. compoſitũ remanſere in Eccleſia aliqui pravi mores.

(*ppp*) Item, cum, execrabili potiſſime alias in Dei Eccleſia extirpato ſchismate, pluribus, *ſolius præſidentis* (*qqq*) *oculo conquieſcente*, ordine turbato relictis, nonnulli *clerici* & Eccleſiaſticæ perſonæ, *ſeculares & regulares*, etiam *mendicantium* & aliorum *ordinum diverſorum*, *ſuperſtitioſitatis & ambitionis velamine* (*rrr*) *devecti*, pro ſuorum ordinariorum ac ſuperiorum victima, tamen potiori calcanda ac *ſubterfugienda obedientia*, *in ſedis Apoſtolicæ capellanos* recipi, ac ſuper hujusmodi literis ejusdem ſedis Camerarii proceſſus, diverſas ſententias, cenſuras Eccleſiaſticas, atque pœnas continentes, fieri procurarunt: Propterea ab eorundem ſuperiorum ac ordinariorum jurisdictione prætendentes penitus ſe exemptos; Unde rerum experientia atteſtante magiſtra, *licentia laxato freno*, nonnulla per illorum aliquos commiſſa *exceſſus & crimina præterire deteſtabiliter impunita*: Idem Dominus noſter, ſuper his providere

Clerici olim multi ambitioſi. Ars priſtina cleri, ſuperiorũ imperium excutiendi. Singularis character Capellani Apoſtolicæ ſedis.

(*lll*) In Lipſ. Codice non habentur hæc *vel alio.*

(*mmm*) In MSC. Lipſ. ſequitur integra Conſtitutio quæ in Vindobonenſi non extat: *Item ut aliquando præſumptæ fraudes evitentur, voluit & ordinavit, quod nullus poſſit beneficium quodcunque & qualecunque, vigore vel ſub obtentu cujuscunque gratiæ expectativæ ſibi factæ, literis ſuper ea non confectis, acceptare. Quod ſi ſecus fiat, acceptores hujusmodi non valeant, nec per eos aliquod præjudicium cuiquam alteri generetur.*

(*nnn*) In Lipſienſi Codice eſt *ſubexſecutores*, quod forte rectius.

(*ooo*) Hic filum librarii in Codice Lipſienſi eſt abruptum. Ut ſequentia omnia in eo deſiderentur.

(*ppp*) Integra hæc conſtitutio in Codice Lipſienſi non hic loci, ſed ſupra, ut n. zz. notavimus, inſerta habetur. Nos autem ordinem Codicis Vindobonenſis ſecuti ſumus.

(*qqq*) In *Vindobonenſi codice* legitur, *Eccleſia*, in Lipſienſi vero rectius, *oculo*, quod reſtituendum fuit, ſenſu urgente.

(*rrr*) Legitur in Vindobonenſi Codice *devecti*, ſed in Lipſienſi eſt, *devoti*, fortaſſe *devincti* legendum.

videre intendens, voluit & ordinavit, atque decrevit, quod tales (*sss*) recepti hactenus, & in antea, *importunitate* forſitan *impellente*, per eum ſuis literis, etiam deſuper decernendis proceſſibus, in *ſimiles capellanos* recipiendi, niſi *Magiſtri & baccalaurei formati in Theologia, ſive Doctores & Licentiati in jure canonico vel civili* fuerint, *adverſus quos, virtutem redimentibus ſtudiis, ſimilis ambitionis ſuſpicio non reſpondet*, prætextu literarum & receptionis earundem, ab hujuſmodi juriſdictione ſuperiorum & aliorum ordinariorum præfatorum nullatenus cenſeantur exemti, ſed libere per illos juxta ſanctiones canonicas corrigi poſſint & debeant, perinde in omnibus & per omnia, acſi literæ & proceſſus hujuſmodi, quorum etiam in hoc vigorem & ſubſiſtentiam protinus ademit, nullatenus (*ttt*) emanaſſent.

De Doctis eſt præjudicium virtutis.

Item voluit & ordinavit, quod gratiæ de *Capellanatu Apoſtolicæ ſedis*, quibuſcunque perſonis concedendæ, niſi conſtet, ſeu conſtare poſſit de earundem perſonarum expreſſo conſenſu, nullius exiſtant roboris vel momenti.

De Capellanatu Apoſtolicæ ſedis.

Item, quod in quibuſcunque literis ſuper gratiis beneficialibus in bulla per unum ex lectoribus ſcribatur, *in plica litera* poſt taxam, dies *menſis* per *Calendas Nonas vel Idus*, & deinde *in regiſtro* ſcribatur dies menſis & annus modo conſimili. Et hujuſmodi literæ de regiſtro tradantur parti. Et quod ſuper hoc lectores & regiſtratores, & eorum clerici, *præſtent in manibus Vice-Cancellarii juramentum*. Et quod hujuſmodi ſcripturæ ſtetur, & plena fides adhibeatur in judicio, in Romana curia & extra.

De expediendis literis Apoſtolicis.

Item voluit & ordinavit, quod nullus vigore gratiæ expectativæ, ab ipſo impetratæ vel impetrandæ, poſſit acceptare beneficia, diſpoſitioni ſuæ vel ſedi Apoſtolicæ quomodolibet reſervata, *etiamſi expectans habeat clauſulam in genere vel in ſpecie, quod beneficia hujuſmodi acceptare poſſit*, & de illis facere provideri, aut quid ſimile in effectu.

Item voluit & ordinavit, quod *literæ expectativæ ſuper hoſpitalibus, leproſoriis, Xenodochiis*, & aliis *piis locis*, quæ pro hoſpitalitate tenenda ſunt fundata, de cætero nullatenus expediantur, niſi talia ſint, quæ ſua fundatione conſueverunt in titulum perpetui beneficii Eccleſiaſtici ſignari.

De expectativis ſuper hoſpitalibus, Xenodochiis.

Item voluit & ordinavit, quaſcunque *renunciationes, reſignationes, ceſſiones & dimiſſiones*, de cætero fiendas per quoſcunque, quos ad aliquam prælaturam promoveri vel aſſumi contigerit, de beneficiis quibuſcunque Eccleſiaſticis, ſecularibus & regularibus, curatis & non curatis, etiamſi canonicatus & præbendæ, dignitates, perſonatus & officia, aut alia quæcunque & qualiacunque exiſtant, ſive ſimpliciter ſeu ex cauſa permutationis, ſeu quavis alia, in Romana curia vel extra, in quorumcunque manibus, vel alias quovis modo inter ultimam vacationem prælaturæ hujuſmodi & diem promotionis ſeu aſſumtionis ſuæ ad eandem, cum omnibus ſecutis & ſequendis, exinde fore *nullas, invalidas & inefficaces*, nulla, invalida & inefficacia, & nullius roboris vel momenti, & pro infectis haberi.

De reſignationibus beneficiorum ſacrorum.

Item, *ſi quis in infirmitate* conſtitutus *reſignaverit* aliquod beneficium, ubicunque, etiam in Romana curia ſive extra, cauſa permutationis, ſive ſimpliciter, poſtea *infra XX. dies de illa infirmitate deceſſerit*, talis reſignatio non valeat, & ſit omnino irrita, cum ſecutis ex eadem. Et *tale beneficium cenſeatur vacare per obitum ipſius reſignantis*.

De reſignatione in morbo.

Item, ut in habendis beneficiis Eccleſiaſticis *fraudes evitentur*, ſervetur *conſcientiæ puritas, & ambitionis via ambitioſa præcludatur*.

Fraudes fugiendæ. Conſcientia pura ſervanda. Ambitio vitanda.

Item Dominus noſter declaravit, ſtatuit, voluit & ordinavit, quod quæcunque gratiæ, de quibusvis beneficiis, etiam

(*sss*) In Vindobonenſi ſcriptum *cepti*, pro quo in Lipſienſi clarius *recepti*, quod reſtitutum.

(*ttt*) Lectum quidem in Vindobonenſi Codice *evaneſcent*, verum ex Lipſienſi melior lectio reſtituta.

Digitized by Google

iam ſecularibus & regularibus, cum cura vel ſine cura, *vacantibus*, tanquam *per obitum*, quibusvis perſonis deinceps ſub quacunq; data faciendæ, niſi tempore datæ gratiarum hujusmodi, *notitia vacationum* expoſitarum in gratiis ipſis, de locis apud quæ tunc vacaverint, *ad* dicti *Domini* noſtri veroſimiliter *potuerit devenire notitiam*, & quæcunque inſecuta, nullius exiſtant roboris vel momenti.

De unionibus ac incorporationibus Eccleſiarum.

Itẽ voluit, mandavit, & ordinavit, quod de cætero quibuscunq; impetrantib9 aliqua *beneficia Eccleſiaſtica uniri vel incorporari* cathedralibus vel collegiatis Eccleſiis ſeu monaſteriis aut menſis Epiſcopalibus ſeu Abbatialibus, aut quibuscunque aliis beneficiis, tales impetrantes *teneantur exprimere verum valorem*, ſecundum communem æſtimationem tam *beneficii* ſic *uniendi*, quam etiam Eccleſiæ, monaſterii aut menſæ, ſeu alterius beneficii, cui *unio* ipſa fieri debeat. Alioquin hujusmodi veniens nõ valeat, & literę ſuper eis non expediantur. Et in talib' unionibus ſemper fiat *commiſſio* ad partes, & *oneretur conſcientia illorum, quibus committeretur.* Et idem voluit obſervari, quando impetratur *confirmatio unionis jam facta.*

Forũ Eccleſiaſticũ & civile non confundendum.

Item, cum clerici & Eccleſiaſticæ perſonæ, ſuas *cauſas & querelas*, in his videlicet, quæ *de jure & conſuetudine ad forum ſpectant Eccleſiaſticum*, eo temere derelicto, ſecularibus judiciis ſubmittere, ſeu partes ſibi adverſas ad forum de jure vetitum convenire vel trahere præſumant, gravibus proinde pœnis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, etiam jure diſponente alligentur, quod tamen eorum plerique non ſine propriæ ſalutis periculo dare videntur ſæpius in contemtum: Idem Dominus noſter voluit & ordinavit, quod, quicunque ex clericis ſeu perſonis eisdem de cætero talis præſumtionis reus extiterit, niſi de hoc in quibuscunque conceſſionibus & gratiis, per eum ab ipſo Domino noſtro impetrandis, adeò ſpecialem & expreſſam mentionem faciat, quod etiam ſibi ſuper hoc oportune providere valeat, quod ſine cautela ſalutis eo ipſo omni commodo careat eorundem, ipſæmet conceſſiones, diſpenſationes & gratiæ totaliter inefficaces, nullius roboris vel momenti exiſtant, & nihilominus pœnæ canonum contra tales locum habeant, & etiam declarentur.

Lites cum Cardinalibus & Ro. curia miniſtris, non niſi in curia Ro. eſſe componendas.

Item, ne de cætero Domini Cardinales aut perſonæ, apud ſedem Apoſtolicam, Romanam videlicet curiam, aut Cardinales eosdem, familiaritatem, officium vel incolatum habentes, ab aliis, ut quandoque contingit, occaſione vel prætextu beneficialium litium, diſtrahantur: Idem Dominus noſter voluit & ordinavit, quod omnes & ſingulæ cauſæ beneficiales, contra quoscunque ex Cardinalibus ſeu perſonis eisdem, aut per eos quibuslibet perſonis de cætero movendæ, etiam ſi de ſua natura ad dictam curiam legitime devolutæ, ſeu in ea tractandæ non fuerint, *apud ſedem Apoſtolicam* prædictam *duntaxat*, apud quam competentia quoad id ſolum pateat eisdem, *tractari, ventilari, & finiri debeant*, nec in illis aliquis ex Cardinalibus, vel ex perſonis eisdem alibi conveniri poſſit invitus: Quod ſi forſan aliquos proceſſus in contrarium fieri contingat, ipſi cum omnibus ſecutis irriti prorſus habeantur & inanes, non obſtantibus privilegiis & indulgentiis Apoſtolicis, ac aliis contrariis quibuscunque.

De Juſtitia.

Appellantes à ſententia in Ro. curia lata, procuratoriũ ſuum probent.

Item voluit & mandavit, quod *appellans* quicunque *procuratorio nomine à quavis ſententia in Romana curia pro tempore lata*, ſe in exhibitione mandati ſufficienter ſuper hoc, de quo ſe docere proponit, judici approbet. Aliàs ſi jus hujusmodi faciendi infra tempus ſibi per ipſum judicem ſuper hoc ſtatuendum defecerit, quamvis ille qui pro hujusmodi appellatione interpoſita extiterit, poſtmodum approbaret eandem, niſi de convictis perſonis ſit, vel aliàs legitimam excuſationem allegaret, per eundem judicem falſi procuratoris pœna percellatur, vel à procurationis officio in Romana curia perpetuo, vel ad aliquod tempus longum, ſicuti ipſi judici videbitur, repellatur, ſeu in XX.

vel citra, non cum X. deſcendendo, florenorum auri ſummâ, parte unâ in capellaniam auditoris palatii Apoſtolici, & alia medietate in pauperum uſus convertendâ, multetur, nullo ſibi ſuper hoc appellationis diffugio quomodolibet profuturo.

Item voluit, & mandavit, quod nullus judex ubilibet conſtitutus in cauſis & litibus, etiam per appellationem pendentibus indeciſis, ad inſtantiam cujusvis, proprio aut procuratorio nomine, etiam juris ad jus in beneficio quocunque, ſi & poſtquam hujusmodi jus ex perſona collitigantis qualitercunq; vacaverit, ſe *ſurrogari* petentis, ad hujusmodi faciendam *ſurrogationem* quomolibet procedat, niſi pro parte ſurrogandi autoritate, ſaltem de aliquo colorato & veroſimiliter per eum prius habito titulo fides præſtetur legitima, aut quod talem cauſam non malitioſe vel fraudulenter, ſed pura & bona conſcientia inſtituit: Super hoc ipſi *judici*, veroſimilibus ſpondentibus conjecturis, *corporale præſtetur juramentum*: Quidquid autem ſecus factum extiterit, cum inſecutis quibuslibet, nullius exiſtat firmitatis.

De ſurrogationibus.

Item voluit & ordinavit, quod deinceps *cauſæ* quæcunque *auditorum cauſarum palatii Apoſtolici* vel eorum *notariorum*, nequeant eorum inimicis adverſariis, alicui ex auditoribus dicti palatii, vel eorum loca tenenti committi, alioquin proceſſus in contrarium habiti nulla ſubſiſtant firmitate.

Item voluit, & ordinavit, quod, ſi aliqui *debitores* ratione debitorum *ſe ſubmiſerint* diſtrictui ſeu *coërcitioni cameræ Apoſtolicæ temporalis Avinionenſis* & aliarum curiarum Romanæ curiæ, & Avinionenſis civitatis, ad conficiendum debita hujusmodi coram auditore & judicibus earundem curiarum, certos procuratores conſtituerint, quod ſi debitores ipſi in dicta Romana curia fuerint præſentes, & eis non vocatis, iidem procuratores debita hujusmodi confiterentur coram eisdem auditoribus & judicibus, confeſſiones hujusmodi nullius ſint roboris vel momenti.

Item voluit & ordinavit, quod *nullus judex* ordinarius vel delegatus, quacunque autoritate fungatur, *poſſit aliquem de Auditoribus*, præſentibus & futuris, *in Romana curia* commorantibus, *ſuſpendere* vel *excommunicare* quacunque ratione vel cauſa, etiam ſi voluntarie ſe ſubmiſerint, excepto Camerario, qui poſſit contra eum vel eos, ſi & quando ei videbitur, Eccleſiaſticam exercere cenſuram.

Item ſtatuit, voluit & ordinavit, quod de cætero nulli ad *officium notariatus audientiæ cauſarum*, ſeu etiam *curiæ cameræ Apoſtolicæ* admittantur, niſi primitus *per diligentem examinationem Vice-Cancellarii vel ejus commiſſarii* ad illud idonei reperti fuerint, & qui etiam ſaltem XXV. annum ſuæ ætatis teneant: Quod omnes *Notarii audientiæ & curiæ cameræ* prædictarum, præſentes & futuri, *per ſe ipſos hujusmodi ſua officia exerceant*, alioquin illis omnino careant, nec deinceps per ſuos Auditores admittantur: Quodqve nullus ex prædictis ipſum notariatus officium in audientia cauſarum & curia cameræ Apoſtolicæ hujusmodi inſimul valeat exercere.

Sanctiſſimus in Chriſto pater & Dominus noſter, DOMINUS MARTINUS, divina providentia PAPA QVINTUS, *die XI. menſis Decembris*, pontificatus ſui anno primo, voluit & ordinavit, quod omnes & ſinguli, cum quibus hactenus per ſedem Apoſtolicam, ſeu ejus autoritate, *ſuper pluribus incompatibilibus beneficiis Eccleſiaſticis*, etiam in vicem perpetuo vel ad tempora obtinendis, *diſpenſatum* extitit, & quæ jam ab eo obtinuerint, vel inpoſterum obtinebunt, quascunque gratias de beneficiis Eccleſiaſticis vacantibus, vel certo modo vacaturis, ſi *in Theologia Magiſtri vel Baccalaurei formati, aut in jure canonico vel civili Doctores, ſeu cum rigore examinis Licentiati, vel ex utroque parente nobiles* exiſtant, illa, quæ *ultra duo*: Si vero *aliter* in eisdem ſtudiis *graduati*, aut *in medicina*, vel *in artibus Magiſtri* fuerint, illa, quæ *ultra unum*, habeant vel habent *incompatibilia*, infra annum à tempore poſſeſſionis pacificæ beneficiorum, eis ex gratiis eisdem competentium, ſimpliciter, vel ex cauſa permutationis pro aliis

Nova conſtitutio Martini V. de beneficiis incompatibilibus, ANNO 1417. die 11. Decemb. Conſtantiæ facta.

aliis compatibilibus: *Cæteri* vero *graduati* vel *ignobiles* qvicunqve, incompatibilia, unicum duntaxat incompatibile tranſcendentia, in eventum ſimilis aſſecutionis realiter & omnino dimittere teneantur, diſpenſationibus prædictis in contrarium minime profuturis: *Familiaribus* tamen ipſius Domini noſtri, & *officialibus* dictæ *ſedis*, actu & continue ſuis officiis inſiſtentibus, *nepotibus* Dominorum Cardinalium, magnorum baronum, & ſupra, filiis & nepotibus, duntaxat exceptis.

De pluralitate beneficiorũ.

Item voluit, qvod circa gratias beneficiales per eum factas & fiendas talis moderatio *circa pluralitatem* vel exceſſum *beneficiorum* obtentorum vel obtinendorum ſervetur, qvod *Magiſtri & Baccalaurei formati*, *Doctores ac Licenticti*, nec non *nobiles* præfati, ultra CCCC: Cæteri vero *aliter*, ut ſupra, *graduati*, ultra CCL: Nec non ſimplices, ſeu *non graduati vel ignobiles* prædicti ultra C. libras Turonenſium parvorum, aut alterius æqvivalentis monetæ, tam in obtentis, quam in quibuscunqve ex gratiis eisdem conſeqvendis beneficiis, nullatenus valeant retinere, etiam expeditione literarum, ut reliqva omnia, dimittenda: Duntaxat exceptis *familiaribus & officialibus* Domini noſtri *Papæ*, actu & continuo ſuis officiis inſiſtentibus, Dominorumqve *Cardinalium nepotibus*, qui ſub hac ordinatione nullatenus includantur.

Item voluit & ordinavit idem Dominus noſter, quod, ubi *pro perſonis diverſis*, ſuper aliquo beneficio Eccleſiaſtico vacante aut certo modo vacaturo, *ſub ejusdem diei data*, diverſæ per eum, ſive de ſuo mandato, conceſſiones aut gratiæ factæ appareant, is, cui gratia *proprio motu* facta fuerit, reliquis omnibus, ſub *ſimili motu non habentibus*: Si vero per aliam ſignationem literæ fuerint, tunc *graduatus non graduato*: Et inter graduatos *magis graduatus*: Profeſſor [forte *poſſeſſor*] quoq;, ſaltem collegiato titulo, non tamen ſpoliator, aut inſtitutus per eum, qui potuit ſcire eum non debere inſtruere, ſive cauſam poſſidendi conferre, *non poſſeſſori*: Et contrariis qualitatib' ſeu aliis, ceteris paribus: Præſens *venturo* ab ea *abſenti*: ac *oriundus* civitatis & diœceſeos, in qua hujusmodi beneficium conſiſtat, alteri *non oriundo*: Et *nullum habens beneficium*, *habenti*; In dicti beneficii aſſecutione *præferatur*, niſi ſuper hoc idem Dominus noſter ſpecialius duxerit ordinandum.

Item ut *calumniatores execrabiles*, quibus per *abuſus Romanæ curiæ* datum alimentum, ne contagione ſerpente ſeges caleſcat infecta, *pœnarum* etiam dignis coëmptis *aculeis*, motus improbi exactivis, *reprimantur*, Præfatus Dominus noſter ipſius curiæ gloriam obfuſcantes, Zizaniæ ſatores, eliminare contendit: Omnes & ſingulos, qui *alicujus nominis figmento* ſupplicationem ſive petitionem quamcunque, gratiam, vel juſtitiam continentem, *ſurripere*, aut quo minus illa in lucem prodeat, curſui deſtinato debito quanquam ſupplicanti eam ut antea *ſubtrahere* præſumſerit, *excommunicationis ſententiæ*, & ſi contra eos ſuper hoc inſtituto judicio reperti legitime extiterint diverſa beneficia Eccleſiaſtica obtinere, cujuslibet illorum, quæ ultimo aſſecuti fuere, *privationis*, non beneficiatos verò *inhabilitationis* ad quæcunque Eccleſiaſtica beneficia impoſterum obtinenda, *pœnæ ſubjiciendo*: Nihilominus emergentium forſitan aliàs ſcandalorum ſupprimendis præcipitiis, nudo pacis fomento *carceris acrimoniis* unius menſis ſpatio abſque ſpe veniæ quanto citius *mancipando* &c.

Hæ

Hæ
REGULÆ CANCELLARIÆ
JOHANNIS XXIII.
A. 1415. in Conſtantienſi Concilio ſede moti,
& MARTINI V.
A. 1417. in eodem Concilio in ſedem evecti,
à
JOHANNE EPISCOPO OSTIENSE
ſub utroqve Pontifice
Cardinale & Vice-Cancellario
A. M cccc x. & A. M cccc xvii.
conſignatæ atqve publicatæ,
Ex antiqviſſimis Codicibus MSCtis
VINDOBONENSIBUS,
LIPSIENSIBUS,
HELMSTADIENSIBUS
in Academia Julia
A. M DC XCVII die 24. Martii
erutæ
Auſpiciis
SERENISSIMI BRUNSVICENSIUM
DUCIS
RUDOLPHI AUGUSTI
Glorioſiſſime Imperante
CÆSARE
LEOPOLDO.

Digitized by Google

TOMI I. PARS XXII.

GERMANICÆ NATIONIS

In Conſtantienſi Concilio ad totius Eccleſiæ reformationem enixe adſpirantis

ARTICULI DE REFORMATIONE SUPREMI REGIMINIS ECCLESIASTICI,

IN CONSTANTIENSI CONCILIO

In principio Anni 1418.

MARTINO V. PAPÆ

exhibiti.

Feliciſſimis Auſpiciis

SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

Ex antiquo Codice MSCto Bibliothecæ Ducalis Gothanæ

eruti ab

HERMANNO von der Hardt.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

Helmestadi, Typis Salomonis Schnorrii, 1697.

Digitized by Google

MSCt. Gothanum
Actorum Concilii Conſtant.

* *
*

AVISAMENTA NATIONIS GERMANICÆ

ſuper Articulis
juxta decretum Concilii
reformandis,
exhibenda
Domino noſtro Sanctiſſimo.

Digitized by Google



HERMANNUS von der Hardt
Lectori S.

Conſtitutum erat in exordio Concilii, 26. *Martii A.* 1415, publico Concilii decreto, *quod illa Synodus eſſet legitime convocata, initiata, & usque tunc ſic celebrata, & quod per receſſum Papæ* (Johannis) *non eſſet ſoluta, & quod diſſolvi non deberet, donec fieret perfecta ſchismatis extirpatio, &* ECCLESIA REFORMARETUR IN FIDE ET IN MORIBUS, IN CAPITE ET IN MEMBRIS, memorante *Gobelino, Cosmodrom. ætat.* 6. *cap.* 94. *f.* 339.

Hæc Reformationis Eccleſiaſticæ ſpes aluerat Concilii Patres integro triennio. Donec *lis* oriretur ſed & componeretur ut de Præſidentia & de *tempore*, num ante novi Pontificis electionem an poſt illam hoc negotium eſſet conficiendum.

Octiduo igitur ante, quam ad electionem tandem procederetur, *publico Concilii decreto* definitum erat, *Pontificem ſummum, proximis diebus eligendum, debere cum Concilio vel deputatis ex ſingulis Nationibus, reformare Eccleſiam in capite & curiam Romanam, ſecundum æquitatem & bonum regimen Eccleſiæ,* ANTEQVAM ILLUD SACRUM CONCILIUM DISSOLVERETUR.

Deſignatiqve tunc palam, ac ordine recenſiti *articuli Reformationis illius, per Papam unà cum Concilio ante concilii finem conficiendæ.*

De qvibus diſtincte egimus in *Præfatione Partis ſuperioris XXI.*

Poſtquam igitur paulo poſt A. 1417. d. 11. Nov. *electus* in Concilio *Martinus* V. isq; ſolenni ritu d. 21. Nov. *coronatus, inſtare* jam videbatur tantopere deſideratum *reformationis iſtius opus*, antea per Concilium, nunc tandem per Papam cum Concilio perficiendum.

Qvapropter *Nationes* ſtatim id ſibi negotii datum putarunt, ut, magnæ ſpei publico decreto factæ memores, Reformationem urgerent. Qvam Nationum ſollicitudinem commendavit *Gobelinus Perſona l. c. c.* 96. *f.* 345. *Poſtquam Dominus Martinus Papa fuit coronatus, per nationes Concilii petebatur fieri reformatio Eccleſiæ tam in capite quam in membris, prout in Reformatorio per ad hoc electos conceptum fuerat.*

Martinus itaq; *Papa* non omnino hoc negotium publicum neglecturus, *ex Collegio Cardinalium ſex* elegit, pro hoc novo Reformatorio, *Commiſſarios. Ex Nationibus* etiam *Deputati* ſelecti.

Notavit hoc *Natio Germanica* in publicis ſuis aviſamentis, hac *Parte* XXII. à nobis exhibitis, *ad articulum II.* Conſentit *Schelſtrate, in Compendio chronologico p.*70. *Cum,* inquit, *Martinus V. paulo poſt ſuam ad Pontificatum aſſumptionem Præſides Nationum ad ſe evocaſſet, ut ex parte illarum eligerentur Deputati, qui cum ſex Cardinalibus à ſe nominatis agerent de Reformatione, &c.*

Pervigil *Natio Germanica*, his à Papa ad reformationem deputatis Cardinalibus priſtinum expoſuit deſiderium, oblata ſchedulâ, infra in hoc opuſculo *ad artic.* 2. repetita; de præcipuo Reformationis argumento, *de Reſervationibus Papalibus abolendis.*

Cæterum, ut fit, in *novo* hoc ex Cardinalibus & Nationibus *Deputatorum* in negotio Reformationis *ampliſſimo Collegio* ardor tepeſcere vel evaneſcere ſenſim viſus. Quippe manus remiſſæ partim à Cardinalibus, partim ab aliquibus Nationibus. Hinc multis menſibus parum aut nihil actum, *Gobelino Perſona* teſte in *Coſmodrom. cap. ult. f.* 345. *Quia non omnes æque ardenter inſtabant, Cardinalibus etiam in hoc torpentibus, parum profecerunt.* Nec diffitetur *Schelſtrate* l.c.p.70. *Per plures menſes fruſtra inter illos actum eſt de hac materia, una Natione volente hoc modo, alia alio.*

Gallica natio, quæ ante electionem Papæ aliquantum refriguerat, indeq; *à Germanis & Anglis,* reformationem ante Papæ electionem maturandam ac perficiendam eſſe aſſerentibus, *abierat,* ac cum Italis & Hiſpanis in futurum Pontificem reformationem omnem diſtulerat; Poſt Papam electum, vel dolore tacta vel pœnitentia ducta, ægerrime longam Reformationis moram tulit. Confugit idcirco, hæſitabunda, ad Imperatorem SIGISMUNDUM, in Concilio præſentem, ægritudinem ſuam in ejus ſinum effundens. Petiitq; à Cæſare auxilium, qui novum Papam Martinum commonefaceret, ad Reformationem tandem aliquando ſerio perficiendam. Verum Imperator, probe memor & ſui cum Germanis priſtini pro reformatione maturanda certaminis, & Gallorum in illo negotio remiſſi olim animi, conſcientiam eorum vellicavit, ſuperioremq; neglectum aut contemptum in memoriam illis revocavit, non ſine ſale dignaque reprehenſione. Commemoravit hæc fata fideliter *Gobelinus*, illa ætate vivens, *l. c.* Qui cum Cardinalium æque ac aliorum plurium, in Reformationis opere occupatorum, torporem, fructumque & laborem inanem notaſſet, addit: *Unde Natio Gallicana Regem* (SIGISMUNDUM) *adiit, petens ab eo, ut Papam ad Eccleſiam* (forte, Eccleſiæ Reformationem) *dignaretur infor-*

mare. Qui reſpondit eis: Dum nos, ut Reformatio fieret, priusquam ad electionem ſummi Pontificis procederetur, inſtabamus: Vos, nolentes acquieſcere, Papam, priusquam fieret Reformatio Eccleſiæ, habere voluiſtis. Et ecce Papam habetis, quem & nos habemus. Illum pro expeditione hujusmodi reformationis adite. Quoniam pro nunc noſtri non intereſt, prout intererat ſede Romana vacante.

Germanica Natio ſuperiorem ſuam publice porro teſtata eſt vigilantiam atque ſinceritatem, quæ & ante electionem ſuum pro publica ſalute ardens ſtudium conſtantius atque animoſius quam ceteræ nationes declaraverat.

Prodiit igitur hæc, electo etiam Pontifice, *in publicum*, ſuo ſatisfactura officio, & ſuo exemplo ceteras nationes ad imitationem excitatura, ipſumq; novum Pontificem ad opus definitum pellectura.

Repetiit in principio Anni 1418. *novo ſcripto*, quod in Reformatoriis antea toties erat explicatum atq; determinatum, quo pacto deſideratam Regiminis Eccleſiaſtici Reformationem cuperet inſtructam atque abſolutam.

Dedit ſuo huic *publico monumento*, Reformationi ſacro, hanc in fronte inſcriptionem:

Aviſamenta Nationis Germanicæ, ſuper articulis juxta decretum Concilii reformandis, exhibenda Domino noſtro ſanctiſſimo.

Meminit hujus memorabilis ſcripti, à *Germanica Natione* in Concilio novo Pontifici Martino V. pro Reformatione oblati, *Schelſtratenus* in *Compendio Chronologico* laudato *p.* 71. *& Diſſert.* 3. *c.* 3. *p.* 175. Aſt non exhibuit. Sufficit, ex frequenti illius commemoratione conſtare, *in MSCtis* quoque *Romanis* hæc *Germanicæ Nationis Aviſamenta*, mox ab electione Martini pro reformatione in Concilio edita, conſervata eſſe.

Nos ex antiquiſſimo Ducali Gothano MSCto, Acta Concilii Constantiensis complexo, hauſimus. Tantoq; ſincerius *hoc horum* Aviſamentorum *exemplar*, quanto veroſimilius, *Gumperti Fabri, Nationis Germanicæ in Concilio ſecretarii*, cujus nomen in fine eſt ſubſcriptum, manu propria eſſe exaratum.

Neque vel ſilentio præteriri vel in alium Tomum differri debuit nobile hoc monumentum, quod hunc *ex hiſtoriæ ordine* locum ſummo ſibi vindicaret jure.

Siquidem ex hoc opuſculo, à Germanis publico Nationis nomine, in Concilio univerſali prodito, apparet, quæ mens fuerit Germanis ut ante ita & poſt electionem novi Pontificis. Quandoquidem hæc vota atque deſideria non à prioribus, tot annis in Concilio ingeminatis, diverſa, ſed breviter ſaltem repetita ac digito potius monſtrata quàm denuo explicata.

Urgetur enim hic à Germanis id duntaxat, quod *in Concilio ipſoq; Reformatorio Conſtantienſi*, præviâ matura longaq;, Nationum omnium deliberatione, dudum erat concluſum. Quod patet ex *Reformatorii*

torii Conſtantienſis monumentis, ſupra *Parte X: XI. XII.* exhibitis. Quæ cauſa eſt, quare in ſingulis propemodum capitibus Germani hic ad *Reformatoria* illa ſuperiora provocent, eaq; repetita velint, quæ ibi tradita atque in Nationibus concluſa.

Brevis autem hæc delineatio Reformationis, aut Nationalium in Reformatoriis dudum factorum decretorum Compendium, accommodatum à Germanis ad ſummam ſeriemque *articulorum* illorum XVIII. qui octiduo ante Papæ electionem erant in Concilio publice expreſſi, de quibus à Papa novo proxime in Reformatione eſſet agendum.

Neque diffitendum, hos Articulos ſolummodo pertinere ad Regiminis Eccleſiaſtici ſupremi Curiæve Romanæ emendationem. Siquidem ante Electionem Papæ primò quidem in Conſtantienſi Concilio *reformatio capitis & membrorum* quæſita, ſive Curiæ Romanæ & totius Eccleſiæ. Verùm, quod tantum & tam amplum negotium ſimul confici non poſſe videretur, conſultum fore viſum, ſi primùm de Capite emendando Curiaq; Romana pro illo temporis ſtatu reformanda ageretur, inq; hoc Concilio abſolveretur. Membrorum autem vel inferioris ſtatus Eccleſiaſtici emendatio reſervaretur ad proximam Concilii operam. Ita ergo ad finem usque Concilii Conſtantienſis non fere niſi de ſupremi illius Eccleſiaſtici regiminis reformatione actum, reliqua curâ dilatâ.

INDEX

Capitum vel Articulorum XVIII.

I. *DE numero, qualitate & Natione Dominorum Cardinalium.*
II. *De Reſervationibus* (*facili oculorum lapſu, de* Reformationibus *legit Schelſtratenus in Actis Concilii p.* 186. *&* 270.) *ſedis Apoſtolicæ.*
III. *De Annatis & communibus ſervitiis & minutis.*
IV. *De Collationibus beneficiorum & gratiis expectativis.*
V. *De confirmationibus electionum.*
VI. *De cauſis in Romana curia tractandis vel non.*
VII. *De Appellationibus ad Romanam curiam.*
VIII. *De officiis Cancellariæ ac Pœnitentiariæ.*
IX. *De Exemptionibus, incorporationibus, tempore ſchiſmatis factis.*
X. *De Commendis.*
XI. *De Fructibus medii temporis.*
XII. *De non alienandis bonis Ro. Eccleſiæ.*
XIII. *Propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi vel deponi.*
XIV. *De extirpatione Simoniæ.*
XV. *De diſpenſationibus.*
XVI. *De Proviſione Papæ & Cardinalium.*
XVII. *De Indulgentiis.*
XVIII. *De Decimis.*

Digitized by Google

GERMANICÆ NATIONIS
ARTICULI
DE REFORMATIONE SUPREMI STATUS ECCLESIASTICI

In Conſtantienſi Concilio
in principio Anni 1418.
MARTINO V. PAPÆ
exhibiti.
Ex antiqviſſimo Codice MSCto
BIBLIOTHECÆ DUCALIS GOTHANÆ.

ARTIC. I.

De numero, qualitate & Natione Dominorum Cardinalium.

Cardinales ſint XVIII. vel XXIV.

SUper *primo* videtur *dictæ Nationi*, quod numerus *decem & octo* Dominorum *Cardinalium* prima facie ſufficiat Eccleſiæ univerſali. (*a*) Si tamen *aliæ Nationes* deliberaverint de XXIV, *Natio Germanica* non reluctatur.

Sint docti prudentes & virtuoſi.

Qualitatem dictorum Dominorum in futurum creandorum admittit, prout eſt *in Reformatione aviſata.* (*b*)

Diſtributionem autem *per Nationes ſingulas* faciendam, relinquit ſummo Pontifici. Ita tamen, quod *de qualibet natione* (*c*) aliqui *Cardinales*, quantocius fieri poterit, habeantur.

Ex omnibus Nationibus eligendi.

Nec aliqua natio, ſine rationabili comparatione, aliam ſeu alias in hoc excedat: Sed ſervetur *æqualitas* quoad omnes, Romanæ Eccleſiæ & ſingularum nationum oportunitatibus, diſpoſitionibus & circumſtantiis ponderatis.

ARTIC. II. IV. V.

De Reſervationibus ſedis Apoſtolicæ.
De Collationibus beneficiorum & gratiis expectativis.
De Confirmationibus electionum.

Reformatorium à Martino V. in Concilio Conſt. conſtitutum.

SUper *ſecundo, quarto, quinto* articulis, *dicta Natio* dudum per modum *Supplicationis* aperuit mentem ſuam in quadam *Schedula*, Dominis *Cardinalibus, per ſanctiſſimum Dominum ad reformationem deputatis*, exhibita: Sperans *dicta Natio*, quod dictus Dominus noſter *ſummus Pontifex* gratioſum ſuper hoc dabit reſponſum, aperiendo memtem ſuæ ſanctitatis.

Parata nihilominus *eadem Natio* rationabilem æquitatem juxta qualitatem locorum, temporum & perſonarum, in hujuſmodi tolerare, ſic, quod *viris literatis & ſtudioſis præ cæteris provideatur.*

Et *tenor Schedulæ* ſequitur, & eſt talis:

Reſervationes in jure canonico notatas Papa ſolum competere.

Supplicat humiliter Natio Germanica, quatenus ſedes Apoſtolica, deinceps reſervationibus beneficiorum Eccleſiaſticorum, clauſis in Corpore Juris, contenta, quæcunque ſeu qualiacunque aut quantumcunque Eccleſiaſtica beneficia generaliter aut ſpecialiter ulterius non reſervet.

Sed re.

(*a*) Definitum hoc erat in Concilio *in illuſtri Reformatorum Collegio.* Vid. ſupra *Part. X. Statuta Reformatorii, cap. V. f.* 594.

(*b*) *V. Statuta Reformatorii*, ſupr. *Parte X. l. c.*

(*c*) Vid. ſupra *Parte IIX.* Canones Reformationis Cardinalis Petri de Alliaco, cap. II. f. 414. & *Parte IX.* Franciſci Zabarellæ Capita Reformationis, Cap. VII. f. 515.

Ordinariorum Eccleſiæ Patronorum jura in vocandis ac cōſtituendis perſonis Eccleſiaſticis ſalva eſſe relinquēda.

Sed electiones, confirmationes, collationes, proviſiones, præſentationes, & quasvis alias diſpoſitiones Eccleſiaſticas, de Archi-Epiſcopalibus, Epiſcopalibus, & Abbatialibus, aliisq; dignitatibus, & prælaturis ac beneficiis Eccleſiaſticis quibuscunque, in Corpore Juris ſedi Apoſtolicæ non reſervatis expreſſe, nec ad eandem devolutis, per metropolitanos, Epiſcopos, Prælatos, capitula vel collegia, & alios Patronos ſeu collatores Eccleſiaſticos ordinario jure libere fieri permittat: Juxta diſpoſitionem nonnullorū generalium conciliorum antiquorum, atque mentem ſeu diſpoſitionem fundatorum & dotatorum Eccleſiarum ac monaſteriorum, aut beneficiorum Eccleſiaſticorum, vel conſvetudines ſeu inſtitutiones rationabiles eorundem.

Salvo jure ſedis Apoſtolicæ in Eccleſias & monaſteria, ſibi privilegio exemtionis, vel alias immediate ſubjectas ſeu ſubjecta.

Nec non, quod Papa quemlibet collatorem Eccleſiaſticum, ad cujus collationem ultra quinque beneficia Eccleſiaſtica ſpectant, per unam in ſpeciali, & aliam in forma pauperis duntaxat, gratias, cum clauſula, ſi pro alio in tali forma non ſcripſerit, poſſit onerare.

Reſervationes Papales, in Regulis Cancellariæ expreſſas, repudiandas eſſe.

Sublatis & annullatis & extravagantium Regularum Cancellariæ, & aliis factis & faciendis reſervationibus quibuscunque, in Juris Corpore non expreſſis. (d)

Sub prædictis autem gratiis in forma ſpeciali, beneficia Eccleſiaſtica, quinque marcarum argenti valorem annuum non excedentia, non cadunt, ſeu veniant quovismodo.

ARTIC. III. & XVI.

De Annatis & communibus ſervitiis & minutis. De Proviſione Papæ & Cardinalium.

SUper *tertio* & *antepenultimo* articulis, videlicet *de Annatis* &c. & *de Proviſionibus Domini noſtri Papæ & Cardinalium* &c. aviſavit *dicta natio*, quod de qualibet Eccleſia Cathedrali atque Abbatiali, cujus monaſterium fuerit *immediate ſedi Apoſtolicæ ſubjectum*, nec non de quolibet officio Eccleſiaſtico, *cujus confirmatio* ſeu proviſio, demtis gratiis Expectativis, *per ſedem Apoſtolicam* vel ejus autoritate *immediate fiet*: Et ſi quando *duntaxat infra quinquennium*, *à fine præſentis concilii* numerandum, vacaverit, & de eodem vel eadem fuerit diſpoſitum: Illa vice, niſi patrimonium Romanæ Eccleſiæ tunc fuerit recuperatum, *communia ſervitia* vel *annata*, juxta taxam Romanæ curiæ, debite, ubi exceſſiva fuerit, moderandam, *ſub honeſta & tolerabili cautione*, ſummo Pontifici & Cardinalibus Dominis: Nec non *minuta ſervitia*, prout ante ſchiſma, videlicet tempore quondam Gregorii XI. dictis Dominis Cardinalibus & Officialibus curiæ; *Medietas* ſcilicet *communium ſervitiorum* de prælaturis in fine primi, & alia medietas in fine ſecundi anni, poſt adeptam pacificam poſſeſſionem: De aliis vero beneficiis annatæ juxta taxam in fine primi annì *perſolvantur*.

Annata quomque indulgenda.

Minuta ſervitia quæ Curialibus Papa concedenda.

Communia ſervitia quando ſolvenda.

Nec poſſint, etiam à volente, dicti *ſolutionis termini* præveniri.

Si tamen *bis* aut *pluries in uno anno prælatura* vel beneficium *vacaverit*, *non niſi ſemel* communia ſervitia ac minuta vel *annata* hujuſmodi *perſolvantur* [e].

De abbatiis autem monialium quibuscunque, nec non de minutis beneficiis, quæ non excedunt XXX. florenos in taxa, annatæ hujuſmodi non ſolvantur.

Omnibus debitis annatarum, ſeu communium ſervitiorum præteritorum, totaliter relaxatis.

ARTIC.

(d) Vid. *Decretales Reformatorii Conſt.* ſupra *Parte XII. lib. 1. tit. 3. c. 1. & ſeqq. fol. 671. ſeqq.* Conſ. *Zabarellæ Cardinalis*, ſupra *Parte IX. Cap. IX. f. 521. ſeq.* Cardinalis *Piſanus*, Parte X. f. 557. Et *Reformator. f. 624. ſeq. conf. Petrus de Alliaco*, ſupra *Parte VII. cap. III. f. 280. 281. & Cap. VI. f. 282. Cap. VII. ibid. Cap. X. Cap. XI. f. 286. ſeqq. Cap. XIIX. f. 294.*

(e) Vid. *Reformatorium*, Parte X. f. 624. Conſ. *Zabarella* ſupra Parte *IX.* Cap. VII. fol. 516 & Cap. IX. f. 518. conſ. *Parte XIII.* Cap. I. f. 761. ſeq. Cap. II.

Digitized by Google

ARTIC. VI.

De cauſis in Ro. Curia tractandis, vel non.

SUper *ſexto articulo* videtur *dictæ Nationi*, primo, quod, ſine rationabili cauſa & expreſſa, à modo non committantur aliquæ *cauſæ in Romana curia pertractandæ* cum tali *clauſula: Non obſtante, quod cauſa de ſui natura in Romana curia non fuerit tractanda.*

Cauſas civiles ad Ro. curiã non eſſe trahendas.

Item videtur, quod non deceat, nec expediat, ſedem Apoſtolicam *de cauſa mere profana* inter laicos, Romanæ Eccleſiæ temporaliter non ſubjectos, etiam prætextu *cruce ſignationis*, ſe intromittere quovismodo: Niſi illo *tempore generalis paſſagii*, quo forte illos eundo, ſtando vel redeundo, in ſubſidium terræ ſanctæ morari contigerit: Niſi in caſu *perhorreſcentiæ*, duobus teſtibus ultra juramentum actoris probandæ, aut *negligentia* judicis ſecularis, legitime comprobatæ, vel niſi *de conſenſu partium* expreſſo.

Quæ cauſæ pecuniariæ ad Ro. curiã non ſpectent.

Item videtur, quod *cauſæ pecuniariæ*, etiam ad forum Eccleſiaſticum ſpectantes, & ſumam quingentorum aureorum non excedentes, nec non *beneficiales*, ſummam XV. marcarum argenti, ſecundum communem æſtimationem valoris antiqui non excedentes, *ad ſimplicem querelam* per ſedem Apoſtolicam non committantur in Romana curia, etiamſi beneficium autoritate Apoſtolica collatum fuerit vel prætendatur.

Cauſas matrimoniales, niſi raras, ad Ro. curiã non pertinere.

Item in *cauſis matrimonialibus*, quæ non fiunt inter perſonas ſublimes, vel præpotentes, exceptis caſibus perhorreſcentiæ, & negligentiæ judicis inferioris, aut de conſenſu partium, ut ſuperius continetur.

ARTIC. VII.

De Appellationibus ad Ro. Curiam.

Appellationes ad Ro. curiã eſſe reſtringendas.

SUper *ſeptimo articulo* videtur primo, quod cauſæ, quæ *per ſimplicem querelam*, juxta præmiſſa in Romana curia non ſunt tractandæ, *per appellationem extrajudicialem* ad ſedem Apoſtolicam vel Romanam curiam devolvi non debeant, nec in ea in vim hujusmodi appellationis quomodolibet tractari.

Item, quia *multi gravantur* ex eo, quod *appellatur judicialiter* ad ſedem Apoſtolicam *indifferenter*, omiſſo medio: Et quod appellatur à gravaminibus citra definitivam, quæ per appellationem poſſunt reparari: Dignetur Dominus noſter *ſummus Pontifex circa hujusmodi gravamina providere.*

Item, quod nulla *appellatio à gravamine citra definitivam*, niſi ex legitima vel rationabili cauſa, in eadem expreſſa, in Romana curia non admittatur; ſed fruſtratoria omnino repellatur: Ita, quod Romana curia de tali appellatione, per citationem, inhibitionem, vel aliàs, ſe nullatenus intromittat.

Item, quod *ſuper appellatione ante definitivam ſententiam* non fiat *inhibitio*, quousque conſtiterit, cauſam legitime devolutam. Et tunc de appellationis articulo ante omnia cognoſcatur. Et ſi appellans in aliquo prædictorum defecerit, cauſa ad priorem judicem remittatur, deficiens in expenſas litis & itineris condemnetur, & nihilominus, juxta perſonarum & cauſæ qualitatem, pro ſua temeritate arbitrarie puniatur: Niſi de conſenſu partium aliter procedatur.

Item *ad tollendas calumnias* videtur expediens, quod quidem *appellans juret*, quod non dilationis, vel ad compoſitionem aut renunciationem inducendi partem adverſam causâ, ſeu aliàs malitioſe, ſed, quia juſtam cauſam ſe fovere credit, appellet. Alioquin appellatio ſit irrita ipſo jure, & nullatenus admittatur.

ARTIC. VIII.

De officiis Cancellariæ & Pœnitentiariæ.

SUper *octavo articulo*, *de officiis Cancellariæ & Pœnitentiariæ*, videtur primo, quod *lites*, præſertim in cauſis beneficialibus, ſint omnino *abbreviandæ*. Ne perſonæ Eccleſiaſticæ, & patrimonium crucifixi, ad alios, quam pios uſus, & prout cautum eſt in juris divini & humani ſanctionibus, nec non in fundatorum & dotatorum diſpoſitionibus, diſtrahantur.

Lites in Ro. curia eſſe abbreviandas.

Item, quod lite pendente non fiant *ſpeciales commiſſiones*, alteri partium præjudiciales, niſi in conſiſtorio publico partibus auditis.

Item, quod *perſonæ Officialium & ſalaria eorum* reducantur ad debitum numerum, & taxatione examinentur, & qualificentur juxta conſvetudines & conſtitutiones antiquas: Prout etiam *in reformatoriis eſt aviſatum:* (*f*) Specialiter in utroque officiorum prædictorum, diſtributis officiis officiorum prædictorum inter *ſuppoſita ſingularum nationum*, prout ſecundum bonam æqvitatem Sanctitati ſuæ convenientius videbitur expedire.

Item, quod *confeſſionalia* non adeò multiplicentur indiſtincte. Et ubi conceſſa fuerint, exprimatur, ſeu declaretur, illum duntaxat fore *idoneum confeſſorem*, qui habet exercitium curæ animarum.

De Confeſſionariis.

Item, quod *ſuper peccatis penitus occultis*, quantumcunque gravibus ſedi Apoſtolicæ reſervatis, (*g*) detur poteſtas Archi-Epiſcopis, Epiſcopis locorum, ac Abbatibus, vel aliis Prælatis ſedi Apoſtolicæ immediate ſubjectis, quoad exemtos ſibi ſubditos duntaxat, in foro conſcientiæ tantummodo abſolvendis, & abſolutioni committendis: Ut ſcilicet delinquentes ad confeſſionem facilius invitentur, & ſecretum confeſſionis eo minus reveletur, ac ſigillum melius ſervetur.

De caſibus ſedi Apoſtolicæ reſervatis in Epiſcopos transferendis.

ARTIC. IX.

De Exemptionibus, Incorporationibus, tempore Schismatis factis.

SUper *nono articulo* videtur, primo de *exemtionibus*, quod *omnes exemtiones à tempore ſchiſmatis factæ* (*h*) ſine conſenſu Ordinariorum, ſeu parte non vocata, & cauſa non cognita, ſint totaliter *revocandæ:* Et ſpecialiter privilegia quorumcunque, derogantia conſtitutionibus: *Innocentii IV.* in Concilio generali, (*Sext. Decret. lib. 5. tit. 7. c. 1.*) & *Clementinæ.* (*Clementinarum lib. 3. tit. 7. De ſepulchris. c. 2. Dudum.*)

Exemtiones, tempore ſchiſmatis ante Conſt. Concilium factas, eſſe revocandas.

Et quod *de cætero exemtiones non fiant*, niſi ex rationabili, juſta, vera & expreſſa cauſa cognita. Et aliter factæ viribus non ſubſiſtant.

Novas nō facile admittēdas.

Item videtur, quod Dominus noſter ſanctiſſimus reddatur attentus de & ſuper *incorporationibus & unionibus* (*i*) Eccleſiarum cathedralium, collegiatarum, monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque, *à tempore ſchiſmatis* & citra factis, de cauſis commodis ac incommodis, utilitatibus, ſcandalis ac periculis eorundem.

Qvarum *aliqua* forſitan ex cauſis neceſſariis, juſtis ac rationabilibus, utputa in collegiatarum aut conventualium Eccleſiarum erectionem: *Alia* in univerſitatum generalium ſtudiorum dotationem ac fundationem proceſſerunt. *Aliqua* de Eccleſiis, quas laici in manibus ſuis diutius tenuerunt, ſed non

Uniones Eccleſiarum ante Conſt. concilium factas eſſe ex diverſis cauſis. Ad Academiarū uſum.

(*f*) Vid. ſupra *Statuta Reformatorii*, Parte X. *Cap. VII. f. 596. ſeqq.*
(*g*) Vid. *Reformatorium*, Parte X. *c. XXX. f. 632.*
(*h*) Vid. *Reformatorium* Parte X. Cap. XX. f. 621. conf. *Zabarella* Parte IX. cap. XVI. f. 528.
(*i*) Reform. Parte X. cap. XXIII. f. 626.

Digitized by Google

non niſi certis religioſis locis donare jus patronatus voluerunt, quibus poſtea incorporatæ ſunt, & nunc ſi revocarentur incorporationes, redirent ad laicos &c. *Nonnulla* verò, ut præſumitur, *ex ſimoniaca pravitate*: *Aliqua* ex levi aut parva cauſa: *Quadam* autem ex falſa imo nulla penitus rationabili ſubſiſtente cauſa aut neceſſitate, ſed ſolius *ambitionis ac avaritiæ intuitu*, obtentæ creduntur.

Ex Simoniæ ſtudio.

Ex Ambitione.

Ex quibus quidem *incorporationibus indiſcretis* plura *pericula ac incommoda* provenire noſcuntur.

Præſertim, quia ex reſidentia religioſorum, in Eccleſiis ſic incorporatis extra monaſteria ſua commorantium, ipſorum *tepeſcit devotio*, & regularum *obſervantia relaxatur*, *numerus* etiam *miniſtrorum* ab antiquo inſtitutus in ipſis monaſteriis, ac *cultus divinus diminuitur*.

Damna ex frequẽtibus Eccleſiarum incorporationibus orta.

Inſuper per eaſdem *Eccleſiarum reditus* adeo *diminuuntur*, ut non reperiantur *idonei*, qui ſe de cura earundem intromittere velint. Sed *idiotæ & ignari* ad regimen ipſarum plerumque aſſumuntur. Per quos animarum cura totaliter negligitur. Qvi etiam portionis exiguæ ipſis aſſignatæ *augmentum non petere*, juramentis aut aliis cautionibus compelluntur.

Dignetur igitur Sanctitas Sua circa *Unionis* præmiſſa *per revocationem* rationabilem *Eccleſiarũ* providere: Et *ne in futurum fiant*, niſi ex *eſſe revocanda* cauſa juſta, expreſſa atqve neceſſaria, *candus*, causâ cognitâ, vocatisqve quorum intereſt: Qvodqve, ſi aliàs obtentæ fuerint, ſint irritæ ipſo jure.

ARTIC. X.

De Commendis.

SUper *decimo articulo* videtur, quod nulla cathedralis, conventualis aut parochialis Eccleſia, nec aliquod beneficium, curam habens animarum, aut dignitas in cathedralibus major poſt Pontificales, aut in collegiatis principalis, aut etiam hoſpitale, vel Xenodochium, aut alius locus pro hoſpitalitate fundatus, debeat ſine manifeſta, & rationabili cauſa, & expreſſa ac cognita, *non niſi ad certum breve tempus in commendam* alicui *aſſignari.*

De commendis reſtringẽdis.

Si tamen Romanus Pontifex de plenitudine poteſtatis vel aliàs ſecus duxerit faciendum, aut aliquid præmiſſorum commendandum, tunc ſaltem *provideatur non ſolum verbo, vel literis, ſed etiam realiter in effectu, ne animarum cura negligatur*, (*k*) divinus cultus diminuatur, vel ruant ædificia, ſeu alia Eccleſiaſtica bona vel jura pereant, vel ſupprimantur, aut infirmi vel egentes ſuſtentatione congrua defraudentur.

Et Ordinarii locorum autoritate Apoſtolica ſuper præmiſſis providere habeant, etiam contra qvoscunque: Qvocunqve exemtionis aut majoritatis privilegio non obſtante.

ARTIC. XI.

De fructibus medii temporis.

SUper *undecimo articulo* videtur *dictæ Nationi*, quod *fructus* beneficiorum Eccleſiaſticorum, majorum & minorum, *vacationis tempore obvenientes*, omninò debeant *Eccleſiis & futuris ſucceſſoribus* in hujusmodi beneficiis, *pro ipſarum Eccleſiarum oportunitatibus, & incumbentibus oneribus ſublevandis reſervari* (*l*): Nec deceat Romanum Pontificem aut alium quemcunque Apoſtolica aut alia autoritate tales fructus ſibi uſurpare vel attribuere quovismodo, niſi ſpecialis aliqua, rationabilis cauſa contrarium induxerit, aut ſuaſerit particulariter faciendum.

Medios fructus ex vacante officio ſacro pro uſu Eccleſiæ eſſe reſervandos.

(*k*) Conf. Petrus de Alliaco ſupra Parte VII. cap. XXI. f. 296.
(*l*) V. ſupra Parte X. *Reformatorium*, cap. VIII. f. 612.

ARTIC. XII.

De non alienandis bonis Ro. Eccleſiæ.

Bona Eccleſia non eſſe diſſipanda.

SUper *XIImo articulo* videtur expedire, quod quilibet Rom. Pontifex de non alienandis bonis & juribus Romanæ & aliarum Eccleſiarum promiſſionem faciat: Prout *in ultimo* fuit *reformatorio aviſatum, ante electionem Romani Pontificis celebrato* (*m*).

Et ArchiEpiſcopus, Epiſcopus, ac Abbates, ſedi Apoſtolicæ immediate ſubjecti, ſine licentia & autoritate Romani Pontificis alienantes deponant, ac capitula, & ſingulares perſonas eorum, quæ ad præmiſſa aſſenſum præbuerunt, ſic puniant, quod cæteris tranſeat in exemplum.

ARTIC. XIII.

Propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi.

Ob Hæreſin: Simoniam: Et Quodlibet notorium crimen grave.

SUper *decimo tertio articulo* videtur, quod ſummus Pontifex non ſolum *de hæreſi*, ſed etiam *de ſimonia notoria* tam circa ſacramenta, quam circa beneficia Eccleſiaſtica, & *quolibet alio notorio crimine gravi*, Eccleſiam univerſalem notorie ſcandalizante, de quo canonice monitus incorrigibilis extiterit, *per generale concilium* puniri valeat, ac *deponi etiam de papatu* (*n*).

Item videtur, quod ſanctiſſimus Dominus noſter, *ſacro approbante concilio*, ſpecialem *conſtitutionem* ſuper hoc, quod præmittitur, *declaratoriam* debeat promulgare, & inſuper declarare, (quod) nedum circa ſacramenta, ſed etiam circa beneficia Eccleſiaſtica *conventionem ſeu pactionem pecuniariam* per ſe vel alium faciendo *crimen pravitatis Simoniacæ* non evadat &c.

ARTIC. XIV.

De extirpatione Simoniæ.

Simonia eſſe medendum.

SUper *decimo quarto articulo* omnino videtur, *quoad futuram Simoniam vitandam* pœnis graviſſimis providendum, ſive in Romana curia, ſive extra illam contingat perpetrari, juxta *aviſata in reformatoriis hujus concilii generalis.* (*o*)

De Simonia autem præteritis temporibus ſive in ordinibus, ſive in beneficiis, aut aliis ſacramentis Eccleſiaſticis, vel circa quæcunque ſpiritualia, ſeu ſpiritualibus annexa, quocunque modo jam contracta, propter multitudinem delinquentium & ſuperiorum negligentiam, *mitius, ſaltem in foro conſcientiæ, eſt agendum*, abolendo ſcilicet maculas præteritas, & de beneficiis & ordinibus viros Eccleſiaſticos in ſuis titulis juſtificando, & male percepta penitus remittendo &c.

ARTIC.

(*m*) Vide ſupra Parte XI. in *Reformatorii Decretis* Cap. V. f. 656. Conf. Parte VII. cap. xx. f. 296.

(*n*) Supra Parte XI. in *Reformatorii Decretis* Cap. VI. f. 657.
V. Parte X. in *Reformatorii Statutis* Cap. VI. f. 594. conf. ſupra Parte V. Gerſon. cap. x. f. 89. 90.

(*o*) Supra Parte X. in *Reformatorii Protocollis*, cap. IV. f. 593. & cap. xxvi. f. 628. Et Parte XI. in *Decretis Reformatorii*, cap. x. f. 661. Et Pate XII. in *Decretalibus Reformatorii*, lib. 5. tit. 2. cap. 1. ſeqq. f. 739.

Digitized by Google

ARTIC. XV.
De Diſpenſationibus.

Improbatæ diſpenſationes Super incompatibilibus, Super defectu ætatis, Super defectu natalium.

SUper *quinto decimo articulo* videtur, quod *diſpenſationes ſuper incompatibilibus*, de non promovendo ad ordines, *ſuper defectum ætatis*, ſuper *defectum natalium*, de non referendo, ſuper *contrahendo matrimonium in gradibus prohibitis*, & nón ſuſcipiendo munus conſecrationis aut benedictionis, aut non obſtantibus aliis, *non* ſint *deinceps* niſi ex evidenti, ſeu notoria, rationabili & expreſſa cauſa, conſideratis differentiis & ſtatibus locorum, temporum, & perſonarum, cum magna gravitate & matura deliberatione per ſedem Apoſtolicam *facienda*, juxta ea, *quæ de his ſunt in reformatoriis aviſata.* (*p*)

Et *de obtentis* provideatur, easdem moderando ſecundum bonam æquitatem, prædictis circumſtantiis ponderatis.

ARTIC. XVII.
De Indulgentiis.

Indulgentia exorbitanter conceſſa.

SUper *decimo ſeptimo articulo* videtur, quod *indulgentiæ exorbitanter conceſſæ* tempore ſchiſmatis, *continentes remiſſionem omnium peccatorum*, vel factæ *ad inſtar* &c. ſint penitus revocandæ, juxta *aviſata in reformatorio primo hujus concilii generalis* (*q*): Quodque deinceps tales non niſi ex maxima cauſa concedantur, cum expreſſione qualitatum & circumſtantiarum opportunarum.

ARTIC. XVIII.
De Decimis.

Decimæ non imponendæ.

SUper *ultimo articulo* videtur, quod tales *decimæ* non ſint niſi *ex conſenſu generalis Concilii* ex cauſa maxima imponendæ &c. (*r*)

Prædicta etenim *Natio Germanica* proteſtatur, quod per dictas petitiones non intendit, nec vult recedere à *Decretis Concilii*, atque *Capitulis Narbonæ concordatis*. Super quibus &c.

GUMPERTUS FABRI
Notarius Nationis Germanicæ
ſcripſit
de mandato
PRÆSIDENTIS
& Nationis antedictæ.

(*p*) Sup. Parte X. in *Reformatorii Protocollis*, cap. x. xi. xiii. xv. xvi. f. 614. ſeqq.
(*q*) Vid. ſupr. Part. XII. in *Reformatorii Decretalibus*, lib. 4. tit. X. fol. 751.
(*r*) Sup. Parte X. in *Reformatorii Protocollis* cap. xviii. f. 620.

Hi
Articuli
De Reformatione
ſupremi Regiminis Eccleſiaſtici
à
NATIONE GERMANICA,
ſuperiori Concilii decreto
d. 30. Octob. A. 1417. edito
ſatisfacturâ,
brevi poſt electionem novi Pontificis
in principio Anni 1418.
annuente
IMPERATORE SIGISMUNDO
MARTINO V.
in Conſtantienſi Concilio
oblati,
Ex antiquiſſimo Codice MSCto
BIBLIOTHECÆ DUCALIS GOTHANÆ
inter Germanos
in Academia JULIA
A. MDCXCVII.
d. 29. Martii
eruti
Auſpiciis
SERENISSIMI BRUNSVICENSIUM
DUCIS
RUDOLPHI AUGUSTI
ſub Auguſtiſſimo Imperio
CÆSARIS
LEOPOLDI.

Digitized by Google

Digitized by Google

TOMI I. PARS XXIII.

MARTINI V. PAPÆ

In Conſtantienſi Concilio recens electi

REFORMATIO IN CAPITE ET CURIA ROMANA,

A Nationibus ante ejus electionem diu multumqve in Concilio deſiderata,

A. 1417. d. 30. Octobr. publico decreto futuro Pontifici commiſſa,

Poſt longas tandem deliberationes à novo hoc Papa in eodem Concilio delineata,

Et A. 1418. labente menſe Januario Nationibus oblata.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG. DUCIS &c.

Ex antiquiſſimis Codicibus MSCtis, CÆSAREO VINDOBONENSI & DUCALI GOTHANO

eruta ab

HERMANNO von der Hardt.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

MSCt. ANGLICANUM
CANTABRIGIENSE
Actorum Concilii Conſtant.

* *
*

RESPONSIO
DOMINI PAPÆ MARTINI
in Generali Concilio
Conſtantienſi
ſuper
REFORMATIONE
CAPITULORUM
in eodem Concilio
per Decretum ſtatutorum.

Digitized by Google



HERMANNUS von der Hardt
Lectori S. D.

SIc *Natio Germanica*, ex Imperatoris SIGISMUNDI voto nutuqve, MARTINO V. Pontifici, recens *Conſtantiæ* creato, celebres *Articulos reformationis* exhibuerat. Reliquas Nationes, vel aliquas, Nationali deliberatione rem eandem in Concilio expendiſſe, ac ſimilia quædam vota pro ſuæ gentis indole ac commodo concepiſſe, extra dubium, *Concordatis*, cum illis à Martino poſtea initis, teſtibus. Solius interim *Germanicæ Nationis Aviſamenta* aut Monita, Martino V. exhibita, memoriam & gloriam meruerunt.

Qvandoquidem igitur omnium Nationum deſideria Martinum non latebant, ex earum deliberationibus abunde huic in Concilio relata: Probitas animi, affectionumqve moderatio, antea in Concilio in hoc Pontifice probata, non admiſit, ut Nationum repetitas reſpueret preces.

Memor adeo publici *Conciliaris Decreti*, proxime ante electionem ſuam d. 30. *Octobr.* ſuo quoque, Cardinalis, calculo facti, ***Novum Pontificem cum Concilio vel Nationum Deputatis ante Concilii finem reformare debere Statum Curiæ Romanæ:*** **Hoc jam ſedulo agere cœpit.**

Ne verò ex ſua duntaxat ſententia rem definire velle putaretur, nihil quicquam publice ac conciliariter de hac materia ſtatuendum judicavit ante, qvàm Nationibus ſuam mentem privatim expoſuiſſet. Hi enim prius audiendi, ſine quorum conſenſu publice in Concilio nihil decerni ac definiri poterat.

Qvamobrem cum Cardinalium ſuorum Collegio re omni ultro citroq; expenſa, *Reformationem regiminis Eccleſiaſtici ſupremi curiæque*

rat *Schelſtratenus, in Diſſert. Antverp. p.* 16. & in *Tractatu de Actis Concilii p.* 272. *&* 176. Ex quibus ipſos Papæ articulos videtur recenſere, tum in *Diſſert. Antv.* tum in *Tractatu*, ll. cc.

Verum quid obſtat, quo minus placide ac candide moneamus, veroſimile eſſe, multis laboribus occupatum inclytum Schelſtratenum, *præter ea, quæ ad articulum XIII. ſpectant*, cetera ex laudatis MSCtis non depromſiſſe, verum fidei alicujus amanuenſis hoc deſcribendi negotium quoad totum hoc Martini opuſculum commiſiſſe. Qvi verò, vel tempori parſurus, vel Labbeum jam integre hæc exhibuiſſe perſvaſus, ex Labbeana Appendice de verbo ad verbum depromſerit. Nec enim fieri unquam potuit, ut in utroque illo præclaro & antiquo *MSCto, Vaticano & Palatino*, eadem ubique, ſenſum quoq; obſcurantia ac detorquentia errata, eaq; admodum frequentia, prorſus ſimili modo numero ac ordine, inciderent, quæ in relatione Labbeana notantur.

Qvapropter ut *emendatior forma novæ hujus noſtræ* ex alio antiquiſſimo MSCto adornatæ *editionis* conſtaret, adjecimus Labbeanam ac Schelſtratianam, ſicubi à noſtro MSCto utraq; abiret, recenſionem.

Uſi autem ſumus præclariſſimo CODICE MSCto DUCALI GOTHANO. Qvi non ſolum ætatem Concilii attingit, ſed & *in ipſo Concilio* Notariorum Germanicæ Nationis manu videtur *exaratus*, in quibus *Gumpertus Fabri* famam præter cæteris obtinuit. Una eademqve certe in MSCto manus, eaq; pro illo ſeculo pura ac nitida, utriusque libelli, ſuperiori parte editi & hujus præſentis.

Eſtqve *hic codex* multo profecto correctior atque integrior, quam fuerit *Capranicenſis*, ex quo Labbeus recenſuit. Nam in noſtro hoc Codice non ſolùm *Articulus* XIII. quem in Labbeo meritò deſideravit Schelſtratenus, ſuo loco comparet, ſed & magnus macularum numerus, ſenſui ſæpe prorſus inimicus, veteris Secretarii Germani, *Gumperti Fabri*, calamo erudito curate expunctus. Etſi alicubi & hujus Notarii calamus leviter tamen ceſpitarit, uti nullus ſcriptor ab omni calami lapſu prorſus immunis. Ut pergrata nobis fuerit anſa recenſionem Labbeanam cum noſtro antiquiſſimo MSCto componendi, ſicqve formam genuinam antiquam opuſculo reddendi.

In noſtro MSCto Codice nulla quidem fronti hujus libelli data inſcriptio, quod fatum pretioſisſima MSCta antiqua frequenter premit: Hanc tamen non ſolum ſubindicavit Schelſtratenus, *Reſponſum Martini* appellans *ad Articulos Reformationis*, ſed & clarius ſuggeſsit *antiquiſſimus* alius *Codex* MSctus ANGLICUS ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS. In quo hæc Martiniani hujus opuſculi frons eſt:

Reſponſio Domini PAPAE MARTINI, in Generali Concilio Conſtantienſi ſuper Reformatione Capitulorum, in eodem Concilio per Decretum ſtatutorum, per modum Aviſamenti data Nationibus. Clauditurq; hoc monumentum in laudatisſimo Codice Cantabrigienſi hac veteri formula:

Explicit Reformatio Eccleſiæ, data per Papam in Generali Concilio Conſtantienſi.

Qvam notitiam debemus Clariſſimis Academiæ Cantabrigienſis luminibus, Domino *RODERICO*, *Regii Collegii Præpoſito*, *& Dn. LAUGTHONI*, laudatiſſimæ *Academiæ Proto-Bibliothecario*, viris omnigena eruditione illuſtribus. Qvorum inexplicabile in ornandam rempublicam literariam ſtudium, ſera prædicabit poſteritas, nos qvoqve non ſine ſingulari obſervantiæ teſtimonio freqventer commemorabimus.

Ex qvo enim *Sereniſſimi Brunſvicenſium* DUCIS, *RUDOLPHI AUGUSTI* auguſto Principe digna cura, antiqua hujus Concilii Conſtantienſis fata ex MSCtorum latebris eruendi, orbi innotuit, indeq; *literarii Germaniæ theſauri* ab Auguſtiſſimo *IMPERATORE*, aliisqve *IMPERII PRINCIPIBUS*, *Celſisſimo* DUCI Noſtro benigniſſime ſunt aperti: Fama quoque ad *Invictiſſimum ANGLIÆ Regnum* penetravit, calamo *Perilluſtris atque Excellentiſſimi Domini LEIBNITII.* Hic etenim, quem univerſus orbis literatus, ex quotidiano cum eruditiſſimis quibuscunque collegiis commercio literario, omnis doctrinæ columen veneratur, *Illuſtrisſimo SARISBERIENSIUM EPISCOPO*, GILBERTO BURNETTO, Angliæ Prælato, Orbis eruditi capiti præfulgido, ſumme laudati Ducis negotium literarium decentiſſime expoſuit. Cui *magno Epiſcopo* tantopere placuit auguſtum hoc Ducis opus, ut apud *REVERENDISSIMUM ARCHI-EPISCOPUM CANTUARIENSEM*, Angliæ Primatem eminentiſſimum, de hoc hiſtorico Ducis opere, *MSctorum in Academia Cantabrigienſi* reconditorum ope ornando augendoqve, ſollicite ageret. Cujus gratiâ factum, ut per celeberrimos Viros Dn. RODERICUM ac Dn. LAUGTHONUM, debito cum honore, ſemper commemorandos, pretioſiſſima quædam monumenta, ad Conſtantienſis Concilii res ſpectantia, ad Sereniſſimum Ducem Noſtrum, promtiſſime ac quantocius ablegarentur.

Sic incomparabili MAGNÆ BRITANNIÆ beneficio nacti ex voto ſumus deſideratiſſimum Opus, aliquoties hactenus à nobis laudatum: RICHARDI ULLERSTONI, Theologi Angli, circa tempora Concilii Piſani & Conſtantienſis olim florentis, *Petitiones quoad Reformationem Eccleſiæ militantis.* Opus inqvam vere aureum, hoc *Tomo I.* ſub *magnæ Britanniæ* charactere à nobis exhibendum.

Acceſſit eorundem *Clariſſimorum virorum* operâ conſignata delineatio alterius antiquiſſimi *Codicis MSCti Actorum Concilii Conſt. in Bibliotheca Collegii D. Johannis Evangeliſtæ Cantabrigiæ* itidem aſſervati.

Ex quibus *Excerptis* nobis benigne communicatis conſtat, hanc etiam quam hac Parte ſiſtimus, *Martini V. Reformationem*, Nationibus in Concilio oblatam, in iſthoc *Codice MSCto Cantabrigienſi* integriorem quam apud Labbeum vel Schelſtratenum exhiberi. Neque dici poteſt, quam gratam nobis Viri celeberrimi præſtiterint operam, quando integram, quam ſupra recenſuimus, hujus Martiniani opuſculi delinearunt inſcriptionem atque clauſulam. Plura ac pleniora ex præclaris illis Excerptis in aliis hujus etiam Tomi Partibus

bus dabimus rerum ad Concilium hoc ſpectantia momenta Ut amplius habeat orbis eruditus, quod in his etiam antiquis monumentis Magnæ debeat Britanniæ.

De cetero in Codicibus, hactenus nobis obviis, curata temporis circumſtantia, quando hoc Martini opus in Concilio ſcriptum ac inter Nationes publicatum ſit, non potuit deprehendi.

Neque Schelſtratenus in Romanis MSctis expreſſum menſem atque diem invenire ſuſtinuit, ut circumſcriberet tempus, ſive MScti ope, ſive ſua conjectura, in *Actis p.*272, inquiens, *A.*1417. *circa menſem Februarii hoc à Martino datum reſponſum.* Sane meminimus, poſtquam Martinus electus Papa, menſe Novembri & Decembri Anni 1417. aliis ad Curiam ſpectantibus & Conſiſtorium concernentibus eum præcipue occupatum, deque Reformatorum Collegio novo inſtituendo ſollicitum fuiſſe. Qvare in principio demum Anni 1418. majori cum cura, urgentibus præſertim Germanis, de Reformatione agi à Martino cœptum. Donec paucis hebdomadibus aut diebus labentibus, Martinus hanc memorabilem Reſponſionem, à qua multum pendere certum erat, delineari à Cardinalium Collegio ac Nationibus offerri curaret. Qvod ante finem menſis Januarii vix ac ne vix quidem fieri ob frequentes Conſultationes potuiſſe apparet.

Quare labente Januario hoc utique opus in Nationum manus venit. Quod vel ex eo confirmatur, quod *VII. Calendarum Febr.* Martinus V. Imperatori Sigismundo *diploma* conceſſerit, *quo poteſtatem Cæſari dedit decimas integras redituum unius anni omnium beneficiorum Eccleſiaſticorum in tota Germania ſub Imperio Romano conſiſtentium percipiendi.* Qvod Martini Diploma ex præclariſſimo *Codice MScto Bibliothecæ Electoralis Berolinenſis* proxime exhibere animus eſt.

Atqui hoc diploma ante à Martino Cæſari vix ac ne vix quidem dari potuit, quam Papa ſuam hac edidit Reſponſionem, à Concilio pro Reformatione deſideratam, & Martinus cum Nationibus ſingulis ſeorſim jam agere ac peculiarem cum qualibet transactionem inſtituere cœpit, ut infra videbimus. Ad quæ *cum Germanica Natione concordata à Martino inita,* ſeorſim pertinebit illa Imperatori data indulgentia.

Poſtremo, hæc Martini Reformatio, Nationibus oblata atque privatim à ſingulis ponderata, communem limam Nationum ſubiit. Qvalis in *Codice MScto Gothano* ad marginem appoſita conſpicitur: Bibliopegi tamen, qui Acta Concilii variaque opuſcula huc ſpectantia compingere olim ruditer licet more antiquo debuit, partem reſecuit, ut legi in exteriori ora non poſſit. Qvod vehementer dolendum. In interiori margine veſtigia comparent. E. g. quando ad articulum II. *de Reſervationibus ſedis Apoſtolicæ*, Martinus reſponderat, ut infra conſtabit, *duas partes in diſpoſitione Papæ, & tertiam partem remanere debere in diſpoſitione Ordinariorum*, cenſura marginalis hæc eſt: *Maneant in diſpoſitione Ordinariorum juxta antiqua jura.* Similiter in reſponſione Martini immediate ſequenti *de gratiis expectativis non dandis niſi ad annum beneficium*, additur cenſura in margine: *Tollatur iſta clauſula, & maneat diſpoſitio apud Ordinarios, ut ſupra.* Deinde

de, in ſequenti ſtatim periodo, quando Martinus ſcripſerat: *Ceteris autem literatis in prærogativis datarum providebitur*: Additur in margine cenſura: *per quem, aut quando?* In exteriori ora, uti dictum, ob voces integras reſectas plane nihil dignoſci in monitis potuit. Sic e. g. ad *artic. II. de reſervationibus*, ubi Martinus dixerat de *Capellanis honoris*, additur: *Non placet*, cetera diſſecta.

Poſtquam autem hæc Martini Reformatio vota ac judicia Nationum ſuſtinuit: Reſtricta, diminuta, limitata, vel & alicubi ex nationum votis aucta atque illuſtrata, *horum Statutorum Martinianorum* de Reformatione *aliqua*, conſenſu utriusque, Papæ & Concilii, in publico Concilii conſeſſu *d.* 21. *Martii* ſunt publicata. Qvæ ſuo tempore & loco in recenſione publicarum Concilii ſeſſionum ac Conciliarium decretorum *alio Tomo* ex MSCtis variis fideliter exponemus.

Qvod igitur *Labbeus* conjicit, *ad ſeſſionem XL. hæc referri poſſe*, ſi commode intelligatur, ferri poterit. Scil. non quod in illa ſeſſione hæc edita fuerint, ac illo tempore conſcripta, cum Martinus nondum eſſet electus: Sed quod ex illa ſeſſione originem traxerint, dum Martinus poſtea illis in iſta ſeſſione propoſitis Articulis hoc libello reſponderit.

Pari ratione *Schelſtrateni* in Labbæum ſtrictura, *Diſſ. Antv. p.* 16. *non ad ſeſſionem* 40, *ſed* 43. *potius hæc reducenda eſſe*, molliter explicanda, ut admitti queat. Nimirum, quod ex hoc Martini reſponſo Nationibus dato deprompta ſint illa paucula ſtatuta, quæ poſt variam limitationem ſeſſione 43. tandem publicata. Uti ergo ex Decreto ſeſſionis illius 40. nata hæc Martini Reſponſio: Ita ex hac Reſponſione Martini natum tandem decretum ſeſſionis 43. Alias per ſe ad neutram ſeſſionem pertinet hoc monumentum, Nationibus oblatum, nec in Conciliari conſeſſu recenſitum.

Denique, quoniam in *Codice MSCto Gothano* nulla capitum ſigna vel argumenta Reſponſionibus Martini juncta: Par & æqvum fuit, pro operis luce, præmittere ſingulis reſponſionibus *articulos*, tum ante Papæ electionem d. 30. Octob. A. 1417. definitos, tum *à Natione Germanica in ſuis noviſſimis Aviſamentis* ſuperiori Parte XXII. repetitos.

Ne verò inſcriptiones à Labbeo expreſſas, ſive ex Codice Capranicenſi hauſtas, ſive aliunde additas, & à Schelſtrateno ſervatas, omiſiſſe videremur, ſub finem paginæ ubique adjecimus.

Qvin etiam ſingulis Reſponſionibus Martini præmiſimus *perbreve argumentum*, quod eo tenore in *Codice MSCto Cæſareo Vindobonenſi*, *Tomo IV. Actorum Concilii f.* 121. *b.* à ſolertisſimo Viro *Johanne Dorre* in Concilio conſignatum.

Ne quid etiam, quod ullo modo faceret ad operis perfectionem, intermitteremus, aut in MSCtis repertum temere neglexiſſe videremur: Obviam in Codice Gothano *Conſtitutionem Gregorii XI. de Reſervationibus Papalibus*, Martiniano Reſponſo attextam, aliàs licet abunde notam, reſecare ſumus veriti. Damus igitur & illam cum Appendicibus ex eodem antiquiſſimo *Codice MSCto Ducali GOTHANO.*

MARTI-

MARTINI V. PAPÆ
REFORMATIO
IN CAPITE ET CURIA ROMANA,
A. 1418. circa finem menſis Januarii
IN CONCILIO CONSTANTIENSI
Nationibus oblata.

Ex antiquiſſimis Codicibus MSCtis
CÆSAREO VINDOBONENSI & DUCALI GOTHANO.

ARTIC. I.
De Numero, qualitate & Natione Dominorum Cardinalium. (a)

MSCt. Vind. *Papa decrevit, non fore ultra XXIV. niſi ex cauſa & propter honorem Nationis, qua Cardinalem non haberet.*

Cardinalium numerus erit moderatus.

STatuimus, ut deinceps *numerus Cardinalium* ſanctæ Romanæ Eccleſiæ adeo ſit *moderatus*, quod nec ſit gravis Eccleſiæ, nec ſuperflua numeroſitate vileſcat.

Cardinales ex omnibus nationibus eligendi. Æqualitas regionum in Cardinalium electione ſpectanda.

Qvi *de omnibus partibus Chriſtianitatis* proportionabiliter, quantum fieri poterit, aſſumantur. Ut notitia cauſarum & negotiorum in Eccleſia emergentium facilius haberi poſſit, & *æqualitas regionum* in honoribus Eccleſiaſticis obſervetur,

Cardinales ſint XXIV.

Sic tamen, quod *numerum viginti* (b) *quatuor non excedant.* Niſi *pro honore nationum, quæ Cardinales non habent*, unus vel duo pro ſemel de conſilio & conſenſu Cardinalium aſſumendi viderentur (c)

Sint viri docti & prudentes. Doctores. Aliqui ex illuſtribus familiis.

Sint autem *viri, in ſcientia, moribus & rerum experientia* (d) *excellentes, Doctores in Theologia, aut in jure canonico vel civili.* Præter admodum paucos, qui *de ſtirpe regia vel ducali*, vel *magni* (e) *Principis*, oriundi exiſtant, in quibus competens literatura ſufficiat.

Non fratres, aut nepotes ex fratre vel ſorore, alicujus Cardinalis viventis.

Nec de uno ordine mendicantium, *ultra unum.*

Non corpore vitiati, aut alicujus criminis vel infamiæ nota reſperſi.

Electionis Cardinalium modus.

Nec fiat eorum electio *per auricularia vota* ſolummodo, ſed etiam *cum conſilio Cardinalium*, collegialiter, ſicut in (f) promotione Epiſcoporum fieri conſvevit.

Qvi modus etiam obſervetur, quando aliquis ex Cardinalibus in Epiſcopum aſſumetur.

(a) *Labbeus in Append. Tomi XII. Conciliorum*, f. 1450. & *Schelſtrate in Diſſert. Antv.* p. 16. & *Actis p.* 272. *De numero & qualitate Dominorum Cardinalium, & modo promotionis eorum.*
(b) Labbeus & Schelſtrat. XXIII.
(c) Labb. & Schelſtr. *Viderint.*
(d) Labbeus & Schelſtr. inſerunt &
(e) Labbeus & Schelſtr. *Principes.*
(f) Labbeus & Schelſtr. *Pronunciatione.*

Digitized by Google

ARTIC. II. IV. V.

De Reſervationibus Sedis Apoſtolicæ. (*g*)

MSCt. Vindob. *Ultra Reſervationes juris duæ partes ſint in diſpoſitione Papæ, tertia verò Ordinariorum.*

De Collatione beneficiorum & gratiis Expectativis.

MSC. Vindob. *Papa non intendit dare, niſi ad unum beneficium.*

De Confirmatione Electionum.

MSC. Vind. *Si canonice facta fuerint, Papa confirmet. Si non, Papa provideat.*

SAnctiſſimus noſter Dominus Papa Martinus V. ſuper *proviſionibus* Eccleſiarum, monaſteriorum, & beneficiorum quorumcunque, vult, intendit & mandat obſervare, quod, exceptis Eccleſiis, monaſteriis, (*h*) dignitatibus, & cæteris beneficiis *reſervatis in jure*, & deſignatis, & in Extravaganti, *Ad regimen*, modificata (*i*) quantum ad numerum officialium, (*k*) reducendem ad numerum conſvetum, item quoad *Capellanos* (*l*) *honoris*: Qvod *beneficia eorum non ſint reſervata.* Niſi ſint Magiſtri, Doctores vel Licentiati in Theologia, Jure Canonico, vel civili. *Qvorum diſpoſitio ad Papam ſpecialiter pertineat.*

Reſervationes Papæ ordinariæ.

Capellani honoris.

In Eccleſiis & monaſteriis fiant *electiones canonicæ.*

De *monaſteriis* autem *non exemtis*, quorum [*m*] fructus ſecundum taxam communem decimæ extra Italiam & Hiſpaniam centum quinquaginta; In Italia vero & Hiſpania ſexaginta librarum Turonenſium (*n*) parvorum valorem annuum non excedant, fiant *confirmationes* &c. aut *proviſiones per Ordinarios*, ſecundum canonicas ſanctiones.

De monaſteriis non exemtis.

De *monaſteriis* vero (*o*) *excedentibus ſummas prædictas*, nec non Cathedralibus Eccleſiis, *electiones ad ſedem Apoſtolicam deferantur*: Qvatenus ad tempus, conſtitutum *in Conſtitutione Nicolai III.* (*Sext. Decret. lib. I. tit. 6. c. 16.*) quæ incipit: *Cupientes*, [*p*] Papa expectet. Qvo transacto, ſi non fuerint præſentatæ, vel ſi præſentatæ minus (*q*) canonicæ fuerint, *Papa provideat*: Si vero (*r*) canonicæ fuerint, *Papa* eas *confirmet*. Niſi ex cauſa rationabili & evidenti, & de fratrum conſilio, *de digniori & utiliori perſona* duxerit providendum.

Quomodo electiones poſſint ad Papam devolvi.

(*s*) Proviſo, quod confirmati & proviſi per Papam nihilominus *metropolitanis* & aliis *præſtent* debita *juramenta* & alia conſveta.

De *monaſteriis monialium* Papa non diſponet, niſi ſint exemta.

De monaſteriis monialium.

Ad *Epiſcopales* autem *dignitates* (*t*) & ſupra, *nullus eligatur, niſi Doctor aut Licentiatus cum rigore examinis in Theologia, aut Jure Canonico vel civili.*

Ad Epiſcopatus eſſe eruditos promovendos.

De cæteris vero dignitatibus, officiis & beneficiis, ſecularibus & regularibus, ultra reſervationes prædictas, *duæ partes ſint in diſpoſitione Papæ, & tertia pars remaneat in diſpoſitione Ordinariorum.*

Ita

(*g*) Labbeus & Schelſtrate: *De Proviſionibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Dignitatum, & aliorum beneficiorum.*

(*h*) L. & S. omiſerunt hic vocem *dignitatibus.*

(*i*) L. & S. *modificatum.*

(*k*) L. & S. *officiorum.*

(*l*) L. & S. hanc vocem *honoris* plane omiſerunt.

(*m*) L. & S. *ſervitus ſuam taxationem decimæ vigeſimæ Italiam & Hiſpanos CL.*

(*n*) L. & S. *per va.*

(*o*) L. & S. *non.*

(*p*) L. & S. *cupientes præterea expectat.*

(*q*) L. & S. *canonicè*

(*r*) L. & S. *Canonicè.*

(*s*) L. & S. *proviſi & confirmati per Papam nihilominus Metropolitanum.* Schelſtrat tamen in margine habet additum *Metropolitane.*

(*t*) L. & S. *ut ſupra.*

Ita, quod duo prima cedant *Papæ*, & tertium *Ordinario*, ita, quod per quamcunque aliam reſervationem aut prærogativas non minuatur.

Item beneficia vacantia per reſignationem ſimplicem, vel ex cauſa permutationis, neutra (*u*) Papæ competát. (*x*) Videatur in margine in Cancellaria.

De gratiis expectativis. Item, non vult, nec intendit *gratias expectativas* dare niſi ad unicum beneficium: Niſi in *Italia* & in *Hiſpania*, & in aliis partibus, ubi beneficia ſunt exilia: Neque ad dignitates majores poſt Pontificales in cathedralibus, neque ad principales in collegiatis, neque ad prioratus conventuales.

Eruditorum prærogativa. *Dignitates* vero *majores poſt Pontificales* in cathedralibus, & principales in collegiatis, *nullis, niſi Doctoribus aut baccalaureis formatis in Theologia, vel Doctoribus aut Licentiatis in jure canonico vel civili*, conferri valeant.

Nec ad illas alius aſſumatur, niſi forte propter ipſorum tenuitatem infra menſem à die vacationis nullus inveniatur talis, qui (*y*) illa voluerit acceptare.

Cæteris autem *literatis* in prærogativis (*z*) datarum providebitur.

Item, quod *in pari data gratiarum expectativarum* ad [*] eandem collationẽ, *graduatus non graduato præferatur*, & in gradibus (*aa*) paribus *diœceſanus præferatur non diœceſano*.

De dilata electione. (*bb*) Multorum temporum experientia docuit, quod *dilationes eligendi*, aut aliàs providendi Eccleſiis, monaſteriis vel aliis dignitatibus, quibus de jure vel conſvetudine per electionem eſt providendum, quæ à noſtris prædeceſſoribus etiam in generalibus conciliis ſtatuuntur, tam prætextu vocationis (*cc*) abſentium, quàm aliàs, nimium diuturnas damnationes, vexationes, ac onera gravia expenſarum inducant.

De maturanda electione. Qvibus providere volentes, *ſacro approbante concilio ſtatuimus*, ut deinceps vacantibus Eccleſiis, (*dd*) monaſteriis & dignitatibus prædictis, ii ad quos [*ee*] pertinebit eligere, à die notæ vacationis (*ff*) in Eccleſia, monaſterio ſive loco *per viginti dies* (*gg*) *continuos abſentes* [*hh*] *expectent*. Qvibus [*ii*] transactis, hi, qui præſentes fuerint, abſque alia vocatione abſentium, libere ad electionem procedant.

Qvi ſi *infra quadraginta dies* à die notæ vacationis prædictæ non elegerint, locum habeant ſtatuta ſuper hoc in concilio generali. Qvæ & alia [*kk*] jura circa hoc edita volumus in ſuo robore permanere.

ARTIC. III.

De Annatis & communibus ſervitiis & minutis. (*ll*)

MSC. Vindob. *Papa decrevit, ſolvantur fructus primi anni, & male taxata juſte taxentur.*

De fructibus primi anni. PRo *ſuſtentatione ſummi Pontificis & fratrum ſuorum*, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ *Cardinalium*, de Eccleſiis & *monaſteriis virorum* duntaxat, vacantibus

(*u*) L. & S. *neutri parti computentur*. Facile ſcriptum primitus à librario *neutri* pro *neutra*. Inde in MSCto Gothano in margine hic additur ad præſentem Conſtitutionem, *indiget declaratione*.

(*x*) L. & S. ſequentia non referunt.

(*y*) L. & S. *illam*. (*z*) L. & S. *literarum*. [*] L. & S. *earum*.

[*Aa*] L. & S. omiſerunt hanc vocem *paribus*.

[*bb*] Apud Labbæum & Schelſtr. novum hic concipitur ſtatutum, ſed nullus titulus præmittitur præter *Decretum*.

[*cc*] L. & S. commode hic inſerta habent: *abſentium, quàm alias, nimium diuturnas damnationes, vexationes*, & ſic porro. Quæ paucula librarii lapſu ex *MSCto Goth.* omiſſa erant.

[*dd*] L. & S. omiſerunt aliqua usque ad *ii*. [*ee*] L. & S. *pertinebat*.

[*ff*] L. & S. *ab* [*gg*] L. & S. *continuè*. [*hh*] L. & S. *expectant*.

[*ii*] L. & S. *elapſis*. [*kk*] L. & S. omiſernut *jura*.

[*ll*] Labbæus & Schelſtr. *De Annatis, Rubrica*.

Communia ſervitia.

De taxis iniquis moderandis.

bus & vacaturis, ſolventur *pro fructibus primi anni* à die vacationis, ſummæ pecuniarum *in libris cameræ Apoſtolicæ taxatæ*, quæ *communia ſervitia* nuncupantur.

Si quæ vero male taxata ſunt, juſte (*mm*) retaxentur.

Et provideatur ſpecialiter *in gravatis regionibus*, ſecundum qualitatem rerum, temporum, & regionum, *ne nimium prægraventur*. Ad quod dabuntur *commiſſarii*, qui diligenter inquirant & [*nn*] retaxent.

Quando taxæ Eccleſiarum ſolvendæ.

Taxæ autem prædictæ *pro media parte* infra annum (*oo*) à die habitæ poſſeſſionis ſolventur: Et *pro media parte alia* infra ſequentem annum.

Si bis in anno Eccleſia vacet.

Et, *ſi bis in anno vacaverint, ſemel* bene *ſolvetur*.

Nec debitum hujuſmodi in ſucceſſorem in Eccleſia vel monaſterio *tranſeat*.

De cæteris autem dignitatibus, perſonatibus, officiis & beneficiis, ſecularibus & regularibus quibuſcunque, quæ autoritate ſedis Apoſtolicæ conferentur, vel providebitur de eiſdem, præterquam vigore gratiarum expectativarum aut cauſa permutationis, *ſolvatur valor fructuum primi anni pro media parte infra ſex menſes* à die (*pp*) habitæ poſſeſſionis: Et *infra alios ſex menſes* pro alia (*qq*) parte.

Succeſſores ne onerentur anteceſſoris debito.

Et *debitum hujuſmodi in ſucceſſorem* (*rr*) *in beneficio non tranſeat*.

ARTIC. VI. & VII.

De cauſis in Romana curia tractandis vel non. (ss)

MSC. Vindob. *Papa decrevit, cetera, quæ de jure ad curiam non pertinent, in ea non tractari.*

De Appellationibus ad Romanam Curiam.

MSC. Vindob. *Injuſte ſeu frivole appellans ab interlocutoria vel gravamine, ultra condemnationem expenſarum & intereſſe, non audiatur.*

Quæ cauſæ ad curiam Ro. ſpectent.

Cauſæ, quæ ad forum Eccleſiaſticum *de jure* vel *conſuetudine* non pertinent, per curiam Romanam non (*tt*) recipiantur, de illis cognoſcendo in curia, vel extra committendo, niſi de conſenſu partium.

(*uu*) *Quæ* vero *ad forum Eccleſiaſticum*, ut præmittitur, *pertinent*, & de jure ſunt per appellationem aut aliàs ad Romanam curiam devolutæ, aut de ſua natura in illa tractandæ, tractentur in ea.

Quæ non.

Cæteræ committantur in partibus.

Niſi forte pro cauſæ, aut perſonarum qualitate illas tractare in curia expediret pro juſtitia conſequenda, vel de partium conſenſu in curia tractarentur.

Cauſæ matrimoniales.

Matrimoniales tamen cauſæ in prima inſtantia præter appellationem *non committantur in curia*, niſi in (*xx*) cauſis proxime dictis.

Appellationes fruſtratoriæ.

Item *ad refrenandum appellationes fruſtratorias*, quæ ante definitivas ſententias interponuntur, ordinamus, quod (*yy*) *injuſte ſeu frivole appellantes* ab interlocutoria vel gravamine, ultra condemnationem expenſarum, damnorum & intereſſe, *in decem florenos*, ſi appellatio interponatur in curia, & *in viginti*, ſi de partibus ad curiam parti appellatæ, *condemnetur*. Et quod ſuper eadem (*zz*) locutoria vel gravamine *ſecundo appellare* non liceat, niſi haberent vim definitivæ.

AR-

[*mm*] L. & S. *taxentur.*

[*nn*] L. & S. *taxent.*

[*oo*] Labb. & Schelſt. plura hic omiſerunt, hoc ordine verbis expreſſis: *Taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum, etſi infra annum bis vacaverit, ſemel tantum ſolvetur*, & ſic porro.

[*pp*] L. & S. *adeptæ.*

[*qq*] L. & S. *media parte.*

[*rr*] L. & S. omiſerunt *in. curia, vel extra.*

[*ss*] Labbæus & Schelſtr. *De cauſis tractandis in Ro.*

[*tt*] L. & S. *non arripientur.*

[*uu*] L. & S. *Qui non.*

[*xx*] L. & S. *caſibus*

[*yy*] L. & S. *injuſtæ ſeu frivolæ appellationes.*

[*zz*] L. & S. *interlocutoria.*

ARTIC. IX.

De Exemtionibus & Incorporationibus tempore Schiſmatis factis. (aaa)

MSC. Vind. *Papa revocat.*

Quas exemtiones Papa velit revocatas.

Attendentes, quod à tempore obitus felicis recordationis Gregorii XI prædeceſſoris noſtri nonnulli Romani Pontifices, aut pro Romanis Pontificibus ſe gerentes, & in ſuis diverſis obedientiis reputati, *pro ſua voluntate*, aut *pro importunitate petentium*, nonnullas Eccleſias, monaſteria, capitula, conventus, prioratus, beneficia, loca & perſonas, *à jurisdictionibus Ordinariorum* tempore dicti Gregorii nullatenus exemtas vel exemta, (*bbb*) de novo à dictorum ordinariorum jurisdictionibus *exemerunt, in grave ipſorum ordinariorum præjudicium:* Nos volentes hujusmodi præjudicio obviare, omnes *exemtiones* Eccleſiarum, monaſteriorum, capitulorum, conventuum, præpoſiturarum, beneficiorum, locorum & perſonarum quarumcunque, etiam, ſi ex prædictis aliquod monaſterium fuerit exemtum, & poſtea ſubjectum monaſterio diverſi habitus vel coloris, à tempore dicti obitus Gregorii XI *per quoscunque, pro Romanis Pontificibus ſe* (*ccc*) *gerentes, de novo factas*, quæ tamen ante exemtionem hujusmodi nulla exemtione gaudebant, ſed ſimpliciter ſubjiciebantur (*ddd*) Ordinariorum jurisdictioni, nullumque ante id tempus initium habuerunt: Exceptis etiam exemtionibus, quæ uni toti ordini, & quæ Eccleſiis, monaſteriis, capitulis, conventibus, beneficiis, (*eee*) ſive locis, à prædicto tempore ſub exemtionis modo aut conditione fundatis, aut contemplatione novæ fundationis, ſeu univerſitatibus ſtudiorum generalium, aut per modum confirmationis, augmenti aut additionis factæ fuerunt aut conceſſæ, aut ſuper quibus, præſentibus & auditis, quorum intererat, autoritate competente ordinatum fuit, ſeu in quibus ordinarii conſenſerint: *Sacro approbante concilio, revocamus*, Eccleſias, monaſteria & alia prædicta in priſtinam (*fff*) jurisdictionem reducentes.

Ordinariorum præjudicium ex exemtionibus.

Jus Ordinariis reſtitutum.

Cæteris autem *exemtionibus, ante obitum* dicti *Gregorii* (*ggg*) *habitis* vel conceſſis, nullum volumus per hoc præjudicium generari.

Uniones Eccleſiarū à Papa revocata.

Revocamus etiam omnes *uniones & incorporationes*, à tempore obitus Gregorii XI. per eos, qui pro ſummis Pontificibus in eorum obedientiis reputati fuerunt, factas ſeu conceſſas, *quæ effectum ſortitæ non fuerunt.*

Item, omnes etiam, quæ effectum ſortitæ fuerunt, *de perpetuis vicariis factas*, & conceſſiones omnes Jurispatronatus ſeu præſentandi, factas laicis, Eccleſiarum ſeu beneficiorum, quæ non fundaverunt, (*hhh*) nec dotaverunt.

Circa alias verò *uniones, quæ effectum jam ſortitæ fuerunt*, cum certa regula dari non poſſit, *ad querelas* eorum, quorum (*iii*) intererit, ſi non ex rationabilibus cauſis vel veris factæ fuerunt, licèt Apoſtolicæ ſedis autoritas [*kkk*] intervenerit, *revocabimus* eas, juſtitia mediante, vel aliter ſecundum juris exigentiam providebimus. [*lll*]

[*Aaa*] Labbæus & Schelſtr. De Exemptionibus.
[*bbb*] L. & S. *De novo apud dictorum ordinariorum jurisdictionem exercuerunt.*
[*ccc*] L. & S. *ſe gerentibus.* [*ddd*] L. & S. *ordinaria.*
[*eee*] Labbæus & Schelſtr. omiſerunt iterum plura, hac vocum ſerie: *beneficiis fundatoribus ſive univerſitatibus*, & ſic deinceps.
[*fff*] L. & S. inſerunt *Ordinariorum.*
[*ggg*] Apud Labbæum & Schelſtr. & hic multa omiſſa à voce *Gregorii* usq; ad vocem *Gregorii XI.* hoc ordine: *ante obitum dicti Gregorii XI. per eos, qui*, & ſic porro. [*hhh*] L. & S. *ſeu* (*iii*) L. & S. *intererat.*
(*kkk*) L. & S. *ſupervenerit*
(*lll*) L. & S. addunt, *vel ſi nationibus placet, fiat revocatio pro præſenti.*

ARTIC. X.
De Commendis.

MSC. Vindob. *Monaſteria & prioratus, habentes ultra X. religioſos, nulli dentur.*

De Commendis per Papā reſtrictis.

[*mmm*] ORdinat idem Dominus noſter Papa, quod inpoſterum monaſteria, aut magni prioratus conventuales, habere conſueti his temporibus ultra decem religioſos in conventu, & officia clauſtralia, dignitates majores poſt Pontificalem in Cathedralibus, ſive Eccleſiæ parochiales, *nulli* prælato, etiam (*nnn*) Cathedrali, *dentur in Commendam.*

Datæ autem & dati [*ooo*] quamprimum commendatariis loco illorum de (*ppp*) æquitate providebitur, poſt pacificam poſſeſſionem adeptam (*qqq*) illos dimittant.

Una etiam Eccleſia metropolitana uni Cardinali vel Patriarchæ concedi poterit, proviſionem aliam ſufficientem non habenti.

ARTIC. XI.
De fructibus medii temporis.

MSC. Vind. *Quando Eccleſia vacat, Papa juris & conſuetudinis & privilegii diſpoſitioni relinquit.*

Fructus Eccleſiarū tempore vacationis Papam ſibi nolle vindicare.

ITem ſanctiſſimus Dominus noſter *fructus* & proventus Eccleſiarum, monaſteriorum & beneficiorum, *vacationis tempore obvenientes* (*rrr*) relinquit, illoſque ſibi vel Apoſtolicæ cameræ prohibet (*sss*) applicare.

ARTIC. XII.
De non alienandis bonis Romanæ & aliarum Eccleſiarum. (*ttt*)

MSC. Vind. *Papa revocat omnes tales factas citra Papam Gregorium XI.*

Alienationes rerum ſacrarum per Papā revocatæ.

VOlentes (*uuu*) indemnitatibus providere, omnes *alienationes rerum immobilium* & jurium, nec non conceſſiones vicariatuum, terrarum, civitatum, & dominiorum Romanæ Eccleſiæ, ultra quinquennium ſine *Concilii conſenſu*, & ſubſcriptione majoris partis Cardinalium illius obedientiæ: Nec non omnes *alienationes rerum* ſimilium *aliarum Eccleſiarum*, monaſteriorum & aliorum beneficiorum ſine conſenſu libero rectorum & miniſtrorum eorundem: Per quoſcunque pro Romanis Pontificibus ſe gerentes à tempore felicis recordationis Gregorii XI prædeceſſoris noſtri factas & conceſſas, *ſacro approbante concilio* penitus *revocamus.*

Alienationes verò, per Prælatos, rectores aut miniſtros, de rebus ſimilibus Eccleſiarum, monaſteriorum, aut aliorum beneficiorum ſuorum, præter aut contra juris formam factas, *nullas* fuiſſe & *eſſe declaramus*, & etiam *revocamus*: Res ipſas, terras, civitates, atque dominia, ad jus & proprietatem Eccleſiarum, monaſteriorum & beneficiorum ipſorum reducentes.

Regimen terrarum Ro. Eccleſiæ quibus committendum.

Volumus etiam ac intendimus, quod *regimina terrarum*, provinciarum, civitatum & dominiorum *Eccleſia Romanā*, quas pro tempore poſſidebit, nulli *niſi* Car-

(*mmm*) L. & S. *Ordinavit.* (*nnn*) L. & S. *Cardinali dentur in commendam.*
(*ooo*) L. & S. *quanquam* (*ppp*) L. & S. *æquivalenti* (*qqq*) L. & S. *illas.*
(*rrr*) Apud Labb. & Schelſtr. inſerta ſunt *juris & conſuetudinis vel privilegii diſpoſitioni relinquit*, & ſic ulterius.
(*sss*) Legebatur *appellare*, manifeſto calami lapſu, pro *applicare*, apud L. & S. recte ſcripto.
(*ttt*) Labbæus & Schelſtr. *De non alienandis & alienatis rebus Eccleſiaſticis.*
(*uuu*) L. & S. *Eccleſiarum* inſerunt.

Digitized by Google

Cardinali, vel Prælato Eccleſiaſtico, & ultra quam in iis, quæ requirunt miniſteria laicorum: Sed nec *vicariatus terrarum Eccleſiæ Romanæ* ultra triennium & de Cardinalium conſilio *concedantur* vel etiam committantur.

De cæteris autem alienationibus, ſi qui ſe gravari ſenſerint, querelam exponant apud ſedem Apoſtolicam, per quam, ut fieri poterit, providebitur de remedio competenti.

ARTIC. XIII.

Propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi (xxx)

MSC. Vind. *Nihil reſpondit.*

NOn videtur, prout nec viſum fuit in pluribus nationibus, circa hoc aliquid novum ſtatui vel decerni.

ARTIC. XIV.

De Extirpatione Simoniæ. (*yyy*)

MSC. Vind. *Ordinati, ſint ſuſpenſi. Electiones ſint nulla.*

De Simonia per Papā extirpanda.

MUltæ (*zzz*) contra ſimoniacam pravitatem (*aaaa*) ab olim factæ ſunt conſtitutiones, quibus morbus ille non potuit extirpari. Nos volentes, ut poſſumus, attentius providere, *ſacro approbante concilio* declaramus, quod *ordinati ſimoniace* ab executione ſuorum ordinum ſint eo ipſo *ſuſpenſi*.

Electiones autem, poſtulationes, confirmationes, & quævis proviſiones Eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum, perſonatuum, officiorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque, ſeu ad illa, nullæ ſint ipſo jure, nullumque per illas jus cuiquam acquiratur. Nec faciat fructus ſuos. Sed ad illorum reſtitutionem, tanquam inique ablatorum, percipientes teneantur.

Statuentes inſuper, quod *dantes & recipientes* ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, etiamſi Pontificali aut Cardinalatus præfulgeant dignitate.

Diſtrictius inhibentes, juxta etiam antiqua ſtatuta canonum, quod pro ordinibus, etiam clericali tonſura, *ordinans nihil recipiat*, cum ad id ſint fructus Eccleſiaſtici deputati. Quodque *notarii* pro literis ſuper ordinum prædictorum collatione, pro prima clericali tonſura [*bbb*] non ultra unum, pro quatuor minoribus ordinibus unum, pro quolibet ſacro ordine (*cccc*) unum groſſum de camera, quorum decem faciunt florenum de *camera*, recipiant. Quod ſi contra (*dddd*) faciant, canonicis ſubjaceant inſtitutis.

ARTIC. XV.

De Diſpenſationibus.

MSC. Vind. *Omnes revocat, præter illas, quæ ſecundum formam* c. Cum ex eo, *factæ ſunt.*

QVia beneficia propter officia conceduntur, reputamus *abſurdum, ut, qui beneficia obtinent, recuſent aut negligant officium exercere.* Nos igitur *ſacro approbante concilio* omnes *diſpenſationes*, à quibuscunque pro Romanis

(*xxx*) Hic eſt articulus ac paragraphus, quem Labbeus in Excerptis ex Codice Capranicenſi non invenit, vel omiſit. Quod Schelſtrate aliquoties notavit in *Actis*, p. 71. & 273. & reſtituit.

(*yyy*) Labbæus & Schelſtrat. De Simoniacis. (*zzz*) L. & S. *per*

(*aaaa*) L. & S. *olim ab Johanne facta.*

(*bbbb*) L. & S. omiſerunt voces *non ultra.*

(*cccc*) Labbæus inſertum habet *ſimiliter*, uti & Schelſt.

(*dddd*) L. & S. *fecerint.*

Diſpenſationes per Papam revocata. nis Pontificibus ſe gerentibus conceſſas, quibuscunque (*eeee*) electis, confirmatis ſeu proviſis ad Eccleſias, monaſteria, prioratus conventuales, diaconatus, archidiaconatus, & alia quæcunque beneficia, quibus certus ordo deditus eſt, vel annexus, aut de illis: Ne munus conſecrationis Epiſcopi ſeu benedictiones habentes, aut ceteros debitos aut annexos ordines ſuſcipiant: Præter (*ffff*) illas, quæ ſecundum formam capituli, *Cum ex eo* (*Sexto Decret. lib.* 1. *tit.* 6. *c.* 34.) factæ ſunt, *revocamus.*

Statuentes, ut, qui de præſenti illas vel illa obtinent, infra ſex menſes à die publicationis hujusmodi conſtitutionis noſtræ, & quæ inpoſterum obtinebunt, infra annum à die poſſeſſionis adeptæ *ſe faciant conſecrari aut benedici*, ſive ad alium debitum ordinem promoveri. Alioquin ſint ipſis Eccleſiis, monaſteriis, dignitatibus, perſonatibus, officiis & beneficiis prædictis, ipſo jure privati. Et aliis libere conferantur, aut provideatur. Cæteris conſtitutionibus circa hæc editis in ſuo robore duraturis.

(*gggg*) Et quia multi *Epiſcopi*, & eorum ſuperiores atque *Abbates*, *in quibus major debet eſſe ſolicitudo cura &* (*hhhh*) *officii paſtoralis*, plerumque extra Eccleſias, diœceſes & monaſteria commorantur, propter quod *negligitur officium paſtorale: Eodem approbante concilio* ſtatuimus, quod *Epiſcopi* & ſuperiores hujusmodi, in ſuis Eccleſiis vel diœceſibus, *Abbates* autem in ſuis monaſteriis *perſonaliter reſideant.*

Epiſcopi & Abbates in ſuis ſedeant Eccleſiis. Mulcta abſentiū.

A qvibus ſi per ſex menſes (*iiii*) continuos abſuerint, à perceptione fructuum & proventuum (*kkkk*) corundem *per annum* integrum, & ſi per annum abſuerint, ab eorum fructuum & proventuum perceptione *per biennium* ſint privati.

Qvi fructus & proventus in utroqve caſu cathedralibus Eccleſiarum & conventibus monaſteriorum applicentur.

Si vero *per biennium abſuerint*, ipſis Eccleſiis & monaſteriis decernimus eſſe privandos. Nullumque eis in aliquo caſuum prædictorum cujusvis generalis ſtudii privilegium ſuffragetur, nec illis gaudeant quovis modo.

Ordinat Dominus noſter, quod ad Eccleſias cathedrales, monaſteria, prioratus conventuales, aut parochiales Eccleſias, *ſuper defectum ætatis ultra trien-nium nullatenus diſpenſetur.* Niſi forte in Eccleſiis cathedralibus ex ardua & evidenti cauſa de conſilio Cardinalium, ſeu majoris partis illorum, videretur aliter diſpenſandum.

De diſpenſatione ſuper defectu ætatis.

Item Dominus noſter *in gravibus & arduis caſibus* ſine Conſilio Cardinalium *non intendit diſpenſare.* [*llll*]

Beneficia incompatibilia reſtricta.

Circa *beneficia incompatibilia* obtinentes, in quibus multi reperiuntur exceſſus, *conſtitutionem* felicis recordationis *Johannis XXII.* prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *Execrabilis*, (*Extravag. Joh.* 22. *tit.* 3. *c.* 1.) Salva moderatione, in eo, quod in ea dicitur de *uno* curato beneficio cum non curato (*mmmm*) incompatibili, tamen licite retinendis, *ad duo* etiam curata, dummodo non ſint duæ parochiales Eccleſiæ, *extendimus, ſacro approbante concilio* innovamus, atque contenta in illa ſecundum illius formam & tenorem de novo ſtatuimus, & etiam ordinamus, contenta in illa volentes diligentius obſervari.

ARTIC.

(*eeee*) L. & S. *Clericis conſecratis ſeu proviſis.*

(*ffff*) L. & S. *illos, qui*

(*gggg*) Apud Labbæum & Schelſtr. nova hic concipitur conſtitutio, nullus verò titulus ponitur præter *Decretum.*

(*hhhh*) L. & S. *Pontificalis officii.*

(*iiii*) L. & S. *continuè*

(*kkkk*) Apud Labbæum & Schelſtr. omiſſa ſequentia omnia usque ad *per biennium.*

(*llll*) Apud Labb. & Schelſtr. hic paragraphus cum ſequenti ita immediatè connectitur: *diſpenſare circa beneficia*, & ſic porro

[*mmmm*] Labbeus & Schelſtr. *compatibili.*

Digitized by Google

ARTIC. XVI.

De Proviſione (nnnn) *Status Papæ & Cardinalium.*

MSC. Vindob. *Non videtur aliter fore providendum quam hucusque proviſum eſt, ſcil. per beneficia & ſervitia communia.*

Vacantia pro Papa ſuſtentatione.

ROmano Pontifici & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus *pro illorum ſuſtentatione*, rebus Romanæ Eccleſiæ ſtantibus, ut ſunt, non videtur aliter poſſe provideri, quam huc usque factum eſt, ſcilicet *per beneficia & communia ſervitia*, quæ *vacantiæ* nuncupantur.

Verùm *circa beneficiorum qualitatem* taliter duximus providendum, quod *nulli Cardinali* monaſterium, prioratus conventualis, ultra numerum decem religioſorum ſecundum moderna tempora habere conſvetus, nulla major dignitas poſt Pontificalem in cathedralibus aut parochialibus Eccleſiis, nullum officium clauſtrale, nullum Xenodochium, hoſpitale, eleemoſynaria, ſeu leproſaria, *in titulum vel adminiſtrationem conferantur.*

Et, ſi quæ talia nunc obtinent, (oooo) quamprimum Papa loco illorum de alio æquivalente providebit, illa dimittere teneantur, ſicut ſuperius *de commendis* eſt dictum.

Proviſo, quod nullus Cardinalis de proventibus Eccleſiaſticis non habeat ultra valorem *ſex millium florenorum.*

Vicarius generalis in ſpiritualibus.

Statuimus, quod ſinguli Cardinales, monaſteria, aut prioratus conventuales, habentes ultra numerum XII. religioſorum ſecundum conſvetudinem temporum modernorum, habeant in illis *vicarium generalem in ſpiritualibus & temporalibus religioſum.*

Poterunt tamen iidem Cardinales *ad regimen temporalium* ſub (pppp) dicto vicario alias perſonas conſtituere. Et nitentur, quantum poterunt, per Eccleſiaſticas perſonas hoc agere.

(qqqq) Conſtitutas tamen ad regimen hujusmodi, dictus *vicarius*, ſine conſenſu Cardinalis non valeat (rrrr) revocare.

In minoribus autem beneficiis conſtituant *vicarium in ſpiritualibus.* Cætera per alias perſonas: Et quantum poterunt, ut præmittitur, per *Eccleſiaſticas* hoc faciant.

Nulli autem laico monaſteria aut beneficia hujusmodi locent, vel ad firmam aut (ſſſſ) arradimentum dent.

Teneantur etiam (tttt) in illis tenere numerum religioſorum, ſecundum moderna tempora conſvetum: Et maxime (uuuu) quot erant, antequam Cardinales ipſi illa monaſteria aut beneficia obtinerent. Niſi poſtmodum fructus & reditus eorum ſine culpa Cardinalium eſſent adeo diminuti, quod ad ſuſtentationem Prioris & tot religioſorum non ſufficerent.

Superiores autem dictorum monaſteriorum & prioratuum, *quibus jus viſitandi competit*, illa poterunt viſitare, & defectus charitative corrigere. Et quæ in illis reparanda viderint aut (xxxx) collapſa maxime, ac per culpam Cardinalium vel (yyyy) ſuorum miniſtrorum, tam in ſpiritualibus quam in temporalibus, illa gubernatoribus ipſorum (zzzz) injungant reparari, ſecundum facul-

(nnnn) Labbeus & Schelſtr. *De Proviſione Papæ & Cardinalium.*
(oooo) L. & S. *quare primum.*
(pppp) L. & S. *dicta vicaria.*
(qqqq) L & S. *Conſtitutus.*
(rrrr) L. & S. *removeri.*
(ſſſſ) L. & S. *arrendamentum.*
(tttt) L. & S. *illi tenere unum religioſum.*
(uuuu) L. & S. *qui.*
(xxxx) L. & S. *relapſa.*
(yyyy) L. & S. *eorum.* [zzzz] L. & S. *injungatur.*

facultatem monaſteriorum & beneficiorum hujusmodi: Deducto, quantum Abbas vel Prior, ſi eſſent, ſecundum communem modum pro ſtatu ſuo expenderent.

Qvod ſi in conficiendis his, quæ in præmiſſis injuncta fuerint, gubernatores prædicti fuerint negligentes: Superiores ipſi tantum ſedi Apoſtolicæ & Cardinalium dignitati deferant, quod ſemel ſummo Pontifici & Cardinalibus ipſis ſtudeant intimare. Qui ſuper his providere procurabunt.

Qvod ſi non fecerint infra terminum competentem, *ſuperiores ipſi ſua autoritate provideant*, ſecundum jura (*aaaaa*) & canonicas ſanctiones: Procedendo contra gubernatores ipſorum principales &c. Quemadmodum facere poſſent, ſi per Abbates vel religioſos dicta monaſteria vel prioratus obtinerentur. Quocunque privilegio non obſtante.

ARTIC. XVII.

De Indulgentiis. (bbbbb)

MSC. Vind. *Cavebit Dominus Papa impoſterum nimiam indulgentiarum effuſionem, ne vileſcant, & præteritas revocat, à tempore Gregorii XI. factas.*

Indulgentia limitata.

CAvebit Dominus noſter Papa in futurum *nimiam indulgentiarum effuſionem*, ne vileſcant.

Et in præteritum conceſſas ab obitu Gregorii XI. citra *perpetuas*: Item quæ dicuntur *de pœna & culpa* ſive *de plena remiſſione*, conceſſas locis: Item omnes conceſſas *ad inſtar alterius indulgentiæ*: Revocat & annullat.

ARTIC. XVIII.

De Decimis imponendis.

MSC. Vind. *Papa nullas imponet impoſterum, & prohibet ab inferioribus imponi, & impoſitas revocat.*

Decimas Eccleſiis olim impoſitas à Pontifice, non quærendas eſſe.

PRæcipimus & mandamus, jura, quæ prohibent inferioribus à Papa, *decimas & alia onera Eccleſiis* & perſonis Eccleſiaſticis imponere, diſtrictius obſervari.

Per Nos autem *nullatenus imponentur*: Qvod & noſtris ſucceſſoribus (*ddddd*) indicamus, non imponi, generaliter ſuper totum clerum: (*eeeee*) Niſi ex magna & ardua cauſa, & utilitate univerſalem Eccleſiam concernente, & de conſilio ac conſenſu, & ſubſcriptione fratrum & pælatorum, quorum conſiliũ faciliter haberi poterit: Nec ſpecialiter in aliquo regno vel provincia, inconſultis Prælatis illius regni vel provinciæ.

Tenor conſtitutionis,

Ad regimen.

BENEDICTUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ad regimen Eccleſiæ generalis quanquam immeritè ſuperna diſpoſitione vocati, gerimus in noſtris deſideriis, ut debemus, quod, per noſtræ diligentiæ ſtudium, *ad quarumlibet Eccleſiarum & monaſteriorum regimina, & alia beneficia Eccleſiaſtica*, juxta Domini beneplacitum & noſtræ intentionis affectum, *viri aſſumantur idonei, qui præſint & pro-*

(*aaaaa*) Apud Labbeum & Schelſt. omiſſa plurima, à voce *jura* usque ad *facere poſſent*, hoc verborum ordine, *ſecundum jura facere poſſunt.*

(*bbbbb*) Labbeus & Schelſt. *De Indulgentiis fiat decretum.*

[*ccccc*] Labbeus & Schelſtr. *De Decimis & aliis oneribus Eccleſiaſticis.*

[*ddddd*] L. & S. *judicamus.*

(*eeeee*) L. & S. *non ex magna* &c.

& proſint committendis eis Eccleſiis, monaſteriis & beneficiis prælibatis.

Præmiſſorum namque conſideratione inducti, & ſuadentibus nobis aliis rationabilibus cauſis, nonnullorum prædeceſſorum noſtrorum, Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes: Omnes patriarchales, ArchiEpiſcopales & Epiſcopales Eccleſias, & etiam monaſteria, prioratus, dignitates, perſonatus & officia, nec non canonicatus, præbendas, & Eccleſias, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica, cum cura vel ſine cura, ſecularia & regularia, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamſi ad illa perſonæ conſueverint ſeu debuerint per electionem, ſeu quemvis alium modum aſſumi, nunc apud ſedem Apoſtolicam quocunque *vacantia* & in poſterum *vacatura*:

Nec non per depoſitionem vel privationem ſeu translationem, (†) per felicis recordationis Johannem Papam XXII prædeceſſorem noſtrum, ſeu ejus autoritate factas, & per nos aut autoritate noſtra in antea faciendas ubilibet: Nec non ad quæ forſan, tempore jam dicti prædeceſſoris, aliqui in concordia vel diſcordia electi vel poſtulati fuerint, quorum electio caſſata, ſeu poſtulatio repulſa, vel per eos facta renunciatio, & admiſſa per ipſum prædeceſſorem vel autoritate ipſius extiterint, ſeu quorum electorum vel poſtulatorum, & in antea eligendorum vel poſtulandorum aut renunciantium electionem caſſari, vel poſtulationem repelli, aut renunciationem admitti per nos aut autoritate noſtra continget, apud ſedem prædictam vel alibi ubicunque: Ac etiam per obitum Cardinalium ejusdem Eccleſiæ Romanæ ac Officialium dictæ ſedis, videlicet Camerarii, Vice-Cancellarii, notariorum, auditorum literarum contradictarum, & Apoſtolici palatii cauſarum auditorum, correctorum, ſcriptorum literarum Apoſtolicarum, ac pœnitentiarii præfatæ ſedis (††) ejusdem: Et etiam quorumcunq; legatorum, ſive nunciorum, ac in terris Eccleſiæ Romanæ rectorum, & theſaurariorum, per dictum Johannem prædeceſſorem vel nos ſpecialiter deputatorum ſeu miſſorum hactenus, vel à nobis deputandorum aut mittendorum impoſterum, nunc *vacantia* & in antea *vacatura*, ubicunque dictos legatos vel nuncios, ſeu rectores aut theſaurarios antequam ad Romanam curiam redierint, ſeu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis:

Nec non quorúlibet, pro quibuscunq; negotiis ad Romanam curiam venientium, vel etiam recedentium ab eadem, ſi in locis à dicta curia ultra duas dietas legales non diſtantibus jam forſitan obierint, vel eos in antea tranſire contigerit ab hac luce: Et etiam ſimili modo quorumcunque curialium, peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, ſeu alia quacunque cauſa ad quævis loca ſecedentium, ſi eos antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem curia, ut præmittitur, non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non exiſtat ibidem, jam forſitan deceſſerint, vel in poſterum eos contigerit de medio ſummoveri, nunc per obitum hujusmodi *vacantia*, & in poſterum *vacatura*:

Rurſus monaſteria, prioratus, decanatus, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, officia, canonicatus & præbendas, & Eccleſias, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica, ſecularia & regularia, cum cura vel ſine cura, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamſi ad illa perſonæ conſueverint ſeu debuerint per electionem, aut quemvis alium modum aſſumi, qui promoti per dictum prædeceſſorem, vel ejus autoritate ad Patriarchalium, ArchiEpiſcopalium & Epiſcopalium Eccleſiarum, nec non monaſteriorum regimina obtinebant, tempore promotionis de ipſis factæ, nunc quocunque modo *vacantia*, &quæ

(†) al. aut muneris conſecrationis ſuſpenſionem.

(††) al. *ac abbreviatorum, nec non commenſalium, & aliorum quorumlibet Capellanorum Sedis.*

& quæ per nos aut noſtra autoritate in poſterum (†††) *vacatura:*

Nec non etiam, quæ per aſſecutionem pacificam quorumcunque prioratuum, dignitatum, perſonatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum, Eccleſiarum ac beneficiorum aliorum, per nos, vel eundem Johannem prædeceſſorem, ſeu autoritate literarum noſtrarum vel (††††) prædeceſſoris, collatorum ſeu conferendorum in poſterum, nunc *vacantia* & in antea *vacatura:*

Plena ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis cum fratribus noſtris collatione præhabita, & matura deliberatione ſecuta, ordinationi, diſpoſitioni & proviſioni noſtræ, donec miſerationis divinæ clementia Nos univerſalis Eccleſiæ regimini præſidere conceſſerit, de ipſorum fratrum conſilio autoritate Apoſtolica *reſervamus.*

Decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper præmiſſis & quolibet eorum per quoſcunque quavis autoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſcunque conſtitutionibus, à prædeceſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus, editis, quatenus obſiſtere poſſent ſupra enarratis articulis, vel alicui, vel aliquibus eorundem. Nulli ergo omnino homini liceat hunc paginam noſtræ *reſervationis* & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contra ire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli, Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Avinione, III Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno primo. (†††††)

Similem *reſervationem* fecit Dominus *Gregorius Papa XI.* II. Kal. Januarii, ante coronationem ſuam, Anno Domini M CCC LXXI.

Simile fecit Dominus *Urbanus Papa VI.* videlicet die coronationis ſuæ.

Declaratio conſtitutionis *Ad regimen.*

BENEDICTUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Dudum ex certis cauſis rationabilibus inducti, prioratus, decanatus, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, officia, canonicatus, præbendas, & Eccleſias, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica, ſecularia & regularia, cum cura & ſine cura, quæcunq; & qualiacunque forent, etiamſi ad illa perſonæ conſueviſſent ſeu deberent per electionem, ſeu quemvis alium modum aſſumi, quæ per aſſecutionem pacificam quorumcunq; prioratuum, dignitatum, perſonatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum & Eccleſiarum, ac beneficiorum aliorum, per nos, ſeu autoritate noſtrarum literarum tunc collatorum, & conferendorum in poſterum, tunc *vacantia* & in antea *vacatura*, ordinationi, diſpoſitioni & proviſioni noſtræ autoritate Apoſtolica duximus *reſervanda.* Decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper præmiſſis à quoquam quavis autoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Verùm, quia, ſicut accepimus, frequenter hactenus contigit, quod, cum alicui beneficium Eccleſiaſticum obtinenti de alio beneficio Eccleſiaſtico vacante vel vacaturo providebamus, ſeu mandabamus per noſtras literas provideri, dictum beneficium, quod obtinebat, pro eo, quod non ſe compatiebatur cum alio, de quo ſibi providebamus, ſeu provideri mandabamus, ut præfertur, ſeu aliàs ex voluntate ſeu diſpoſitione noſtra tenebatur dimittere, quamprimum dictum ſecundum beneficium

(†††) al. ad eadem regimina promovendi tempore promotionis hujusmodi obtinebunt, nec non etiam &c.

(††††) al. ipſius Johannis.

(†††††) Al. 1335.

neficium exiſteret pacifice aſſecutus, idem obtinens ante aſſecutionem hujusmodi dictum primum beneficium ſimpliciter vel ex cauſa permutationis ſeu aliàs reſignabat, & ſic per conſequens ipſum beneficium, ante dictam aſſecutionem ejuſdem ſecundi beneficii, per ordinarium, vel alium, ad quem alias ſpectabat ejus collatio, contingebat conferri: Propter quæ dicta reſervatio ſeu voluntas in eo caſu ſuum ſortiri nequibat effectum: Nos ſuper præmiſſis providere volentes, autoritate præſentium, declaramus, noſtræ intentionis fuiſſe, & adhuc exiſtere, quod eadem beneficia per reſervationem & decreta prædicta adeo eſſent affecta, quod etiam ante aſſecutionem præfatam, per reſignationem ſimplicem, ſeu ex cauſa permutationis factam, vel aliàs quovis modo ea vacare contigerint, de ipſis per alium quàm per nos non potuerint neque poſſint in poſterum alias provideri, ſeu quovis modo diſponi.

Nos inſuper irritum, prout eſt, decrevimus & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis autoritate ſcienter vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel contigerit in poſterum attentari. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam noſtræ declarationis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. *Datum Avinione X. Cal. Novembr. Pontificatus noſtri anno ſecundo &c.*

à
Papa Martino, Romano,
haud longe ante Concilii finem
ſub cœlo Germanico
Conſtantiæ
delineatum ac conſcriptum:
Quinque Nationibus
in Concilio orbem Chriſtianum referentibus
legendum limitandumque
Anno 1418. ſub finem menſis Januarii
privatim *oblatum:*
Tantique factum
ut ex illo
per Nationes ponderato
limitato vel aucto
nata ſint paulo poſt
decreta quædam Conciliaria
die 21. Martii publicata,
uti & inde mox ſuſcitata
Concordata
à Martino cum Nationibus ſigillatim inita:
A
Philippo Labbeo
uti ex Codice MSCto Capranicenſi
deſcriptum
in Appendicem Tomi XII. conciliorum
non ſatis plene
hoc ſeculo relatum:

Ab

Digitized by Google

Ab
EMMANUELE à SCHELSTRATE,
Palatini ac Vaticani
Codicum MSCtorum ope adjuto,
aliquanto plenius noviſſime *repetitum:*
Nunc tandem
ex gemino
antiquisſimo Codice MSCto
Cæſareo Vindobonenſi
ac Ducali Gothano,
ad Actorum Concilii Conſt. integritatem,
ſingularium fatorum
apud majores
in Eccleſia & republica proditorum
perpetuam memoriam,
Auſpiciis
Serenisſimi Brunſvicenſium Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI
Principis
de ornanda literaria republica maximopere ſolliciti
ſacrâ canitie auguſti,
In Academia Julia
A. M DC XCVII
d. 9. Aprilis
integre, & emaculate
reſtitutum atque reſuſcitatum
IMPERATORE
LEOPOLDO
MAGNO, PIO, FELICI.

Digitized by Google

TOMI I. PARS XXIV.

GERMANICÆ NATIONIS

&

MARTINI PAPÆ V.

CONCORDATA

QVOAD ECCLESIASTICI REGIMINIS EMENDATIONEM,

In Oecumenico Conſtantienſi Concilio

A. 1418. *labente Januario* adornata,

d. 21. *Martii* in publico Concilii conſeſſu confirmata,

d. 15. *Aprilis* in Librum Cancellariæ Ro. conſcripta,

d. 2. *Maji* in Audientia Contradictarum publicata,

Indeque Germanis quibuscunque deſiderantibus ex Concilii decreto ſub publico ſigillo communicata.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

Ex antiquiſſimis Codicibus MSCtis, CÆSAREIS VINDOBONENSIBUS & DUCALIBUS BRUNSVICENSIBUS

eruta ab

HERMANNO von der Hardt.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

Digitized by Google

MSCti Codices
Actorum Concilii Conſtantienſis
Ad publicam Concilii ſeſſionem
A. 1418. die 21. Martii.

* * *

Martinus &c.
Decernimus & declaramus,
ſacro approbante Concilio,
per decreta, ſtatuta & ordinata
tam lecta in præſenti Concilio
quàm
CONCORDATA
cum ſingulis Nationibus
ejusdem Concilii,
& quæ in noſtra Cancellaria poni volumus
& literas in forma publica
ſub ſigillo Vice-Cancellarii noſtri
volentibus habere
confici ac tradi,
Huic ſacro Concilio
ſuper articulos contentos in decreto,
ſuper Reformatione fienda
die Sabbati 30. Menſis Octob. A. 1417
Apoſtolica ſede carente paſtore
in ſeſſione ſacri Concilii lecto,
fuiſſe & eſſe ſatisfactum.

Digitized by Google



Hermannus von der Hardt
Lectori S. D.

DEderat *Martinus V.* in Conſtantienſi Concilio, ex publico Concilii decreto, ad impenſa Nationum deſideria, ac repetita vota, ſuperioribus Partibus explicata, *Delineationem reformationis ab orbe Chriſtiano expetitæ.*

Non quidem prorſus acquieſcebant his Martini propoſitionibus *Nationes*; Non tamen voti ſui prorſus compotes ſe fieri poſſe facile intelligebant. Qvippe quod ante electionem Papæ cum Imperatore Sigismundo longe plura momenta poſtulaverant ac definiverant *Nationes*, quàm ex *oblata Martini Reformatione* expectari poſſe videbant.

Qvapropter, tempori ac neceſſitati nonnihil indulgendum rati Nationum Præſides atque Antiſtites vel Deputati, in Reſponſione Martini aliqua mutanda notarunt, alia plura ferenda judicarunt aut diſſimulanda.

Sic ergo paucula, uti ſuperius dictum, ex hac Martini Delineata Reformatione depromta ſtatuta, limitata tamen atque illuſtrata, in Concilio tandem ſunt haud longe ante finem Concilii menſe Martio publicata.

Verùm, inter hæc Martino Cardinaliumve Collegio conſultum fuit viſum, *cum diviſis Nationibus diviſim* de cetero *tranſigere*. Qvod & facilius futurum, & in ſalutem Ro. curiæ ceſſurum.

Qvapropter, *ſeorſim cum ſingulis Nationibus* Martinus in Concilio agere cœpit, *diviſis earum votis ac viribus*. Qvarum ſingulis plus

Cancellarius, de voluntate Nationum ac ipſius Synodi, & eorum nominibus, UT ASSERUIT, *reſpondit in hunc modum: De mandato Nationum reſpondeo, quod placent Nationibus decreta recitata, &* CUILIBET NATIONI PLACET CONCORDIA, CUM IPSA *per Dominum noſtrum* FACTA. *Et per præmiſſa fatentur, dicto decreto jam eſſe ſatisfactum: Non intendentes propterea, quod Concordata cum una natione in aliquo alteri Nationi afferant præjudicium.*

Forte *una* atqve *altera Natio*, ſi non plane antea *ſcrupulos* de oblatis Concordatis *movit*, *hæſitavit* tamen ob varias rationes. Ut Nationes ſingulæ calculum addere palam haud ſuſtinerent.

Qvemadmodum *de Gallica Natione* proditum eſt à *Spondano;* Hanc ſcil. non omnino acqvieviſſe Concordatis, ſuæ Nationi à Martino tributis. Qvin Regem poſtea contradixiſſe.

Qvicqvid tandem ſit de *quarundam Nationum ſcrupulis,* ſive palam motis ſive in pectore preſſis, circa *Concordata Martiniana* cum qualibet Natione inita: Certũ eſt, hæc *tanquam rata* publice eo quoq; nomine fuiſſe habita, quod *libris Cancellariæ à Martino inſerta* autoritatem ac vim inde etiam nacta cenſerentur, ut *exinde ab omnibus eſſent repetenda.*

Iſta verò *Concordata Martini ac Nationum*, in Conſtantienſi Concilio tanto cum apparatu concinnata ac publicata vel approbata, quæ Actorum Concilii hujus Oecumenici partem haud poſtremam, etſi prope finem Concilii inſtructam, abſolvant, *lucem hactenus non vidiſſe* non immerito miratur *Spondanus.*

Qvandoqvidem ne decretum quidem illud Concilii publicum, antea allegatum, intelligi *ſine iſtis Concordatis cognitis* poſſit.

Tantum abeſt, *eventus Concilii œcumenici*, quoad Eccleſiaſticam Reformationem, tanto cum motu agitatam vel paratam, *ſine his Concordatis* ullo queat pervideri aut agnoſci modo. Qvippe *in quibus* omnis illa *Reformationis ſacræ moles*, tanto totius orbis Chriſtianæ molimine tot annis in ſplendidiſſimo Concilio verſata, terminum nacta, & veluti ultima Martini Papæ manu *obſignata.*

Qvoniam igitur SERENISSIMUS PRINCEPS RUDOLPHUS AUGUSTUS, BRUNSVICENSIUM DUX LITERATISSIMUS, quâ ex ſenili prudentia acri pollet mentis perſpicaciâ, in Actorum hujus maximi Concilii grandi & laborioſa congerie, à Sua Celſitudine inſtructa, ut *ordinem* fatorum, ſic & *integritatem* ſtudioſiſſime ſpectare clementiſſime mandavit: Nunc tandem, ſub finem Concilii & ſub finem hujus primi Tomi, Reformationis Conſtantienſis materiam complexi, memorata *Nationum & Martini Concordata Conſtantienſia* exhibere par & æqvum erat.

Tantoqve enixius huc contendendum, quanto non ſolùm apertius in ipſis Concilii Actis deſignata eſſent, ſed & à *Schelſtrateno, in Actis, p. 71.* manifeſtius notarentur: Qvod in *Concordatis particularibus, à Martino V. cum ſingulis Nationibus initis, cum de* CETERIS REFORMATIONUM CAPITIBUS, *ſalva ſedis Apoſtolicæ autoritate ſtatueret Martinus, de uno capite* (Qvibus de cauſis Papa poſſit corrigi & deponi)

Digitized by Google

poni) ne verbum quidem fieri voluerit, quantumvis Natio Germanica in ſuis Aviſamentis poſt electionem Martini V. id inſtanter petiiſſet.

Summopere proinde neceſſarium, adeſſe ac inſpici laudata cum Nationibus inita Concordata Martiniana. Ut pateat ac plene recteqve judicari ab omnibus queat, quæ momenta Reformationis expreſſa, indulta, omiſſa, negata.

En ergo celebris *Nationis Noſtræ Germanicæ ac Martini V. Concordata.* Qvæ vel ideo in acie hic ponenda, quod Germani cum Sigiſmundo Imperatore ac Imperii Principibus acrius ac animoſius Eccleſiaſtici ſtatus ac Regiminis reformationem ad finem usqve Concilii urſerint, quam cæteræ Nationes. Unde & fuſiora atque ampliora ceteris Concordata nacti Germani. Etſi voti ſui ex aſſe compotes fieri per tempus & fata haud ſuſtinerent.

Damus hæc *Martiniana ac Germanorum Concordata Conſtantienſia ex antiquiſſimis Codicibus MSCtis*, ætate Concilii exaratis. Iisque *tribus uſi ſumus, duobus ex AUGUSTISSIMA SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS BIBLIOTHECA VINDOBONENSI* petitis, *tertio ex Sereniſſimi Noſtri DUCIS RUDOLPHI AUGUSTI Bibliotheca privata Brunſvicenſi* deprompto.

Neqve labore res caruit hæc inde hauriendi. Primo namqve in nullis horum MSCtis, pro more antiquo, ulla *opuſculi inſcriptio* animadverſa. Ut, niſi ex hiſtoria & re ipſa conſtitiſſet, vix monumentũ pretioſum agnoſci ac decenter ſiſti vel & in ſuum hunc locum referri potuiſſet. Qvod profecto negotium, ex antiqua ac indiſtincta & tantum non confuſa ſæpe MSCtorum farragine ſingula quorumcunque autorum monumenta, titulis ac argumentis penitus deſtituta, eruendi, ac debito habitu ac colore in medium hodie poſt tot ſecula producendi, haud exile.

In *MSCtorum Vindobonenſium*, quibus Acta Concilii Conſt. comprehenſa, *Volumine I. Regulis Martini V.* quas ſupra dedimus, immediate hæc *Germanorum ac Martini Concordata* ſubnectuntur. Verùm abſque fronte aut inſcriptione. Cum præfatione tamen Cardinalis ac Vice-Cancellarii, ut mox dicetur.

In *Volumine IV. MSCtorum Vindobonenſium, f.* 127. eadem hæc Concordata denuo exhibentur. Aſt iterum ſine argumento ac titulo, & abſqve Cardinalis Præfatione.

In *Ducali Brunſvicenſi Actorum Concilii Conſt. Codice MSCto*, itidem hæc Concordata Germanorum expreſſa. Sed & frontiſpicio privata: Præfatione tamen aliqua Cardinalis ac Vice-Cancellarii inſtructa.

Dedimus itaque monumento eum ex *titulo* ornatum, quem & *Acta Concilii Conſtant.* publica d. 21. Martii ſubindicarent, quem & *Schelſtratenus* confirmaret, quem denique ipſe *Cardinalis ac Vice-Cancellarius Johannes Epiſcopus Oſtienſis*, in præfatione operi præmiſſa, aperte demonſtraret: *Concordata Nationis Germanicæ ac Martini V. in Conſtantienſi Concilio inita quoad Reformationem Eccleſiaſtici ſtatus.*

Qvod ad *Præfationes Cardinalis ac Vice-Cancellarii* attinet, cum illis ita ſe res habet. Martinus in publico Concilii decreto die 21. Martii diſpoſuerat, Concordata ſua cum Nationibus in Cancellariæ ſuæ libros eſſe conſcribenda, indeque, ſi quis pro ſua Natione deſideraret, petenda aut deſcribenda, Notarii Apoſtolici opera ac manu, ſed & in majorem fidem à Cardinale Vice-Cancellario ſubſignanda ſigillove munienda. Factum hoc ergo ex omni parte.

Atque ita Cardinalis ac Vice-Cancellarii negotium fuit, Nationibus petentibus ſua Concordata legitime edita communicare. Hinc quoties ex Cancellaria rogantibus ederet, *præfatione* fidem operi conciliavit, ac *teſtimonium* impertivit.

Talis eſt *gemina præfatio* Vice-Cancellarii Cardinalis, diverſis horum Concordatorum editionibus præmiſſa. *Unam* præfationem ex *Vindobonenſi Cæſareo Codice MSCto*, *alteram ex Ducali Brunſvicenſi* depromſimus: neutram, aliquantiſper, diverſam, omittendam rati.

Damus univerſa omni fide ac ſtudio. Ne quid poſteritati per nos deſit, quod ad avitas res geſtas cognoſcendas ſpectet.

NATIO-

Digitized by Google

GERMANICÆ NATIONIS
&
MARTINI V. PAPÆ
CONCORDATA
Qvoad Eccleſiaſtici regiminis emendationem,
In Concilio Conſtantienſi A. 1418. *adornata.*
Ex antiqviſſimis Codicibus MSCtis
Cæſareis Vindobonenſibus ac Ducalibus Brunſvicenſibus.

PRÆFATIO AC TESTIMONIUM
JOHANNIS, EPISCOPI OSTIENSIS,
Cardinalis & Vice-Cancellarii.
Ex MSCto Cæſareo Vindobonenſi.

Concordata hac in Concilio in Cancellariam Papalem relata d. 15. April. A. 1418.

EGo JOHANNES, EPISCOPUS OSTIENSIS, *Romanæ Eccleſiæ CARDINALIS & VICE-CANCELLARIUS*, infra ſcripta conſtitutiones & ſtatuta *transvidi in Cancellaria* de mandato Domini noſtri MARTINI PAPÆ V. *die quinta decima menſis Aprilis*, Pontificatus dicti Domini noſtri Papæ anno primo. Et *in libro Cancellariæ feci ſcribi* de eodem mandato. Et juxta ejusdem Domini noſtri mandatum ſic obſervari ubique mandavi. Et mihi extrahi ea feci & mandavi per notarium ſubſcriptum, & *in hanc publicam & autenticam formam* redigi, inſerendo ea de verbo ad verbum, prout in quaternis ſeu *libris* dictæ *Cancellariæ* originaliter conſcripta exiſtunt. Ut in quocunque judicio & extra, tam in curia Romana, quam extra, fidem plenariam faciant, illisque ſtari debeat incommutabiliter, ſicut propriis originalibus. Voluit inſuper, mandavit, ſtatuit & ordinavit idem Dominus noſter Papa, quod omnia & ſingula hic ſubſcripta firmiter & immobiliter obſerventur. In quorum omnium *teſtimonium* ſigillum meum cum notarii publici infra ſcripti ſubſcriptione apponi feci & mandavi.

Ex libris Cancellariæ fuerunt ſæpius excerpta & Germanis communicata.

ALIA PRÆFATIO AC TESTIMONIUM
Ejusdem JOHANNIS, EPISCOPI OSTIENSIS,
Cardinalis & Vice-Cancellarii.
Ex MSCto Ducali Brunſvicenſi.

UNiverſis & ſingulis JOHANNES, divina miſeratione EPISCOPUS OSTIENSIS, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ CARDINALIS ac VICE-CANCELLARIUS, Salutem in Domino, & præſentibus fidem indubiam adhibere.

Si juxta laudabilem antiquorum ſententiam & providum ſapientum conſilium dignum eſt, ea, quæ majorum conſultiſſima providentia in ſubditorum gratiam & commoda geruntur, ſcripturæ teſtimonio redigere: Dignum per conſequens & rationi conſentaneum, ut adeo nota ſit eorum veritas, quod inde nec deſit pacificis oportuna proviſio, nec usqvam perverſis ſub ignorantia variandi ſupina facultas relinquatur.

Cum

Cum itaque nuper inter Sanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum noſtrum, Dominum Martinum divina providentia Papam V. & Reverendiſſimos Patres Prælatos nec non egregios & circumſpectos viros, Ambaſiatores, Procuratores, Doctores, & Magiſtros, ceterosqve, VENERABILEM NATIONEM GERMANICAM in Generali Conſtantienſi Concilio repræſentantes & facientes, nonnulla CAPITULA CONCORDATA, & ab utraque parte ſponte ſuſcepta: Nec non de dicti Domini noſtri Papæ mandato *in libro Cancellariæ* ſanctæ Ro. Eccleſiæ, in quo Romanorum Pontificum conſtitutiones & ordinationes ſolent conſcribi ad futuram rei certitudinem, nobis operam dantibus, prout ad noſtrum ſpectat officium, *die quinta decima menſis Aprilis*, Pontificatus dicti Domini noſtri Papæ anno primo, *conſcripta* fuerunt, ac de ſimili mandato in Audientia contradictarum, *die ſecunda Menſis Maji*, anno quo ſupra, *lecta & publicata:* Addito, quod ſub noſtrarum literarum teſtimonio indigens quisque ſibi teſtimonium ſumere valeat, in toto, vel in ea parte, qua indiguerit eorundem: Nos ad N. inſtantiam, *Capitula* hujusmodi, ſicut perfertur, *Concordata* & ſponte ſuſcepta, ex integro libro prædicto de verbo ad verbum fideliter conſcribi & præſentibus annotari fecimus. Qvorum tenor ſeqvitur in hunc modum.

CAP. I.

De numero & qualitate Cardinalium, & eorum creatione.

Moderatum eſſe debere Cardinalium numerum.

STatuimus, ut deinceps *numerus Cardinalium* Sanctæ Romanæ Eccleſiæ adeo ſit *moderatus*, quod non ſit gravis Eccleſiæ.

Ex omnibus Nationibus ſeligendi. Æqualitas regionum in honoribus Eccleſiaſticis.

Qvi *de omnibus partibus Chriſtianitatis* proportionaliter, quantum fieri poterit, aſſumantur: Ut notitia cauſarum & negotiorum in Eccleſia emergentium facilius haberi poſſit, & *æqualitas regionum in honoribus Eccleſiaſticis* obſervetur.

Sint XXIV.

Sic tamen, quod *numerum* XXIV. non excedant.

Niſi pro honore nationum, quæ Cardinalem non habent, unus vel duo pro ſemel de conſilio & aſſenſu Cardinalium aſſumendi viderentur.

Sint eruditi, probi & prudentes.

Sint autem *viri in ſcientia, moribus & rerum experientia excellentes*, Doctores in Theologia, aut in jure Canonico vel civili.

Aliqui ex magnatũ domibus.

Præter admodum paucos, qui *de ſtirpe Regia* vel *Ducali* aut *magni Principis* oriundi exiſtant. In quibus competens literatura ſufficiat.

Non fratres, aut nepotes ex fratre vel ſorore, alicujus Cardinalis viventis.

Nec de uno ordine mendicantium ultra unum.

Non corpore vitiati, nec alicujus criminis vel infamiæ nota reſperſi.

Cardinalium electio quo pacto inſtituenda.

Nec fiat eorum *electio per auricularia vota* ſolum modo: Sed etiam cum conſilio Cardinalium collegialiter. Sicut in promotione Epiſcoporum fieri conſvevit.

Qvi modus etiam obſervetur, qvando aliquis ex Cardinalibus in Epiſcopum aſſumetur.

CAP. II.

De proviſione Eccleſiarum, monaſteriorum, prioratuum, dignitatum, & aliorum beneficiorum.

Reſervationes quæ Pontifici ſint conceſſa.

SAnctiſſimus Dominus noſter *Papa*, *Martinus Quintus*, ſuper proviſionibus Eccleſiarum, monaſteriorum & beneficiorum quorumcunque, *utetur reſervationibus juris ſcripti*, & conſtitutionis, *Execrabilis & Ad regimen*, modificatæ ut ſequitur:

Digitized by Google

Tota conſtitutio reſtricta ad quinquennium.

Ad regimen Eccleſiæ generalis quanquam immeriti ſuperna diſpoſitione vocati, gerimus in noſtris deſideriis, ut debemus, quod per noſtra diligentia ſtudium ad quarumlibet Eccleſiarum & monaſteriorum regimina & alia beneficia Eccleſiaſtica, juxta divinum beneplacitum & noſtræ intentionis affectum, viri aſſumantur idonei, qui præſint & proſint committendis eis Eccleſiis, monaſteriis & beneficiis prælibatis.

Præmiſſorum itaque conſideratione inducti, & ſuadentibus nobis aliis rationabilibus cauſis, nonnullorum prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archi-Epiſcopales, Epiſcopales Eccleſias, Monaſteria, prioratus, dignitates, perſonatus & officia, nec non canonicatus & præbendas, & Eccleſias, ceteraq; beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, vel ſine cura, ſecularia & regularia, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamſi ad illa perſonæ conſueverint ſeu debuerint per electionem, ſeu quemvis alium modum aſſumi, apud ſedem Apoſtolicam quocunque modo vacantia vel impoſterum vacatura: Nec non per depoſitionem, vel privationem ſeu translationem, per nos ſeu autoritate noſtra factas, & in antea faciendas, ubilibet: Nec non, ad quæ aliqui in concordia ſeu diſcordia electi, vel poſtulati fuerint, quorum electio caſſata ſeu poſtulatio repulſa, vel per eos facta renunciatio, & admiſſa autoritate noſtra extiterit, ſeu quorum electorum vel poſtulatorum, & in antea eligendorum ſeu poſtulandorum electionem caſſari, vel poſtulalationem repelli, aut renunciationem admitti per nos ſeu autoritate noſtra continget apud ſedem prædictam, vel alibi, ubicunque: Et etiam per obitum Cardinalium ejuſdem Eccleſiæ Romanæ, ac Officiariorum dictæ ſedis, quamdiu ipſa officia actualiter tenebunt, videlicet Vice-Cancellarii, Camerarii, ſeptem notariorum, auditorum literarum contradictarum, & Apoſtolici palatii cauſarum auditorum, correctorum, centum & unius ſcriptorum literarum Apoſtolic. & XXIV. pœnitentiaria præfatæ ſedis, & viginti quinq; abbreviatorum, nec non verorum commenſalium noſtrorum, & aliorum XXV. Capellanorum ſedis ejuſdem in pitavio deſcriptorum, & etiam quorumcunque legatorum ſeu collectorum ac in terris Eccleſiæ Romanæ Rectorum & theſaurariorum, deputatorum, ſeu miſſorum hactenus vel deputandorum ac mittendorum inpoſterum vacantia & in antea vacatura, ubicunque dictos legatos vel collectores, ſeu Rectores aut theſaurarios, antequam ad Romanam curiam redierint, ſeu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis: Nec non quorumlibet pro quibuscunque negotiis ad Romanam curiam venientium, vel etiam recedentium ab eadem, ſi in locis à dicta curia ultra duas dietas legales non diſtantibus, jam forſan obierint, vel eos in antea tranſire de hac luce contigerit: Et etiam ſimili modo quorumcunque curialium, peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, ſeu alia quacunque cauſa ad quævis loca ſecedentium, ſi antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem curia, ut præmittitur, non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non exiſtat ibidem, jam forſitan deceſſerint, vel in poſterum eos contigerit de medio ſubmoveri, nunc per obitum hujusmodi vacantia vel in poſterum vacatura: Rurſus monaſteria, prioratus, decanatus, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, officia, canonicatus, præbendas & Eccleſias, cæteraq; beneficia Eccleſiaſtica, ſecularia & regularia, cum cura vel ſine cura, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamſi ad illa perſonæ conſuerint ſeu debuerint per electionem, ſeu quemvis alium modum aſſumi, quæ promotæ per nos vel autoritate noſtra ad patriarchalium, Archi-Epiſcopalium, & Epiſcopalium Eccleſiarum, nec non monaſteriorum regimina, obtinebunt tempore promotionum, de ipſis factarum, nunc quocunque modo vacantia ſeu in poſterum vacatura: Nec non etiam quæ per aſſecutionem pacificam quorumcunque prioratuum, perſonatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum Eccleſiaſticarum aut beneficiorum aliorum, per nos, ſeu autoritate literarum noſtrarum immediate collatorum, ſeu conferendorum inpoſterum, præterquam, ſi virtute gratiæ expectativæ aſſecutio fiat, nunc vacantia & in antea vacatura: Plena ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis cum fratribus noſtris collatione præhabita, & matura deliberatione ſecuta, ordinationi, diſpoſitioni & proviſioni noſtræ, usque ad quinquennium de ipſorum fratrum conſilio autoritate Apoſtolica reſervamus. Decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſe-

eus ſuper præmiſſis & quolibet eorum, per quoſcunque quavis autoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuscunque conſtitutionibus, à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus editis, quatenus obſiſtere poſſent ſuperius enarratis articulis, vel alicui, ſeu aliquibus eorum, dicto quinquennio durante. *Nulli ergo &c.*

De electionibus & confirmationibus quæ & quousque Papa conveniant apud Germanos.

In Eccleſiis Cathedralibus, & etiam in monaſteriis, *Apoſtolicæ ſedi immediate ſubjectis*, fiant *electiones canonicæ*, quæ ad ſedem Apoſtolicam deferantur. Quas etiam ad tempus, conſtitutum in *conſtitutione Nicolai III.* quæ incipit: *Cupientes*, Papa expectet. Quo facto, ſi non fuerint præſentatæ, vel, ſi præſentatæ minus canonicæ fuerint, Papa provideat: Si vero canonicæ fuerint, Papa eas confirmet. Niſi ex cauſa rationabili & evidenti & de fratrum conſilio, de digniori & utiliori perſona duxerit providendum. Proviſo, quod confirmati & *proviſi per Papam* nihilominus *metropolitanis* cum aliis *præſtent debita juramenta*, & alia, ad quæ de jure tenentur.

In Monaſteriis Papæ immediate ſubjectis in Germania.

In monaſteriis Papæ immediate non ſubjectis apud Germanos.

In *monaſteriis, quæ non ſunt immediate ſubjecta ſedi Apoſtolicæ*, nec non in aliis beneficiis regularibus, ſuper quibus pro confirmatione ſeu proviſione non conſuevit haberi recurſus ad ſedem Apoſtolicam, *non teneantur venire electi*, ſeu illi, quibus providendum eſt, *ad curiam*, ad habendam confirmationem ſeu proviſionem. Nec etiam dicta beneficia regularia cadant in gratiis expectativis.

Ubi autem in monaſteriis ad curiam Romanam pro confirmatione venire vel mittere conſueverunt, ibi Papa non aliter confirmet aut provideat, quam ſuperius de Eccleſiis Cathedralibus eſt expreſſum.

De monaſteriis monialium.

De *monaſteriis monialium* Papa non diſponet, niſi ſint exemta: Et tunc per commiſſionem in partibus.

De reliquo jure Patronatus in Eccleſiis Germanicis.

De *cæteris* dignitatibus & beneficiis quibuscunque, ſecularibus & regularibus, vacaturis ultra reſervationes jam dictas: Majoribus dignitatibus poſt Pontificales in Cathedralibus, & Principalibus in collegiatis Eccleſiis, exceptis: De quibus *jure ordinario provideatur per* illos *inferiores*, ad quos aliàs pertinet: Nec computentur in turno ſeu vice eorum: Idem Dominus noſter ordinat, quod per quamcunque aliam reſervationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam diſpoſitionem, ſub quacunque verborum forma per eum aut ejus autoritate factam vel faciendam, non velit, neque volebat, neque intendebat, nec intendit facere, aut fieri, quo minus de media parte illarum & illorum, cum vacabunt, *alternis vicibus libere diſponatur per illos, ad quos collatio, proviſio, præſentatio, electio aut alia quævis diſpoſitio pertinebit*, prout ad ipſos ſpectabit de conſuetudine vel de jure.

De alternante collatione officiorum.

Ita, quod, cum *de una* dignitate, perſonatu, officio vel beneficio ex illis, ad electionem, proviſionem, collationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem alicujus ſpectante, fuerit *autoritate Apoſtolica proviſum* aut aliàs diſpoſitum, *ille, ad cujus electionem*, vel quamvis diſpoſitionem, primo loco *pertinebat, de alio immediate poſtea vacaturo provideat*, aut diſponat, prout ad eum pertinebat.

Et ita conſequenter de ſingulis hujusmodi dignitatibus, perſonatibus, officiis, & beneficiis vacaturis, autoritate ejuſdem Domini noſtri Papæ, & aliorum prædictorum, *alternatis vicibus diſponatur*. Reſervationibus, aut aliis præmiſſis diſpoſitionibus, autoritate ejuſdem Domini noſtri Papæ factis vel faciendis, non obſtantibus quibuscunque.

Quoties verò aliquo vacante beneficio, cadente in vice & in gratia expectativa, non apparuerit infra tres menſes à die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo ſecundum prædictas ordinationes fuerit autoritate Apoſtolica proviſum: *Ordinarius*, vel *alius*, ad quem illius diſpoſitio pertinebit, *de illo libere diſponat*: Nec ſibi in ſua vice computetur.

Beneficia etiam, quæ per ſimplicem renunciationem aut permutationem vacaverint, neutra Papæ computentur.

Sanctiſſimus Dominus noſter Papa *Martinus Quintus*, ad exaltationem fidei catholicæ, & ſpiritualem profectum populi Chriſtiani, *de conſenſu ac benepla-*

cito nationis Germanicæ ſtatuit, & ordinavit ac decrevit, quod deinceps in metropolitanis & Cathedralibus Eccleſiis *nationis Germanicæ* ejuſdem, *ſexta pars Canonicatuum & præbendarum ſit pro Doctoribus aut Licentiatis in ſacra pagina, vel altero jurium, vel in Theologia Baccalaureis formatis, aut Magiſtris in Medicina*, qui per biennium, ſeu *Magiſtris in artibus*, qui per quinquennium poſt magiſterium, in Theologia aut altero jurium ſtuduerunt in Studio generali.

De Canonicatibus pro graduatis apud Germanos.

Sic videlicet, quod, ubicunque non fuerit ſaltem *ſexta pars canonicorum, præbendatorum*, in metropolitana vel Cathedrali Eccleſia, taliter *graduatorum*, ibi quæcunque deinceps canonicatus & præbendæ vacaverint, quacunque etiam Apoſtolica vel alia autoritate, *non niſi taliter graduatis conferantur*, quouſque dicta *ſexta pars* compleatur *taliter graduatis*. Si tamen *infra menſem*, à tempore vacationis hujuſmodi canonicatus & præbendæ numerandum, repertus fuerit taliter *graduatus*, & *alias idoneus*, qui per ſe vel per procuratorem voluerit acceptare.

Quod poſtmodum continuetur, ut ad minimum dictus *numerus ſextæ partis canonicorum*, taliter, ut præmittitur, *graduatorum*, in ipſis metropolitanis & cathedralibus Eccleſiis habeatur.

De illuſtribus perſonis Canonicis apud Germanos.

Ubi autem ſoli conſueverunt *illuſtres* aut de *Comitum* vel *Baronum* genere vel ex utroque genere militares in *canonicos* admitti: Taliter graduati, qui acceptare voluerint, ſi *taliter nobiles*, ut præmittitur, fuerint, in illis Eccleſiis cæteris etiam nobilibus ſaltem uſque ad dictum numerum præferantur.

Item, quod in aliis collegiatis Eccleſiis *ejuſdem nationis*, ſimiliter *ſexta pars canonicatuum* & præbendarum deinceps modo præmiſſo conferatur, *ſic*, ut præmittitur, *graduatis*, aut ſaltem in medicina aut in artibus Magiſtris vel Licentiatis, aut in Theologia vel altero jurium baccalaureis examinatis per rigorem, cum limitatione, modo & ordine ſupra dictis.

De magnis parochialibus Eccleſiis in Germania.

Item quod *Parochiales Eccleſia*, habentes, communi æſtimatione, quæ ſecundum famam publicam attendatur, *duo millia communicantium* vel plures, deinceps non conferantur, etiam Apoſtolica vel quacunque alia autoritate, niſi *Doctoribus vel Licentiatis in ſacra pagina* vel jure Canonico vel civili, & Baccalaureis in Theologia formatis: Si tamen *infra menſem*, à tempore vacationis numerandum, reperiatur taliter graduatus, qui per ſe vel per procuratorem voluerit acceptare.

Decernendo irritum & inane, ſi ſecus in præmiſſis, tam circa canonicatus & præbendas, quam parochiales Eccleſias, vel eorum aliquod, a quoquam, quavis etiam autoritate Apoſtolica, fuerit acceptatum.

Salvis ſemper *laudabilibus conſuetudinibus & ſtatutis Eccleſiarum*, quæ præmiſſis non adverſantur. In contrarium autem facientibus non obſtantibus quibuscunque.

Item quatenus prædicta conſtitutio, ſeu ordinatio, pluribus proſit, & *humanæ ambitioni frenum imponatur*, ordinat, ſtatuit, & decernit idem Dominus noſter Papa, quod, vigore præſentis conſtitutionis ſeu ordinationis, *nemo graduatorum poſſit ultra unum Eccleſiaſticum beneficium adipiſci*.

Item vult, quod in pari data ad eandem collationem *graduatus non graduato præferatur*. Prærogativis & diligentia non obſtantibus quibuscunque.

Item, quod *vicariæ*, ad certa chori officia in Eccleſiis Cathedralibus & collegiatis deputatæ, non conferantur, etiam Apoſtolica autoritate, niſi talibus, qui hujuſmodi beneficia cantando, legendo, & aliàs ſciverint & potuerint perſonaliter adimplere.

CAP. III.

DE ANNATIS.

De Fructibus primi anni.

De Eccleſiis & *monaſteriis virorum* duntaxat, vacantibus & vacaturis, ſolventur *pro fructibus primi anni* à die vacationis *ſumma pecuniarum*, in libris Cameræ Apoſtolicæ taxatæ, quæ *communia ſervitia* nuncupantur.

Communia ſervitia.

Digitized by Google

Taxa Eccleſiarum Germanicarum exceſſiva, moderanda.

Si quæ vero *exceſſive taxata* ſunt, juſte retaxentur. Et provideatur ſpecialiter *in gravatis regionibus* ſecundum qualitatem rerum, temporum, *& regionum, ne nimium prægraventur.* Ad quod dabuntur *Commiſſarii*, qui diligenter inquirant & retaxent.

Annata qua & quando ſolvenda à Germanis.

Taxæ autem prædictæ *pro media parte infra annum* à die habitæ poſſeſſionis pacificæ totius vel majoris partis ſolventur: Et *pro media parte alia infra ſequentem annum.*

Et ſi *infra annum bis* vel pluries *vacaverit*, ſemel tantum ſolvetur.

Debitum in ſucceſſorem non tranſeat.

Nec debitum hujuſmodi *in ſucceſſorem* in Eccleſia vel monaſterio *tranſeat.*

De ceteris autem dignitatibus, perſonatibus, officiis, ſecularibus & regularibus, quibuſcunque, quæ autoritate ſedis Apoſtolicæ conferentur, vel providebitur de eiſdem, præterquam vigore gratiarum expectativarum aut cauſa permutationis, ſolvatur *annata* ſeu *medii fructus* juxta taxam ſolitam tempore unionis infra annum.

Et debitum hujuſmodi in ſucceſſorem in beneficio *non tranſeat.*

De beneficiis vero, quæ valorem XXIV. florenorum de camera non excedunt, nihil ſolvatur.

Debitis omnibus præteriti temporis, uſque ad aſſumtionem Domini noſtri, communium ſervitiorum & annatarum, *pro medietate relaxatis*, ſolventibus aliam medietatem infra ſex menſes à die publicationis.

CAP. IV.

De cauſis tractandis in Romana curia, nec ne.

Cauſa ad Ro. curiã pertinentes limitata.

SAnctiſſimus Dominus noſter Papa *Martinus V.* ſtatuit, & ordinat, quod nullæ cauſæ in Romana curia committantur, niſi *quæ de jure* & natura cauſæ *in Romana curia tractari debebunt.*

Et quod cauſæ, *quæ ad forum Eccleſiaſticum de jure* vel *conſuetudine non pertinent*, per Romanam curiam, etiam prætextu crueeſignationis laicorum, extra tempus paſſagii generalis, *non recipiantur*, de illis cognoſcendo in curia, vel extra committendo, niſi de conſenſu partium.

Quæ verò ad forum Eccleſiaſticum pertinent, & *de jure* ſunt per appellationem aut aliàs ad Romanam curiam *devoluta*, ac de ſui natura in eadem tractandæ, tractentur in ea. *Cetera committantur in partibus.*

Niſi forſan pro cauſæ & perſonarum qualitate, in commiſſione exprimenda, illas tractare in curia expediret, pro juſtitia conſequenda, vel de partium conſenſu, in curia tractentur.

CAP. V.

DE COMMENDIS.

Commenda ſublata.

ORdinat Dominus noſter Papa, quod inpoſterum monaſteria, aut magni prioratus conventuales, habentes temporib' ultra decem religioſos, & officia clauſtralia, dignitates majores poſt pontificales in cathedralib', ſive Eccleſiæ parochiales, *nulli prælato etiam Cardinali dentur in commendam.*

Datæ autem & dati, quamprimum *commendatariis* loco illorum de æquivalenti providebitur, poſt pacificam poſſeſſionem adeptam, illas dimittant.

Una etiam Eccleſia metropolitana uni Cardinali vel patriarchæ concedi poterit, proviſionem aliam ſufficientiorem non habenti.

CAP. VI.

De Simonia in foro conſcientiæ providetur ut ſequitur.

UT autem, conſideratâ *malitiâ* aliquorum *temporum proxime præteritorum*, quibus *labes Simoniaca* tam *in ordinibus*, quam *in beneficiis Eccleſiaſticis*, tunc conferendis & percipiendis, ac religionibus ingrediendis, fuit heu *nimium frequentata*, *laſis* in hoc *conſcientiis*, ad puriorem adminiſtrationem & perceptionem ſacramentorum, ſalubriter *conſulatur*: Omnibus & ſingulis Patriarchis

archis, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Abbatiſſis, cæterisqve Prælatis, nec non clericis ac perſonis Eccleſiaſticis, religioſis & ſecularibus utriusqve *ſexus*, ut quælibet earum infra tres menſes poſt publicationem aut inſinuationem præſentium, ſibi aut in diœceſi, ubi domicilium habuerit, factam, aliquem *in ſacra pagina vel in jure canonico Doctorem aut Licentiatum vel Baccalaureum formatum*, ubi talis commode poterit reperiri, vel, ubi talis non reperitur, *Lectorem*, ſeu alias *intelligentem ſacerdotem, diſcretum ac bona fama*, curatum, vel non curatum, *eligere* valeat *confeſſorem*, qui infra prædictum tempus, quantocius commode fieri poterit, ejus confeſſione auditâ, ipſam perſonam confitentem à ſuis peccatis, & à quibuscunque excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti, aliisqve ſententiis, cenſuris ac pœnis, quas forſan *propter ſimoniam* in ordine vel beneficio Eccleſiaſtico, religionis ingreſſu, aut aliàs qualitercunque, *active vel paſſive commiſſam*, usqve ad tempus publicationis prædictæ dignoſcitur incurriſſe, *in foro conſcientiæ* duntaxat *abſolvere*, nec non ſecum ſuper irregularitate, ſuper eo, quod hujusmodi ſententiis aut earum aliqua ligata forſan miſſas vel alia divina officia celebraſſe, aut ſe illis immiſcuiſſe cenſebitur, usque ad tempus prædictum contractâ, ipsaqve propter præmiſſa aût eorum aliquod à ſuorum ordinis vel officii executione ſuſpenſa, qvod in illis nihilominus miniſtrare, illa exercere beneficia adepta, vel ſtatum, in quo eſt, retinere, & ad ulteriora promoveri poſſit, in dicto foro valeat *diſpenſare*, ac eidem beneficia, quæ obtinet, ob hoc forſitan vacantia vel vacatura, ſi & poſtquam dimiſerit, *reconferre*, omnemqve inhabilitatis, irregularitatis, nec non infamiæ maculam ſive notam atque aliam labem, per eum occaſione prædicta usqve ad tempus prædictum contractam, in eodem foro totaliter *abolere*, fructus quoque beneficiorum Ecceleſiaſticorum, quos indebite percepit, & quos percipere potuiſſet, aut quicquid occaſione prædicta fuerit refundendum, dummodo perſona ipſa, ad refuſionem faciendam deducto, ne egeat in ſtatu, in quo tunc fuerit, aut aliàs absque nota vel ſcandalo ſufficiens non fuerit, in dicto foro *remittere*, ac eam de his *quitare & liberare*, tenore præſentium miſericorditer *indulgemus*: Conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunque.

De eligendo confeſſore qui Simoniacum abſolvat.

CAP. VII.

De non vitandis excommunicatis, antequam per judicem fuerint declarati & denunciati.

INſuper ad vitanda ſcandala & multa pericula, *ſubveniendumq́; conſcientiis timoratis*, omnibus Chriſti fidelibus tenore præſentium miſericorditer *indulgemus*, quod nemo deinceps à communione alicujus in ſacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis, vel extra, prætextu cujuscunque ſententiæ aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, à jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, ac interdictum Eccleſiaſticum obſervare. Niſi ſententia, vel *cenſura* hujusmodi fuerit in vel contra perſonam, collegium, univerſitatem, Eccleſiam, communitatem, aut locum certum, vel certa, *à judice publicata*, vel *denunciata* ſpecialiter & expreſſe.

De excommunicationis virtute reſtricta.

Conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuscunq;.

Salvo, ſi quem pro ſacrilegio, & manuum injectione in clerum, ſententiam latam à canone adeò notorie conſtiterit incidiſſe, quod factum non poſſit aliqua tergiverſatione celari, nec aliquo juris ſuffragio excuſari. Nam à communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abſtineri, juxta canonicas ſanctiones.

CAP. VIII.
De DISPENSATIONIBUS.

De diſpẽſationibus Papalibus limitatis.

ORdinat etiam Dominus noſter, ad Eccleſias Cathedrales, monaſteria, prioratus conventuales & parochiales Eccleſias, *ſuper defectum ætatis ultra triennium nullatenus diſpenſare.* Niſi forte in Eccleſiis Cathedralibus ex ardua & evidenti cauſa, de conſilio Cardinalium, ſeu majoris partis illorum, videretur aliter diſpenſandum.

Item Dominus noſter in arduis & gravibus caſibus ſine conſilio Cardinalium non intendit diſpenſare.

CAP. IX.
De proviſione Papæ & Cardinalium.

De communibus ſervitiis & vacantiis pro Papa & Cardinalibus.

ROmano Pontifici & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus *pro illorum ſuſtentatione*, rebus Romanæ Eccleſiæ ſtantibus, ut ſunt, non videtur aliter poſſe provideri, quam hucusque factum eſt, ſcilicet *per beneficia & communia ſervitia*, quæ *vacantia* nuncupantur.

Quæ beneficia Eccleſiaſtica Cardinalibus non ſint conferenda in Germania.

Verùm circa beneficiorum qualitatem taliter duximus providendum, quod *nulli Cardinali* monaſterium, prioratus conventuales, ultra numerum decem religioſorum ſecundum moderna tempora habere conſueti, nulla major dignitas poſt pontificalem in cathedralibus, aut parochiales Eccleſiæ, nullum officium clauſtrale, nullum Xenodochium, hoſpitale, eleemoſynaria, ſeu leproſaria, *in titulum vel adminiſtrationem conferantur.* Et ſi quæ talia nunc obtinet, quamprimum Papa loco illorum de alio æquivalenti providebit, illa dimittere teneatur, ſicut ſuperius de Commendis eſt dictum.

Proviſo, quod Cardinalis de proventibus Eccleſiaſticis non habeat ultra valorem ſex millium florenorum.

CAP. X.
DE INDULGENTIIS.

Indulgentia in Germania refrenata.

CAvebit Dominus noſter Papa *in futurum* nimiam indulgentiarum effuſionem, ne vileſcant. Et *in præteritum* conceſſas ab obitu *Gregorii XI. ad inſtar alterius indulgentiæ*, revocat & annullat.

CAP. XI.
De horum Concordatorum, Papæ Martini V. & nationis Germanicæ, valore.

Concordata hæc ad quinquennium à fine Concilii Conſt. durare debere.

ITem ſanctiſſimus Dominus noſter *Papa & inclyta natio Germanorum conſenſerunt & proteſtati ſunt*, quod omnia & ſingula ſupradicta *durare & tolerari debeant uſque ad quinquennium duntaxat*, à data præſentium numerandum: Conſtitutionibus Apoſtolicis, *regulis Cancellariæ* factis & fiendis, & aliis in contrarium facientibus, *non obſtantibus* quibuscunque. Quodq; per obſervantiam illorum *nullum jus novum Romano Pontifici*, aut alicui alteri Eccleſiæ vel perſonæ, *acquiratur* ſeu præjudicium generetur.

Regulas Cancellariæ debere cedere Concordatis cum Germanis.

Lapſo quinquennio à fine Concilii Conſtant. Germanos in priſtina ſua libertate uti debere.

Sed *lapſo dicto quinquennio* quælibet Eccleſia & perſona prædicta *liberam facultatem habeat utendi quolibet jure ſuo*, non obſtantibus ſupradictis.

Et quod *capitula* prædicta, & quodlibet eorum, *dentur* cuilibet ea habere volenti, communiter ſeu diviſim, *in autentica forma, ſub ſigillo Domini Vice-Cancellarii*, cum ſubſcriptione notarii. Sic, quod fidem faciant, exhibita ubicunque.

Pro toto autem non ſolvantur, ultra duodecim groſſi Turonenſes.

INDEX

INDEX CAPITUM
IN CONCORDATIS MARTINI V. ET GERMANICÆ NATIONIS.

Gemina Præfatio ac duplex Teſtimonium JOHANNIS, Epiſcopi Oſtienſis, Cardinalis & Vice-Cancellarii.

Cap. I. *De numero & qualitate Cardinalium & eorum creatione.*

Cap. II. *De Proviſione Eccleſiarum, monaſteriorum, Prioratuum, Dignitatum & aliorum beneficiorum.*

Cap. III. *De Annatis.*

Cap. IV. *De Cauſis tractandis in Ro. curia, nec ne.*

Cap. V. *De Commendis.*

Cap. VI. *De Simonia, cui in foro conſcientiæ proviſum.*

Cap. VII. *De non vitandis excommunicatis, antequam per judicem fuerint declarati & denunciati.*

Cap. VIII. *De diſpenſationibus.*

Cap. IX. *De proviſione Papæ & Cardinalium.*

Cap. X. *De Indulgentiis.*

Cap. XI. *De horum Concordatorum, Papæ Martini V. & Nationis Germanicæ, valore.*

Rarum

Rarum & hoc
Constantienſium
CONCORDATORUM,
ſeorſim inter
MARTINUM V.
& Germanicam Nationem initorum
Opus,
in Oecumenico Concilio
Conſtantiæ Germanorum
IMPERATORE SIGISMUNDO
A. 1418. menſe *Januario* conſignatum,
menſe *Martio* à Papa Concilio denunciatum,
menſe *Aprili* libro Cancellariæ inſertum,
menſe *Majo* in Papali curia publicatum,
Qvo
non Germanorum deſiderio
ſed ſpei in Conſt. Concilio
ultima manus impoſita.
Nunc poſt tot ſecula
ad Germanicæ hiſtoriæ lucem
& fatorum priſtinorum memoriam
Ex antiquiſſimis Codicibus MSctis
Cæsareis Vindobonensibus
ac Ducalibus Brunsvicensibus
è tenebris in lucem felici fato productum
in Academia Julia
A. M DC. XCVII. die 17. Aprilis,
Qvem colimus, fauſto RUDOLPHI nomine ſacrum.
Feliciſſimis Auſpiciis
Sereniſſimi Brunſvicenſium Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI,
IMPERATORE
LEOPOLDO
IMPERII ROMANO-GERMANICI
VINDICE AUGUSTISSIMO.

): (

TOMI I. PARS XXV.

ANGLICANÆ NATIONIS

&

MARTINI PAPÆ V.

CONCORDATA

QVOAD SUPREMI ECCLESIASTICI REGIMINIS REFORMATIONEM,

In Oecumenico Conſtantienſi Concilio

A. 1418. *circa menſem Februarii* parata,

d. 21. *Martii* in publico Concilii conſeſſu roborata,

d. 12. *Julii* in Librum Cancellariæ conſcripta,

d. 21. *Julii* Roberto Nevilli Anglo exhibita.

Felicissimis Auspiciis

SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

Ex antiquiſſimo Codice MSCto Anglicano

Bibliothecæ Academiæ Cantabrigiensis

eruta,

ac luci expoſita ab

HERMANNO von der Hardt.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

Helmestadi, Typis Salomonis Schnorrii, 1697.

Digitized by Google

MSCti Codices
Actorum Concilii Conſtantienſis
Ad ſeſſionem publicam
A. 1418. die 21. Martii.

* * *

Placent Nationibus decreta recitata,
& Cuilibet Nationi
placet
CONCORDIA
cum ipſa
per Dominum noſtrum
facta:
Et per præmiſſa
fatentur
decreto etiam jam eſſe ſatisfactum.
Non intendentes præterea
quod Concordata cum una Natione
in aliquo
alteri Nationi
præjudicium afferant.

Digitized by Google



HERMANNUS von der Hardt
Lectori S. P.

Diſtributus in principio Concilii, Sigismundi Imperatoris & Magnatum conſilio, totus erat orbis Chriſtianus, Conſtantiam confluens, in *Nationes*, vota de rebus arduis in concilio concepturas. Earumq; primùm conſtitutas fuiſſe *quatuor*, abunde notum: *Germanicam, Anglicam, Gallicam, Italicam.* Qvibus dein addita *quinta, Hiſpanica*, ab Hiſpanorum ad Concilium adventu.

Qvanquam vero Johannes XXIII. hanc orbis in Concilio præſentis diſtributionem, atque hoc ſingulare in Concilio vota concipiendi jus ac genus, per Nationes diſtributum, ægerrime ferret: Qvod alibi fuſius oſtendetur: Salutem tamen publicam, ex hoc jure oriundam, ſuis machinis ſubruere haud ſuſtinuit.

Neqve fortior fuit ſcrupulus, qui ſubito evanuit, quem *de Anglis* in Concilio ceteris injicere tunc contenderunt Galli: *Illine ſingularem in Concilio Nationem referrent, ac peculiare votorum jus, ceteris Nationibus par, tenerent?* Qvæ liticula luculenter conſtat ex *Legatorum* Galliæ & Angliæ Regum *proteſtationibus*, circa hanc rem in Conſtantienſi Concilio expoſitis.

Robertus Wyngfield, Eques Anglus, Angliæ Regis Conſiliarius, apud Cæſarem Maximilianum in ſuperioris ſeculi exordio Regis ſui orator, legationis ſuæ fato ac lege *Conſtantiam Germaniæ* delapſus, *ex perantiquo laudatiſſimæ urbis Codice MSCto*, Senatus indultu, per fidos Notarios hanc, in Conſtantienſi Concilio editam inter Gallos & Anglos de Nationis ac voti in Concilio jure Diſputationem non inelegantem, excerpſit. Eamq; dein *Richardo Lepido Bartholino*, viro erudito, eden-

dam ſubmiſit. Qvi *A.* 1517. *Lovanii* hoc præſtitit ſub hoc charactere: *Nobiliſſima Diſceptatio ſuper dignitate & magnitudine Regnorum Britannici & Gallici, habita ab utriusque oratoribus & legatis in Concilio Conſtantienſi.*

Qvam eruditam inter Gallos & Anglos de Nationis charactere ac votorum in Concilio illo prærogativa diſceptationem, hoc ſeculo *A.* 1672. *Pariſiis* in Regia Tomorum Concilii editione, ex alio *MSCto Codice* petitam, in Appendicem Actorum Concilii Conſtantienſis conjecit Labbeus. *Proteſtationem* nempe *Ambaſſatorum Regis Franciæ, pro juſtitia ejusdem Regis elucidanda*, f. 1727. commemoravit: *Proteſtationes* autem *Anglicanorum*, f. 1739. usque ad 1753. pertexuit. Qvæ *Labbeana recenſio* multo eſt curatior primâ ac ſuperiori illâ, nec tamen ubique perfecta.

Sed & noviſſime, *A.* 1690. *Londini* reſuſcitata eſt pulchella hæc in Conſt. Concilio inter Anglos ac Gallos de Nationis ac votorum in Concilio jure agitata dimicatio: *Vitæ Reginaldi Poli, Cardinalis ac Cantuarienſis Archi-Epiſcopi* ab editore anonymo attexta. Sectatus verò editor hic, dilucidioris paulo Labbeanæ recenſionis immemor, primæ editionis Wingfeldianæ aut Bartholinianæ veſtigia, obſcuriuſcula ſæpe atque haud diſcernenda. Neque ſine cauſa dolet vir eruditus, ſero nimis ſe expertum, *in Bibliotheca Collegii S. Trinitatis in Academia Cantabrigienſi MSCtum* hujus concertationis elegantis *Codicem* aſſervari, alioquin elegantius ſe exornaturum hunc fuiſſe libellum.

Nos volente Deo, *alio* hujus operis *Tomo* bellam hanc atque amicam dimicationem literariam concinnius aliquanto repetere conſtituimus.

Ita ergo *Anglis* dubium quidem in Concilio motum à Gallis de Nationis peculiaris charactere & votorum proprio jure: Aſt irrito eventu. Siquidem Angli ſuarum rationum pondere atque virtute ſuperiores evaſerunt, ac jus omne, ceteris Nationibus ex aſſe par, ſibi vindicarunt, & illæſum conſtanter ſervarunt.

Qvapropter in cunctis Concilii negotiis *Anglicana Natio Deputatos*, æque ac ceteræ, ſuos *dedit*, rebus arduis Concilii interfuturos. Sicuti vel proxime ante Pontificis electionem, in difficili quæſtione, de Reformationis ac Pontificis eligendi ordine, Anglica natio cum Germanica, reformationem electioni præmittendam eſſe, contra Gallos, Italos, ac Hiſpanos urſit, donec in horum partem pelliceretur.

Qvod ſuum jus ut *ante* ita & *poſt electionem Pontificis* Martini V. *tuita* inclyta Anglicana Natio. Qvo effecit, ut, cum Martinus ſigillatim cum Nationibus diſtinctis tranſigeret de Reformationis momentis, ſeorſim quoque *cum Anglicana natione*, æqve ac antea cum Germanica, nova iniret *Concordata.*

Siquidem in *Reformatorio Conſtantienſi* cum ceteris Nationibus & Anglicana per ſuos Deputatos Eccleſiaſtici Regiminis per Pontificem in Anglia ſuffulti emendationem enixe quæſiverat.

Qvo inter alia quoq; ſpectat, quod *in antiquo Codice MSC. Bibliothecæ*

Paulinæ

Digitized by Google

Paulinæ Academiæ Lipſienſis pro Anglicana Natione in *Reformatorio Conſtantienſi* decretum legimus, hic jure meritoq; commemorandum.

De Collationibus Beneficiorum pro Natione Anglicana.

„ QVia, ſicut tempore Apoſtolorum, & poſtmodum ſucceſſive, *Eccleſia doctrinis & exemplis, ac cura pervigili Prælatorum, & miniſtrorum idoneorum, ſcientificorum & honeſte viventium,* „ divina gratia favente mirabiliter *crevit*; Sic proh dolor eadem Eccleſia *per defectum prædicatorum & bonorum exemplorum, ac negli-* „ *genti cura prælatorum, & inſufficientia miniſtrorum* ipſius Eccleſiæ, la- „ mentabiliter conculcatur & laceratur: His diebus *hæc ſacroſancta ſynodus*, volens, quantum in ipſa eſt, *remedium* in ea parte adhiberi opti- „ mum, ordinat & decernit, quod *Papa*, pro tempore exiſtens, in ſuis „ proviſionibus ad prælaturas, & alia beneficia Eccleſiaſtica, *mentem* habeat & *gerat ſpecialem ad Doctores in Theologia, Jure canonico & civi-* „ *li*, & ipſis juxta eorum habilitates & ſufficientias ad gubernandum in „ ſpiritualibus & temporalibus provideat inter alios.

Item quod Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Abbates, priores, & alii qui- „ cunque ſpirituales, beneficiorum collatores, *Doctores in Theologia, ju-* „ *re canonico & civili, ac magiſtros artium & Licentiatos in jure canonico & civili*, nec non *Baccalaureos in Theologia*, ad quæcun- „ que beneficia, cum cura, extra Eccleſias Cathedrales exiſtentia, quam- „ diu aliqui hujuſmodi *Doctores, Magiſtri*, ſive *Licentiati*, nati in diœceſibus, ubi hujuſmodi beneficia exiſtunt, non promoti fuerint, ſemper „ unum ex omnibus hujuſmodi beneficiis, ex nunc ſimul vel ſucceſſive „ vacaturis, conferant, ſeu ad ea præſentent, in forma juris, de tempore in tempus.

„ Qvi quidem *Doctores in Theologia*, & alii prædicti ſic promoven- „ di, ſuper eiſdem beneficiis ſuis *reſideant, & ſuis doctrinis & exemplis populum informent in lege Chriſti.* Et ad hoc per ſuos Ordinarios im- „ pellantur &c.

„ Item Archi-Epiſcopi & Epiſcopi in collationibus beneficiorum in Eccleſiis Cathedralibus & collegiatis *Doctores in Theologia & Jure ca-* „ *nonico* ſic habeant recommiſſos, quod in Eccleſiis Cathedralibus & col- „ legiatis dignitates & *beneficia, pro Theologia ſive Jure canonico in eiſdem Eccleſiis legendis fundata*, per hujuſmodi Doctores in Theologia „ & jure canonico, & non per alios quovismodo occupentur, juxta natu- „ ras & fundationes eorundem beneficiorum.

„ Qvi quidem *Doctores Theologiæ & Juris canonici in eiſdem Eccleſiis* „ juxta eaſdem naturas & fundationes *perſonaliter & continue legant.*

„ Præterea iidem Archi-Epiſcopi & Epiſcopi alias dignitates, cano- „ nicatus & præbendas in ſingulis ſuis Eccleſiis cathedralibus & collegiatis ſic conferant, quod, quamdiu hujuſmodi Doctores, Baccalaurei ſi- „ ve Licentiati, *in ſuis diœceſibus nati* & non promoti, ſeu unicum bene- „ ficium tantum & hoc curatum habentes, reperiri poterunt *idonei*:

„ Inter quatuor hujuſmodi dignitates ſeu præbendas, per mortem ſive „ reſignationem in eisdem Eccleſiis Cathedralibus & collegiatis vacatu„ ras, unam conferent alicui eorundem.

„ Et præterea alios hujuſmodi Doctores & Licentiatos, & Baccalau„ ros, juxta ſua merita, ſcientias & habilitates, *extra ſuas diæceſes natos,* „ habeant in aliis collationibus ſuis, ad hujuſmodi dignitates & præben„ das in eisdem Eccleſiis cathedralibus vacaturis, recommiſſos, juxta „ ſuas conſcientias, & ſecundum quod utilitati Eccleſiarum videbitur „ expedire.

„ Et omnes Doctores & Licentiati & Magiſtri & Baccalaurei prædi„ cti, vigore præſentis ordinationis ſive decreti promovendi, ſuper be„ neficiis hujuſmodi juxta naturas & fundationes eorundem *reſideant* „ & morentur. Niſi habeant cauſam juridicam ſive rationabilem abſen„ tiæ ſuæ.

„ Et ad finem, ut præmiſſa effectualiter exequi valeant, *Cancel*„ *larii* vel *Rectores univerſitatum* pro tempore exiſtentes, de nominibus „ hujuſmodi Doctorum, Licentiatorum ac Magiſtrorum & baccalaureo„ rum, Ordinariis locorum, in quibus nati exiſtunt, certificent de tempo„ re in tempus.

Qvemadmodum igitur tandem Martinus V. diviſim cum Nationibus *de Reformatione* agere & tranſigere cœperat, Germanicæ Nationi ſua impertiens Concordata, ſuperiori Parte à nobis exhibita: Ita & *Anglicæ Nationi* ſimilia ſeorſim in Concilio dedit *De Reformatione ſupremi, Eccleſiaſtici regiminis Concordata.*

Debemus nobilem hanc Actorum Concilii Conſtantienſis partem incompatibili *Magnæ Britanniæ* beneficio.

Illuſtriſſimorum quippe *Angliæ Magnatum*, *ARCHI-EPISCOPI CANTUARIENSIS, & EPISCOPI SARISBERIENSIS,* gratiâ & auxilio factum, ut Viri Clariſſimi, Dn. RODERICUS ac Dn. LAUGTHONUS, Cantabrigienſis Academiæ Antiſtites, in Excerptis, ex MScto Codice Actorum Concilii Conſt. in Cantabrigienſis Academiæ Bibliotheca ſancte aſſervato, nobis benevole communicatis, plene exhiberent hæc *Martini V. cum inclyta ſua Natione in Conſtantienſi Concilio inita de Reformatione Concordata.*

Ceterum *A.* 1418. *circa menſem Februarii* hanc tranſactionem à Martino cum Anglis eſſe paratam atque illis communicatam, ex Concilii ſatis patet. Siquidem cum Germanis ſub finem menſis Januarii Martino convenit, Et menſe Martio initis cum omnibus Nationibus concordatis ultima jam fuit impoſita à Martino manus. Interea temporis & cum Anglis ita pactus Martinus.

Memorata ac denunciata & hæc cum Anglis æque ac illa cum Germanis inita religioſa pacta, in publico Concilii conſeſſu *d.* 21. *Martii.*

Eodemq; tempore & hæc Anglicana Martinianaq; tranſactio publicum viſa eſt Concilii impetrare calculum roburqve duraturum, quando *Martinus* per Cardinalem, Vice-Cancellarium, Johannem Oſtienſem Ep. ſpecialem harum rerum directorem, palam enuncia-

ri co-

Digitized by Google

ri coram Concilio Nationum nomine juſſit: *Placere cuilibet Nationi concordiam per Papam cum ipſa factam.*

An autem exemplo Gallorum olim hæſitaverint alicubi circa hæc Concordata & Angli, noſtrum non eſt definire. Magnis eruditorum Anglorum luminibus, quibus abſtruſa Bibliothecarum ac tabularum reconditarum penetralia in ampliſſimo illo Regno patent, hæc pervidenda ac dijudicanda relinqvimus.

Ceterum uti Conciliariter & hoc Anglorum & Martini ſacrum fœdus denunciatum ac confirmatum: Ita & ex Martini voluntate, exemplo Concordatorum Germanorum, *libris Cancellariæ* hæc Anglica conventio *d.* 12. *Julii inſcripta.* Unde ab Anglis petentibus hæc depromenda atque impertienda eſſent, diſponente Johanne, Oſtienſi Epiſcopo, in Cardinalium Collegio Vice-Cancellario. Cujus autoritate ac ſigillo roborandum *quodlibet* erat *Concordatorum exemplar*, Anglis triendum.

Qvale exemplum *Præfatione ac teſtimonio Vice-Cancellarii* laudati ejusdemqve *epilogo* ac *ſubſignatione* munitum, illud extitit, cujus, d. 21. Julii Venerabili Anglicanæ Eccleſiæ membro proxime à Concilii fine exhibiti, ex *Anglicano Cantabrigienſi Codice MScto* recenſionem hic exhibemus. Qvæ præfatio Cardinalis, etſi par illi, quam Germanis aliquibus illum dediſſe aliàs vidimus, omitti hic haudquaquam debuit: Qvod ad integritatem atque fidem religioſi fœderis Martiniani pertineat.

Summam Capitum diſtinctis numeris atque formulis deſignare, ac illa etiam ratione opuſculum quodammodo exornare, hujus ſeculi decor & lectorum commodum poſtulavit.

Digitized by Google

ANGLICANÆ NATIONIS & MARTINI V. PAPÆ CONCORDATA

Qvoad ſupremi Eccleſiaſtici regiminis emendationem,
In Conſtantienſi Concilio, ſub illius finem, A. 1418.
conſcripta atque publicata.
Ex antiqviſſimo Codice MSCto Anglicano
BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS.

PRÆFATIO AC TESTIMONIUM JOHANNIS, EPISCOPI OSTIENSIS, Cardinalis & Vice-Cancellarii.

UNiverſis & ſingulis JOHANNES, *miſeratione divina* EPISCOPUS OSTIENSIS, *Sanctæ Rom. Eccleſiæ* CARDINALIS ac VICE-CANCELLARIUS, Salutem in Domino, & præſentibus fidem indubiam adhiberi.

Si juxta laudabilem antiquorum ſententiam & providum ſapientum conſilium dignum eſt, ea, quæ majorum conſultiſſima providentia in ſubditorum gratiam & commoda geruntur, ſcripturæ teſtimonio redigere: Dignum per conſequens & rationi conſentaneum, ut adeo nota ſit eorum veritas, quod inde nec deſit pacificis oportuna proviſio, nec usqvam perverſis ſub ignorantia variandi ſupina facultas relinquatur.

Concordata inter Martinum V. & Anglos in Conſtantienſi Concilio facta. In librum Cancellariæ relata A. 1418. *d.* 12. *Julii. Roberto de Nevili Concordata Anglicana ſunt exhibita.*

Cum itaque nuper *inter* Sanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum Noſtrum, Dominum MARTINUM, divina providentia PAPAM V. & Reverendos Patres, Prælatos, nec non egregios & circumſpectos viros, Ambaſiatores, Procuratores, Doctores & Magiſtros, ceterosqve, *venerabilem* NATIONEM ANGLICANAM, *in generali Conſtantienſi Concilio repræſentantes & facientes*, nonnulla CAPITULA CONCORDATA, & ab utraque parte ſponte ſuſcepta: Nec non de dicti Domini Noſtri Papæ mandato *in libro Cancellariæ* Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, in quo Romanorum Pontificum conſtitutiones & ordinationes ſolent conſcribi, ad futuram rei certitudinem, nobis operam dantibus, prout ad noſtrum ſpectat officium, *die XII. menſis Julii* Pontificatus dicti Domini noſtri Papæ Anno I. *conſcripta* fuerunt: Adjecto, quod ſub noſtrarum literarum teſtimonio indigens quisque ſibi *teſtimonium* ſumere valeat in toto, vel in ea parte, qua indiguerit eorundem: Nos igitur, ad Venerabilis Viri, *Roberti de Nevili, Canonici Eccleſiæ Eboracenſis, Parochialis Eccleſiæ de Spoffoord Rectoris*, inſtantiam, CAPITULA hujusmodi, ut præfertur, *CONCORDATA*, & ſponte ſuſcepta, *ex integro* ex libro prædicto *de verbo ad verbum* fideliter *tranſcribi*, & præſentibus annotari fecimus. Qvorum tenor ſequitur ad hunc modum.

CAP.

Digitized by Google

CAP. I.

De numero & Natione Cardinalium.

Numerus Cardinalium ſit moderatus. Ex omnibus regnis eligendi Cardinales.

INprimis quod *numerus Cardinalium* ſanctæ Romanæ Eccleſiæ adeo ſit *moderatus*, quod *non* ſit *gravis Eccleſiæ*, nec nimia numeroſitate vileſcat. Qui indifferenter *de omnibus regnis* & provinciis, totius Chriſtianitatis, ac cum conſenſu & aſſenſu Collegii Dominorum Cardinalium, vel majoris partis eorundem, *eligantur* & aſſumantur.

CAP. II.

DE INDULGENTIIS.

Indulgentiarum olim abuſus in Anglia.

ITem, quod, cum *occaſione* diverſarum *indulgentiarum*, ac literarum facultatū à ſede Apoſtolica conceſſarum, *ad abſolvendum* quoſcunque viſitantes, ſive offerentes in certis locis, & *queſturarum* quamplurimarum, *quæ in Anglia plus ſolito nunc abundant*, nonnulli peccandi audaciam frequenter aſſumant, ac contemtis ſuis propriis Curatis, & Eccleſiis ſuis parochialibus dimiſſis, ad ipſa loca *ſpe indulgentiarum* & confeſſionum accedunt, decimas, oblationes & debita dictarum Eccleſiarum parochialium ſubtrahunt, ſeu ſolvere differunt minus juſte: *Committatur Diœceſanus locorum, ad inquirendum ſuper qualitate earum, cum poteſtate ſuſpendendi* omnino autoritate Apoſtolica illas, quas invenerint *ſcandaloſas*, & illas denunciandi Papæ, ut illas revocet &c.

Diœceſani inquirant in indulgentias adventas.

CAP. III.

De Appropriationibus, unionibus, incorporationibus, Eccleſiarum & Vicariatuum.

Appropriationes Eccleſiarum ſublatæ.

ITem, De cætero *nullæ fiant appropriationes Eccleſiarum* Parochialium motu proprio: Sed *committatur Epiſcopis locorum* ad inquirendum de veritate ſuggeſtionum. Et in eventum, quo per debitam & juridicam notionem conſtare poterit, *quod cauſa Appropriationum deſint*, legitime procedatur ad Appropriationem, *prout fuerit juris illarum Ordinariorum*.

Quæ jam ſunt *ſortitæ effectum*, *nulla fiat*, ſi ex revocatione ſequi poſſit ſcandalum.

Aliàs vero committatur, quod *inquirant* &c. Et quas invenerint fieri merito non debuiſſe, vocatis tunc ad hoc vocandis, *caſſent* &c.

Uniones Vicariarum perpetuarum revocatæ.

Item. Omnes *uniones, incorporationes, appropriationes* & *conſolidationes Vicariarum perpetuarum* in Eccleſiis Parochialibus, ex quibuscunque cauſis factæ à tempore ſchiſmatis, indiſtincte *revocentur*, & *Vicarii perpetui* in iiſdem per Ordinarios locorum hac vice ordinentur & inſtituantur.

Ac in ſingulis Eccleſiis parochialibus ſit *unus vicarius perpetuus*, qui curæ inſiſtat animarum, bene & competenter dotatus, pro hoſpitalitate ibidem tenenda, & omnibus debitis ſupportandis.

Vicarius perpetuus ſit in Eccleſiis Parochialibus.

Literis Apoſtolicis, & Ordinariorum compoſitionibus, ſtatutis, & conſuetudinibus, ac aliis in contrarium factis, non obſtantibus quibuscunque.

CAP. IV.

De ornatu Pontificali inferioribus Prælatis non concedendo.

ITem omnia *privilegia*, citra obitum felicis recordationis Gregorii Papæ XI. conceſſa Prælatis inferioribus *de utendo Pontificalibus*, ſcilicet *Mitris*, *Sandaliis*, & hujusmodi ad dignitatem Pontificalem pertinentibus, *revocentur*.

Quæ vero ante obitum ipſius Gregorii conceſſa fuerint, in ſuo robore permaneant & effectu.

CAP.

Digitized by Google

CAP. V.

DE DISPENSATIONIBUS.

Diſpenſationes ſuper pluralitate beneficiorũ prohibita.

ITem. Licet *pluralitas beneficiorum* canonibus exoſa exiſtat, aut ſuper ea *diſpenſationes*, jure hoc dictante, fieri non debeant, niſi perſonis nobilibus & viris eximiæ liberalitatis: Nunc tamen in Curiis Dominorum, tam ſpiritualium, quam temporalium, tales diſpenſationes irrepſerunt: Præmiſſa, ſeu eis conſimilia, de cætero *non fiant*, ſed in præmiſſis ſerveturConciliumGenerale.

Illæ tamen, quæ ſunt ſortitæ effectum, in ſuo robore permaneant. Niſi forte aliquæ fuerint & ſint *ſcandaloſa.* De quibus fieri mandamus conceſſionem locorum Ordinariis, & Ordinarii certificent, & *revocentur ſcandaloſa.*

Diſpenſationes de ſacris ordinibus vetita.

Item, quia modernis temporibus plus ſolito cum diverſis perſonis, *infra Regnum & Dominia prædicta* beneficia curata obtinentibus, per ſedem Apoſtolicam *contra jura communia diſpenſatum* exiſtit, *ut per tres, quatuor, quinque, ſex & ſeptem annos* vel ultra, aut in perpetuum beneficiati prædicti ipſa beneficia poſſidere & occupare valeant, ſic *ut ad ordines debitos interim ordinari minime teneantur*, in grave ſcandalum Eccleſiæ, &c. Omnes *diſpenſationes* hujusmodi indiſtincte *revocentur.*

Et beneficiati hujusmodi ordinationi juris communis in hac parte omnino ſubdantur. Si tamen beneficiati prædicti ſint alias habiles ad hujusmodi ordines ſuſcipiendos.

Diſpenſationes de non reſidendo in Eccleſia, repudiata.

Item, quia propter *diſpenſationes* ſedis Apoſtolicæ, nonnullis perſonis infra Regnum & Dominia prædicta, *ſuper non reſidentia*, nec non Archidiaconis ad viſitandum per procuratores, factas, nonſolum animarum cura negligitur, ſed etiam poteſtas Epiſcopalis per impetrantes diſpenſationes hujusmodi contemnitur: *Nulla diſpenſationes deinceps fiant abſque cauſa rationabili & legitima*, in literis diſpenſationum hujusmodi exprimenda.

Conceſſæ autem abſque cauſa rationabili, ſive legitima, *revocentur.* De quibus fiat commiſſio Ordinariis.

De officiis Eccleſiaſticis monachis conferendis.

Item omnes *literæ facultatum conceſſa religioſis* quibuſcunque, *infra regnum & dominia prædicta*, de obtinendo beneficia Eccleſiaſtica, curata vel non curata, quæ non ſunt ſortitæ effectum, indiſtincte revocentur.

Abſtineatur de cætero ab hujusmodi literis facultatum concedendis.

CAP. VI.

De Anglis ad officia Ro. curiæ aſſumendis.

ITem, quod aliqui etiam *de Natione Anglicana*, dummodo tamen ſint idonei, *ad ſingula officia curiæ Romanæ aſſumantur* una cum aliis, de cæteris Nationibus, indifferenter &c.

Concluſio & repetitum teſtimonium Johannis Oſtienſis, Cardinalis & Vice-Cancellarii.

Literæ bullatæ de his Concordatis Anglis danda.

ITem, quod ſuper omnibus & ſingulis præmiſſis Dominus Noſter ſummus *Pontifex* mandet & fieri faciat prædictæ *nationi Anglicanæ* unam vel plures, ac tot, quot fuerint requiſitæ, *literas* ſuas *Bullatas*, in bona forma, ac gratis de Mandato, ad perpetuam rei memoriam.

Hæc itaque univerſitati veſtræ tenore præſentium firmiter atteſtantes, easdem noſtras literas præſentes, in horum fidem & teſtimonium, præfato *Roberto Nevilli* conceſſimus, noſtri ſigilli munimine roboratas.

Subſcriptio Johannis Oſtienſis, Cardinalis & Vice-Cancellarii.

Datum *Gebennis*, in Domo habitationis noſtræ, ſub *Anno à Nativitate Domini M CCCC XVIII.* Indictione XI. die vero *XXI. menſis Julii.* Pontificatus præfati Domini noſtri Papæ Anno I.

Anti-

Antiqva hæc
De ſupremi Eccleſiaſtici Regiminis Reformatione
CONCORDATA
CONSTANTIENSIA,
inter
INCLYTAM NATIONEM ANGLICANAM
& MARTINUM V. PAPAM
inita,
SIGISMUNDO
ROMANORUM IMPERATORE,
HENRICO
ANGLIÆ REGE,
A. M CCCC XVIII.
in Oecumenico Concilio
ſub Germanico cœlo
Conſtantiæ
circa *menſem Februarii* adornata,
die 21. *Martii*, haud longe ante Concilii finem
in publico Concilii conſpectu ac conſeſſu
à Martino denunciata ac confirmata,
d. 12. *Julii*, proxime à Concilii fine
Gebennæ in Cancellariæ librum relata,
indeq; *die* 21. *Julii* deſcripta,
& petenti
Roberto de Nevilli, Anglo,
Eccleſiæ Eboracenſis Canonico,
& Parochialis Eccleſiæ de Spoffoord Rectori,
à JOHANNE, Oſtienſi Epiſcopo
Cardinale & Vice-Cancellario
ad Concilii decretum & Papæ mandatum
Gebennæ cum ſigillo exhibita:

Nunc

Digitized by Google

Nunc tandem
Anno M DC XCVII.
Inviĉtiſſimo
MAGNÆ BRITANNIÆ REGE
MAGNANIMO
WILHELMO,
ARCHI-EPISCOPI CANTUARIENSIS
gratioſo indultu,
& EPISCOPI SARISBERIENSIS
benigniſſimo auxilio,
Clariſſimorum
Academiæ Cantabrigienſis Antiſtitum
RODERICI
& LAUGTHONI
ſagaci operâ,
Ex antiquiſſimo Codice MSCto
Inclytæ Bibliothecæ Academiæ Cantabrigienſis
deprompta, nobisqve communicata:
Et ſic Anglorum beneficio apud Germanos
in Academia Julia
die 21. April.
in lucem edita,
Hiſtoricoqve huic operi
Oecumenici Conſtantienſis Concilii res complexo
commodo loco inſerta,
Feliciſſimis Auſpiciis
Sereniſſimi Brunſvicenſium Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI,
CÆSARE
LEOPOLDO
MAJESTATIS & JURIUM ROMANO-GERMANICI IMPERII ASSERTORE POTENTISSIMO.

Digitized by Google

TOMI I. PARS XXVI.

MONACHORUM BENEDICTINORUM
CAPITULUM PROVINCIALE CONSTANTIENSE

DE VISITATIONE AC REFORMATIONE MONACHORUM S. BENEDICTI,

In Univerſali Conſtantienſi Concilio

A. 1416. *menſe Februario* definitum,
A. 1417. *menſe Martio* in Monaſterio Petruſiano celebratum,
A. 1418. 17. *Januar.* à Sigismundo Imperatore in Concilio roboratum.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,

DN. RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.
DUCIS &c.

Ex antiquiſſimo Codice MSCto BIBLIOTHECÆ DUCALIS GOTHANÆ
recenſitum ab
HERMANNO von der Hardt.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.
HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.


Digitized by Google

GOBELINUS PERSONA,
Weſtphalus
Decanus Bielfeldenſis
& Officialis Paderbornenſis
Hiſtoricus Conſtantienſis Concilii ætatę clarus,
in Cosmodrom. æt. 6. cap. 96.

* * *

Eo tempore
quo Concilium Conſtantiæ agebatur,
Abbates, Priores & Prælati cæteri ordinis S. Ben.
de Provincia Moguntina, ibidem exiſtentes,
perpendentes
quantum ordinis ſui religio
per dictam provinciam
in ipſius ordinis & totius Eccleſiæ ſcandalum
mundanis illecebris offuſcata
à regulari ſua obſervantia indecenter deviaret:
Et quanto Dominus Rex
erga Reformationem Status Eccleſiaſtici
ducebatur affectu:
Generalem Reformationem Univerſalis Eccleſ.
in hoc prævenire cupientes,
concordaverunt,
quod omnia & ſingula Monaſteria dicti ordinis
per præfatam Provinciam conſtituta
regulam S. Benedicti per omnia ſervare deberent,
& ad hoc proſequendum
& executioni plenariæ demandandum
viri idonei per ipſam provinciam mitti deberent.

Digitized by Google



Hermannus von der Hardt
Lectori Chriſtiano S.

DEdimus hactenus, ut per fata, tempus, aliaque negotia licuit, recenſionem eorum monumentorum antiquorum, ætate Concilii Conſtantienſis editorum, quæ *Reformationem Eccleſiaſtici ſtatus in genere, & ſpeciatim in Capite & Curia Ro. concernerent.*

In hoc genere addi ſuperioribus *Concordatis Conſtantienſibus Germanicis & Anglicis* potuiſſent *Gallica*. Verùm, abſentis, quod ajunt, non habetur ratio. Iſthæc *Martini & Gallicæ Nationis Concordata*, à Gallorum Rege haud admiſſa, nunciavit quidem, ubi *Pariſiis* lateant, *Spondanus*, aſt non recenſuit. Quanquam etiam per literas, ad præſentem Hiſtoriam perficiendam hoc opuſculum benevole nobis communicari, ab illuſtribus quibuſdam Galliæ viris petitum ſit: Bellorum tamen tempeſtates, literis pariter infeſtæ, ſpem noſtram hactenus turbarunt. Ut Concordatis illis Martinianis præcipuis, cum Germanis & Anglis initis, in hiſtorica hac Concilii recenſione frui & æquo animo acquieſcere poſſimus, de cæteris, cum Gallis, Hiſpanis, neſcio an & Italis, confectis conventionibus, aliqualem ex ſuperioribus collecturi ideam.

Quod ad ſpecialiora Reformationis momenta attinet, *inferiorem ſtatum Eccleſiaſticum* attingentia, partim quidem ſunt in Concilio variis, ut vidimus, Aviſamentis indigitata, partim expetita: Verùm ob fatorum & temporum illorum injuriam cuncta hæc expediri in Concilio iſthoc ſimul non poterant. Ut reſervari illa oporteret in aliud proximum Concilium, quinquennio ab hinc Senis indictum.

Nihilominus tamen non omnino nulli ſpeciales in cenſu morum caſusq; in quibuſdam inferioribus Eccleſiæ membris ac Collegiis ſunt, ut illa ſecla tulerunt, in Concilio diſcuſſa.

Ita in celebri *Reformatorio Conſtantienſi*, cujus *Geminum Protocollum, Decreta, ac Decretales*, ſupra *ex MSCtis* recenſuimus, actum quoque inter alia ſpeciatim de *Viſitando Clero in Concilio & diœceſi Conſtantienſi.* Quam Reformatorii ſententiam ex perantiquo CODICE MSCTO LIPSIENSI hanc cognoſcimus:

Quod eligatur unus Prælatus, qui corrigat exceſſus exiſtentium in hoc ſacro Concilio.

PLacuit Dominis Reformatoribus, quod eligatur unus Prælatus de Concilio, boni zeli & laudabilis reputationis, cui detur plena poteſtas pro parte Concilii, quoscunque prælatos & alios clericos, tam ſeculares quam regulares, præſentes & futuros in hoc ſacro Concilio, qui non inceſſerunt in habitu & tonſura ſibi condecenti, vel qui alias inhoneſte ſe geſſerunt, aut ludendo ad azardum ſeu taxillos, vel eundo ad Monaſteria Monialium, vel frequentando maxime, horum indebitis clerum ſcandalizaverunt, capiendi, incarcerandi ac mulctandi etiam, juris ordine non ſervato, prout ſecundum Deum & debitum honeſtatis videbitur expedire. Et nominentur quatuor de quatuor Nationibus, quorum quilibet ad hoc ſit ſufficientiſſimus. Ita quod per Deputatos Nationum eligatur unus eorum.

De Viſitatoribus cleri diœceſium & provinciarum.

PLacuit communiter omnibus, quod per Concilium deputentur aliqui viſitatores, qui inciperent viſitare diœceſin Conſtantienſem, & darent materiam futuro ſummo Pontifici, qui ulterius deputaret alios viſitatores per mundum. Vel ſit ad idem, quod in præſenti per ſacrum Concilium deputarentur aliqui Prælati, valentes opere & ſermone, qui viſitent tam clerum Concilii, quam civitatem & Diœceſin Conſtantienſem, cum poteſtate corrigendi &c. Et quod per ſummum Pontificem deputentur Viſitatores per provincias, qui viſitent tam exemptos, quàm omnes Eccleſias cathedrales, cum poteſtate corrigendi &c. Et quod in futurum ſaltem de termino in terminum ſummi Pontifices faciant viſitari exemptos & immediate ſubjectos.

Specialis hæc *Concilii* ipſius ac totius *Conſtantienſis diœceſeos viſitatio morumque cenſura*, in Reformatorio Conſtantienſi eſt ventilata.

Majori verò cum ſplendore, in *Monachorum* ordine, *Minoritarum*, quoad emendandos eorum mores, habita ratio in Concilio. Quippe quod *A.*1415. *d.*23. *menſis Sept. Ordinatio inter fratres Minores de ſtricta obſervantia S. Franciſci, & alios de communi vita, per Cardinales & Nationum* Deputatos *facta*, & in publica ſeſſione lecta eſt, teſte *Codice MSCto Vindobonenſi, Volumine IV. f.* 102. *b.* Quam *Franciſcanorum publicam in Concilio inſtructionem* ad publica Concilii decreta, aliumque proinde Tomum, merito differimus.

Digitized by Google

Benedictinorum porro *Viſitatio ac Reformatio* , in Conſtantienſi Concilio pluribus annis ſollicite formata, ſuccedit. Hanc hic loci recte, puto, exhibebimus, qui in Decretorum Volumine, Tomove alio, aptiorem illi vix deprehendimus locum. Integra quippe hæc *Reformandorum Benedictinorum norma* compluſcula comprehendit *Acta* non in unum annum ac menſem coarctata , ſed *per omnes propemodum Concilii annos* diffuſa, & cum labente ad finem Concilio ſuum quoque terminum nacta.

Accedit, quod in *antiquiſſimo Codice MScto*, unde hauſimus, ſeparatim à ceteris Actis eſſent expreſſa, inſtar peculiaris libelli.

Repetivimus autem ex MScto Bibliothecæ Ducalis Gothanæ, Acta Concilii Conſtantienſis complectente.

Quantumvis vero hæc *Benedictinorum Reformatio* præcipue externa ordinis decoramenta attingat, nec tam in pectora penetret, quam foris in cultu hæreat: Noſtrum tamen non fuit diſſimulare, quod illius ætatis fata, conſilia, ſtudia atque molimina teſtaretur. Habent ſua fata, ſuos ſcopos, ſua conſilia , ſecula quævis; quæ, etſi aliquantiſper diſſimilia, cognitu tamen jucunda. Ut conſtet ex comparatione vel ſeculorum decor auctus, vel prudentiæ vis intenſa, vel fatorum æqvus aut iniqvus habitus & ſucceſſus. Quo fine, ut tota Concilii hujus hiſtoria , ita & hæc *Benedictinorum Reformandorum* Conſtantienſis regula hoc Tomo à nobis expreſſa.

Eſt autem in Concilio noſtro Oecumenico, *Conſtantiæ Germanorum* celebrato, hæc Benedictinorum quæſita ac deſcripta illius temporis emendatio. Quanquam non tam in Nationum Conventibus Conciliique publico loco, hæc ſint præcipua ex parte definita. Quandoquidem ex toto rerum illarum habitu patet, non niſi *de Benedictinis Germanicæ Nationis* in hac Reformatione ſermonem eſſe, illisque præcipue, qui ſint *Diœceſeos Monguntinenſis ac Bambergenſis*.

Quapropter *Provinciale* dictum *Capitulum* Benedictinorum, eo quod certas duntaxat *Germaniæ provincias* concerneret.

Nihilominus tamen Concilii Univerſalis, Conſtantiæ congregati, autoritate univerſa hæc res acta, ut ex totius libri ſerie & diſerta Concilii commemoratione in libro facta, patet.

Interea, quia celeberrimum erat Benedictinorum *Monaſterium*, *Petridomus* , aliàs *Petruſianum* vel *Petershauſen* dictum, ultra Rheni pontem prope Conſtantiam ſitum , Benedictinorum Conventus inibi commodiſſime eſt celebratus. Ut tamen, loco hoc non obſtante, *Conſtantiæ* omne hoc negotium confectum diceretur. De cetero, non hoc *Reformandorum Benedictinorum* Concilii ope *ſtudium* inane fuiſſe aut umbratile, fallendi temporis cauſa aut coloris inducendi ergo ſuſceptum, ex eo perſpicitur, quod non ſolùm publica Concilii Conſtantienſis voluntas ac ſerium decretum operi pondus dederit, ſed & Sigismundus Imperator ipſe hoc ſaxum ſuo nutu ſedulo volverit, ac poſtremo executioni aut effectui demandari, Cæſarea autoritate interpoſita ſerio mandaverit. Cujus teſtimonium erit *Diploma Sigismundi Imperatoris*, operi annexum.

Confirmant idem *Gobelinus*, *Reichenthal*, *Dacherius*, *Engelhuſius*, illorum fatorum ſpectatores, ille in *Coſmodrom. c. ult.* iſte in *chronicis*, hi in *Hiſtoria Concilii. Dacherium* audiviſſe juvabit. An dem 18. Tage in dem Mertzen, der war an einem Freytage 1417. da hatten gantzer Orden Benedictiner ein Capitel zu Conſtantz zu Petershauſen, um ſolcher Sachen, daſs ihr Orden recht gehalten würde, und auch nun hieran recht hielten mit beten und mit andern Ordnungen.. Und erneuerten da ihre Geſetze, und giengen mit Creutz faſt züchtig von Petershauſen mit ſtillen und gemachem Geſange, ie zweyen und zweyen mit einander, und gieng ihnen ein Creutz vor, biſs zu den Anguſtinern, und wiederum her zu Petershauſen in das Gottshaus. Und da verlaſs man ihnen öffentlich vor, und vor aller männichlichen, wie ſie ihren Orden ſolten halten, und auch ihr Geſetze. An dem Creutzgang waren mehr dann 36. rechter Æbte, und 22. Pröbſte, und ſonſt Münche ihres Ordens 373. alle in ſchwartzen Kutten, als ſie bis itz gehen.

De cetero, quam fortunam hæc Conſtantiæ in Concilio definita Benedictinorum Reformatio ſubierit, dum ad effectum deducenda fuit, memorabili exemplo illuſtravit laudatus *Gobelinus Perſona*. Recenſuerat hic longâ oratione *c. 90.* impenſum *Benedictinos Paderbornenſes reformandi* ſtudium in Wilhelmo de Monte, Paderbornenſi Præſule, circa A. 1409. haud longe ante Concilii Conſtantienſis de eadem re ſtatuta. Sed & maximos montes huic reformaturo Benedictinos Præſuli objectos à præfractis monuerat idem Gobelinus, coram cuncta intuitus. Hinc, quid de Benedictinorum illa tantopere quæſita reformatione in Concilio Conſtantienſi ſit concluſum, cum commemoraſſet, exemplum ſucceſſus deſiderati etſi perdifficilis in iiſdem Paderbornenſibus Benedictinis refert cap. ult. his verbis: *Quapropter*, ait, *quarto die menſis Februarii anni Domini* 1418. *duo monachi Monaſterii Cluniacenſis cum ſolenni comitiva Paderbornam venerunt, ad viſitandum monaſterium SS. Petri & Pauli ibidem. Et productis literis Apoſtolici & Domini Regis ac Abbatis Cluniacenſis, cui idem Monaſterium SS. Petri & Pauli ex ſui primitiva inſtitutione eſt ſubjectum, de autoritate ſibi ſuper via viſitationis commiſſa, Abbati & Monachis ibidem plenam fidem faciendo, obſervantiam regulæ S. Benedicti eis ſub magnis pœnis, eo modo, quo in præfato Monaſterio Cluniacenſi ſervatur, per omnia tenendam indixerunt: Expreſſe injungentes eisdem per obedientiam, quod ipſi deinceps tria ſubſtantialia Monachatus, videlicet abdicationem proprietatis, caſtitatem, & obedientiam, ante omnia ſervarent: Et quod in Refectorio ſimul reficerentur: Non carnibus niſi infirmi paſcerentur: Silentium in locis debitis ſervarent: Cellas in oſtiis feneſtratas haberent: Nec lectis de plumis, neq; camiſiis lineis uterentur: Et quod nullas ſepta monaſterii intrare permitterent. Hæc omnia Abbas & Monachi, redimentes tempus acceptabant. An autem verè, vel ſimulate, rerum probabit eventus. Abbas autem, menſes quatuor poſt hac in humanis perſeverans, undecima die menſis Junii, magnis torſionibus calculi & colicæ paſſionis quaſſatus, absque Sacramentorum perceptione eſt defunctus. Veruntamen unum de permiſſis inter omnia eis fuit acceptum, videlicet, quod materia habitus eorum pretioſior, quam usque ad illa tempora eſſe conſueverat, eis per ipſos Viſitatores fuit indulta.*

dulta. Forma tamen, quæ utique religionis devotionem majorem prætenderet, ipſis diſplicebat. Et ecce nemo de clero, vel de populo, aut militaribus fuerat, qui dictis Viſitatoribus foraneis nutu quidem ſe opponeret, qui prius ſe domino ſuo, usque ad rerum, corporum, bonorumque pericula, ne monachi corrigerentur, oppoſuerant, ipſi nempe traditi in deſideria cordis ſui ſaturati fuerunt conſiliis ſuis. Unde adhuc degentes ſub Domino Archi-Epiſcopo Colonienſi prædis & rapinis turbantur quotidianis, pœnitentesqve abdicationis prioris Domini ſui, videlicet, Wilhelmi de Monte, ſe, ſi ipſius tuitionis priſtinæ poſſent gaudere præſidio, fore felices affirmant, multisque ex eis, pro eo, quod Eccleſia Paderbornenſis, habens ſub ſe civitatem, oppida & caſtra murata plus quam 30. ſponte ruit in tam ignominioſum præcipitium, quod ſe ad electionis Pontificalis prærogativam non valet elevare, gravi mærore tabeſcunt.

Pari ratione, uti apud Paderbornenſes, & in aliis Germaniæ urbibus *Benedictorum reformationem* tunc ſuſceptam eſſe, nullum eſt dubium. Eſtq; veroſimillimum, eadem fere tempeſtate contigiſſe memorabilia fata *reformati Monaſterii Benedictinorum Leodienſium*, quæ memorat *Johannes Niderus*, circa tempora Concilii Conſtantienſis ac Baſileenſis clarus Theologus, in *ſui temporis Hiſtoria*, Auſpiciis Sereniſſimi Ducis RUDOLPHI AUGUSTI haud ita pridem in lucem revocata, *lib. I. cap. 5. p. 50. & ſeqq.*

Poſtquam enim *Niderus*, & ipſe *Monachus*, *Dominicanus* nempe, conqveſtus fuerat *l. c. p.* 49. *Multa exiſtere ſolo nomine* clauſtra, *& monaſteria nimium deformata, quæ re vera* aperturæ *ſint*, & perditorum hominum potius *aliquando* latibula, quam virtutum tabernacula, *& diſſolutionum verius tuguria, quam dei templi paſtoforia. In quibus tamen aliquando reperiantur, qui recti ſpiritu Dei cum Jobo c. 3. dicere poſſint: Conſurgens in turba clamabam: Frater fui draconum & ſocius ſtrutionum. De quibus intelligi poſſit quod Deut. 52. dicitur: Invenit eum in terra deſerta, in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis circumduxit eum, & docuit & cuſtodivit quaſi pupillam oculi ſui, Dominus ſolus Dux ejus fuit:* Sbujungit inſigne Reformatorũ Benedictinorum exemplum, quod ex illius temporis hiſtoria hic repetiiſſe juvabit. *Eo*, inqvit, *tempore*, qvo in Academia vixi *Colonienſi, filium confeſſionis habui virum fide dignum, Canonicum Tungarenſis Eccleſiæ, Licentiatum in artibus, & ſacerdotem vitâ, & Libertinum nomine, à quo ea quæ ſeqvuntur percepi. Quam miraculoſe quodammodo Monaſterium S. Jacobi in Leodio, B. Benedicti ordinis, de fece deformationis ad ſtatum bonæ reformationis deductum ſit prope tempora noſtra. Vivebant enim antea ibi monachi diſſolutiſſime, ubi de regulari pene nullum reperiebatur in victu, in amictu, aut ceremoniis, veſtigium ordinis. Erantque ibidem degeneres vita, quod pejus extitit, multi de nobilium & potentum genere progeniti. Quales cum dominari in malum geſtiunt, freti divitiis & amicitia ſeculari nihil boni fieri ſinunt. Sæviſſima enim eſt, ut ait Philoſophus in Politicis, injuſtitia, ferens arma. Venit tamen, neſcitur quorum merito, tempus, quo pater miſericordiarum loco antedicto ſuccurrere voluit. Nam Abbas*

loci

loci defunctus eſt. Et die ſtatuta à monachis notabilibus novus pater eligi debuit canonice. Aderant tunc de gremio monaſterii pauciſſimi Deo devoti: Qui ſecundum dictamen timoratæ conſcientiæ elegerunt unum ex eis idoneum. Sed ex adverſo affuit diſſolutorum Monachorum multitudo, omni fere religione vacua, quæ de ſuo grege morbido elegit & obtinuit quendam, in naturalibus quidem ſatis induſtria mundana præditum, ſed malorum moribus inſignem, & omnibus malis accommodum. Qui poſtquam magni pendit mentis oculis, ſe electum eſſe in paſtorem & ducem gregis tam morbidi, extemplo motus & viſitatus divinâ gratiâ, atque mutatus in virum alterum, vitam quam geſſit horruit præteritam, formidavitque humerum infirmum oneri novo ſubmittere. Et dubitare cœpit, an confirmationem expectare vellet, cum propoſito ſe emendandi efficaciter, vel an electioni reſignandum foret. Vitatô tamen ſecundo, ne eligeretur deterior, primum elegit, ut puto iterum inſpiratus divinitus. Hinc cœpit abſcondite, quantum licuit, regulam quam profeſſus fuerat, B. Benedicti inſpicere, veſtes religioni congruas & lectiſternia cuti ſuæ adjicere, & ſecundum cibum & potum regulariter ſe etiam in aliis ceremoniis regere, ut conſtanter ſuis, adveniente confirmatione, verbo & exemplo cavere & dicere valeret: Venite, & non ſolum, ite. Obtenta itaque confirmatione, & in ſede paſtorali cum attinentiis temporalis dominii collocatus, cognatorum ſuorum potentiâ ad coercendum rebelles monachos invocatâ clanculum, die ſtatuta domum intravit Capituli. Capitulum primum de ſe inſtituit, & mentem ſuam divinitus immutatam modo aperuit, addiditque: Ecce, me vidiſtis hactenus multo tempore virum, heu veſtris moribus perverſis ſimilem, & ob id electum à majori fratrum multitudine. Promitto, coram vobis, Deo & B. Benedicto, jam vice altera, me incedere, non ut antea, ſed vobis velle verbo præcedere deinceps & exemplo. Secuti eſtis errantem, ſequimini correctum & pœnitentem. Et quicunque me ſequendo regulam quam profeſſi ſumus, tenere voluerit, à me ſicut ovis à ſuo pio paſcetur paſtore. Quicunque renuerit, me ultorem habebit, usque ad carceres incluſive. Dixit: Et hæc facta ſunt omnia, cunctis, qui audiere, ſtupentibus. Nam obedientes ad plenum reformavit, *& rebelles aut pœnis afflixit gravibus, vel à loco fugavit. Et ſic velut vinea Domini Zebaoth, usque hodie dictum monaſterium perſeverat in regulari obſervantia.*

Memorata hæc *Benedictinorum Reformatorum hiſtoria* ſive in fine Concilii Conſtantienſis ex voto Reformatorum, ſive paulo ante contigerit, noſtri parum intererit: Dummodo exinde manifeſte conſtet, *Reformationem Benedictinorum in Germania* cum neceſſariam tum admodum illo tempore fuiſſe difficilem, quæ Univerſalis Concilii & Sigismundi quoque Imperatoris operâ ſollicite adjuvanda eſſet. Ut ſunt rerum fata: Labuntur vel & ſubruuntur facilius bene inſtructa, quam conduntur vel & reſuſcitantur.

MONA-

MONACHORUM BENEDICTINORUM *CAPITULUM PROVINCIALE CONSTANTIENSE* PRO VISITATIONE AC REFORMATIONE MONACHORUM ORDINIS S. BENEDICTI.

Ex antiqviſſimo Codice MSCto
BIBLIOTHECÆ DUCALIS GOTHANÆ.

CAP. I.

Decretum Concilii Conſtantienſis de eligendis Præſidentibus Capituli Provincialis Conſtantienſis ad viſitationem ac Reformationem Benedictinorum, editum 1416. *menſe Febr.*

Monachi Benedictini in Conſt. Concilio præſentes.

SAcroſancta & generalis Synodus Conſtantienſis dilectis Eccleſiæ filiis, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, & aliis *nigrorum monachorum*, regulam *Sancti Benedicti* profeſſis, *in præſenti generali Concilio Conſtantienſi Nationis Germanicæ congregatis*, ſalutem & Dei omnipotentis benedictionem.

Petrusſil prope Conſtantiam indictum Capitulū Provinciale Benedictinorum.

Nuper *Ordinis Monachorum nigrorum provinciæ Moguntinenſis & diœceſeos Bambergenſis* Capitulum provinciale, *in hac civitate Conſtantienſi*, in Monaſterio *Petri-domus* ultra pontem civitatis ejusdē, *juxta formam generalis Concilii*, & *Conſt.* felicis recordationis Honorii III. & Benedicti XII. Summorum Pontificum, celebrandum fore decrevimus, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Nullis tamen *deputatis Præſidentibus*, ad exequendum, diſponendumqve & præſidendum in eodem.

Præſidentes viſitationis Benedictinorū eligendi in Concilio Conſt.

Ne igitur propter hoc contingat, *effectum convocationis differri*, vel etiam *impediri*, aut aliàs fruſtrari: De veſtris devotionibus & prudentia in Domino plenariam fiduciam obtinentes, ut *de veſtra*, *& quacunque alia natione Abbates* ejusdem ordinis, etiam ante diem dicti Capituli, qui præparanda præparent & diſponant, juxta formam dictæ conſtitutionis Benedicti XII. teneamini & *poſſitis eligere in Præſidentes*: Qvi ſic per vos electi poteſtatem habeant, Viſitatores eligendi, illaqve exercendi & cætera faciendi, quæ in dictis conſtitutionibus continentur: Plenam in Domino tribuimus facultatem.

Poſt ſolutionem vero dicti *proximi inſtantis Capituli*, penes Abbatem, qui in dicta provincia Moguntinenſi in hujusmodi Capitulo Præſidens fuerit, vel Abbates, ſi plures ejusdem provinciæ Præſidentes fuerint, usque *ad aliud inde ſequens Provinciale Capitulum* remaneat illa eadem *poteſtas*, quæ remanere debet *apud præſidentes*, qui pro tempore ſecundum dictarum conſtitutionum Benedictinarum tenorem regulariter eliguntur.

Majora autem ſeu graviora, quæ *in* ſæpe dicto *proximo Capitulo* diſponentur, *ad ſacrum generale concilium*, vel ad futurum ſummum Pontificem *referantur.*

A generali Reformatione Eccleſiæ non excepti Benedictini.

Per præmiſſa tamen, à *reformatione Eccleſiæ*, *per nos autore Deo facienda*, vos non intendimus liberare.

Datum *Conſtantiæ*, *XII. Cal. Martii*, *Anno à Nativitate Domini MCCCCXVI*, Apoſtolica ſede vacante.

CAP. II.

Electi Præſidentes Capituli Provincialis Conſtantienſis pro reformatione Benedictinorum.

Electi in Concilio Præſidentes reformationis Benedictinorum.

P*Ræſidentes ſunt &c. Lodevvicus, Treverchienſis*, Cabilonenſis diœceſeos, *Thomas*, *Eboracenſis*, *Syfridus*, *Elvvangenſis*, Auguſtenſis diœceſeos, *Johannes*, *Sancti Gregorii*, Conſtantienſis diœceſeos, Monaſteriorum, *Abbates.*

Digitized by Google

CAP. III.

Juramentum Viſitatoris Benedictinorum in Conſt. Concilio electi.

Juramentum viſitatorum ordinis Benedicti.

EGo N. &c. juro per hæc ſancta Dei Evangelia, quod officium viſitationis, ad quod *in ſacro capitulo provinciali Conſtantienſi* ſum electus, fideliter & legaliter, quantum mihi Deus præſtiterit, cum meis viribus exercebo, poſtpoſito favore & odio, ac quocunque alio inordinato affectu, ſecundum Deum & beati Benedicti regulam, ac regularia instituta. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Evangelia.

CAP. IV.

Modus ſuſcipiendi Viſitatores, vel Viſitatorem, ſi eorum tantum unus fuerit, per viſitandos.

Ceremoniarum ſeries in adventu viſitatorum ad Benedictinorum monaſteria.

ITem, quando intrabunt Viſitatores oppidum vel civitatem, tunc *debent pulſare omnes campanas*, & pulſum continuare, donec dicti Viſitatores intráverint Eccleſiam, oraverint, & ab oratione ſurrexerint.

Item Dominus *Abbas viſitandus debet exire* in paramentis, ſcilicet *cum conventu*, extra monaſterium *proceſſionaliter*.

Et *debet portari crux*, aqua benedicta & thuribulum.

Et *Abbas* debet ſtare ſub porta monaſterii, cum cappa & baculo paſtorali.

Et *conventus* debet ſtare ante portam in proceſſione hinc & hinc.

Qvi vero crucem portant, debent ſtare in medio ante chorum conventus. Qvi etiam debet eſſe paratus paramentis.

Item, cum dicti Viſitatores venerint, & appropinqvaverint proceſſioni: Tunc Dominus *Abbas ibit* eis *obviam*, quantum durabit chorus monachorum, & non ultra, & per medium chori.

Item tunc ſtatim Dominus *Abbas recipiet crucem in manibus, & dabit Viſitatoribus* ſeu Viſitatori genubus flexis *ſtantibus* ſeu ſtanti *ad oſculandum*. Et aſperget eos vel eum cum aqua benedicta, & incenſat eos vel eum.

Item poſtea *Abbas dabit uni Viſitatorum baculum paſtoralem in manus*. Et ducet eum vel eos in monaſterium.

Et quando intrabunt portam monaſterii, tunc *chorus* incipiet *Reſponſorium de Trinitate: Deum time*. Et pauſatim cantetur, uſque quod Viſitatores vel Viſitator venerint *ad altare majus*, & ibi flexis genubus ſuper quodam ſcamno, bene ornato cuſſinis & aliis ornamentis, oraverint. Et ſi non ſufficit *Reſponſorium* illud, cantetur aliud *de patronis*.

Et in oratione, dimiſſis Viſitatoribus, medio tempore Dominus *Abbas deponet paramenta*.

Et finitis Reſponſoriis, *Collecta* dicantur, ſcilicet, *Actiones noſtras*, de patronis.

Qvibus completis, viſitator unus dabit benedictionem, ſi illam dare poteſt.

Dein *Abbas ducat Viſitatores ad locum capitularem*, vel cameram ipſis deputatam, in qua valeant manere, & examinare viſitandos.

Item, ſi ſit hora, qua poſſit viſitatio inchoari, *convocent viſitatores Abbatem & conventum* ad locum capitularem *per ſonum*.

Si velint proponere verbum Dei, proponant, ſeu alter ipſorum.

Dein faciant legi clauſulam dationis ſuæ poteſtatis, in proceſſu contentam.

Præliminaria viſitationis inchoandæ. Jurent monachi viſitandi.

Conſequenter *accipiat unus librum Evangeliſtarum*, vel alium, ubi ſunt Evangelia. Et *omnes ſimul manum apponant*, ſi fieri poteſt, vel ſi non, primo Abbas ſolus, dein quatuor & quatuor, ſeu tot, quot poſſunt manum apponere. Et dicatur eis: *Per iſtum modum vos juratis* &c. prout in forma poſtea continetur.

Deinde ad partem *interrogent Abbatem* ſingulariter, ſuper ſingulis interrogatoriis. Similiter & *conventum*, prout inferius per capitula continetur.

Item, ſi tempus non patitur, *plures inſimul interrogare poſſunt*, maxime ſuper illis, de quibus fama poteſt haberi, vel notorium.

Item,

Digitized by Google

Item ſi non poſſunt prædicta die, qua intrant, vacare viſitationi, expectetur dies ſequens.

Et de mane poteſt alter ipſorum, ſi voluerit, dicere miſſam unam, vel ſaltem poterit verbum audire. Qvia finita hora, qua fieri debet Capitulum, accedunt ad locum capitularem.

Finito & expedito capitulo regulari, faciant legi formam *juramenti viſitandorum.*

CAP. V.

Juramentum viſitandorum utriusque ſexus.

Formula juramenti, qua obligandi Monachi Benedictini ante eorum reformationem in quovis monaſterio.

EGo N. &c. *juro* per hæc ſancta Evangelia, quod de omnibus, ſuper quibus ero per vos, vel aliquem veſtrum, interrogatus, generaliter vel ſpecialiter, *veritatem dicere.* Ac etiam omnia, quæ ſciam *veſtra reformatione indigentia*, & quæ ſunt *neceſſaria pro reformatione monaſterii* præſentis, vobis fideliter manifeſtabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

CAP. VI.

Copia veri Procuratorii ſecundum Conſtitutiones Benedictinas.

REverendis in Chriſto patribus, Dominis præſidentibus ſacro *Provinciali Capitulo monachorum nigrorum* Carcaſſenſium proxime celebrando, P. Dei gratiâ, Abbas monaſterii S. Aniani ordinis ejusdem, diœceſeos Chomenſis, Salutem in filio virginis, cum omni reverentia & honore.

Formula Abbatis, ad ſubſtituendum pro ſe Procuratorẽ, ſi ipſe in Capitulo Reformatorio præſens eſſe nequeat.

Veſtra noſcat paternitas, Patres & Domini Reverendi, me permittente Deo, podagrâ, decrepita ætate, febrili paſſione, vel hujusmodi taliter eſſe detentum, quod absque gravi damno perſonæ meæ atque evidenti periculo ad dictum ſacrum capitulum accedere nequeo perſonaliter de præſenti. Ideoqve ad ipſum capitulum fratrem *Johannem Roberti*, monachum, & infirmarium noſtri monaſterii antedicti (mitto) cui præſentium teſtimonio literarum do poteſtatem & ſpeciale mandatum, coram vobis, meo nomine in dicto capitulo comparendi, intereſſendi, faciendi, & adimplendi ea omnia, ut ipſe facere poſſem & deberem, ſi in eodem Capitulo eſſem perſonaliter conſtitutus. Do inſuper poteſtatem eidem, & *ſpeciale mandatum in animam meam jurandi*, excuſationem allegatam ſuperius fore veram. Scientes interea, quod tale monaſterium per me extitit, ut injunctũ mihi fuerat, proximo lapſo Capitulo Provinciali viſitatum. In qvo facta diligenti inquiſitione, in ſpiritualibus & in temporalibus, tam in capite quam in membris, honeſtatem regularem, ac etiam temporalem vigilantiam reperi obſervari.

Vel ſic: In quo quidem, *qua correctionis & reformationis ſarculo indigebant*, ut melius potui, *reformando correxi.* Datum ſub noſtro ſigillo &c. In quorum teſtimonium ſigillum meum &c.

Et cum res correcta exiſtat dubia vel nimis ardua, conſulo, quod Viſitator mittat proceſſum clauſum Præſidentibus ante dictis.

Si autem monaſterium, ut injunctum fuerat, non viſitavit, *alleget etiam juſtam cauſam.* Nam aliàs præſumeretur negligens, & mulctaretur pœna duplici.

Ergò non ſufficit dicere, corporali infirmitate, vel impedimento corporis vel itineris quem eſſe detentum, niſi *rationem impedimenti clare exprimat.*

CAP. VII.

Proceſſus generalis monachorum nigrorum Capituli Provincialis, in Petri domo, *monaſterio ejusdem ordinis* ultra Pontem Conſtantienſem *ſitô, celebrati ſub anno prout inferius notatur.* M CCCC XVII. menſe Martio.

Decreta in Capitulo provinciali Conſtantienſi pro viſitatione ordinis Benedicti A. 1417. mēſe Martio. Celebrat9 hic convētus in Petershauſen prope Conſtantiam.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis nos, Lodewicus, Treverchienſis Regalis *à Romana Eccleſia immediate dependens*, Thomas, Eboracenſis, Syfridus, Elwangenſis, *etiam immediate à Romana Eccleſia dependens*, Johannes, Sancti Gregorii, *monaſteriorum*, Abbates, ordinis Sancti Benedicti, *Cabilonenſis*, *Eboracenſis*, *Auguſtenſis & Conſtantienſis diœceſium*, autoritate ſancti concilii *electi ad officium præſidentiæ Capituli* nigrorum monachorum ordinis ejusdem, *provinciæ Moguntinenſis*, *& diœceſeos Bambergenſis*, *videlicet* in ſuburbiis ejusdem civitatis, *in monaſterio* PETRI DOMUS dicti ordinis *celebrati*, *ac* inchoati die ultima Februarii, *cum continuatis diebus ſequentibus*, Anno Domini M CCCC XVII. *Indictione decima*, *ſede Apoſtolica vacante*, & tertio anno dicti concilii, *ſecundum felicis recordationis Benedicti Papæ XII. & Honorii III. generalis concilii ſtatuta*, *& ſacrorum canonum ſanctiones: Salutem in Domino ſempiternam.*

Notum facimus, *quod* pro utilitate & reformatione ordinis prædicti *de conſilio Dominorum Abbatum præſentium*, *quorum nomina ſequuntur*, *& Procuratorum abſentium*, *quamvis non neceſſario requiſitorum*, *videlicet primo:* De diœceſi Conſtantienſi *Sancti Gregorii in agro Campidonenſi*, *Sancti Blaſii*, *Sanctæ Mariæ*, *Eremitarum*, *&c. Procuratores Abbatum non perſonaliter comparentium: Dictæ diœceſeos In Droba Lucernenſi: De diœceſi Argentinenſi in Svvartbach &c. De diœceſi Moguntinenſi &c. De diœceſi Spirenſi &c. De diœceſi Herbipolenſi &c. & ſic de aliis: Statuimus & ordinavimus*, *ſtatuimusq; & ordinamus quæ ſequuntur.*

Novo Benedictinorum conventus indictus in Annum 1418.

Primo, *quod* Capitulum *provinciæ & diœceſeos atque ordinis prædictorum* proximè celebrandum, *ſecundum ſtatuta & ſanctiones prædictas celebrabitur* in monaſterio Sancti Albani extra muros Moguntinenſis civitatis ordinis prælibati, *die Dominica*, *qua* cantabitur in Eccleſia Dei *Cantate*, *quæ erit quarta poſt feſtum Paſchæ*, *diebus continuatis ſequentibus*, Anno à Nativitate Domini M CCCC XVIII.

Definiti Præſides futuri illius conventus.

Et in eo præſidebunt *Domini* Abbates Monachorum Fuldenſium, Campidonenſium, Selzenſium, & Sancti Ulrici in Auguſta, *Ordinis præfati*, *Herbipolenſis*, *Conſtantienſis & Argentinenſis diœceſios.*

Ideo autem propria nomina ſubticemus, ut, ſi aliquem aut aliquos ipſorum diem claudere contigerit extremum, *ſucceſſor in dignitate ſuccedat pariter in præſidentia.* Qvod idem volumus de ſermocinationem & miſſam celebrare debente, ſingulisqve viſitatoribus totius provinciæ & diœceſeos prædictarum.

Miſſam vero in die Capituli celebrabit per ſe vel alium Dominus *Abbas in Forchen*, *Moguntinenſis diœceſeos.*

Sermonem faciet per ſe vel alium Dominus *Abbas in Caſtello*, *Aichſtadienſis diœceſeos.*

In diœceſi vero *Conſtantienſi & Curienſi* viſitabunt monaſteria, nondum per certos viſitatores aut à præſidentibus capituli deputatos viſitata, Sancti Blaſii Iſingenſis in Tzwyfeldingen & Fabrienſis Abbas, Conſtantienſis & Curienſis diœceſeos.

Et hos viſitabunt in Faucibus & in Ottenburen Abbates, Auguſtenſis diœceſeos.

In diœceſi Auguſtenſi viſitabunt in Prenzahuſen & in Pfortzheim Abbates, ejusdem diœceſeos.

Et hos viſitabunt in Wibellingen & in Ochſenhuſen Abbates, Conſtantienſis diœceſeos.

In diœceſi Aichſtadenſi & Bambergenſi viſitabunt Caſtellenſis & Bambergenſis eorundem civitates &c.

Præfati etiam viſitabunt monaſteria monialium in diœceſi ſeu diœceſibus, in quibus, ut ſupra dicitur, ſunt ordinati viſitare monaſteria virorum.

Pompa Viſitatorum limitata.

Volumus præterea, quod *nullus viſitatorum* præfatorum *ultra XII. equitaturas ſecum ducere habeat.*

Qvod idem volumus de venientibus ad Capitulum obſervari.

Pœna excedentium.

Qvod ſi contrarium fecerint, ultra tantum, quantum expoſuerunt, teneantur ſolvere reponendum *in communi arca*, ad utilitatem Capituli præfati infra menſem. Qvod ſi non fecerint, ad duplum per præſidentes arbitrandum in dicto proximo Capitulo condemnentur, nulla eis ſuper hoc remiſſione profutura.

Ordi-

Commune ærarium Benedictinorum conſtitutũ in Petershauſen prope Conſtantiam.

Ordinamus inſuper, dictam *arcam communem* debere ſtare in dicto *monaſterio* PETRI DOMUS, tribus ſeris & clavibus diverſificatis ſeratam. In qua per *theſaurarios*, ſeu *cuſtodes clavium* infra nominandos, de contributione communi & aliunde obvenientia ad utilitatem Capituli præfati reponentur.

Theſaurarii Benedictinorum.

Præfatos vero *theſaurarios* eligimus *Abbates* monaſterii *Petri domus*, *Schafhuſen*, & in *Stein*, Conſtantienſis diœceſeos.

Theſaurariorum ac viſitatorum illorum jura.

Dantes eisdem theſaurariis, viſitatoribusqve præfatis, & eorum cuilibet *poteſtatem exigendi*, *petendi & requirendi* omnia & ſingula debita, in ipſo Capitulo impoſita, vel imponenda per ipſum Capitulum ſuper prælatos dictarum provinciæ & diœceſeos, pro ſupportatione ipſorum Capituli & ordinis, & illa, quæ debent Domini Abbates abſentes continuantes, ſecundum maturam taxationem, inſerius inſertam, *compellendiq́*, per cenſuram Eccleſiaſticam omnes differentes ſeu renunciantes ſolvere, quæ debebunt, terminosqve ſolutionis minime factæ *relaxandi*, *& abſolvendi*, & generaliter omnia *faciendi* circa præmiſſa, omniaqve & ſingula, quæ facere poſſunt & debent theſaurarii, atque facere, quæ facere poſſemus, & faceremus, ſi perſonaliter intereſſemus.

Volumus autem, recepta ſeu recipienda per viſitatores præfatos, quod mittantur theſaurariis jam dictis, ſeu eorum alteri, ut *in præfata arca reponantur*.

Et ut omnia prædicta, & alia Capitulo incumbentia valeant ſupportari, monemus, autoritate Apoſtolica & noſtra, omnes & ſingulos *Abbates* ordinis provinciæ & diœceſeos prædictarum, quatenus quilibet eorum *de ſumma trium florenorum Rhenenſium* infra tempus trium dierum, computandorum à die, qua viſitatores cauſa viſitandi ad ſua monaſteria declinaverunt, niſi prius ſatisfecerint, ipſis theſaurariis ſeu viſitatoribus, aut eorum alteri *ſatisfaciant*. Qvod tempus pro tribus monitionibus canonicis præfigimus, & volumus ſufficere.

Communis cenſus Abbatum Benedictinorum, in eorum viſitatione.

Alioquin eos, dicto elapſo termino, in ſcriptis excommunicamus, & excommunicatos denunciari volumus, & mandamus in locis & monaſteriis præfati ordinis, prout in Benedictina continetur. Qvorum abſolutionem theſaurariis viſitatoribusqve præfatis, ſeu eorum cuilibet, ſatisfactione præmiſſa, non ante, (reſervamus;) Aliàs dictam abſolutionem impedientem habeant facultatem.

De receptis ſeu recipiendis rationem in proximo futuro Capitulo expreſſam facere teneantur.

Theſaurarii præveniant ad Capitulum quàm Præſidentes ac viſitatores.

Volumus autem, quod præſidentes *theſaurarii* ſupradicti *terminum Capituli* proxime celebrandi *præveniant*. Sic quod theſaurarii ſint ibidem ſabbato ante dominicam, præcedentem Dominicam *Cantate* ſupra dictam. *Præſidentes* vero die lunæ, ac *viſitatores* die martis proxime ex poſt ſequente.

Interimque *relationem de commiſſis*, & diſcuſſionem eorundem, quantum poterunt, *ante terminum dicti Capituli* facere debeant, ut adveniente ipſius termino citius expediantur.

Abbates aliqui in Capitulo provinciali Conſtantienſi non comparuerunt.

Item, quia Domini *Abbates* ordinis provinciæ & diœceſeos prædictarum, *ad præſens Capitulum Provinciale non venerunt*, nec procuratores ſeu excuſationes miſerunt, videlicet Domini *Abbates in Vallenſtede & in Geſeke*, Halberſtadienſis, *& in Cluſa*, Moguntinenſis diœceſeos: Reputavimus & per præſentes reputamus *contumaces*.

Horum Abbatum contumacium pœna, Conſtantia dictata.

Et eos *pœnas* in dicta conſtitutione præfati Domini Benedicti contentas declaramus incurriſſe, quas arbitramur in modum ſequentem. Videlicet: Qvilibet Abbatum in Vallenſtede & in Geſeke ſolvet *quadraginta florenos Rhenenſes* pro contributione communi, quorum quatuor in Capitulo & tres viſitatoribus dandi Abbatibus: Non incluſis *viginti florenis* una cum contributione. Cujus Abbatis ſolutionem præſidentes ſibi in futuro Capitulo ex cauſa reſervarunt. Qvas ſummas dictorum duorum *Abbatum contumacium* debitas, volumus viſitatoribus, ſeu eorum alteri, infra tres dies, à die, quo eorum monaſterium cauſa viſitandi applicuerint, computandos, tradi realiter & aſſignari. Et dictos

tres dies pro tribus canonicis monitionibus eis præfiximus & præfigimus per præſentes. Alioqvin eos, elapſo dicto termino, in his ſcriptis excommunicamus, & excommunicatos denunciari volumus & mandamus in locis & monaſteriis præfati ordinis, ut in Benedictina continetur. Abſolutionem dictis theſaurariis & viſitatoribus, ſecundum diſtinctionem quæ in alio caſu præmittitur, reſervantes.

Viſitatoribus tempus viſitandi præſcriptum. Item volumus, quod Viſitatores deputati ſupradicti ſtatim, cum ad ſua monaſteria devenient, ſuas incipiant viſitationes: Et *per menſem Majum, Julium & Auguſtum*, ſi poſſunt, ſin autem, tunc quam citius fieri poterit, ipſas *viſitationes perficiant.*

Generalia ſtatuta reformatoria, in ordine S. Benedicti, in Conſt. Cōcilio facta. Item *ad ordinis reformationem* ex officii debito oculorum aciem dirigentes, quædam ipſum *totum ordinem concernentia pro ipſius reformatione* duximus ſtatuenda.

Sacra devote tractentur. Et primo ab *opere Dei* inchoantes, ordinamus, quod diurnum pariter & nocturnum officium *devote* tractetur: Pauſatim, non transcurrendo, non ſyncopando, & horis competentibus, prout in regula ſanctiſſimi noſtri Patris Benedicti continetur, celebretur.

Sacra mature inchoentur. Et quod mox, *cum auditum fuerit ſignum*, relictis omnibus, quæ fuerint in manibus, ſumma cum feſtinatione concurrant: Cum *gravitate* tamen, *ne ſcurrilitas inveniat fomitem*, ita quod *nihil operi Dei præponatur.*

Et ne excuſari *prætextu ignorantiæ* non auditi ſinguli valeant, volumus, quod tractus matutinarum, quem incipi in media nocte volumus, primæ, & veſperarum, ad minus ultra quartam partem horæ perduret.

Pœna negligentiũ. Qvi vero ad præfatum diurnum officium non venerint, *irremiſſibiliter*, prout in regula continetur, *puniantur.*

Volumus etiam, quod Abbates & ceteri ordinis præfati *celebriter confiteantur & communicent.* Prout in Conſtitutione Benedicti *de miſſarum celebratione* &c. continetur.

Presbyteri eorum ordinandi. Et quod illi, qui ſecundum juris & Benedictinarum ſanctiones in ſacris aut presbyteratus ordine conſtituti ſunt, infra annum *ad ipſos ordines promoveantur.* Et *contra negligentes* viſitatores procedant, prout de jure poſſemus.

Capitulũ Benedictinorum quotidianum, de eorum diſciplina regulari. Volumus inſuper & ordinamus, quod *qualibet die*, in locis, ubi ſunt ſex monachi, & aliis, uti conſvetum eſt, poſt primam, ſi tantum una miſſa dicatur, ſi vero duæ, poſt primo dictam, vel alia conſveta, *teneatur Capitulum quotidianum.* In quo *de diſciplina regulari*, poſt martyrologium, ad lecturam regulæ, quæ vulgariter, per præſidentem ipſi Capitulo, ſeu alium, cui ipſe juſſerit, *exponatur*, antequam ad alia procedatur. Et negligentium ſeu delinquentium culpæ & exceſſus puniantur.

Sacra ſint munda. Item volumus, quod quilibet, cum ad ſuum monaſterium deveniet, de firmis ac mundis vaſe & loco, in quibus & ubi Euchariſtia reponatur, infra menſem provideat.

Res libraria Benedictinorũ curanda. Ac *libri*, cum cæteris ornamentis divinum officium & monaſterium concernentibus, cum diligenti cuſtodia reſerventur.

Habitus eorum externus circumſcriptus. Item quia *per decentiam habitus extrinſeci* dicti ordinis profeſſi & novitii debent *morum honeſtatem oſtendere:* Statuimus & ordinamus, quod omnes *tonſuras* referant *largas & latas.* Ita quod *circulus* ipſarum ſpatium ſeu groſſitudinem duorum digitorum transverſalium non excedat.

Seq; decenter habeant in veſtibus, habitibus & calceamentis, juxta *Clem. Ne in agro.* & Conſtitutionem præfati Benedicti, *de forma & honeſtate veſtimentorum.* Ut videlicet portent *tunicas* & veſtes habitui ſuperiori proximas, *nigri*, vel *bruni* aut *albi coloris*, juxta morem apud eos ſervari ſolitum, *rotundas* & *talares*, *non fiſſas*, nec alia deformitate notandas, *largas manicas habentes usque ad pugnum protenſas*, nullo modo *bucconatas* ſeu *nodatas*, non tamen adeo largas, quod latitudine ipſarum ſupra pugnum cum pollice erecto valeat extendi, nec circa os cubiti, ſicut habet abuſus quorundam, ultra protendatur, quam quod brachium poſſit faciliter verti, & infra duci.

Almutiis de pellibus loco caputiorum ſint contenti. *Caputiis* tamen *honeſtis*, in locis,

Digitized by Google

locis, quibus ſoliti ſunt ipſa portare, fiſſis ſuper humeros longitudine quatuor digitorum transverſalium, ad minus uti de licentia Abbatis poſſunt.

In *veſtibus foderatis*, pro foderatura vel minuta varia vel alia pretioſa non portent, ſed tantum *agniculorum ſeu agnellorum pellibus* pro dictis foderaturis, aut ſaltem pannis aliis non pretioſis utantur. Nec foderaturæ ſupra collum, vel in fimbriis veſtium ſeu manicarum appareant aliquo modo.

Præterea, cum ipſos ad monaſterium contingat proficiſci, *floccatam cucullam aut cappam* portent, & ſubtus cappam, ſi eam portaverint, cucullum aut ſcapulare. Novitii vero cucullâ intus monaſterium, & extra apertâ ad utrumque latus, & converſi ſcapulari cum caputio ſibi annexo, clauſo, intus & extra utantur.

Verùm quia aliqui habitibus prædictis magis amplis & longis, alii vero minus quam decenter utuntur: Eapropter *latitudinem & longitudinem* prædictorum duximus præſentibus inſerendam, quam volumus obſervari.

Et primo incipientes *à caputio flocci* ordinamus, quod ipſius latitudo non attingat os cubiti groſſitudine duorum digitorum transverſalium. Nec valeat ſtrictius, ſeu ita breve, quin usque ad medium cubiti & oſſis ſuperioris prope ſcapulam protendatur. Dictum vero *caputium* retro ad minus protendatur usque ad corrigiam, nec ultra ipſam, & quatuor digitos valet extendi.

Longitudo vero *manicarum* per cubitum unum ultra manum, & non plus extendatur. Et *latitudo* alium cubitum cum dimidio non excedat.

Inferius autem ſit adeo latus, quod paſſus infra ipſum faciliter fieri poſſit.

Et ea, quæ dicta ſunt de *flocco*, intelligi volumus de *cuculla*, manicis, cum nullas habeant, ſemotis.

Intra vero monaſterium, in locis, in quibus fuerint duodecim monachi, *omnes flocco utantur*. In aliis vero, ubi fuerit tanta congregatio, *cucullis* uti poſſunt. Qvas ſi portaverint, nullus flocco utatur. Præſidente monaſterii & primo poſt ipſum, quos floccum omnino portare volumus, duntaxat exceptis.

In operibus tamen divini officii ſubtus *albam*, & equitando ſubtus *cappam*, *ſcapulare*, quod latitudinis dimidii cubiti ad minus ſpatium volumus comprehendere, tantum portare valeant.

Camiſiis lineis aut *canopiis* non utantur: Sed vel *ſtamineam* vel *veſtem laneam* loco dictarum camiſiarum portent.

Eſtmallos ſeu *bocas* vel *ſocularas corrigiatos altos*, ita quod altitudo ſpatium quatuor digitorum comprehendat, de tibia ſuper *canillam* portent.

Qvod ſi in aliquo prædictorum fuerint negligentes, ſeu infra tres menſes, poſtquam ad ſua monaſteria venerint, non portaverint, ut præfertur: Ultra pœnas à jure inflictas, per eorum ſuperiores in religione, vel ſi ſuperiorem hujusmodi non habeant, per viſitatores præfatos taliter puniri volumus, quod ceteris cedat in exemplum.

Item, quod fratres *comedant & bibant in refectorio*. In quo nullus omnino carne veſcatur. Diligentes ſint Viſitatores, ut conſtitutiones Benedictinas *de eſu & abſtinentia carnium* &c. faciant inviolabiliter obſervari. *De Victu Benedictinorum.*

Menſaq; eorum non deſit lectio. Et *qui lecturus fuerit per totam hebdomadam*, Dominica ingrediatur poſt benedictionem, prout in regula cap. XXIII. de *hebdomario lectore* continetur. *Lectoris officium in menſa Benedictinorum.*

Item quod *ſinguli per ſingulos lectos veſtiti dormiant* in eodem loco, ſi fieri poterit; Vel ſaltem deni aut viceni: *Non* autem *per cameras*, maxime ſi non fuerint cancellatæ competenter, ita, quod aperte & clare poſſint videri in eis. *De lectis & cubilibus eorū.*

Lectiſternio, per modum commiſerationis ſecundum diſpoſitionem Abbatis habentis culcitram, *non utantur*.

Si vero *cameræ in dormitorio* reperiuntur, præcipimus per viſitatores ſæpe fatos ſeu eorum mandato deſtrui, ſeu competenter cancellari.

Item, quod *ſilentium in Oratorio, dormitorio, refectorio & clauſtro* obſervetur. *Silentium ubiq; Benedictinis injunctū.*

Et *poſt completorium nulli liceat quicquam loqui*, niſi prout in regula continetur. Ante vero dictum completo-

 rium

rium legatur collatio Patrum, vel aliud ædificans.

De janitore Cœnobii Benedictinorum.

Item quod *ad portam* cujuslibet *monaſterii* unus *portenarius* ſeu *janitor* providus & diſcretus deputetur, ne absqve licentia Abbatis aut alterius præſidentis in monaſterio, de eodem egregiendi libertas concedatur. Qvod ſi quisquam ſine hujusmodi licentia exiverit, pœnæ ſubjiciatur conſtitutionis Benedicti, *de licentia exeundi extra monaſterium ſine cauſa non danda.*

Reſtricta licentia evagandi extra monaſteriū.

Feminis aditus ad Benedictinos negatus.

Attentus inſuper ſit, quod *mulieres nullo modo intrare permittat.*

Pravum artificiū Abbatū, mendicos habitu Benedictinorum ornādi, damnatum.

Præterea, quia, ut audimus, quidam Abbatum, ſeu aliorum præſidentium in monaſterio, mendicantes in monachos, & ſine ſuorum ſuperiorum licentia receperunt & incorporant, & quod deterius eſt, ipſos poſtmodum vagare permittunt, in animarum ſuarum detrimentum & ſcandalum plurimorum: Prohibemus, ut de cetero talia non præſumant. Et quos jam receperunt autoritate ſedis Apoſtolicæ vel ſufficienti licentia, teneantur, quam citius commode poterint & alios extra monaſterium vagantes, vel ſaltem infra annum *ad monaſteria revocare.* Alioquin ſententiam ſuſpenſionis, ſi diligentiam in hoc non fecerint, incurrant.

De monaſteriis monialium.

Et ea, quæ dicta ſunt *de monaſteriis virorum*, volumus *in monaſteriis monialium* quoad articulos ſibi competentes ſimiliter obſervari.

Volentes nihilominus & ordinantes, quod *perpetua teneantur clauſura*, prout in conſtitutione *Bonifacii*, (*VI. Dec. l. 3. t. 16.*) quæ incipit: *Periculoſo*, de ſtatu Regularium, continetur. In virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipientes Viſitatoribus, quod ſuper hoc diligentiam exactam imponant.

Literarū ſtudia in monaſteriis Benedictinorū tractāda.

Juniores Monachi Benedictini ad Academias ablegādi.

Item etiam ordinamus, quod *Abbates ponant in ſuis monaſteriis Magiſtros ſufficientes*, qui ſuos novitios *introducant in primitivis ſcientiis, & introductos transmittant ad generalia ſtudia*, penſionem eis aſſignantes, ſecundum formam ſtatutorum ſæpe ſati Benedicti.

Item Viſitatores præfata ſtatuta facere poſſunt, pœnas graviores infligentes, conſtitutionis: *Ne in agro* (*Clem. l. 3. t. 10.*) contra taliter inordinatos ſeu profeſſionis immemores, qui *aves venaticas, prout habet mos nobilium ſecularium*, non verentur *geſtare*, etiam *ſuper pugnum*, ſeu *ante ipſos per eorum familiares deferri faciunt.*

Statuta de bonis Benedictinorum.

Fructus beneficiorum vacantium Abbates ſibi non vendicēt.

Ordinamus præterea, quod Abbates & alii, qvibus de conſvetudine, ſtatuto vel privilegio competit *recipere ſpolia beneficiorum* ſibi ſubjectorum, recipiendo illa, conſtitutionem Benedicti præfati obſervent. Qvod ſi in hoc exceſſerint, graviter per Viſitatores præfatos, etiam præter pœnas in ipſa contentas, quas infligere valeant, puniantur.

Item quod loca prædicti ordinis *non tradantur ad firmam*, niſi prius viſa *Benedictina, de loco non tradendo ad firmam.* Qvam volumus firmiter obſervari.

Volumus etiam, quod cum imminebunt fienda *mutua*, ſimiliter prævideatur *conſtitutio de mutuis & venditionibus.* Qvæ etiam ſimiliter obſervetur.

Inventarium faciendum apud novum Abbatem.

Fiant etiam *inventaria* in aſſumtione cujuslibet Abbatis. Prout in *Benedictina de inventariis* continetur.

Statꝰ monaſterii viſitatoribus ſemper exponendus, idque ſcripto.

Et ut *ſtatus monaſteriorum* prædictorum valeat cognoſci, præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis infligenda per viſitatores præfatos, quatenus *quilibet Abbas ſtatum ſui monaſterii, antiquum & modernum, teneatur diſtincte viſitatoribus* præfatis *tradere in ſcriptis.*

Numerus Monachorum Ben.

Item volumus & ordinamus, quod *numerus monachorum antiquitus inſtitutus*, ſi ad hoc ſufficiant facultates, vel ſi non, tot, quot commode contentari poterunt, teneantur.

An nobiles an & ignobiles admittendi inter monachos Ben.

Nec prætextu executionis, privilegii ſeu *conſvetudinis, qua potius dicenda eſt corruptela*, quibus dicunt, ſe nullum niſi *nobilem* accipere debere, defendere ſe valeant aliquo modo. Maxime, ſi non habentur nobiles intrare volentes monaſteria prædicta. *Si* tamen *reperiantur, cæteris paribus præferantur.*

Et idem volumus de *monaſterio Scotorum* obſervari.

Pro veſtitu & victualibus pecuniam monachis non eſſe dandam.

Item quod *victualia, veſtimenta* & alia neceſſaria monachis miniſtranda, *nullo modo in pecunia ſeu reditibus miniſtrentur*, Conſtitutione quacunque aut ordinatione non obſtante. Et in hoc ſervetur conſti-

Digitized by Google

conſtitutio præfati *Benedicti*, *ne victualia in pecuniis miniſtrentur.*

Juſto tempore detur victus & veſtitus.

Volumus autem quod præfatis religioſis prædicta victualia & veſtimenta *temporibus ordinatis* in *Benedictina de cenſibus*, etiam miniſtrentur.

Quisque Abbas generale apud ſuos celebret capitulũ, ad leges has publicandas.

Et ut prædicta per omnia loca ordinis provinciæ & diœceſeos præfatorum melius poſſint obſervari, ordinamus, ut infra annum proximum & *ante futurum capitulum* ſaltem per menſem *quilibet Abbas generale capitulum*, ſi quos ſubjectos extra ſuum monaſterium habeat, *facere & finire teneatur*, in quo ſtatuta prædicta publicentur.

Singulis etiam annis in Capitulo quotidiano repetãtur.

Qvæ volumus nihilominus in anno in *capitulo quotidiano*, ne qvis cauſam ignorantiæ prætendere valeat, diſtincte legi, una cum conſtitutionibus Benedicti.

Executio harum legum quibus injuncta.

Rogantes & requirentes *in juris ſubſidium* omnes alios dicti capituli nunc ſubditos, quatenus *contenta in præſentibus literis, quæ executione indigent*, executioni debitæ demandent, aut demandari faciant competenter.

Qvamvis autem alia juris & regulæ inſtituta ſint ab omnibus præfatis obſervanda, qvorum transgreſſores per viſitatores puniri præter pœnas in eis contentas volumus, prout eis videbitur expedire: Specialius tamen & diſtrictius volumus illos, qui *aliqua ſupra expreſſorum* prævaricati fuerint, *pœnis* ſupra expoſitis percelli.

In qvorum omnium & ſingulorum robur & teſtimonium has præſentes literas *ſigillorum* noſtrorum *appenſione*, ac ſignis & ſubſcriptionibus notariorum noſtrorum juratorum ſubſcriptorum, juſſimus communiri.

Edita hæ leges Conſtantiæ in monaſterio Petershauſen. A. 1417. menſe Martio.

Data fuerunt hæc *Conſtantiæ, provinciæ Moguntinenſis, in monaſterio* PETRI DOMUS *ordinis Sancti Benedicti* ſupra dicto: Nobis inibi una cum Dominis Abbatibus & cæteris religioſis ſupra ſcriptis *capitulariter congregatis*: Indictione decima, *ſede Apoſtolica vacante*: Præſentibus reverendis religioſisqve Patribus & Dominis, *Caſpar de Peruſio*, *Alexandro Bellifonte & Conrado Pegavienſi*, monaſteriorum *Abbatibus*, Peruſienſis, Malleacenſis & Merſeburgenſis diœceſeos, *teſtibus* ad præmiſſa vocatis ſpecialiter.

CAP. VIII.

Diploma Imperatoris Sigismundi, datum in Concilio Conſt. Viſitatoribus Benedictinorum A. 1418. 17. Jan.

Imperator Sigismundus approbat Landtag Capitulũ provinciale Benedictinorũ Conſtantiæ A. 1417 menſe Martio celebratũ, pro Reformatione illorum Monachorum.

Wir Sigmund von GOttes Gnaden Römiſcher König/ zu allen Zeiten Mehrer des Reichs/ und zu Ungern/ Dalmatien/ Croatien ꝛc. König/ Entbieten allen und ieglichen Fürſten/ Geiſtlichen und Weltlichen/ Grafen/ Freyen/ Rittern/ Knechten/ Vögten/ Ammtleuten/ Bürgermeiſtern/ Räthen und Gemeinden/ und ſonſt allen andern Unſern und des Reichs Unterthanen und Getreuen/ denen dieſer Brief fürkömmt/ Unſer Gnade und alles Gute.

Ehrwürdige/ Hochgebohrne/ Edle und liebe Getreue. Uns iſt fürbracht/ wiewol die Ehrſamen alle und jegliche Aebte Sanct Benedicten-Ordens/ nachdem Sie dann von ihren Præſidenten und Obriſten nechſt gefodert waren/ eine gemeine Samlung/ die man nennet Capitulum provinciale, in der Stadt zu Coſtentz gehalten haben/ auf daß Sie ſich/ ihren Orden/ und die Aebtiſſiñen/ Münche und Nonnen darinne rechtfertigen/ in Ordnung/ und redlich Leben und Weſen wiederbringen/ und nach Ausweiſung des proceſſes des jetzigen Capitels darüber gemacht/ darinne behalten/ und auch ihres Ordens Gebrechen wandeln und fürſetzen möchten; Und

Und wiewohl in derſelben Sammlunge / mit Rath und Willen des heiligen Conciliums zu Coſtenz / etliche Ordnungen und Geſetze erneuret ſind: Nemlich / wie die vorgenannte Aebte / Aebtiſſinnen / Münche und Nonnen fürbaß Kutten tragen / und als Aebte / Aeptiſſinnen / Münche und Nonnen / darum ſie alle ihre Würdigkeit / Ehre und Nahrung haben / ordentlich / göttlich / redlich und nach Ausweiſſunge ihrer Regul / und anderer Päbſtlicher Geſetze / leben ſollen:

Jedoch ſind noch etliche derſelben Aebte / Aebtiſſinnen / Münche und Nonnen die ſolcher Rechtfertigung Ordnung und Geſetze der vorigen Samlung und Obriſten / ungehorſam ſind / und ſich auch dawider / ihrer Seele zu Schaden / und ihrem Orden und Oberſten zu nicht kleiner Schmachheit / freventlich ſetzen / und ihr ſtraffbar Leben fürbaß alles zu behärten meinen.

Wann nun der vorgenante Sanct Benedicten-Orden im Chriſtlichen Glauben / aller geiſtlicher Zucht un̄ Ordnunge / ein gut Bilde viel hundert Jahr geweſt / und in Unſern und des Reichs ſonderlichen Schirm iſt / und Wir allezeit darzu geneigt ſind / daß alle geiſtliche Perſonen in redlich und ordentlich Weſen wiederkommen und bracht werden:

Und wenn die vorgenante Samlunge überkomen geordnet / und gemacht hat / etliche gelerte und eines guten ſeligen Lebens Vätere des vorgenenandten Ordens in alle und jegliche Clöſter in dem Reiche / und nemlich in der Provintz des Ertz-Biſtums zu Maintz / und des Biſtums zu Bamberg gelegen / zu ſenden / die zu beſehen / in redlich Weſen / Orden / und Behältniß der vorigen Regul / Geſetze / und geiſtlich Leben zu ſetzen / ungehorſame Aebte / Aebtiſſinnen / Münche und Nonnen zu ſtraffen / und zu redlicher Gehorſamkeit wiederzubringen / und andere Gebrechen in ſolchen Klöſtern nach dem beſten zu wenden / und daß männlich Gottesdienſt andächtiglich und fleiſſiglich geübet und gehalten werden / zu beſtellen:

Und wann alſo die Præſidenten / Viſitatores und andere Perſonen des vorgenanten Ordens zu Capittel / und die Klöſter alſo zu viſitiren / und zu thun als vor begriffen iſt / in der vorgenanten provintz, und den Biſtum zu Bamberg hin und her ziehen und fahren werden:

Darum haben Wir ihnen und allen den ihren / die mit ihnen reiten / fahren / und ziehen / mit ſamt ihrer Haabe / Unſern und des Reichs Friede und Geleit gegeben / und ſie auch darin gnädiglich genommen / geben und nehmen in Krafft dieſes Brieffes unter Römiſcher Königlicher Macht Vollkommenheit: Und begehren darum von euch allen / und eurer jeglichen / und gebieten euch / auch von der vorgenanten Unſerer Macht und Gewalt wegen / ernſtlich und feſtiglich mit dieſem Brieffe / daß ihr dieſelben Præſidenten / Viſitatores und Perſonen / mit ſamt ihren Dienern / Knechten / Pferden und Haabe / durch euer Land / Stäte / Schlöſſer und Gebiete zu Waſſer und zu Lande ſicher und ungehindert / reiten / ziehen und fahren laſſet / und ſie auch geleitet / und Geleite ſchaffet / wo das Noth iſt / und das an euch gefordert würde / und wo ſie euch auch anruffen ihnen ungehorſahme Aebte / Aebtiſſinnen / Münche und Nonnen des vorgenannten Ordens in ihre Gewalt und Gefängniß zu bringen und zu behalten helſſen / daß ihr des willig ſeyn ſollet nach ihren Begehren / GOtt zu Lobe / dem vorgenanten Orden zu Ehren und zu Nutz / allen gläubigen Seelen zu Troſt / und Uns / und dem Reiche zu ſonderlichem Dancke und Wolgefallen; Wann uns ein jeglicher ſonderliche Dienſte und Behäglichkeit daran beweiſet.

Geben zu Coſtentz / unter Unſer Königlicher Majeſtät Inſiegel / nach Chriſti Geburt vierzehenhundert Jahre / und darnach in dem achzehenden Jahre / am Sanct Anthonien-Tage / Unſer Reiche des Ungerſchen ꝛc. in dem ein und dreiſſigſten / und des Römiſchen in dem achten Jahre.

Provinciale hoc *Capitulum*
Monachorum Nigrorum
Ordinis S. Benedicti
Nationis Germanicæ
In œcumenico Conſtantienſi Concilio
in Conſtantiæ ſuburbio
ultra Rheni pontem
ampliſſimo Benedictorum monaſterio
PETRI-DOMUS
ſive
PETERSHAUSEN
SIGISMUNDI IMPERATORIS
aliorumqve Principum
in Concilio præſentium
freqventi hoſpitio
DE VISITATIONE
AC REFORMATIONE
MONACHORUM BENEDICTINORUM
Anno M CCCC XVII.
ſede Papali vacante
ſolenniter celebratum
IMPERATORE SIGISMUNDO
Qvi
pro ſuo in Reformationem Zelo
Conſtitutos Viſitatores
è Concilio ad hoc opus emigrantes
Anno M CCCC XVIII.
menſe Febr.
proxime ante Concilii finem
publico ſalvi conductus diplomate
munivit.

Nunc

Digitized by Google

Nunc
ad illuſtranda antiqva Germanorum ſtudia,
conſilia,
fata & ſucceſſum
in emendandis religioſorum moribus,
& ad perficiendam Conſt. Concilii hiſtoriam,
Ex antiqviſſimo Codice MScto
BIBLIOTHECÆ DUCALIS GOTHANÆ
Anno M DC XCVII.
die IV. menſis Maji
quando benignâ favente aurâ
opus hoc fervebat
& cum his Conc. negotiis ad finem properantib⁹
ultimam hic Tomus expectabat manum,
in Academia Julia
erutum
memoriæqve poſteritatis proditum,
Auſpiciis
Sereniſſimi Brunſvicenſium Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI,
Imperante
CÆSARE
LEOPOLDO
MAGNO,
PIO,
FELICI.

Digitized by Google

TOMI I. PARS XXVII.

RICHARDI ULLERSTONI

Theologi Angli,

in Oxonienſi Academia Profeſſoris

circa tempora Concilii Piſani ac Conſtantienſis inclyti,

PETITIONES
QVOAD REFORMATIONEM
ECCLESIÆ MILITANTIS.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.

DUCIS &c.

Ex antiquiſſimo Codice MSCto Anglicano

BIBLIOTHECÆ S. TRINITATIS ACADEMIÆ

CANTABRIGIENSIS

editæ ab

HERMANNO von der Hardt.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

Digitized by Google

Cl. Henricus Wharthon, Anglus,
in Appendice
ad Hiſtoriam literariam Wilhelmi Cave,
fol. 89.

* * *

Robertus Episcopus Sarisberiensis,
qui Conciliis Piſano & Conſtantienſi interfuit,
& opus Reformationis tantopere exoptatum
promovere certus,
RICHARDO noſtro
id operæ dedit
ut elucubrato ea de re Commentario
abuſus maxime tollendos notaret.
Summa fide ac prudentia
provinciam ſibi demandatam Richardus obiit,
utpote haud vulgariter literatus,
& ingenti
diſciplinæ Eccleſiaſticæ denuo inſtaurandæ
deſiderio tactus.



HERMANNUS von der Hardt
Lectori Chriſtiano S. P.

AD finem usque Conſtantienſis Concilii per diffuſa Reformationis Eccleſiaſticæ negotia nos deduxit Divus SIGISMUNDUS IMPERATOR. Cujus in Eccleſiaſticam diſciplinam reformandam ardentiſsimus affectus ex vaſto fatorum Conſtantienſium ambitu luculenter effulget. *Theodoricus Vrie*, Weſtphalus, Theologus illius ævi præclarus, in ſua *Hiſtoria Concilii Conſtantienſis*, quam in fronte *bujus Tomi*, *Parte I.* ſtitimus, Sigismundi Cæſaris inexplebile emendandæ Eccleſiæ deſiderium abunde nunciaverat. Sed & ultimum, quod ſuperiori *Parte* XXVI. recenſuimus, *Sigismundi diploma*, Cæſaream in Conſtantienſi hoc emendationis negotio conſtantiam probavit.

Reſtare itaque non videbatur, niſi ut Auguſtisſimum Imperatorem SIGISMUNDUM, cujus in emendando Eccleſiaſtico regimine nutus devotisſime ſemper obſervaveramus, ex Conſtantienſi Concilio emigrantem è veſtigio ſequeremur, rebus ſuperioribus in Concilio compoſitis, & à nobis jam tandem relinquendis. Verum, gradum ſiſtere & pedem in ultimis limitibus tantiſper referre oportuit: Qvandoquidem celebrata *Sigismundi Reformatio* circumfertur, peculiari libello comprehenſa, & ad Conſtantienſe Concilium à doctis quibusdam viris, ipſoq; *Wolffio* in *Memorabilibus* ſuis, relata, quam hic præterire, aut ex hac recenſione hiſtorica penitus excludere nefas fore viſum. Maxime quod *Conſtantiæ in Concilio* fuiſſe parata diſerte memoretur in editione illius libelli antiqua, quæ lucem vidit anno 1521, cujus hæc inſcriptio: Reformation, ſo der allerdurchlauchtigſte groſsmächtigſte Fürſt und Herr, Herr SIGMUND, weiland Römiſcher Keiſer zu allen Zeiten Mehrer des Reichs &c. IN DEN NECHSTEN CONCILIO ZU COSTENTZ die Chriſtliche Kirche in

Digitized by Google

beſtetige Ordnung zu bringen fürgenommen hätte. Id qvod mox in principio præfationis iisdem repetitur verbis: Hiernach folget die Reformation ſo der Allerdurchleuchtigſt, Groſsmächtigſt Fürſt und Herr, Herr SIGMUND, weiland Römiſcher Keyſer, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, zu Ungern und Böhmen König &c. IN DEM NECHSTEN CONCILIO ZU COSTENTZ die Chriſtliche Kirche in beſtetige Ordnung zu bringen fürgenommen hätte, darum denn das vormelt Concilium der Zeit angehaben, und dazu Pabſt, Keyſer, alle geiſtlich und weltlich Churfürſten, Fürſten, Graven, Freyen, Herrn, Ritter und Städte berufft würden, &c. Wie dieſelb reformation von Wort zu Wort eigentlich hiernach folget. Clauditurq; ſimili ratione liber, hoc tenore: Hie endet ſich das Buch der reformation, ſo der Allerdurchleuchtigſt Fürſt und Herr, Herr SIGMUND, weiland Römiſcher Keyſer IN DEM NECHSTEN CONCILIO zu COSTENTZ die Chriſtliche Kirche in beſtetige Ordnung zu bringen, furgenommen hätte. Idemq; denuo repetitur in fronte indicis: Regiſter der löblichen Reformation, ſo der Allerdurchleutigſt Groſsmächtigſt Fürſt und Herr, Herr SIGMUND, weiland Römiſcher Keyſer, zu Ungern und Böhmen König &c. IM NECHSTEN CONCILIO zu COSTENTZ die Chriſtliche Kirche zu beſtetige Ordnung zu bringen, fürgenommen hatte. Dieſer Fürſt iſt zu Franckfurt am Mayn erwehlet worden, zum Römiſchen König im 1410. Jahr nach Chriſti Geburt, und vom Pabſt EUGENIO dem IV. zum Keyſer gekrönet.

Ceterum, uti nec *editoris*, nec *loci* ubi A. 1521. olim prodierat, fit mentio, ita nec ejus autoritatis hanc editionem æſtimaverimus, ut his inſcriptionibus convicti *ad Conſtantienſe Concilium* hoc opus referamus. Qvin potius absqve formidine aſſeverabimus, *ad Concilium Baſileenſe*, ab eodem Cæſare SIGISMUNDO celebratum, hoc monumentum eſſe transferendum. Nam in ipſa ſtatim præfatione dein & ipſo opere frequens fit mentio *Concilii Baſileenſis*, cujus fata referuntur. Deinde in prima Sigismundeæ Reformationis editione, à *Johanne Bämlero Auguſtæ Vindelicorum A.* 1476. concinnata, ac volumini Germanico de Imperatorum ac Pontificum geſtis ab eodem inſerta, ſincerior eſt inſcriptio, quæ ad *Baſileenſis Concilii* ætatem ac fata hoc opuſculum manifeſte refert, hoc tenore: Hienach folget die Reformation, ſo der Allerdurchleuchtigſt Groſsmächtigſt Fürſt und Herr, Herr Sigmund, Römiſcher Keyſer zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, zu Ungern und Böheim &c. König, *in dem nechſten* CONCILIEN ZU BASEL die heilige Chriſtliche Kirchen in beſtändige Ordnung zu bringen fürgenommen hätte, darum dann das vermelt Concilium der Zeit angeſehen, und dazu Pabſt, Keyſer, alle geiſtlich und vveltlich, Churfürſten, Fürſten, Graven, Freyen, Herrn, Ritter und Städte berufft würden &c. wie dieſelbe reformation von Wort zu Worten eigentlich hienach folget. Qvocum ex aſſe conſonat *MSctum*, biennio tamen editione hac recentius, *Anno* quippe 1478. exaratum, &, ut apparet, ex impreſſo ille Codice Bämleriano Anni 1476. plane deſcriptum, in *Bibliotheca Ducali Gothana* una cum impreſſo Codice laudato aſſervatum.

Qvod autem *editor operis A.* 1521. ſive *Sebaſtianus Franck*, ſive alius, in fronte ſtatim tam longe abierit ab exemplari antiquiore ipſaque hiſtoria, & *Conſtantienſi Concilio* tribuerit, quod *Baſileenſi* competebat, etſi imbecillitati memoriæ adſcribendum videri poſſet, tamen non omnino excuſandum fuerit, ac ab omni mutandi ſtudio liberandum. Siquidem paſſim in opere quædam mutavit autor, alia omiſit, prout

ſuo

ſuo viſum convenire tempori, ut ex collatione utriusq; editionis abunde obſervavimus.

Qvod ſane à fide editorum longiſſime diſtare exiſtimamus, quibus jus non eſt in aliena, quanto minus antiqua monumenta. E. g. in Præfatione editionis Bämlerianæ A. 1476. hæc habetur ad urbes imperiales προσφώνησις primi Autoris: Darum ſind ermahnet des erſten alle ihr edlen Reichſtett. Wann das Haupt iſt zu kranck, die geiſtlichen und weltlichen Häupter laſſen fallen, was ihnen von Gott empfohlen iſt. Und wenn man es recht anſihet, ſo ſtehet es nur an den Reichsſteten, wann die ſchlieſſen und nicht wachten, ſo wäre die Chriſtenheit Gottes und aller ſeiner Gnaden entfrembdet, und wäre alles recht thuen Gott unmär. Wann göttliche Ordnung erloſchen ſteht. Darum niemand zu ermahnen iſt, denn allein die Reichsſtädt. Die höchſten Häupter ſind nicht zu ermanen, wann ſie haben das Unrecht in mit Gewalt, unſer Herr der Keyſer oder König mügen ihren ſtat nicht mehr behalten. Der Hochwürdig ſtat iſt abgezogen dem Reich von den Churfürſten, und daſs unſer Reich kranck, blöd und ſchwach iſt. Darum ihr edlen Reichſtete ſind ermahnet bey Gott dem Vater, bey Jeſu Chriſto, bey ſeinem roſenfarben Blut, das er durch uns vergoſſen hat, daſs ihr anſehet wie wir von Gott gefreyet ſeyn, wie wir uns halten ſollen, wie alle Ordnung kein Liedmaſs hat die recht ſey. Thut darzu als ihr das oberſt Glied ſeyd, auf die in dieſer Zeit die Chriſtenheit wohl gebauet iſt.

Hæc ſane ita mutavit anonymus editor recentior Anni 1521. ut ad Carolum V. & ſui ſeculi genium cuncta referret, quaſi non primi Autoris ex Concilii Baſileenſis ætate præfatio eſſet exprimenda, ſed propria ac nova, habitu veteris poëtæ veſtita. Hæc enim nova verborum ſeries eſt: Darum biſs ermahnt ô Allergroſsmächtigſter unüberwindlichſter *Keyſer und König Carole*, wolleſt behertzigen dieſe Chriſtliche Ordnung und reformation, ſo der edel Fürſt Keyſer Sigismund, löblicher Gedächtniſs fürgenommen hatte. Wann die geiſtlichen und weltlichen Häupter ſchwach ſeyn, und fallen laſſen, was ihnen von Gott empfohlen iſt. Wann ſo man es recht anſehen wil, ſtehet diſs am meiſten in deiner Groſsmächtigkeit. Wo die ſchlieſſe und nicht wachte, ſo wäre die Chriſtenheit Gottes und aller ſeiner Gnaden entfrembdet, und wäre alles recht-thun Gott unmähr, wann göttliche Ordnung gantz erloſchen iſt. Darum niemands billiger zu ermahnen iſt, denn deine Groſsmächtigkeit, mit allen geiſt- und weltlichen Churfürſten, Fürſten, Graven, Freyen, Herrn, Rittern, und alle des Römiſchen Reichs Gliedmaſſen. Hierum ô ihr edlen Reichsſtädt, an welchen nicht die wenigſte Macht dieſer Chriſtlichen Ordnung liegt, ſeyd ermahnt bey Gott dem Vater, bey Jeſu Chriſto, bey ſeinem roſenfarben Blut, das er durch uns vergoſſen hat, daſs ihr anſehet wie wir von Gott gefreyet ſeyn, wie wir uns halten ſollen, wie alle Ordnung kein Gliedmaſs hat das recht iſt. Thut darzu ô ihr alle Chriſtliche Gliedmaſſe, und ſonderlich des H. Römiſchen Reichs, dievveil ihr das oberſte Glied ſeyd, auf die in dieſer Zeit die Chriſtenheit vvohl gebauet iſt.

Ita porro, in *priori antiqua editione Bamleriana* integrum caput inter alia habetur, quod in *proxima illa anonymi* omiſſum, non à ſcopo noſtri operis plane alienum, indeqve merito notandum: Wie es aufgeſtanden ſey zu dem erſten, daſs Gott wil einen andern Stat und Ordnung haben. Nun iſt zu mercken, wie es aufgeſtanden ſey zu dem allererſten, daſs Gottes Meynung ſey, zu haben einen andern Stat und Ordnung, die dem H. Chriſtlichen Stat zugehört. In dem Nahmen Gottes, des Herrn Chriſti Jeſu, wir (Sigismundus) ſeyn unwürdig genant ein Diener Gottes, und des H. Reichs ein Mehrer,

Thun zu wiſſen, was uns geoffenbart iſt worden in dem Geiſt, des wir nun zumahl ſehr betrübt ſind biſs an unſer Ende, daſs wir ſo klein vor dem Angeſicht Gottes ſeyn aufgeſetzt für ein Haupt. Wir ſollen aber nicht vollbringen die H. Ordnung, als ihr hören werdet mit kurtzen Worten. Wir nehmen es auf unſere Seele, und ſetzen es in die Warheit, und ſprechen bey der Marter Jeſu Chriſti, was wir hie öffnen, das iſt uns hie fürkommen in dem Jahr als man zehlt von Chriſti Geburt tauſend vierhundert und darnach im dritten Jahr. Zu Ungern, zu Presburg, an dem Auffarth Tage, am Morgen ſo der Tagſtern herdringt, kam eine Stimme und ſprach: Sigmund ſteh auf, bekenne Gott, bereit ein Weg der göttlichen Ordnung, wann alles geſchrieben Recht hat Gebrechen an Gerechtigkeit, du magſt es wohl vollbringen. Du biſt wohl ein Wegbereiter des der nach dir kommen ſol, der iſt ein Prieſter, durch den wird Gott viel wircken. Er vvird genant *Friederich von Landnavv*, Er vvird des Reichs Zeichen auffetzen, und vvird ſein Zeichen führen neben dem Reich zu der Lincken Seiten, er vvird führen ein Creutz an mitten ſein. Er vvird regieren forchtſamlich. Es mag niemand vvider ihn. Er bringt die Ordnung Gottes zu Krafft. Ihm vverden Herrn und Städt gehorſamen, und dann vvird Unrecht gekeſtiget. Gott hat ihn verſucht in manchen Weg mit mancherley Kummer. Er iſt allvvege geſunden in Geduldigkeit. Gott iſt ſein Opffer gemein, darum ihn Gott anſehen vvil, und durch ihn der Welt öffnen die Herrligkeit Gottes, vvann die Welt voll iſt aller Ungerechtigkeit. Als vvir nun das hördten, da vvurden vvir betrübt von Hertzen, und hinderkamen uns ſelb zu erkennen, vver vvir vvaren. Doch vvard uns in Bekäntniſs, daſs vvir ein Weg darzu bereiten ſolten. Wir gevvonnen einen groſſen Auffenthalt und ein Leichterung von dem Tag hin. Als vvir des Reichs-Knecht und Diener vvurden, ſtalten vvir mit allen Sinnen darnach, daſs ein recht Ordnung der Päbſte vvürde, darnach ein Concili ordnen ſolte den ſtat der H. Kirchen. Darzu vvir arbeiten, und alles unſer Vermögen in Siechtagen und Geſundheit, Koſt vvilliglich trugen und hatten, und gedachten daſs Concili zu Coſtentz vvolt Ordnung thun, darum es auch zu einem Theil angeſetzt vvas. Aber die Häupter ſind aller göttlichen Ordnung unvvürdig und vviederſpennig, aber Gott kan es vvohl ordnen, ſo die recht Zeit kömmt. Und da es zu Coſtentz nicht geſeyn mocht, vvard gen Pavia ein Concili erdacht. Da vvard abermahl nichts aus, und vvard von dannen geſchoben zu der hohen Sinn. Da vvard aber nichts gereformirt. Doch vvard dazumahl ſo viel angetragen, daſs der Pabſt und die Cardinäl ein geſchvvoren Concili ordneten gen Baſel. Da nemlich drey Puncten geſetzt vvurden, da auszutragen, bey geiſtlicher hoher pen und Gelübde. Et alia plura, quæ ſeqvuntur, quæ cuncta hic recenſere opus non eſt, in *editione* verò *altera recentiore Anonymi* deſiderantur. In qua tamen in fine loco ſuperioris lacunæ ſubſtituta *alia* ſat prolixa *viſio Sigismundi nocturna*, quæ in priori editione nullibi deprehenditur, & ex ingenio recentioris illius editoris profecta videtur. Ut adeo recentioris illius editionis perexigua habenda videatur ratio, quippe quæ interpolata, adeoqve à ſuppoſititia non admodum aliena. *Goldaſtus Parte I. Conſtitut. Imperialium*, *f.* 170. Bämlerianæ editionis formam preſſius ſecutus eſt. *Hamburgi* Sigismundeam hanc Reformationem denuo reſuſcitatam accepimus. Qvia verò illam inſpicere nondum fuit datum, judicium de ea ſuſpendimus, incerti, an prior illa ſeculi XV. *Bamleriana*, eiq; par *Goldaſtiana* hujus ætatis, an ſequior altera ſuperioris ævi ſit expreſſa editio.

Quicquid tandem de his ſit, extra controverſiam ponendum autumamus, Sigismundeam illam Reformationem *non ad Conſtantienſe ſed Baſileenſe concilium pertinere.* Neque

Digitized by Google

Neque adeo nobis jam lis erit de autore atque autoritate laudati libri. Obiter notaſſe ſuffecerit, *Fridericum de Lancironiis* (von Landſkron/ uti *Goldaſtus* exprimit) in ipſo libello appellari, *Comitis* ac *Conſiliarii Sigismundi* charactere inſignitum. Neque ſpeciali SIGISMUNDI juſſu opus hoc ſcriptum aut editum pronunciaverimus, cujus mandati veſtigia haud comparent, neque autor hoc prætexit. Libero itaque relicto ſuo cuivis judicio, exiſtimamus, *defuncto* jam *Sigismundo*, ut & Alberto, *in interregno, circa annum* 1439. cum de FRIDERICI III. Imperatoris electione in imperio ageretur, à laudato *Friderico de Lancironiis* fuiſſe exaratum, forte & Imperialibus quibusdam urbibus communicatum, pro magno quo in publicam ſalutem ductus apparet zelo. Eo præcipue fine, ſi conjecturæ locus ſit dandus, ut futuro mox *Imperatori Friderico* animum ad reformationem proſequendam adderet, Sigismundi Anteceſſoris *exemplo*, imo & quodam ominoſo ejusdem in *Fridericum III.* ducto *augurio*, de futuro SIGISMUNDI in Imperio ſucceſſore, *Comite Friderico de Landnaw*, qui pro Cæſarea ſua autoritate præſtiturus eſſet, quod Sigismundus tentaſſet. *Anni* quippe illius ſeculi *trigeſimi noni* diſerte meminit, ejusque vel præſentis, vel inclinantis, ſi non elapſi, quando Sigismundus ut & Albertus orbem jam reliquerant. Inter alia namque, teſtibus omnibus laudatis editionibus, ſcribit: Man ſoll mercken, was der Prophet der jung Heſter (Esdras) ſpricht: Surget ſacer puſillus *tempore terno & nono*, & reget. Arguet populos, & dominabitur à mari usque ad mare. Pes ſuus calcabit turbine (turbata) nova fiunt (fient) levia. Nocentes tremebuntur (cremabuntur.) Plebs exultet (exultabit) gaudet gaudebit) juſtitia): Zu teutſch: Es ſteht auff ein kleiner Gevveiheter, als man zehlen vvird *Vierzehenhundert Jahr*, und darnach im *dreiſsigſten und neundten Jahr.* Der vvird regieren und ſtraffen das Volck, und vvird regieren von einem Meer biſs an das ander. Sein Fuſs ſoll alle Betrubniſſe unterdrücken. Alle neue vverden leicht, die Schedlichen vverden zerſtört und verbrennt. Alles Volck vvird ſich freuen. Gerechtigkeit hat löblichen Gang. Nun, hat er nicht recht gevveisſaget? das ſpürt man. Dieſe Sach iſt gantz überſchlagen von unſerm Herrn dem Keiſer. *Daſs in dem neunten Jahr dis aufgehen ſolte, das iſt nun beſchehen.* Wann etliche Reichſtett haben gevvorben in dem fordern Jahr um dieſe Ordnung, und vermeinen auch darzu zu thun.

Non interim omnino negandũ, Sigismundum libro illo comprehenſis ſimilia nonnulla Reformationis momenta animo ſæpius volviſſe, vel & conſignari aut delineari optaſſe. Ut à mente aut ſcopo Sigismundi non plane abeat præcipuum argumentum. Siquidem in *Conſtantienſi* æq; ac *Baſileenſi Concilio* paria reformationis quædam momenta Sigismundi nutu ſedulo ſunt excuſſa. Quo, noſtro judicio, collimaverit *Lancironius*, quando in principio libri ait, ſe ex Latina in Germanicam linguam illa transfudiſſe, quod eſt, *conſultationum* ac decretorum in Concilio *Nationalium* ſententiam excerpſiſſe, ac quomodocunque, ſtylo Germanico, delineaſſe aut expreſſiſſe.

Ut *Cochleo* haud ſane indulgendum videatur, qui à ſententia Sigismundi Lancironianam reformationis ideam plane abeſſe autuma-

vit, edito hanc in rem A. 1533. peculiari libello: Was von Keiſer Sigiſmundi Reformation zu halten ſey.

Sigiſmundea proinde *Reformatio* hoc nomen indepta, non quod vel conſignaſſet ipſe Imperator, vel quod ipſius auſpiciis edita: Sed quod illâ ideam quandam exhibere voluerit Lancironius reformationis, quam *Sigiſmundus*, & alii magnates ſub Imperio *Sigiſmundi* in Reformatorio Baſileenſis Concilii multis annis irrito licet eventu tractaſſent. Atque eo ſenſu audiendus forte *Bämlerus* in laudato *Chronico Imperatorum ac Pontificum:* Sigismund macht ein *Concilium zu Coſtentz* nach Chriſtus Geburt 1415. Jahr, &c. Darnach ordnet der vorgenant Chriſtliche Keyſer zvvey Concili, eins *gen Pavei*, und eins *gen der hohen Sin*. Da vvard nicht viel ausgericht. Zuletzt vvard geordnet *ein Concili zu Baſel*. Da macht er ein reformation, wie man ſich in der H. Chriſtenheit furo halten ſolte. Welche reformation von Wort zu Wort eigentlich in dieſem Buch geſchrieben ſteht, vvievvohl die nicht beſtätiget vvard, durch verachten und ſperren der Häupter. Gott der Herr ordne die H. Kirche in einen Stand der ihm löblich ſey, Amen.

Ad *fata* proinde ſuccedentis *Concilii Baſileenſis* hæc ableganda venit *Reformatio Sigiſmundea*. Qvapropter cum fine Concilii noſtri his quoq; de Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformatione actis atque ſtatutis Conſtantienſibus finem jure meritoqve imponimus. Noſtræ & ſecuturæ ætati judicium de ſingulis fatis relinquentes. Neque aliud jam reſtat, niſi ut cum Cæſare *Sigiſmundo*, Pontifice *Martino*, ceterisqve totius Chriſtiani orbis *Nationibus*, è Concilio emigrantibus, ex hoc Theatro & nos diſcedamus, ac *Reformatorio Conſtantienſi* ſoluto, recenſitis ejus Actis ultimam imponamus manum. Ita ergo, *Ilicet*, candide Lector!

Ceterum, ut cum fine Concilii Noſtri ejusq; termino non excidat origo & anſa illius, neque *ardentiſſima Eccleſiaſticæ Reformationis deſideria præeuntia* memoriæ elabantur, *rarum ac pretioſum* iſtius ætatis *monumentum*, haud longe *ante Conſtantienſis Concilii exordium* ſuſcitatum, erudito Lectori poſtremo commendamus: Ex quo apertiſſime cognoſcat, hæc, quæ in *Reformatorio Conſtantienſi* diu multumq; ſunt tractata, ſerio & ardenter *antea* fuiſſe ſigillatim *expetita*. Qvas *nobiles antiquitatis reliquias*, etſi maturius exhibere animus fuerat, utpote fortiſſima *Conſtantienſis Concilii calcaria:* Fortuna tamen benigna hoc Conſtantienſis Reformationis opus *nobiliſſimâ gemmâ Britannicâ* belle obſignare juſſit.

En ergo, RICHARDI ULLERSTONI, Theologi Angli, in Oxonienſi Academia olim Profeſſoris, eruditi, ſolertis, probi atque cordati, ardentes PETITIONES, QVOAD REFORMATIONEM ECCLESIÆ MILITANTIS.

Scriptum eſt hoc præclarum monumentum in Anglia *Anno* 1408. imminente Concilio œcumenico Piſano, juſſu quidem nutuve inclyti SARISBERIENSIUM EPISCOPI, ROBERTI ALAMI. Cujus magni Anglorum Prælati ardens in reformandã diſciplinã Eccleſiaſticam undique collapſam Zelus Oxonienſem hunc Theologum accendit, ut hoc ſcripto ingentem argumentorum ſtruem conveheret, alendo illi publico reformationis ſacræ deſiderio aptiſſimam. Cui adeo operi per-

magna

magna acceſſit autoritas partim ex voluntate & aſſenſu magni Anglorum Prælati atque Epiſcopi, partim ex profunda venerabilis autoris doctrina. Qvod exoptatam hanc ſcribendi, & absque metu quidem, in tam ancipiti illius corrupti temporis negotio pronunciandi occaſionem dederit viamque commonſtrarit laudatiſſimus *Sarisberienſium Epiſcopus*, non diſſimulat ipſe operis conditor in præfatione. Quippe qui hoc libello ſincerum & integrum ſe præſtaret interpretem tum Epiſcopi Roberti, tum univerſæ Eccleſiæ Anglicanæ orbisque Chriſtiani, cujus vota atq; ſuſpiria ſuo exprimeret calamo. Nixum eſſe valido hoc Magni Epiſcopi fulcro *Richardum*, quem non à propoſito abſterreret metus, ſed audentem animaret ac ſuffulciret magni Prælati nutus, faſſus quoque noviſſime Vir clariſſimus, eruditæ Angliæ decus, immatura morte orbi nuper ereptus, *Henricus VVarthon*, in *Appendice Hiſtoriæ Literariæ Guilielmi Cave, f.* 85. Qvem poſt fata etiam, tanto audiemus lubentius, quanto majus & nobis exhibuit beneficium ſuperſtes, quando hoc ipſum *Ullerſtoni monumentum* detexit, & quanti ſit pretii nunciavit, ac ubi in *literariis Angliæ theſauris* deliteſcat, aperuit. Ut & defuncto huic Viro, præclaro Angliæ ornamento, pro hoc officio literario, magnas agere oporteat gratias.

Ita ergo de *Ullerſtono* ejusq; monumento præſenti, ab *Epiſcopo Sarisberienſi* ſuggeſto & ab Autore concinnato diſſerit. *Richardus Ullerſton, natione Anglus, in Ducatu Lancaſtrenſi natus, uti ipſemet in præfatione ad tractatum* De Officio militari *prodit, S. Theologiæ apud Oxonienſes Profeſſor*, Richardum Cortenay, *Henrici VValliæ Principis Clericum & conſangvineum, præceptorem habuit.* Roberto Halamo, Epiſcopo Sarisburienſi *& Eccleſiæ Ro. Cardinali ſumma familiaritate junctus. Claruit A.* 1408. *quo ab* Halamo *provocatus tractatum* de Reformatione Eccleſiæ *Oxonii edidit. Diuturni enim ſchismatis tædium & increbeſcens Concilii Generalis quam citiſſime habendi fama complures excitarat Præſules, graviſſimarum, quæ in Eccleſia jam diu obtinuerant, corruptelarum conſcios, & Reformationis tandem aliquando inſtituendæ cupientiſſimos, ut abuſus vitiaque, quæ maxime reformari meruerunt, ſcriptis mandarent, Concilio mox proponenda. In his eluxit* Robertus *Cardinalis, qui Conciliis Piſano & Conſtantienſi interfuit, & opus reformationis tantopere exoptatum, promovere certus*, Richardo *noſtro id operæ dedit, ut elucubrato ea de re Commentario abuſus maxime tollendos notaret. Summa fide ac prudentia provinciam ſibi demandatam* Richardus *obiit, utpote haud vulgariter literatus, & ingenti diſciplinæ Eccleſiaſticæ denuo inſtaurandæ deſiderio tactus.*

Uti ergo ab auſpiciis *Roberti Sarisberienſis* pondus accepit liber, ita & argumenta vim nacta ex autoritate maximorum doctorum, Anglorum, Gallorum, aliorumq; qvorum teſtimoniis luculentis ſeſe frequenter munit *Ullerſtonus*. Faſſus & hoc laudatus *VVarthon*: *In concinnando*, inqvit, *iſthoc opere* ROBERTI LINCOLNIENSIS *ductum præ aliis ſecutus eſt, quem ſtudiorum Theologiæ Magiſtrum ſibi adhibuiſſe videtur. Certe in ſcriptis ejus verſatiſſimus fuit, illumque tantopere admiratus eſt, ut* pro tempore ſuo lucem & lucernam hujus mundi fuiſſe *prædicarit.*

Qvæ idcirco fuit ante hæc tria propemodum ſecula *Anglorum gloria*, hunc inter alios clariſſimos viros genuiſſe ac foviſſe *Ullerſtonum*, multis præclaris ſcriptis atque conſiliis ſalutaribus celebrem: Illa & hac ſera ætate in illuſtrem *Anglicanum orbem* redit. Siquidem inter illuſtria orbis literati ſidera, quibus *Britannia Magna* in omni doctrinæ genere effulget, ex majoribus ſuis, præclare de Eccleſia meritum *Ullerſtonum*, reſuſcitatum collocari, decusqve ſuum avitum hoc lumine colluſtrari atque augeri voluerunt.

Qvandoquidem enim ſub umbra grandium Voluminum MSCtorum in præclaris Anglorum Bibliothecis placide quieverat, in politiſſima *Cantabrigienſi Academia, in Bibliotheca S. Trinitatis*, à Cl. *VVarthono* noviſsime agnitus benigneqve eſt exceptus, hoc ornatus charactere: *Exſtat iſte Commentarius titulo* PETITIONUM QVOAD REFORMATIONEM ECCLESIÆ MILITANTIS *MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca SS. Trinitatis in fol.* DIGNISSIMUS, QVI LUCEM ALIQVANDO VIDEAT. *Præſertim cum inter tot iſtius ævi de corrupto Eccleſiæ ſtatu tractatus, nullus adhuc in lucem prodierit, ab Anglo conſcriptus Autore, niſi quem Adverſarii hæreticum fuiſſe clament.*

Dici non poteſt quo videndi *Ullerſtoni* Angli deſiderio accenſus exinde ſit Serenissimus Brunsvicensium Dux, RUDOLPHUS AUGUSTUS, qvi, canâ ſenectute auguſtus, literarum decorem in orbe literario magnopere adaugere gratioſiſsimo affectu contendit. Qvando enim SERENISSIMUS PRINCEPS, qui in literariam rempublicam ornandam & adjuvandam affectu celſiſsimo ducitur, *Conſtantienſis Oecumenici Concilii res*, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ grande momentum, è tenebris in lucem revocare ſapientiſsime decreverat, occaſionem tanti Concilii rectius detegi haud poſſe judicavit, quam ſi nonnulla *omnium Nationum vota*, Conſtantienſi Concilio prævia, ex antiquis monumentis eruerentur, atque in fronte operis lectorum oculis exponerentur.

In his igitur *Ullerſtoni Angli*, pro Anglicana inclyta gente *deſideria*, atque ad reformandum illo tempore Eccleſiæ ſtatum collimantia *Conſilia*, commemorari, impenſe optavit Sereniſsimus.

Qvod autem frequentes machinæ inter utrumque, noſtrum & Anglorum orbem, hodie interjectæ animadverterentur, ſpem nonnihil dubiam nobis factam non diffitebimur. Donec *Perilluſtri atque Excellentiſſimo Domino Leibnitio* apud Anglos pro *Ullerſtono* communicando felici interprete, Ducis literatiſsimi celſiſsimâ virtute ſpectatâ, inexplicabile in literas ornandas ſtudium in tanto Principe admirati Angli, votis benigniſsime annuerunt.

Illuſtriſsimo quippe *Sariſberienſi Epiſcopo Gilberto Burnetto* apud *Reverendiſsimum Archi-Epiſcopum Cantuarienſem, eminentiſſimum Angliæ Primatem*, intercedente, effectum, ut ex laudatiſsimo *MScto Cantabrigienſi*, Clariſsimis Viris *Roderico* ac *Laugthono* curantibus, depromtum hoc *Ullerſtoni* opus haud ita pridem DUCI SERENISSIMO exhiberetur. Nec impenſi gaudii affectum tegere potuimus, quando Ullerſtonus noſtras inviſit oras, quemadmodum ex Præfatione Partis XXIV. & XXV. intelligi poteſt.

Claudat

Claudat itaque hoc *diadema Britannicum* longam ſeriem aureolarum hoc Volumine enumeratarum. Et quanquam in principio operis poni decuiſſet, quod aliquot annis ante *Concilii Conſtantienſis* initia prodierit in orbem literatum: Memores tamen annuli, in quo gemmula non ſolùm *inchoat* ſed & *claudit* auri compagem, par eſſe jus autumabimus *ultimi* hujus ac *primi*, gemmei utriusq; monumenti. Accedit, quod veritati maximè conſonum putemus, *Roberti Sarisberienſis Epiſcopi* manibus, quibus oblatum erat in Anglia opus, in Italiam non ſolùm fuiſſe delatum, cum *Piſanum Concilium* inviſeret, ſed & in Germaniam deportatum, quando *Conſtantiam ad Concilium commigravit.* In utroque enim Concilio pro Eccleſiaſticæ diſciplinæ emendatione & Angli magno contenderunt conatu. Ut è *Roberti Epiſcopi Sarisberienſis* in *Conſtantienſi Concilio* præſentis, ac reformationem ſedulo urgentis manibus vix unquam exciderit *Ullerſtonus.*

De cetero, nos, probe conſcii, experientiâ quoque edocti, emendationem facilius quæri quam inveniri, majorum exempla intuiti, ipſi virtutem in omni vitæ genere ſpectabimus, in aliis promovere conabimur, diſpari licet quandoque eventu. Poſteri ad minimum omnem negligentiæ notam à nobis amolientur, & ſincerum in poſteritatis commoda ſtudium agnoſcent.

RICHARDI ULLERSTONI

Theologi Angli

in Academia Oxonienſi Profeſſoris,

Concilii Piſani ac Conſtantienſis ætate Clarisſimi

PETITIONES

QVOAD REFORMATIONEM ECCLESIÆ MILITANTIS.

Ex antiquisſimo Codice MSCto Anglicano

BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS.

PRÆFATIO

Ad Robertum, Sarisberienſem Epiſcopum.

Robertus hic, Epiſcopus Sarisberienſis, interfuit Concilio Piſano ac Conſtantienſi.

REverendo in Chriſto Patri ac Domino ſuo ROBERTO, SARUM EPISCOPO, ſuus ſupplex Orator & ſervus, & ad familiaritatem acceptatus, RICHARDUS ULLERSTON, *ſacræ paginæ Profeſſor* minimus, reverentias & honores debitos tanto Patri.

Occaſio ſcribendi data ab Epiſcopo Sarisberienſi.

Venerandisſime Pater. Qvia à tempore jam transacto perpendens *Zelum veſtrum* non remiſſum, ſed prægrandem *ad Eccleſiæ unitatem:* Sciens iterum, quod *ex voto veſtro* erat, quod exilitas mea inter ceteros ad *unitatem Eccleſiæ* contendentes aliquid operis impertiret, quatenus cum vidua paupercula minutum offerens, laudem reportem: Pro voto de quanto *locupletiores in Scripturis* ex per me oblatis ſint *ad proficiendum in iſta materia* animati: Hinc eſt, quod *in hac materia* quædam ſcribere deſtinavi, quibus effectualiter executis, crederem certe per Dei gratiam, quod *Eccleſia* jam vacillans eſſet *ad ſtabilem unitatem reformata.*

Eccleſiæ Reformatio deſiderata.

Autor eã expetit in perſona Eccleſiæ Anglicanæ.

Unde & ſub iſta figura mihi videtur procedendum. Videlicet: quod, concionatoris more, in *perſona Eccleſiæ Anglicanæ*, ſeu potius *univerſalis Eccleſiæ*, proponam, quæ mihi videntur proponenda, tanquam in medium me provincialiter exponerem *coram Concilio generali.*

Reformationis Articulos in Concilio univerſali eſſe proponendos.

Qvapropter & *XVI. articulos* mihi propoſui tangendos, per modum *Petitionum, generali Concilio dirigendos: Rationes, quare debeant impleri*, ſubnectens, Canonica autoritate, ut æſtimo, roboratas: Qvatenus, non habito reſpectu ad petentem, ſed ad *Eccleſiæ, cujus formam induo*, rationem, *rationi pareant*, quæ Ejus veritati innititur, qui non poteſt fallere neque falli: *Executioniq; demandare ſatagant*, quæ tam vivax ratio poſtulaverit, juxta votum ſcribentis, imo potius juxta nutum Spiritus ad ſcribendum impellentis, quatenus per hoc *Eccleſia jam militans ad ſolidam unitatem reformetur.*

Modeſtia autoris petentis.

Verum, quia non pro certo conſtat, quid vel *Eccleſia univerſalis* vel *Anglicana*, quoad per me petenda, definiet: Hinc eſt, quod, ſi viſum fuerit Dominationi Veſtræ, cenſui præſens opuſculum taliter nominandum: PETITIONES RICHARDI QVOAD REFORMATIONEM ECCLESIÆ MILITANTIS.

Recenſitl Reformationis articuli XVI.

In quibus quidem *Petitionibus* ſic procedam: Scilicet, quod *primus articulus* erit *de ſummi Pontificis ordinata electione.*

Secundus erit de *Simoniæ declinatione.*

Tertius vero erit de *legis Chriſti exaltatione.*

Sed *quartus* erit *contra anormalam Eccleſiarum appropriationem.*

Et *quintus*, *propter idoneorum præfectionem.*

Sextus, contra Exemtiones.

Septimus, contra Diſpenſationes.

Octavus, contra *beneficiorum pluralitatem.*

Nonus, contra *Appellationes.*

Decimus,

Digitized by Google

Decimus, contra *privilegiorum abuſiones.*

Undecimus, contra *Apoſtaſiam clericorum, ſeſe ſecularibus negotiis immiſcentium.*

Duodecimus, contra *prærogativam cantorum & officialium in curiis Dominorum reſidentium.*

Tertiusdecimus, contra *extorſiones univerſaliter.*

Quartusdecimus erit contra *ſuperfluum & nimis ſumtuoſum & inordinatum apparatum in clericis & eorum familia.*

Quintusdecimus erit *pro cultu divino fructuoſius ampliando.*

Et *ſextusdecimus* erit pro *pace inter regna Chriſtiana* ſummo opere *procuranda.*

Introductio Articulorum.

PEtitionem unam parvulam ego deprecor à te. 3. Regum, 2. cap.

Tempore Concilii Piſani hoc opus ſcriptum, proxime ante Conciliũ Conſtantienſe.

In Concilio Piſano unus Papa quæſitus.

Reverendi in Chriſto Patres & Domini. Qvemadmodum poſt miſſionem Spiritus Sancti multitudinis credentium erat cor unum & anima una: Ita reor utique pro præſenti, ſcilicet, quod *multitudinis ad præſens Concilium confluentis*, imo potius à Spiritu Sancto ad hoc veriſimiliter deſtinatæ, ſit cor unum, anima una, propoſitum unum, operaqve & ſollicitudo una, ad providendum videlicet Sanctæ matri Eccleſiæ tanto tempore ſciſſæ, nec non & miſerabiliter laceratæ, Paſtorem unum, caput unum, rectorem unum.

Congruum igitur mihi videtur, juxta modum loquendi Scripturis creberrimum, vos omnes *per modum unius perſonæ myſtica alloqui*, proponendo. Unde, cum juſtum erit & honeſtum quod proponam per Dei gratiam: Ante omnia humillimè petitionem unam parvulam ego deprecor à te.

Auguſtinus in Angliam fertur ablegatus.

Et rationabiliter quidem *debet mea petitio exaudiri.* Scribitur enim taliter in *Chronicis gentis noſtræ*, (Beda, *l.* 1. *c.* 25. & Henr. Huntingdon, *l.* 3.) quod cum beat' *Auguſtinus* cum aliis legatis à curia Romana per Beatum Gregorium *miſſus* erat *in Angliam* ad convertendum gentem noſtram, videns Rex, quod *bono animo* venerant & *pro ſalute Regni*, ut dicebant, eos humaniſſimè acceptavit, ſic eis inqviens: *Quia de longe huc peregrini veniſtis, &, ut ego mihi videor perſpexiſſe, ea quæ vera vos & optima credebatis, nobis quoque communicare deſideraſtis: Nolumus moleſti eſſe vobis, quin potius vos benigno hoſpitio recipere curamus, & quæ veſtro victui ſunt neceſſaria, miniſtrare.*

Auguſtinus in Angliam benigniſſime exceptus.

Conformiter, *Reverendiſſimi Patres & Domini*, cum vicem peregrinationis reddidimus tanquam humiles filii piæ matri, penſato voto noſtro, nec non & deſiderio ad ſalutem matris noſtræ, acceptâ erit benevolentia: Licet præter intentum ſurrepat utcunque ignorantia.

Conciliũ invitatur ad Eccleſiæ emendationem.

Noli ergo, quæſo, *præſens cœtus venerande*, mihi moleſtus eſſe, ſi *petam*. Nam, *quod maxime optas, petam.* Nec multa quidem, quia *petitionem unam:* Nec iterum magnam, quia *parvulam.* Et revera nullatenus ab impotente: Qvia à te, in quo, prout res ſe manifeſtat, in præſenti reſidet *plena poteſtas Eccleſiæ.*

In Concilio plena poteſtas Eccleſiæ.

Et hinc profecto audenter, quamvis cum reverentia & timore, ut ab initio propoſui, *Petitionem unam* parvulam ego deprecor à te. Qvamvis enim petitio, quam proponam, multa membra *multosq; articulos*, prout in explicatione patebit, comprehendat: *Una* eſt tamen ſimpliciter, & non plures. *Una* ſiquidem: Qvia tantum *propter unitatem Eccleſiæ*, quæ eſt *corpus Chriſti myſticum, tam in capite quam in membris.*

Unio Eccleſiæ quæſita in Concilio.

Et primum quidem, juxta ordinem procedendi, *propter capitis unitatem.* Ad quam profecto conſequendam, deducta etiam autoritate legum humanarum omnimoda, invitat tota naturæ ſeries Philoſophorumqve ſumma. Qvod etiam poteſt & non incongrue à multiplici evidentia perſvaderi.

Unum oportere eſſe Pontificem, qui ſit ſummus.

Tum *propter pacis tranquillitatem.* Qvæ veriſimilius per *unum rectorem* quam multos poterit debite procurari.

Tum *propter potentiam unitam.* Qvæ eſt utique fortior quàm diſperſa.

Tum *propter ſimilitudinem corporis ani-*

malis, à cujus corde procedit ad membra ſingula totalis virtus regitiva.

Ac inſuper, conſiderando *conditionem perfecte-mixtorum*, videlicet, quod impoſſibile eſt, aliquod horum permanere, niſi *unum* ſe habeat *in prædominio* quoad alia.

Ac etiam, quod forma ultima ceteras contineat, reponatque in ſpecie, & diſtinguat.

Verùm, ut altius ordiamur: Nedum ad hoc nos alliciunt volatilia gregalia, quemadmodum ſunt *grues & apes*, quæ naturali inſtinctu *unum* præficiunt ſibi *ducem*.

Qvin incomparabiliter magis *primum mobile* ceterorum mobilium regitivum.

Et maxime ſuper omnia ipſe *motor primus*, quem tantum unicum oportet eſſe, quemadmodum princeps Philoſophorum *Ariſtoteles* 12. *ſua Metaphyſica* demonſtravit.

Et igitur non ſine cauſa Dominus in cœna ſua noviſſima ante mortem, ſuis diſcipulis valefaciens, præ cæteris rogavit Patrem, ut ſint *unum*, & quatenus conſummati ſint in unum, præ omnibus præponderans *unitatem*.

Unde cum ſupportatione hujus congregationis venerabiliſſimæ *in petitione mea* intendo iſtum præmiſſum ordinem obſervare. Primum, *quoad electionem ſummi Pontificis*, quem ſperamus in proximo affuturum, inchoando.

ARTIC. I.

De ſummi Pontificis ordinata electione.

Divina Pontificis ſit vocatio ex aptitudine. Sit Doct9, Probus.

PEtimus igitur imprimis, quatenus *talis eligatur ad* hujusmodi *Pontificatus Officium*, qui, quantum hominibus poſſit ex ſenſibili evidentiâ apparere, *prius* fuiſſet *à Domino ad hoc ordinatus* & electus, merito *peritiæ legis Chriſti*, ac *morum ſingulari probitate.*

Electionis divinæ neceſſitas probatur exemplo Apoſtolorum, qui aptum à Deo ſuggeri rogabant. Illuſtratur Effato Chriſti, qui ſui amantes requirat miniſtros.

Exemplum ad hoc aſſumentes ex *facto Apoſtolorum in electione Matthiæ*, de qua *Act.* 2. ſcribitur, quod *Orabant Dominum, qui corda novit hominum, quatenus oſtenderet, quem eligerent.* In hoc profecto ſignificantes, quod nunquam eſt *electio* alicujus *tuta*, cui non præſupponitur *divina electio* tanquam baſis. Et nimirum, quoniam, ut ipſemet Dominus dicit ſuis: *Sine me nihil poteſtis facere*, ſupple, *laudabile.* Nec eſt mirabile hoc quod dicimus. Præſertim, cum *Filius non poteſt quicquam facere, niſi quod viderit Patrem prius facientem.* Ipſomet hoc teſtante.

Et iſtud utique attenderent, qui, *exequendo vices Chriſti*, quicquam *faciunt*, ſcientes indubie, *quod non eſt eis poteſtas conceſſa*, etiam ad minimum, contra definitionem conſilii benedictiſſimæ Trinitatis. Ideoque & *quisquis talis fuerit, nihil eſt penitus, quod attentat*, niſi per inſtinctum Spiritus ſancti in ſuo opere dirigatur.

Signanter ergo dictum eſt Moyſi, & recitat Apoſtolus ad Hebræos: *Omnia fac ſecundum exemplar*, quod *tibi in monte à Domino monſtratum eſt.*

Pontifex Scripturæ ſit peritiſſimus, ac verum Chriſtianiſmum penitus noverit & ſectetur. Populum Chriſtianum ad Deum deducat.

Et ex iſto certe ſeqvuntur non pauca, quæ pro præſenti exprimere temporis brevitas non permittit. Sed unum inter cetera eſt notandum, quod *oportet ſummum Pontificem eſſe in lege Chriſti peritiſſimum.*

Præcipue, cum *ſecundum artem hujus legis* ducere oportet populum Domini per procellas fortiſſimas in mari hujus mundi remigando. Sicut patet in *Epiſtola Clementis ad Jacobum, Jeroſolymorum Epiſcopum*, de exhortatione Petri ad Clementem, poſtquam ipſum inſtituerat in Papatum. Ubi poſt multa ſic concludit: *Propter quod*, inquit, ô *Clemens, qui in omnibus præeſſe te noveris, ſingulos, prout potueris, juva, & ſingulos releva, qui & ſingulorum onus & ſollicitudinem portas. Quomodo*, inquit, *artis nauticæ inexpertus naucleri officium uſurparet?*

Comparatus Pontifex cum nauclero.

Et quis, quæſo, univerſarum navium architectorem inſtitueret, niſi induſtriosiſſimum in hac arte. Et quis, putas, hujusmodi *ſollicitudinem* aſſumeret, ubi eſt tanta marium varietas, tot diſcrimina inſperata, tot pericula indies imminentia, niſi à ſignis probabilibus,

& ſi

Digitized by Google

& ſi fas eſt dicere, infallibilibus, niſi præ ſingulis mortalibus à veriſimili habuerit *induſtriam ſingularem?* Indubie nullus, niſi inſaniſſimus & ſuæ ſalutis ſumme immemor.

Pontifex rationem reddat pro omnibus ſuæ curæ traditis. Fidelibus, Infidelib9,

Præſertim cum *pro omnibus & ſingulis ſuæ curæ ſubjectis oportet reddere ſummo judici diſtrictiſſimam rationem.*

Et quanta, rogo, eſt iſta *multitudo*, *pro qua oportet reſpondere?* Succincte tibi reſpondeo: Non pro paucioribus adæquate, quam *pro omnibus & ſingulis*, pro tempore ſuo viventibus, ſive *fideles* fuerint, ſive etiam *infideles*.

Pontifex convertat infideles ad fidem.

Iſtos namque *tenetur*, ſub pœna damnationis, prout vires ſuppetunt, *ad fidem convertere*, juxta illud Sapient. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem peccati,* ſupple, *per infidelitatem, & qui trahuntur ad interitum liberare non ceſſes.*

Effugium impotentiæ acute rejectum.

Et ſi dixeris: *Vires non ſuppetunt:* Qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & ſervatorem animæ tuæ nihil fallit.

Fideles per Pontificem in fide & bonis operibus confirmandi.

Illos autem, *fideles* ſcilicet, debet *in fide & bonis operibus confirmare*, juxta Chriſti præceptum dictum Petro *Lucæ 22. Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

Sed quantum, putas, eſt opus iſtud, quam *gravis* hujus *obligatio*? Præſertim cum, ut dixit peritiſſimus Philoſophus 6. *Politicorum* ſuorum, *Infinitam multitudinem eſt impoſſibile regulare.*

Pontificalis dignitas modeſte à Patribus declinata.

Videntes igitur antiqui Patres præcedentes, quam *ardua* quamque *periculoſa* erat *Pontificalis præfectura*: Quamvis tam *à clero* quam etiam *à populo electi* fuerant, *fugerunt*. Sicut patet de *Gregorio Nazianzeno*, qui fugerat in deſertum, ut ex ſuo *Apologetico* plane liquet: De *Beato Gregorio*, urbis Romæ antiſtite, infinitisque aliis, quorum nomina ſcripta ſunt in cœlis.

De quibus meminit Beatus *Auguſtinus Epiſtola 54. ad Donatum presbyterum*, & ponitur in *Canone 23.q.4. Diſplicet*. Ubi Beatus Auguſtinus per locum à majori probat, quod aliquis poteſt compelli, ne faciat malum, per hoc, quod *poteſt compelli ad bonum.* Unde ad propoſitum ſic ſcribit: *Attende, quid dixerit Apoſtolus:* Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. *Tamen tam multi ut Epiſcopatum accipiant, inviti producuntur, includuntur, patiuntur, tantaq; nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni.*

Inviti Epiſcopi facti.

Et ideo certe bene dixit Beatus *Petrus*, ſecundum quod recitat eum Beatus *Clemens* in *Epiſtola ſua ad Jacobum Jeroſolymorum Epiſcopum*. Qui poſtquam procidit ad pedes ejus, rogans eum & excuſans, ne acciperet dignitatem Apoſtolicam, reſpondit Petrus: *Pro hoc ne me rogaveris. Hoc enim fieri ſtatutum eſt mihi. Et eo magis quo excuſas. Quia hæc cathedra qui cupit eam & audacter expetit, non requirit, ſed ornatum moribus & in verbis eruditum. Quod ſi eſſet alius melior, ſi quis mihi alius adjutor tam ſedulus aſtitiſſet, ſi quis tam plane doctrina mea rationem cepiſſet, habens illum talem, non te cogerem bonum opus ſuſcipere nolentem.* Hæc Petrus, ut recitat eum Beatus Clemens, ubi ſupra.

Præſtat Pontificē invitum eligi, quam ſeſe ingerere.

Ex iſtis habes manifeſte, *qualem oportet præficere ad ſummum Pontificatus apicem:* Quia *non appetentem*, ſed *nolentem*, *non ſeſe ingerentem*, ſed potius *renitentem*, *ornatiſſimum in moribus*, ac *Evangelica doctrina habens promtiſſimam rationem.*

Officium Pontificis docere verbum Dei.

Et iſta ſententia in ſumma poteſt colligi ex Beato *Dionyſio* in *De Eccleſiaſtica Hierarchia capitulo 2. particula* 2da. ubi ad propoſitum ita ait: *Debet*, inquit, *Hierarcha ſemper EvangeliumChriſti & ea quæ in carne geſſit & paſſus eſt, prædicare, ex amore ſalutis, volens omnes homines ſalvos fieri, ſicut Chriſtus.*

Et infra *capitulo 3.* ejuſdem, *particula* 16. Poſtquam comparaverat ſacerdotem ſoli, & oſtendit, *Sacerdotem, ducem aliorum in divinis*, ſecundum ſui totalitatem divinas illuminationes ſuſcipere & eas ſubjectis influere, finaliter ſic concludit, ſub his verbis: *Nec*, inquit, *aliter audendum fieri Ducem aliorum, in divinis, niſi ſecundum ſui totalitatem ſuſcipiat & influat divinas irradiationes in ſubjectorum totalitates.*

Et concordat Canon, *di.38. c. Omnes pſallentes.* Ubi quæſtionarie ponitur, quod *epiſcopari volens debet perfecte ſcire omnem divinam ſcripturam*, atque *ſecundum*

Digitized by Google

dum illam docere populum ſibi commiſſum. Quod ſi recuſaverit, nullatenus debet conſecrari.

Si igitur jam dicta habeant locum in ſimplicibus *Epiſcopis*, quanto magis in eo, qui eſt omnium *Archirector?*

Nec ex prædictis debet aliquis æſtimare, quod nolumus aliquem præfici in Papatum. Præſertim cum iſti, de quibus ſupra, habitis ſignis evidentibus divini beneplaciti in hac parte, ſummamque neceſſitatem populi perurgentem advertentes, cum timore & tremore ſub ſpe divinæ aſſiſtentiæ, onera ſupra memorata ſubierunt.

Totalem namque ſententiam omnium præmiſſorum punctualiter declarat Beatus *Dionyſius*, *capitulo quinto Eccleſiaſticæ Hierarchiæ.* Ubi declarat, quod *præficiens* aliquem in Hierarchiam *nequaquam motu proprio debet procedere*, ſed oportet quod ſit à Deo motus ad omnes Hierarchicas actiones.

Temeraria Pontificis electio improbatur.

Et exemplificat de *Moyſe.* Qui nec Aaronem fratrem ſuum perduxit ad ſacerdotii dignitatem. Haud enim ipſo gradu dignum exiſtimavit, quousque divinitus ad hoc motus erat ab ipſo Domino, principe ſacerdotum. Et tunc primum, ſecundum poteſtatem hierarchicam divinitus ſibi datam, ſacerdotalem perfectionem hierarchice conſummavit.

Et iterum declarat iſtud idem, inducens exemplum de *Domino noſtro JEſu Chriſto*, qui eſt princeps paſtorum & Epiſcopus animarum noſtrarum, ut vult Petrus. Qui non glorificavit ſe ipſum, ut Pontifex fieret, ut dicit ſcriptura, ſed qui locutus eſt ad ipſum: *Tu es ſacerdos in ſeculum ſecundum ordinem Melchiſedech.*

Propter quod, dicit Dionyſius, & ipſe Chriſtus, ad ſacerdotalem perfectionem ducens *diſcipulos*, quamvis exiſtens ut Deus omniumque perfectionum princeps, refert omnia ad omnino ſanctiſſimum ipſum Patrem & Spiritum ſanctum, ex quo ſecundum hominem omnia habuit.

Conſummativam perfectionem quoque conſequenter declarat ex *dicto Chriſti*, qui ſuis diſcipulis præcepit, ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed *expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis à me, quoniam vos baptizabimini in Spiritu ſancto.*

Hoc idem declarat continenter ex *facto Petri.* Et quidem, inquit, ipſe diſcipulorum verticalis cum coordinata ſibi decade, ut perficeret Apoſtolorum duodenarium, unum per electionem loco Judæ ſubrogando, non audebat aliquem in numerum Apoſtolorum aſſumere, *niſi divino oraculo praoſtenſo*, dicens: *Quem eligam?* Et ita, ut dicit continenter, illa ſors, de qua ſcriptura divina meminit, ſibi non videtur fuiſſe aliud, quam aliquod *donum divinitus datum*, quo oſtendebatur illis in Chriſto congregatis, quem Dominus elegiſſet.

Ex omnibus iſtis concludit finaliter ſub his verbis: *Quoniam divinum Hierarcham non proprio motu oportet ſacras facere perfectiones, ſed à Deo movente, has hierarchice & cœlitus perficiente.*

Ex prædictis patet, quod, ſicut *Petrus* non fuiſſet *à Chriſto electus*, ut ejus Vicarius, niſi *ad exequendum ea, quæ ipſemet inchoarat*, & ut pariformiter ſe haberet ad Magiſtrum ſuum Chriſtum, *prædicando* videlicet & *docendo*, & neceſſitatibus proximorum *ſubveniendo*; Ita nec Petrus *Clementem* ſibi ſubrogavit, niſi quia *aptiorem* cum vidit ad perficiendum, quæ Dominus Jeſus inchoavit & perficienda dereliquit.

Pontifex doceat verbum.

Voluit igitur Benedictus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quod Apoſtoli & eorum ſucceſſores non ſolum ſibi teſtes eſſent per *prædicationem* Evangelii in Jeruſalem, Judæa ſive Samaria, ſed etiam *usque ad ultimum terræ.* Unde ſicut *Petrus prædicavit* primitus *in Judæa*, deinde *in Antiochia Syriæ*, & ſic demum procedendo verſus occidentem, Romæ, ubi à veriſimili poterat plures lucrifacere; Ita & *ſucceſſor Petri* debet facere.

Et aliter indubie, niſi fuerit ad hoc *idoneus*, appoſueritque diligentiam pro viribus, *ad exequendum converſionem infidelium*, & *ad converſos in ſanctitate ſtabiliendum*, ſciat, ſe pro certo nunquam fuiſſe Vicarium Petri neque Chriſti. Niſi fortaſſis, ſicut Archites erat miles.

Convertat infideles.

De

Digitized by Google

De quo ridiculoſe ita canit Poëta: *Architos numerum non vires auxit Achivis.* Vel forte ab exigentia demeritorum ipſius *populi, qui meliores præpoſitos non promeruit*, juxta illud *Jobi* 34. ubi dicitur, quod *Deus regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Sed revera, ut ait ſapiens Eccleſiaſtes, *c.*10. *Væ terræ, cujus Rex puer eſt*, ſupple, *in effectu.* Quia, ut alibi dicit ſcriptura, *maledictus eſt omnis talis, etiamſi fuerit centenarius.*

Populus interdum bono Antiſtite indignus.

Et igitur Petrus, quamvis Princeps Apoſtolorum erat, & ex Chriſti injuncto & profeſſione fuerat ejus imitator, volens omnes homines ſalvos fieri, ſicut Chriſtus: Quia tamen peculiariter erat ordinatus Apoſtolus circumciſionis; ut patet *Gal.* 2. hoc inter cetera non omiſit. Unde & eis ſcripſit duas epiſtolas. Quare plane patet, quod unicuique plene *Petri ſucceſſori* eſſet *pecu-liaris cura de Judæis.* Unde & *quicunque ſucceſſor Petri fuerit, qui non ad hoc efficaciter laboraverit, demonſtrat, oculata fide ſe minime intelligere, quid eſt eſſe Petri ſucceſſorem.*

Pontifici ſit cura de convertendis Judæis.

Et qui non dat operam *prædicationi converſionique infidelium*, nedum *per ſe ipſos* ſed *per alios*, quos ad hoc reperire poteſt aptiores: Nunquam oſtendit ſe veri nominis Principem Paſtorum Jeſu Chriſti, ſed potius, ut ait Propheta, *Paſtorem & idolum.*

Et igitur, Domini mei Reverendiſſimi, *eligite talem* ad regimen totius orbis, qui, ut præfertur, habeat inſignia memorata, *qui* videlicet *veriſimiliter Dei judicio ſit electus*, qui & *intelligat, quid ſit officii ſui*, & qui *in pleniſſimo voto habeat exequi, quæ ad eum pertinent*, de quanto vires ſuppetunt & facultas ſubminiſtrat.

ARTIC. II.

De Simoniæ declinatione.

VErum quia, ut probabiliter creditur, *Simonia maledicta* erat *præcipua cauſa* hujus *ſchiſmatis*: Petimus, ut, ſi poſſibile eſt, quatenus *radicitus de medio evellatur*, exemplo Beati *Petri*, qui *primordiis Simoniæ obſtitit* in ſuo autore Simone Mago, pecuniam pro ſacris offerente. *Pecunia tua*, inquit, *tecum ſit in perditionem. Quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Qui etiam usque ad mortem malitiam Simonis perſecutus eſt. Unde & ex hac cauſa paſſus eſt martyrium ſub Nerone.

Simonia præcipua cauſa ſchiſmatis Papalis ante Conciliū Piſanum. Eradicāda.

Quod quidem negotium ut facilius *executioni demandetur*: Petimus, ut nunquam, contemplatione *proviſionis* alicujus perſonæ alicui Eccleſiæ, *pretium* ſolvatur, nec etiam unus quadrans. Quatenus ab effectu verificetur Chriſti mandatum indiſpenſabile: *Gratis accepiſtis, Gratis date.* Et quod ita fieri debeat, docet mandatum Chriſti memoratum, etiam indiſpenſabile quoad Deum, quodque plus ligat Chriſtianos, quam quælibet alia jura per homines adinventa.

Pro collato munere ſacro nullum dandum pretium. Rationes.

Conſilium etiam *Apoſtoli*, exhortantis, quatenus *ab omni ſpecie mali nos abſtineamus*, ad hoc facit. Et patet ſolidius intuenti, quod *ſic dare* non ſolum *mali habet ſpeciem*, ſed etiam *eſt in ſe malum*, nedum quia prohibitum, ſed prohibitum quia malum.

Sic enim *dare pro dono Dei ſpirituali*, eſt indubie *hæreſis practica.*

Sed æſtimare, quod licite poſſit *donum hujusmodi interventu pecuniæ obtineri*, eſt *hæreſis ſpeculativa*, formalem rationem habens hæreſis. Sic enim credere eſt expreſſe credere contra determinationem totius curiæ tam cœleſtis quam terreſtris.

Ad amputandum igitur ex toto *occaſionem hujus maledictæ peſtis*, etiam & *hac in gente noſtra*, decrevit Sanctus *Gregorius, converſor gentis noſtræ*, quod *duo Metropolitani noſtri ſingulos Epiſcopos Britanniæ ordinarent.* Sicut patet XI. *libro Regiſtri ſui.*

Gregorius Anglos ad Chriſti fidem perduxit.

Cujus votum volens ex integro perficere ejus ſucceſſor *Honorius*, Paulino Ebor. Honorium Cantuarienſem ſive Londonienſem ordinante, miſit *pallium*, & *literas* de ordinatione utriusque Epiſcopatus, quarum hæc eſt forma: *Dilectiſſimo fratri Honorio.* Et iterum: *Quæ rurſus pro Eccleſiarum veſtrarum privilegiis*

Antiquū Simoniæ remediū apud Anglos, ut Metropolitani ordinent Epiſcopos.

vilegiis congruere poſſe conſpicimus, non deſiſtimus impertire. Et tam juxta petitionem veſtram, quam filiorum noſtrorum Regum, vobis, noſtra præſenti præceptione, vice Beati Petri Apoſtolorum principis, autoritatem tribuimus, ut quando unum ex vobis divina ad ſe juſſerit gratia revocari, is qui ſuperſtes fuerit, alterum in loco defuncti debeat Epiſcopum ordinare. Pro qua etiam re ſingulis noſtræ dilectionis pallia pro eadem ordinatione celebranda direximus. Ut per noſtræ præceptionis autoritatem poſſitis Deo placitam ordinationem efficere. Quia, ut hæc vobis concederemus, longa terrarum mariſq; intervalla, quæ inter nos ac vos obſiſtunt, ad hoc nos tantum condeſcendere coëgerunt, ut nulla poſſit Eccleſiarum veſtrarum jactura per cujuslibet occaſionis obtentum quoquo modo provenire, ſed potius commiſſi vobis populi devotionem plenius propagare. Hæc in noſtris Chronicis Anglicanis.

Henricus Huntingdon lib.3.

Angliæ exemplū in aliis regnis eſſe imitandum. Simoniæ dedecus.

Et iſtud revera *ſi eſſet ubique terrarum obſervatum, à Curia Romani Pontificis Simonia veriſimiliter exularet.*

Quod ſi non evenerit, redibit morbus, præſuppoſita ejus cauſa, & verificabitur quod in Apocalypſi ſcribitur, ſcilicet, quod *cecidit Babylon, mater magna fornicationum & abominationum terræ.* Et cauſa ibidem redditur, cum ſubinfertur: *Quia mercatores tui erant Principes terræ, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes.*

Quantùm autem ad ea, quæ poſſunt in contrarium *objici*, non vertitur nobis in dubium, quod non ſunt digna memoria, ſed quod prima fonte fœtent. Et ſpero, Deo duce, parati erimus *reſpondere* ad ea, quæ poſſunt objici in contrarium.

Commendata Simoniæ fuga exemplo Apoſtolorum.

Quam glorioſa, inquam, eſſet Eccleſia, ſi, *manus ſuas excutiens ab omni munere,* poſſet vere dicere cum Apoſtolo *Act.* 20. *Argentum aut aurum ac veſtem nullius concupivi, ſicut ipſi ſcitis.*

Et rurſum, quod unicuique pro muneribus divinis munera offerenti poſſet ex voto dicere cum Abraham: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cœli & terræ, quod à filo ſubtegminis uſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt.* *Abrahami,*

Et iterum, quod quilibet *Præpoſitus* in Eccleſia querulantibus ſubditis poſſit vere coram Domino cum *Moyſe* confiteri: *Tu ſcis, quod nec aſellum quidem acceperim unquam ab eis, nec afflixerim quempiam eorum.* *Moſis,*

Et demum, quod termino vitæ imminente poſſet audacter cum *Samuele* ſubditos alloqui, ſicut ille, qui, ſicut legitur *primo Regum* 12. ita dixit: *Loquimini ad me coram Domino & coram Chriſto ejus, utrum bovem cujuſquam tulerim aut aſinum, ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cujuſquam munus accepi, & contemnam illud, hodieq; reſtituam vobis.* *Samuelis.*

Iſta pro tanto dixerim, pro eo, quod nulla gens ſub cœlo fidelis eſt adeo notata de *execranda & inſatiabili avaritia,* quemadmodum eſt *Romana Curia.* Adeo quod ubique terrarum in vulgatum proverbium vertitur, videlicet, quod *Curia Romana non quærit ovem ſine lana.*

ARTIC. III.

De legis Chriſti exaltatione.

Pontifex omnibus legibus legem Chriſti præferat.

ITerum petimus, quod *Chriſti vicarius* hic in terris *nullam aliam legem* tantum reputet, tantum exaltet, tantum promoveat, quemadmodum *legem Chriſti.*

Patet hujus petitionis rationabilitas, per hoc, quod *aliter ipſe non eſſet verus Chriſti Vicarius*, nec etiam Chriſtus optimus legiſlator. Quod profectò audire abhorrent omnium Chriſtianorum aures.

Omnes leges Papales cedere debent Evangelio.

Chriſtus enim *non* præfecit Petrum, *ut autoritas Evangelii ſui eſſe deſineret*, aut quod legem majoris autoritatis ſtatueret, aut quod ejus Evangelium in minore honore eſſet per aliqua facta ſucceſſorum, quam ab initio promulgatum eis fuerat.

Chriſtiani magis revereantur Evangelium,

Ex quo ſequitur, quod Dominus *Papa* quiſq; ad hunc finem laboraret, quod magis timerent Chriſtiani Evangelii trans-

Digitized by Google

quam leges alias. tranſgreſſionem, quam cujuslibet alterius ordinationis ſeu ſtatuti.

Evangelica doctrina priſtinus contemptus in Eccleſia tempore Concilii Piſani. Cujus oppoſitum tamdiu experti ſunt Chriſtiani, quod modo, ſi contingat de legibus loqui, ſtatim de *legibus humanis* intelligimus, & nequaquam *de Evangelio. Quod certe modo in Eccleſia non plus reputatur* pro lege, quam verſus Catonis aut Senecæ Proverbia. Niſi forte hoc ſolum dictum Petro & ſuis ſucceſſoribus: *Quodcunque ligaveris ſuper terram &c.* Quod utinam quidem crebro *allegantes, non tamen ex toto intelligentes*, non allegarent in contumeliam legis Chriſti.

Adeo quidem proceſſum eſt, quod deventum eſt modò ad veritatem vaticinii Eſaiæ: *Populus iſte ore ſuo & labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longe eſt à me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis.*

Et ſic non magis mirandum quam dolendum eſt. Præſertim, cum, ut capit à Scriptura venerabiliſſimus *Pariſienſis*, in *De fide & legibus, in Prologo primi libri: Soli legi veritatis, qua eſt lex Evangelica, convenit nomen legis.* Et prout declarat 4. *capitulo 2di libri: Nulla lex eſt ſimpliciter & verè lex, præter illam. Omnesque alia leges ſolum ſecundum quid ſortiuntur nomen legis.* *Doctrina Evangelica lex præcipua.*

Pro iſto ſiquidem quamvis infinita poſſunt adduci tam ex legibus divinis quam humanis, quam etiam omnibus piis ſcriptoribus, qui omnes unanimiter proclamant *extollentiam legis Chriſti ſupra omnia jura alia*, invitant pariter ad ejus ſtudium, prærogativamque & incomparabilem honorificentiam ei remittunt. Quemadmodum *Baptiſta* pro ſuo tempore fecit. Et *Paulus & Barnabas*, ſicut legitur *Act.* 14. divinum honorem eis indebite impenſum repulerunt. *Chriſti doctrina omnibus aliis juribus ſuperior.*

Et ita, ut in ſumma loquamur, major defectus hujus videtur eſſe in eo, qui debet eſſe ejus principalis Vicarius, *ſummo* videlicet *Pontifice. Cui maxime congruit eſſe peritisſimum in hac lege.* Tum quia, ut jura ſua volunt, & rationabiliter, quod majores cauſæ, puta de fidei articulis, & aliis rebus magnis, ſunt ad ſuam ſedem referendæ. Sicut patet ex *Decretal. lib.* 3. *tit.* 42. *de Baptiſmo & ejus effectu, capitulo* 3. *Majores. Tum* etiam, quia aliter non eſſet Domini ſui *fidelis* vicarius neque *prudens*. *Pontifex ſummus doctrina Chriſti ſit obſervantisſimus.*

Si quid ergo in præmiſſis negligenter eſt omiſſum, imo ſi prohibitum, fieut conſtat, *à modo & usque in ſeculum cum ſumma diligentia ſuppleatur.* Et revera tunc dilatabitur fides Catholica, ſicut olim.

ARTIC. IV.

Contra anormalam Eccleſiarum Appropriationem.

Parochialium Eccleſiarum appropriationes in Anglia per Prælatos examinanda. RUrſum videntes diſcrimina multimoda, quæ *ex appropriatione Eccleſiarum parochialium* ſunt ſecutæ: Petimus ex parte Dei Patris omnipotentis, quod non ſolùm à modo & usq; in æternum *præfigatur terminus in Eccleſiarum appropriatione*: Verùm etiam, quod, viſis *appropriationum motivis* diligenter per Prælatos, clericos & alios regnorum peritos, ſi videantur evidentiæ non ſufficere, ut puta, quia invalidæ, aut aliàs ſuggeſtâ falſitate, ſeu tacitâ veritate, quæ foret in hujusmodi appropriationibus neceſſario exprimenda, aut quod vergerent in detrimentum Eccleſiæ: De quotquot eſſet taliter *judicatum per regni incolas*, quorum in hujusmodi eſt melius & fidelius judicare, tot eo ipſo eſſent ſimpliciter *deappropriata*, ſicut ab initio, *redeunte collatione ad patronos.* *Eccleſiarum Patronis jus ſuum reddendum.*

Hujus ſiquidem petitionis rationabilitas ex hoc evidet, quod per hujusmodi appropriationes *parochiani bonis curatis fraudantur* pariter & *doctrina, fraudatur* & eleemoſyna, extenuantur beneficia nimis ex uno latere, *cultus divinus ſenſibiliter detrahitur*, & ut plurimum recompenſa ſenſibilis non perpenditur. Innumera etiam mala & nimis grandia, quæ nimis longum eſſet percurrere, ex hujusmodi appropriationibus ſunt ſecuta. Quæ utrobiq; experitur *Eccleſia*, ſed maxime *Anglicana*. *Damna antiquarum appropriationum apud Anglos.*

Eſt igitur verum de ſententia noſtri

Digitized by Google

Lincolnienſis in *propoſitione* ſua *coram Papa*, quæ ſic incipit: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus*: Ubi enumerans 24. *mala*, quæ ſunt radix, origo & ſeminarium omnimodorum malorum, quæ communiter inter Chriſtianos accidunt, finaliter & veriſſime ad propoſitum ſic concludit: *Unde*, inquit, *cum Religioſis ſit Eccleſiarum parochialium appropriatio, prætactorum malorum firmata eſt perpetuatio.*

Et cum hujusmodi *appropriandi modus*, ſeu verius deordinatio, tam evidenter vergat in Eccleſiæ deſtructionem, & nullatenus in ejus ædificationem: Patet, quod nec etiam *Angelus* de cœlo ad hoc habet poteſtatem. Niſi forte fuerit aliquis *de ruentibus*, aut maledictum ejus membrum. Quemadmodum Satan habuit poteſtatem lædendi Job, in facultate, in carne, & in filiis. Sed *ab hujusmodi poteſtate liberet nos Dominus*, qui dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri, ſi volumus.

Jus illud appropriandi Eccleſias monachis, & falſo repudiatū.

Reducantur ergo vaſa transmigrationis, & fiat nova Jeruſalem, & redeat aureum ſeculum, ſicut fuerat ab initio inſtitutum.

ARTIC. V.

De Idoneorum præfectione.

Idonei ad officia ſacra admovendi.

PEtimus inſuper, quod in ſingulis *Officiis Eccleſiaſticis*, *ſolùm ad* hæc actualiter *idonei* ordinentur.

Quod autem hæc *petitio* ſit rationabilis atque *juſta*, non oportet probare, nec rationes ad hoc adducere, niſi forte propter protervos & perverſos.

Egregiis res illuſtratur figuris.

Quis enim ab initio ſeculi ſuum conſtituit relatorem ſeu *referendarium* aliquem *ſimpliciter mutum*? Aut quis ſimpliciter *claudum* ſuum ſtatuit *curſorem?* Aut quis *paralyticum*, manus erigere non potentem, ſuum voluit eſſe *propugnatorem*? Aut quis navalis artis ſimpliciter *inexpertum*, aut Medicinæ, ad harum operam ordinaret? Revera audenter affirmare valemus, quod nullus, niſi forte inſenſatus.

Et hoc eſt, quod ſcribit Dominus *Lincolnienſis Epiſtola* 27. Theſaurario Exonienſi, penes eum inſtanti pro promotione cujusdam juvenculi, ſub his verbis: *Hoc igitur veſtræ dilectioni & dicto puero & animabus, quibus velletis eum præfici, non admittendo eum ad curam Paſtoralem, præſtamus, quod Medicus præſtat febricitanti, dum ferventi febrili calore denegat hauſtum aquæ frigidæ, & quod præſtaret aliquis paralytico, dum denegaret ei gubernaculum navis in procella tempeſtuoſi maris. Et quod ſublevans à lapſu præſtaret ſeipſum præcipitare volenti.*

Eandemque ſententiam ſcribit cuidam Cardinali, *epiſtola* 53. eam per multa declarans exempla.

Objectio, quod inepti apti fieri poſſint, ſoluta, ſpes emendationis non juvat ineptorū promotionem.

Et quia poſſet aliquis dicere, quod quamplures, qui actualiter ſunt *inidonei*, *ad idoneitatem poſſent creſcere:* Hoc ibidem removet, ita ſcribens: *Nullus*, inquit, *ſapiens paterfamilias vitulos jungit ad aratrum, licet ſperet, vitulos proficere in robur boum. Quia forſitan & eo ipſo vitulos opprimeret, ne unquam ad robur boum pervenirent. Non enim debilibus imponuntur onera gravia, licet valentibus ad fortitudinem creſcere: Ne ſub onerum ſuccumbant gravitate. Si hoc utique non fecerit, ubi tamen non imminet niſi corporale periculum: Quomodo præſumeret noſtra timida puſillanimitas, conſimilia facere, ubi imminet periculum tanto gravius, quanto ſpiritualia ſunt majora & meliora corporalibus?* Hæc ille.

Ex iſto ſeqvuntur multa, conſideratione digna, ex quibus aliqua in medium deducemus.

ArchiDiaconi eſt, prædicare Dei verbum.

Unum eſt, quod nullus, ſi non contra jura, in *Archidiaconum* debet promoveri, niſi ſciret de facto *prædicare*. Iſtud ſic liquet. *In qualibet viſitatione eſt primitus verbum Dei proponendum.* Sicut patet *libro* 6. (*Decretalium, lib.*3. *tit.*20.) *De cenſibus & exactionibus, Capitulo I. Romana.*

Eccleſiæ Antiſtites ac miniſtri ſciant linguam illius gentis, ubi vivunt.

Ex iſto ſequitur corollarie, quod nullus eſſet *Epiſcopus Archidiaconus*, vel *Curatus* in aliqua terra, niſi *ſciret linguam illius gentis*, aut aptaret ſe ad ſciendum, aut aliter *prædicaret ibi per interpretem.*

Ex

Digitized by Google

Ex quo ſequitur, quod *carentes iſtis*, habentesque votum ad contrarium, reddunt ſe inhabiles ad præmiſſa officia, divino judicio & humano.

Ex quo videtur oculata fide, quod omnes noſtri *nullatenſes* ſunt in capitulo *Maledicti*.

Sequitur etiam iſtud generaliter de omnibus illis qui fruſtrant piam intentionem fundatorum, ordinantium & inſtituentium pia exercitia in Eccleſia. Niſi & ipſa in magis pia ſimpliciter commutent, quod viſum eſt rarius evenire.

Verum, ut in quibusdam exempla ponamus, quædam *prebendæ* ſunt pene in ſingulis Eccleſiis Cathedralibus aſſignatæ *pro legentibus in Theologia*, quædam ad finem, quod ipſas habentes per partes *prædicent*, ubi beneficia illa vigent. Quæ noſtris temporibus *in terra noſtra* conferri vidimus talium exercitiorum ignaris, imo, quod majus eſt, habentibus votum in contrarium.

Profeſſores Theologiæ in Eccleſiis Cathedralibus.

Et ut in ſumma dicamus, *infinita utilia Eccleſiæ* poſſunt ex noſtra jam petitione elici.

ARTIC. VI.

Contra Exemtiones.

Iterum petimus, quod *exemtiones capitulorum*, religionum, monaſteriorum, aliarumque perſonarum vagarum à ſuis Diœceſanis, omnes & ſingulæ *revocentur*.

Si quis namque viderit, quid in iſta materia ſcribant zelantiſſimi Doctores, ſcilicet *Bernardus* in *De conſideratione ad Eugenium libro* 3: Dominus noſter *Lincolnienſis*, qui pro tempore ſuo *lux & lucerna hujus mundi* erat, in *Tractatu* ſuo, qui ſic incipit: *Moyſes, qui tradente Domino ſuſceperat gubernaculum totius populi Iſraëlitici*: Dominus *Pariſienſis in Tractatu ſuo de Exemtionibus* per 26. capitula: Et iterum Dominus *Armachanus*, qui inductorie probat, quod *exemtiones* jam factæ in Eccleſia ſint *contra omnia jura probabilia*: Non oportet, inquam, qui hæc viderit, dubitare, quam *rationabilis* foret hæc noſtra *petitio*.

Verum quia pauci hæc omnia viderunt, ſunt aliqua in medium deducenda, quæ faciant pro petito. Scribit enim Beatus *Bernardus* libro ſupra memorato alloquens Papam ſub his verbis: *Non te tolero diutius. Murmura loquor & querimoniam Eccleſiarum. Truncari ſe clamitant ac demembrari. Ut nulla vel pauca admodum ſint, quæ plagam iſtam aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? Subtrahuntur Abbates Epiſcopis, Epiſcopi ArchiEpiſcopis, Archi-Epiſcopi Patriarchis ſive Primatibus. Bona ne ſpecies hæc? Mirum, ſi excuſari queat, vel opus ſit. Factitando probatis, vos habere plenitudinem poteſtatis: ſed juſtitiæ forte non ita. Facitis hoc, quia poteſtis, ſed utrum & debeatis, cura non eſt. Honorum & dignitatum gradus & ordines ſervare quibusque ſuos, poſiti eſtis, non invidere, ut quidam veſtrorum ait, cui honorem, honorem.*

Damna ex exemptionibus in Eccleſiam redundantia.

Et infra ad propoſitum: *Quid*, inquit, *tam indignum tibi, quam ut totum tenens non ſis contentus toto, niſi minutias quasdam atque exiguas portiones ipſius tibi creditæ univerſitatis, tanquam non ſint tuæ, ſatagas, neſcio quomodo, adhuc facere tuas. Ubi etiam meminiſſe te volo parabolæ Nathan, de homine, qui plurimas oves habens, unam parvulam, quæ erat pauperis, concupivit. Huc quoque veniat factum imo facinus Regis Achab, qui rerum ſummam tenebat & unam vineam affectavit. Avertat Deus à te, quod ille audivit:* Occidiſti & poſſediſti. *Nolo autem prætendas mihi fructum emancipationis ipſius. Nullus eſt, niſi, quod inde Epiſcopi inſolentiores, Monachi etiam diſſolutiores fiunt. Et iterum, Non eſt bona arbor faciens fructus tales, inſolentias, diſſolutiones, dilapidationes, falſitates, ſcandala, otia, quodque magis dolendum, inter Eccleſias inimicitias graves, perpetuas diſcordias. Vides, quam verus ſit ſermo ille: Omnia mihi licent, ſed omnia non expediunt. Quod ſi forte non licet, ignoſce mihi. Non facile adducor, licitum conſentire, quod tot illicita parturit. Tunc denique licitum cenſeas, ſuis Eccleſias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos, quos poſuerunt patres tui? Si*

 juſti-

juſtitia eſt, jus cuiq; ſervare ſuum: Auferre cuiquam ſua, juſto quomodo poterit convenire? Erras, ſi ut ſummam ita & ſolam inſtitutam à Deo veſtram Apoſtolicam poteſtatem exiſtimes. Si hoc ſentis, diſſentis ab eo, qui ait: Non eſt poteſtas niſi à Deo. *Proinde, quod ſequitur:* Qui poteſtati reſiſtit, Deo reſiſtit: *Etſi principaliter pro te facit, non tamen ſingulariter. Denique idem ait:* Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. *Non ait,* ſublimiori, *tanquam in uno, ſed,* ſublimioribus, *tanquam in multis. Non tua ergo ſola poteſtas à Domino. Sunt & mediocres, ſunt & inferiores. Et quomodo, quos Deus conjunxit, non ſunt ſeparandi: ſic nec quos ſubjunxit comparandi. Monſtrum quidem facis, ſi manui ſubmovens digitum, facis pendere de capite, ſuperiorem manui, brachio collateralem.* Et iterum: *Quod ſi dicat Epiſcopus: Nolo eſſe ſub Archiepiſcopo: Aut Abbas: Nolo obedire Epiſcopo, hoc de cœlo non eſt. Niſi tu forte quempiam Angelorum dicentem audiſti: Nolo ſub Archangelo eſſe: Aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem ſubeſſe cuiquam, niſi Deo.* Hoc bene ibidem cum multis aliis ad propoſitum notabilibus.

Scrupulo pro exemptionibus, exemptus. Et ſi dicat aliquis, quod iſta jam dicta bene habent locum in his perſonis, locis, ſeu religionibus, qui non ſunt conſecuti *exemtionem* à fundationis primordio, ſecus autem eſt in aliis: Ad iſtud breviſſime reſpondetur per regulam *Bernardi* in *De diſpenſatione & precepto, capitulo primo.* Ubi ſic dicit: *Iniquum procul dubio foret, ſi ſtatuta pro ſola caritate contra caritatem tenerentur.*

Statuta non pugnent cũ caritate.

Modo vero cum à tanto temporis tractu experimento didicere ſanctiPatres, *nullum fructum ex hujusmodi exemtionibus provenire*, quin potiùs non modicum Eccleſiæ detrimentum: Videtur pium valde & meritorium, *hujusmodi exemtiones abſque ſpe reditus revocare*, quatenus, *unde mors oriebatur, inde vita reſurgat.*

Alia argumenta exemptionibus oppoſita. Verum, ut, in ſpem, taceam, quid dicant *noſtri Doctores Anglicani* ab initio memorati: Quid dicat venerabiliſſimus *Pariſienſis* in *Tractatu* ſuo *de Exemtionibus*, non tacebo. Probat enim per proceſſum, quod *exemtio repugnet ordini naturali.* Et *capitulo 2do* probat ſpecialiter, quod eſt *contra naturam regiminis Prælati*, cum ad totam ſuam diœceſin ſe extendat autoritas ejus, *quod ſint aliqui exemti, & non ſint ſub regimine Prælati.*

Prælatis jus ſuum vindicatum.

Et *in fine ejusdem capituli* ita ſcribit: *Cum ſimile ſit de regimine Eccleſiaſtico & de regimine naturali; Ponere exemtionem, & ponere, Prælatos in aliqua parte ſuarum Diœceſium non habere proprias operationes, eſt ſimile, ac ſi poneremus, naturalia eſſe otioſa, & non habere ſuas ſubſtantias & virtutes.*

Et *30. capitulo* probat per proceſſum, quod *Exemtio, quantum in ſe eſt, facit idolum de Paſtore.* Unde aſſumens autoritatem *Zachariæ* 2. *O Paſtor & idolum, derelinquens gregem*, ad propoſitum ita ſcribit: *Prælatus*, inquit, *eſt Paſtor & idolum, quando culpa ſua derelinquitur grex. Sed per exemtionem ſubtrahitur ſibi grex. Hoc eſt enim contra naturam regiminis Eccleſiaſtici, quando Prælatus non culpa ſua fit Paſtor & idolum, non habens autoritatem corrigendi eos, qui ſunt in diœceſi ſua, qui omnes naturaliter pertinent ad gregem ſuum. Hoc*, inquit, *intelligimus nomine idoli, quod manus habet & non palpat, oculos habet & non videt. Prælatus enim, quantum ad exemtos, manus habet & non palpat: quia non poteſt corrigere eorum delicta. Oculos habet & non videt: quia non poteſt judicare nec diſcernere eorum peccata.* Hæc Pariſienſis, præter alia notabilia infinita, quæ elegantiſſime adducit ad propoſitum perſuadendum.

Exemptio facit ex paſtore idolum.

Objectio pro exemptionibus Studioſorum. Et ſi dicatur, quod religioſi & alii *in Univerſitatibus die noctéq; ſtudentes in lege Domini*, ad fidem catholicam nutriendam, defendendam, dilatandamqve, bene *merentur exemtionis beneficium*, quatenus eo magis tranquille ſtudeant alliciantürqve conſeqventer ad ſtudio indulgendum:

Egregie ſolutum hoc dubiũ exStudioſorum officio. Ad hoc reſpondeo, quod nulli, quantumlibet *Studioſi*, qui non quærunt, quæ ſua ſunt, vellent propter aliquam *libertatem* conſequendam, *qua ſalva caritate carere poſſent*, pro hac via, quod occaſione libertatis eorundem contingeret diſcrimen tam latum, & res tam pernitioſi exempli ſerperent in læſionem univer-

Digitized by Google

niverſalis Eccleſiæ, cujusmodi ſunt exemtiones ante dictæ.

Novum dubium: Prælatos eſſe malos, hinc eximi ab illorũ curâ, fas eſſe.

Et ſi dicatur: Qvod *ſi boni eſſent Prælati*, non eſſet bonum ab eis eximi: Modo verò, qvia contrarium videmus ex toto accidere, bonum eſt eximi ab eorum poteſtate.

Solutum: Melioribus Prælatis indignos eſſe.

Ad hoc namqve poteſt taliter reſponderi: Qvod, quia *religioſi ut plurimum his diebus in ſuis gradibus ſunt pejores* & à perfectione diſtantiores, quam ab olim, imputent in parte ſuæ culpæ, quod melioribus Præpoſitis ſubeſſe non meruerunt.

Aliud dubium: Ex jactato merito.

Et ſi rurſum dicant: Qvod grandia faciunt in Eccleſia, & non ſunt ſicut ceteri hominum, quia victimant carnem ſuam:

Refutatũ, ex detecta hypocriſi.

Ad hoc *reſpondemus* cum Scriptura: Qvod *melior eſt obedientia quam victima.* Illi ergo qui tantum laudant obedientiam in ſe ipſis, nolentes ſuis immediatis Prælatis obedire, profecto *cum Phariſæis dicunt* utiqve, *non faciunt.* Ignorant ſiquidem ordinem Eccleſiaſticæ hierarchiæ, ſecundum quem, ut vult *Dionyſius 6. capitulo Eccleſiaſticæ hierarchiæ, particula 3.* ad Epiſcopos, qui ſunt in ſtatu proficientium, ex officio pertinet, quoslibet religioſos purgare, illuminare & perficere. Qva fronte ergo tantum *laudant ordinem, ordinem pro viribus fugientes?*

Ordinis hoſtes monachi, qui eximi ab obedientia volunt Parochianorum.

Et quis quæſo illorum, aſſumtus in Prælatum ſui ordinis, patienter ferret, quod eſſent duo vel tres in clauſtro ſuo, qui ab ipſius obedientia dicerent ſe exemtos? Qvanto magis Diœceſanus graviſſime ferret, videns in diœceſi ſua mille, qui nolunt ſibi ſubjectionem profiteri? Si ergo nullus Præpoſitorum religioſorum qvoad confratres ſuos ſub manu ſua degentes gratis ſineret hoc ſibi fieri, qua quæſo caritate optant hoc aliis fieri, quod nullo modo vellent fieri ſibi ipſis? Revera ſi hoc emanat de caritate, non eſt utiqve ab illa quam inſpirat caritas, quæ eſt DEUS.

Argumẽtum à Canone ſumptum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Alia objectio ab exemplo cleri, qui à judicio ſeculari exemptus.

Verum ſi demum *replicet* æmulus caritatis, per hunc modum: Si omnes qui ſunt in *ſtatu clericali*, gaudent exemtionibus, de quanto ex benignitate Principum ſunt *exemti à judicio ſeculari*, & ne ſecularibus negotiis ſe immiſceant: Qvare ergo non poſſunt pauperes *religioſi* ſibi exemtiones procurare?

Solvitur, oſtenſa differentia inter clerum & Monachos atq; Canonicos.

Ad hoc dicendum eſt, qvod eſt longa lataqve differentia inter iſta. Tum qvia totus *ſtatus cleri* ſecundum ſe eſt ſuperior ſtatu laicali ſecundum totum ejus ambitum; Tum etiam qvia hujusmodi *exemtiones clericorum* ex oblatione principum proceſſerunt. Sicut & eorum in temporalibus dotatio. Qvemadmodum ſatis liqvet ex infinitis Chronicis & Legendis. De *exemtionibus* vero *capitulorum ac religioſorum à ſuis diœceſanis*, ſecus eſt per omnia. Nam ut ſupra dictum eſt ex teſtimonio *Dionyſii de Eccleſiaſtica Hierarchia*, totum genus hujusmodi Religioſorum eſt de per ſe ſubordinatum Pontificibus.

Aliud exemptionum illarum diſcrimen. Exemptiones Monachorum ac Canonicorum auro redemta.

Et quidem uti ſeculares clerum *libere* exemerunt, iſti, *invitis diœceſanis* & renitentibus, procurant procuraruntqvè exemtiones, *non tanquam pauperes*, facultatibus præſertim. Cum non inveriſimile ſit, hujusmodi *exemtiones*, Prælatis tam diſpendioſas, *non procuratas* fuiſſe *abſque magno pecuniæ interventu.*

Et indubie, ut *pauperes ſpiritu* nullatenus talia procurarunt. Si enim fuiſſent pauperes ſpiritu, procul dubio *patienter toleraſſent ſe ſubjici ſuis diœceſanis & Prælatis.* Etſi non aliud feciſſent, niſi propter exemplum obedientiæ præbendum aliis Chriſtianis.

Nova objectio ex devotionis ſtudio.

Et ſi finaliter dixeris: Grave eſſet, niſi eis in aliquo eſſet delatum, magisqve eis parceretur, qvi totaliter ſe Deo devovent, mundumqve ex integro reliqverunt, dediti ſunt pariter ſtudio, contemplationi, orationi ac prædicationi verbi Dei.

Reſp. Devotionem cum obedientia optime conſiſtere.

Fateor verum eſſe, quod affirmas. Sed haud dubium, *iſtud laudabilius poſſet fieri nullâ exemtione interveniente*, deducto omni ſcandalo, cum ſincera benevolentia Prælatorum, ac filiali obedientia ſubditorum, una cum accumulatione meritorum altrinſecus, ac majori conformitate Eccleſiæ militantis ad Eccleſiam triumphantem.

Et ideo contra omnes tales, *qui nolunt ſuis Epiſcopis obedire*, ſub autoritate Clementis Papæ ex tranſumto ex ejus epiſto-

epiſtola dicit *Decretum Diſtinct. 93. cap. 9. Nulla ratione*, (vel potius *Qui ſuis*) per hunc modum: *Qui ſuis Epiſcopis non obediunt, indubitanter rei & reprobi exiſtunt.*

Iſti namqve, de qvibus jam præmiſſum eſt, innuunt in effectu, qvod poſſet eſſe actio alterativa abſqve applicatione ſeu contactu activorum ad paſſiva: Aut aliter: Qvod poſſet eſſe actio converſiva inter aliqva, ubi nulla qvalitas eſt diſſymbola.

ARTIC. VII.

Contra Diſpenſationes.

Diſpenſationum uſus, abuſus.

PRæterea, quamvis *diſpenſationes* ſint multoties utiles Eccleſiæ, attentis diligenter neceſſitate ac diſpenſationibus perſonarum: Qvia tamen videmus, inconvenientia non pauca ex *inconſideratis improvidisq; diſpenſationibus* proveniſſe: Petimus, qvod ſi Prælati Provinciarum poſſunt oculata fide probare, quod hujusmodi *diſpenſationes* fuerint *falſo impetratæ*, utpote quia aut tacita veritate, aut ſuggeſta falſitate, aut aliter *inutiles* ipſi Eccleſiæ fuerint, quatenus ipſis Prælatis liceat omnes tales diſpenſationes tanquam invalidas *rejicere*, repellereque *ex officio teneantur.*

Tollenda diſpenſationes Papales Eccleſiis damnoſa.

Hujusmodi namq; petitionis rationabilitas ex hoc evidet: Tum primo, quia tunc profecto eſſet veriſimile, quod eſſet *notabilis extinctio Symoniæ, quæ ſub fuco diſpenſationis ingraveſcit.*

Simonia delituit ſub umbra diſpēſationis.

Tum 2. quia tunc *ſalubria jura* reviviſcerent, quæ *occaſione diſpenſationum* ſunt *ſopita*;

Salubria jura revocanda.

Et tum 3. quia *inidoneitas repulſam* aliquoties *pateretur*, ubi jam ingreditur importune.

Inepti diſpenſatione adjuti.

Mirandum namque valde, imo profecto non minus dolendum, quod, *in contemtum caſtimoniæ conjugalis*, tot *in manifeſtiſſimo adulterio geniti*, tot *filii presbyterorum*, totque *ex ſcortis procreati*, contra jura antiqua ſacratiſſima, *diſpenſationum interventu gaudent tam liberis habenis*, ſicut ex legitimo thoro nati. Adeo quod pudicitia non curatur, non plectitur impudicitia, ſicut olim. Et cum utplurimum patrem ſequitur ſua proles, non reſtat aliud, niſi, quod qualis pater, talis filius.

Damnata libera diſpenſationes circa ſpurios.

Taceo *de diſpenſationibus cum pueris, quoad gradum ſacerdotii*: Imo, quod amplius eſt, aliquoties *quoad ſtatum Epiſcopii*, contra decretum Apoſtolicum, quo neophyti ab hujuſcemodi repelluntur. Et ſic, maturis relictis, præficiuntur indigeſti, & *viris fortiſſimis effeminati dominantur.*

Repudiata diſpenſationes de pueris ad officia ſacra promovendis.

Heu, heu, inquam, non eſt iſta *diſpenſatio*, ſed, juxta *Bernardi* ſententiam, nimis crudelis *diſſipatio*. Præſertim, cum, ſecundum eundem in *De diſpenſatione & præcepto*, fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familia ſua, ibi tantum novit uſurpare diſpenſationem, unde bonam poſſit habere recompenſationem. Ideo, ut vult idem in *de conſideratione ad Eugenium libro* 3. Ubi *neceſſitas* urget, excuſabilis diſpenſatio eſt: Ubi utilitas provocat, diſpenſatio eſt laudabilis. *Utilitas* dico *communis*, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis *diſpenſatio*, ſed crudelis *diſſipatio* eſt.

Diſpenſatio ſæpe eſt diſſipatio.

Ex utilitate publica diſpenſatio metienda.

ARTIC. VIII.

Contra Beneficiorum pluralitates.

Officiorū ſacrorum reditus non nimii in unum virū ſunt cumulandi.

EX iſtis ſequitur alia petitio corollarie. Videlicet, quod, ubicunque habet aliquis *duo beneficia vel plura*, quorum unum ſufficit ad ſuum officium exequendum: Quod niſi fuerit ſingularis perſona & ſublimis, quoad omnia, *præter* illud *unicum*, tollantur, & *idoneis conferantur.*

Iſtius ſiquidem petitionis evidentia ſufficienter eſt oſtenſa per *Lincolnienſem in ſuis epiſtolis*, per Venerabilem *Pariſienſem, De Præbendis.* Et concordant jura utrobique, quæ ponunt pro una Maxima: Quod *pluralitas beneficiorum eſt canonibus inimica.*

Officia plura inter plures perſonas diſtribuenda.

Hujus

Hujus autem petitionis *deductio ad effectum* poſſet taliter ſane fieri: Qvatenus, *aſſenſu Patronorum* requiſito, & pia fundatorum intentione perſpectâ, ſimulqve conſideratis utilitate univerſalis vel etiam particularis Eccleſiæ, aut incommodo ex adverſo, ſecundum hoc, ex decreto, diœceſani ſeu diœceſanorum habito maturo conſilio, negotium peragatur.

Rurſum, quod de cetero ſit *omnis pluralitas interdicta*, niſi vel ſit tanta raritas Clericorum, aut tanta beneficiorum tenuitas, aut certe tanta ſingularis ſublimitas in perſonis, quod *neceſſitas plus videatur pluralitatem beneficiorum inducere, quam voluntas.*

Avaritiæ ſuſpicio ex officiorum ſacrorum cumulo.

Semper enim hujusmodi *pluralitas beneficiorum habet ſpeciem malam ſibi annexam*, & præcipue avaritiæ ſuſpicionem in optante. Qvod bene notavit Dominus *Lincolnienſis epiſtola* 25. ſcribens cuidam Curato, quem à pluralitate beneficiorum revocare voluit, per hunc modum: *Trahente*, inqvit, *amore & ſollicitudine moneo, exhortor & obſecro, quatenus animæ tuæ ſaluti conſulens, majori & graviori oneri curæ paſtoralis jam pridem ſuſcepto humerum tuum non ſupponas, ne oneris gravitas te opprimat & conterat.* Et ſeqvitur: *Si ad curam paſtoralem, omiſſa cura ſecularium negotiorum, ut Deo milites, te, ſicut oportet, convertas, certus ſum, quod non ſolum refugies majorem curam aſſumere, ſed ſatages de magna parte curæ jam aſſumta te exonerare, cum ſenſeris, te de omnibus & ſingulis ovium tuarum tibi commiſſis rationem reddere debere. Nec fallat te, ſicut multos fallit, obtenta diſpenſatio forte habendi tot beneficia Eccleſiaſtica. Quia hujusmodi diſpenſatione abutitur quisquis, qui ad alium finem, quam ad fidei & caritatis augmentum eadem utitur. Conſule igitur conſcientiam tuam, utrum plura adhuc Eccleſiaſtica quæras beneficia, ut caritas augeatur in ovibus, aut ut augearis ex ovium opibus: Ut tu paſcas oves verbo & exemplo & Oratione, aut ut tu paſcaris de ovium lacte. Vide, utrum Deo dicere poſſis cum Auguſtino:* Domine, tu ſcis, quia dixi, ſcis, quia non tacui, ſcis, quia flevi, cum dicerem & non audirer. *Hæc eſt tota de ovibus reddenda ratio. Si igitur hujus rationis cumulum Deo reddere non poteris de ovibus hucusque tibi commiſſis: Qva fronte audes petere, ut plures tibi committantur? Pro quibus te conſtituas amplioris rationis reddendæ debitorem apud diſtrictiſſimum judicem & exactorem usque ad noviſſimum quadrantem. Si Regi terreno non poſſes rationem reddere de villicatione minori, quomodo expeteres ab eo villicationem majorem, in cujus ratione ſi defeceris, ligatis manibus & pedibus mitteret te in carceris tenebras exteriores? An putas, Deum non dicturum tibi:* Redde rationem villicationis tuæ. *Dicet utiq. Quam ſi non reddas usq; ad noviſſimum minutum, tradet te tortoribus juxta omne meritum cruciandum. Qvapropter, frater cariſſime in Chriſto, per aſperſionem ſangvinis Jeſu Chriſti, qui totus effuſus eſt non ſolum pro omnibus ſed pro ſingulis ovibus, te obſecro, quatenus pro ampliori cura, majori & diſtrictiori reddendæ rationi te non obliges, ne forte in reddenda ratione deficiens tradaris tortori, qui te mittat in carcerem, unde non exeas, donec usque ad noviſſimum quadrantem ſatisfeceris. Novit ille, qui ſcrutator eſt cordium, quod timore periculi tui & ovium mearum, pro quibus debitor ſum, nec ſolum verba ſed animam meam ponerem, hæc tibi paterna ſollicitudine & materna compaſſione perſvadeo. Et qua affectione mater retinet parvulum, ne ſe mittat in præcipitium: Ea te, ſi poſſem, retraherem, licet reclamantem & renitentem, ne curam tibi oblatam ſuſciperes in tui & ovium illarum deſolatarum grande periculum. Sed te reſilire nolentem non potero, niſi tibi obſtarent jura canonica, ſecundum quæ judicantur omnia in militante Eccleſia. Verum eo ſollicitius tibi cavendum eſt, ne forte in hac parte tibi obſtarent jura divina, ſecundum quæ judicandus deficiens vel bene proficiens judicaturus es in Eccleſia triumphante.* Hæc Lincolnienſis.

ARTICULUS IX.
Contra Appellationes.

Appellationis uſus,

QVamvis *Appellationis remedium* provide erat inventum, ad tuendam innocentiam & in ſolatium oppreſſorum, ut dictant jura, ratio pariter & Scriptu-

Abuſus.

Scriptura: Qvia tamen, *quod ad noxam tendere videtur ac majoris boni præſtat impedimentum, eſt cum prudentia relinquendum:* Ideo petimus, quod, quantum commode fieri poteſt, *non fiant* à modo *appellationes per ſaltum.* Nec extra provincias aut regna trahantur cauſæ minores. Sed quod *ad ſedem Apoſtolicam tracta*, autoritate ejusdem ſedis ad proprios diœceſanos ſeu *ad comprovinciales remittantur.*

Cauſa ad curiam Papalem non facile trahenda. Tracta domum remittenda.

Rationem quidem includit hæc petitio multipliciter.

Rationes, cur appellationes ad curiã Papalem, tollendæ.

Tum primo: Qvia *per hujusmodi appellationes* utplurimum *injuſtitia diutius defenditur*, & executio juſtitiæ vel ſimpliciter aut per ſubterfugia protelatur.

Tum 2. Qvia, qui ſunt valde *pauperes* vel pecuniis non abundant, omiſſa appellationis voce, *ab adverſario locuplete nunquam jus ſuum conſequuntur*, deficientibus ſibi facultatibus ad tam diſtanter proſeqvendum.

Quod ſint fomes injuſtitiæ. Pauperũ pernicies.

Et tum 3. quia *tam grata tamq; crebra appellationum à curia Romana acceptatio* ipſam nedum de *avaritia* apud ſubditos ſcandalizat, contemniqve facit inferiores Prælatos à ſuis ſubditis, verum etiam *ipſam Curiam à profectu majoris boni excludit.* Videlicet, ut, dum *Scriptura ſacra ſtudio, prædicationi verbi Dei, gentium converſioni*, ſedulius intenderent: Relictis hujusmodi, ad contemtibiles in Eccleſia judicandum indignos ſe reddant, qui ſic ſe de minimis negotiis intromittunt. Unde *Bernardus primo libro ad Eugenium* ad propoſitum ita ſcribit: *Miror namque quemadmodum religioſæ aures tuæ ſuſtineant hujusmodi diſputationes advocatorum & pugnas verborum, quæ magis ad ſubverſionem proficiunt veritatis.*

Avaritiæ in Ro. curia nutrimentum.

Negotiorum ſacrorum impedimentum.

Et *de abuſu appellationum 3. libro* ita ait: *Magno illius & pio intuitu opus, ne, quod magna fuit neceſſitate proviſum, male utendo reddatur inutile.* *Quid*, inqvit, *è regione tam perverſum tam recti alienũ, ubi lætatur qui malum fecit, & qui tulit, inaniter fatigetur. Inhumaniſſime, non moveris erga hominem, cui illata injuriæ cumulavere dolorem, & dolor itineris & damna expenſarum?*

Et infra, commendans Eugenium in facto ſuo, ita eum alloqvitur: *Bene facis tu, quod, appellationum negato ſuffragio, multa remittis negotia ad cognoſcentes, vel qui noſcere citius poſſunt. Ubi enim certior & facilior notio, ibi deciſio tutior expeditiorq; eſſe poteſt. Quam plenum gratiæ! Quam multorum perinde parcis laboribus & ſumtibus!* Hæc ille.

Utinam ergo, quando *facta appellatione ad Curiam* potuiſſet nihilominus *æque bene vel melius cauſa* fuiſſe *domi terminata* coram judicibus ordinariis: Et hoc poſſet fideli conſcientia à ſummo Pontifice deprehendi! Diceret effectualiter, qvemadmodum dixit Angelus Agar ancillæ fugienti à facie Dominæ ſuæ Saræ: *Revertere*, inqvit, ad *Dominam tuam, & humiliare ſub manu ejus.*

Hoc enim facto, ceſſaret *appellationum inutilium cataclyſmus*, nec non & magna tranqvillitas Eccleſiæ redderetur.

ARTIC. X

Contra Privilegiorum abuſiones.

CUm enim, ut vult *Decretum*, 25. *q. 1. Capitulo 16. Ideo: Sect. Si ergo.* contra ſtatuta canonum, vel quib. ſtatus Eccleſiarum vel confundantur vel conturbentur, *privilegia ab Apoſtolico concedi non debent*: Petimus ergo, quatenus, *facto diligenti ſcrutinio in Concilio generali* de privilegiis conceſſis ordinibus, locis, ſeu perſonis: Ac inſuper conceſſa autoritate ſingularum provinciarum Metropolitanis, & eorum Suffraganeis, ac aliis Prælatis, & ſapientibus, ad inquirendum in locis propriis eorundem: *Quotquot* privilegia ex tunc *comperta* fuerint vel confundere ſeu *perturbare univerſalis Eccleſiæ ſtatum*, aut alicujus Eccleſiæ particularis, aut aliter inutilia eſſe, ſeu perniciem utentibus aut aliis irrogare, *tot* deinceps *revocentur* & caſſentur.

Privilegia Papalia reſtringenda eſſe.

Quod autem iſta petitio eſſet *effectui mancipanda*, patet ex teſtimonio *Decreti* jam inducto. Vivax etiam ratio & ſcriptura ſuffragantur.

Vivax

Digitized by Google

Probatur ratione. Vivax enim ratio dictat, quod *non ſit malitiis hominum indulgendum:* Aut quod aliquis ex ſua malitia debeat commodum reportare: Aut quod prærogativa unius cedat in præjudicium alterius: Aut quod bonum privatum unius ſeu paucorum bono Reipublicæ præferatur: Aut, quod inutiliter geritur, de cetero debeat exerceri. Præſertim cum *inutile & nullum pari paſſu ambulent, quoad mores.*

Exemplo ſacro. Si autem ſcripturam libeat inſpicere, quid de *privilegiatis* ſentiat, vide, quid dicat Dominus *primo Regum* 2. *capitulo.* Ipſi Heli ſacerdoti loquens inquit: *Locutus ſum, ut domus tua & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo usq, in ſempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Abſit hoc à me, ſed quicunque honorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

Ex iſto loco poteſt accipi ſatis clare, quod *ceſſante ratione privilegii ceſſare debet & privilegium:* Et quod abutentibus privilegiis in præjudicium aliorum, eis merito ſint privandi. Et hoc eſt, quod

Decreto. dicit *Decretum: Sicut neceſſitatem patientes ceſſante neceſſitate beneficiis renunciare coguntur, quæ eis miſerationis indulſit intuitus: Sic religioſe viventes, cum à religione ceſſaverint, privilegiis eximuntur, quæ religioſa converſatio meruit. Privilegia ergo quæ religioſis domibus conceduntur, in eo caſu accipienda ſunt, in quo ita eis conſulitur, quod nulli aliquid derogetur.* Hæc Canon.

Fruſtra ergo & abſque conſcientiæ fundamento vendicant privilegia ultra alios, qui eos merito operum non excedunt. Et hoc eſt quod quibusdam

Decretalibus. dicit *Decretale* (*Sexto Decr. l.* 3. *tit.* 35.) *De Statu monachorum,* (*c.*3.) ſub his verbis: *Si,* inquit, *relictis originalibus ordinis inſtitutis, ad communia volueritis aliorum monaſteriorum jura divertere, oportebit vos communi jure cenſeri. Quia dignum eſt, ut qui ſimilem vitam cum aliis ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam.*

D[illegible] ex [illegible] pri[illegible] orien[illegible]da. Quis autem *fructus ex* hujusmodi *privilegiis* inſurgat utplurimum, non videmus, ſi non *religionis diſſolutionem, intentionis patronorum* & religiones inſtituentium *fruſtrationem, fundatorum fundationem.* Ut, dum illi monaſteria vel pia loca dotabant ſeu fundabant, quatenus inibi converſantes ſtricte ſervarent ſuorum patronorum inſtituta: Iſti, in regionem longinquam abeuntes, per privilegia, diſpenſationes & exemtiones, non ſolum de ſpecie in ſpeciem, ſed ab oppoſito in oppoſitum mutarunt ſanctorum Patrum inſtituta.

Ut igitur *de abuſu privilegiorum* taceam & de falſo & contra legem impetratis, quæ inutilia & pro infectis ſunt habenda: Quædam profecto videntur tam inania & nullum fructum afferentia, quod eſſent *tanquam funera mortua ad ſepulchrum deducenda.*

Inutilia privile[illegible] [illegible] per[illegible] gu[illegible]. Verbi gratia, *Abbas* aliquis, qui, in quantum hujusmodi, [ut volunt jura, & concordat *Dionyſius* in *De Eccleſiaſtica Hierarchia capitulo* 6.) inferior eſt in Eccleſia quam Subdiaconus, ex privilegio plerumque omnia inſignia Pontificalia gerit, & ad quem finem non apparet, niſi *ut glorioſus appareat ſine cauſa,* aut *ut ſimplices illudat atque rudes.*

Quod bene conſiderans Metricus pertinenter ad propoſitum ita ſcribit:

Annulus Abbatis, & mitra Sophiſtica, ſemper
Sint procul à nobis, & decus absq, Deo.
Abbatum ſteriles mitras, quas nulla ſequuntur
Chriſmatis officia, non probo, ſintque procul.

ARTIC. XI.

Contra Apoſtaſiam clericorum, ſeſe ſecularibus negotiis immiſcentium.

Cum Chriſtus dicat in Evangelio, quod *nemo mittens manum ad aratrum & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei:* Apoſtolus quoque dicat, quod *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus:* Et jura etiam dicant, ſicut patet 21. *q.* 3. *c.* 2. *Credo:* & *cap.*1. *Pervenit:* & *cap.*4. *Cyprianus:* & *Extrav. Ne clerici vel monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant,* per totum: Quod clerici vel mona-

Clerici ac monachi à negotiis civilibus abſtineāt. Aut officiis ſacris priventur.

monachi ſeſe ſecularibus negotiis immiſcentes adeo reddant ſe indignos, quod beneficiis & officiis Eccleſiaſticis ſint privandi in tantum, quod nec etiam in morte debet pro eis offerri ſacrificium ſalutare: Ideo petimus, pro periculo tam miniſtrantium, quam illorum, quibus miniſtratur, imo totius Eccleſiæ, declinando, quod iſta jura ſint ad unguem executa, ac Regibus, Principibus, totique populo ubiq; terrarum frequentiſſime publicata, ne aliqui per ignorantiam iſtorum jurium in lege divina fundatorum ſe excuſent.

Quam *juſta* quamque *neceſſaria* ſit hæc *petitio* toti Eccleſiæ militanti, nullus ignorat, ſi non *ſuperbia aut avaritia excæcatus.* Trahit enim declarationem *rationis* ſecum.

Ideoque *ad* hujus *executionem vivacem* maxime attenderent, qui ſunt ſupremi in Eccleſia, puta, *ſummus Pontifex, Epiſcopi* & *Prælati*, quorum eſt ſacratiſſima jura exequi, tueri, ac pro eis tuendis ad ultimum terribilium ſe exponere.

Epiſcoporum ac Prælatorum officium, clericos à civilibus negotiis arcere. Principis idem jus ac munus.

Nec minus pro ſuo modulo ad hoc debent attendere *Principes ſeculares*, ne forte ex conſenſu pari periculo involvantur. Dicit enim *Decretum*, ubi ſupra, ſic: *Neq; enim apud altare Domini merentur nominari in ſacerdotum prece, qui ab altari volunt ſacerdotes avocare.*

Debent enim ſeculi Principes meminiſſe, quod magnus Rex Nabugodonoſor quia à templo ſacra vaſa aſportavit, eisque abuſus eſt in domo ſua, ideo ſubito à regno eſt dejectus. Sed non aliud profecto faciunt, *qui clericos* divino cœtui deputatos *trahunt ad ſecularia miniſteria.*

Peccare illos, qui clericos ad civilia negotia pertrahunt.

Et revera in hoc facto multum damnificant ſe, & Clericos præſertim, ut vult *Gregorius* ſui *Regiſtri libro primo: Si ſacerdotes & Clerici adjunctis bonis operibus debite orarent, ut eſt dignum, pro Imperatoribus & Regibus, nihil perturbaret proſperitatem & pacem regnorum Chriſtianorum.*

Objectio: Privilegium hoc eſſe Principum ac nobilium.

Et ſi dicatur: Quod Reges & Principes & Nobiles habent virtute privilegiorum jam dudum eis indultum, quod poſſunt Clericos ad ſecularia, ut libuerit, officia deputare.

clericos ad civilia officia admovere.

Ad hoc breviter reſpondetur. Quod ſi ſit per ſe notorium, quod hujusmodi *privilegia* ſeu potius *horum abuſus præſtet non modicum impedimentum* profectui ſpirituali Eccleſiæ: Imo, ſi prohibuit, ſicut conſtat: Debet, qui hoc conceſſerit, quam cito ad hoc ſe obtulerit opportunitas, omnia hujusmodi *revocare.* Nec in iſta materia nimis oportet ſtudere ad juſtificandum hujusmodi privilegia petentes, ſicut nec etiam concedentes, ſed minime talibus abutentes.

Re[ſp.] Privilegii abuſum eſſe ſublatum.

Et ideo bene dicit *Decretum*, 25. q. 2. *capitulo* 19. *Deceſſorum. Deceſſorum*, inquit, *ſtatuta ſicut legitima & juſta ſucceſſorem convenit cuſtodire: Ita decet etiam mala facta corrigere.*

Et revera ſi iſta ſanctiſſima jura eſſent rigide obſervata, non eſſent tot *graduationes in coquinis & Cancellariis Dominorum à beneficiis ad beneficia*, etiam usque ad cumulum præbendarum, & regulariter, imo irregulariter, à minoribus dignitatibus usque ad Pontificales dignitates.

Promotiones in coquinis ad ad officia ſacra olim celebres.

Unde fit, de quo maxime eſt dolendum, quod *de extremis populi* paſſim *ad* omnes pene *majores dignitates in Eccleſia aſſumuntur.*

Ex ima plebe ad ſummas in Eccleſia dignitates quo paſſu olim evectis.

Nec aliud reſtat, niſi quod Dominus noſter Chriſtus dicit in Evangelio: *Quod ſi cæcus cæco ducatum præſtiterit, ambo in foveam cadunt.*

Et ſi dicatur hic: Quod tales de quibus eſt jam tactum, ſunt *viri multum diſcreti, prudentes & providi in conſiliis*; Quemadmodum utplurimum non ſunt clerici, qui ſunt notabiliter literati & maxime in lege divina ſtudentes, præſertim cum nihil ſciant de mundo, & ſic inepti ſunt ad regimen & maxime Epiſcopalium dignitatum: Oportet igitur ad hujusmodi præficere *mundiales*, cum ſint magis idonei ad hoc opus, dummodo aliunde ſint honeſti.

Objectio: Politicos rebus & officiis ſacris poſſe commode admoveri.

Quamvis iſtud argumentum ſit inſolubile apud filios hujus ſeculi, apud Satrapas, & apud eos, qui non ſapiunt ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum: Nihil tamen movet eos, qui Domini ſunt, & quos affecit zelus ejus. Illi vero, inconſulto Herode, per aliam viam per-

Re[ſp.] Hoc judi[cium] hom[inum] [illegible]

perrexerunt. Conſiderant enim, quid in hac materia ſentiat ſcriptura Novi & Veteris Teſtamenti; Quid ſenſerit *Paulus*, quando Epiſcopos inſtituerat: Quid ſenſerint *ſancti Patres*: Quid ſacratiſſima *jura*. Et ſpecialiter ſententia Beati *Gregorii*, qui tam in ſpeculativa quam in practica probaverat, *quid eſſet neceſſario requiſitum ad officium paſtorale*. Quibus habitis, non curant, quid ſentiant amici hujus ſeculi, qui propterea, ut vult Jacobus Apoſtolus, conſtituuntur inimici Dei.

Aliter ſentire Paulum & S. Patres.

Verum, pro ſolutione hujus invectionis invalidæ falſum utique ſupponentis, advertendum eſt, quid ad propoſitum ſcribat *Chryſoſtomus ſuper Epiſtolam ad Hebræos Homilia* 34. Ubi ſic ſcribit ad propoſitum: *O! quantum periculum! Quid dicamus infelicibus illis & miſeris, qui ſe ipſos ad alios regendos præcipitant, & ſe in tantorum ſimplicium abyſſum jactant hominum? Mirum eſt, ſi poteſt ſalvari aliquis rectorum. Si enim qui neceſſitate compelluntur ad regimen, non poſſunt excuſari, ſi negligenter adminiſtraverint, ut patet de Aaron, Moyſe & Saule: quanto amplius, qui cum ſtudio & ambitione petunt principatus, & ſeipſos præcipitant, ſeverius puniuntur.* Hæc Chryſoſtomus. Hac autoritate digeſta tranſeant ad alia recitata.

Diſſicile eſſe re[illegible] [illegible] cum.

ARTIC. XII.

Contra Prærogativam Cantorum & Officialium in Curiis Dominorum reſidentium.

Muſica res præclara. Muſicos vero non majoris eſſe faciendos, quam officii eorum ferat ratio.

QVamvis *cantus* ſit res laudabilis, ac bene poterit exerceri, beneque exerceatur à nonnullis in Eccleſia, ut ſupponitur: Petimus tamen, quod *Cantores* præciſe de tanto reputentur in Eccleſia, de quanto *qualitas operis eorum expoſcit*: Ac de tanto de ſtipendiis Eccleſiæ recipiantur, de quanto ad ejus ædificationem faciunt, *non præjudicando magis dignus in Eccleſia*.

Muſicos lautius ſæpe ali, quam alios viros bonos in Eccleſia.

Hujus ſiquidem petitionis *ratio* ſatis liquet ex mandato Apoſtolico, *prima Corinthiorum* 14. ſic ſcribentis: *Omnia*, inquit, *honeſte & ſecundum ordinem fiant*.

Contra honeſtatem certe & ordinem foret, quod minores majoribus, & indigniores dignioribus præferri deberent in Eccleſia. Cum igitur *Cantorum Officium in Eccleſia*, ut hujusmodi, minus ſit & indignius, *minoremque utilitatem afferens quam Diaconorum*: Patet, quod ea proportione ſunt tractandi.

Muſicos in Eccleſia inferiores eſſe Diaconis, minori etiã honore dignos.

Veritas ſiquidem hujus dicti plane patet ex *Decreto Gregorii Magni*, & ponitur in Canone *Di.* 92. *capitulo* 2. *In ſancta Romana*. Ubi ad propoſitum ita ſcribit: *In ſancta Romana Eccleſia dudum conſvetudo eſt valde reprehenſibilis exorta, ut quidam ad ſacri altaris miniſterium Cantores eligantur, & in Diaconatus ordine conſtituti modulationi vocis inſerviant, quos ad prædicationis officium & eleemoſynarum ſtudium vacare congruebat. Unde fit plerumq́;, quod in ſacro miniſterio dum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur, & cantor miniſter deum moribus ſtimulet, cum vocibus populum delectat. Qua de re præſenti Decreto conſtituitur, ut in ſede hac ſancti altaris miniſtri cantare non debeant, ſolumq́; Evangelicæ lectionis officium inter Miſſarum ſolennia exſolvant: Pſalmos vero ac reliquas lectiones cenſeo per Subdiaconos, vel ſi neceſſitas exegerit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentaverit, anathema ſit.* Hæc canon.

Cantionis jam olim in miniſteriis ſacris abuſus.

Modulationis nimius in ſacris ſtudium, moribus ſæpe [illegible]. Dia[illegible] cor[illegible] [illegible] debe[illegible] cantare, ſed legere ſaltem.

Ecce, videtur, quid ſenſerit Beatus *Gregorius* de Cantoribus & de cantu. Et quod *officium cantandi non eſt digniſſimum, neq́; maxime neceſſarium in Eccleſia*.

Officium cantandi in templo non eſt abſolute neceſſariũ.

Et rurſum, quod gratia illius non debent prætermitti *majora & meliora in Eccleſia*. Cujusmodi ſunt *prædicatio verbi Dei*, & ea quæ ad ipſam neceſſario requiruntur, videlicet *ſacræ Scripturæ ſtudium, ſancta meditatio, devotaque oratio ſine ſtrepitu*.

Majora & meliora in Eccleſia reſtant.

In cujus evidentiam illi, qui devotiores ſunt, aſſidue tamen cantui inſiſtentes, *non experientes utplurimum tantum devotionis in clamore, quemadmodum in ſilentio moderato*: Prius dicunt horas canonicas ſine nota. Quod non facerent, ſi

Plus devotionis in ſilentio, quam clamore c[illegible]

plus devotionis accreſceret eis regulariter in cantando.

Auguſtinus cantiones ac modulationes Eccleſiaſticas ex Eccleſia optavit ſublatas.

Et in hac materia adeo aliquoties eſt turbatus *Auguſtinus*, quod propter devotionis remiſſionem, & propter *pericula, quæ nonnunquam conſurgunt ex cantuum Eccleſiaſticorum exercitio*, quod *optaſſet omnia hujusmodi modulamina ſublata fuiſſe ab Eccleſia*. Unde *decimo Confeſſionum* ſic ſcribit ad propoſitum: *Quia in ipſo cantu delectatio carnis ſe immiſcet, valde interdum melos omne cantilenarum ſuavium, quibus Davidicum Pſalterium frequentatur, ab auribus meis removeri velim atq; ipſius Eccleſiæ. Tutius quidem mihi videtur, quod de Alexandrino Epiſcopo Athanaſio ſæpe mihi dictum commemoravi, quia tam modico flexu vocis faciebat ſonare lectorem Pſalmi, ut pronuncianti vicinior eſſet, quam canenti. Veruntamen, cum reminiſcor lacrymarum mearum, quas ad cantus Eccleſiæ tuæ, in primordiis recuperatæ fidei meæ habui, & nunc ipſum commoveor non cantu ſed rebus quæ cantantur: Cum liquida voce & convenientiſſima modulatione cantantur, magnam inſtituti hujus utilitatem rurſus agnoſcens: Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum ſalubritatis. Magisq; adducor, non quidem irretractabilem ſententiam proferens, cantandi conſvetudinem approbare in Eccleſia. Ut per oblectamenta aurium, infirmorum animus in affectum pietatis exurgat. Tamen cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, quæ cantatur, moveat, me peccare confiteor. Et tunc mallem non audire cantum.* Hæc Auguſtinus ibidem.

Delectatio in cantu devotioni inimica.

Lectio Pſalmorũ in Eccleſia levi vocis flexione fuit olim abſoluta ſub Athanaſio.

Uſus cantandi in ſacris admittitur aliquo modo. Propter infirmos Chriſtianos, qui hoc pacto ſuſcitandi.

Hic plane videtis, quod quamvis *Auguſtinus* dicat, ſe ex quibusdam motivis inductum ad approbandum conſvetudinem cantandi in Eccleſia, dicit, ſe tamen non proferre iſtam ſententiam tanquam irretractabilem. Significans per hoc, *quod ſi*, quod abſit, *ab aliquo cantu Eccleſiaſtico magis diſpendium Eccleſiæ generaretur quam profectus*: Ut in caſu, quo *occaſione illius majora bona magisq; neceſſaria ad incrementum ſpiritnale Eccleſiæ eſſent neglecta ſeu poſtpoſita*: Qvod *tunc cantu Eccleſiaſtico ſecundum majus aut minus intermiſſo*, tanquam minori bono & non ſimpliciter neceſſario, *eligamus magis bonum neceſſarium*.

Caſu, quo cantus in templis minuendus: Ne alia ſacra graviora impediantur aut poſtponantur.

Hoc autem non dicimus, ut cantum Eccleſiaſticum reprehendamus, ſed ut *digniora apud Deum præferamus*. Præſertim cum metricus ita dicat:

Non vox, ſed votum, non muſica chordula, ſed cor,
Non clamor, ſed amor, ſonat in aure DEI.

In cujus evidentiam *populo Iſraeli*, qui neglectis virtutibus, & maxime miſericordia & juſtitia, *muſicalibus melodiis* ad Dei laudem *indulgebat*, exprobando ſic dicit Dominus *Amos quinto*: *Aufer tumultum carminum tuorum à me, canticum lyræ tuæ non audiam.*

Muſica abuſus in Iſraelitis notatus.

Pro tanto autem iſta diximus de *Cantoribus*, quia videmus tanquam oculata fide, quod majores Prælati, ac etiam Domini ſeculares, videntur ſibi & aliis ſatisfeciſſe quoad omnia, *ſi quilibet eorum habeat unum globum cantorum electorum*, qui faciant ſtrepitum quoad mundum. Qvibus omnia beneficia quæ poterunt procurare, non ſufficiunt.

Magnates jam olim amaſſe Muſicorum cœtũ in ſacris.

Et *ita ſub ſophiſmate videtur Eccleſia deluſa, dum minus idonei præferuntur* ad cumulum beneficiorum, prætermiſſis habilioribus.

ARTIC. XIII.

Contra Extorſiones univerſaliter.

QVoniam antiqvus hoſtis, volens omnes homines indiſtincte in interitum ſecum ire, ubi non ſubeſt ſibi facultas *pertrahendi* eos *ad facinora*, pertinentibus nominibus nominata; nititur pro viribus, qvantum ſufficit, *ſub titulo præclaræ nominationis & honeſtæ* ad præmiſſa perducere: Petimus igitur, in amore crucifixi, quatenus omnes *extorſiones indebitaq; exactiones*, quæ in Eccleſia exercentur, *honeſtis nominationibus palliatæ*, unanimi conſenſu Prælatorum ſimpliciter ſint deletæ.

Titulus præclarus rei malæ ubique quæritur.

Extorſiones Papales decoris titulis olim ornatæ, ſed repudiandæ.

Qvanta autem celeritate eſſet hæc petitio *exequenda*, doceret quidem horror divini judicii. Qvoniam, ut ait Scri,

Scriptura, *Amos ultimo: Ecce oculi Domini ſuper regnum peccans. Et conteram*, inqvit, *illud à facie terræ.*

Avaritia delevit Hieroſolymam.

Et revera ſicut *avaritia erat cauſa deſtructionis Jeruſalem veteris, ita etiam & nova*, ſi non citius per remedium occurratur. Scribit enim Propheta, ubi ſupra, in hunc modum: *Vidi Dominum ſtantem ſuper altare, & dixit, percute cardinem & commoveantur ſuperliminaria. Avaritia enim in capite omnium, & noviſſimum eorum in gladio interficiam. Non erit fuga eis, fugient, & qui fugerit, non ſalvabitur ex eis.*

Conſvetudo contra bonos mores non alleganda.

Nec valet hic *conſvetudinem contra bonos mores allegare.* Præſertim, cum *malum quo diuturnius eo pejus.*

Malum, quo diuturnius eo pejus.

Munus gratuitũ, non facit debitum.

Si, inqvam, ab initio *gratis præſtitum non facit* præſtantem quantumlibet temporis tractu *debitorem*: A fortiori, quod ab initio *per violentiam* eſt *extortum* aut irrationabiliter impoſitum, aut paulativa ſurreptione *fuco præſcriptionis* uſurpatum, non *reddit* aliquem debitorem: Sed importune hæc petentes injuſtiſſimos *exactores.*

Exactio violenta non parit præſcriptionem.

Qvare in talibus, quæ hujusmodi *exigentes de avaritia ſuſpectos* reddunt probabiliter, non deberet quidquam eis impendi, niſi pro eis cauſam allegent legitimam, quæ per viros conſcientioſos & Deum timentes poſſet rationabiliter approbari.

Conſvetudine quavis poſſunt palliari peccata.

Varii prætextus ſcelerum.

Aliter enim tota congeries peccatorum poſſet faciliter *excuſari*, dicendo: Qvod *ſic conſvevit fieri: Et, ſic fecerunt boni viri*: Et rurſum, quod *talia memoriam hominum tranſierunt, non interim impetita*: Et iterum, quod *nonnulli, qui videbantur aliquid eſſe in Eccleſia, talia tam ſcriptis quam factis approbarunt*: Et, *Abſit, quod omnes talia facientes eſſent in perditionis periculo.*

Verum, quia multiplicare inconvenientia, non eſt ſolvere, & ut volunt Philoſophi cum Scriptura: *Nullum violentum æternum*: Non ſupereſt aliud pro ſalute, niſi qvod *emendemus in melius, quæ vel ſcienter vel ignoranter peccavimus* in præmiſſis.

Blandi exactionũ Papalium tituli.

Denarius S. Petri.

Unde, ut appareant *præclara nomina, ſub quorum pallio ſe protegunt extorſiones* in Eccleſia, nihil loqvendo *de denariis Sancti Petri*, nec de Archidiaconorum *procurationibus*, qui nihil habent aut modicum, unde in ſuo officio ſe ſuſtentent præter procurationes, quas vel in pecuniis vel in victu poſſunt capere: Qvædam *velamina* reſerabo, quæ ſubſcriptis nominibus appellantur: Videlicet, *primorum fructuum exſolutiones, cenſuum impoſitiones, reſervationes*, tam generales quam ſpeciales, *taxationes*, multæ *exactiones, procurationes, penſiones* indemnitatum, *pœna pecuniaria, denarii ſynodales*, & Lætare *contributiones, collecta, teſtamentorum inſinuationes, ſequeſtrationes, adminiſtrationes, dimiſſiones officialium*, & apparitorum feuda, & alia hujusmodi infinita ac expertis magis nota, *quæ excogitavit avaritia.* Adeo, quod ubi ab olim in laudem Præpoſitorum Eccleſiæ voce Prophetica dicebatur *Eſaiæ 60. Ponam præpoſitos tuos juſtitiam*, modò vice verſa proclamatur per oraculum *Jeremiæ 6. Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones à majore usque ad minorem, omnes avaritiæ ſtudent, à Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.*

Primi fructus.

Reſervationes.

Taxationes.

Pœna pecuniaria.

Molles exactionum titulos invenit avaritia.

Proverbium vetus.

Unde absque verecundia *apud Satrapas* vertitur in *vulgatum proverbium* ad terrorem ſimplicium: Qvod *Epiſcopus habet mille oculos nocendi.*

ARTIC. XIV.

Contra ſuperfluum & nimis ſumtuoſum & inordinatum apparatum in Clericis & eorum familia.

Priſtina cleri pompa taxata.

NE nimia deformitas appareat inter *vitam* legiferi & exemplaris noſtri *Chriſti* ac etiam ſanctorum Patrum præcedentium, & *formam noſtræ converſationis*: Ac etiam ne contra decreta eorum attentemus: Et maxime, ne ſcandalum populo propinemus: Pie petimus, quod *conviviorum ſuperfluitas quoad clerum, veſtium nimia pretioſitas*, cum pompa eqvitatus & familiæ, inordinate ſe habentis ſive in veſtibus ſeu geſtura, ſit celeriter & *cum prudentia reſecata*. Si enim

Digitized by Google

enim hæc præmiſſa ſunt qvoad omnes Chriſtianos reſecanda, quanto magis à clero, qvorum eſt delicias ſpernere, contemtum mundi ac pœnitentiam prædicare.

Diſſimulatio Papæ.

Nec certe excuſat apud Deum, quod Dominus *Papa ex certa ſcientia hoc diſſimulat.* Nec etiam *uſui* habitus in contrarium, hujusmodi exercentibus ſuffragatur: Qvin imo magis accuſat propter peccandi conſvetudinem & occaſionem mali datam: Et maxime per hoc, quod *bona Eccleſiæ non tranſeunt ad illos] uſus*, ad quos erant à principio ordinata, ſed potius in illos *abuſus*, qui per ſacras leges Eccleſiæ ſunt clericis interdicti.

Bona Eccleſiæ in uſus legitimos convertenda.

Si enim in his, in quibus unus videtur defectus, culpa non latet: Qvanto magis in his, in quibus magis videretur. Si enim morem patriæ ſequi liceat, non ſuperbiam, *nimia* tamen *veſtium pretioſitas* tanquam illicita à Sanctis Patribus diſvadetur. Trahit enim ſecum probabilem *ſuperbiæ ſuſpicionem*, aut aliter *nimis delicati.* Scribit enim Beatus *Gregorius* in quadam Homilia ſic: *Sunt nonnulli, qui cultum ſubtilium pretioſarumq; veſtium non putant eſſe peccatum. Qvod utique ſi culpa non eſſet, nequaquam ſermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives, qui torquebatur apud inferos, byſſo & purpura indutus fuiſſet. Nemo enim veſtimenta pretioſa niſi ad inanem gloriam quærit.* Hæc ille.

De veſtitu cleri.

Si enim tantum periculum eſt in iſto, quanto magis in aliis memoratis, quæ minorem pro ſe habent evidentiam rationis. Tenentur etenim *Eccleſiaſtici* & maxime *Epiſcopi* pauperibus debilibus & ad laborandum impotentibus nedum in neceſſaria providere, verum, qvantum ſibi poſſibile fuerit, neceſſaria largiri *Diſt. 82. Cap. Generaliter: Et capite, Epiſcopus.*

Eccleſiaſtici in pauperes ſint benefici.

Unde & Gregorius magnus doctor, ſecundum quod de eo ſcribit noſter *Chronicator Beda, libro ſuo 2. cap. primo: Quicquid pecuniæ habuerat, ſedulus hoc diſpergere aut pauperibus dare curabat.* Unde & refert *Martinus in Chronico ſuo*: Qvando quidam ſucceſſor ejus in Papatu, nomine Sanctimianus, ipſi poſt mortem derogaret & maxime liberalitati, & propter hoc egenis manum adjutricem ſubtraheret, Sanctus Gregorius ipſum ter per viſum pro culpa redarguens, & quarto, cum ſe corrigere nollet, in capite percuſſit, quo tactu evigilans vexatus in capite expiravit.

ARTIC. XV.

Pro Cultu divino fructuoſius ampliando.

UNde, cum digna oblatio ſacrificii ſalutaris ſit maxime accepta Deo Patri, & præcipue miſericordiam ejus impetret, ac ſumme placet ejus iram, eſtq́ve ſingulare antidotum contra cuncta pericula imminentia: Petimus ergo cum inſtantia, quatenus, ut undiq; *laudabilius* fiat & *ſecurius*, omnes Prælati uno voto ad hoc laborent efficaciter, ut *qualibet parochialis Eccleſia ſit ſic dotata, quod ad minus ſufficiat abundanter victui unius Curati & alterius idonei Sacerdotis*, qvem ſibi voluerit ſubrogare.

Qvalibet Eccleſia parochialis habeat duos Paſtores.

Qvod autem hæc petitio *rationi* innitatur, poteſt multiplici medio declarari: Tum propter neceſſitatem ſatis crebro contingentem, utpote *in feſtis ſolennibus*, puta natalis Domini, Paſchæ & Pentecoſte, ubi *non poteſt per unum Sacerdotem* tantum honorifice Deo *deſerviri*. Tum 2 propter *infirmitatem*, ubi neceſſitas petit alium. Aliter enim Parochiani contra omnem bonam politiam eſſent ſuo debito deſtituti. Et tum 3. *propter* alia *impedimenta innumera*, quæ poſſunt leviter contingere uni ſoli. Sicut verbi gratia ex fragilitate humana veriſimiliter contingere poteſt: Sicut crebro contingit, quod aliquis talis ſolus exiſtens pro certis temporibus, quibus omnino neceſſarium eſt Parochianis habere Miſſam celebratam, ſit ſimpliciter indiſpoſitus, ut puta per iram vel per concupiſcentiam. Sicut indies contingit, quod quamvis ex negligentia admittantur, non tamen tam de facili avelluntur. In qvo quidem caſu occurrit inſolubile. Damnoſum namqve eſt Paro-

Digitized by Google

Parochianis, Miſſa carere: Sed longe damnabilius eſt ipſi Sacerdoti, ad celebrandum indigne accedere. Quod quidem ſecundum ſententiam *Origenis* facit, qui ſtantibus hujusmodi paſſionibus ad celebrandum accedit. Unde *Homil. 6. ſuper illo textu Joſua; Et fecerunt filii Iſrael paſcha 24. die menſis*, ad propoſitũ ita ſcribit: *Non ante circumciſionem paſcha facere poterant*, ſupple, *filii Iſrael. Sed neque ſtatim poſt circumciſionem carnes agni comedere, antequam ſanarentur, ſed poſteaquam ſanati ſunt, dicitur quod fecerunt Paſcha.* Hæc Origenes ibidem.

Ut itaque noſtra præſens petitio executioni demandetur, offerunt ſe viæ non paucæ.

Quarum una eſt, quod ubi occaſione appropriationum ſunt ita extenuata beneficia, quod duobus ſacerdotibus non ſufficiunt, quod vel ibi appropriationes ſint ſimpliciter revocatæ, aut aliter, quod hujusmodi moderamen fiat, quatenus effectualiter appareat, quod portio ſufficiens relinquatur ad plenam exhibitionem miniſtrorum jam dictorum & alia onera incumbentia.

De comparandis ſalariis paſtorum.

Secunda via poſſet aliquoties rationabiliter evenire. Videlicet, quatenus *beneficia nimis exilia, non multum diſtantia, eſſent unita.*

Tertia vero via eſſet ſatis communis regularisque, adhibita vivaci diligentia, quatenus *unius Eccleſia abundantia alterius ſuppleat inopiam.*

ARTIC. XVI.

Pro Pace inter Regna Chriſtiana reformanda.

PEtimus ergo, quatenus de cetero *quilibet* futurus *ſummus Pontifex*, commiſſis cauſis & negotiis minoribus, quæ ante hæc tempora ſolebant in ſua Curia ventilari, inferioribus Prælatis & Judicibus per ſingulas provincias, præcipue, primo, principaliter & maxime ſtudeat, inſiſtat, efficaciterque *laboret pro ſtabilienda pace inter regna Chriſtiana.*

Pontifex minora negotia à ſua curia jubeat abeſſe, quæ relinquat Prælatis ſingularũ Provinciarum.

Quod autem hæc in facto fieri debeant, ſatis evidet ex ſcriptura.

Quoad *primum* certe, quod petitur, facit Hiſtoria *Exodi 28. de conſilio Jethro*, quo conſuluit ipſe Moyſi. Videns enim Jethro ipſum Moyſen nimium in cauſis minoribus occupatum, dicit ipſi per hunc modum: *Multo labore conſumeris tu & populus qui tecum eſt, ultra vires tuas eſt negotium, & ſolus non poteris ſuſtinere.* Et ſequitur: *Provide autem de plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderunt avaritiam, & conſtitue ex eis tribunos & centuriones & quinquagenarios & decanos, qui judicent populum omni tempore. Quicquid autem majus fuerit, ipſi referent ad te, & ipſi minora tantum judicent. Leviusque ſit tibi partito in alios onere. Si hac feceris, implebis imperium Domini, & omnis hic populus revertetur ad loca ſua cum pace. Quibus auditis Moyſes fecit omnia, quæ illi ſuggeſſerat.* Hæc ibi.

Papa ſit ſollicitus de Pace inter Chriſtianos ſervanda. Conſilium Jethronis de cauſis minoribꝰ ad curiã ſupremã non trahendis.

Et quoad *ſecundum*, quod principalius poſtulatur, facit, quod Chriſtus *in tempore ſummæ pacis* naſci voluit, qui per Prophetas Princeps *pacis* prædicatur, & in cujus ortu erat *pax* per Angelos ſolenniter proclamata, qui etiam imminente ſua paſſione *pacem* diſcipulis commendavit, quam reſurgens confirmavit, ipſamque omni loco in primis inſinuari mandavit. Unde & *Deus pacis*, tanquam ſingulari cognomine ſe voluit appellari, & *pacificos* univerſaliter ſuos filios nominavit.

Inter Chriſtianos ſervandæ Pacis ſtudium Pontifici ſerio commendatum.

Apoſtoli quoque in omnibus ſuis Epiſtolis à vocabulo *Pacis* inchoant & in eodem finem faciunt.

Cum igitur dicitur: *Nihil difficile volenti*, patet, quod in Domino ſperanti & non quæ ſua ſunt quærenti, erit nedum *facile* quod præmittitur, imo *delectabile*. Teſte etiam Beato *Auguſtino*, 19. *de Civitate Dei*, *capitulo* 12. Ubi ſic: *Tantum eſt enim Pacis Bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius ſoleat audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſtremo poſſet melius inveniri.*

Et moverent inſuper ad hoc conſideratio & timor *periculorum*, quæ *ex perturbatione pacis* inter regna contigerunt. Legimus namque in *Chronico Romanorum Pontificum*, quod, cum Ludovicus cum Lothario filio ſuo imperavit, duobus fratribus contra tertium de imperio contendentibus & in pago Altiſiodorenſi acies ſimul conſtruentibus, nunquam à retroactis temporibus tanta cædes facta eſt in gente Francorum. Unde & de hoc fama in Africam prodeunte, Saraceni inde animati venientes in territorium Italiæ Eccleſias Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli cum omnibus Romanorum finibus funditus dilapidaverunt, ac exinde verſus propria remearunt.

Modo vero noſtris temporibus *occaſio ſchiſmatis & fomentum erat diſcordia inter regna*. Quod profecto exinde patuit, quod regna inter ſe prius diviſa, partibus à ſe invicem diviſis & inter ſe de Papatu contendentibus, ſe pariformiter conjunxerunt. Quæ quidem diſcordia ſi inter regna non proceſſiſſet, à veriſimili ſchiſma non tam leviter inchoatum fuiſſet nec tam diu duraſſet.

Paci communi ſtudeat Pontifex, oratione, Quapropter *ſummus Pontifex* maxime inter omnes Chriſtianos *debet circa Pacem invigilare*, nedum devota *oratione*, verum etiam aſſidua *prædicatione*: Non ſolum *in perſona propria*, ſed more Petri, Clementis & Gregorii, *prædicatores* ad diverſas provincias *deſtinare*: *& prædicatione verbi Dei.* quatenus, *ſincera prædicatione* per orbem terrarum præmiſſa, *evellantur concupiſcentiæ carnales*, quæ, teſte Jacobo, ſunt bellorum incentiva. *Unde*, inquit, *bella, & unde lites in vobis? Nonne ex concupiſcentiis, quæ militant in membris veſtris?*

Inter omnia autem debet attendere, *ne contemplatione honoris proprii ſchiſma vel ſcandalum in Eccleſia oriatur.* *Ne proprii honoris intuitu anſam det diſſidiis in Eccleſia.* Quod bene notavit *Auguſtinus*, *ſuper Pſalmo* 71. exponens iſtum verſum: *Suſcipiant montes Pacem populo*, ſub his verbis: *Excellentes quippe in Eccleſia Paci debent vigilanti intentione conſulere, ne propter ſuos honores ſuperbe agendo ſchiſmata faciant, unitatis compage dirupta.* Hæc ille.

Unitas ergo eſt, à qua inchoavimus, unitas eſt, quam intendimus. Quam nobis concedat, qui vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus per omnia ſecula ſeculorum! Amen!

Explicit Tractatus,
qui intitulatur
Petitiones RICHARDI
quoad Reformationem Eccleſiæ militantis,
editus *Oxoniæ*
à Magiſtro *RICHARDO ULLERSTON*,
Doctore in Theologia,
Anno Domini M CCCC VIII.

Concin-

Concinnum hoc & memorabile Opus
PETITIONUM
QVOAD REFORMATIONEM ECCLESIÆ MILITANTIS,
à
RICHARDO ULLERSTON
LANCASTRENSI ANGLO
Theologo in *Academia* Oxonienſi Profeſſore
multis præclaris monumentis inclyto,
ANNO M CCCC VIII.
imminente Concilio Piſano
IMPERATORE RUPERTO
ſcriptum,
à
ROBERTO SARISBERIENSI EPISCOPO
in Conſtantienſi Concilio
Eccleſiæ Britannicæ nomine
eminente
in Germaniam omnino *advectum*,
Conciliiqve Patribus exhibitum,
IMPERATORE SIGISMUNDO.
Nunc,
tribus prope ſeculis elapſis,
MAGNANIMO
MAGNÆ BRITANNIÆ REGE
WILHELMO,
REVERENDISSIMI CANTUARIENSIS ARCHI-EPISCOPI
gratioſo indultu,
ILLUSTRISSIMI SARISBERIENSIS EPISCOPI
benigna interceſſione,
Clariſſimorum in Academia Cantabrigienſi Antiſtitum
eruditâ operâ,
ad illius temporis fata illuſtranda
& Conciliorum illius ævi negotium declarandum,
ex opulentiſſimæ Bibliothecæ Academiæ Cantabrigienſis
antiquiſſimo Manuſcripto
Nobis *Germanis*
communicatum.

Digitized by Google

Atqve ita
AUGUSTISSIMO IMPERATORE

LEOPOLDO

PACIS PUBLICÆ STATORE
VIRTUTIS ANTIQVÆ VINDICE
JUSTITIÆ, DECORIS, OPTIMARUMQVE LITERARUM
ASSERTORE POTENTISSIMO,
Feliciſſimis Auſpiciis
SERENISSIMI BRUNSVICENSIUM DUCIS
RUDOLPHI AUGUSTI,
Luci expoſitum
orbiq; erudito & doctæ *poſteritati commendatum.*
Sic tandem
PRIMUS HIC RERUM CONCILII CONST. TOMUS
divina adſpirante gratiâ ex voto *obſignatus*
Helmſtadii in Academia Julia
ANNO M DC XCVII.
Die XVI. MAJI,
Qvi, feliciſſimo fato,
Pientisſimi laudatisſimiqve
BRUNSVICENSIUM DUCIS
RUDOLPHI AUGUSTI,
Hiſtorici hujus operis Conditoris
Cana Senectute Auguſti
NATALIS eſt SEPTUAGESIMUS PRIMUS.

HOra diesqve hæc eſt, qvam diam dicere fas ſit,
NATALIS MAGNI PRINCIPIS ATQVE DUCIS.
Hora diesqve redi, qvâ celſo munere cœli
Donata eſt terris purpurea hæc anima.
Hora diesqve redi, qvâ ſummus Rector olympi
Hunc eſt largitus, qvi *Patriæ Pater* eſt.
Hora diesq; redi, *pietas* qva condita ſancta:
Nam vita eſt Patriæ *Dux probus atqve bonus.*
Hora diesqve redi, qva orta eſt *prudentia* cœlo:
Dux ſapiens magnum præſidium patriæ.
Hora diesqve redi, *divina ſcientia* qvando
Illuxit mundo, *gloria* magna *Ducis.*
Hora diesqve redi, *doctrinæ* fons & origo:
Nam *Princeps doctus* gratia celſa Dei.
Hora diesq; redi, qva non præſtantior ulla!
Hora beata fiet, ſitq; ſacrata dies!
Sæpius hæc veniat, redeat, precor, hora ſerena!
VIVAT IO! PRINCEPS RELLIGIONIS AMANS!

): (

Digitized by Google

Digitized by Google

[redacted]ogle